



IOSEPHUS
ABBAS CANONIAE
NEOCELLENSIS.

CONCILIA GERMANIÆ,

QUÆ

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU,

CL. JOAN. FRIDERIC. SCHANNAT

MAGNA EX PARTE PRIMUM COLLEGIT,

ad Canoniam DEIN Neustift

P. JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.

EJUSDEM CELSISSIMI IMPENSIS

PLURIMUM AUXIT, ET CONTINUAVIT.

Josephus TOMUS V. Abbas

AB ANNO MCCCC. AD MD.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLXIII.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

REVERENDISSIMO. CELSISSIMO.
DOMINO. DOMINO.

JOANNI.
MAURITIO.
GUSTAVO.

DEI. GRATIA. ARCHI-
EPISCOPO. PRAGENSI.
SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATO. NATO.
S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPI.
COMITI. DE. MANDERSCHEID-
BLANCKENHEIM.
ET.
GEROLDSTEIN.
LIBERO. BARONI. IN. JUNCKERATH.
DOMINO. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ.
HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARIO. INTIMO. ACTUALI.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATI.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET.
CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITO. SENIORI. AC. THESAURARIO.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITO.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS.
ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARIO. PERPETUO.
ET. PROTECTORI. &c. &c.



REVERENDISSIME ARCHI-EPISCOPE, CELSISSIME S.R.I. PRINCEPS, AC DOMINE, DOMINE!



TUÆ CELSITUDINIS Clementiſſima voluntate ac juſſu TUUM hoc Conciliorum opus proſequendum ſuſcepi tanto lubentius, quanto impenſius minima Societas noſtra univerſa, ea præſertim, quæ ad Rhenum, in gentilitio & natali TUO ſolo ſita eſt, TUIS geſtit non tantum parere imperiis, ſed nutibus etiam famulari.

TUUM hoc Opus dixi: neque enim alteri, quam TIBI, TUOQUE inſigni erga Germaniæ Eccleſias ſtu-

*

dio,

dio, amorique adſcribendum eſt. TUA magna in mente pretioſa hæc non minus, quam vaſta Germanicarum Synodorum collectio, inventa primum & adumbrata: TUO ære, TUISQUE impenſis, eadem a Schannato, ſuſceptis per varias Europæ Provincias itineribus, incepta: TUA munificentia a P. Joſepho Hartzheim continuata, aucta, typis edita, atque ad hanc quinque Tomorum amplitudinem hucusque producta: TUA porro liberalitate, vere Principali, trium adhuc Tomorum, qui miſſo Programmate literatis indicati jam ſunt, acceſſione augenda eſt.

Non in peregrinam tamen omnino meſſem, aut a meis alienam laboribus immiſi manum. Dudum eodem hoc in agro jam deſudavi. Mox enim, ac TUIS Clementiſſimis ſub auſpiciis, magnum hoc tot voluminum opus ſuum in ordinem digerendum, preloque committendum ſuſcepit Hartzhemius, vir & favore TUÆ REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS, & perpetua apud Literatos omnes memoria dignus, ſibi me nil minus cogitantem, adoptare voluit Socium, &, ut labores cum ipſo dividerem, a Superioribus exoravit: ſtatimque, veluti præſcius futurorum, ſcrinia mihi ſua, in quibus repoſita quæque habuerat, ſuis temporibus evulganda, detexit, agendorumque conſilia mecum communicavit.

Spero

Spero propterea, Clementiſſima TUÆ CELSITUDINIS Benignitate confiſus, fore, ut pari Benevolentia, qua priores quatuor TUI hujus operis Tomos ab Hartzhemio excepiſti, a me pariter, eorundem cum ipſo laborum ſocio, præſentem hunc, quem demiſſiſſime offero, Tuisque pedibus ſubſterno, *TOMUM QUINTUM*, dimidia fere ex parte a me editum, Supplemento non modico, Digreſſione, ac Indicibus auctum, cæterosque deinceps, DEO adjutore, TE vero Fautore, ac Mecœnate, ſecuturos admittere non dedigneris.

Cum multis ex argumentis perſpectum habeam, quantis in amoribus apud CELSITUDINEM TUAM P. Hartzhemius ſemper fuerit, quantisque a TE favoribus cumulatus; non committendum id a me putavi, ut in hac meæ Dedicationis Epiſtola triſti ejusdem obitus commemoratione renovarem illum dolorem, quem ex tanti viri jactura cum Literatis omnibus percepiſti. Patieris tamen, REVERENDISSIME PRÆSUL, ut ejusdem laudes, quas tum ob univerſalem Scientiarum prope omnium notitiam, tum maxime ob inſignes Religioſiſſimæ vitæ virtutes, non domeſtico ſolum noſtro, ſed externorum etiam, quotquot eum noverant, judicio fuit commeritus, meæ huic Epiſtolæ ſubjiciam, æmulandasque toti poſteritati tranſcribam.

Ego

Ego interim oro DEUM Optimum Maximum, qui CELSITUDINEM TUAM ad magnum hoc opus urgendum, promovendumque excitavit, ut aucto vigore, viribusque, TE ad ea uſque tempora ſervet incolumem, quibus non tantum, quæ TUO conſilio ac liberalitate cœpta ſunt, completa penitus & abſoluta videas; ſed ex maximis etiam, quæ inde ſeris annis in Eccleſiam univerſam derivata fuerint, emolumentis uberrimi ſolatii, gaudiique fructu perfruaris.

Ita optat, vovet, precatur

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS TUÆ

Infimus Cliens,
Devotiſſimus Servus

HERMANNUS SCHOLL S. J.

ELO-

ELOGIUM, ac brevis Vitæ SYNOPSIS
REVERENDI PATRIS JOSEPHI HARTZHEIM,
SOCIETATIS JESU,

Qui Concilia Germaniæ maxima ex parte collegit, & quæ hucusque edita sunt, Diſſertationibus, ac Digreſſionibus illuſtravit.

DImidia fere pars hujus Vti Tomi prodierat e prelo, cum ejusdem Collectorem, Editoremque, R.P. Joſephum Hartzheim inopina mors rapuit. Die XIV. Januarii, ipſo Sancti Hilarii feſto, quod in hujus Sancti Doctoris memoriam ſolemnius quot annis celebrare conſueverat, ſummo mane repertus eſt in cubiculo apoplexia tactus, eaque tam gravi, ut licet Expertiſſimorum Medicorum adhiberetur induſtria, in horas tamen ſingulas auctum potius malum fuerit, quam imminutum. Tres dies is morbus lecto affixum tenuit, quarto ſuſtulit Virum ætate, prudentia, ſcientia, atque eminente virtute, non Societati tantum noſtræ, ſed urbi, Patriæque univerſæ, immo & exteris Venerabilem. Quotquot enim norant hominem, ſuſpexere in eo vaſtitatem ingenii, memoriæ tenacitatem, linguæ facundiam, prudentiæ ſingulare decus, & imbutum omni literatura animum.

Natus erat Coloniæ anno MDCXCIV. XI. Januarii, Patre Viro Clariſſimo, Ignatio Conrado, J. U. D. & Urbis Senatore, Matre Gudula Sophia de Herreſtorff. Prima Scientiarum rudimenta hauſit in urbe natali apud Patres Societatis JESU, quorum etiam inſtitutum, poſt adeptam in Agrippinenſi Univerſitate Philoſophiæ Lauream, complexus eſt Treviris, anno labentis Sæculi XII. Poſitò religioſo tirocinio, ſtudiisque de more repetitis, extra Rheni inferioris Provinciam miſſus eſt Luxemburgum, ut Germanos ibi, Gallosque politioribus literis docendo excoleret: quod quanta ſedulitate, ſuique commendatione, tum & diſcipulorum emolumento præſtiterit; teſtantur adhuc, quotquot ſunt ſuperſtites, qui eo olim uſi Magiſtro fuerant. Theologiæ deinde uno anno Coloniæ, triennio inſuper eidem vacavit in Italia Mediolani, ubi diſcendi ſtudiis, docendi ſimul laborem conjunxit, dum Hebräicæ linguæ elementa e Cathedra tradidit, ac præterea Præſidiarios ibidem Milites Germanos, ſermone Patrio, ſacris Concionibus ad vitam ex Chriſtianæ doctrinæ regulis ducendam informavit.

Propugnatis Univerſæ Theologiæ placitis, celebriores Inſubriæ & Latii luſtravit Bibliothecas, & cum eruditioribus iſtarum Regionum viris, cumprimis cum Clar. Muratorio, Aſſemanno, Ceva, & Eminent. Cardinali Ptolomæo amicitiam contraxit. Romam ex itinere cum viſeret, etiam Eminent. Paſſionæo innotuit, illique ſe ita ab eruditione probavit, ut Purpuratus hic Præſul deinceps non unis eum literis ſalutarit.

In Provinciam Rheni inferioris reverſus, Philoſophiam ſexennio docuit: tum ſupremis Doctoris honoribus a Sacra Facultate donatus, Theologiam quadriennio, Sacram Scripturam decennio prælegit: in quam eruditiſſimas quot annis Diſſertationes edidit, a Literatis, etiam exteris, magnopere laudatas, avideque & magno numero in Galliam expetitas. Gymnaſii Tricoronati Colonienſis ſecundariam Præfecturam geſſit biennio, primariam annos quatuor & viginti: quo tempore totus in eo fuit, ut Profeſſoribus, ac Diſcipulis novos indies ſtimulos, atque animos adderet, arduumque ad ſcientias iter complanaret. Vigiles ſemper in Scholas intendit oculos: concertationes publicas omni ſtudio promovit: Græcis, aliisque Diſſertationibus annuis argumentum, ut plurimum, ipſe ſtatuit. Hiſtoriæ tam Sacræ, quam profanæ ſtudium primus in Provinciæ ſuæ Scholas invexit, illudque, magno rei literariæ bono, mirifice commendavit, latiusque propagavit. Mirabantur in eo omnes promptiſſimam de quovis ſcientiarum genere diſſerendi facultatem, & ſtupendam eorum, quæ in Poetis, rudibus olim annis, legerat, memoriam. Virgilium & Horatium ita tenebat animo, ut non ſemel auditus fuerit ſuggerere, cum ex his aliquid declamantem memoria fefelliſſet. Ipſis etiam in verſibus pangendis ea erat facilitate, ut ſi quando caſus inopinus ingrueret, pauculas intra horas integrum Poëma conficeret, idque tam ornatum; ut lucernam olere videretur. Soluta porro in oratione quanta fuerit facundia, tum quotidianis in congreſſibus, tum extemporaneis non raro ſermonibus palam fecit, quando in aliorum, quos morbus, aut alius caſus impedierat, locum peroraturus ſucceſſit. Cujus quidem extemporaneæ eloquentiæ ſpecimen præcipue dedit in publico, celebrique Literatorum conſeſſu, cum Profeſſoris biduo ante, quam Meta-

taphyficos jam emeritos folenni valedictione manumiffurus erat, defuncti partes in fe fufcepit. Unicus tantum fupererat dictioni parandæ dies ; Hartzhemius, ne cuipiam alteri moleftus effet, hanc fibi Provinciam fumpfit, & poftridie ducto ex ipfo Profefforis obitu argumento, tam gravem, tam ornatam, tamque efficacem de memoria orationem ad Academicos habuit, ut viri facundiam mirarentur cæteri, Difcipuli vero, qui dimittebantur, vel inviti in fingultus, lachrymasque proruperint. Plus forte admirationis habet, quod fequitur: Anno Jubilæi LI. Exercitia Spiritualia fermone vernaculo publice tradebat in Æde Metropolitana, adfcito e Collegis laborum Socio. Sed hic tertio, quartove die nimia dicendi contentione ita obtudit vocem, ut cum explicare confertæ multitudini meditationem niteretur, nec loqui præ raucedine, nec intelligi a populo poffet. Aderat in templo Hartzhemius, & ubi Socium in Cathedra laborantem advertit, fibi ut locum cederet, rogavit, atque illico fuggeftum confcendens, propofitum ab altero argumentum affumpfit, & profecutus eft, ac dein Meditatione finita, quæ dicenda ipfe paraverat, fubjunxit.

Nullum erat bonarum artium, fcientiarumque fublimiorum genus, in quo non fuiffet egregie verfatus: nullum, de quo non mira facundia, copiaque differeret. Philofophiam, Theologiam, Scholafticam, Dogmaticam, Polemicam, Moralem, Hiftoriam Sacram, profanamque perfpectam habuit: Artis infuper Heraldicæ, reique Monetariæ notitiam non attigit tantum, fed apprime tenuit. Atque ob hanc univerfalis eruditionis famam, fi qua incideret dubitatio, aut confilii expetendi neceffitas, frequentiffimi ac fere quotidiani ad ipfum a fummis, infimisque facti fuere concurfus.

Linguarum exoticarum uti amantiffimus fuit ; ita earundem ftudium, amoremque in aliis etiam accendit, & fuo commendavit exemplo. Præter vernaculam & Latinam, callebat Græcam, Hebraicam, Gallicam, Italicam, & mediocriter Hifpanicam. In Græca adeo promptus fuit, ut Græce fcriberet ac loqueretur. Anno 1735. felectas ex Tractatu de Fide Propofitiones Græco idiomate typis edidit, & P. Jacobo Settegaft, Societatis noftræ Sacerdote, easdem publice, in Eruditorum corona, contra Græce argumentantes, propugnante, ipfe totius difputationis arbiter præfedit, raro, & inaudito ante eum diem apud Ubios exemplo.

Ad Gymnafiarchæ & publici Profefforis labores adjunxit munus Examinatoris Synodalis & Ordinandorum. Vergente in Senium ætate, relicta Cathedra Theologica, Metropoliticam afcendit, ut Verbum DEI, quod Theologiæ Candidatis Latino antea fermone explicaverat, nunc Civitati univerfæ ex primario hoc urbis fuggeftu lingua patria explicaret. Integro novennio iftud officium ita geffit, ut a fummi infimique fubfellii hominibus, frequentia maxima, nec minore voluptate audiretur. Vehementiore ut plurimum utebatur genere dicendi, atque adeo volubili, ut intra horæ fpatium tantum fere exprimeret; quantum alii inter unam & dimidiam. Virilem amabat eloquentiam, nullis inuftam calamiftris, nullis e profana hiftoria flofculis diftinctam. Scriptura & Patres fere foli fontes erant, e quibus hauriret. Magnum ejus verbis pondus addebat provecta ætas, pervulgata fama doctrinæ, & vitæ laudatiffimæ exemplum. Sive enim domi, five foris inter amicos verfaretur, miram femper præ fe ferebat conftantiam, integritatem, pietatem in DEUM, Divini honoris zelum, ac proximos omni ope adjuvandi ftudium. Domefticarum legum nemo erat ipfo tenacior, Orationem Matutinam ultra præfinitum horæ fpatium produxit fæpe, nunquam citra ejus fines reftrinxit : In itineribus ufque adeo hujus ita retinens confuetudinis; ut diurnum hoc penfum ferme ad Clepfydram metiretur. Horas Canonicas articulata voce, ac fere de genu, cum in cubiculo effet: aut coram Chrifto Euchariftico, ad quem adorandum frequentiffime confueverat accurrere, perfolvebat: infignioribus Pfalmorum locis non raro inhærens, ac frœnos laxans affectui. Sacrificium ultra dimidiam horam paffim producebat, candentibus genis, & inflammato vultu fat prodens adftantibus, quibus intus ignibus arderet. Semel ei in vita accidit, ut in itinere Sacrificandi copia non effet : tulit id adeo molefte, ut apud familiares nunquam ejus rei fine doloris fenfu mentionem faceret.

Quam nihil defugerit in proximo juvando moleftiæ, experti funt plurimi per ipfum ad Cœnobia revocati Apoftatæ, adducti ad veram fidem heterodoxi, adjuti pauperes, erecti in fpem miferi, atque omnes ii demum, qui eo ufi funt vel confcientiæ, vel ftudiorum moderatore. Tametfi graviffima præ manibus haberet negotia, præfto tamen femper erat, ubi ejus opera vel a pœnitentibus, vel ab infirmis, moribundisve (in quibus folandis, & ex-

tre-

tremam ad luctam roborandis mira dexteritate valebat) vel ab aliis demum alia ope indigentibus petebatur: tanta comitate venientes ad se admittere solitus, ac si in hominem omnibus solutum curis, studiisque ac negotiis vacuum incidissent. Ipse primus Coloniæ pro indefesso suo alienæ salutis procurandæ zelo arduum in se suscepit laborem, Sacram B. Patris nostri IGNATII Ascesin, octiduo Festa Pentecostalia præcedente, Viris Literatis, Ecclesiasticis, Sæcularibusque sermone latino tradendi: quod munus septendecim continuos annos prosecutus est: ac prioribus quidem solus duas horas mane, totidem vespere perorando explevit, ea facilitate & ubertate verborum, ut Auditores, qui magno numero confluxerant, simile quidpiam se vidisse negarent: Annis tamen deinceps consecutis, ob contractam e contentione invaletudinem, cum socio partitus est laborem eo usque, dum invalescente ætate, gravioribusque distentus negotiis, spartam hanc aliis ornandam debuit relinquere.

Sed reliquas ejus virtutes omnes superabat ardentissimus in DEUM amor, qui eas apud ipsum egerat radices, ut ad hunc omnia sua referret consilia, eodemque amore impellente, quidquid posset, susciperet, imo majora etiam viribus agenda animo destinaret. Tantam certe rerum adhuc elucubrandarum molem etiam in extremo senio sua in mente descripserat, ut illi perficiendæ vix integrum Sæculum suffecisset. Sexagenario major Concilia Coloniensia, quæ magna cura pridem collegerat, præmisso jam ad Eruditos Programmate, publicam emittere in lucem meditabatur; cum Reverendissimus & Celsissimus S. R. I. Princeps, ac Archi-Episcopus Pragensis, cui perspecta a multis jam annis viri eruditio fuerat, cœptam olim a Schannato, totius Germaniæ Conciliorum collectionem, illi prosequendam, curandamque ejusdem editionem obtulit. Nihil accidere poterat Hartzhemio jucundius, eo quod adverteret, opus hoc cum insigni non unius tantum Diœcesis, sed Ecclesiæ universæ utilitate & emolumentis esse conjunctum. Novis igitur animis, novoque fervore in amplum hunc vastissimi studii campum ingressus fuit, familiari hac sua tessera usus: *Laboremus pro DEO & Ecclesia.* Veterum Chronica, Historias, Annales tum Ecclesiæ universalis, tum particularium perlustravit: Eruditos insuper totius Germaniæ viros frequenti literarum commercio ad idem secum studium excitavit: qua industria tantam congessit Synodorum, earumque rerum, quæ ad Synodos pertinent, multitudinem, ut Schannati collectionem non dimidia solum parte auxerit; sed multum etiam superaverit. Magnum equidem Vir ille diligentissimus ex antiquissimis primorum Sæculorum monumentis attulit Hartzhemio subsidium, sed ultra Sæculum XIII. progressus vix fuit: unde pleraque Tomi IV., Quinti autem Concilia prorsus omnia, aut fere omnia Hartzhemio adscribenda veniunt, præter innumera, quæ in tribus prioribus Tomis Schannati collectis adjecit. Pro Tomis secuturis, nullam omnino Synodum, discussis utcunque scriniis, a Schannato relictam reperi: omnia, quæ in eorundem Programmate notantur, P. Josephi indefessa studia detexere.

Ipsum hoc, de quo loquor, Programma ultimum opus fuit, quod imprimendum quidem Typographo commisit; impressum tamen non vidit, catarrho apoplectico prostratus in lectum, & in medio cursu laborum non tantum ad eorum, quæ pro gloria DEI fecit, scripsitque, sed illorum simul, quæ scribere & facere voluit, mercedem evocatus. Inviserunt decumbentem honoratiores e civitate Viri, & vale supremum dixere. Ingemiscentibus aliis, solus constabat ipse sibi, nec vivere recusans, nec mori timens. Patuit tunc omnibus, quam vere, cum valeret, dictitarit: *Disposui pridem domui meæ; & exspecto, donec veniat immutatio mea.* De funere ubi percrebuit, maximus per urbem inter amicos & clientes consecutus est luctus: Domesticorum vero communis comploratio. Pagellæ publicæ mox Eruditis mortem nuntiarunt; & Cl. Pintius, Ravennas, Excellentissimo D. Nuntio Apostolico ab epistolis, Hartzhemio suo hoc parentavit Epitaphio:

D. O. M.
JOSEPHO. HARTZHEMIO.
SOC. JESU. PRESBYTERO.
THEOLOGO. PHILOLOGO. ATQUE. ORATORI.
EXIMIO.
LINGUARUM. ORIENTALIUM. EXOTICARUMQUE.
SCIENTISSIMO.
IN. PATRIO. OLIM. GYMNASIO. SACRARUM. LITTERARUM.
INTERPRETI.
QUI.
QUOAD. VIXIT. PIETATEM. IN. DEUM. AMOREM. IN. PROXIMOS.
URBANITATEM. LEPORES. MIRE. EXERCUIT.
VIRO.
NUNTIIS. APOSTOLICIS. PRÆSERTIM. VERO. CÆSARI. ALBERICO. LUCINIO.
NUNC. SANCTÆ. SEDIS. APOCRISARIO.
QUI. ILLUM. SÆPE. IN. REBUS. ARDUIS. CONSILIARIUM. ADHIBUIT.
APPRIME CHARO.
OPTIMORUM. STUDIORUM. CULTORES. COLONIÆ. AGRIPPINENSIS.
MERITO. PARENTANT.
VIXIT. ANN. LXIX. DIES. IV.
OBIIT. APOPLECT. XVI. CAL. FEBR. A. C. MDCCLXIII.

Quis furor est, atram bellis arcessere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede. Ex Tibullo.

Con-

D. CORNELIUS VALERIUS DE VONCK, Libris editis, & gestis apud Batavos Magistratibus Clarissimus, extemporali hoc epicedio ejusdem Viri mortem prosecutus est:

DIVIS MANIBUS
VENERABILIS PATRIS JOSEPHI HARTZHEMII EX SOC. JESU,
VIRI PIETATE, atque ERUDITIONE CELEBERRIMI.

TUne adeo moreris! Tu me sic, Care, relinquis
Gloria Pierii rara, JOSEPHE, chori?
Cujus amicitiæ quamquam mihi fœdera demum
Tertia post isthanc prima ferebat hiems:
Sic tamen à Summo mihi jam disjunctus amico,
Et videor magna sic mihi parte mori,
Tamquam ter Pyleos Tecum sociatus in annos,
Tempus amicitiæ & nostra juventa foret.
HARTZHEMI moreris? sine me, Veneran-de, veheris
Ætheris in summas, nubila transque, plagas?
Nullumne ergo Tui monimentum cernet amoris,
Aut reliquum quidquam VONCKIUS ille Tui?
VONCKIUS ille, Tui specimen præsigne favoris,
Cui noctes memini, Teque dedisse dies,
Litera quem Batavis toties invisit in oris,
Litera Teutonico visit in orbe Tua.
Sed frustra meminisse juvat! jam ridet ab alto
HARTZHEMIUS Secli ludicra vota Sui.
Et tamen ex Alto sic consolatur amantes,
Illorum ut semper se meminisse sciant.
Illorum numero me nunc &, Care, reponas,
In Superisque mei Tu meminisse velis!
Fallor? & ann' isthic (CAROLI Tibi maxima quondam
Principis ut fuerat cura) Beatus agens
SULTZBACHIDUM Stirpi mansura Palatia poscis,
Et sobolem CAROLO Numina poscis ovans?
Hæc rata sint utinam Tibi vota, precesque bonorum!
Sic minus HARTZHEMII fata dolenda mihi.

Manhemii D. XXVII. Januarii
CIƆIƆCCLXIII.

CORN. VALERIUS
DE VONCK.

Typis edita sunt a P. JOS. HARTZHEIM:

I. Summa historiæ omnis ab exordio rerum ad annum a Christo nato MDCCXVIII. in 18. *Luxemburgi.*
II. De initio Metropoleos Ecclesiasticæ Coloniæ Claudiæ Augustæ Agrippinensium Disquisitio I. II. & III. Colon. Agripp. 1731. & 1732. in 4to.
III. Inscriptionis Hersellensis Ubio-Romanæ explanatio ad Excell. D. Jacobum S. R. I. Baronem Walbot de Bassenheim. Colon. Aug. Agrippinentium 1745. in 8vo.
IV. Bibliotheca Scriptorum Coloniensium. Colon. 1747. Fol.
V. Dissertationes X. Historico-Criticæ in Sacram Scripturam ab anno 1736. ad 1746. in fol.
VI. Catalogus Historico-Criticus Codicum MSS. Bibliothecæ Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis. Colon. 1752. in 4to.
VII. Historia rei Nummariæ Coloniensis, & Dissertationes de eadem. ibid. 1754. in 4to.
VIII. Prodromus historiæ Universitatis Coloniensis: quo exhibetur Synopsis Actorum & Scriptorum a Facultate Theologica pro Ecclesia Catholica & Republ. ibid. 1759. in 4to.
IX. Concilia Germaniæ, quæ Celsissimi Principis Joannis Mauritii Archi-Episcopi Pragensis sumptu, Clar. J. Frideric. Schannat magna ex parte primum collegit, dein P. Jos. Hartzheim S. J. ejusd. Celsissimi impensis plurimum auxit, continuavit &c. ibid. Tomi V. fol.

Ad Typum parata:

I. Eifflia Occidentalis illustrata. *Opus a Cl. Schannato cœptum, a P. Jos. Hartzheim ad finem perductum, Figuris ornatum, & codice Diplomatico auctum.*
II. Vita Sancti Annonis Diplomatica.
III. Historia Gymnasi Tricoronati.
IV. Historia Literaria Germaniæ.
V. Concionum Germanicarum Tomi plures.
VI. Exercitiorum S. P. Ignatii Tomi aliquot.

His tamen operibus extrema adhuc lima deest.

Magna item collecta ab illo fuit Farrago Diplomatum pro Archidiœc. Coloniensis, Decatuumque Montensis, & Juliacensis Historia, quam sibi scribendam sumpserat. Sed hæc ejus consilia aliis deinde interpellata curis, exitu caruere.

FACULTAS REV. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

CUm Vidua JOANNIS WILHELMI KRAKAMP, & Hæredes CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolæ Colonienses, typis vulgare desiderent Tomum quintum *CONCILIORUM GERMANIÆ, a P. Josepho Hartzheim, Societatis nostræ Sacerdote, elucubratum;* Ego infra scriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ad Adm. Rev. P. N. LAURENTIO RICCI, Universæ Societatis JESU Præposito Generali, iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; simulque communico Jus Privilegii Cæsarei, quo Bibliopolis, ac Typographis interdicitur, ne quis Librum ullum a Societatis nostræ Patribus conscriptum, citra consensum Superiorum recudere, aut alibi recusum intra fines S. R. Imperii inferre præsumat. In cujus rei fidem has iis manu propria subscriptas, ac consueto officii mei Sigillo munitas dedi. Paderbornæ 9na Aug. 1763.

(*L. S.*) ANTONIUS RÜTING S. J. mpp.

INDEX





INDEX CHRONOLOGICUS
TOMI V.
CONCILIORUM GERMANIÆ ET EPISTOLARUM AD CONCILIA PERTINENTIUM.

Annus Christi — *SÆCULO XV.* — *Paginæ*

FINIS INDICIS CHRONOLOGICI.

DIGRESSIO AD SÆCULUM XV.



INDEX

INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
SÆCULI XV.

O.

FINIS INDICIS ALPHABETICI.



CATA-

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

AB ANNO MCCCCIV. AD MCCCCXCII.

Quorum annos Conciliis Germaniæ præfigendos putavimus.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*
Innocentius VII. *Sulmonensis, quondam Cosmas Melioratus, Presb. Cardin. S.Crucis.*	CCIV.	Anno Christi MCCCCIV. V. Idus Septembris.	Annos II. Menses II. Dies III.	Anno Christi MCCCCVI. VIII. Idus Novembris.
Gregorius XII. *Venetus, antea Angelus Corarius, Cardin. S.Marci.*	CCV.	MCCCCVI. IV. Non. Decembris.	Annos II. Menses VI. Dies III. Electo a Cardinalibus in Concil. Pisano Alexandro V.	MCCCCXV. Pontificatu cessit, obiit MCCCCXVII.

Concilium Pisanum a duarum factionum Cardinalibus ad Schisma Pontificum Romanorum & Avenionensium tollendum indictum fuit A. 1419. Præsedit Cardinalis Pictaviensis, utriusque Collegii Decanus. Absolutum fuit Sessionibus XXII. Duravit a 29. Mart. ad 14. Aug. anni ejusdem. Sessione XIX. a Cardinalibus viginti quatuor electus Alexander V. aucto Schismate, non sublato.

Alexander V. *Cretensis, olim Philaretus, ex Ord. Minor. Episcopus Vicentinus.*	CCVI.	MCCCCIX. XVI. Kal. Junii.	Menses X. Dies VIII.	MCCCCX. V. Non. Maji.
Joannes XXIII. *Neapolitanus, antea Balthasar Cossa.*	CCVII.	MCCCCX. XV. Kal. Junii.	Annos V. Dies XIII.	MCCCCXV. XI. Kal. Junii Papatu dejectus Sess. XII. Concil. Constantiensis.

Nomen & Natio.	*Ordo Succeſſionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*

Concilium Conſtantiæ habendum indixit hic Papa, protegente & procurante Sigismundo Rege. Cœpit illud A. 1414. 5. Nov. Seſſiones habuit XLIV. Finitum A. 1418. Seſſione XII. Joannes XXIII. depoſitus, Gregorius XII. ſponte abdicavit Papatum Seſſ. XIV. Benedictus XIII. Antipapa, olim Petrus de Luna, in Schismate obiit A. 1424. Clemens VIII. pariter Antipapa, olim Ægidius Munio, A. 1429. XV. Kal. Sept. vero ſe Papæ ſubjecit.

Martinus V. *Romanus, olim Otto de Columna, Cardin. Diac.*	CCVIII.	Anno Chriſti MCCCCXVII. IV. Non. Novembr.	Annos XVI.	Anno Chriſti MCCCCXXXI. VII. Kal. Mart.

Dicitur vulgo MARTINUS V.; etſi reapſe ſit Tertius nomine Martini: nam, qui nomine III. & IV. Martini celebrantur, MARINI fuere, non MARTINI.

Eugenius IV. *Venetus, antea Gabriel Condulmerius, Card. Presbyt. S. Clementis.*	CCIX.	MCCCCXXXI. V. Non. Maji.	Annos XVI.	MCCCCXLVII. VII. Kal. Mart.

Concilium Baſileæ indixit; quod cœptum A. 1431., Seſſiones habuit XLV. Translatum hoc Concilium Baſilea Ferrariam A. 1438., hinc Florentiam ab Eugenio P. M. A. 1439. Florentia demum ab eodem Papa Romam A. 1442. VI. Kal. Maji poſt Seſſionem XXX. deductum. Felix V. Antipapa, olim Amedeus, Sabaudiæ Dux, Baſileæ electus, abdicat Lauſanæ Papatum A. 1449.

Nicolaus V. *Sarzanenſis, antea Thomas, Cardin. S. Suſannæ.*	CCX.	MCCCCXLVII. Prid. Non. Mart.	Annos VIII. Dies XIX.	MCCCCLV. IX. Kal. April.
Calliſtus III. *Hiſpanus, olim Alphonſus Borgia.*	CCXI.	MCCCCLV. VI. Idus Aprilis.	Annos III. Menſes III. Dies XIX.	MCCCCLVIII. VIII. Id. Aug.

Pius

Nomen & Natio.	*Ordo Succeſſionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit vel abiit à Pontificatu.*
Pius II. *Senenſis, antea Æneas Sylvius Piccolominius.*	CCXII.	Anno Chriſti MCCCCLVIII. XIV. Kal. Septembris.	Annos VI. minus V. dieb.	Anno Chriſti MCCCCLXIV. XIX. Kal. Septemb.
Paulus II. *Venetus, olim Petrus Barbus.*	CCXIII.	MCCCCLXIV. III. Kal. Septembr.	Annos VI. Menſes X. Dies XVI.	MCCCCLXXI. VIII. Kal. Aug.
Sixtus IV. *Savonienſis, quondam Franciſcus Roboreus ex Ord. Minorum.*	CCXIV.	MCCCCLXXI. V. Idus Aug.	Annos XIII. Dies V.	MCCCCLXXXIV. Idibus Auguſti.
Innocentius VIII. *Genuenſis, antea Joannes Baptiſta Cibo.*	CCXV.	MCCCCLXXXIV. ante IV. Kal. Septemb.	Annos VII. Menſes X. Dies XXVII.	MCCCCXCII. VIII. Kal. Aug.
Alexander VI. *Valentinus, olim Rodericus Lenzolius.*	CCXVI.	MCCCCXCII. III. Idus Aug.	Annos XI. Dies VIII.	MDIII. XV. Kal. Septembr.

FINIS CATALOGI ROMAN. PONTIFIC.



SERI-

SERIES CHRONOLOGICA
REGUM ROMANORUM, ET IMPERATORUM OCCIDENTIS.



Wenceslao, ob inertiam ceteraque vitia, prope Renſam ad Rhenum exauctorato, ab Archi-Epiſcopis VIIviris, Joanne Moguntino, Friderico Colonienſi, & Wernero Trevirenſi ſuffectus eſt Rex Romanorum RUPERTUS, Palatinus Anno MCCCC. die XX. Auguſti, Electoribus ceteris ad novum deligendum Imperio Caput invitatis quidem, ſed non comparentibus.

Natus erat Rupertus Anno MCCCLII. Patre Ruperto Tenace, Palatino, Matre Beatrice, Petri II. Regis Siciliæ Filia. Alii Latina voce Clementem, alii Teutonica Chlemm, id eſt, rigidum, appellatum ſcribunt. (*a*) Utrumque illi agnomen jure tribuitur; quam enim erat naturæ bonitate, & morum comitate Clemens, tam in premendis hoſtibus Reipublicæ rigidus & ſeverus fuit.

Ejusdem Anni MCCCC. diem Novembris XXV. deſignaverat, qua coronam apud Aquisgranenſes ex more ſuſciperet. Sed cum hi juramentum, quo ſuam Wenceslao fidem obſtrinxiſſent, prætendentes, ingreſſum negarent; Anno MCCCCI. Coloniæ, ipſa Epiphaniæ die, a Friderico Archi-Epiſcopo Colonienſi corona Regia inſignitus fuit: Aquisgranenſibus interim rebellium pœna ex lege proſcriptis, graviterque mulctatis.

Anno MCCCCII. Bonifacio IX. Imperii coronam offerente, in Italiam, modico, acciſis jam Imperii rebus, cum exercitu perrexit: verum a Galeatio Mediolanenſium Duce majoribus viribus obſiſtente repreſſus, accepta clade, ſine corona, ſine gloria, rediit in Germaniam, huic exornandæ, atque in pace conſervandæ, reliquam ætatem impenſurus.

Invaleſcebat inter hæc diuturnum Schisma Eccleſiæ, Benedicto XIII. & Gregorio XII. qui Bonifacio ſucceſſerat, pro tuenda Pontificia dignitate, magna invicem contentione decertantibus. Graviſſimo morbo ut remedium quæreretur, Anno MCCCCIX. Cardinales, neutro, qui ſe pro Pontifice gerebant, probante, Piſis Concilium, ac paulo poſt Rupertus Rex, Francofurti Comitia Principum indixere. Ad hunc Principum conventum duo ſe Cardinales adjunxerant, alter ut Gregorii XII. alter ut Cardinalium Piſis congregatorum partes ageret. Diu utrimque diſceptata res fuit. Major Archi Epiſcoporum, Prælatorumque ceterorum,

(a) *Vide Struvium Corp. Hiſt. Germ. Period. IX. pag.* 662.

rum, ac Principum pars favebant Cardinalibus: Rupertus autem Rex, cum Archi-Episcopo Trevirensi Wernero, Ducibusque Bavariæ, Gregorio adhærebant. Missi a Rege Pisas Legati, qui pro Gregorio, ne exauctoraretur, perorarent: sed hi, cum non audirentur, facta a Concilio ad Papam Gregorium provocatione, nemine salutato recesserunt. Nihil his moti Conciliabuli Pisani Patres, utroque Pontifice, Gregorio & Benedicto deposito, Petrum de Candia, sub Alexandri V. nomine, Papam dixere, sicque unguem ulceri immittentes, tertio Pontifice duobus addito, auxerunt Schisma, non sustulerunt.

His peractis non diu superfuit Rupertus. Repentino correptus malo, Oppenheimii decessit Anno MCCCCX. die Maji XVIII. Ægrotans septem arbitris familiæ herciscundæ commisit negotium. Facta divisio eodem anno die Veneris post festum Sancti Michaelis. (*b*) Heidelbergæ, ubi Academiam erexit (*c*), in æde S. Spiritus, quam ditavit, Regio apparatu sepultus, hoc meruit Epitaphio honorari: RUPERTUS, DUX BAVARIÆ, COMES RHENI PALATINUS, JUSTUS, PACIS ET RELIGIONIS AMATOR, DIGNUS DEO VISUS, QUI PRO JUSTITIA PATERETUR, HUJUS SACRÆ ÆDIS ET COLLEGII INSTITUTOR, HIC CUM CASTISSIMA CONJUGE ELISABETHA, NORICI MONTIS BURGGRAVIA, QUIESCIT, VITA FUNCTUS ANNO CHRISTI M. CCCC. X. KALEND. JUNII XV.

Ruperto demortuo, Francofurtensibus in Comitiis, quæ pro novi Cæsaris electione in diem Sancti Ægidii a Præsule Moguntino indicta fuerant, ad funestum Schisma Ecclesiæ novum accessit Schisma Imperii. Diffidentibus enim Septemvirorum suffragiis, ab aliis SIGISMUNDUS Wenceslai frater, ab aliis JODOCUS, Moraviæ Marchio, Rex Romanorum dicebatur. Quo factum, ut uno eodemque tempore, & tres in Ecclesia Summi Pontificatus titulo uterentur, Benedictus nimirum XIII. Gregorius XII. & Joannes XXIII., qui Alexandro V. paulo ante (*d*) successerat: ac tres pariter in Imperio colerentur Reges Romanorum: Wenceslaus Rex Bohemiæ: Sigismundus ejusdem Frater, Rex Ungariæ, & horum Patruelis Jodocus. (*e*) Non diuturnum tamen Imperii istud Schisma fuit. Damna, quæ inde in Germaniam redundatura merito timebantur, Jodoci mors prævertit, qui Brunnæ, Moraviæ Metropoli, cum præter inanem Regni titulum nihil illustre gessisset ad gloriam, post paucos Imperii menses, anno ætatis suæ LX. (*f*) decessit, (*g*) sub Regiis Insignibus, quæ vivens nondum acceperat, sepultus.

Vulgata Jodoci morte, concordibus Procerum omnium votis Imperium oblatum est SIGISMUNDO. Alter is Filius erat Caroli IV. ex Elisabetha Stettinensi, Ludovici Regis Hungariæ consobrina, & Poloniæ Regis Casimiri nepte. Balbinus (*h*) anno MCCCLXVIII. natum scribit, diem non memorat. Alii natales ejus ad annum præcedentem referunt.

Anno MCCCLXXIII. Marchia Brandeburgica a Carolo Patre donatus fuit.

Pri-

(b) *Vide Struv. l. cit. pag.* 677.

(c) *Briet. Annal. Mundi Sæc. XV.*

(d) *XVI. Kal. Jun. eod. anno* 1410.

(e) *Aventin. L. VII. C. XXIII.*

(f) *Schaten. nonagenarium scribit.*

(g) *Struvius defunctum dicit Octava Januarii A.* 1411. *Schaten* 20. *Mart.*

(h) *Balbin. L. III. C. XXI.*

Primam uxorem duxit Mariam, Ludovici Hungariæ Regis filiam, & hæredem, jam a pueritia sibi desponsatam: Hungariæ Rex ab Archi Episcopo Strigoniensi coronatus Anno MCCCLXXXVI.

Quam felix hoc primo connubio, tam infelix altero fuit ob vitia novæ conjugis, quam, Maria Hungariæ Regina anno MCCCCXII. defuncta, decennio ab hujus obitu elapso, duxerat. Erat hæc Barbara, Hermanni Comitis Ciliæ filia. Ex qua Elisabetham filiam & hæredem genuit, Alberto Austriaco, dein Regi & Imperatori, nuptam.

Anno MCCCCX. post Ruperti mortem a duobus Septemviris Wernero Trevirensi, & Ludovico Comite Palatino Rheni, ac dein anno sequente, Jodoco Marchione æmulo e vivis sublato, Electorum omnium assensu dictus, salutatusque fuit Rex Romanorum. Postremis pro altera electione Comitiis Sigismundus ipse interfuit. Cum ob Regiam dignitatem omnium primus rogaretur a cæteris, quem Imperatorem nominaret; Ipse sibi suffragium dedit, dicens: *Me ego novi, non perinde alios, cum nesciam, an quisquam alius æque idoneus sit, capessendi orbis Imperii.* Delectati isto candore Proceres, ejusdem suffragio suis etiam calculis adstipulati sunt. (*i*) Princeps re ipsa fuit ob insignem prudentiam, animi magnitudinem, liberalitatem, aliasque dotes, quas proceritas corporis ad augendam Majestatem ornabat, amplissima fortuna dignus. Præter idioma Teutonicum, linguas Latinam, Italicam, Gallicam, Bohemicam, Slavicam ita callebat, ut singulis congrue, facundeque loqueretur. Scientiarum studia ut ipse amavit semper, sic in aliis etiam fovit, munificentissimus eruditorum Fautor & Mecœnas. Quam dissimilis Wenceslao fratri, tam ad CAROLI IV. Patris indolem, ex virtutum præstantissimarum lineamentis factus, pacisque non minus, quam belli artibus clarus. Scientiæ tamen militari par felicitas adjuncta non fuit, sæpe enim in Hungaria cum Turcis, sæpe in Bohemia cum Hussitis minus feliciter decertavit. Præcipue in eo enituit ardentissimum studium tuendæ religionis, pacisque & concordiæ in Ecclesiam reducendæ: creditus propterea, Divino munere Imperator obtigisse, ut atrocissimo Schismate sublato, turbatum Ecclesiæ statum restauraret.

Hæc prima illi mox ab adito Imperio & antiquissima cura fuit, ac dici vix potest, quantos in se labores susceperit, ut istud negotium & urgeret acriter, & feliciter conficeret.

Cum nullum aptius Schismati dirimendo, fideique adversus invalescentes in Bohemia Wicleffi & Hussi errores defendendæ videretur remedium, quam Concilium Generale; ipse post longum ea de re literarum commercium, Anno MCCCCXIII. in Italiam profectus, Joanni XXIII., cui se se addixerat, persuasit, ut Concilium in annum sequentem indiceret, designato ad illud celebrandum loco, Constantia, urbe Imperatoria.

Eodem anno, XX. Octobris edito Diplomate, tanquam Summus Ecclesiæ universalis Advocatus, tutelam Concilio & securitatem pollicetur.

Anno MCCCCXIV. ut majore cum auctoritate & splendore Constantiensi Concilio interesset, inferiorem ad Rhenum descendit pro Augustali corona Aquisgrani

(i) *Schaten Annal. Paderb. Part. II. ad annum* 1411. *&* *Briet. in Annal. Mundi.*

grani accipienda. Deduxere Regem ſeptem Epiſcopi, Principes octo, decem ac centum Comites, ſexcenti amplius Equeſtres viri, ſex inſuper millia electorum Militum. (*k*)

IV. Novembris Aquisgranum ingreſſus fuit: quatriduo poſt Imperiale illi Diadema impoſuit Theodoricus a Mœrſa Colonienſis Archi-Epiſcopus. Inde Conſtantiam properavit, ubi Dominica, Feſtum S. Martini præcedente, Joannes XXIII. Concilio initium fecit.

XXIV. Decembris ejusdem anni in ipſo pervigilio Nativitatis Chriſti Conſtantiam delatus, nocte inſequente, Joanne Papa ſolemnibus ceremoniis Divinum Sacrificium ad aram peragente, Imperator aſſumpto Diaconi habitu, Evangelium, cujus hoc eſt exordium: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto*, decantavit.

Anno MCCCCXV. Joanne Papa ex Concilii ſententia depoſito, Gregorio inſuper ob amorem pacis ſua ſponte Pontificatus inſignia ponente, ſolus expugnandus ſupererat Benedictus XIII., qui favore Alphonſi Regis Aragonum, & quorundam Hiſpaniæ Procerum fretus, in retinenda dignitate pertinax, Concilii, totiusque Eccleſiæ precibus ac votis obluctabatur; hanc proin in ſe ſuſcepit Provinciam Sigismundus, ut ſi frangere hominis contumaciam non poſſet, Reges ſaltem, Principesque ac populos ab ejus obedientia abduceret. Quod inſtituto, Concilii Patribus bene precantibus, in Galliam, Angliam, & ad Hiſpaniæ confinia itinere, ſua prudentia & auctoritate tam feliciter perfecit, ut Aragoniæ, Caſtellæ, Portugalliæ, Scotiæ, ac Neapoleos, Siciliæque Reges, aliique Principes miſſis Conſtantiam Legatis, incredibili totius Eccleſiæ gaudio, ſe ſe Concilio adjungerent.

Anno MCCCCXVII. XXVII. Januarii Imperator Conſtantiam reverſus, magnifico cum apparatu excipitur. Benedictus XIII. qui ad mortem uſque ſua in contumacia perſtitit, conſentientibus Sigismundo, Caſtiliæ, Navarræ & Aragoniæ Regibus exauctoratur. Demum

XI. Novembris ejusdem anni, Schismate jam penitus extincto, Otto de Columna, ſub nomine Martini V. novus Eccleſiæ Paſtor datus eſt. Finita Electione, ſcribit *Platina*, effuſum nimio gaudio Sigismundum Regem, nullo habito ſuæ dignitatis diſcrimine, conclave ingreſſum, gratias omnibus egiſſe, qui tantum virum, ac tam Reipublicæ Chriſtianæ neceſſarium, delegiſſent; & ante eum proſtratum, cum ſumma veneratione ejus pedes exoſculatum eſſe. Quem contra Pontifex amplexus, non ſecus ac fratrem in pretio habuerit, eique gratias egerit, quod ſua opera & induſtria pax tandem Eccleſiæ reddita eſſet.

XXI. ejusdem Menſis Martinus Epiſcopus conſecratus, magnaque celebritate coronatus, ac dein inſigni pompa, præcedentibus, qui in Concilio aderant S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, cæterisque Prælatis, ac Romanæ Curiæ Officialibus, Sigismundo Rege ex una, Friderico Marchione Brandeburgico ex altera parte frænum equi, quo Pontifex vehebatur, regentibus, per urbem deductus fuit.

(k) *Schaten Annal. Paderb. Parte II. L. XV. ad h. annum.*

Anno MCCCCXVIII. die Aprilis XXII. Seſſione XLV. Concilium Conſtantienſe finitum eſt. Tribus illud annis ac fere ſex menſibus tenuit, de quo, ut Brietius ſcribit (*l*), Sigismundus gloriam etiam in terris retulit immortalem, Hercule felicior, exciſa Schismatis plusquam tricennalis hydra, cui nova capita in dies adnaſcebantur.

Anno MCCCCXIX. mortuo fratre Wenceslao, Sigismundus Bohemiæ Regnum adiit. Sed Huſſitarum furore, alium ab illo Regem, ſuæ faventem ſectæ, optantium, a pacifica ejusdem poſſeſſione diu impeditus fuit. Hi nempe fructus ſunt hæreſum, poſt rapinas, cædes, incendia, uſque ad perduellionem & Majeſtatis contemptum inſanire.

Anno MCCCCXX. Sigismundus in Bohemiam movit: Pragam obſedit. Coronam Regni Bohemici accepit a Conrado Archi-Epiſcopo, qui Catholicam adhuc eo tempore tuebatur fidem, ſed non diu poſt ad Huſſiticas Calixtinorum partes acceſſit, fidei proditor & apoſtata. Pragenſis urbis obſidio ſextam in ſeptimanam a Sigismundo protracta, ſucceſſu caruit. Revocato dein ex Bohemia Catholicorum exercitu, Ziſca, Dux Huſſitarum, Regnum ſui juris fecit, horrendum in modum adverſus Catholicos, perſonas præſertim DEO ſacratas, deſæviens. Quare Martinus V. Papa eodem hoc anno adverſus illum ſacrum bellum indixit, & ſub ſigno crucis Catholicos ad militiam invitavit.

Anno MCCCCXXI. Extremo Autumno ingens Cruce ſignatorum exercitus ſub auſpiciis Sigismundi in Bohemiam proceſſit. Magna rei bene gerendæ concepta ſpes; ſed eventus fefellit. Nam ineunte

Anno MCCCCXXII. dum ad Salzam oppidum conſedere agmina, & de Huſſitarum, qui ſubitarium ex agris exercitum conflaverant, adventu audiverunt; tantus repente Catholico militi injectus eſt terror, ut viſo necdum hoſte, omnibus relictis impedimentis, turmatim turpiſſimam ſe conjicerent in fugam. Fugientium terga cædentes Huſſitæ, magnam ſtragem edidere. Hæc ad VII. Januarii acta produntur.

Sigismundus ad eam cladem reſarciendam Ordines Imperii Norimbergam evocat. Interfuit conventui Julianus Cardinalis, a Pontifice in Germaniam miſſus. Decreta ad VII. Kal. Junii altera in Bohemos expeditio. Imperator, quo ſe potentiſſimi Ducis Auſtriæ præſidio firmaret, Eliſabetham, quam unicam habebat filiam, Alberto Auſtriaco conjugem dedit. Præter Hungariæ & Bohemiæ Regnorum hæreditatem, Moravia dotis loco adjecta.

Adulta æſtate ſecunda in Bohemos ſuſcepta eſt expeditio. XL. Millium peditum coactus exercitus: Equitum paulo minor. Proſpero aliquamdiu ſucceſſu peracta res: Oppida hinc inde capta, ſpoliati incolæ, hoſtes profligati. Sed paulo poſt pavore rurſum perculſi milites Catholici plenis agminibus ſe ſe dederunt in fugam, licet nullus obverſaretur ante oculos, quem timerent: regnumque Husſitarum direptioni & crudelitati reliquerunt. Tot cladibus attritus Sigismundus, novam cum Ziſca aleam tentare non voluit: imo ad extrema delapſus conſilia, ſuas illum in partes traducere ſtuduit, eumque in finem

Anno

(l) *Annal. Mundi ad annum* 1418.

Anno MCCCCXXIV. eidem, incaſſum tamen, totius Regni Gubernationem obtulit, non ſine ingenti ſuo & Germanici nominis dedecore. Tantum ſui timorem Ziſca, quamvis utroque oculo cæcus, apud omnes concitaverat. Poſt quadriennium tamen & vivere & timeri deſiit, peſte, per caſtra Bohemorum graſſante, extinctus.

Anno MCCCCXXVII. itemque MCCCCXXXI. Germanorum arma rurſum in Bohemiam verſa, ſed ſucceſſu nihilo meliore, quam annis prioribus: nec aliud ex utraque expeditione, quam idem fugæ dedecus, reportatum fuit.

Eodem anno MCCCCXXXI. inchoatum Baſileenſe Concilium: Wilhelmus Bavariæ Dux ejusdem Protector a Sigismundo conſtitutus. Invitati ad illud Bohemi, ut cum armis expugnari non poſſent; mitiore via & cum Eccleſia, & cum Rege reconciliarentur.

MCCCCXXXIII. die IV. Januarii Bohemorum Oratores Baſileam advenere, cum ccc. Equitibus urbem ingreſſi. IX. die ejusdem Menſis acceſſere ad Synodum. XIV. Aprilis Legati a Synodo viciſſim Pragam ad Bohemos miſſi.

Eodem anno Sigismundus ſummo honore Romæ exceptus, ipſo die Pentecoſtes ab Eugenio IV. Papa Auguſtalibus Imperii Inſignibus condecoratus, Imperatorque & Auguſtus ſolenni ritu ſalutatus fuit. Inde Baſileam properavit, ut diſſidia componeret, quæ inter Pontificem & Concilii Patres exarſerant. Sopita ad tempus diſcordia, Baſilea Ulmam, inde Ratisbonam Imperator diſceſſit.

Interea Bohemi nullis antea Catholicorum armis victi, mutuis ſe ipſos bellis obtrivere, Huſſitarum Thaboritarum, & Orphanorum fere XL. Millibus a Calixtinis Huſſitis Duce Mainardo cæſis. Tanta ſuorum ſtrage patrata, mitiores effecti, pronioresque ad pacem, & cum Eccleſia Baſileæ, inita concordia, & cum Cæſare Ratisbonæ circa annum MCCCCXXXV. reconciliati ſunt.

MCCCCXXXVI. Sigismundus VI. Kal. Septembris Pragam inviſit, ibique honorificentiſſime Rex ſalutatus, Nobilium, civitatumque juramenta excepit, tota plaudente Germania, quod inclytum illud Regnum, poſt tot cruenta prælia, fataleſque clades, tandem ad concordiam, priſtinumque fidei cultum fuerit revocatum.

MCCCCXXXVII. Tot rebus peractis, tanquam ſuo jam munere perfunctus, Sigismundus Imperator Znoymæ in Moravia, poſtquam Albertum generum Hungariæ & Bohemiæ Regem dixerat, vivere deſiit V. Idus Decembris. Imperii anno XXVII. Ætatis LXX.

ALBERTUS hoc nomine inter Cæſares II., uti in Hungariæ, Bohemiæque Regnis, ita in Imperii etiam adminiſtratione Socero Sigismundo ſucceſſit, XIII. Kal. Aprilis omnium Septemvirorum conſenſu Rex Romanorum electus, Princeps Sapientia, Religione, fortitudine bellica, potentia inſuper, & omni virtutum laude Germanos inter Proceres clariſſimus. Ter uno eodemque anno MCCCCXXXVIII. coronatus. Ipſis Kal. Januariis primam illi Coronam impoſuit Hungaria: alteram Bohemia III. Kal. Junii. Tertiam Germania Aquisgrani: quo menſe hanc, & quo die acceperit, incertum.

Filius erat Alberti IV. Ducis Auſtriæ, ex Joanna Alberti Bavariæ & Hollandiæ Ducis filia anno 1399. progenitus. Anno ætatis 20. Eliſabetham, Sigismundi Imp. filiam unicam & hæredem duxit.

Hoc ipſo anno MCCCCXXXVIII. Bohemiam cum exercitu XXX. millium ingreſſus, Taſconem, hæreticæ factionis, nondum penitus ſopitæ, caput, cæterosque rebelles Bohemos contrivit, & Caſimirum, æmulum Regni, e Bohemia ejecit.

In Germaniam reverſus, Norimbergæ Principum Comitia indixit : in his Germaniam, excepta tamen Bohemia, Auſtriaque, in quatuor circulos diviſit: quorum primus Bavariam cum Franconia, ſecundus Rhenenſes terras cum Alemannia, tertius Weſtphaliam cum Belgio, quartus Saxoniam complecteretur. Non diu poſt tamen nova diviſio facta in ſex circulos. (*m*)

Anno MCCCCXXXIX. Nova Moguntiæ Comitia celebravit. Frequentiſſimus is conventus fuit, nam præter Cardinales ab Eugenio, Præſulesque a Baſileenſibus Concilii nomine miſſos, confluxere ex tota pene Europa Epiſcopi, Principumque Legati. Summa fere rei deliberandæ fuit concordia Eccleſiæ. *Vide de hoc Conventu narrationem Auguſtini Patritii in hujus Tomi Supplemento pag.* 851.

Solutis Comitiis, cum exercitu in Hungariam feſtinavit Albertus, ut Amurathi, Turcarum Imperatori, Belgrado imminenti, ſe ſe opponeret. Sed is ſeu fama de adventu Regis, ſeu, quod præſenti expeditione fatigatus jam eſſet, ante receſſerat, quam Albertus adveniret. Dum reditum parat, in ventris profluvium ex incauto peponum eſu incidit: eoque ex morbo in Villa longa, non procul Strigonio deceſſit, VI. Kalend. Novembris anno Chriſti MCCCCXXXIX. Ætatis XXX. Imperii II. non integre completo. Eliſabetham uxorem gravidam reliquit, quæ dein Ladislaum Poſthumum peperit. Non facile Cæſar, *inquit Schaten*, aut majore ſpe (*n*) ad Imperium venerit, aut majore luctu in flore ætatis amiſſus fuerit.

Sub initium anni ſequentis MCCCCXL. ipſa ſolenni die Purificationis Bmæ M. V. ad Summum Imperii faſtigium conſenſu Procerum evectus eſt FRIDERICUS, hoc nomine IV. Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comes Tirolis, Erneſti Ferrei, ex linea Stiria, filius, Matre Cimburga, Maſſoviæ Ducis filia natus, Leopoldi III. Probi, nepos, Alberti II. Cæſaris Patruelis. Editus in lucem fuit Oeniponti anno MCCCCXV. die Septembris XXIII., adeoque annum ætatis XXVI. nondum compleverat, cum Rex Romanorum appellaretur: Princeps pietate & religione egregius: vigeſimo jamtum ætatis anno, aliis incaſſum obnitentibus, ſuſcepto per mare in Palæſtinam itinere, ſacra loca inviſerat: judicio ſupra ætatem maturus, pacis juxta ac Cleri amans, æquus, benignus, vini cibique continentiſſimus, procero ac pulchro corporis habitu, omnibus virtutum ornamentis ad Imperium natus. (*o*)

Jacobus Archi-Epiſcopus Trevirenſis ab Electorum Collegio delectus fuit, qui Procerum nomine ſummum illi honorem deferret, & ad Regnum ſolenni ritu capeſſendum ſecum adduceret. Dignitatem admiſit Fridericus, inaugurationis autem celebritas tertium in annum prolata eſt.

Præter electionis negotium Francofurtenſibus in Comitiis etiam de Eccleſiæ ad concordiam reducendæ cauſa Epiſcopi, Principesque tractavere. Nihil fœdius in Concilio Baſileenſi, ab ibidem congregatis actum, quam, quod anno præcedente

(m) *Struv. Corp. Hiſt. Germ. Period. X. pag.* 717.
(n) *Schaten Annal. Paderborn. L. XVI. ad annum* 1439.
(o) *Schaten L. cit. ad annum* 1440.

dente Eugenium Pontificem, de cujus legitima electione nullum Orbi Christiano dubium fuerat, sua de Sede dejicere tentaverint, ejusque in locum Amadeum, Sabaudiæ Ducem, antea Anachoretam, obtrudere, dato illi nomine Felicis V. Unde novum illud perniciosissimumque enatum est Schisma, quo alii Eugenio, alii Felici, recens a Basileensibus inducto, alii medias amplexi partes, neutri parebant.

Tertiam hanc neutri parti adhærentium classem, & anno priore, & his rursum in Comitiis adoptarunt Germaniæ Episcopi complures, & Principes, fœdoque exemplo nec verum Pontificem agnoverunt, nec Pseudo-Papam aversati sunt: dicti propterea Acephali. Novum istud Schismatis genus a Theodorico, Coloniensi Archi-Episcopo, qui pertinaci & infenso in Eugenium animo fuit, in Germaniam invectum scribitur. (*p*)

Anno MCCCCXLI. coacta Moguntiæ, quæ anno præcedente indicta fuere, Comitia. Oratores Eugenii Papæ, & Basileensium, pro sua quique parte, multis perorarunt. Sed Principes, prioribus inhærentes, professi sunt, neutras se partes esse secuturos, eo usque, dum aliud in Concilio Generali, extra Florentinum & Basileense statueretur. Nec plus aliquid ad Ecclesiæ pacem allatum est tum in Comitiis anni sequentis, quæ Francofurti, tum in iis, quæ dein Norimbergæ fuere celebrata. Magna quidem ubique pompa peracta res, sed fructu nullo.

Anno MCCCCXLII. Fridericus Rex in circumfusa corona Principum, Aquisgrani, Diademate, Sceptro, Purpuraque Regia exornatus est a Theodorico, Coloniensi Archi-Episcopo, tertia jam vice post Sigismundum, & Albertum, hoc Regalis Unctionis munere perfuncto. Aderat reliquos inter Præsules Ludovicus, S. Cæciliæ Cardinalis, missus a Concilio Basileensi Legatus: Hunc Episcopus Leodiensis (cujus Ecclesiasticæ Potestati Aquisgranum subest) cum ob Schisma Concilii, in ista celebritate præsentem ferre non vellet, ex urbe ejecit. Sed turbas composuit, ejectumque reduxit Theodoricus Coloniensis, qui uti hostem Eugenii, ita perpetuum Basileensium Patronum egit: malo tamen suo; nam non diu post, (*q*) in pœnam rebellionis contra Sanctam Sedem, totam Clivensis Ducis Provinciam, Ecclesiasticæ Jurisdictioni Metropolitani Coloniensis ab Eugenio subtractam vidit: Atque ipse demum Theodoricus, ob eandem hanc Schismatis, tam diu in Germania defensi causam, una cum Jacobo Sirckio, Archi Episcopo Trevirensi, quem suas in partes traxit, ejusdem Eugenii Papæ sententia, ab Ecclesiæ cœtu ejectus, & Archi-Episcopali dignitate (*r*) exutus fuit. Multum utroque eo fulmine commoti, exasperatique fuere VIIviri; sed simul etiam, visa Eugenii severitate, & inconcussa constantia, vehementer perterriti, factique proniores ad pacem, quæ

Anno MCCCCXLVI. Friderici Imperatoris opera, & Æneæ Sylvii industria tandem etiam maximo totius Ecclesiæ, Germaniæ præsertim, tam diu jam in ancipiti fluctuantis, bono restaurata est, dum post repetitas Legationes, ultro citroque missas, Eugenius Papa ad Friderici Imperatoris preces Archi-Episcopos Coloniensem, Trevirensemque, anathemate solutos, recepit in gratiam, pristinasque restituit in Sedes, (*s*) alia insuper, ad Germanicæ Nationis levamen petita, clementer indulsit. (*t*) Germani vicissim Præsules, Principesque abjurato Basileensi Schismate, relictaque Acephalorum factione, Eugenium IV. Summum Pontificem, verumque Christi in terris Vicarium professi, suam illi reverentiam, fidelitatemq; addixere. Hæc Germanorum ad Romanam Sedem accessio, sub anni Quadragesimi sexti finem præci-

(p) *Vide Schaten Annal. Paderborn. Parte II. L. XVII. ad hos annos.*

(q) *Anno* 1445. *vide infra hoc Tomo pag.* 286. *literas exemptionis ad Ducem Clivensem datas. Alias item literas ad Episcopum Trajectensem pag.* 283.

(r) *Anno* 1445. *vide literas exauctorationis hoc Tomo pag.* 286.

(s) *Vide infra hoc Tomo pag.* 394.

(t) *Vide de his literas Eugenii Papæ hoc Tomo pag.* 301. 302.

præcipue agitata, & ſub anni ſequentis initium completa fuit. Tantam ea res lætitiam Romæ excitavit, ut compulſatione campanarum, feſtivis ignibus, ſolennique Sacrificio, cui Cardinales omnes intererant, & decreta ſupplicatione publica, totius Eccleſiæ nomine, pacis auctori DEO gratiæ fuerint perſolutæ.

Anno MCCCCXLVIII. poſt confectam cum Germanis pacem, Eugenius Pontifex ſine exceptione Maximus, (*u*) Romæ ad Immortalitatem abiit VII. Kal. Martii. Succeſſorem habuit Nicolaum V. qui ex humili, quo natus erat, loco, ob doctrinæ, Theologicæ præſertim, ac inſignis Sapientiæ præſtantiam, ad Mitram Epiſcopalem, dein ad Purpuram, poſtremo, Cardinalium omnium conſenſione, ad Summi Pontificatus honorem provectus fuit. Rata habuit, probavitque ea, quæ inter Eugenium IV, Cæſaremque, ac Principes Germaniæ pacta erant. Fridericus viciſſim edito Diplomate, omnes Imperii Ordines juſſit, Nicolaum V. Pontificem, verum Chriſti in terris Vicarium revereri.

Anno MCCCCXLIX. Lauſannæ, quo Baſileenſes ſe cum Felice Antipapa receperant, Synodus diſſoluta eſt. Felix, cum Nicolao V. reconciliatus, Papæ nomen poſuit: retento honore Cardinalis. Felicior multo, & glorioſior relicta dignitate, quam aſſumpta. (*x*)

Anno MCCCCLII. Idibus Martii, Fridericus a Nicolao V. Longobardorum Rex coronatus, ſimulque cum Leonora, Eduardi Regis Luſitaniæ Filia, jam ante per Oratores ipſi deſponſata, inter Miſſarum Solennia a Pontifice Matrimonio devinctus eſt: poſtridie cum eadem Imperiali corona decoratus.

Anno MCCCCLIII. maximo Chriſtiani orbis luctu Conſtantinopolis a Turcis expugnata, & Orientale Græcorum Imperium ad Barbaros translatum eſt ipſis diebus Pentecoſtalibus: Manifeſta numinis pœna, quod Græci initam in Concilio Florentino cum Romana Eccleſia concordiam perfide ruperint, & ad Schisma relapſi, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere denuo negaverint.

Anno MCCCCLXVIII. Norimbergæ Fridericus pacem publicam inſtaurat: paulo poſt iterum Principum inter ſe diſcordiis violatam.

Anno MCCCCLXXV. Carolo Audaci, Burgundiæ Duci, Noveſium obſidenti reſtitit, & a Monaſterienſi Epiſcopo cæſum, ad ſolvendam obſidionem coegit.

Anno MCCCCLXXXVI. Fridericus Maximilianum filium Francofordienſibus in Comitiis Romanorum Regem electum, IX. Aprilis apparatu ſplendidiſſimo Aquisgrani coronatum vidit.

Anno MCCCCXCIII. Fridericus IV. Imperator, Lintzii in Auſtria defunctus, ad Patres abiit. De ipſa mortis die diverſæ ſunt Auctorum ſententiæ. Vero propinquius ſentire videntur, qui XIV. Kal. Septembris è vita ſublatum ſcribunt. Qua ex computatione regnavit a prima electione, Francofurti facta, annos LIII. Menſes V. rara temporum diuturnitate, & felicitate; quæ poſt Octavium Auguſtum nulli exinde Cæſarum obtigit. Annum ætatis expleverat LXXVIII. Corpus Linzio Viennam deportatum, & Mauſolæo, quod ſibi paraverat, illatum. (*y*)

(u) *Briet. in Annal. Mundi ad h. ann.*
(x) *Vide hoc Tomo pag.* 917. *Bullam, qua Papatui renuntiat. Et pag.* 919. *Literas Lauſannenſium, quibus Nicolaum V. Papam ſe revereri profitentur.*
(y) *Schaten Annal. Paderb. P. II. L. XVIII.*



CON-



CONCILIA GERMANIÆ.

SÆCULUM XV.

CONCILIUM PRAGENSE INDICTUM Anno Christi MCCCCV. Innocentii VII. Papæ I. Ruperti Reg. Roman. VI.

EPISTOLA INNOCENTII PP. VII. ad SBINKONEM Archi-Episcopum Pragensem, de cogenda Synodo contra (a) *Schismaticos.*

VENERABILI FRATRI SBINKONI, ARCHI-EPISCOPO PRAGENSI.



ATtendentes tuæ Fraternitatis diligentiam, quam ad statum & honorem nostrum, & Romanæ Ecclesiæ, experimento multiplici, & fide dignorum testimoniis te semper habere cognovimus, ut illa possis erga statum & honorem nostrum, & præfatæ Ecclesiæ, & ad reductionem oberrantium, & se subtrahentium quomodolibet ab obedientia & devotione nostris, & Ecclesiæ præfatæ, & ad Nostrum, & ejusdem Ecclesiæ gremium reintegrationem, & pro statu Ecclesiæ tuæ Fraternitati expedire videbitur, ad proximam *Provincialem Synodum* per eandem

(*a*) Cum in Bohemia multi ab Innocentio VII. Pontifice ad *Petrum de Luna* defecissent; ad Sbinkonem Pragensem Archi-Episcopum dedit Litteras INNOCENTIUS, quibus jussit, ut Provinciale Concilium adversus Schismaticos cogeret, *quas Litteras* Romæ apud S. Petrum VIII. Kalend. Julii datas edidit *Raynaldus in Annalibus.*

dem Fraternitatem tuam celebrandam ad te convocandi Venerabiles Fratres noſtros, Epiſcopos Suffraganeos tuos, & dilectos Filios Abbates, Præpoſitos, Decanos, Archi-Diaconos, Archi Presbyteros, & alios Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas, ſæculares & regulares, exemptos, & non exemptos, Capitula quoque quarumcumque Eccleſiarum, nec non Domorum hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, B. MARIÆ Theutonicorum, Calatravenſium, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & Humiliatorum, S. Benedicti, Magiſtros, Priores, Præceptores, & quorumcumque aliorum Ordinum Fratres tuæ Provinciæ, & generaliter, & ſpecialiter injungendi, & imponendi eis, & cuilibet ipſorum, quæ in favorem noſtrum, & Romanæ Eccleſiæ, ac etiam contra aſſerentes damnatæ memoriæ Robertum, olim Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, qui ſe Clementem VII. auſu temerario nominare præſumpſit, ac ſequaces & fautores eorumdem, ac eiſdem adhærentes videris expedire: contradictores inſuper ac rebelles, & inobedientes, auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtante, ſi eis vel eorum aliquibus conjunctim vel diviſim indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca convocari, aut trahi non poſſint: & INFRA, plenam & liberam hac vice dumtaxat tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri I.

Raynaldus Annal. Eccleſ. Tom. XVII. ad ann. 1405.

HAMMABURGENSE CONCILIUM

PROVINCIALE,

HABITUM SUB ARCHI-EPISCOPO BREMENSI JOANNE DE SLAMESTORP, CUM EPISCOPIS PROVINCIALIBUS LUBECENSI, SWERINENSI, ET RAZEBURGENSI.

Anno Chriſti MCCCCVI. Innocentii VII. Papæ II. Ruperti Reg. Roman. VII.

ERror iſte pernicioſus, per hæc tempora inter fideles gliſcebat, *quicunque veſte Monaſtica Minoritarum Fratrum amictus ex hac vita decederet, illum certa ſalus æterna ut maneret.* Quin nec diutius purgatorii cruciatibus torquendum illum aſſerebant nonnulli: cum S. FRANCISCUS ſemel quot annis e cœlo dilapſus id committeret, ut inde ereptus addictus ſibi cliens in Paradiſum ſe remigrantem ſequeretur. Id vero Minoribus Fratribus nonnullis exprobratum fuiſſe in *Concilio Provinciali Hamburgenſi* anno 1406, aſſerit *Hermannus Cornerus in Chronico ad annum* 1359. *his verbis*: " Temporibus meis, me præſente *in Provinciali Synodo, in urbe Hammaburgenſi* celebrata anno Domini MCCCCVI. per D. JOHANNEM DE SLAMESTORP Archi-Epiſcopum Bremenſem, & Dominos JOHANNEM, & (a) DULMEN LUBICENSEM, RODULFUM natu Ducem de Meckelenburg SWERINENSEM, & DITHLEVUM PARKENTIN RATZEBURGENSEM, *Comprovinciales Epiſcopos*, præfatus Dominus JOHANNES, Epiſcopus Lubicenſis, Doctor utriusque Juris Pariſienſis, Vir multum ſolennis, & Pater Religioſorum, hunc errorem in publico Conſiſtorio, ipſis Fratribus *Minoribus* ibidem præſentibus objecit coram *tota Provincia*, tanquam per dictos Fratres publice prædicatum in urbe Lubicenſi."

Manſi Supplem. Concilior. T. III. p. 771. *ex Cornero edito ab Eckarto.*

(a) *forte*: de

CON-

CONCILIUM HERBIPOLENSE

SUB JOANNE AB EGLOFFSTEIN EPISCOPO,

Anno Chrifti MCCCCVII. Gregorii XII. Papæ I. Ruperti Reg. Roman. VIII.

JOHANNES, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS, GRATIA EPISCOPUS HERBIPOLENSIS; UNIVERSIS CAPITULIS, CONVENTIBUS, ATQUE CLERO TAM REGULARI, QUAM SÆCULARI, PER NOSTRAS CIVITATEM ET DIOECESIM HERBIPOLENSEM CONSTITUTIS, SALUTEM IN EO, QUI EST OMNIUM VERA SALUS.

COnftitutiones, in hac noftra Herbipolenfi *Synodo* die data præfentium promulgatas, ab omnibus fciri, & irrefragabiliter fecundum mentem obfervari præcipimus infrafcriptas. Quapropter fub excommunicationis pœna ftatuimus & ordinamus: ut deinceps in fingulis Capitulis Ruralibus noftræ Diœcefis præfidentes, dictis Capitulis per fe, aut alium idoneum debite, ac cum integritate publicent. Ut autem fimul ftatuta Prædecefforum noftrorum diligentius obferventur, diftricte præcipimus & decernimus, ftatuendo: quatenus ipfa, quæ volumus utentium moribus approbari, a quibuslibet Prælatis, & Decanis Ruralibus recipiantur in fcriptis in hac *noftra Synodo* conftitutis: Decani vero Rurales fingulis Ecclefiarum Rectoribus, & Vicariis earum, copiam faciant infra menfem, quam in libris Ecclefiarum redigi ordinent, in quibus ftatuta ipfa lecta, & fæpius repetita, fingulorum memoriæ inculcentur.

Cap. I. *De Refcriptis,*

Cum nemo credendus fit delegatus, nifi commiffionem & poteftatem ipfammet oftendat, juxta Canonica inftituta fub excommunicationis pœna præcipiendo ftatuimus, & ordinamus: ut nullus deinceps per noftram civitatem & Diœcefim, cujuscumque fe Judicem delegatum five fubdelegatum afferentis litteras, proceffus, feu mandata, quomodolibet exequatur, feu recipiat, nifi prius fibi per verorum, non corruptorum, non cancellatorum, non fufpectorum Refcriptorum originalium commiffionis fuæ, ac poteftatis eorundem oftenfionem fides fiat oculata.

Cap. II. *De Confuetudine.*

Execrabilis & deteftandus abufus noftrum graviter turbavit auditum, quem in nonnullis Ecclefiis, & Monafteriis noftræ civitatis & Diœcefis comperimus ufque hæc tempora proh dolor! perdurafie; qualiter: Fefta Sanctorum Johannis Evangeliftæ, Stephani Prothomartyris, & Innocentium, cum cæteris diebus fequentibus, quæ non immerito fumma forent devotione celebranda, quafi in ludibrium fint converfa; in ipfis namque Feftis & diebus in ipfis Ecclefiis & Monafteriis Divinus cultus & ordo in cantu, in pulfu, in habitu, difciplina & moribus, per ea, quæ tam juri, quam rationi funt contraria, Religioni diffona, choro inconvenientia, honeftati perfonarum incongruentia, turpiter immutatur. Confuetudinem ergo ipfam, quam corruptelam potius & abufum reputamus, hac facra Synodali conftitutione reprobamus, vobis in virtute fanctæ obedientiæ diftrictius inhibentes, ut ab hujusmodi abufu de cætero defiftatis, ac ceffetis, dictifque diebus Feftis in cantu, in moribus, habitu, difciplina, atque geftu, cum Ecclefia noftra majori vos conformetis.

Cap. III. *De ætate ordinandorum.*

Cum, ut, aliquo non obftante Canone, valeat quis libere in XVIII. ad Subdiaconatus, & in XX. ad Diaconatus, & XXV. ætatis anno, ad Presbyteratus Ordines promoveri, ftatuat Con-

cilium Viennense; districtius inhibemus: ne quis ad aliquem Ordinem prædictorum in ætate, quam (ut præmittitur) requirit Ordo, non constitutus, præsumat ascendere; alioquin præsumptorem ejusmodi usque ad legitimam ætatem ab exercitio suspendimus Ordinis antedicti.

Cap. IV. *De Qualitate Ordinandorum.*

Quoniam nullus, nisi Episcopus, ac ipsius in Spiritualibus, Episcopo in remotis agente, Generalis Vicarius, vel, Sede vacante, Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, suo subdito, ut in Diœcesi aliena ad Clericorum Ordines ascendere valeat, licentiam poterit impertiri, nisi sibi, quod suos Clericos, ac subditos possit, a quo voluerit Episcopo, facere ordinari, a Sede Apostolica specialiter sit indultum; secundum Canonicas Sanctiones, hac in perpetuum valitura Constitutione sanximus; (*) & Examinatores Ordinandorum nullum quemcumque ordinandum Diœcesis alienæ Religiosum, aut Sæcularem recipiant & admittant sine Diœcesanorum Episcoporum litteris dimissoriis, aut alias sui Superioris supradicti, de cujus indulto Apostolico præfatis Examinatoribus fides fieri debebit ante omnia oculata.

Præterea, nullus illegitime natus ad aliquem sacrum Ordinem, vel Beneficium curam habens animarum, sine dispensatione Sedis Apostolicæ admittatur in aliqua Ecclesia sæculari, & tales, qui hactenus sunt admissi, si de eis constiterit, per Archi-Diaconos repellantur: alioquin scienter contrarium facientes, per unum mensem, ab ingressu Ecclesiæ noverint se suspensos.

Cap. V. *De Clericis peregrinis.*

Cum plerumque infames consueverunt loca sua relinquere nationis, statuimus: ut Clerici peregrini & ignoti, per nostram Diœcesim de cætero ad officiandum, tamquam Vicarii, vel Socii, in Ecclesiis vel Capellis aliquatenus (*b*) admittantur, nisi nostras exhibeant litteras, quibus eis officiandi in Ecclesiis nostræ Diœcesis licentiam concedimus; præcipimus itaque ex nunc omnes Clericos peregrinos & ignotos, nostras non habentes litteras super admissione sua, a Vicariis Ecclesiarum, seu Capellarum, & a societate domestica penitus removeri; qui autem in utroque, vel altero hujusmodi mandati nostri articulo transgressor exstiterit, ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis, per Nos se noverit suspendendum, ac graviori pœna, si ejus culpa exigerit, puniendum.

Cap. VI. *De Officio Archi-Diaconi.*

Quoniam nullus omnino Archidiaconus, Archi-Presbyter, sive Præpositus, vel Decanus, animarum curam, sine judicio vel consensu Episcopi Diœcesani, alicui tribuendi habent facultatem; immo, sicut a sanctis Patribus est statutum, animarum cura in solius Episcopi consistit potestate, nec obtentu alicujus consuetudinis, debent Institutiones, ut puta, quæ ad ipsorum non spectant officium, vendicare, neminique liceat, sine mandato vel sine licentia Episcopi, curam committere animarum; universis & singulis Archi-Diaconis nostræ Ecclesiæ, eorumque Officiatis præsentibus & futuris districtius inhibemus, ne alicui sine nostra licentia curam committere præsumant antedictam, alioquin ipsorum quemlibet excommunicationis sententiæ, eo ipso, volumus subjacere.

Item, strictissime præcipimus, & mandamus omnibus & singulis Archi-Diaconis, Præpositis, & aliis Prælatis per civitatem & Diœcesim nostras ubilibet constitutis, jurisdictionem Ecclesiasticam habentibus, ut Officiales ad jurisdictionem ipsam præficere studeant, qui sint viri bonæ famæ, in jure periti & experti, notitiam causarum habentes, si tales habere valeant; alioquin viros expertos & conscientiosos, ac Deum timentes, qui ad minus, de consilio jurisperitorum, sententias tam interlocutorias, quam diffinitivas ferant, & ordinate, absque illicita extorsione pecuniarum in singulis procedant, neque de causis ad Forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine non spectantibus se aliquatenus intromittant. Si autem Prælati idiotas, exactionatores, notorios concubinarios, infames, aut uxoratos, seu laicos, aut alios inhabiles ad hujusmodi

(*) *forte*: ut

(*b*) *supple*: non

modi Officialatus officium ſcienter præfecerint; tam ipſi Prælati præficientes, quamdiu hujusmodi Officiales in dictis officiis ſuſtinuerint, quam Officiales iidem, ab omni exercitio jurisdictionis ſint eo ipſo ſuſpenſi: ſi autem tales, ut præmittitur, Officiales a principio forſitan ignoranter aſſumpſerint, poſtquam eos ſciverint eſſe tales, ſub pœna prædicta dimittere teneantur: ſententiæ vero per Officiales uxoratos ſeu laicos, in cauſis Eccleſiaſticis latæ, ſint ipſo jure nullæ.

Inſuper eisdem Archi-Diaconis diſtrictiſſime inhibemus, ut officium Viſitationis per ſe, vel per ſuos Officiales exercentes, Parochias, ſive perſonas viſitatas indebitis ſeu oneroſis procurationibus, ſive exactionibus gravare aliquatenus non præſumant, nec numerum perſonarum a ſacris Canonibus inſtitutum excedant, neque ſumptuoſas, ſive ſuperfluas expenſas quærant, ſed cum gratiarum actione accipiant, quæ honeſte & competenter illis fuerint miniſtrata, ac in cunctis agendis taliter procedant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ JEſu Chriſti, quærere videantur.

Cap. VII. *De officio Vicarii.*

Cum ſit reprehenſione dignum, ut quis oves proprias, alteri earum curam committendo, deſerat, & alienas regere, præſertim cauſa avaritiæ, præſumat; idcirco diſtricte inhibemus: ne quis Parochialem Eccleſiam obtinens, alienam regere, tanquam mercenarius aliquatenus attemptet, niſi ſuper hoc petita & obtenta noſtra, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus licentia ſpeciali: & nihilominus in litteris per Nos, aut ipſum noſtrum Vicarium deſuper concedendis, cauſa rationabilis & manifeſta contineatur, quare ſuam Parochiam per ſe commode regere non valeat; contrarium facientes, a ſuis officiis decernimus ſuſpendendos.

Cap. VIII. *De Majoritate, & Obedientia.*

Quia per inobedientiam prothoplaſtus DEI gratia fuit privatus, & a Paradiſo dejectus, hoc quidam Heremitæ, ſeu alias in ſylvis, ſeu locis ſolitariis habitantes, minime advertentes, Plebanis ſuis, intra quarum Parochiarum limites commorantur, obedientiæ debitum ſubtrahunt, & ab eis negligunt recipere Eccleſiaſtica Sacramenta, non curantes, a quocunque Sacerdote Religioſo, vel Sæculari hujusmodi Sacramenta recipere, ipſos forte nequeunte ſolvere vel ligare; unde volentes huic errori ſeu negligentiæ ſalubriter obviare, ſtatuendo decernimus: ut homines iidem, ſic in incerto vagantes, & quos acephalos reputamus, ad ſubjectionem & obedientiam debitam Plebanis ſuis impoſterum exhibendam, hujus auctoritate ſtatuti, cenſura Eccleſiaſtica compellantur.

Præterea ſuperſtitioſam quarundam perſonarum invidiam compeſcere cupientes, qui more Cham dilectione Filiali rejecta, & paternali pietate conculcata, non ſolum in Capitulis & Conventibus, pro Tractatibus capitularibus congregati, Prælatis ſuis, & Superioribus reverentiam debitam ſubtrahunt, verum etiam ad invicem nonnunquam in verba probroſa & contumelioſa prorumpunt, ex quibus negotia, propter quæ tractanda convenerunt, plerumque remanere indiſcuſſa cernuntur in Eccleſiarum diſpendium & gravamen; hoc noſtro in perpetuum valituro edicto ſtatuimus, & ordinamus: ut in ſingulis Capitulis, & Conventibus, ſervetur reverentia & morum gravitas, ita, quod nullus in alterum verbis, aut factis probroſis, aut contumelioſis prorumpat: Decanis nihilominus, & aliis, dictis Capitulis præſidentibus ſub excommunicationis pœna diſtricte injungentes, ut his, qui contra edictum prohibitionis noſtræ hujusmodi venerint, per unius menſis ſpatium, ſine ſpe veniæ, fructus ſuarum ſubtrahantur Prebendarum, a quibus ipſos (c) prædicti temporis ſpatium ſuſpenſos manere volumus, & decernimus eo ipſo.

Item in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus univerſis & ſingulis Presbyteris, ac Clericis Ruralibus noſtræ Diœceſis, quatenus, quotiens ipſos per ſuos Decanos, & Camerarios, aut alios, ad quos hoc pertinuerit ab antiquo, ad Capitula ſive convocationes per inſinuationem & publicationem noſtri, Succeſſorumque noſtrorum, ac etiam Archidiacono-

(c) *ſupple:* per

conorum convocari contigerit, totiens ipſi ad Capitula & convocationes hujuſmodi ſtudeant convenire, niſi ex rationabili cauſa ſe de abſentia poterint excuſare, in quo tamen alium idoneum Presbyterum loco ſui ad Capitula & convocationes dirigant antedicta.

Cap. IX. *De Poſtulando.*

Advocati cauſarum, cum cauſam regendam ſuſceperunt, libellum ſive petitionem, poſitiones & articulos, exceptiones & defenſiones ordinent, aut ordinata examinent, & in eis, antequam coram Judice producantur, ſe ſubſcribant; alioquin pro libellis, petitionibus, poſitionibus, articulis, exceptionibus & defenſionibus ipſis, ut præfertur, per Advocatum non ſubſcriptis, parti victrici Judex cauſæ pro expenſis nihil taxet.

Cap. X. *De Judiciis.*

Cum nonnunquam Judices Eccleſiaſticos noſtræ civitatis & Diœceſis, per ſaltum procedere, tam ex officio, quam ad partium inſtantiam, perſpeximus, quod ex eo provenire cognovimus, quod proceſſus Judicum eorundem ſigillo in executionis judicium ſigillatos non reportant; univerſis igitur & ſingulis Judicibus ſupraſcriptis ſub excommunicationis pœna diſtricte inhibemus, ne deinceps contra perſonas quascumque ulteriores proceſſus faciant aut dirigant, niſi priores ſigno executionis, ut præmittitur, viderint debite ſigillatas. Huic noſtræ ſanctioni adjicimus, quod quilibet Eccleſiæ Parochialis Rector ſigillum proprium debet habere infra menſem, pro proceſſibus ipſis ſigillandis & ſignandis, ſub pœna adjecta.

Præterea cum nullus officium duorum in judicio valeat exercere juxta Canonica inſtituta; hoc edicto perpetuo prohibemus: ne quis Judicum Nobis ſubjectorum de cetero per ſe ipſum acta cauſæ coram ipſo pendentis ſcribere præſumat; alioquin actis hujusmodi in judiciis & extra, fidem aliquam minime fore adhibendam declaramus.

Cap. XI. *De Foro competenti.*

Quoniam ex conſtitutione ſupra poſita dubitationes inſurgunt, videlicet: quæ cauſæ ad Eccleſiaſticum forum debeant pertinere; nonnullos caſus ejusmodi præſenti duximus annotandos ſanctioni, ne Judices tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares, per ipſorum ignorantiam ſe valeant excuſare. Inprimis videlicet, omnes invaſores Eccleſiaſticarum rerum, ſeu Religioſorum locorum, ſub Eccleſiaſtico judicio conveniuntur; item, cauſæ ruſticorum vel ſervorum Eccleſiæ; item, cauſæ publice pœnitentium; item, cauſæ pupillorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum; item, cauſæ peregrinorum; item, quando Judex ſæcularis juſtitiam reddere negligit; item, in crimine ſacrilegii, uſurarum, hæreſis, ſimoniæ, excommunicationis, adulterii, matrimonii, dotis, ſuper decimis; item, cauſa Nativitatis, Beneficialis, Juris Patronatus, rapinæ; item, ratione pacti & voti fracti; item, ratione juramenti, vel Fidei-dationis; item, quando pars aliqua fuerit Eccleſiaſtica, ſive reus fuerit, ſive actor, etiam ſuper re prophana, cauſa debet etiam a Judice Eccleſiaſtico terminari.

Inſuper univerſis Judicibus Nobis ſubjectis præſenti prohibemus edicto, ne Comitem aut Baronem, Miniſterialem Eccleſiæ noſtræ Herbipol. ad ipſorum præſumant trahere judicia quovis modo, ſine noſtra ſpeciali licentia; alioquin judicium ipſum irritum decernimus, & Judicem excommunicationis ſententia innodatum eo ipſo declaramus.

Cap. XII. *De Præbendis & Dignitatibus.*

Cum in civitate, & Diœceſi noſtris Herbipolenſ. diverſi Clerici ſæculares, non ponentes terminum avaritiæ, nec ſalutem propriam attendentes, onerare ſe pluribus Beneficiis Eccleſiaſticis, incompatibilibus non formident; Nos, qui aliorum indigentiis, & aliorum ſaluti ſuccurrere cupimus, & Eccleſiarum neceſſitatibus providere, authoritate præſentis Synodi firmiter & diſtricte præcipimus: ut ſinguli, talia plura Beneficia poſſidentes, aut recepto ultimo ſint contenti, aut infra XVIII. dierum ſpatium, a publicatione præſentium, continue ſequentium, quem terminum ipſis pro peremptorio aſſignamus, ſecum eſſe per eum, qui jure hoc facere potuerit,

rit, dispensatum legitimis edoceant documentis; alioquin Nos, juxta formam Canonum contra hos traditum, providere curabimus.

Cap. XIII. *De Testamentis.*

Intelleximus, quod nonnulli tam Religiosi, quam sæculares Clerici, vel laici, Divino timore postposito, suarum animarum periculum incurrere, dum res; quæ per manus eorum ex testamento decedentium debent in usus certos, præsertim pios, distribui seu expendi, aliis usibus applicare non formidant, ac negligentias, dolos & fraudes quamplures circa hujusmodi executionis officium committunt: quandoque nullatenus, quandoque tardius id, quod eis commissum est, exequendo, & quod deterius est, pecunias, res, & bona ipsa sibi quandoque usurpant, & in usus proprios convertunt: frequenter etiam pro longe minori prætio, quam alibi commode vendi possent, bona ipsa recipiunt & destribuunt: ita ut plerique non Executores, sed consumptores, sive dilapidatores, aut subtractores appellari potius merentur. Cum igitur ad nostrum spectet officium piis ultimis voluntatibus providere, ut secundum voluntatem defuncti cuncta procedant, ideoque contra præmissas fraudes, dolos, & negligentias, prout justum fuerit, secundum sanctiones Canonicas intendimus remediis oportunis providere, prout ad nostrum spectat Pastorale officium: nihilominus ad doli maculam evitandam, omnisque fraudis tollendam suspicionem, districtissime præcipimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut ipsi Executores deinceps deputandi, quanto cito commode poterint, post obitum defuncti, de omnibus & singulis bonis per ipsum defunctum relictis & inventis, inventarium coram personis honestis & fide dignis conficiant, si nostrum & sacrorum Canonum ultionem evadere velint.

Item; quia sæpe contingit, quod Prælatis, & aliis Clericis, ac Ecclesiasticis personis decedentibus, bona ab ipsis dimissa, quæ secundum ipsorum ultimam voluntatem ad certos usus deberent distribui, vel ad alios, si ab intestato decederent, de jure, vel consuetudine devolvi; per utriusque generis homines, Clericos & laicos, Regulares & sæculares, & quandoque etiam per ipsos Executores occupantur, surripiuntur, dilapidantur, & consumuntur, in eorum, quorum interest, grave dispendium & jacturam. Nos, ipsorum ausus reprimere, ac eorum, quorum interest, indempnitatibus præcavere volentes, decernimus; ut præmissa de cætero temeritate propria præsumentes, per excommunicationis sententiam fore compescendos, a qua nullatenus absolvantur, donec plene restituerint, quidquid de bonis receperint supradictis: & nihilominus decernimus, tales aliis juris remediis, si hoc exegerit qualitas delicti, justitia mediante, fore compescendos.

Præterea; ad aures nostras per clamosam insinuationem multorum devenit, quod Patroni Ecclesiarum tam laici, quam Clerici, Advocati, Judices, Præcones, bona decedentium Clericorum occupant & usurpant, volentes sibi ab intestato succedere, & aliquando etiam eorum testamenta infringere, pro suæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis; quare provide duximus statuendum: ut Patroni Ecclesiarum, & alii supradicti, de talibus de cætero abstineant, & nisi abstinere voluerint, quousque sic ablata restituant, excommunicationis vinculo innodentur, ac alia pœna condigna percellantur.

Cap. XIV. *De Decimis, & Oblationibus.*

Decimas sacri Canones sine diminutione Clericis exsolvi jubent: ideoque mandamus, quatenus ipsas de fructibus statim, cum collecti fuerint, & non deductis expensis, cum plenaria integritate exsolvantur.

Item; licet omnis Christianus ad Missarum solempnia aliquid Deo offerre teneatur, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus;* in præcipuis tamen Dei, & Sanctorum Festivitatibus per anni circulum occurrentibus, quas circa nostræ Ecclesiæ longævam consuetudinem septem fore censemus, videlicet: Nativitas Domini J. Christi, Pascha, Pentecostes, Nativitas B. Mariæ Virg., Purificatio, Annuntiatio, & Assumptio, ad Oblationes & Offertoria omnes & singulos nostros subditos in suis

ſuis Parochialibus Eccleſiis teneri declaramus; niſi aliud in quibusdam Eccleſiis ex longa conſuetudine eſſet introductum.

Cap. XV. *De Statu Monachorum.*

In Religioſorum Reformationem, ex officii debito, oculorum aciem dirigentes, præcipimus, & mandamus omnibus & ſingulis Regularem vitam profeſſis, quatenus ſecundum Regulam, quam profeſſi ſunt, ac juxta ordinationes, diffinitiones, & ſtatuta Sanctorum Patrum vivere ſtudeant, ſubſtantialia, videlicet: obedientiam, paupertatem, & continentiam firmiſſime ſervari curent; in habitibus, & calceamentis Ordini ſuo congruentibus, ſecundum formam conſtitutionum deſuper confectarum, ſe decenter & honeſte habeant, Tonſuras etiam deferant largas & latas, omnesque Fratres communiter vivant, & comedant in Refectorio, in quo nullus carne veſcatur, menſæ vero non deſit lectio, ſilentium in Oratorio, Dormitorio, Refectorio, & Clauſtro debite obſervetur. Rurſus mandamus: ut in ſingulis Monaſteriis idoneis (*d*) teneatur Magiſter, qui Monachos, ſive Novitios in primitivis ſcientiis inſtruat diligenter: ipſis etiam Novitiis fidelis deputetur Inſtructor tam in Divinis Officiis, quam in obſervantia regulari. Regula etiam in Capitulo ab ipſo, qui præeſt Capitulo, vel alio, cui hoc injunctum fuerit, frequenter legatur, & etiam propter minores vulgariter exponatur. Volumus inſuper, ut in ſingulis Monaſteriis numerus Monachorum antiquitus inſtitutus teneatur, ſi quidem ad hoc ſufficiant facultates: ſin minus, tot Monachi teneantur, quot de ipſorum Monaſteriorum bonis, ſive proventibus abſque penuria poterint ſuſtentari. Præcipimus etiam, & mandamus: ut ad portam cujuslibet Monaſterii unus Portenarius, ſive Janitor providus & diſcretus deputetur, ne, absque licentia Abbatis, vel alterius præſidentis Monaſterio, eodem alicui ingrediendi libertas concedatur, neque mulieres Monaſterio virorum aliquatenus intrare permittantur.

Hæc autem omnia in Monaſteriis Monialium, quoad articulos Abbatiſſis, & Monialibus congruentes, præcipimus obſervari; ſi quis autem in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum temerarius violator exſtiterit, regulari ſubjaceat diſciplinæ, aliisque pœnis a ſacris Canonibus & Statutis Ordinum nihilominus comminatis, veniat graviſſime percellendus. Abbates quoque, quibus omnes Monachi reverenter obediant, taliter ſe regant opere & ſermone, ut exemplo virtutis, verboque doctrinæ fratres ſuos inſtruere poſſint in bono, & etiam a malo revocare, zelum Religionis habentes ſecundum ſcientiam, ut delinquentes corrigant & caſtigent, obedientes foveant & confortent, nec extra ſua Monaſteria domicilium aliqualiter teneant, ſed ſint cum fratribus ſuis in Monaſterio & Choro: & horis Canonicis, prout frequenter poterint, interſint, Miſſasque ad minus in ſummis & præcipuis Feſtivitatibus per ſe cantent, vigilem curam, & diligentem ſolicitudinem gerentes in omnibus, ut de officio eis commiſſo dignam Deo poſſint reddere rationem; quod ſi remiſſi, vel negligentes inventi fuerint, ſecundum regularia inſtituta & ſacros Canones, pœna debita decernimus caſtigandos, cum offenſa non ſolum propria, verum etiam aliena de eorum manibus requiratur. Inſuper volumus & mandamus: ut omnes & ſinguli Abbates, Abbatiſſæ, & Conventus Nobis ſubjecti, deinceps per Nos requiſiti, de omnibus expoſitis, & receptis per eos, Nobis, & Commiſſariis noſtris ad hæc deputandis, abſque dolo, fraude, ſeu negligentia debitam rationem reddant.

Cap. XVI. *De Cenſibus.*

Cum circa ſolutionem & receptionem cenſuum annuorum infra Dominium Eccleſiæ noſtræ temporale diverſa ſentire diverſi conſueverint, ex quo diſſenſiones & ſcandala ſuborta plerumque dinoſcuntur; præſentibus ſub excommunicationis pœna ſtatuimus, volumus, & ordinamus: ut infra dictum Dominium, ratione cenſuum Eccleſiis, aut Monaſteriis, aut actione eorundem ſingularibus perſonis debitorum, pro libra Hallenſ. XXX. & pro libra denariorum, LX. denarii, monetæ Herbipolenſis, communiter pro tempore currentis, & non ultra exſolvantur, ſeu quomodolibet exigantur.

Cap.

[*d*] *forte:* idoneus

Cap. XVII. *De Celebratione Missarum.*

Districte inhibendo mandamus, ne de cætero & præcipimus: ne ullus Presbyter, sine Scolare in Missa respondente, Missam audeat celebrare.

Item; Sacerdotes, Diaconus, sive Subdiaconus in veste, quæ polluta est nocturna pollutione, ad aram ministraturus, non accedat.

Item; Altaribus cum disciplina & timore astantes, signa, & Cruces distincte & sine confusione peragite.

Insuper reminiscentes Moysi, servi Dei, qui hostes populi sui non ferro pugnando, sed prece orando dejecit, statuimus: ut inter cottidiana ad Missas, Matutinum, & Vesperas decantanda suffragia, ante *Da pacem Domine*, & *Fiat pax in virtute tua*, & Collectam: *Deus, a quo sancta desideria* &c. pro pace Clerus & populus, flexis in terram genibus, & erectis in cœlum cordibus cottidie studeat observare, quatenus Dominus noster Jesus Christus Rex pacificus, sedatis tribulationibus, & Ecclesiarum persecutoribus, & invasoribus humiliatis, pacem in populo suo, multiplicatis intercessionibus, largiatur.

Præterea; nullus Clericus uno die duas Missas decantet, præterquam in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & necessitate, quæ si eveniat non sumat nisi sanguinem, ablutionem vero astanti porrigat.

Item; firmiter inhibemus, ne mulieres ministrare apud Altaria permittantur.

Item; duo officia sub uno Canone non dicantur.

Item; in Elevatione campana pulsetur, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, nec ante pulsetur quam hæc verba dicuntur Sacrosancta: *Hoc est enim Corpus meum.*

Cap. XVIII. *De Festivitatibus.*

Gloriosissimæ Virginis Mariæ Festum Visitationis, sanctæ recordationis Dominus Urbanus Papa VI. sub duplici Officio solempniter, ut alia dictæ Virginis Festa, statuit per orbem universum celebrandum, ac suasit & consuluit, ut ejusdem Festi vigilia in observatione jejunii, sicut Festum Assumptionis ejusdem devotius observetur. Nos igitur volentes hujusmodi ordinationem salutarem debitæ executioni demandare, districte præcipimus & mandamus, ut per nostram civitatem, & Diœcesim Festum illud peragatur juxta dictæ ordinationis continentiam supradictam, & quod officium in Historia, sicut tenetur in nostra Ecclesia, ab omnibus decantetur.

Cap. XIX. *De Divinis Officiis.*

Execrabilis & detestanda aliquorum negligentia nostrum turbavit auditum, quod in plerisque Monasteriis Regularibus, ad hoc fundatis & sufficienter dotatis, horæ Canonicæ, & alia Divina Officia nullatenus, vel saltem raro, aut negligenter incomplete, & inordinate decantantur seu peraguntur; quodque nonnulli Ecclesiarum Ministri, modestia Clericalis ordinis abjecta, non considerantes, quod beneficium datur propter officium, horas Canonicas dicere, seu psallere negligunt, in Divine Majestatis offensam & scandalum plurimorum. Ne igitur transgressores invalescant hujusmodi, aliisque veniant in exemplum, districtissime præcipiendo mandamus: ut in omnibus & singulis Ecclesiis Collegiatis, ac Monasteriis regularibus virorum, & mulierum, Nobis subjectorum, ad hoc fundatis & sufficienter dotatis, Officium Divinum diurnum pariter & nocturnum horis debitis solempniter cum nota, in spiritu humilitatis, devote, rite, ordinate, distincte, & laudabiliter psallantur, & decantentur; quodque omnes & singuli in sacris Ordinibus constituti, & etiam inferioribus, de patrimonio Christi Beneficiati sæculares, & Religiosi simul singulis diebus Horas Canonicas convenienter & debite dicant, & perficiant: in præmissis vero, vel aliquo præmissorum negligentes, culpabiles, inobedientes, seu rebelles, cujuscumque fuerint status, conditionis, vel dignitatis, decernimus per censuram Ecclesiasticam, ac subtractionem redituum, & proventuum suorum Beneficiorum, ac alias secundum qualitatem delicti, graviter puniendos; & quia Superiorum negligentia, quæ dum spem impunitatis promittit, multam pestilentiam in subditis nutrire consuevit: idcirco omnibus illis, ad quos id pertinet,

diſtricte, & in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus, & mandamus: ut circa reformanda præmiſſa, eorumque ſingula corrigenda ſolicitum curam gerent, alioquin nos eorum negligentiam, prout juſtum fuerit, puniemus.

Inſuper præcipimus & mandamus: ut in omnibus Collegiis infra civitatem & Diœceſim noſtras conſtitutis, ſingulis diebus perpetuis temporibus, finitis Tertiis, pro ſalute noſtra, & Succeſſorum noſtrorum Epiſcoporum pro tempore exiſtentium legatur Pſalmus: *Levavi oculos meos in montes*, cum Verſiculo: *Salvum fac ſervum tuum Domine*, & Collecta: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus* &c. prout in noſtra Eccleſia Herbipolenſi hactenus fieri eſt conſuetum; & idem præcipimus ab omnibus Clericis, Horas Canonicas legentibus, obſervari.

Præterea, licet a ſacris Canonibus dudum fuerit inſtitutum, ut Rectores Parochialium Eccleſiarum, infra unius anni ſpatium, ad Sacerdotium teneantur promoveri, plerique cortici verborum textus juris inhærentes, Sacerdotalem Ordinem recipiunt, ſed officium Ordini adnexum differunt exercere. Nos igitur attendentes, quod ſacri Canones non verba, ſed mentem amplectantur, hac *Sacra Synodo* ſtatuimus, & ordinamus: quod Rectores Eccleſiarum Parochialium ſinguli noſtræ Civitatis & Diœceſis poſt receptionem Sacerdotii, infra unius anni ſpatium ſuſceptionis Ordinis ejusdem immediate ſubſequentis, hoc Sacerdotale officium cum Miſſarum celebratione teneantur debite exercere, ipſumque fideliter, diebus, quibus vixerint, continuare, niſi deſuper per Nos, aut Succeſſores noſtros, ex cauſa, quam Nos, aut Succeſſores noſtri duxerimus, aut duxerint, ſeu ſaltem ducere debeamus, vel debeant reputare, cum eisdem fuerit diſpenſatum; alioquin ipſis Eccleſiis Parochialibus ſic ſuſceptis, privatos eſſe volumus eo ipſo.

Cap. XX. *De Baptiſmo.*

Doceant etiam Sacerdotes, quod non ſolum viri, ſed etiam mulieres in neceſſitate baptizare poſſunt, ſi alius non poſſit haberi. Sciant etiam Sacerdotes, quod ſi laicus, cum baptizat ex ſimplicitate, non cauſa introducendi errorem, dicat: *Ego te Baptizo in nomine S. Patris, S. Filii, S. Spiritus*; quod non eſt rebaptizandus puer, quia illud apponit, quod neceſſe eſt intelligi: Pater enim Sanctus eſt, unde in Johanne: *Pater Sancte ſerva eos* &c. Filius Sanctus eſt, unde in Luca: *Quod enim ex Te naſcetur, Sanctum vocabitur.* Et Spiritus, Sanctus eſt, unde ibidem: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in Te.* Hoc probat Auguſtinus per hoc, quod dicitur ter *Sanctus* in Iſaia, & Apocalypſi. Si quid aliud autem interpoſitum fuerit, non eſt baptizatus; ſi autem in fine appoſuerit, cauſa devotionis, & ex ſimplicitate, non intendens per hoc baptizare; & *S. Mariæ, S. Johannis, S. Petri*, &c. baptizatus eſt.

Pro Baptiſmo nihil exigatur, ſed (*a*) quid offeratur gratis, accipi poteſt.

Cap. XXI. *De cuſtodia Euchariſtiæ.*

Nullus de cætero Sacerdos in deportatione ſaluberrimi Corporis Domini noſtri ad infirmos, quantumcumque aura mala, via lubrica vel lutoſa exiſtat, in calopedibus ire præſumat.

Cap. XXII. *De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.*

Ne in debita veneratione Sanctorum quiſquam noſtræ civitatis & Diœceſis a noſtra majori Eccleſia valeat deviare, Feſtivitates, per anni circulum, per populum Nobis ſubditum ſolempniter celebrandas, & quæ ab olim ipſa noſtra Eccleſia, & populus civitatis ſolempniter celebravit, præſentibus duximus annectendas, mandantes: quatenus Feſtivitates ejusmodi, & nullas alias, ſine noſtra ſpeciali auctoritate & licentia, populo veſtro celebrandas aliquatenus de cætero indicatis.

Feſtum videlicet: Nativitatis Domini noſtri JEſu Chriſti, S. Stephani, S. Joannis Evang., SS. Innocentium, Circumciſionis Domini, Epiphaniæ Domini, Purificationis S. Mariæ, S. Mathiæ Ap., Annuntiationis B. Mariæ Virg. Reſurrectionis Domini, cum tribus diebus ſequentibus, S. Georgii M., S. Marci Evang., SS. Philippi & Jacobi App. Inventionis S. Crucis, Aſcenſionis Domini, Penthecoſtes cum tribus diebus ſequentibus, SS. Trinitatis, Corporis Chriſti,

(*a*) *adde:* ſi

Chriſti, S. Viti M., Nativitatis S. Joannis Bapt., SS. Petri & Pauli App., Viſitationis S. Mariæ, S. Kyliani, S. Mariæ Magd., S. Jacobi Apoſt., S. Laurentii M., Aſſumptionis B. Mariæ, Nativitatis S. Mariæ, Conceptionis S. Mariæ, S. Mathæi Ap., S. Michaelis, S. Burchardi Ep., SS. Simonis & Judæ App., Omnium Sanctorum, S. Martini Ep., S. Eliſabethæ Viduæ, S. Catharinæ, S. Andreæ Ap., S. Nicolai Ep., S. Thomæ Apoſtoli. Item anniverſarius Dedicationis, & Feſtivitas cujuslibet Eccleſiæ Patroni, dies quoque Dominici ſinguli per anni circulum occurrentes.

Cap. XXIII. *Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.*

Quia nonnulli Clerici, finem avaritiæ non ponentes, negotiationes & mercantias illicitas, ac uſuras deteſtandas, in animarum ſuarum periculum exercere non verentur, pœnas multiplices a ſacris Canonibus incurrendo; ut igitur vitia tam deteſtabilia, & Clericali Ordini contraria & inimica a Clero noſtro penitus exſtirpentur, quoniam ſecundum Apoſtolum: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* (b) Idcirco diſtricte prohibemus omnibus Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis nobis ſubjectis, Sæcularibus & Religioſis, cujuscumque fuerint dignitatis, ſtatus, aut conditionis, ne vina, blada, ſeu alia quæcumque mercimonia, cauſa negotiandi, ſeu cupiditatis vel lucri, per ſe, vel alios, publice vel occulte, quovis quæſito colore emant, & ulterius vendant, vel aliis negotiationibus ſæcularibus illicitis, aut indecentibus, ſeu a ſacris Canonibus prohibitis, vel alias ſuo Ordini non congruentibus ſe immiſceant, nec uſuras nefandiſſimas exerceant, neque tabernas teneant, nec eas, vel alia loca ſuſpecta vel inhoneſta abſque evidenti cauſa publice frequentent, neque cum taxillis ſeu aleis, cauſa lucri, ludere præſumant, aut in domo ſua ludere propter queſtum permittant; contrarium vero facientes, tamquam violatores Canonum, decernimus animadverſione condigna puniendos.

Cap. XXIV. *De Judæis.*

Cum jam dudum Judæis ſint prohibita & interdicta mancipia Chriſtiana, volumus, & præcipimus: ut Plebani, & alii Rectores Eccleſiarum, ubi ſunt domicilia eorum, diebus Dominicis omnes de Fide Catholica Judæorum nutritores & ſervientes, denuntient excommunicatione ligatos. Excommunicatos etiam denuntient omnes alios Chriſtianos, qui apud Judæos pecuniam ſuam locant, ut a Judæis uſuram recipiant, vel ut Judæi pecuniam mutuent & uſuram.

Inſuper, quando Sacramentum Altaris ante domos Judæorum deferri contigerit, ipſi Judæi, audito ſonitu prævio, intra domos ſuas ſe recipiant, & feneſtras, ac oſtia ſua claudant, hoc etiam in quolibet die Paraſceve per plateas Eccleſiæ facere compellantur; nec præſumant de Fide Catholica cum ſimplicibus diſputare; nec filios, aut uxores, ad viam Chriſtianorum venientium, invitos audeant detinere; nec Chriſtianos infirmos viſitent, vel circa ipſos exerceant opera medicinæ.

Cap. XXV. *De Hæreticis.*

Volumus inſuper, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus: ut omnes Plebani, & Eccleſiarum Rectores, ſeu Vicarii, noſtræ Diœceſis, omnes hæreticos, eorum fautores, receptores, nec non defenſores ipſorum, denuntient quater in anno, ſcilicet: in Nativitate Domini; in die Palmarum; in Pentecoſte; & in Feſto omnium Sanctorum; excommunicationis ſententiæ ſubjacere; & nihilominus eos omnes, cujuscumque ſtatus & conditionis exiſtant, tales eſſe ſcientes, vel ex veroſimili conjectura, vel alias ſuſpicione probabili, ſi non accuſaverint, ſeu denuntiaverint publice, vel ſi hoc publice non auderent, metu perſonæ vel rerum, Plebano, Rectori, ſeu Vicario loci, vel ſi ex quacumque cauſa eis ſecrete denuntiare non poſſent, ad noſtram hæc notitiam non detulerint, tanquam fautores eorum ex nunc excommunicamus, & excommunicatos volumus eiſdem temporibus nuntiari.

Cap. XXVI. *De Raptoribus.*

Olim infra limites non ſolum Archidiaconatus illius, infra quem Clericum in

(b) II. Timoth. II, 4.

in Sacris Ordinibus constitutum, aut Religiosum aliquem temere capi, sed etiam Archidiaconatus illius, ubi ipse detineri contigerit, ut ipso facto cessetur a Divinis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna statuit sacrum *Concilium Moguntinum*, ac etiam *Statutum Synodale.* Nos igitur, matura deliberatione præhabita, de consensu & assensu Prælatorum, atque Cleri, Nobis in hac sancta Synodo assistentium, non solum Concilium & Statutum ipsa approbamus, verum etiam ipsa innovamus, ac ipsis duximus adjungendum, ut & ipsa sub suis pænis, sententiis, censuris, etiam in statuta forma contra Ecclesiasticarum rerum spoliatores, & Clericorum in morte deprædatores, per omnia inviolabiliter, postquam de captivatione, spoliatione, detentione, aut deprædatione constiterit evidenter, a Clero infra limites Archidiaconatuum supra descriptorum, nullo alio mandato desuper exspectato, observetur; ac insuper pro majori Ecclesiasticæ libertatis tutela, dictorumque criminum repulsa, sub eisdem pœnis & sententiis firmiter statuimus & mandamus: quod in nulla Ecclesia, neque Cathedrali, neque Collegiata, nec etiam Monasterio aliquo Ordinis S. Benedicti, filii aut nepotes eorum, qui Clericum aliquem in sacris, ut præfertur, constitutum, aut Religiosum, temere captivaverint, aut captivatum detinuerint, vivum, aut mortuum, ut præfertur, spoliaverint, quovis modo in Canonicos recipiantur, aut in fratres.

Cap. XXVII. *De Usuris.*

Quia ita crimen usurarum invaluit, ut multi aliis negotiis prætermissis quasi licite usuras exercent, & qualiter utriusque testamenti pagina condempnentur, nequaquam attendunt. Ideoque volumus, prout in *Lateranensi*, *Viennensi*, & *Lugdunensi* Conciliis statutum est: ne usurarii manifesti, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, & qui propriæ temeritatis audacia, manifestorum usurariorum corpora scienter sepelire præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, nulla ei exemptione, vel alio privilegio aliqualiter suffragante.

Nullus etiam testamentis manifestorum usurariorum intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent, secundum formam, idoneam cautionem: testamenta autem ipsorum, nisi præmissa satisfactione, aut præstita idonea cautione, non valeant, sed sint ipso facto irrita.

Inhibemus insuper: quod nulli sæculares, vel Religiosi, cujuscumque fuerint conditionis aut status, usurarios saltem manifestos, vel de usuraria pravitate publice diffamatos, audeant qualitercumque absolvere; sed ipsos ad Nos, seu Vicarium nostrum in Spiritualibus, pro absolutione obtinenda remittant, non obstante si ipsis, vel alicui ex eis, forsan per Nos, aut Vicarium nostrum, generaliter vel specialiter sit indultum, quod etiam in casibus Nobis reservatis, Beneficium absolutionis valeant impendere: contrarium facientes, ab ingressu Ecclesiæ decernimus ipso facto suspensos, & nihilominus revocamus, & annullamus omnes licentias, & indulta, quibuscumque personis sæcularibus, vel Religiosis per Nos, aut Vicarium nostrum in Spiritualibus concessas, & concessa, ut in casibus Nobis reservatis absolutionis Beneficium possint seu valeant impendere qualitercumque.

Cap. XXVIII. *De Pœnitentiis, & Remissionibus.*

Cum secundum Concilium *Viennense*, ultimo supplicio deputandis negari, si petant, non debeat pœnitentiæ Sacramentum, abusus dampnabilis in quibusdam partibus contra hæc inductus per *Viennense Concilium* aboletur omnino, & præcipitur Justitiariis omnibus, & Dominis temporalibus, ut ab hujusmodi desistant abusu;

Præterea vobis Sacerdotibus injungimus in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes, ut in principio Quadragesimæ, saltem Dominica *Invocavit*, Plebes vestras in ambonibus moneatis, & omni qua poteritis diligentia inducatis, quod tempestive confessiones suas faciant Sacerdotibus competentibus, ne in in conscientia cruentata in Festo Paschæ ad Corpus Christi improvide accedere videantur.

Cap.

Cap. XXIX. *De Interdicto.*

Felicis recordationis olim Dominus Bonifacius PP. VIII. salubriter duxerat ordinandum: quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis, in terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto, constitutis, Missæ celebrentur, & alia dicantur officia, sicut prius, voce tamen submissa, & janujs clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, campanis etiam non pulsatis, quodque tam Canonici, quam Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones cottidianæ illis, qui horis intersunt Canonicis, distribuuntur, si ad officia non veniant supradicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto perderent non exstante, si Divinis Officiis non adessent. Verum, quia ex levitate pœnæ supradictæ constitutio salubris antedicta in plerisque Ecclesiis & Monasteriis nostræ civitatis & Diœcesis minime observatur, universis & singulis Ecclesiarum & Monasteriorum Abbatibus, Prioribus, & Decanis, eorumque vices agentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam in ipsos, & ipsorum quemlibet, si non fecerint, quod mandamus, in Dei nomine ferimus in his scriptis, districtissime statuendo præcipimus & mandamus: quatinus universos & singulos, suarum Ecclesiarum & Monasteriorum personas, per subtractionem fructuum suarum Præbendarum, & alias prout competentius poterunt, dictis officiis tempore interdicti supradicti compellant devotius interesse dietim, & alias constitutiones ipsius Bonifacii faciant inviolabiliter & plenarie observari.

Datum *Herbipoli*, Anno Dom. MCCCCVII. die 1. Septembris.

Descripsit Cl. Schannatus ex Codice MS. Cœnobii S. Michaelis Bambergæ.

SYNODUS DIOECESANA HALBERSTADENSIS,

AB HENRICO EPISCOPO CELEBRATA

Anno Christi MCCCCVIII. Gregorii XII. Papæ II. Ruperti Reg. Roman. IX.

HENRICUS, (a) DEI GRATIA, HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS; UNIVERSIS ET SINGULIS PRÆLATIS, CANONICIS, ARCHIDIACONIS, PLEBANIS, BENEFICIATIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ HALBERSTADENSIS, SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO CARITATEM.

Quia Sanctorum Patrum, & Summorum Pontificum, nec non Generalium Constitutiones Conciliorum, & Statuta, licet Ecclesiarum utilitatem contineant, Clericorum honestatem, & salutem suadeant animarum; tamen in desuetudinem abire videntur: igitur omnibus vobis districte præcipiendo mandamus: ut saltem *Statuta Provincialia & Synodalia*, in domibus vestris habeatis, & eadem a die notitiæ publicationis præsentium infra duos menses legatis, & relegatis, vitam quoque & mores, juxta dispositionem eorundem, corrigatis & emendetis, alias ultra pœnas in eisdem contentas, pœnas alias, juxta delicti exigentiam, infligemus, & irremissibiliter ab omnibus recipiemus; & quia in cunctis per Presbyteros & Clericos, prout evidentia facti demonstrat, plus exceditur, dignum duximus aliqua statuta circa eadem crimina cum pœnarum adjectione innovare.

I. Idcirco Edicto perpetuo inhibemus: ne Clerici in civitate & Diœcesi nostra Halberstadensi, comam vel barbam nutriant, maxime Sacerdotes, qui taliter tondantur, (b) ut pateant eis aures, cæte-

(a) Henricus von Warberg eligitur anno 1407. Obiit A. 1409. Gröningæ: Halberstadii sepultus in sua Ecclesia Cathedrali. *Lenzen pag.* 269. 270. (b) *lego*: tondeantur

cœteri vero inferioris Ordinis Clerici in tonſura non multum diſcrepent ab eisdem, & coronam deſuper habeant congruentem.

II. Veſtes rubeas, vel virides non deferant, ſed ſtatui ſuo congruentes, nimia brevitate vel longitudine non notatas, quas etiam prohibemus a latere & retro aperiri, præterea manicas in eisdem portent duorum palmorum cum medio latitudinem non excedentes.

III. Argentatis, vel deauratis, aut alio metallo ornatis cingulis aut cultellis non utantur, ſed nec procedant in publicum circumcincti veſte ſuperna.

IV. In caputiis vel mitris foderaturas non habeant, niſi forte de nigra pelle agnina.

V. Similiter ſocolaribus, vel calceis rubri, aut albi coloris, non induantur.

VI. Baliſtas, gladios, cultellos, vel alia quæcunque arma, ad offendendum parata, niſi forte in via extra civitatem, villas, vel caſtra tranſeuntes, non deferant per ſe, vel familiares ſuos, niſi ſe ſequentes in die, vel in nocte deferre permittant.

VII. Clericus non viator, in ſacris Ordinibus conſtitutus, aut Monachus, vel Canonicus ſecularis, aut Regularis, ſi tabernam intraverit ſine cauſa evidenti, aut rationabiliter honeſta, ibique biberit, aut comederit, præcipue tempore nocturnali, ab officio ſit ſuſpenſus, donec unum diem in pane & aqua jejunet; ſi ibidem luſerit ad aleam vel taxillos, ab officio ſit ſuſpenſus, donec duos dies in pane & in aqua jejunet; ſi in his tertio deprehenſus conſuetudinem non dimittat, aut ſi ſuſpenſus ingeſſerit ſe Divinis, per Nos Beneficio, ſi quod habet, privabitur, ſi non habet, alia pœna arbitraria punietur.

VIII. Concubinarios Clericos, qui retinendo publice concubinas, & famam negligunt, & reverentiam maculant clericalem, Nos, more pii Patris, non perſonas, ſed perſonarum vitia deteſtantes, eorum ſaluti præſentis Conſtitutionis tenore ſic duximus providendum: quod ſi Presbyteri, vel alii Clerici ab Eccleſia qualicumque Beneficio vel ſtipendiis, ipſo facto, ſint privati, quæ Beneficia illi, ad quos collatio pertinet, teneantur conferre aliis perſonis idoneis; alii vero, non Beneficiati, qui in præmiſſis deliquerint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere, ipſo facto, & inſuper pœna pecuniaria ab eisdem irremiſſibiliter exigetur.

IX. Abuſum quoque, ac ſuſpicionem carnalis contagii a perſonis Eccleſiaſticis, paterna diligentia, procul cupientes; perſonis hujusmodi frequentationem Clauſtrorum, vel Monaſteriorum Monialium, nec non aliarum domorum mulierum conjugatarum juvenum, maxime earum maritis invitis, aut abſentibus, & aliarum mulierum quarumlibet ſuſpectarum, ac inhoneſtam collocutionem, & ludum noxium cum eisdem in cameris, vel publice, de cætero prohibemus, & qui contra fecerint, ultra pœnas a jure expreſſas, tres libras ceræ pro quolibet tali exceſſu perſolvent, & nihilominus carcerali ſupplicio, per nos eisdem, juxta delicti exigentiam, limitandum, ſe ſciant ſubjacere.

Datum in *Synodo noſtra Halberſtad.* Anno Domini MCCCCVIII.

Ex Codice MS. Biblioth. S. Petri Erford. deſcripſit Cl. Schannat b.m.

FRANCOFURTI CONVENTUS

Anno Chriſti MCCCCIX. Gregorii XII. Papæ III. Ruperti Reg. Roman. X.

LAndulphus, a Cardinalibus Piſano in cœtu congregatis miſſus in Germaniam, ſedulam adeo navavit operam, ut Germanos *ſacro Epiphaniæ die* ad Conventum Francofurti celebrandum adduxerit & promoverit.

Interfuere huic Conventui Archi-Epiſcopi: Moguntinus, & Colonienſis, Robertus Romanorum Rex, una cum aliis pluribus Magnatibus & Præſulibus, tum Francorum, Anglorum, ac multarum Germaniæ Provinciarum Oratoribus: cum-

cumque de reintegranda Ecclesiarum conjunctione diebus sex agitatum esset, recurrente septimo, Antonius, Cardinalis Episcopus Portuensis, Gregorii XII. Nepos, & Legatus accessit, ac pluribus in Gregorii causa tuenda adversus Cardinalium Cœtum Pisis coactum, atque Landulphum, e Pisis Legatum, egit. Post hanc deliberationem decretum hoc fuit, & postea infra duos dies Rex & Antonius prædicti, & paulatim etiam alii, ad propria redierunt, concludendo finaliter: " Quod Rex Robertus suos, & Moguntinus, & Coloniensis Archi-Episcopi, " & Marchio Misnensis prædicti, eorum " Ambasiatores ad Italiam mittere vellent, " ad sollicitandum factum unionis." Rex Antonium Legatum Gregorii honorifice habuit, coluit, & partes ejus defendendas suscepit. Tum Joannem, Rigensem Archi-Episcopum, Matthæum Wormatiensem, & (*a*) Ulricum Werdensem Episcopos (*b*) Oratores misit, qui Pisis causam Pontificis Gregorii XII. tuerentur.

Theodoricus ad Niem Lib. III. C. 39. coævus Pontificiæ Curiæ Scriba. Ex quo Raynald. Annal. Eccles. T. XVII. ad h. a.

SCHATENUS paulo aliter ad hunc annum:

PIsis congregati Cardinales ad omnes Archi- & Episcopos scripserunt, & ad Concilium Pisanum (*c*) eos invitarunt: sigillatim ad Archi-Episcopum Moguntinum: qui Encyclicas ad Provinciales Episcopos scripsit, eosque Moguntiam post festum Epiphaniæ invitavit.

Gobelinus coævus Auctor specialius dicit Feria III. intra octavam Epiphaniæ Moguntiam convocatos fuisse, Francofurti autem cum Ruperto, Rege Romanorum, convenisse in octava Epiphaniæ.

(*a*) *Schatenus* edidit duos Legatos: Rigensem Episcopum, quem Ulricum appellat, & Conradum de Susato, Theologiæ Magistrum, Canonicum Spirensem. Deinde *Schatenus* Archi-Episcopum Rigensem vocitat Joannem, Episcopum vero Werdensem nominat Conradum Sultonium. *Parte II. Annal. Paderb. Lib. XV. ad h. a.*

(*b*) In IV. Sessione nominat *Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis* Ambasiatores Wenceslai, Regis Bohemiæ, 1. Dominum Wenceslaum, Patriarcham Antiochenum. 2. D. Simonem, Episcopum Misnensem. 3. D. Benetium Cosnich, Militem. 4. D. Joannem Nuson, Decretorum Doctorem.

(*c*) Pisanum Concilium inchoatum fuit h. a. 1409. 25. Martii: eademque die habita prima Sessio: vigesima tertia & ultima Sessio 7. Augusti anni ejusdem.

Appellatio a prætenso Conciliabulo PISIS Anno MCCCCIX. habito per Cardinales utriusque partis, Præside Cardinali Pictaviensi; facta nomine RUPERTI, Romanorum Regis, a Procuratore ejusdem Conrado de Susato, Canonico Spirensi, stante pro Gregorio XII. A. 1406. electo IV. Nonas Decembris, veluti legitimo Papa, quia a Conventu Pisano deponi non posset, allegatis multis argumentis.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

ANno a Nativitate ejusdem millesimo, quadringentesimo nono, indictione secunda, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Gregorii, Divina Providentia Papæ XII. anno tertio, die decima nona men-

Anno MCCCCIX. Lunæ, XV. Aprilis fuit IV. Sessio, in qua non Magister Conradus de Susato, sed ejus socius, Episcopus Verdensis, ascendit Cathedram & fecit arengam in illud Pax vobis: dein præmissis protestationibus dixit: *Intendo difficultare & impugnare acta & agenda in hoc Concilio;* finita oratione petierunt mandatum Regis Ruperti sibi exhiberi, & petitiones ac dubia scripto exhiberi: utrumque primo recusant, subin dant, & cras responsum accepturos dimiserunt. Ita *Mansi Tom. III. Supplem. pag.* 1094. 1095. Sessione VII.

mensis Aprilis, hora primarum, vel quasi, in Ecclesia S. Catharinæ Ordinis Prædicatorum in civitate Pisarum, in Notariorum nostrorum testiumque subscriptorum præsentia, personaliter constitutus, Honorabilis Vir Dominus *Conradus* de Susato, *Canonicus Ecclesiæ Spirensis*, in Sacra Theologia & in artibus Magister, Procurator, & procuratorio nomine Serenissimi & Gloriosissimi Principis & Domini D. ROBERTI Romanorum Regis semper Augusti, constituentis, prout de ejus mandato per litteras patentes, Sigillo Majestatis dicti Romanorum Regis in cera crocea impendente sigillatas, plenam fecit fidem: animo & intentione appellandi & provocandi, tenens in suis manibus quædam papyri folia, quandam appellationem seu provocationem interposuit, appellavit, & provocavit, Apostolos petiit, & protestatus fuit, omniaque & singula alia fecit, & facere se dixit, quæ in dictis papyri foliis continentur, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

CORam vobis discretis viris Notariis publicis tamquam personis authenticis & fidelibus, & testibus hic adstantibus fide dignis, Ego *Conradus* de Susato, in Sacra Theologia, & in artibus Magister, Canonicus in Ecclesia *Spirensi*, Procurator, & nomine procuratorio Serenissimi, & Excellentissimi Principis & Domini Domini ROBERTI, Dei gratia, Romanorum Regis semper Augusti, præcipui *Defensoris & Advocati Ecclesiæ sanctæ Dei*, animo & intentione appellandi & provocandi, & Apostolos petendi, & recipiendi atque præstandi melioribus & officacioribus modo, via, jure, causa, atque forma, quibus possum & debeo, dictusque Dominus meus potest, & debet, dico & propono: quod licet dudum felicis reeordationis D. INNOCENTIO PP. VII. (*b*) ab hac vita mortali subtracto, tunc Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui tunc erant, celebratis ejusdem quondam D. INNOCENTII funeralibus, atque ejus corpore Ecclesiasticæ tradito sepulturæ, pro electione Summi Pontificis in conclavi secundum formam sanctorum Canonum congregati, omnium & singulorum vota omnia & singula, concorditer, nemine discrepante, in Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum D. *Angelum* (c) *tituli sancti Marci* Presbyterum Cardinalem, ipsorumque confratrem, ejus exigentibus meritis, divinitus inspirati direxerunt; ipsumque in summum Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontificem elegerunt, inthronizaverunt, & ut talem venerantes adorarunt.

Et nonnullis interjectis, quibus a Cardinalibus, ut justum Pontificem habitum, promulgatamque toto orbe illius electionem describit, subjungit.

Nihilominus dicti olim Cardinales, omnes & singuli, uno dumtaxat excepto, suæ salutis immemores inobeientiæ filii, nescitur, quo ducti spiritu, foras egressi contra Sacerdotem Domini, & relicto suo Rege, rebellarunt, & Ecclesiam sanctam Dei, quæ in unitate consistit, *ad cujus defensionem prælibatus Serenissimus Dominus meus constituens adstringitur* & obligatur, scindentes & scindere molientes, se (*d*) schismatis contra *Papam* irreligiosa temeritate instituerunt, nec non sua temeritate usque ad hoc prosiliere: & suam divisionem, Catholicam esse credentes Ecclesiam, Cathedram sibi instituere, atque primatum assumere conantes, ab eo, quod unum est, semetipsos segregarunt. Et licet præfati olim Domini Cardinales die XI. men-

Pisano Concilio, quod nonnullis *Generale legitimam* censetur cum Natali Alexandro, sed Baronio, nec approbatum, nec reprobatum videtur. Interfuere 24. Cardinales, tres Patriarchæ: Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus: 180. Episcopi: 300. Cœnobiarchæ: 280. Doctores: præfuit Cardinalis utriusque Collegii Decanus. Celebratæ Sessiones XXII. Sessione XIX. electus Alexander V, ante Petrus Philaretus, Cretensis.

(*b*) Innocentius VIII. Pontifex CCIVtus, obiit VIII. Idus Novembris A. 1406. Pontificatus anno secundo, die primo & vicesimo.

(*c*) Angelus Corarius, Cardinalis, Venetus, Titulo S. Marci, eligitur Pontifex A. 1406. IV. Nonas Decembris, jurat se abiturum Pontificatu, quando Petrus de Luna, seu Benedictus XIII. id facturus esset.

(*d*) *deest*: authores

mensis Maji proxime præteriti omnem obedientiam dicto Sanctissimo Domino *Gregorio* se scripserunt subtraxisse, prout in litteris suis *datis Liburni, primo die* mensis Julii, clarissime continetur, in quibus dicitur inter cetera: " *Quod XI. men-* " *sis Maji proxime præteriti, omnem, quan-* " *tum in nobis fuit, obedientiam juxta juris* " *exigentiam abstraximus, & recessimus ab* " *eodem*: quæ, & tenorem litteræ ego Procurator, prædicto nomine procuratorio, in quantum faciunt pro justificatione, & verificatione præsentis appellationis, habere volo pro insertis: plurimum tamen magni, potentes, & sapientes viri, revocant in dubium, an dicta die, prout scripserunt, ipsi obedientiam abstraxerunt, eo quod (*e*) idem dum Cardinales in aliis suis literis datis *Pisis* XII. mensis Maji scribunt, quomodo die XI. Maji recesserunt de Luca hora vigesima secunda, hoc est, per duas horas ante noctem, & in eisdem litteris circa finem habentur hæc verba: " *Nec* " *nostræ mentis est, a fide, veritateque juris* " *erga præfatum Dominum nostrum* (*dum-* " *modo modis hactenus per eum retentis, suc-* " *cisis, ipsum ad id, quod tenetur effectuali-* " *ter adimplere, dispositum videamus*) *modo* " *aliquo deviare*: *sed tali eventu obedientiam* " *& reverentiam debitas exhibere.* Cum igitur XII. die Maji non habebant intentionem obedientiam subtrahendi juxta jam expressa: quomodo stabit, quod die immediate præcedenti subtraxerunt obedientiam?

Item *die XIII. dicti* mensis Maji appellationem quandam interposuerunt, in qua coram Domino GREGORIO, (*f*) tamquam Sanctissimo Domino, & Patre Sanctissimo, cum omni reverentia, tamquam humiles ipsius servitores, appellarunt. Quinimo dicunt in ea, " *A vobis, Pater Beatissime, irrationabili-* " *ter, & secundum non rectam rationem de-* " *cernentibus, ad vosmet secundum certam* " *rationem & melius informatum.* Notarii quoque ipsum in instrumento, cui appellatio est inserta, *Sanctissimum in Christo Patrem* scribunt, & appellant, &c. ex quibus luce clarius habetur, quod tunc scilicet die XIII. Maji, ipsi olim Domini Cardinales, & eorum Notarii, *Dominum Gregorium* pro Sanctissimo Patre & Domino, & summo Pontifice, manifeste scripserunt, nominarunt, & recognoverunt. Quomodo igitur scribunt, quod XI. die dicti mensis Maji obedientiam subtraxerunt? Ecce inculcationem, ecce involutionem, ecce dubitationem, mentibus Principum, Dominorum, & aliorum virorum sapientum ingestam. Et si sic erraverunt in principio: non est mirum, quod in fine gravius erraverunt. Dicitur namque: *Parvus error in principio, maximus est in fine.*

Esto tamen, quo præfati Domini olim Cardinales die XI. mensis Maji obedientiam *D. Gregorio* subtraxissent, quod tamen ex præmissis non apparet; quia tamen, ut scribunt in dictis litteris, hora vigesima secunda, per duas scilicet horas ante noctem recesserunt, evidentissime constat, quod nullam solemnitatem, nec ordinem juris in re tam grandi & nova sicut merito servassent, servaverunt. Vix sufficiebat eis tempus Pisas accedendi ante noctem: & ecce obedientiam subtrahere concluserunt, & eam subtraxerunt, ipsumque Sanctissimum Dominum nostrum GREGORIUM, contra justitiam, & juris ordinem, ut apparet, spoliaverunt. Ubi deliberaverunt? in campo. Ubi concluserunt? in diversorio. Ecce præcipitationem facti in principio. Non enim immerito prius Dominum Gregorium monuissent, quod nisi votis & juramentis satisfaceret, obedientiam sibi subtraherent. Numquid attendere debebant, cum quadam maturitate, quanta rei solemnitate Gallici processerunt cum suo Domino, quem vocant *Benedictum*, cum semel sibi obedientiam subtraherent? Litteras autem & instrumenta *Appellationum*, & alia superius inducta, in quantum faciunt pro justificatione præsentis appellationis, &c. Ego Procurator præsentibus habere volo pro insertis.

Præterea dicti olim Cardinales, prioribus non contenti, sed pejora malis adjicientes, præfato Domino nostro, Sanctissimo Domino *Gregorio*, multiplices injurias verbis, scriptis, atque factis, cum nulla contra eum adhuc lata esset sententia, cum etiam ipsi non essent, nec deberent esse *Judices in causa propria*, contra juris & justitiæ ordinem, & omnem æquitatem humanam, in multiplex oppro-

(*e*) *forte*: iidem Cardinales

(*f*) XII.

opprobrium Sedis Apoſtolicæ, univerſalis Eccleſiæ, obedientiæ noſtræ, & in Cleri vilipendium, & totius Cleri ſtatus denigrationem, multipliciter irrogarunt, ab executione ſententiæ nondum latæ inchoantes. Sicque prædicti olim Cardinales per litteras ſuas, & Pſeudo-Apoſtolos, præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum nondum juſte convictum, nec confeſſum prædicarunt, intimarunt, & publicarunt quaſi per totam Chriſtianitatem, perjurum, votifragum, ſchismaticum, imo ſchismatis auctorem & hæreticum. Numquid eſt hic modus procedendi tantorum virorum, olim in tanto faſtigio dignitatis conſtitutorum, ad quos oculi aliorum fidelium ſicut Sagittarii ad metam reſpiciunt, jurgiis, blaſphemiis, & maledictionibus partem adverſam, *ante ſententiam latam*, tam turpiter & deteſtabiliter informare? Numquid iſta ſunt media ad concordiam & unionem inducendam? Numquid bonus finis, bene etiam intentus, per bona, & apta media bene, & rationabiliter eſt proſequendus? Numquid ſcriptum eſt: *Quod juſtum eſt, juſte exſequaris*? (*b*)

Item, quis eſt iſte modus a ſæculo inauditus, quod dicti olim Domini Cardinales, qui hucusque a tempore Domini GREGORII, & ſui Prædeceſſoris, fuerunt Duces noſtræ obedientiæ, Anti-Cardinales Gallicos, pridem excommunicatos, anathematizatos, & indignos aliquo Prælationis titulo nominare, quinimo ſchismaticos, & illius nefandi ſchismatis in Eccleſia Sancta Dei inductores & nutritores, vocant, & ſcribunt Reverendiſſimos Patres & Dominos, quinimmo & Cardinales Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ; & Sanctiſſimum Dominum noſtrum GREGORIUM vocant, & ſcribunt ſchismaticum, & ſchismatis nutritorem? Bene hæc poteſt converſio in oppoſitam qualitatem appellari: cum tamen ipſe Sanctiſſimus Dominus noſter nec ſchiſma induxit, ſed pluribus proh dolor! annis ante eum fuit & duravit, nec iis, qui ſchisma induxerunt, favet, & aſſiſtit. Fomentum namque ſchiſmatis illis attribuitur, qui ſchiſma faciunt, vel fecerunt, inducunt, vel induxerunt, & in hujuſmodi perſeverant, vel eiſdem aſſiſtunt, &c. ſed nihil ad eos, qui non ſunt ſibi conſcii alicujus culpæ in hoc facto. Sicut enim *Schiſma Græcorum* non eſt Latinis imputandum: ita nec ſchiſma *Gallicorum*, ſeu per *Gallicos introductum*, capiti vel membris obedientiæ Romanæ. Ipſe inſuper pro ſublatione ſchiſmatis, cum nondum duobus annis eſſet in Pontificatu, *Concilium Generale* decernere voluit, decrevit, & per ſuas patentes litteras, prout inferius plenius dicetur, induxit, ut Unio & Pax daretur Eccleſiæ. Denique ſuis litteris & Nuntiis, omnes & ſingulos ſub obedientia Domini GREGORII conſiſtentes requiſiverunt & hortati ſunt, ipſisque nihilominus mandaverunt, quantum in eis erat, ut ipſi & eorum ſinguli Domino GREGORIO obedientiam ſubtraherent: cum tamen ad hujuſmodi ſubtractionem nondum eſſent cauſæ ſufficientes ad lucem poſitæ. Mirabile viſum eſt, quod de tanto ſe volebant intromittere. Quis etenim conſtituit eos judices GREGORII, & totius obedientiæ noſtræ, & præſertim Germaniæ? Conſtat eos velle omnes a Romano Pontifice declinare. Quod ſi factum fuiſſet, quis tempore medio diſpenſaſſet in caſibus Papæ reſervatis? Quis cognoviſſet in cauſis Appellationum ad eum devolutis? Quis etiam Pallium dediſſet, & Archi-Epiſcopos confirmaſſet? &c.

Præterea Sanctiſſimus Dominus noſter GREGORIUS videns ſe non proficere, nec concordare cum eo, qui ſe vocat *Benedictum* (*XIII. ſeu Petrum de Luna*) ab alia parte, *ad viam ceſſionis* perficiendam, concluſit pro unione in Eccleſiâ Dei perficienda, *viam Concilii Generalis*, prout etiam illud convocavit, & indixit per certas ſuas litteras Apoſtolicas ſub *data tertio Nonas Julii*, in feſto ſcilicet Pentecoſtes proximo futuro: quarum litterarum tenorem, in quantum faciunt pro verificatione *præſentis Appellationis*, & non aliter, ego Procurator habere volo pro inſertis. Et veriſimile eſt, quod ipſe Dominus GREGORIUS diu ante, Concilium concluſerat; ſed antequam litteræ conficerentur, habuit cogitare de congruis tempore & loco, quibus deberet convocari.

Verum ut ipſi Domini Cardinales præfatum Dominum GREGORIUM etiam in hoc ſanctiſſimo propoſito prævenirent, præoccuparent, & impedirent: cum quibuſdam Anti-Cardinalibus & ſchis-

(*b*) Deut. XVI, v. 20.

ſchiſmaticis, dudum per D. GREGORIUM, & ſuos Prædeceſſores, ex cauſis anathematizatis, & quocunque Prælationis titulo privatis atque condemnatis, & pro *Schiſmaticis* reputatis, atque a gremio & conſortio Sanctæ Matris Eccleſiæ, eorum exigentibus demeritis, prorſus excluſis, ſe univerunt, & junxerunt; ac unum quoddam cum eis, ut aſſerunt, prætenſum Collegium, *nullum Caput habentes*, neque recognoſcentes, de facto, licet non de jure, effecti, quoddam *prætenſum Concilium*, quod potius Conventiculum, vel Conciliabulum dici debet, per certas ſuas litteras ſub data anticipata, ut vehementer præſumitur, fabricatas in *civitate Piſarum*, in feſto Annuntiationis Virginis glorioſæ lapſo, ſub data *Liburni*, *vigeſima quarta menſis Junii*, indixerunt. Ex quibus quidem litteris quot dubitationes, quot inculcationes, & involutiones, in cordibus Principum & Dominorum, & Sapientum, ac Chriſti fidelium exortæ ſint, vix calamo poterit ſcribi, vel lingua explicari: eo quod iſti Domini olim Cardinales, quantum ex ipſis eorum litteris luce clarius habetur (quas etiam, in quantum faciunt pro verificatione præſentis Appellationis, ego Procurator habere volo pro expreſſis) nova numquam prius viſa, vel audita, attentare conati ſunt; ſemitas antiquorum, & Sanctorum Patrum, & ſacrorum Canonum doctrinas omittentes, obliquas ac dubias ambulare cœperunt vias, prout & illas continuant de præſenti. Et nihilominus in neglectu poſuerunt omne id, & totum, quod eſt honeſtatis, conſolationis, & conſervationis obedientiæ noſtræ, & Eccleſiæ Sanctæ Dei, de ſuis commodis confuſione, deſolatione, ruina, atque diviſione minime curantes. Unde, ut pluribus pauca tangantur, primo videamus de præoccupatione. Ex litteris namque pro Concilio celebrando deſtinatis, de quibus ſtatim facta eſt mentio, manifeſte habetur, quod unio ipſorum olim Cardinalium cum Anti-Cardinalibus præceſſit ipſam prætenſi ſui Concilii indictionem: dicentes, prius ſe eſſe unitos, & poſtea matura deliberatione concluſiſſe Concilium convocandum. Unde dicitur in dictis litteris inter cætera: " Quibus viſis & pluribus habitis " inter Nos conſiliis, firmamus Nos ve" nire cum Dominis alterius Collegii, " & Liburnum accedentibus Nobis, qui " locus eſt prope civitatem Piſanam " ejuſdem Diœceſis, ac de eis Dominis " Cardinalibus ex altera parte in ſuffi" cienti numero nobiſcum congregatis, " in unum Nos univimus propoſitum, &c. Et nihilominus ut habetur ex litteris ſuis, ſuper eorum unione datis Liburni penultima die menſis Junii, litteræ Concilii datæ ſunt per quatuor dies ante: quia vigeſima quarta Junii. Ecce quomodo in ſcriptis eorum dant intelligere ſibi invicem contradictoria, quia ante indictionem convocationis Concilii fuerunt uniti. Quis ſanæ mentis ex iſtis non inciperet dubitare de factis, & proceſſu dictorum Dominorum? Unde etſi dicti Domini tempore ſuæ unionis cum Anti-Cardinalibus primo indixiſſent Concilium: conſtat tamen, quod hoc factum fuiſſet per quatuor dies poſt datam litterarum convocationis Concilii.

Item in quibuſdam litteris ſuis dicto Sereniſſimo Romanorum Regi, Domino meo directis, datis Liburni vigeſima ſexta Julii ſcribunt iſta verba: " Deliberavimus invicem vocare Concilium " Generale ex utraque parte, eiſdem " loco & tempore: cujus rei atque no" ſtri propoſiti intimationem, determi" nato loco, ubi optandiſſima Congre" gatio hujuſmodi fieri debeat, & ora" torem noſtrum præcipuum, mitte" mus in brevi." Ex quibus litteris & verbis patet, quod vigeſima ſexta Julii, quæ fuit pluſquam per menſem poſt prætenſam datam litterarum convocationis ſui prætenſi Concilii, ipſi deliberaverant convocare Concilium: ſed nondum convocabant, quia nondum erat determinatus locus, ubi iſta congregatio fieri deberet. Igitur tempore datarum litterarum ſui prætenſi Concilii, nondum erant concordes de loco. Igitur data eſt anticipata, & hoc in fraudem Domini GREGORII, ut vehementer præſumitur, & ut videatur eum præveniſſe: per hujusmodi enim adinventiones exquiſitas vehementer ſuſpicatur, & præſumitur, ipſos olim Cardinales, fuiſſe & eſſe cauſas impedimenti unionis exoptatæ. Nonne quivis Catholicus hoc concipere poterit evidenter, quod ſi hujuſmodi indictionem Conciliabuli emiſiſſent, dictumque Concilium Papæ fuiſſet ſorti-

tum effectum, nec, ut prædicitur, impeditum, ſicut obedientia *Benedicti* in ſuo, ita & noſtro in Papali Concilio, unanimi voce, & concorditer requiſiviſſet, & efficaciter induxiſſet Dominum GREGORIUM ad obſervantiam voti & juramenti ſui pro reintegratione Eccleſiæ Sanctæ Dei? neceſſariumque fuiſſet ipſum ad hoc attendere, omnis dilationis mora proſtergata: alias tota obedientia, vero ordine, & juxta omnem æquitatem, & cum bona conſcientia, receſſiſſet ab eodem tanquam fautore ſchiſmatis antiquati; nullaque fuiſſet in noſtra obedientia diviſio ſubillata, quin immo ex tunc ſincera unio per ambas obedientias procurata, & inducta. Quidam etiam Abbas Ambaſiator dictorum Dominorum olim Cardinalium retulit, quod per duos menſes diſputarunt de loco, in quo indiceretur Concilium. Et, de hoc etiam habetur evidens magnumque teſtimonium eorum, qui adhærent ipſis Dominis olim Cardinalibus, dicentium, quod per totum menſem Auguſti primo fuit concordatum de loco Piſarum cum Florentinis. Quod etiam patet ex hoc, quia Nuntius, qui deferebat litteras Concilii Cardinalium ad partes Rheni, habuit litteras credentiæ olim Dominorum Cardinalium, ſub data primæ Septembris: poſt hæc receſſit de Piſis: & per conſequens tunc fuit primo expeditus. Et veriſimile eſt, quod illum vel alium Nuntium, citius deſtinaſſent, ſi de loco & tempore die vigeſima quarta Junii concordaſſent. Item multi curteſani, quorum aliqui tempore indictionis Concilii, per Gregorium fuerunt in Luca, & aliqui in Piſis, & aliqui in Liburno, dixerunt, quod Dominus Gregorius publicaverat Concilium ſuum per plures dies antequam audiretur de Concilio olim Cardinalium. Videtur igitur manifeſtum, quod datam prædictam callide anticipaverunt, volentes Gregorium, & ſuum Concilium prævenire. Quod ſi per impoſſibile non eſſet factum: quare ſic tarde intimaverunt ſuum Concilium? Nam Dominus Gregorius bene per duos menſes ſuum Concilium ante prætenſum Concilium eorum per litteras patentes publicavit.

Inſuper etſi convocatio Concilii generalis, juxta traditionem & Decreta Sanctorum Patrum, pertinet ad Summum Romanæ Eccleſiæ Pontificem, diſpoſitum ſaltem ad convocandum, & qui, quantum in ſe eſt, Concilium Generale indixit, & per ſuas patentes litteras Apoſtolicas publicavit: dicti tamen olim Cardinales, & eorum in hac parte complices, in litteris & ſcriptis ſuis affirmant, & verbis prædicare non verentur, quod hoc veritatem habeat de Papa *indubitato*. Per quæ Papatum Domini Gregorii revocant in dubium, cum tamen in inſtrumento Conclavis ad inſtantiam dictorum Dominorum, ante electionem Domini Gregorii in Summum Pontificem, clare dicatur in hæc verba: *Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum juſtitia ſuadet.* Quod jus veriſſimum eſt, & plena veritate fulcitum. Dicti autem inſtrumenti Conclavis tenorem, in quantum facit pro juſtificatione & verificatione præſentis Appellationis, ego Procurator prædictus volo habere pro expreſſo.

Præterea, ſi dubitant de Papatu Domini Gregorii, quare ſimili ratione non dubitant de ſuo Cardinalatu? Quod ſi dubitant, tunc etiam ex ſimili dubio non habent ſe intromittere de electione Summi prætenſi Pontificis, contra prætenſam practicam, quam habent præ manibus. Item pariformiter dicti Domini, & eorum complices, habebunt dubitare de Papatu *Innocentii VII. Bonifacii IX.* & fortaſſis *Urbani VI.* & ſic in eandem videntur incidere opinionem, quinimmo & verius errorem, cum Gallicis, qui a principio iſtius deteſtandi & horrendiſſimi ſchismatis, Eccleſiam Catholicam & inconſutilem Chriſti tunicam dividere præſumpſerunt. Ipſi etiam in dando Dominum *Gregorium*, & alium, ſeu alios ejuſdem Prædeceſſorem, ſeu Prædeceſſores, obedientiæ noſtræ, in Summos Pontifices: eamdem noſtram obedientiam totam videntur decepiſſe, ſubſannaſſe, & eidem illuſiſſe, ſi fas eſt dicere.

Item in litteris, quas ſcripſerunt Sereniſſimo Domino meo, Domino RUPERTO, Romanorum Regi, poſt aſſumptionem dicti Domini GREGORII, ſub data Romæ decima Decembris, ſcribunt in hæc verba: " Poſt ſolemnes de " futuri Pontificis electione tractatus, illo " Divinitus inſpirante, qui cuncta per" petua ratione gubernat, vota noſtra

in

" in Reverendiſſimum in Chriſto Patrem
" & Dominum ex noſtro Collegio, Do-
" minum *Angelum*, tituli S. Marci Presby-
" terum Cardinalem, Confratremque no-
" ſtrum ad culmen Dignitatis Apoſtoli-
" cæ, poſt Divinæ gratiæ munera, uni-
" verſis ejus exigentibus meritis, nec im-
" merito aſcenſurum, nemine diſcrepan-
" te, direximus, ipſumque Confratrem
" noſtrum die ultima Novembris in Do-
" minum noſtrum eligimus atque Patrem.
In quibus verbis dant manifeſte intelligi, quod ipſum *Gregorium* ad culmen Apoſtolicæ dignitatis elegerunt, & aſſumpſerunt, nullum dubium prætendentes. Quod ſi aliquod dubium prætendebant, quare ipſum omni dubio ſemoto in Summum Pontificem elegerunt, & ipſum toti noſtræ obedientiæ pro Summo Pontifice dederunt, præſentarunt, nec non verbis & ſcriptis, Nuntiis & Ambaſiatoribus, cum ſolemnitate debita publicarunt?

Præterea licet congregationem per dictos olim Cardinales indictam in Piſis ad Feſtum Annuntiationis Virginis Glorioſæ proxime præteritum, prætendant eſſe Concilium generale; & in eo tamquam in Concilio generali poſſe & debere facta tractari univerſalis Eccleſiæ, eaque habere vim & efficaciam: nihilominus ex ratione, & ſimul ex ſcriptis eorum; & modo procedendi, contrarium luculenter apparet: Concilium namque generale debet eſſe liberum ſecundum traditiones ſanctorum Patrum; ſed congregatio indicta per ipſos olim Cardinales expreſſe reſtricta eſt & limitata: unde in litteris ſuæ convocationis dicitur in hæc verba:
" Finiſque imponatur ſchiſmati, per viam
" mutuæ ceſſionis: *& infra*: Eſt enim
" noſtra, & Dominorum de collegio alte-
" rius partis intentio, & irrevocabile
" propoſitum, quod cum his, qui veniunt
" ad dictum locum & terminum, provi-
" deatur fidei & Eccleſiæ juxta effectus
" prædictos. Item in litteris confœderationis, ſeu unionis dictorum Dominorum cum Anticardinalibus dicitur, & ſcribitur inter cetera ſic: " Juramento & vo-
" to irrevocabili firmamus, quod per
" viam mutuæ ceſſionis (*a*) ambo de
" Papatu, vel alterius alio mortuo vel
" Canonice ejecto, proſequamur unio-
" nem.

Numquid iſti præſumunt imponere legem Spiritui ſancto, a quo dicitur regi Concilium generale? Numquid ſunt dabiles aliæ viæ rationabiles pro unione Eccleſiæ ſanctæ, quam via ceſſionis? unde via hæc ceſſionis eſt a Gallicis pridem adinventa, & in particulari eorum Conciliabulo determinata, quam pro lege iſti ponentes, per Anticardinales Gallicos inducti, Concilium limitare, & regulam ſeu legem Spiritui ſancto imponere minus provide, quinimmo & periculoſe, præſumpſerunt? Quaſi Concilium, non quamcumque rationabilem viam pro unione Eccleſiæ introducenda non inquirere, de ea deliberare, atque eam libere & abſolute aſſumere debeat atque poſſit.

Item terminus in litteris convocationis prædictæ expreſſus videtur eſſe nimis brevis quoad plures de noſtra obedientia: eo quod (*b*) plurimi tantum diſtant a loco Piſarum, quod poſt inſinuationem eis factam, per ſe vel ſuos Procuratores ad locum Piſarum non poterunt modo humano pervenire. Si igitur non veniant, non tamen ſunt contumaciter abſentes, & per conſequens congregatio facta Piſis non meretur dici Concilium generale. Præterea dicti prætenſi Domini videntur aſſerere, dicere, & tenere, quod Sanctiſſimus Dominus, Dominus *Gregorius* teneatur in Piſis Concilio prætenſo, per eos indicto, potius conciliabulo, comparere; & ſi veniret, quod poſſet ibidem judicari. Quod utique ex iis, quæ geſta ſunt, hactenus apparet: eoquod major pars Prælatorum in Piſis exiſtentium eſt de parte ſibi adverſa, quæ partem noſtram ſemper reputavit, & prædicavit ſchiſmaticam, ſicut e contra: alii autem omnes fere ſubtraxerunt Domino Gregorio obedientiam diu ante Concilii ſui prætenſi indictionem, & fecerunt ſe partem contra eum ipſum, incuſantes, & crimina enormia imponentes, ante ſententiam latam; ipſique olim Cardinales ſunt excommunicati, omnique honore & dignitate privati & exuti. Quis autem compos rationis præſumat dicere, quod quis, quantumcumque etiam modicus, coram ſuis adverſariis, ſeu parte adverſa, comparere teneatur; ſeu etiam, quod ſententia prætenſa, ſi quam ferret, ipſo jure ſubſiſteret?

(*a*) *forte*: amborum. (*b*) *corrige*: plurimi tanta ſunt

ret? Præterea esto, quod Dominus Gregorius veniret Pisas & vellet renuntiare: non veniente Benedicto, dubium est, an debeat renuntiare, cum contingere posset, quod ille, qui vocat se Benedictum, parte ex adversa post resignationem Gregorii diceret: " Ego jam sum " unicus, & nullum habeo contendentem " tem de pari, cur vultis me privare vel " compellere ad cedendum?" quod si fieret, utique cederet ad ignominiam & verecundiam permaximam totius obedientiæ nostræ: & maxime quia dicitur, & ita dicunt aliqui ex olim Cardinalibus nostræ obedientiæ, quod Anticardinales Gallici obedientiam suo Benedicto pridem restitutam nondum abstraxerant. Præterea licet necessario aliqui de prætensis olim Dominis Cardinalibus, & Anticardinalibus, fuerint excommunicati, anathematizati, inhabilitati, & omnis Prælationis titulo privati: nihilominus in vilipendium Apostolicæ potestatis clavium Ecclesiæ, nescitur quo jure, quo modo, & qua bona conscientia, una partium alteram habilitavit, dispensavit, famæ restituit, & in Cardinales creavit, & fortassis una aliam absolvit. Quæ utique nullatenus ipsis vel alicui eorum, sed soli Papæ, vel suam auctoritatem habenti, possunt convenire.

Item licet Domini olim Cardinales ex obedientia nostra primo, & deinde ipsi, & Anticardinales Gallici simul pro parte Serenissimi Domini, Domini Roberti Romanorum Regis constituentis, Domini mei, & per suos solemnes oratores fuerunt cum omni reverentia & debita instantia requisiti & exhortati, quatenus amore Dei, & intemeratæ Virginis Mariæ, & totius curiæ super cælestis, nec non contemplatione Ecclesiæ militantis, & ad petitionem Regiæ Majestatis, vellent inclinari ad mutandum locum Pisarum, & ad reconveniendum in alio certo loco, dicto Domino Gregorio, & eis congruo; ubi Dominus Gregorius faceret id, ad quod obligatur, & ulterius ad electionem unici summi Pontificis procederetur: quia speraret dicta Regia Majestas, quod per istum modum omnibus dubiis, scrupulis, perplexitatibus, difficultatibus, ac novis divisionibus, præcipue in partibus obedientiæ nostræ, sublatis & exclusis, fieret pura & sincera, integra ac universalis unio in Ecclesia sancta Dei, quam per Concilium indictum a Domino Gregorio, vel etiam per congregationem in Pisis factam seu indictam, timeret non posse habere. Quod si ad hoc inclinarentur, & sic facerent, dicti Oratores Regiæ Majestatis offerebant ipsis Dominis plenam ejusdem Regiæ Majestatis assistentiam: & sive dictus Dominus Gregorius in dicto loco compareret, & debitum suum faceret, sive non, nihilominus ad electionem summi Pontificis procederetur: quia extunc clare appareret, quod Dominus Gregorius nollet facere debitum suum.

Fuit etiam per eosdem oratores dictum & allegatum, quod si pro anima hominis lucranda expediret, sicut revera expedit, magnam immo multum grandem rem facere: multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum innumeras strages, ad præveniendum destructiones, destitutiones, & desolationes Ecclesiarum, Monasteriorum, & Cœnobiorum, atque universali integra ac pura unione facienda & procuranda, brevis mora, cum assignatione alterius loci bene commodi, nullatenus esset deneganda. Licet etiam dubia & difficultates, quibus multorum animi moventur, & moti sunt, in præsentia dictorum Dominorum, & aliorum Prælatorum in Ecclesia Cathedrali Pisana congregatorum, die decima quinta mensis Aprilis fuerunt explicata; propter quæ & alia plurima, prout tunc publice dicebatur, timor erat, & est dictum Domino Regi Romanorum, quod per congregationem in Pisis factam, sincera, & integra fidelium unio nequaquam haberetur; nihilominus dicti Domini, quasi indurati, obstinati, & in alienum sensum miserabiliter versi, & primo & secundo responderunt præcipitanter, prompte, & satis irreverenter, quod impossibile esset mutare locum, quodque super mutatione loci nihil vellent audire, vel tractare quoquo modo.

Et quia dicti olim Cardinales, prout colligitur ex præmissis, consideratis viis, & modis per eos servatis, ab obedientia Domini Gregorii summi Pontificis perperam recesserunt, multiplices injurias verbis, scriptis, & factis irrogarunt, & ipsum blasphemarunt; prætensum quod-dam

dam Concilium, quinimmo Conciliabulum, in loco Pisarum, ad præveniendum, præoccupandum, & impediendum Concilium, indictum per Sanctissimum Dominum nostrum Gregorium Papam duodecimum, quantum in eis fuit, indixerunt; datam litterarum, ut præsumitur, anticiparunt; locum sui prætensi Concilii, verius conciliabuli; dudum antequam eis esset concessus, pro congregatione fienda nominarunt; ipsum Dominum Gregorium Papam dubitatum appellarunt & scripserunt; suam congregationem prætensam, quam Concilium vocant, contra libertatem & naturam Concilii, certis modis, tanquam legem imponentes Spiritui sancto limitarunt, & restrinxerunt; terminum conventionis seu congregationis pro multis de nostra obedientia nimis brevem assignarunt; in propria causa, cum sint pars, & manifeste adversarii, se judices vel conjudices esse præsumpserunt; se invicem licet nulliter & de facto habilitaverunt, petitiones, instantias, requisitiones, & exhortationes per Oratores dicti Domini Serenissimi Regis Romanorum, & pro parte sua oblatas & factas, pro pura sincera & integra unione fidelium inducenda (ut cum eorum bona venia loquar) animose, pertinaciter, & præcipitanter, temere & irreverenter excluserunt, & admittere recusarunt. Et quia etiam, ut verisimiliter timetur, dicti prætensi olim Cardinales in neglectu penitus ponentes omne id, quod est confusionis, desolationis, ruinæ, destitutionis, verecundiæ, ignominiæ, & divisionis partis, & obedientiæ nostræ, quantum apparere potest ex iis, quæ per eos acta sunt, aguntur, & agentur verisimiliter in futurum, sanctam Ecclesiam Catholicam, & inconsutilem Christi tunicam, scindere, dividere, lacerare, laniare, prosternere, & conculcare, timore Dei prorsus excluso, satagentes plura scandala, dissidia, & errores introducere, ac procurare, & quantum in eis erit, facere non cessabunt novum idolum, vitulum conflatilem, perversum Antichristum, & maledictionis æternæ filium nominando, & intrudendo suas pravissimas, & perversissimas affectiones, & errores insequendo, quibus totum statum Sedis Apostolicæ, & Christi fidelium, ad exitium & præcipitium intolerabile ponere, & integraliter subvertere nituntur: idcirco ego Conradus supradictus Procurator, & procuratorio nomine præfati Excellentissimi, & Gloriosissimi Principis ac Domini, Domini ROBERTI, Romanorum Regis, semper Augusti, cernens dictos olim Cardinales, & alios Anticardinales, quibus dicunt se unitos, a suo prætento proposito non posse revocari; sed eos hujusmodi velle intendere damnabiliter, & de facto inhærere: sentiensque sanctam & universalem Ecclesiam Catholicam, cujus ipse Romanorum Rex est DEFENSOR, ET ADVOCATUS PRÆCIPUUS; ad quem spectat, ne eam aliquibus patiatur insidiantium procellarum fluctibus illidi, & quietam faciem tempestatis insolito timore turbari, & præsertim obedientiam nostram, per omnia & singula præmissa, & alia plurima, quæ calamus non capit, attentata, & præsumpta, in suoque prætenso Conciliabulo, per se & eos, qui in eo confluunt, & conveniunt, verisimilter, ut timetur, licet nulliter, & de facto, attentanda & præsumenda; dictumque Dominum meum, Serenissimum Dominum Regem Romanorum, & jus suum, & quoslibet Romanæ Ecclesiæ, & Sacri Romani Imperii fideles, & præcipue Status, Honores, & Jura Regum, Principum & Prælatorum, communitatum, ac personarum tam Spiritualium, quam sæcularium, cujuscumque status, conditionis, vel sexus exsistant, præsertim eorum, qui hactenus fuerunt de obedientia Domini Gregorii, & suorum Prædecessorum, multipliciter læsa esse, vel saltem lædi & gravari posse quomodolibet in futurum; ne etiam præfatus Serenissimus Romanorum Rex per dictos olim Cardinales & Anticardinales, ac eorum Concilabulum, nulliter, & de facto attentata, fienda, & præsumenda, aut ipsorum aliqua, in præjudicium Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sacrique Romani Imperii, sive Regni, Regum, Principum, Prælatorum, communitatum, ac personarum, sive Spiritualium, sive regularium, atque prædictorum ejusdem Ecclesiæ, & Sacri Romani Imperii sive Regni subditorum quorumcunque, aliquatenus videatur approbare, aut in ea vel ipsorum aliquod consentire quovis modo, & volens ne dum contra præterita

rita illata, ac præsentia gravamina, quæ fortassis inferuntur, sed & contra futura, licet nulliter & de facto, inferenda juris Beneficiis, dictum Dominum nostrum Romanorum Regem, Sanctam Romanam Ecclesiam, Sacrum Imperium Romanum, sive Regnum, omnes & singulos supra nominatos defendere, & juvare a præmissis omnibus & singulis, & aliis gravaminibus quibuscumque illatis & inferendis, comminatis, & comminandis, & omnibus sequelis, seu illis, quæ elici poterunt quomodolibet ex eisdem, vel eorum altero, communiter, vel divisim; pro dicto Serenissimo Domino Romanorum Rege, & pro aliis Regibus, Principibus, Prælatis, communitatibus, personis privatis, Spiritualibus vel sæcularibus, & aliis quibuscunque præsenti appellationi adhærentibus, seu adhærere volentibus; nec non a dictis olim Cardinalibus, Anticardinalibus, conventiculo, atque conciliabulo per eosdem convocato, vel in posterum convocando, contra ipsos, & quemlibet ipsorum adhærentium eis, atque suum conciliabulum, seu conventiculum ingredientium, seu approbantium; quod cum de jure, & bona æquitate & ratione possum, & debeo, & ipse præfatus Serenissimus Princeps Dominus meus Romanorum Rex potest & debet; ad Dominum nostrum Jesum Christum, sponsum & caput præcipuum Ecclesiæ militantis, Judicem vivorum & mortuorum, nec non ad generale Concilium legitime, rite & Canonice atque debite convocatum, seu convocandum, in iis scriptis procuratorio nomine, quo supra, provoco, & appello: Apostolos peto primo, secundo, tertio, instanter, instantius, instantissime, si quis sit, qui eos mihi dare possit, velit, aut valeat: protestans, quod hac appellatione seu provocatione pendente, contra præfatos, sanctam Romanam ac universalem Ecclesiam, & Serenissimum Dominum meum Robertum Romanorum Regem, ceterosque Reges, Principes, Prælatos, communitates, personas spirituales, & seculares, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & Romani Imperii subditos, præsenti appellationi, & dicto Romanorum Regi adhærentes, seu adhærere volentes nihil omnino debeat attentari.

Submitto nihilominus ego *Conradus Procurator* nomine procuratorio quo supra, Domino nostro Jesu Christo, & *futuro generali Concilio* rite, legitime atque Canonice convocato, vel convocando, prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jura, privilegia, honores, bona, immunitates, & libertates, atque ejusdem Ecclesiæ, dictique Domini *Roberti* Romanorum Regis constituentis, Domini nostri, aliorumque Regum, Principum, Prælatorum, communitatum, personarum, atque Ecclesiæ & *Imperii* subditorum ac fidelium, omniumque & singulorum sibi, & præsenti suæ appellationi adhærentium, vel adhærere volentium, omnia atque singula bona præsentia & futura, cum protestatione minuendi, corrigendi, immutandi, facti substantia non mutata, & alias prout est moris, cum protestatione etiam intimandi, insinuandi, & publicandi, ubi, quando, quibus, & quoties videbitur expedire.

Raynaldus in Annal. Ecclesiast. No. 19. 20. *& seqq. ad ann.* 1409.

Harduinus Tomo VIII. Concil. pag. 120. *Dacherius eandem refert.*

In Sessione *VII.* Concilii Pisani Petrus de Ancharano, Ictorum ea ætate Princeps, objectis ab Episcopo Verdensi & Conrado de Susato Sess. IV. respondit.

Refert Mansi Tom. III. Supplem. Concil. pag. 1099. *ex codice MS. Bibliothecæ Majoris Ecclesiæ Lucensis inter Felinianos codices, ipsamet manu Petri Ancharani scripto. Dacherianâ & Labbeanâ non tantum plenior, sed & sincerior est relatio Mansiana.*

CONCILIO PISANO interfuerunt ex Germania Episcopi, Duces, Comites, Doctores infrascripti Anno MCCCCIX.

MCCCCIX. 28. Martii comparuerunt Pisis Venerabiles Viri D. D. Sebastianus Decanus, & Nicolaus Warat Canonicus Ecclesiæ Brixiensis, (a) & Gregorius Zihorandi Secretarii RR. in Christo Patris D. Ulrici, Episcopi Brixiensis, Procuratores pro eodem.

MCCCCIX. 30. Martii R. in Christo Pater D. Joannes, Episcopus in universali Ecclesia, & nobilis vir Franciscus Panthira, & D. Andreas de Morciculis, in jure civili Licentiatus, & venerabilis vir Odoricus de Nucussii, Canonicus Civitatensis, nomine R. in Christo Patris Antonii, *Patriarchæ Aquilegensis.*

Eodem die D. Enricus Honberch, Decretorum Doctor, & Caripiens (*forte* Chori-Episcopus) Ecclesiæ Trajectensis, procuratorio nomine D. Friderici Episcopi Trajectensis.

10. Aprilis D. D. Magister Geraudus Ronde, sacræ Theologiæ Professor, Lambertus de Stipite, Decretorum Doctor, Egidius de Vilaninoniæ (b) in utroque jure, Andreas Zanderman (c) in Legibus, & Paulus de Doctingen etiam in utroque jure Licentiatus, procuratorio nomine D. Electi *Leodiens.* Supradicti Ambasiatores Capituli, Ecclesiæ & Diœcesis Leodiensis procuratorio nomine omnium Prælatorum sæcularium & religiosorum Leodiensium.

Eodem die Stephanus, Abbas Monasterii de Caritate, Ordinis Cisterciensis, Bisuntinæ Diœcesis, Sacræ Theologiæ Professor, promotus per Benedictum XIII. die 7. Idus Octobris A. MCCCC.

13. Aprilis Martinus, Episcopus Atrebatensis, promotus per Benedictum XIII. die VIII. Kal. Decembris A. MCCCCVII. Indict. X.

Idem pro Abbate Montis Stingilli, Ord. S. Augustini, Diœc. Atrebatensis, pro Capitulo Atrebatensi.

Petrus Candent (Guidonis *Labb.*) Legum Doctor, & Cancellarius Ducis Brabantiæ. Joannes, Abbas Monasterii S. Petri de Gemlois, Ordinis S. Benedicti, Leodiensis Diœcesis. Otto, Abbas Monasterii S. Mariæ de Zongerloo (Tongerloe) Ordinis Præmonstrat. Cameracens. Diœcesis. Amandus de Bremmonte, Licentiatus in sacra pagina. Magister Ganfredus de Zichen, Magister artium, & Licentiatus in Legibus. Jacobus de Thurnhout, Magister artium, & Licentiatus in legibus, procuratorio nomine Illustris Principis D. Ducis Bramantiæ (Brabantiæ)

Eodem die Abbas Monasterii S. Petri de Gemlois (Gemblour) Ordinis S. Benedicti, Leodiensis Diœcesis.

Eodem die Abbas Monasterii B. M. in Villers, Ordinis Cisterciensis, Leodiensis Diœces.

Eodem Joannes, Abbas Monasterii S. Mariæ de Tongerloe, Ordinis Præmonst. Cameracensis Diœcesis, promotus per Bonifacium IX. anno nono Pontificatus, MCCCC.

17. Aprilis Venerabilis Vir Fridericus Deys, Decretorum Doctor, Decanus Paderbornensis, nomine Everhardi, Archi-Episcopi Saltzburgensis: item pro Ulrico, Episcopo (d) Raventinensi: item pro Eugilmaro, Episcopo Creonensi.

Eodem F. Petrus, Procurator Ordinis B. M. Teutonicorum, Procurator Magistri Generalis sui Ordinis.

19. Aprilis D. Joannes Nam, Juris utriusque Doctor, procuratorio nomine Conradi, Electi Olomucensis. Item idem Joannes Electus, procuratorio nomine pro Capitulo Ecclesiæ Pragensis.

20. Aprilis Venerabiles Viri D. D. Joannes, Abbas Monasterii Cæsariensis (Kaysheim) Ordinis Cisterciensis, Augustensis

(a) Brixinensis *habent excusi, annotante Mansio.*
(b) de Tomalintuë, *Labbe.*
(c) Sudemian, *Labbeo. Ughello:* Dordemian,
(d) *forte:* Laventinensi.

ſtenſis Diœceſeos. Fridericus Deys, Decretorum Doctor, Decanus Paderburnenſis. Joannes de Miſſen, Canonicus Eccleſiæ B. M. veteris capellæ Ratisbonenſis, procuratorio nomine pro Joanne, Epiſcopo Ratisbonenſi.

22. Aprilis Joannes, Epiſcopus Lubicenſis, promotus per Bonifacium IX. die VIII. Kal. Octobris, Pontificatus anno IX. anni MCCCXCVII. Idem Joannes, nec non Venerabiles Viri Theodoricus, Decanus Eccleſiæ Stendalienſis, & Joannes, Præpoſitus Tangermundenſis, Licentiatus in Decretis, ut Ambaſiatores Illuſtris & Excellentis D. Jodoci, Marchionis Brandenburgenſis, Archi-Camerarii S. R. I. & Marchionis Moraviæ.

Eodem die Dominicus Parvi de Varenis, S. Theologiæ Magiſter, Procurator Henrici, Epiſcopi Tullenſis.

23. Aprilis Ludolphus, Abbas Monaſterii Saganenſ. Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Uratislavienſis, promotus.....

Eodem die idem Abbas cum D. Nicolao Barſmez, Scholaſtico, & Canonico Uratislavienſi, procuratorio nomine pro Benceslao, Epiſcopo Uratislavienſi, & Clero Capituli ejuſdem civitatis.

Eodem die Venerabiles D. D. Gerardi Rudelli, S. Theologiæ Profeſſor: Lambertus de Stipite, Decretorum Doctor: Egidius de Umalmen, U. J. D.: D. Andreas Suderman, in Legibus, & Paulus de Cloetingen, etiam in utroque Jure Licentiatus, procuratorio nomine pro Renero, Abbate S. Jacobi Leodienſi, Ordinis S. Benedicti: Henrico, Abbate Monaſterii S. Laurentii extra muros, Leodienſis Diœceſis, Ordinis S. Benedicti: Joanne, Monaſterii XII. Apoſtolorum: Bellicedius (Belli reditus) Leodienſis, Præmonſtrat. Ordinis, & Willermo, Abbate Monaſterii S. Ægidii in publico (e) Monte prope Leodium, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ſicut & pro tota Eccleſia, civitate, & Diœceſi Leodienſi, & Abbatibus Monaſterii Stabulenſis, Ordinis S. Benedicti, Leodienſis Diœceſis. Abbate Monaſterii S. Trudonis, ejuſdem Ordinis, & Diœceſis. Abbate Monaſterii S. Uberti, ejuſdem Ordinis & Diœceſis. Abbate Monaſterii S. Gerardi de Bramo (Bronio *legit Labbe*) ejuſdem Ord. & Diœceſis. Abbate Monaſterii Walcidiorenſis. Abbate Florienſi omnibus ejuſdem Ordinis & Diœceſis. Abbate Alvenſi, Ord. Ciſtercienſ. ejuſdem Diœceſis. Abbate Monaſterii Vallis S. Lamberti. Abbatis (f) Monaſterii Vallis Dei. Abbate magni Prati omnibus ejuſdem Ord. & Diœceſis. Abbate Monaſterii Floreffenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, ejuſdem Diœceſis. Abbate Monaſterii Parcenſis. Abbate Monaſterii Averbodienſis. Abbate Monaſterii Helümenſis, omnibus ejuſdem Ordinis & Diœceſis. Abbate Monaſterii novi, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Leodienſis Diœceſis. Abbate Monaſterii Flonenſis. Abbate Monaſterii Mahomenſis, utroque ejuſdem Ordinis & Diœceſis.

26. Aprilis Rodulphus Presbyter, Canonicus Eccleſiæ Cameracenſis, pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ.

28. Aprilis Magiſter Hugo de Cayen, Licentiatus in Decretis, Cantor & Canonicus Eccleſiæ Conſtantienſis, (g) pro Capitulo Eccleſiæ ſuæ.

30. Aprilis Joannes, Abbas Monaſterii S. Ghiſelmi [*forte* Ghisleni] de cella, Cameracenſis Diœceſis, Ord. S. Benedicti.

1. Maji. Joannes, nec non D. Thomas de Fraxino, Miles, & Henricus de Rheingeflutta (Rheingesslitte *Labb.*) Licentiatus in Legibus Eccleſiaſticis Eccleſiæ S. Petri Luthoſenſis, Cameracenſis Diœceſis, procuratorio nomine electus Ambaſiator Illuſtris & Magnifici Principis Guillelmi Ducis de Bavaria, Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ Comitis.

4. Maji advenerunt Venerabiles Viri Franciſcus, S. Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum, & Petrus Ringer, Vice-Cancellarius venerabilis ſtudii Viennenſis, procuratorio nomine pro Erneſto, Duce Auſtriæ, & Studio ſuo Viennenſi.

(e) pulchro Monte, *alia Lectio*.
(g) *forte:* Conſtantienſis in Normannia.

(f) *fors:* Abbate

7. Maji

7. Maji Magister Fridericus Rocardi, Præpositus Ecclesiæ Hayngenstadensis (Heiligenstadensis *lego*) Maguntinæ Diœcesis, & Canonicus Ecclesiæ Warmensis, procuratorio nomine pro Arnoldo, Episcopo Culmensi, & pro Capitulo Ecclesiæ Culmensis, & pro Joanne, Episcopo Pomenzanensi (Pomesaniensi *lego*) & ejus Capitulo, sicuti pro Capitulo Ecclesiæ Warmensis, & Ecclesiæ Sambiensis.

Eodem die Venerabilis Vir Nicolaus Lubich, Decanus Ecclesiæ B. M Erphordiensis, Proto-Notarius, & Secretarius Illustrium Principum Friderici, & Guillelmi Germani, Landgravii Thuringi, Marchionum Misnensium, Comitum Palatinorum Saxoniæ, procuratorio nomine, & ut Ambasiator ipsorum.

Eodem die Venerabiles D. D. Godefridus Liveghen (de Leiningen *puto*) Præpositus Moguntinensis, & Thesaurarius Ecclesiæ Coloniensis Theodoricus de Minse, (Mœrsa *lego*) Præpositus Bonnensis, & Archi-Diaconus Ecclesiæ Colon. Comes. Joannes de Linepe, (*g*) Subdiaconus Ecclesiæ Coloniensis. Henricus Vesterholtz (*h*) J.U.D. Auditor sacri Palatii, & Decanus Ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis. Hugo de Heynort (*i*). Christianus de Eripilis (Erpell) Legum Doctor, Canonicus S. Cassii Bonnensis, Colon. Diœcesis. Balduinus de Diche, Canonicus S. Andreæ Colon. ut Ambasiatores & Procuratores Friderici Archi-Episcopi Coloniensis, Sacri Imperii Electoris, & Archi-cancellarii per Italiam

Eodem die Petrus, Episcopus Cameracensis, promotus anno MCCCCV.

Eodem die Joannes, Abbas Monasterii Tongarensis, Ordinis Præmonstrat. Cameracensis Diœcesis.

Eodem die Ægidius, Episcopus Constantiensis, promotus anno MCCCCVII. pro se, & Michaele, Abbate Monasterii S. Salvatoris, Vice-comitis, Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Constantiensis, & pro Guillelmo, Abbate Monasterii Beatæ Mariæ de Bombayo, ejusdam Ordinis & Diœcesis, sicut & pro Joanne, Abbate S. Laudi de S. Laudo, Ordinis S. Augustini, Constantiensis Diœcesis.

8. Maji Joannes de Torrano, Cantor, & Canonicus Ecclesiæ Metensis, pro Capitulo Ecclesiæ Tullensis.

9. Maji Joannes de Tornato, Cantor, & Simon de Fraudi, Canonici Ecclesiæ Metensis, procuratorio nomine pro Rudolpho Episcopo.

Eodem Viri Venerabiles DD. Joannes Conteti, Licentiatus in Decretis, Canonicus Bisuntinus, & Joannes de Nemoribus, Secretarius Cardinalis Salutiarum, procuratorio nomine pro Archi-Episcopo Bisuntino.

Die 16. Maji Venerabiles Viri D. Joannes Kempen, Præpositus Ecclesiæ S. Bartholomæi Francfordiensis, Moguntinæ Diœcesis. Philippus Flach, Canonicus Moguntinus. Henricus Heverfels (Herenfels *Labb.*) Decretorum Doctor, Præpositus Ecclesiæ S. Victoris extra muros. Conradus Ovels, Decanus B. Mariæ ad Gradus Moguntinensis. Vest, Præpositus Jetheburfis, ut Ambasiatores Joannis Archi-Episcopi Moguntini, Imperii Electoris, & ejusdem per Germaniam Archi-Cancellarii.

Eodem Venerabiles Viri Henricus de Croule, Licentiatus in Decretis, Canonicus Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Yvodio Consiliarius, & Exesulus de Vealdrefinga, Pastor in .... Tevevensis (*l*), Capellanus, Ambasiatores procuratorio nomine pro Carolo Duce Lotharingiæ & Marchion.

17. Maji. Advenerunt Pisas Hemyngus de Valde, miles, procuratorio nomine Ambasiator D. Bugguzlani (Buggusiai *lego*) Ducis Stetinensis, Lomeraniæ, Salvæ, (*m*) Cassuriæ Principis Raywart.

Die 19. Maji. Joannes de Goch, Præpositus Ecclesiæ S. Sebastiani Magdeburgensis, Apostolicæ Cameræ Clericus, procuratorio nomine, & ut Ambasiator Guntherii Archi-Episcopi Magdeburgensis, & pro excelsis Prin-

(*g*) Lennep. (*h*) Westerholtz. (*i*) Heinott.
(*l*) Treverensis Diœcesis. (*m*) Slaviæ, Cassubiæ.

Principibus Henrico, & Gunthero Fratribus Comitibus de Schwartzemburg, ficut & pro Waltero Epifcopo Merfeburgenfi.

Die 27. Maji. RR. D. Venceslaus, Patriarcha Antiochenus, & Thuno (n), Epifcopus Mifnenfis, & Magnificus, & Excelfus D. Benefinus, Baro Regni Bohemiæ Regis Romanorum, & Bohemiæ comparuerunt in dicto Concilio Pifano. Item dicti Ambafiatores præfentarunt literas Dominorum Cardinalium ex parte Regis Hungariæ, quod propter nonnullas caufas Ambafiatores fuos ad hoc facrum Concilium generale mittere non poterat, fed quod Frater fuus Rex Romanorum & Bohemiæ fuos mittebat folemnes Ambafiatores, & quod ipfe a voluntate dicti Fratris fui deviare non contendebat.

Eodem 27. Maji. Timo, Epifcopus Mifnenfis, promotus a Bonifacio IX. die III. non. Decembris, Pontificatus X. Chrifti MCCCXCVIII. indict. 6.

Die 29. Maji. Venerabiles Viri Andreas de Bohemita Libenda, S. Theologiæ Profeffor, & Herobaldus Zolobold, Baccalaureus, in S. Theologia Artium Magiftri, procuratorio nomine pro Univerfitare Studii Pragenfis.

(n) Thimo.

Die 3. Junii. Venerabilis Vir M. Simon Gileti, Baccalaureus in legibus, Canonicis Laudonenfis, procuratorio nomine. . . Joannis, Epifcopi Wirdunenfis, ejufque Capituli.

13. Junii. Joannes de Montani, Rector Parochialis Ecclefiæ S. Udalrici extra muros novæ civitatis Saltzburgenfis Diœcefis, procuratorio nomine pro Conrado, Epifcopo Gurcenfi.

Eodem Fridericus Deys, Decretorum Doctor, Decanus Paderbornenfis, procuratorio nomine ut Ambafiator Illuftris Principis D. Joannis Maynardi, Palatini Carinthiæ, & Comitis Goritiæ & Tirolis.

Hactenus Manfi Tom. III. Supplementi Concilior. pag. 1060. ad pag. 1088. ex codice Regio MS. Taurinenfi præ Catalogis vulgatis a Coffartio, Labbeo, Martenio, & Ughelliano, veluti pleniore & in multis accuratiori.

CONCILIUM PRAGENSE
SUB SBYNKONE ARCHI-EPISCOPO.
Anno Chrifti MCCCCVIII. Gregorii XII. Papæ II. Ruperti Reg. roman. IX.
SUMMA. Damnatio XLV. articulorum Wicleffi.

Hoc anno SBINKO, Pragenfis Archi Epifcopus, cum animadvertiffet *Wicleffi* hærefes a *Joanne Hufs*, ab Oppido, quod *Anferem* fonat, ita dicto, diffeminari, *celebrem Synodum coegit*, in qua quadraginta quinque articulos Wicleffi, *Londini*, (a) & *Oxoniæ* (b) in *Anglia*, in Gallia *Parifiis*, & Romæ ab *Urbano VI.* damnatos, etiam in Bohemia *Pragæ* damnavit. Ut vero ex Anglia in Bohemiam Wicleffi hærefis, miferando Regno exitium allatura irrepferit, quive ii fuerint articuli, quorum primus affirmat Subftantiam panis manere in Sacramento, tertius negat præfentiam Chrift. in Euchariftiæ Sacramento, & fextus debere Deum parere dœmoni, ait; defcribit Joannes Coclæus ex vetuftis monumentis hifce verbis:

Factum eft, ut poft mortem ipfius, nimirum Wicleffi, *quidam ex Difcipulis ejus, nomine Petrus Payne, Anglus, Pragam cum libris illius profugerit, Regnante Wenceslao, ea forfitan occafione permotus, quod ante eum Bohemus quidam, genere Nobilis ex domo, quam* Putridi Pifcis *vocant, apud Oxoniam in litterarum ftudio conftitutus, libros Wicleffi, quibus titulus eft:* De univerfalibus realibus, *inde in Patriam fecum retulit, veluti pretiofum thefaurum, quos Pragæ diverfis tranfcriptionibus multis homi-*

(a) Anno 1382. (b) Anno 1382.

hominibus communicavit, & juxta nomen suum putridi hæretici lethale virus civibus suis infudit. Communicavit vero libros illos iis potissimum, qui Theutonicorum (uti refert Æneas) *odio tenebantur; uti illi per nova dogmata vexati, Academiam Pragensem, in qua prævalebant, Bohemis regendam discedentes relinquerent. Prius-quam tamen invaluisset lues illa vulgo apud multos, Doctores, & Magistri Almæ Universitatis Pragensis, qui jam acceperant, multos Joannis Wicleffi articulos publice damnatos fuisse non solum in Anglia per Concilium Provinciale, & per Universitatem Oxoniensem; verum etiam Romæ in Concilio Generali, & Parisiis a celeberrima Facultate Theologica; proposuerunt & ipsi quadraginta quinque articulos Wicleffi publice examinandos sub hoc verborum tenore:*

XLV. Articuli JOANNIS WICLEFFI.

I. SUbstantia panis materialis, & similiter substantia vini manent in Sacramento Altaris post consecrationem.

II. Accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento Altaris.

III. Christus non est in eodem Sacramento identice, realiter, & in propria essentia corporali.

IV. Si Episcopus vel Sacerdos existat in mortali peccato; non ordinat, non conficit, nec baptizat, nec consecrat.

V. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

VI. Deus debet obedire diabolo.

VII. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

VIII. Si Papa sit præscitus & malus, & hinc membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.

IX. Post Urbanum VI. non est alius recipiendus in Papam, sed vivendum more Græcorum sub legibus propriis.

X. Contra Sacram Scripturam est, quod Viri Ecclesiastici habeant possessiones.

XI. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum excommunicatum a Deo.

XII. Excomunicans Clericum, qui appellavit ad Regem & consilium regni, eo ipso est traditor regni.

XIII. Illi, qui dimittunt prædicare, sive verbum audire propter excommunicationem Prælati, sunt excommunicati, & in die Judicii traditores Christi habebuntur.

XIV. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam, sunt excommunicati.

XV. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

XVI. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia, & possessiones ab habitualiter peccantibus.

XVII. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

XVIII. Decimæ sunt meræ eleemosynæ, & Parochiani propter peccata possunt eas ad libitum auferre.

XIX. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus.

XX. Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.

XXI. Si aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observanda mandata Dei.

XXII. Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

XXIII. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana.

XXIV. Fratres tenentur per labores manuum victum acciperre, non per mendicitatem.

XXV. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis in temporalibus obvenientibus.

XXVI. Oratio præsciti nihil valet.

XXVII. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

XXVIII. Confirmatio juvenum Clericorum, ordinatio locorum & consecratio reservantur Papæ, & Episco-

pis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

XXIX. Univerſitates, ſtudia, graduationes, Collegia & magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.

XXX. Excommunicatio Papæ, vel alterius Prælati, non eſt curanda, quia eſt cenſura Antichriſti.

XXXI. Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

XXXII. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

XXXIII. Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam ditando.

XXXIV. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare Verbum Dei abſque Apoſtolicæ ſedis vel Epiſcopi auctoritate.

XXXV. Ingredientes aliquam religionem eo ipſo ſunt inhabiles ad obſervanda Divina præcepta, & perveniendum ad Regnum Cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

XXXVI. Papa cum omnibus Cardinalibus, & Clericis poſſeſſionem habentibus, ſunt hæretici, & laici iſtis conſentientes.

XXXVII. Eccleſia Romana eſt Synagoga Sathanæ.

XXXVIII. Credere indulgentias eſt fatuum.

XXXIX. Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeductivæ a fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui eis ſtudent.

XL. Imperator & ſeculares ſunt ſeducti a diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

XLI. Electio Papæ a Cardinalibus, eſt per diabolum introducta.

XLII. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſummam inter alias Eccleſias.

XLIII. Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & civilia commercia.

XLIV. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & introierunt religiones.

XLV. Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt a diabolo.

Quos quidem articulos rite & legitime examinatos, generali ſententia uno ore & communi omnium conſenſu per ſolemne Decretum condemnarunt Doctores, & Magiſtri Academiæ Pragenſis anno Domini MCCCCVIII.: cujus rei teſtem ocularem produco M. Joannem Przibram Bohemum, qui cum multis annis inter Huſſitarum Doctores fuerit unus de præcipuis, reſipiſcens tamen poſtremo acerrime Wicleffiſtas impugnavit, atque etiam ex propriis Wicleffi verbis confutavit, & convicit.

Cochlæus Lib. I. de Hiſtoria Huſſitarum. inde Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. ad h. a. N. 69.

Teſtimonium de *Univerſitatis Pragenſis ſententia* contra Wicleffum hic prolata a Joanne de Przibram, qui primo Huſſitis favit, poſt ejuratis erroribus Huſſi, contra eundem ſcripſit & dimicavit Catholicus: "Profiteor toto animo, quod Decretum & Senten-
" tia *in Congregatione Doctorum, Magiſtrorum*, & totius Nationis Bohemicæ circa an-
" num Domini MCCCCVIII. facta in Univerſitate Pragenſi in domo nationis ad ni-
" gram Roſam, Magiſtro Joanne HUS, tanquam principali in eadem præſente &
" conſentiente, & ME illic etiam præſente & coaſſiſtente, eſt in hoc de tanto juſta
" rationabilis atque vera, de quanto omnes & ſinguli unanimiter nullo penitus con-
" tradicente decreverunt." &c.

Ex Cochlæi L. I. citato de Hiſtoria Huſſitarum.
Raynaldus Loc. cit.

Archi-Epiſcopus Sbinko, motus querelis Doctorum, & Literis, Vir conſilio & animo illuſtris . . . munitus ad hoc Sedis Apoſtolicæ auctoritate, veluti Legatus, & Commiſſarius, convocatis Doctoribus, juſſit ad ſe ferri Libros Wiclephi. Quibus ſane allatis, Doctorum conſilio & examine fretus, omnes illos ignibus adjudicavit. Supra 200. Volumina fuiſſe, ait *Æneas Sylvius*.

Cochlæus Lib. I. Hiſtor. Huſſitar. pag. 17.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA HERBIPOLENSIS,

A JOANNE AB EGLOFFSTEIN EPISCOPO CELEBRATA Anno Christi MCCCCXI. Joannis XXIII. Papæ II. Sigismundi Reg. Roman. II.

STATUTA VII.

JOHANNES, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS HERBIPOLENSIS; UNIVERSIS CAPITULIS, CONVENTIBUS, ATQUE CLERO REGULARI, ET SÆCULARI, PER NOSTRAS CIVITATEM ET DIOECESIM HERBIPOLENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO, ET PRÆSENTIUM REPETITÆ LECTIONIS INCONVULSAM NOTITIAM ET OBSERVANTIAM.

CUm die data præsentium, *in sacra Herbipolensi Synodo* quasdam constitutiones super certis articulis duxerimus promulgandas, Universitati vestræ per hæc scripta præcipimus & mandamus, quatenus eis, quas sub Sigillo Vicariatus nostri vobis transmittimus, uti velitis inantea, easque sub suis certis Titulis Synodalibus nostris institutis, quæ olim, sub prima nostra Synodo per Nos celebrata, debite compilavimus, collocare.

I. *De Immunitate Ecclesiarum.*

Olim, ut infra limites non solum Archidiaconatus illius, infra quem Clericum in sacris Ordinibus constitutum, aut Religiosum aliquem temere capi, sed etiam Archidiaconatus illius, ubi ipsum detineri constiterit, ut ipso facto cessetur a Divinis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, statuit sacrum Concilium Moguntinum, ac etiam Statutum Synodale: verum quia Concilium & Statutum hujusmodi nonnunquam neglectum est observari ab illis, in quorum favorem dinoscitur statutum; factum est, ut sæpe morte conterantur, velut vasa testea, Filii Syon incliti, & sicut ovis ad occisionem reputantur ab impiis Ecclesiæ filii & Prælati: Nos igitur multa deliberatione præhabita, de consensu Prælatorum atque Cleri, Nobis in hac sacra Synodo assistentium, non solum Concilium & Statutum ipsa approbamus, verum etiam ipsa innovamus, ac ipsis duximus adjungendum, ut & ipsa sub suis pœnis, sententiis, & censuris etiam instituta forma contra Ecclesiasticarum rerum spoliatores & Clericorum in morte deprædatores, per omnia inviolabiliter, postquam de captivatione, spoliatione, detentione aut deprædatione constiterit evidenter, infra limites Archidiaconatuum supra descriptorum, nullo alio mandato desuper exspectato observentur. Hoc insuper pro majori Ecclesiasticæ libertatis tutela, dictorumque criminum repulsa sub eisdem pœnis & sententiis firmiter statuimus & mandamus, quod in nulla Ecclesia, neque Cathedrali, neque Collegiata, nec etiam Monasterio aliquo Ordinis S. Benedicti, filii aut nepotes ipsorum, qui Clericum aliquem in sacris, ut præfertur, constitutum, aut Religiosum temere captivaverit, aut captivatum detinuerit, vivum aut mortuum spoliaverit; quovis modo, in Canonicos recipiantur, aut in fratres.

II. *De Parochis.*

Quamquam a sacris Canonibus dudum fuerit institutum, ut Rectores Parochialium Ecclesiarum infra unius anni spatium ad Sacerdotium teneantur promoveri; plerique cortici verborum textus juris inhærentes, Sacramentalem ordinem recipiunt, sed officium ordini ipsi adnexum differunt exercere: Nos igi-

igitur attendentes, quod ſacri Canones non verba, ſed mentem amplectantur, ſacra approbante hac Synodo ſtatuimus & ordinamus; quod Rectores Eccleſiarum Parochialium ſinguli noſtræ civitatis & Diœceſis poſt receptionem ſacri Sacerdotii, infra unius anni ſpatium ſuſceptionis ordinis hujuſmodi immediate ſubſequentis, hoc Sacerdotale officium cum Miſſarum celebratione teneantur debite exercere, ipſumque fideliter diebus, quibus vixerint contiuuare, niſi deſuper per Nos, aut Succeſſores noſtros ex cauſa, quam Nos aut Succeſſores noſtri duxerimus aut duxerint, ſeu ſaltem ducere debeamus vel debeant reputare, cum eiſdem fuerit diſpenſatum, alioquin ipſos, Eccleſiis Parochialibus ſic ſuſceptis privatos eſſe volumus eo ipſo.

III. *De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.*

Quamvis per Statuta tam Canonica, quam Synodalia, concubinæ Clericis ſint gravibus ſub pœnis interdictæ; nonnulli tamen lumbos continentiæ non præcingentes, focarias ſeu mulierculas cauſa concubitus nutriunt atque fovent; univerſis Decanis tam Cathedralis noſtræ Eccleſiæ, quam Collegiatarum, nec non Ruralium Capitulorum, aut eorum vices gerentibus, diſtrictius præcipimus & mandamus; quatenus infra unius menſis ſpatium a die data præſentium immediate ſubſequentis, concubinas & focarias hujuſmodi a ſuis ſubditis penitus rejiciant & expellant, alioquin ſanguinem ipſorum de ſuis manibus requiremus. Si vero quiſquam Decanis aut vicem gerentibus eiſdem rebellis fuerit, ipſum Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario infra eundem terminum Decanus ipſe ſignificet rebellantem: a Nobis tamen per commiſſionem præſentium, Poteſtatem procedendi contra concubinarios iſtiusmodi nullatenus abdicamus, nec tamen per proceſſum ipſum, ſi quem (*a*) Nos aut noſtrum Vicarium in Spiritualibus forſitan haberi contigerit, commiſſionem ipſam intendimus aliquatenus revocare, niſi de revocatione ipſa in noſtris inde faciendis litteris mentio fieret.

(*a*) *ſupple*: per

IV. *De Religione & Veneratione Sanctorum.*

Ne in debita veneratione Sanctorum quiſquam noſtræ civitatis & Diæceſis a noſtra majori Eccleſia valeat deviare; Feſtivitates per anni circulum per populum Nobis ſubditum ſolempniter celebrandas & quas ab olim ipſa noſtra Eccleſia & populus civitatis ſolempniter celebravit, præſentibus duximus annectendos, mandantes, quatenus Feſtivitates ejuſmodi, & nullas alias ſine noſtra ſpeciali auctoritate & licentia noſtro populo celebrandas aliquatenus, de cœtero indicatis: Feſtum videlicet, Nativitatis Domini noſtri. Sancti Stephani Prothomartyris. S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ. Sanctorum Innocentium. Circumciſionis Domini. Epiphaniæ Domini. Purificationis ſanctæ Mariæ. Sancti Matthiæ Apoſtoli. Annuntiationis ſanctæ Mariæ. Reſurrectionis Dominicæ. Sancti Marci Evangeliſtæ, ante prandidium. Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum. Inventionis ſanctæ Crucis. Aſcenſionis Domini. Pentecoſtes cum tribus diebus ſequentibus. Sanctæ Trinitatis. Corpus Chriſti. Sancti Viti Martyris. Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ. Viſitationis ſanctæ Mariæ. Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Sancti Kiliani. Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Sancti Jacobi Apoſtoli. Sancti Laurentii Martyris. Aſſumptionis ſanctæ Mariæ. Nativitatis ſanctæ Mariæ. Conceptionis ſanctæ Mariæ. Sancti Bartholomæi Apoſtoli. Sancti Mathæi Apoſtoli. Sancti Michaelis Archangeli. Sancti Burchardi. Sanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum. Omnium Sanctorum. Sancti Martini Epiſcopi. Sanctæ Eliſabethæ Viduæ. Sanctæ Katharinæ Virginis. Sancti Andreæ Apoſtoli. Anniverſ.rius Dedicationis & Feſtivitatis cujuslibet Eccleſiæ Patroni. Dies quoque Dominicæ ſingulæ per anni circulum occurrentes.

V. *De Statu Monachorum.*

Quia Religioſi habitum ſuæ Religionis non deferentes excommunicati ſunt ipſo jure, plurimi de Ordine ſancti Benedicti ſine ipſo incedunt; quapropter & nos ipſis a Divinis interdicimus. Volumus autem, ut ipſi inantea habitum ſuum Religioni ſuæ congruum deferant, ſub-

ſubſtantialia quoque Regulæ & Religionis obſervent; alioquin per Clerum noſtræ civitatis & Diœceſis, præſenti Synodali ſanctioni non parentes, in Divinis & extra mandabimus evitari.

VI. *De Decimis.*

Licet omnis Chriſtianus ad Miſſarum ſolempnia aliquid Deo offerre teneatur, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moyſen dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, in præcipuis tamen Dei & Sanctorum Feſtivitatibus per anni circulum occurrentibus, quas juxta noſtræ Eccleſiæ longævam conſuetudinem VII. fere cenſemus: Nativitatis videlicet Domini noſtri Jeſu Chriſti. Paſchæ & Pentecoſtes. Nativitatis ſanctæ Mariæ. Purificationis. Annuntiationis. Aſſumptionis. Ad oblationes & offertoria omnes & ſingulos noſtros ſubditos in ſuis Parochialibus Eccleſiis Sacerdotibus ſuis Curatis teneri præſentibus declaramus, ſtatuendo.

Præterea decernimus & diſtrictiſſime injungimus, & mandamus, ut ſinguli Eccleſiarum Rectores in prædictis ſeptem Feſtivitatibus ſtatuta ſupraſcripta, contra ſpoliatores & captivatores Clericorum edita, ſuo pronuntient de ambone, ne ipſi prætextu ignorantiæ eorundem ſe valeant aliquatenus excuſare.

Decimas ſacri Canones jubent ſine diminutione, & ſine expenſarum deductione Clericis exſolvi, ideoque mandamus, quatenus ipſas de fructibus ſtatim, cum collecti fuerint, & non deductis expenſis cum integritate plenaria exſolvant.

VII. *De Accuſatione.*

Poſtremo, quia ad morum correctionem, & controverſiarum diſſolutonem ſemel ad minus in anno Epiſcopalem Synodum ſacri Canones celebrari præceperunt, ſtatuimus & ordinamus: ut ſingulis annis deinceps, anno immediate ſequenti dumtaxat excepto, omnes & ſinguli Prælati, & Decani rurales, adjunctis ſibi de Clero ſibi ſubdito duobus aut tribus viris idoneis & honeſtis, Feria quarta poſt Dominicam, qua *Jubilate* in Eccleſia Dei poſt Paſcha decantatur, pro Concilio, & de quinquennio in quinquennium dicta die generaliter omnes & ſinguli Synodo Epiſcopali intereſſe debentes, ſine nova advocatione, pro generali hujusmodi Synodo celebranda, teneantur intereſſe.

Datum Herbipoli Anno Domini MCCCCXI. menſis Octobris die XXIII. noſtri Vicariatus ſub ſigillo.

Deſcripſit Cl. Schannatus ex Codice MS. Cœnobii S. Michaelis Bambergæ.

SYNODUS PADERBORNENSIS

Anno Chriſti MCCCCXI. Gregorii XII. Papæ V. Joannis XXII. PP. II. Sigismundi Rom. Reg. II.

WILHELMUS, (*a*) Paderbornenſis electus Epiſcopus, in Abdinghoviano Sancti Benedicti Cœnobio religioſam ad diſciplinam reducendo, alterum jam in annum laboraverat multo quidem ſtudio, ſed fructu nullo: cum Abbas ac Monachi omnibus Epiſcopi monitis publicis, privatisque non ſolum contumaciter reſtitiſſent, ſed Clerum inſuper & plebem adverſus Epiſcopum concitaſſent. Tandem cum Epiſcopus poſt Eccleſiaſticas adhibitas cenſuras, carceres etiam contumacibus intentaſſet; Monachi cum Clericis, laicisque iram omnem odiaque verterunt in Eccleſiaſticum Epiſcopi Judicem, tanquam motuum horum incentorem (erat is Gobelinus Perſona, ex cujus Coſmodromio hæc excerpſimus) eundemque, tentata etiam vita, inſperſo cibis veneno, graviſſimis injuriis afflixêre. Quare hic " *in Epiſcopali Synodo* (inquit Gobelinus) " *coram Clero ibidem congregato* de inſecu- " ritate Perſonæ ſuæ, propter machina- " tiones in mortem ejus attentatas, pro- " teſtans, de ſpeciali mandato Domini " Electi, Curiam Epiſcopalem cum jurisdi-

" risdictione sua, ad oppidum Bilfelde, " Diœcesis Paderbornensis, ipsi Domino " Electo de jure Patrimoniali pertinens, " transferebat."

Gobelinus Persona Cosmodrom. Cap. XCII. Schatenus Annal. Paderborn. P. II. L. XV.

(a) Wilhelmus, Dux Montium, anno MCCCXCIX. à Paderbornensi Collegio Cathedrali una consensione electus Episcopus, cum Bertrando de Arvassanis Canonico Ravennatensi, quem Pontifex Bonifacius IX. Episcopum nominaverat, plus anno integro de adeunda Episcopatus possessione disceptavit: ad quam dein anno MCCCCI. Prid. Id. Martii, e Papæ, Bernardum in Italiam revocantis, consensu, admissus fuit. Præfuit Ecclesiæ Paderborn. usque ad annum MCCCCXVI. quo dum pro obtinenda Metropolitana Coloniensi, ad quam anno præcedente multorum Canonicorum Coloniensium suffragiis evocatus fuerat, cum Theodorico Mörsano æmulo suo, ab altera Canonicorum parte electo, acriter decertâsset; tandem huic non Coloniensem solum Metropolim, sed Paderbornensem etiam Episcopatum cessit anno MCCCCXVI. Et cum Majoribus initiatus nondum esset, relicta sponsa sua Ecclesia, Nicolai Teckleburgensis Comitis filiam Alheidem, Theodorici Mœrsani neptem, Sponsam duxit, nuptiis Arnsbergæ 19. Februar. celebratis, præsente & procurante Theodorico Archi-Episcopo Colon. qui Paderbornensem dein Ecclesiam annis septem & quadraginta administratoris nomine tenuit, rexitque.

Tribunal Inquisitionis stabilitum MINDÆ per Vicarii Generalis Litteras, seu Mandatum Episcopale, Datum anno MCCCCXI. Indict. XIV. Mense Septemb. Die XXVIII.

NOS WILBRANDUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS MINDENSIS, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUm, proh dolor! nostra Mindensis Ecclesia quam gravissime & atrocime ob diversa & quamplura crimina, præsertim capitalia, ut puta contra naturam, homicidium, crimen læsæ Majestatis, crimen falsi, sacrilegium, conspirationem, falsum testimonium, simoniam, rasuram, nec non excessus, malitias, insolentias, scandalisationes, injuriationes, læsiones, malam vitam, inhonestatem morum, multiplicitatem vitiorum, notabilesque in sanctis moribus, aliis virtutibus, sacris Ordinibus, Divinorum Officiorum obsequiis, ac Beneficiatibus titulis, defectus personarum in ea existentium, quam diutius & incessanter in mali status dispositione, ornatu, regimine & gubernatione, bonorum amministratione, fructuum exhibitione, Divini cultus, ac inhonestis & illicitis statutis & consuetudinibus, & aliis, quasi per infinitum corruptibiliter in capite, & in membris sint, & malignizata, scandalizata, & dehonestata, & injuriata, & per minimum læsa & corrupta, & vituperata, nec non etiam, quæ olim locus Paradisi & hortus deliciarum fuerat, & in spiritualibus Sanctius reflorere, ac in temporalibus uberius habundare consueverat, in eisdem spiritualibus & temporalibus passa fuerat, & patitur gravia detrimenta, ac in eis, quasi funditus collapsa, & collabitur, quia nisi ei celeriter succurratur, vix adjiciet, ut resurgat.

Et quia præmissa Nobis innotescunt & nota sunt, non solum ex cottidiana, clamorosa, & publica fama in dies coram clamante, Officium nostrum in civitate ac incessanter propulsante, & ad judicium Nos evocante: verum etiam ex nostra scientia sensibus corporeis per Nos palpata, & per experimenta nobis clara & notoria sunt, & insuper ea non Nobis solum, sed etiam nostris, & vicinarum partium Clero & populo clarescunt. Et cum Ecclesia quam plures Nos, & successive *Officiales* nostri de mandato nostro in *loco Capitulari ipsius Ecclesiæ* Canonicos, & ibi capitulariter tunc existentes, & Capitulum celebrantes, monuimus, & jussimus, ac juberi, ac moneri fecerimus, ut præmissa eis in genere & in specie tunc designata infra certos

tos terminos tunc expreſſos, corrigerent, & emendarent: ipſi tamen monitiones & juſſiones hujuſmodi adimplere non curarunt, neque curant. Ac videntes & experientes, quod propterea ipſa Eccleſia paupercula ſummopere tam in ejuſdem capite & membris, *Viſitationem*, & *Inquiſitionem*, & *Reformationem*, punitionem, & emendationem, relevationem, conſtitutionem, ac ulterius diſpoſitionem fructuoſe cujuscumque luna quam maxime neceſſario indigere dinoſcatur. Tenore præſentium conſtituimus & ordinamus Venerabiles Viros, Dominos, Magiſtrum *Johannem Barborch*, *Decretorum Doctorem*, *Hermannum Reynerdinck*, *Decanum S. Joannis*, Magiſtrum *Joannem Kerckhof*, Canonicum S. Martini, *Jordanum Groten*, Hamelenſem, Mindenſis Diœceſis Eccleſiarum Canonicos, ac *Joannem Plettenborch*, Notarium publicum, Clericum Colonienſis Diœceſeos, in noſtros Vicarios, & Officiales, ſpeciales & Generales &c. *Et ſic fuit inchoatum tale factum, quod ſtetit per tres annos.*

Leerbeck Chronicon Mindenſe. Edidit Leibnitzius Tomo II. Scriptor. Brunſwicenſ.

Articuli OTTONI, Havelbergenſi Epiſcopo, in MAGDEBURGENSI CONCILIO propoſiti, circa cultum prætenſi cujusdam Sanguinis Chriſti in Wilsnack.

Anno Chriſti MCCCCXII. Joannis XXIII. PP. III. Sigismundi Reg. Roman. II.

I. IN Oppido veſtro *Wilsnack* illicita fieri perhibentur in opere, ſermone, & fallacibus ſignis; & primo quidem innumerabilia & incredibilia miracula, & ſæpe quod mortui reſurgant, quorum tamen nemo viſus eſt.

II. Licet talia figmenta ſint publica, nunquam tamen audivimus aliquem veſtrorum Clericorum propter hoc eſſe punitum, ut aliis cederet in exemplum; cum tamen ſcriptum ſit: Peccantem coram omnibus arguere, ut & cæteri timorem habeant.

III. In majorem confirmationem errorum, magna miraculorum volumina conſcripta ſunt, & dietim talia figmenta conſcribuntur, ita quod de Chriſto, & ejus Apoſtolis, non tot ſcripta ſunt, quam ibidem habentur; & hæc magna præſumptio eſt, Poſteris noſtris talia relinquere in ſcriptis, quaſi per Prædeceſſores Prælatos, & Doctores ſint approbata.

IV. Veneratur ibidem populus cruorem, neſcimus quem; cum tamen nullus ibidem habeatur, nec aliquid ſimile cruori. Hoc primo ortum habuit ab illius loci quondam Plebano, cui fides non debuit haberi, ex eo, quod per ſe faſſus eſt in Magdeburg, qualiter egit; Teſtibus felicis memoriæ *Chriſtiano*, ſacræ Theolog. Doctore, de Ord. Minorum, & quondam Magiſtris in Theologia, *Henrico* de *Geysmania*, & *Petro Steinbecke*.

V. Alii cautius loquentes, aſſerunt non cruorem, ſed Sacramentum ibidem venerari, contra quos communis nominatio loci militat; quia dicitur: *ad ſacrum Sanguinem*, & invocatio talis eſt: *Adjuva me ſacer ſanguis*, vel *ſacer ſanguis me liberet.* Quando tamen neceſſe non eſt ad illum

Anno 1383. oppido Wilznack in cineres redacto, dicuntur inter cineres & rudera 3. Hoſtiæ in una pixide ſartæ illæſæ repertæ fuiſſe, ſed ſanguineis guttis reſperſæ: inde fama late manat. Concurſus populi immenſus, uti & oblationes, indulgentiæ variæ a Papa & Epiſcopis nunc datæ, nunc revocatæ: de hac Hoſtia prætenſo ſanguine imbuta hæc ſapiens ordinatio procedit. *V. Lentzen Havelbergiſche Hiſtorie pag.* 40. 41. 42.

illum locum propter Sacramentum recurrere, cum ubique in Ecclesiis habeatur.

VI. Pro Reliquiis ibidem exponitur, nescimus quid, de cera candelæ, quo Fideles consignantur, cum juris sit dispositio, nullas venerari Reliquias, nisi a Sede Apostolica sint approbatæ.

VII. Dicuntur ibidem publicari indulgentiæ multæ & magnæ, nec tamen constat, quis easdem dederit.

VIII. Clerici ibidem ministrantes Divina, leves & multiloqui, absque timore Dei absolvunt in casibus gravibus, nescitur cujus authoritate.

IX. Sumptuosum ibi ædificium erigitur, ex quo fama loci confortatur, & dilatatur in remotiora, quod non expedit, antequam res examinetur & justificetur.

X. Multa insuper ibidem dominatur avaritia; ille pro pecunia visitat peregrinos; ille vendit signa, quibus tamen nullum correspondet signatum; alius, si petatur pronunciari aliquod miraculum, petit pecuniam; alius, etiam a pauperibus mendicantibus exigit pecuniam pro cedula, in qua innotescit talem, & talem ex ipsis ibi fuisse; alius petit ad structuras; alius ad sacras candelas &c.

Quapropter, cum non modicum imputetur Ecclesiæ Magdeburgensi, & ejus Pontifici, quidquid ibi committitur erroris, petit sacrum hoc Concilium, super omnibus, ac singulis præmissis, informari a vobis.

SYNODUS DIOECESANA MISNENSIS,

SUB RUDOLPHO, EPISCOPO MISNENSI, CUJUS STATUTA PUBLICATA è CASTRO STULPIN

Anno Christi MCCCCXIII. Joannis XXIII. PP. IV. Sigismundi Reg. Roman. IV.

RUDOLPHUS, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS MISNENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, ARCHI-PRESBYTERIS, ET CLERO NOSTRÆ DIOECESIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET MANDATIS HUJUSMODI FIRMITER OBEDIRE.

STatuta Canonum volentes exequi, ut tenemur, ideo Statuta Synodalia per Prædecessores nostros edita duximus confirmanda, & præsentium authoritate confirmamus, & ea, quæ per negligentiam non sunt servata, innovamus, & sub excommunicationis pœna præcipimus observari, quorum copiam recipiant singuli Presbyteri nostræ Diœcesis infra mensem, & particularibus Synodis, & conventionibus eadem Statuta legant, & publicent diligenter.

I. Primo: omnes hæreticos, schismaticos, sortilegos, incantatores, & magicas artes exercentes, homicidas, usurarios publicos, adulteros manifestos, emptores spoliorum scienter, & violatores Ecclesiasticæ libertatis excommunicamus, Dei nomine in his scriptis invocato, quos, & vos singulis diebus Dominicis & Festis excommunicatos publice denuncietis.

II. Item præcipimus, quod singuli Clerici nostræ Diœcesis, vestes & tonsuram gerant congruentes, alioquin contra transgressores, quantum de jure poterimus, procedemus.

III.

Rudolphus de Plauvenitz, Episc. Misnensis, sedit ab anno 1411. IV. Idus Januarii ad A. 1419. Alii ad A. 1427. *Calles pag.* 281. 282.

III. Item volumus, quod nemo Clericorum in locis publicis chorisare, tripudiare, ludos ineptos exercere præsumat, & maxime ludum taxillorum indiscrete, sed si quis eis uti voluerit pro recreatione cibi, vel potus, vel causa solatii, hoc non prohibemus.

IV. Item volumus, ut vestes sacræ, & ornamenta, vasa, & alia ad Divinum cultum spectantia, munda, & decenter habeantur, nec mulieribus, aut vetulis committantur ullo modo.

V. Item præcipiendo mandamus: quod singuli Clerici, & præsertim Beneficiati in Horis Canonicis dicendis, & maxime in Officiis Divinis se regant juxta rubricam Ecclesiæ nostræ Misnensis.

VI. Insuper prohibemus: ne de cætero in Dedicationibus, primis Missis, receptionibus Novitiorum in Monasteriis, seu infra septa Monasteriorum quorumcunque regularium, utriusque sexus, fiant aliquæ choreæ, nec permittantur mulieres qualescunque in Monasteriis Monachorum pernoctare, alioquin contravenientes gravissime puniemus.

VII. Insuper mandamus: ut in Monasteriis ordinum non mendicantium utriusque sexus, de cætero nemo suscipiatur sine nostro consensu speciali, ne Monasteria ex personarum hujusmodi receptione ultra debitum graventur.

VIII. Item præcipimus, ut nullus Religiosus de cætero admittatur in Terminarium, nisi ad hoc per Nos fuerit præsentatus, & super præsentatione hujusmodi nostras literas exhibeat testimoniales.

IX. Item præcipimus & mandamus, quod Præpositi, & Abbatissæ Monasteriorum Monialium clausuram suorum Monasteriorum sub diligenti habeant custodia, nec quenquam virorum cujuscunque conditionis, Status vel Ordinis existant, die aut noctu Monasteria intrare, nec Monialibus in manifesto sive occulto confabulari permittant, nisi ex legitima necessitate hoc fieri oporteat, quod tamen in præsentia & audientia trium *Monachorum* Monialium debet fieri, & de licentia Abbatissæ, alioquin si quæ in personas Monasteriorum evenerint, de manibus Præpositi & Abbatissæ requiremus.

X. Præterea licet prius sit provisum omnes & singulas sanctimoniales, ac Deo dicatas Virgines sub perpetua clausura debere in suis Monasteriis permanere, ipsisque nulla facultas exeundi tribuatur, nisi in casibus infra scriptis, videlicet: videlicet si aliqua esset ita infirmata, quod cum aliis sine gravi periculo non possit conversari, & si haberent aliqua Beneficia in feudum a Principibus & Dominis temporalibus, tunc Abbatissa cum duabus antiquis & non suspectis exire poterit, ad suscipiendum hujusmodi feudum, & eo suscepto ad Monasterium suum sine mora revertatur. In cœteris casibus sub excommunicationis pœna prohibemus, ne aliqua Monialis extra suum Monasterium valeat proficisci sine nostra licentia speciali, alioquin in locis, ad quæ perrexerit, quamdiu ibi perseveraverit, cessetur a Divinis.

XI. Mandamus omnibus & singulis Archi-Presbyteris nostræ Diœcesis sub bono obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, quod abhinc infra mensem diligenter inquirere debeant a Plebanis, & Vice-Plebanis suarum sedium de locis, & beneficiis indigentibus confirmationem, consecrationem, & reconciliationem, sive fuerint Ecclesiæ, sive Capellæ, sive Altaria, aut Cæmiteria polluta sanguine, aut seminis effusione, seu destructa alias ignis combustione, debeant Nos sub pœna prædicta de ipsis per propria nomina in suis literis infra prædictum mensem certificare, loca vero & Altaria indigentia prædictis, nisi Nobis, (ut præmittitur) fuerunt intimata, ex tunc, id est, post mensem, si Ecclesiæ, Capellæ, vel Altaria fuerint ab Officiis Divinis, Cæmiteria vero sepultura ex tunc, prout ex nunc, suspendimus in his scriptis, donec fuerint Nobis intimata.

XII. Insuper etiam de causis animum nostrum moventibus omnia indulta sub quacunque verborum forma, quibuscunque personis per Nos, nostrum Prædecessorem, ac Administratores Capituli, & Ecclesiæ nostræ Misnensis vacantis data & concessa revocamus, cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita pro-

pronunciamus, ac ea deinceps volumus nullius valoris fore & momenti.

XIII. Insuper mandamus, & præcipimus: ut quæstores quoscunque, seu petitores, & præsertim judæos noviter conversos, recipere vel admittere ad petendum, seu ad prædicandum in vestris Parochiis non debeatis, sine nostris literis veris, & licentia speciali.

XIV. Item præcipimus: ut Clerici continenter, & caste vivere studeant, quod puro corde, & mundo corpore Deo possint Ecclesiastico officio ministrare, si qui vero de cætero deprehensi fuerint detinere concubinas, nisi infra mensem se ab earum consortio separaverint, ex tunc ipsos, & eorum quemlibet, qui hujusmodi nostri Statuti transgressores fuerint, volumus sententia suspensionis innodari.

XV. Item volumus & deliberatione provida duximus inhibendum omnibus & singulis Clericis, Scholarum Rectoribus, Succentoribus, & locatis eorundem nostræ Diœcesis, ut de cætero in ipsis Scholis, seu locis aliis quibuscunque, præterquam in studiis privilegiatis, libros sacræ Paginæ, ac Juris Canonici non legant, aut declarent publice, vel occulte, sed in studio artium liberalium stent contenti; quia plerumque (prout experientia didicimus) ex talium in particularibus studiis, lectionibus, pericula non pauca insurgunt animarum, sectæ quam plurimæ, & errores oriuntur; Expositores vero Evangeliorum, Sequentiarum, & Hymnorum, prout moris est, in Scholis materna lingua exponere non prohibemus.

RUDOLPHUS, Dei gratia Episcopus Misnensis, considerantes Domino reddere populum acceptabilem, ac bonorum operum sectatorem, fideles ipsos, ut vitam valeant agnoscere veritatis, ac ab his, quæ mentes fidelium maculant, nec non & scrupulos conscientiarum generant, per quod devia fidei insurgunt, retrahere cupientes, solicite instigati monitis, & querulosis plurimorum pulsati relatibus, quoniam in Diœcesi nostra Misnensi tantus abusus invaluit, prout Nobis luculenter exstat declaratum, quod nonnulli Rectores, Plebani, sive eorum Capellani avaritiam sectantes, concursus plebium suis in locis provocantes, & populum ex cupiditate attrahentes, signa inconsueta, imo indicibilia promulgantes, ex quibus Fideles Christi non modice seducuntur. Volumus igitur, & sub pœna excommunicationis mandamus: ne quis Prælatus, sive Plebanus, ac Presbyter nostræ Diœcesis, quæcunque signa, suis in Ecclesiis, sive locis transacta, qualiacunque nuncupari potuerint, intimare vel publicare præsumant: nisi prius ad nostram, sive Vicarii nostri in Spiritualibus præsentiam ipsorum signorum effectum deduxerint luculenter, ut tandem nostro aut Vicarii in Spiritualibus nostri licentia obtenta, eadem valeant publicare; alioquin hujusmodi nostri mandati transgressores sententiam excommunicationis declaramus incidisse, ipsosque acriter puniemus, nolumus tamen præsens mandatum nostrum ad Ecclesiam nostram Misnensem aliquatenus extendi.

Præterea præcipimus, & mandamus, ut mandatum nostrum dudum per Nos editum suo in effectu teneatur, videlicet: Notarii publici, Tabelliones, & Tabularii, officium Tabellionatus nostra in Diœcesi non exerceant, neque Acta nostra, Codices, & Protocolla, & Contractus in Judiciis aut extra conscribere præsumant, nisi a Nobis, aut nostro Officiali fuerint approbati, & per Literas nostras, seu Officialis nostri fidem faciant sub pœna in Processu nostro inantea expressa.

Mandamus insuper universis & singulis vobis supradictis Curatis, & non Curatis, ut vos omnes singulariter singuli, & universaliter universi nostrorum Processuum & Statutorum in *præsenti Synodo* lectorum, a nostro Officiali copias recipiatis, & de ambone Ecclesiarum vestrarum hujusmodi nostra mandata diligenter publicetis, & exequutioni demandari faciatis: nam si quemcunque reprehensibilem circa præmissa perceperimus, allegando ignorantiam, a pœnis sibi applicandis non poterit relevari.

Datum in Castro nostro Episcopali *Stulpin*, Anno Domini MCCCCXIII. ipso die S. Galli Confessoris, nostro sub sigillo.

Sumptum ex Codice MS. Biblioth. Metropol. Eccles. Moguntinæ.

Dili-

Diligenter collatum cum ſuo genuino Textu, in Archivo Archi-Epiſcopali Pragenſi ſub fide mea jurata aſſervato, per omnia concordare, teſtor Pragæ die 7. Octobris A. 1757.

(L.S.) *WENCESLAUS PROCOPIUS DUCHOWSKI mpp. Reg. Capellan. Oo. Sanct. in Caſtro Prag. Beneficiatus, Notarius Apoſtolicus, & Curiæ Archi-Epiſcopalis Archivarius juratus.*

SYNODUS DIOECESANA OLOMUCENSIS,

A WENCESLAO, PATRIARCHA ANTIOCHENO, ET COMMENDATARIO ECCLESIÆ OLOMUCENSIS, IN OPPIDO WISCHAU CELEBRATA

Anno Chriſti MCCCCXIII. Joannis XXIII. PP. IV. Sigismundi Reg. Rom. IV.

WENCESLAUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, PATRIARCHA ANTHIOCENSIS, COMMENDATARIUS PERPETUUS ECCLESIÆ ET EPISCOPATUS OLOMUCENSIS; VENERABILIBUS, HONORABILIBUS, ET DISCRETIS VIRIS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, CANONICIS, PLEBANIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS, ALTARISTIS, VICARIIS, ET CLERICIS, PER CIVITATEM, ET DIOECESIN NOSTRAS OLOMUCENS. CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO, QUI EST OMNIUM VERA SALUS.

POſtquam ſuper ſolium Paſtoralis Eminentiæ ipſius Eccleſiæ *Olomucenſis* Nos, licet immeritos, Divina Bonitas collocavit, ex injuncti Nobis officii debito, ſubditorum ſaluti ac utilitati providere volentes, quasdam noſtras Conſtitutiones neceſſarias, prout experientia nos docuit, in hac *noſtra Sancta Synodo*, quam de conſilio & conſenſu Decani, & Capituli noſtræ Olomucenſis Eccleſiæ duximus celebrandam, prioribus annectimus; mandantes, & volentes, ut vos omnes, & ſinguli veſtrum, eas benigno ſuſcipientes affectu, eis utamini de cætero locis, & temporibus quibuslibet oportunis.

Cap. I. *De Statutis, & Canonibus obſervandis.*

CAnonum Statuta, Patrum Decreta, nec non Conſtitutiones Provinciales Domini Arneſti Archiep. & Synodales, tam a noſtris Prædeceſſoribus, quam a Nobis, editas, ab omnibus inviolabiliter teneri, & obſervari volumus ſub pœna in eiſdem oppoſitis, ignorans enim ignorabitur, & negligens negligetur. Et licet ſacri Canones ſint Synodi, & Eccleſia Romana, quæ eſt Mater & Domina omnium Eccleſiarum, quam inſcrutabilis Divinæ providentiæ altitudo in univerſis diſpoſitionibus incommutabilem voluit, totius orbis præcipuum obtineat Magiſtratum; tamen clamoroſa & deteſtabilis querela per nonnullos Prælatos noſtræ Diœceſis, ad Nos pervenit, qualiter: quidam Clerici peregrini, & per illos Clericos laici ſeducti, ſcandaloſe & heretice predicant in angulis, & in publico, ponentes os in Cœlum: dicentes, Summum Pontificem, qui eſt Ordinarius omnium Eccleſiarum, & omnium Chriſtianorum, non poſſe excommunicare, & quod excommunicatio tam Papalis, quam etiam aliorum Prælatorum ſit nulla; aſſerentes etiam in occulto, & in manifeſto, quod bona Clericorum male viventium poſſunt rapere, & eos ſpoliare ſine pœna excommunicationis, & per hoc nervum Eccleſia-

clesiasticæ censuræ annullantes, quantum in eis est, laicos simplices & potentes in eorum favorem & hæresim inducentes, alios multos errores hæreticos publice prædicant:

Igitur statuimus: ut si quis Clericus, vel laicus, utriusque sexus, cujuscumque dignitatis vel status existat, ausus sit præsumptione dampnabili, publice vel occulte prædicare, docere, credere vel tenere prædictos errores, tales ut hæreticos excommunicamus. Mandantes: ut tales non fovere, sed potius, si possibilitas fuerit, detinere curetis, & Nobis vel Vicario nostro præsentare puniendos, vel saltim denuncietis Nobis, aut Officiali nostro, sub pœna excommunicationis & alia etiam pœna pro negligentia infligenda. Ex eadem radice & hæretica pravitate dicunt alii, quod Sacerdos in mortali existens peccato, non possit conficere Corpus Christi, seu sic ligatus non possit solvere vel ligare suos subditos a peccatis; illi sic tenentes illam hæreticam opinionem, pro hæreticis, & incredulis teneantur & habeantur; quos errores per hanc sacram Synodum pariter dampnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus.

Cap. II. *De Observandis circa Sacramenta.*

In hac Sancta Synodo statuimus: ut Sacerdos quilibet plebem suam doceat diligenter, ut, cum in celebratione Missarum levatur hostia salutaris, quilibet devote flectat genua sua vel saltem se reverenter inclinet, & cum extra septa Ecclesiæ portatur, mandamus solita veneratione venerari.

Item statuimus: ut Sacerdotes & campanarii, qui Sacerdotibus ad Altare in celebratione Missarum assistunt, juxta quod officium eorum requirit, super vestimenta sua superpelliciis utantur; & quia, maxime in Parochiis ruralibus hoc contingit, ut, propter Clericorum defectum, Sacerdotes solos oporteat celebrare contra sanctiones Canonicas, vel pueros ignaros, qui verba, quæ respondent Sacerdoti, non intelligunt, cantare nec legere scientes, loco Clericorum assumant; inhibemus, & sub eadem pœna statuimus: ne Presbyteri sine Clerico Divina Officia, & maxime Missarum solempnia celebrare præsumant.

Item; quia veraciter addidicimus pessimam consuetudinem, imo corruptelam, sacris Canonibus contrariam, videlicet, quod post confectionem seu consecrationem sacri Crismatis in nostra Ecclesia Olomucensi peractam, Decani rurales illud per laicos leves & pannosos recipi & portari procurent, qui & illud interdum vendunt irreverenter, ex quo multa sortilegia & mala committuntur; Nos, his malis & periculosis consuetudinibus obviare volentes, statuimus, & districte sub pœna excommunicationis mandamus, ut omnes Decani rurales per nostram Diœcesim existentes, & quilibet eorum unum Sacerdotem idoneum expensis propriis, pro recipiendis Sacramentis ad Ecclesiam nostram in Olmutz, omni negligentia postposita, transmittat, ut Sacramenta cum reverantia recipiantur, & sub custodia debita deferantur; Plebani vero per Presbyteros vel Clericos idoneos a Decanis recipiant: qui vero Plebani, hujusmodi nostro Statuto, non providendo Presbytero de expensis, contrarii exstiterint, in uno fertone puniantur, & si contumaciter contrarii huic nostro Statuto perstiterint, per Officialem nostrum gravius puniantur. Qui vero Sacramenta de jure, vel consuetudine post confectionem distribuerit, si alteri, quam Sacerdoti, distribuendo ad portandum assignaverit, ipso facto pœnam excommunicationis incurrat.

Item statuimus: quod Baptisma cum summa reverentia celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum vis consistit, servantes formam & modum cum exacta diligentia.

Cap. III. *De Celebratione Festivitatum.*

Item statuimus: ut circa celebrationem Festivitatum Ecclesiæ nostræ, sit concordia singularum, ita ut omnes Festivitates, prout in Statutis Domini Arnesti continentur, celebrentur.

Insuper adjicimus: ut Festum Visitationis B. Mariæ Virg. quod in prædictis statutis non continetur, item Festum S. Hedwigis, & S. Marthæ, in horis trium Lectionum, & Officio Missæ, solempniter

ter celebrentur ; & quia Beatiſſimi , & Glorioſiſſimi Martyris Longini Reliquias ad Eccleſiam noſtram Olomucenſem attulimus , ſtatuimus quoque , ut totus Clerus noſtræ Diœceſis ipſius Feſtum, & diem , cum horis & Divino Officio debeat XV. menſis Martii, una Nobiſcum, ſolempni veneratione venerari.

Et licet multi in Feſtivitatibus a laboribus abſtineant, ad pejora facinora in eisdem Feſtivitatibus convertuntur (quod dolenter referimus) ludos exercentes , inter quos ludos multa mala vituperia,imo interdum homicidia committuntur. Nos ea mala prohibere volentes , mandamus Plebanis, ſeu Eccleſiarum Rectoribus, ut tales tabernarios & luſores excommunicatos denuntient, quos ex nunc, prout ex tunc, virtute hujus Statuti noſtri excommunicamus.

Cap. IV. *Ut omni Feria ſexta, major campana pulſetur.*

Item ſtatuimus : ut ſingulis Feriis ſextis, hora meridiei major campana pulſetur in memoriam Paſſionis JESU CHRISTI, conformantes Nos, quantum in hoc , Eccleſiæ Metropolitanæ ; & quicumque homines audito pulſu campanæ , Paſſionem Domini recolentes, flexis genibus tria *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*, devote dixerint, his, de injunctis ſibi pœnitentiis XL. dies miſericorditer relaxamus , & hoc Sratutum ſinguli Plebani & Rectores Eccleſiarum ſuis Parrochianis innoteſcant.

Cap. V. *De Jejunio.*

Qui ſine rationabili cauſa non obſervant jejunia,quæ ſunt ſibi præcepto Eccleſiæ ſervanda, illis interdicimus ingreſſum Eccleſiæ, donec, propter transgreſſorem præcepti , a proprio Sacerdote pœnitentiam recipiant ; ſi autem contempſerint, & pœnitentiam non ſuſceperint, denuntientur noſtro Vicario, gravius puniendi.

Cap. VI. *De Beneficiis erigendis.*

Intelleximus præterea , & nimis graviter in animo noſtro reputamus , quod in noſtra Diœceſi conſuetudo talis irrepſit, quod illi, ad quos Beneficiorum erectio pertinet, de conſuetudine vel de jure, Beneficia ipſa, quæ de novo fundant, de cenſibus illicitis uſurariis, & uſuram omnino ſapientibus erigunt atque creant : nam, ut refertur, pecunias ſuper certis poſſeſſionibus mutuant illi fundatores ſub pactis & conditionibus illicitis, de quibus penſionibus Beneficia petunt exigi & creari. Nos huic pernicioſo malo obviare volentes , & attendentes, quod hujuſmodi erectiones de talibus redditibus vergunt in interitum animarum, tum propter incertitudinem eorum , cum nulla ſint ſtabilitate ſubnixa ; ſtatuimus : ut nullus Chriſti Fidelium de talibus immundis redditibus Beneficia valeat fundare ; Vicariis etiam in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut nullus eorum talia Beneficia facere præſumat ; Nos enim, ſi ſecus factum fuerit , hoc decernimus irritum & inane , volentes , ut prædicti immundi redditus , taliter deputati , illis , quorum quo ad verum dominium exiſtunt , in ſorte reddantur, & ſine difficultate qualibet aſſignentur.

Cap. VII. *Ut in Villis Scholæ non habeantur.*

Item fama referente didicimus, quod multi Plebani , & Rectores Eccleſiarum, in villis, ubi Eccleſiæ earum ſunt, Scholas de novo erigunt & erexerunt , ex quibus multa mala committuntur ; tum propter negligentiam puerorum, quia ibi Rectores imperiti exiſtunt ; tum etiam propter furta, quæ ibi Scholares exiſtentes magni & parvi, neceſſitate interdum cogente , committunt , & ſic plus in furtis , quam in litteris addiſcunt. Illis ergo malis obviare volentes , ſtatuimus ſub pœna excommunicationis , & mandamus, ut nullus Scholas habeat in villa, ubi dudum erectæ non fuerint , & in quibus locis tam Rector quam Scholares neceſſaria habere non poſſunt , ſed in Oppidis, ubi ab antiquo Scholæ fuerint , & de quarum erectione hominum memoria non exiſtat.

Cap. VIII. *De Clericis non reſidentibus circa proprias Eccleſias.*

Querulоſe ad Nos eſt deductum ; quod multi Plebani & Rectores Eccleſiarum in noſtra Diœceſi ſuas proprias Eccleſias deſerunt ſine licentia Noſtra, vel Vicarii noſtri Spiritualis , & in civitatibus , oppidis , & villis manſionem trahunt

hunt pro libitu, vitam in vanitatibus & in otiis deducunt: penſionem, quam a Parochianis ſuis per eorum Conventores & Vicarios extorquent, inaniter conſumunt, & ipſi Conventores, & Vicarii, ab eis locati, ſcandaloſe in Parochiis eorum vivunt, per ſimoniam Sacramenta vendentes, & alia, quo modo poſſunt exquirunt, ut penſionem Plebanis aſſignent, de Grege modicam vel nullam curam habentes, ex quo multa ſcandala & peccata in Parochianis eveniunt. Nos vero, tantis malis obviare volentes, omnes litteras abſentiæ, per Nos, vel Prædeceſſores noſtros conceſſos, revocamus, & nihilominus univerſos Plebanos, Rectores, & Curatos in noſtra Diœceſi præſentibus ammonemus, ut infra duorum menſium ſpatium, a publicatione præſentium, ad ſuas revertantur Eccleſias, & in eiſdem reſidentiam faciant perſonalem; quod ſi infra dictum terminum ammoniti non redierint, vel cauſas rationabiles coram Nobis, vel Vicario noſtro non allegaverint, ex tunc Nos ad ipſorum privationem procedemus. Inſuper ſtatuimus: ut omnes Decani Rurales cum diligentia exacta inquirant de Plebanis & Rectoribus quibuslibet in Decanatu ſuo, qui ſic temerarie ſine licentia Noſtra, vel Vicarii noſtri ſe abſentaverint & abſentant, & etiam de eorum Conventoribus, & Vicariis, & quos in eorum Decanatu invenerint, Nobis, vel Vicario noſtro eos denuntient, & denuntiare faciant, prout noſtram voluerint indignationem, & pœnam excommunicationis evitare.

Cap. IX. *Ut Clerici non mercentur.*

Volentes, ut Clerici noſtræ Diœceſis in ſuis actibus univerſis Deo ſint placibiles; & etiam contra ipſos nulla poſſit haberi ſuſpicio, vel ſcandalum ſuboriri, ſtatuimus, & mandamus in hac ſancta Synodo, ut nullus Clericorum noſtræ Diœceſis, mercimonia & lucra temporalia exquirat, quia omnes mercaturæ, in quibuscumque rebus conſiſtant, per ſacros Canones Clericis ſunt prohibitæ, quia Clerici non tantum a malo, ſed ab omni ſpecie mali debent abſtinere; & ideo mandamus, ſub excommunicationis pœna, omnibus Decanis Ruralibus, ut diligentiam adhibeant in ſuis Decanatibus inquirendo, ſi quos Clericos mercatores invenerint, Nobis, vel Vicario noſtro, omni negligentia poſtpoſita, denuntient puniendos.

Cap. X. *De Archidiaconorum viſitatione.*

Item ſtatuimus, & mandamus ſub pœna excommunicationis, quod Archidiaconi teneantur per Archidiaconatus ſuos viſitationis officium exercere juxta Canonicas ſanctiones, id quod, quantocius potuerint, incipiant, & uſque proximam Synodum in toto compleant, nihil ab his, quos viſitabunt, recipiendo, ſed expenſis ſint contenti, ut non quæ ſua ſunt, ſed Jeſu Chriſti quærere videantur; debitam converſationem facientes de ordinibus miniſtrantium in Eccleſiis, ac de inſtitutionibus Canonicis, de dotibus, & ſtructuris domorum, & cæteris quæ ad ipſorum ſpectant officium; adjicientes: quod non liceat viſitanti, niſi unam procurationem recipere una die, ſive unum ſolum locum viſitaverit, ſive plura, etiamſi locus quilibet viſitatus ab illo, ſufficeret ad procurationem integram perſolvendam, cum eisdem ſufficere debet, ut temporalia metat a locis perſonaliter viſitatis pro diebus, quibus eis ſpiritualia ſubminiſtravit.

Cap. XI. *De Hoſpitalionariis, & aliis Queſtoribus.*

Clamoſa ad Nos pervenit querela, qualiter quidam Hoſpitalionarii, & alii Queſtores, cum litteris Papalibus, & Epiſcoporum falſis, ſe alios mentiendo, abuſiones non modicas in ſua prædicatione & petitione proponunt, homines ſimplices ad dandum eis inducentes, & illam eleemoſynam, ſive ſubſidium indiſcrete & ſcandaloſe in tabernis, & alias ſumptuoſe conſumunt. Nos vero, talibus malis obviare volentes, ſtatuimus: ut qui ad quærendas eleemoſynas, ſive ad ſubventiones qualescumque deſtinantur, modeſti & diſcreti ſint, nec in tabernis, aut aliis locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant ac ſumptuoſas expenſas. Adhæc quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas facere non verentur, Claves Eccleſiæ contempnuntur, & pœnalis ſatisfactio evacuatur; ideo mandamus ſub pœna excom-

communicationis, omnibus Plebanis, Rectoribus, & Clericis nostræ Diœcesis, ut tales deceptores in Ecclesiis non promoveant, nec ad petitionem admittant, nisi prius visis litteris; quia per experientiam didicimus, quod multi in nostra Diœcesi his temporibus formam & auctoritatem excesserunt in multis, absolventes indifferenter in quibuscumque casibus, etiam dispensantes in casibus eis prohibitis, homines mirabiliter spoliantes, & animas eorum decipientes, contra dispositionem sacrorum Canonum: & ideo si quos tales præsumptores invenerint, vel circa eorum potestatem aliquod dubium habuerint, eos non admittant, sed ad Nos, vel ad Officialem nostrum transmittant puniendos, & litteras, quas super hujusmodi indulgentias habuerint, examinandas. Revocamus interea omnes petitiones antiquas.

Cap. XII. *De Statutorum observantia.*

Cum Synodus infra annos XXX, & citra non fuerit celebrata, & ex eo constitutiones Domini Arnesti, & Synodales nostrorum Prædecessorum in oblivionem sint deductæ, prout experientia, quæ est optima rerum Magistra, declarat; mandamus Venerabilibus & Honorabilibus Viris, Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ nostræ Olomucensis, nec non aliarum Ecclesiarum, in Diœcesi nostra constitutarum Archidiaconis, Decanis ruralibus, Plebanis, nec non Rectoribus, & omnibus Clericis Beneficiatis, in virtute sanctæ obedientiæ, sub excommunicationis pœna districte præcipiendo, quatenus ipsas nostras constitutiones, una cum constitutionibus Domini Arnesti mox sibi conscribi faciant, & procurent, ac singulis annis in convocationibus Clericorum studiosius recommendent ac legant; Archidiaconi autem, & Decani rurales, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, singuli unum libellum ipsarum constitutionum comparent; nam lapsis tribus mensibus, a data præsentium, nemo per ignorantiam poterit se excusare.

Cap. XIII. *De Synodo annis singulis celebranda.*

Statuimus etiam, ut Synodus sancta singulis annis proxima die post Festum sancti Mauritii, hora tertiarum celebretur, mandantes omnibus & singulis Decanis ruralibus, ut quilibet eorum cum quatuor senioribus Plebanis ad eandem venire non negligant; insuper mandamus: ut quilibet Decanus ruralis omnia & singula Beneficia in suo Decanatu consistentia conscribat diligenter, & conscripta Nobis, infra duorum mensium spatium, a data præsentium, assignet.

NOS WENCESLAUS, Dei gratia, Patriarcha Anthiocens. & Commendatarius perpetuus Ecclesiæ Olomucensis, Anno Dom. MCCCCXIII. die prima mensis Septembris in die S. Ægidii in Opido nostro *Wischau*, *Synodum* celebrantes, Prælatis & Canonicis nostræ Ecclesiæ, & aliis sæcularibus & Religiosis Prælatis, nec non Presbyteris & toti Clero nostræ Diœcesis, præsentibus mandamus: ut supradictæ nostræ constitutiones ab omnibus serventur &c.

Descripsit Cl. Schannat b.m. ex cod. MS. Biblioth. Mogunt.

SYNODUS AUGUSTANA

Anno Christi MCCCCXIV. Joannis XXIII. Papæ V. Sigismundi Reg. Roman. V.

ANSELMUS Nobilis a Nenningen electus ex summo Custode Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ, concordibus votis, Episcopus LImus anno MCCCCXI. post divisionem temporaneam Diœcesis Augustanæ inter Fridericum II. de Graffenegg, Episcopum Augustanum, anno 1414. 11. Augusti auctoritate Cæsaris Sigismundi, a Joanne XXIII. confirmatum, extra civitatem Augustanam (quæ Diœceseos pars ruralis Episcopo cessit usque ad Apostolicam litis decisionem) Lavingæ anno 1414. *Synodum* indixit, interdicto supposuit civitatem Au-

guſtam, excommunicationis vinculo ſibi reſiſtentes innodavit, omnibusque remediis poſſeſſionem Epiſcopatus ſui tuitus eſt.

Martinus V. anno 1421. utrique Anſelmo & Friderico II. Cathedram abjudicavit. Uterque Pontificio edicto paruit, Anſelmus obiit Blauburæ in Monaſterio anno 1424. (*aliis* 1428.)

Corbinianus Khamm Hierarchia Auguſtana Claſſe III. Sect. XX. pag. 275. Nec plura reperi.



DIARIUM CONCILII CONSTANTIENSIS

in Germania celebrati anno MCCCCXIV. XVI. Novembris, ad annum MCCCCXVIII. XXII. Aprilis.

DE SCRIPTORIBUS hujus Concilii.

§. I. MAgni intereſt, e quo fonte habeamus Acta Concilii Conſtantienſis. *LABBEUS Tom. VIII. Conciliorum* poſt factam maximam diligentiam in conquirendis undequaque Actis hujus Concilii, poſt codices Roma a Cardinali Barberino acceptos, poſt viſam editionem Hardtii in Germania ex MSS. Vindobonenſis, & Wolffenbutelenſis Bibliothecarum adornatam, fatetur, primum exemplar hujus Concilii Typo editum, cœptum fuiſſe Conſtantiæ anno MCCCCXCIX., abſolutum vero Hagenoæ anno MD. Addit *SCHELESTRATUS* (*in Diſſertat. de Actis Concilii Conſtantienſis*) ſecundam factam fuiſſe Mediolani anno MDXI.: tertiam Pariſiis anno MDXXIV. opera CAROLI MERLINI, Doctoris, Theologi: eandem recuſam Coloniæ A. MDXXX. typo Quenteliano: & in his quatuor primævis, ad hanc diem notis Editionibus deſunt in Decreto *primo Seſſionis IV. Conſtantienſis* anno MCCCCXV. XXX. Martii celebratæ, hæc verba: *Ad fidem,.... & ad reformationem generalem Eccleſiæ DEI in capite & membris*: Hæ ultimæ voces: *Et ad reformationem in capite & membris*, abſunt etiam a duobus codicibus Vindobonenſi, & Wolffenbutelenſi, a Brunſwicenſi, Gothano, & Lipſienſi, *teſte Hardtio Tom. IV. Parte I. pag.* 86. 87. 89. Abſunt a novem aliis MSS. codicibus, a Scheleſtratio viſis, & teſte Harduino *Tom. VII. Concilior. pag.* 251.

§. II. Poſt quatuor primas editiones, Petrus Crabbe, Mechlinenſis Franciſcanus, typo Colonienſi Concilia omnia, quæ novit, fecit recudi anno MDXXXVIII. inter quæ Conſtantienſe Concilium eſt, juxta exemplar, a Concilii Baſilienſis deputatis extractum, & Concilii hujus ſigillo munitum.

In hac Crabbeana editione refertur Decretum primum quartæ Seſſionis Conſtantienſis, & ſecundum Decretum quintæ Seſſionis Conſtantienſis, quale ſubin a Surio anno MDLXVII. *Tom. III.* & a Binio MDCVI. & iterum MDCXVIII. vulgatum fuit, uti omnes poſteriores Synodographi jam ediderunt.

§. III. Quæ autem cauſa fuerit, ob quam Crabbe ab omnibus anterioribus impreſſis abierit, & has voces addiderit, *quæ pertinent ad fidem*, & *ad reformationem Eccleſiæ in capite & membris*, neſcio, & hæreo dubius.

Nam ex una parte quis credat, ſex Deputatos, II. Cardinales, II. Epiſcopos, II. Doctores a PP. Concilii Baſilienſis, Acta & Decreta nonnulla Concilii Conſtantienſis non fideliter excerpſiſſe & contraxiſſe?

Ex altera parte, ſi Patres Baſilienſes poſt Seſſ. 25. mandaverint extrahi & conſcribi Decreta Concilii Conſtantienſis; non levis momenti ſuſpicio eſt, Decreta Seſſ. IV. & V. fuiſſe adulterata & aucta ad libitum illorum, qui poſt Seſſ. XXV. in Conciliabulo Baſilienſi multa infauſta & infanda patrarunt, uti creationem Antipapæ Felicis, attentatam depoſitionem Eugenii &c: quidquid enim ad auctoritatem ſibi conciliandam ſupra Papam, licet verum & agnitum ab Eccleſia

clesia excogitare poterant, id ausi sunt & præsumpserunt.

§. IV. Altera quæstio est de generalitate hujus Concilii Constantiensis, licet enim Cleri Gallicani opinio sit, anno MDCLXXXII. declarata, & a Clariss. Viro Hardtio sexcenties repetatur hic titulus: *Magnum & œcumenicum Concilium Constantiense*, videtur tamen minime illi titulus hic convenire ante Sess. XXXV., celebratam die 18. Junii A. MCCCCXVII, qua fuit peracta unio Ambasiatorum Regis Aragoniæ & Castellæ, adeoque Catholicæ, tunc notæ Nationes omnes in suis Legatis unitæ repræsentare poterant ECCLESIAM UNIVERSALEM.

Id historiæ series docet: Sessioni I. & II. sola obedientia JOANNIS XXIII. intererat. Sessioni XIV. accessit obedientia GREGORII XII. Sessioni XXXV. accessit Hispania, Castilia, Aragonia, Portugallia, Sicilia, Scotia, quæ se subtraxerunt obedientiæ, Benedicto XIII. juratæ, & sic ultimæ novem Sessiones *Concilii Constantiensis* possunt dici celebratæ a *Conventu*, *Ecclesiam universalem repræsentante*: & XXXIV. priores Sessiones sunt Conventus quatuor Nationum, Germanicæ, Italicæ, Francicæ, & Anglicanæ: neque harum quidem integrarum; nam Germaniæ Rex Sigismundus, & multi Principes Germani steterunt pro Gregorio XII. usque ad Sess. XIV. Italiæ natio divisa erat.

Audiamus ex Regesto Romæ existente, tempore Concilii Constantiensis scripto, historiam Sessionis IV. 30. Martii A. MCCCCXV. celebratæ: " Magna " concertatio tam inter Cardinales, quam " Nationes fuit ob capitula statuenda. " Imo. Cardinales Cardinali Florentino " Zabarella difficultatem fecerunt veni- " endi ad sessionem quartam, nolentes " Decretorum ab ipsis impugnatorum, " utpote *de jure* non verorum, promul- " gationi interesse, ideoque Regem Ro- " manorum die 29. Martii apud Natio- " nes plurimum laborâsse, ut Decreta " a Cardinalibus impugnata omitteren- " tur; obtinuisse tamen ab eis, quod " sessio usque ad horam decimam pro- " rogaretur, & in crastinum usque ad " illam horam viderent, si possent ad " invicem concordare.

Ex his verbis patet ante Sessionem quartam inter ipsas Nationes discordiam fuisse circa Capitula statuenda Sessione quarta.

Trigesima Martii mane hora septima convenientibus in Palatio Episcopali Rege Romanorum, Cardinalibus, & Nationibus, magna inter illos altercatio fuit super Decretis in sessione publicandis, & tandem Cardinalibus cum Nationibus non concordantibus incœpta est missa; cumque Prælati sederent in Concilio cum MITRIS & PLUVIALIBUS ad Sessionem Quartam celebrandam; Cardinales (ait *Schelestratus*) noluisse Sessioni illi interesse, quia super definitionibus non fuerunt habitæ, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum: ideoque Regem Romanorum ad se vocasse Deputatos Nationum, & ingrediendo cum duobus Cardinalibus S. Marci & Florentino, primam capellam Ecclesiæ Constantiensis, non modicam iterum disceptationem habitam fuisse inter Regem, Cardinales, & Deputatos Nationum super Capitulis prælibatis, tamen Divino Flamine inspirante, in unam sententiam convenerunt, ut omitterentur Capitula a Cardinalibus impugnata, nempe articulus: *De reformanda Ecclesia in capite & membris*, cui Cardinales contradixerant, usque adeo, ut ex sola evitandi schismatis & scandali causa, non animo consentiendi (*a*) promulgatis Cardinales interfuerint, & Cardinalis Florentinus (qui solebat alias ex ambone promulganda promulgare) noluerit ea die id facere, sed Andreas Lascarus, electus Potznaniensis Episcopus, Decretum illud promulgarit. Hinc iterum claret, quod Sessione quarta & quinta nec fuerit Concilium Oecumenicum, nec concors votum, cui Cardinales & Legatus Regis Galliæ, & Natio Gallica multum protestando contradixerunt.

(*a*) Hæc ex gestis coævis Concilii Constantiensis *Clariss. Schelestratus loco citato.*

DIARIUM ET INDEX SESSIONUM, ET IN IIS DECRETORUM.

PRæmittitur Præfatio Concilii Basileensis, jubentis nonnulla Decreta & gesta Concilii Constantiensis excerpi, & conscribi per sex Deputatos, duos Cardinales, duos Episcopos, duos Doctores. A. MCCCCXLII.

Introitus Joannis Papæ XXIII. ad urbem Constantiensem anno MCCCCXIV. Indictione VII. die Lunæ v. Novembr.

SESSIO PRIMA XVI. Novembris anni MCCCCXIV. Erat indicta prima Sessio Kalendis Novembris Constantiæ celebranda in Ecclesia Cathedrali Constantiæ, sed ob varias causas dilata fuit in decimam sextam hujus mensis. Post Sacrum, Litanias, & sermonem, a Papa ipso habitum

I. Lecta fuit Bulla convocationis Concilii a Cardinali Florentino, data Laudæ V. Idus Decembris a Joanne XXIII. anno quarto Pontificatus.

II. Deputati Protonotarii quatuor Nationum, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, Anglicæ. Pro natione Germanica delectus Hermannus Dwerg Protonotarius.

III. Notarii pro eadem Germanica delecti Gumpertus Fabri, & Giselerus Boventens.

IV. Procuratores & Notarii pro eadem delecti Magistri: Joannes de Scribanis, & Henricus de Piro.

Præsedit primæ & secundæ Sessioni Papa Joannes.

XXII. Januarii Dominus Frater Joannes Dominici, tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Ragusinus, obtento per Imperatorem a Concilio salvo conductu, introductus fuit cum capello rubro, stipatus Duce Bavariæ, & Duce Bigæ, & Joanne Electo Constantinopolitano, deinde Dominis Episcopis Wormatiensi, Spirensi, & Verdensi, in habitu Prælatorum cum capello nigro, veluti Legati Domini Gregorii XII. in civitatem Constantiensem, & in conventu Eremitarum S. Augustini habitarunt.

SESSIO II. anno MCCCCXV. II. Martii. Post Missam celebratam Dominus Papa legit scedulam, qua promittebat se cessurum Pontificatu, si & quando Petrus de Luna papatui cederet. Bulla super cessione promissa confecta.

Die 20. Martii Papa Joannes in habitu simulato fugit Constantia Scaphusam, & ex ea urbe scripsit Sigismundo Regi, Regi Franciæ, & Collegio Dominorum Cardinalium, se non promissi frangendi causa, sed sanitatis & securitatis ergo Constantia abiisse.

SESSIO III. XXV. Martii, quæ est prima post fugam Joannis XXIII. præsedit Sessioni Petrus Alliacensis, Cardinalis Cameracensis: Rex Romanorum in habitu Imperiali cum suis Nobilibus interfuit: Assistebat Regi Cardinalis Florentinus. Post Missam & Litanias Cardinalis Florentinus præmissa exhortatione pronuntiavit constitutiones sequentes:

I. Ipsam Synodum esse legitime convocatam, & inchoatam Constantiæ.

II. Post recessum Domini Papæ, vel aliorum quorumcunque, esse & remanere eam in sua integritate & auctoritate.

III. Non dissolvendam ante perfectam exstirpationem schismatis, & dum Ecclesia sit reformata in fide & moribus, in capite & membris.

IV. Non transferendam alio, nisi ex causa rationabili & de consensu Synodi.

V. Nemini recedendum ante finitum Concilium. His lectis & approbatis, *Henricus de Piro*, petiit nomine Concilii & Imperatoris instrumentum.

Quod confectum approbavit & ratificavit Petrus Cardinalis præsidens ad Instantiam Regis Sigismundi, & Henrici de Piro Procuratoris & Syndici Nationis Germaniæ, & aliorum Syndicorum & Universitatum, videlicet Viennensis, Erfordensis, Coloniensis, Lubicensis, Ecclesiarum, & Ambasiato-

ſiatorum, præſentibus Ludovico Duce Bavariæ, Nobilibus Friderico & Joanne Burggraviis Norinbergenſibus, Ludolpho Duce Saxoniæ.

Poſt prandium fuit Congregatio Deputatorum quatuor Nationum, in qua varia tractata, & deliberata.

SESSIO IV. anno MCCCCXV. 30. *Martii* in Eccleſia Cathedrali Conſtantienſi: poſt Officium & Miſſam de Spiritu ſancto, & Litanias, interfuerunt ducenti Patres, & Rex Romanorum Sigiſmundus, decem Cardinales, præter Nobiles ſupradictos, Comes de Schwartzburg, Magiſter Curiæ Regis Romanorum. Lectæ Conſtitunes V.

I. Quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime & generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & ad exſtirpationem ſchiſmatis, (*b*) & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

II. Joanni XXIII. locum mutare, vel Officiales avocare non licere ſine Synodi conſenſu.

III. Translationes Prælatorum, privationes, aut acta alia, agendave per Joannem XXIII. contra illos, qui Synodo adhærent, nulla eſſe.

IV. De qualibet natione eligendos tres, qui cognoſcant de cauſis recedere volentium.

V. Non creandos novos Cardinales. Quibus lectis & approbatis per generalem (*c*) Synodum, petiit Henricus de Piro inſtrumentum.

SESSIO V. anno MCCCCXV. indictione VIII. VI. die Aprilis die Sabbati celebrata. Præſes Concilii Jordanus Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis de Urſinis. Interfuit Imperator cum 33. Principibus Germaniæ. Cantata Miſſa. D. Andreas (*d*) Laſcaris electus Poznanienſis certa capitula legit.

Primum idem, quod Seſſ. IV. ſupra.

II. Quod quicunque præceptis hujus ſanctæ Synodi, aut alterius Generalis, obedire contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur.

III. Joannis XXIII. fugitivi mutationes, translationes attentatas, nullas eſſe.

Adhuc IV. alias conſtitutiones addit Surius & Harduinus circa Papam Joannem.

His peractis, D. Andreas, electus Potznanienſis, in *Materia FIDEI* & ſuper materia Joannis Huſs varia aviſamenta prælegit. Commiſſarii in materia fidei Cardinalis Cameracenſis, Cardinalis S. Marci, Epiſcopus Dolenſis, & Abbas Ciſtertii nominati.

SESSIO VI. anno MCCCCXV. VII. Aprilis. Præſedit Joannes Cardinalis Oſtienſis. Joannes Epiſcopus Rigenſis, erat Deputatus pro Natione Germania. Epiſcopus Atrebatenſis prælegit duas conſtitutiones de procuratorio a Joanne XXIII. præſtando.

Variæ formulæ procuratoriæ.

Legati ad Joannem ex Natione Germaniæ, Joannes Archi-Epiſcopus Luthomislenſis, Petrus Epiſcopus Ripenſis, Andreas Epiſcopus Poznanienſis electi, ut vel omnes, vel ex eis delecti adeant Papam fugitivum, revocent

(*b*) *Has voces ultimas a primis Impreſſis omnibus, & a plurimis MS. abfuiſſe, jam ſupra monui.*

(*c*) *Ita poſt Petrum Crabbe ex MS. juniore conſcripſit Harduinus:* Generalis dici poteſt ſecundum convocantis Joannis XXIII. intentionem, licet unius hujus obedientiæ ſubditi intervenerint, & abfuerint ſubditi obedientiæ Petri de Luna, quæ ante 25. Seſſionem, & Gregorii XII. quæ ante 14. Seſſionem non intervenerunt, imo hi duo aperte negarunt eſſe Concilium Generale ante ſuum acceſſum; & hoc in Actis legitur.

(*d*) Epiſcopus Electus Poznanienſis legit, quia Cardinalis Florentinus recuſabat ea legere, & cum aliis Cardinalibus proteſtatus eſt, & diſputavit, quod poſitiones memoratæ non erant veræ de jure, & intervenit Seſſioni ſolo animo vitandi ſchiſmatis, nullatenus vero conſentiendo. *Schbeleſtratus. Labb.*

vocent ad Concilium Constantiæ, vel ad vicinam villam Ulmæ, vel Ravespurg, vel Basileam: interea supersedendum a processu contra eundem: famosi libelli interdicuntur. Statutum, ut Commissarii contra Joannem Huss pergant in causa sua. Allatæ litteræ Universitatis Parisinæ ad Constantienses. Demum Decreta citatio contra Hieronymum de Praga.

SESSIO VII. II. Maji anno MCCCCXV. Præsidebat Joannes Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis. Interfuit Imperator cum insignibus & Principibus prædictis.

Henricus de Piro Promotor Concilii petiit citari Papam Joannem: citatur.

Accusat contumaciam Hieronymi Pragensis citati, & non comparentis, prætendi salvum conductum; hic impetratur.

SESSIO VIII. IV. Maji. In Ecclesia Cathedrali Constantiensi præsidebat Johannes, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis. Interfuit Imperator & Hungariæ Rex cum Insigniis Regalibus, & Nobilibus suis. Post Sacrum, Litanias, Orationes, & sermonem ab Episcopo dictum, Henricus de Piro præsentavit citationem executioni mandatam, petiitque, Johannem Wicleff, ut hæreticum, & hæresi immortuum, condemnandum. Ejusdem etiam XLIV. articulos, cum CCLX. per Synodum damnandos, uti & nomine quatuor Nationum decerni, ossa ejusdem exhumanda esse, uti & libros reprobandos postulavit. Subinde sententia lecta, quam Surius, & alii Synodographi habent.

Hac eadem Sessione Fridericus Dux Austriæ, qui Joannem XXIII. fugitivum receperat, ideoque a Sigismundo bello impetitus fuerat, cupiens Regi conciliari, per quatuor Prælatos & Duces aliquot introductus, Regi supplex factus est. Juraverat Rex, nunquam se in gratiam eum recepturum. Responderunt Patres, ipsa pœnitentia Friderici mutari statum, nec juramento eum amplius ligari. Rex supplici veniam concessit, mediantibus Principibus Burggravio Nurembergensi, & Ludovico Duce Bavariæ, hac conditione, ut Papam reducere vellet, ut se, & bona sua in potestatem Regis daret, nec simile quid subinde admitteret. Accepit conditiones Fridericus, & literas in Teutonico scriptas dedit præstandæ satisfactionis Regi & læsis: quas Rex voluit inseri Actis Concilii. Refert eas latine *Surius*, & alii.

SESSIO IX. XIII. Maji die Lunæ fuit habita in Ecclesia Cathedrali, Præside Joanne Ostiensi Episcopo, Cardinali Vivariensi. Interfuit Rex & Nobiles cum Insignibus Regalibus, & XIV. Cardinalibus. Post Missam, Litanias, & Orationes fuit a Benedicto Gentiani, Monacho Ord. S. Benedicti, Ambasiatore Studii Universitatis Parisiensis, oblata Epistola Universitatis Parisiensis, qua se Concilio commendat. Deinde Henricus de Piro, Concilii Promotor, & Procurator, dixit, citationem contra Joannem Papam factam, nec comparuisse: quare videri scandalosum, & procedendum contra eundem ex officio.

His factis, Cardinalis Florentinus protulit Bullam Joannis, qua Cardinales Petrum Cameracensem, Guillelmum S. Marci, & se Florentinum constituebat ad defendendum & agendum nomine suo. Nullus acceptavit munus delatum. Henricus de Piro opposuit, citationem esse personalem, & causam criminalem: in hac non admitti Procuratorem. Fit denuntiatio ad portam Ecclesiæ. Promotor petit Commissarios in causa Joannis examinanda. Concilium dat Commissarios... Pro Natione Germanica Episcopum Merseburgensem, Andream Electum Poznaniensem, & Bertholdum de Wildungen, S. Palatii Auditorem. 2do. Concilium deputat Judices...pro Natione Germanica Nicolaum Plocensem Episcopum. 3. Deputat Sessionarios . . . pro Natione Germanica Magistrum Eberhardum Lupi.

SESSIO X. XIV. Maji celebrata in Ecclesia Cathedrali: præsidebat idem Joannes, Ostiensis Episcopus, Cardinalis Vivariensis, interfuit Rex Romanorum in Insignibus Regalibus cum suis Nobilibus, & duobus Cardinalibus,

bus, sibi Regi assistentibus, Angelo Laudensi, & Jordano de Ursinis.

Henricus de Piro Promotor proposuit, contra Joannem Papam citationem factam, & executioni datam: ac denuo eundem citari petiit extra valvas Ecclesiæ per Prælatos quatuor nationum, & duos Cardinales: dein petiit, conclusam sententiam suspensionis Papalis dignitatis debere effectui dari.

Item scrutinium institutum super mittendis cum Rege Romanorum ad Petrum de Luna.

Lecta litera, per Bohemos scripta, & oblata per Dominum Episcopum Luthomislensem. Lecta dein *BULLA* constitutionis Procuratorum D. Gregorii XII. scripta Wernero Archi-Episcopo Treverensi, Ludovico Comiti Palatino Rheni, & Carolo de Malatestis Domicello Ariminensi.

SESSIO XI. XV. Maji habita in Ecclesia eadem. Præside eodem, præsentibus Rege Romanorum & Hungariæ &c. post sacram Missam, Litanias & Orationes, Andreas electus Posznaniensis legit articulos LIV. formatos contra Joannem Papam, per testes probatos, cum nonnullis aliis.

II. Epistola ejusdem ad Regem Sigismundum scripta de Cellis.

III. Idem Andreas legit Decreta pro approbatione scripturarum & deputationis.

Die 26. *Maji* quatuor Deputati Commissarii ad Papam, ad intimandos eidem articulos, & requirendum responsum, reversi ad Concilium retulerunt acta.

IV. Instrumentum ratificationis articulorum supradictorum factum per Joannem Papam, olim Baltassarem, die 27. Maji.

Iidem Commissarii intimant Papæ diem & terminum ad audiendam sententiam.

Papa se nil curaturum, & acceptaturum sententiam, reposuit, citra appellationem.

SESSIO XII. XXIX. Maji celebrata die Mercurii, eodem Præside, iisdem præsentibus.

Post Officium, Missam, Litanias, facta relatio a Nuntiis ad Papam Joannem missis.

Henricus de Piro petiit pronuntiari sententiam definitivam. Constitutum, non procedendum ad electionem Papæ, nisi sede vacante.

III. Statutum, quod nemo contendentium reeligendus in Papam.

Joannes auditam sententiam contra se latam ratificavit: omnia Insignia Papalia coram iis, qui missi fuerant, deposuit.

SESSIO XIII. XV. Junii anno MCCCCXVI. indictione VIII. in Ecclesia majori Constantiensi, Præses fuit Joannes Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis, præsente Rege Romanorum & Hungariæ, cum reliquis.

Post Missam, Litanias, & Orationem &c.

Henricus de Piro, & Joannes de Scribanis Procuratores & Promotores Concilii proposuerunt pullulare in diversis locis diversas hæreses, &c.

Constitutum: dicere, quod laici teneantur sub utraque specie communicare, est erroneum: id pertinaciter asserentes puniendi per Diœcesanos locorum, Officiales eorum, vel Inquisitores.

Episcopus Atrebatensis protestatus est, quod Petrus Cameracensis Episcopus esset Commissarius in causa vertente inter Ducem Burgundiæ & Universitatem Parisiensem. Deputantur Commissarii in materia fidei & hæresum exstirpatione. . . pro Natione Germanica Andreas Electus Poznaniensis, Magister Nicolaus Dinckelspuel, M. Theodoricus de Monasterio, sacræ Theologiæ Professor, Bertholdus Wildungen sacri Palatii Apostolici causarum Auditor.

In causa vero Joannis Huss statutum, ut Judices olim deputati in illa ulterius cognoscenda procedant.

SESSIO XIV. Apostolica Sede vacante, regnante Serenissimo Sigismundo, *die Jovis* 4. *Julii* in Ecclesia Cathedrali celebrata præsente Rege cum insigniis & Nobilibus, post cantatum Hymnum *VENI CREATOR*, & Orationem:

Joannes Dominici, Cardinalis S. Sixti, & Carolus de Malatesta Procuratores Gregorii XII. protulerunt Bullam, qua hic Gregorius ipsis, deinde electo Constantinopolitano, Wernhero Archiepiscopo Treverensi, tum Ludovico Comiti Palatino Rheni, concedit authoritatem, Concilium Constantiense approbandi, non qua per Joannem XXIII. sed quatenus sua (Gregorii XII.) vice, per Serenitatem Regiam convocatum. Declarat, Concilium a se nunc probari, & unionem Cardinalium utriusque obedientiæ.

Demum tolluntur processus, & cætera in duabus obedientiis hincinde decreta occasione schismatis.

Concilium omnia per Gregorium XII. in sua obedientia canonice & rationabiliter facta, ratificat.

Recipit Cardinales ipsius Gregorii: Officiarios ejus vult suis gaudere officiis.

Præcipit, nulli recedendum sine licentia.

Petitur a Rege præstanda Concilio securitas.

Editur Diploma Regium tuendo Concilio.

His lectis Statutis & probatis, nomine Gregorii XII. & speciali ejusdem mandato, Carolus de Malatestis renuntiat pure & simpliciter Papatui, & omni Juri & titulo ad eum.

Archi-Episcopus Mediolanensis acceptat cessionem nomine Concilii, & intonat: *Te Deum laudamus.*

Statutum, Petrum de Luna requirendum, ut cedat Papatui.

SESSIO XV. VI. Julii, loco & horis consuetis. Præsedit Joannes, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis. Interfuit Rex Roman. cum Insigniis Regalibus, & Nobilibus suis. Post Missam cantatam, Litanias, & consueta, introductus Joannes Hus, accusatus, & convictus, ut hæresiarcha, collocatus in medio Concilii supra altius reliquis scamnum. Decretum de silentio servando ab omnibus tempore sessionis instantis. Henricus de Piro promotor proposuit, Magistrum Joannem Hus, Bohemum, fuisse convictum de articulis hæreticis, seditiosis, & eosdem per Præsidem, per D. Regem, per totam Synodum Constantiensem condemnandos, libros ejus igne comburendos: demum justitiæ complementum a Synodo fieri postulabat.

Bertholdus de Wildungen legit articulos formatos & dogmatizatos ab Huss: quibus recitatis lecta fuit sententia ab Episcopo Concordiensi: quos publice dixit Huss, nolle se revocare.

Subin degradatus fuit in Synodo, exutus omnibus Sacerdotalibus, & Clericalibus indumentis, traditus Curiæ sæculari.

Deinde prælecta est opinio Joannis Parvi: *Quilibet Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque Vasallum* &c. declarata nomine Concilii erronea in fide & moribus, hæretica, scandalosa, ad fraudes, mendacia, perjuria, proditiones viam dans.

Ultimo edidit Concilium Constitutionem contra invasores, seu spoliatores accedentium & recedentium a Concilio Constantiensi.

Finita Sessione libri Joannis Huss fuerunt combusti in platea Palatii Episcopalis, videlicet liber de Ecclesia, & alia opuscula ejusdem.

SESSIO XVI. XI. Mensis Julii in majore Ecclesia, Præside eodem Joanne, post Missam & Litanias &c. præsentibus variis Cardinalibus & Episcopis, Andreas, Electus Poznaniensis, prælegit ex ambone deputatos Ambasiatores Sacri Concilii ad Aragoniam, ita ut hi omnes, vel ex iis quatuor, cum consensu Regis Sigismundi adeant & requirant Petrum de Luna, Benedictum XIII. nominatum, ut renuntiet Papatui. Datæ illis Bullæ, quibus Joannes XXIII. & Gregorius renuntiaverant, quarum autographa Instrumenta jubet Synodus asservari.

III. Datur certis Episcopis Judicibus potestas citandi sub pœna privationis eos, qui recesserunt a Concilio.

IV. Decernitur literas de justitia expediendas.

V.

V. Præſides habere poteſtatem dandi licentiam recedentibus.

VI. Cardinalibus de bonis Cameræ Apoſtolicæ providendum, mandatur Cardinali Camerario.

VII. Nuntiatur illos, qui ad Concilium Conſtantiæ, a Rege Francorum Carolo, & ab Univerſitate Pariſienſi miſſi fuerant, captos, ſpoliatos, vulneratos eſſe. Contra quorum captivatores ex conſenſu quatuor Nationum decreta fuit Bulla Concilii, & contra alios ſpoliatores venientium ad Concilium.

VIII. Mandat Concilium regiſtrari Inſtrumenta ratificatæ ſententiæ contra Joannem XXIII.

IX. Mandat transſumi literas de ceſſione Gregorii XII.

SESSIO XVII. XV. Julii die Lunæ. Joannes Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Vivarienſis, & Vice-cancellarius præſedit. Poſt Litanias dictas, & in iis triplici voto pro itinere incolumi Sigismundi Regis Rom., ad Regem Aragoniæ, pro abolendo ſchismate Petri de Luna profecturi, Joannes Epiſc. Oſtienſis Cardinalis dixit orationem ſuper Regem, flectentem ante Altare. Quibus peractis Rex Romanorum rediit ad ſedem ſolitam.

II. D. Antonius, Concordienſis Epiſcopus, de mandato Synodi legit ſchedulam conceſſionum, Legationis, ſalvi conductus, & aliorum indultorum Rmo Patri Domino Angelo Corario, Cardinali Portuenſi, per Concilium Conſtantienſe conceſſorum. &c.

III. Lecta fuit Scheda inhibitionis cenſuræ, & excommunicationis contra omnes impedientes eos, qui ad Concilium veniunt, vel ab eo licentiati recedunt.

IV. Decretum, quod impediens Regem Romanorum in itinere, ſit ipſo facto excommunicatus.

V. Singulis diebus Dominicis Miſſam celebrandam cum Proceſſione & orationibus pro itinere Regis, cum Indulgentia 100. dierum pro iis, qui Miſſæ &c. interſunt.

VI. Epiſtola Concilii Conſtantienſis ad Bohemos, quâ PP. eos orant, ut ſectatores peſtiferos Doctrinæ Wicleffi & Huſſi non permittant prædicare: mandant ſub pœnis excommunicationis, privationis Beneficiorum, & degradationis, ut pro ea hæreſi repellenda omnibus curis intendant, ſub appenſis ſigillis quatuor Nationum.

SESSIO XVIII. XVII. Auguſti, die Sabbati. Præfuit Joannes Epiſcopus Oſtienſis, Cardin. Vice cancellarius. Poſt Miſſam, Litanias, & reliqua:

I. Datur poteſtas quatuor Epiſcopis Judicibus definiendi, & cauſas per duos cognoſcendi.

II. Statuitur, adhibendam eſſe fidem Bullis Concilii, uti Literis Apoſtolicis.

III. Falſum committens circa Bullam Concilii, puniendus, uti falſarius Literarum Apoſtolicarum.

IV. Literas expediendas ſuper gratiis, a Joanne, olim Papa, conceſſis, exceptis exorbitantibus, & expectativis.

V. Deputantur Ambaſiatores ad Gregorium XII. olim, nunc Epiſcopum Cardinalem, ſuper negotiis unionis Eccleſiæ.

VI. Epiſtola Concilii Conſtantienſis ad Sigismundum, de rebus Huſſitarum.

VII. Literæ Bohemorum & Moravorum ad Concilium, apologeticæ Joannis Huſs.

SESSIO XIX. die XXIII. Septembris anni MCCCCXV. Sede Apoſtolica vacante, Præſide eodem Joanne Epiſcopo Oſtienſi, Cardinali Vivarienſi. Poſt celebratam Miſſam, Litanias, & reliqua:

I. Hieronymus de Praga, per Petrum Cardinalem Cameracenſem, & alios a Concilio Deputatos inſtructus de Fide recta S. Matris Eccleſiæ, antea accuſatus de hæreſi, & ideo per Concilium incarceratus, revocationis ſchedulam ſtans in ambone publice, & alta voce legebat . . . "Ego Hieronymus de Praga . . . anathematizo omnem hæreſin . . Wicleffi & Huſſi, . . inſuper juro me in veritate Eccleſiæ Catholicæ permanſurum." Sequuntur articuli 42. Wicleffi & Huſſi ab Hieronymo anathematizati.

II. Bertholdus de Wildung legebat Schedulam Ordinationis concessæ super Regulam S Francisci, &c.

III. Idem legit aliam constitutionem Concilii: quod non obstantibus salvis conductibus possit Judex competens de hæresi inquirere.

IV. Idem legit aliam constitutionem Concilii: quod Dominus Vice-Cancellarius *expediat* Caroli IV. Diploma, & Friderici II. Impp., approbatam ab Honorio III. Ordinationem pro Ecclesiastica libertate sub Bulla Sacri Concilii Constantiensis.

V. Committuntur causæ hæresis certis Judicibus: Joanni Patriarcha Constantinopolitano, & Joanni Episcopo Sylvanectensi, audiendæ, cognoscendæ, decidendæ, & terminandæ cum omnibus & singulis emergentibus, incidentibus, dependentibus & connexis &c.

VI. Statutum: quod Beneficiati, in Concilio Constantiensi præsentes, fructus Beneficiorum suorum in absentia a suis Ecclesiis recipiant.

VII. Quod Literæ super provisionibus ad Patriarchales, Metropolitanas, & alias Ecclesias, per Joannem olim Papam usque ad suspensionem concessæ, expediantur. Statutum Concilii lectum & approbatum.

SESSIO XX. XXI. Novembris anno MCCCCXV. Indictione VIII. Loco, tempore, & Præside Concilii iisdem. Post Missam, Litanias, & reliqua:

I. Antonius Concordiensis Episcopus legit Monitorium contra Fridericum Ducem Austriæ, in causa Tridentini Episcopi Georgii turbati in canonica possessione Ecclesiæ, civitatis, & oppidorum, sexdecim annis pacifice obtentorum. Decretum mox expeditum in forma debita publicandum, affigendum, Duce citato, octava die post lapsum 30. dierum ei assignatorum. Quatuor Nationes approbarunt per vocem: *Placet*, pro Germanica Natione Merseburgensis Episcopus.

II. *Die Sabbati VIII. Decembris*, fuit lecta coram convocatis quatuor Nationibus una Litera missa Cardinalis Angeli Corarii, olim Gregorii XII., gratias agentis Concilio pro benigna providentia circa suam personam.

Approbata a quatuor Nationibus & Cardinalibus.

III. Procurator Friderici Ducis Austriæ, a Monitorio, protestando, appellavit, & appellationis ac protestationis petiit Instrumentum. Contra, Procuratores Episcopi Tridentini petierunt Instrumentum Monitorii pro suo Episcopo.

IV. Congregatio ad audiendam relationem Ambasiatorum, Missorum a Concilio Constantiensi ad Petrum de Luna, & Regem Aragoniæ.

V. Capitula Narbonæ concordata inter Sigismundum Romanorum, & Hungariæ Regem, & Ambasiatores Sacri Concilii Constantiensis ex una parte, & ex altera parte Dominos de obedientia Petri de Luna anno 1415. 13. Decembris, in Capitulo novæ Ecclesiæ Narbonensis. Capitula erant XII.

VI. Nomina illorum, qui juraverunt Capitula Narbonæ approbata, e Germanis hi notantur:

Antonius Aquilejensis Cardinalis.

Petrus Cameracensis Cardinalis.

Petrus Archi Episcopus Rigensis, pro se, & Rege Daciæ, Sueciæ, & Norvegiæ.

Nicolaus Episcopus Merseburgensis pro se, & Archi Episcopo Magdeburgensi.

Joannes Episcopus Slesvicensis pro se, & Rege Daciæ, Norvegiæ.

Martinus Episcopus Atrebatensis pro se, & Duce Burgundiæ.

Georgius Episcopus Tridentinus.

Ulricus Episcopus Verdensis.

Joannes Episcopus Wormatiensis.

Thomas Episcopus Emonensis.

Andreas Poznaniensis, Ambasiator magni Ducis Witoldi, fratris Lithuaniæ Ducis.

Sifridus de (a) Ewagen, Ord. S. Benedicti, Augustensis Diœcesis.

Ever-

(a) *forte:* Elwangen.

Everardus Abbas in Lanz pro se, & Monasterio suo, & tanquam pro parte omnium Abbatum Ordinis S. Benedicti, Herbipolensis Diœcesis.

Hermannus de Argivillari, Abbas S. Petri, Ord. S. Benedicti, Tullensis Diœcesis.

Nomina Ambasiatorum & Procuratorum.

Petrus Cathon, Ambasiator Ducis Burgundiæ.

Leo de Nosereco, Licentiatus in Legibus, Canonicus, Decanus Bisuntinensis, Procurator Capituli ejusdem.

Abbas S. Pauli Bisuntinensis.

Theodoricus de Monasterio, pro Universitate Coloniensi.

Joannes Brunn, pro Episcopo Halberstadensi.

Petrus de Mera, pro Episcopo & Capitulo Trajectensi.

Paulus de Praga, pro Episcopo Luthomislensi.

Jacobus Baruth, pro Abbate S. Lamberti, Saltzburgensis Diœcesis.

Frater Angelus, Abbas Monasterii in Bura, Saltzburgensis Diœcesis, Ord. Cisterciensis, pro Monasterio suo, & Ernesto Duce Austriæ.

Petrus, Præpositus Canonicorum Regularium Monasterii in Lægingen, pro Monasterio suo, & Burggravio Nurembergensi.

Magister Petrus de Pulcra, pro Universitate Studii Viennensis.

Petrus Parthis, Ordinis Teutonicorum, pro dicto Ordine.

Andreas, Cantor Lubecensis, pro Episcopo & Capitulo Lubecensi, nec non pro Episcopo & Capitulo Brandenburgensi.

Joannes de Burnen, pro Episcopo Monasteriensi.

Joannes Grez-Reginæ, pro Abbate Mobedeus, Pragensis Diœcesis, Ord. S. Benedicti.

Matthias de Ville, pro Præposito in Vienna, Pataviensis Diœcesis.

Joannes Gervuer, pro Henrico Episcopo Verdensi.

Joannes Tremosinus, pro Præposito Thoalarensi, Diœcesis Pragensis, Ord. Præmonstratensis.

Stephanus Poletz, pro D. Episcopo Luthomislensi, & Universitate Studii Pragensis.

Theodoricus Cintemberg, Cancellarius Episcopi Ubracensis (Vratislaviensis) pro Ducibus Silesiæ.

Voalmarus Sals & Luderus Rector, pro Episcopo Hildesheimensi, & Capitulo ejusdem.

Petrus Tetinger pro se, & Abbate Fuldentio, Præposito Nurembergensi, Pataviensis Diœcesis.

Frater Bernardus, Prior domus Cartusiæ, prope Argentinam, Procurator Prioris majoris Cartusiæ.

Nicolaus, Officialis Brixinensis, pro Episcopo & Clero Brixinensi, & Ernesto, Duce Austriæ.

Petrus de Holtzkirchen pro se, & Abbate Fuldensi, Ord. S. Benedicti, Diœcesis Herbipolensis, & Præposito Nurembergensi, Pataviensis Diœcesis.

Simon Dobetheus, Archi-Diaconus Vapincensis, Procurator Capituli Atrebatensis.

Theodoricus de sancto Deodato, Licentiatus in Legibus, Procurator Episcopi Tullensis.

Vernejus Militis, Decanus Ecclesiæ Bambergensis, Bremensis Diœcesis.

Henricus de Molendino, Canonicus Bremensis, Ambasiator Domini Bremensis Archi-Episcopi.

Antonius de Zwanewarde, Procurator Præpositi & Capituli Ecclesiæ S. Salvatoris, Harlebeccensis Diœcesis, & Decani & Capituli Ecclesiæ B. Mariæ Cortracensis, Tornacensis Diœceseos.

Hugo Fabri, Magister in Artibus & Medicinis, Procurator Episcopi Cameracensis.

Otto de Milex, Præpositus Ecclesiæ Herbipolensis, pro se, & Episcopo Herbipolensi.

Joannes Habunde pro se, & Episcopo Eystettensi, & Duce Franconiæ.

Bertholdus Ruke, Præpositus Lubecensis pro se, & Episcopis Darbatensi, Oziliensi & Coronensi.

Petrus Storch in Theologia Doctor, pro Universitate studii Lipsiensis.

Joannes Crefte, Licentiatus in utroque jure, pro Duce Guillelmo Bavariæ, Comite Hollandiæ, Hannoniæ, & Zelandiæ.

Magifter Albertus de Nuremberga, pro fe, & Epifcopo Bambergenfi.

Philippus de Lumpreffa, Literarum Apoftolicarum Scriptor, pro fe, & Bartholomæo, Abbate Monafterii S. Laurentii extra muros Tridentinos.

Cuntzo de Swolá, Auditor caufarum S. Palatii Apoftolici: & Albertus Varemtapp pro fe, & Archi-Epifcopo Pragenfi.

Joannes & Arnoldus Forcheim, Literarum Apoftolicarum Scriptores, pro fe, & electo Metenfi.

Michael de Ezfedal, Rector Parochialis Ecclefiæ in Lofen, Vratislavienfis Diœcefis, pro Præpofito Martalenfi, Ordinis Præmonftratenfis, Conftantienfis Diœcefis.

VII. Epiftola Francifci, Narbonenfis Epifcopi, ad quinque Cardinales: de unione inita cum obedientia Benedicti XIII. lecta in hac Seffione.

VIII. Copia fubtractionis per Regem Aragonum & Siciliæ, Ferdinandum, facta Domino Petro de Luna ab ejus obedientia.

IX. Copia literæ claufæ ex parte dicti Domini Regis, directæ Domino Imperatori.

1416. 4. *Februarii* Congregatio Cardinalium, Prælatorum, & Procuratorum in Ecclefia Cathedrali Conftantiæ: in qua DD. Cardinales & Epifcopi juraverunt Capitula Narbonæ inita inter tres obedientias Joannis XXIII. & Gregorii XII. ex una olim Paparum, ex altera Petri de Luna. . . In teftimonium juratorum Capitulorum fubfcribit Petrus Cardinalis Cameracenfis.

1416. 20. *Februarii* in Congregatione Dominorum de Concilio ftatuerunt de officiis Curiæ quondam Gregorii XII. admittendis. *2do.* citandos Huffitas, diffamantes Concilium ob Huffum damnatum. *3tio* Monitorium mittendum captivatoribus, fpoliatoribus familiarium Domini Guillelmi Electi Argentinenfis: cujus Monitorii tenor fubjungitur, dati Conftantiæ 10. Martii anni 1416.

1416. 24. *Februarii* Congregatio Generalis Synodi, in Ecclefia, in qua

I. Lectum Decretum de admittendis Officialibus olim Gregorii XII.

II. Auditur Legatus Ferdinandi Regis Aragoniæ.

III. Fit relatio in caufa Fidei de articulis 102. contra Hieronymum de Praga, teftibus auditis: poftulatur a Promotore fententia.

IV. Joannes de Scribanis Promotor, pofcit pœnas contentas in Monitorio, contra fpoliatores Tridentini Epifcopi declarandas.

V. De tribus Sanctis Sueciæ, Norwegiæ & Daniæ Regnorum fuit decretà remiffio ad partes fuper examinatione.

VI. Recenfentur articuli 45. Hieronymi de Praga, & hujus refponfa ad articulos. Rurfum alii articuli 102. & Promotoris inftantia, ut per torturam cogatur edicere verum & ftatum fuum aperire.

VII. Caufa Argentinenfis. *Harduin. Lunig habent acta* inter Capitulum Ecclefiæ Argentinenfis & civitatis Confules ex una, & ex altera parte inter Wilhelmum electum Epifcopum Argentinenfem.

1416. *die* 30 *Aprilis* fuit Seffio publica fine folemnitatibus.

I. Epifcopus Laudenfis fecit fermonem de morte Ferdinandi Arragonum Regis, & Alfonfi Filii in Regnum fucceffione.

II. Epiftola Joannis Doctoris ad Concilium de geftis in Regno Arragoniæ: Alterius Epiftola de geftis in Regno Caftellæ in Comitatibus Fuxi, & Arminiaci, lectæ fuerunt.

III. Henricus de Piro Promotor popofcit declarari, quod Argentinenfes jam incurrerint pœnas in monitorio miffo contentas: mox Procurator Capituli Argentinenfis appellavit, & Apoftolos dari fibi voluit.

IV. lecta Epiftola Regis Francorum de novem affertionibus Joannis Parvi.

V.

V. Concilium censuit non deferendum Procuratori Capituli Argentinensiis, ejusque appellationi ; sed eam temerariam & frivolam esse.

1416. 5. *Maji* Congregatio Generalis loco consueto.

I. Joannes Gerson protulit causam Regis Francorum & Universitatis Parisiensis contra novem assertiones Joannis Parvi.

Martinus, Episcopus Atrebatensis, pro Duce Burgundiæ petiit terminum ad replicandum Gersoni.

II. Promotor accusavit contumaciam Capituli Argentinensis.

III. Alamannus Cardinalis Pisanus sermonem fecit de justitia cuivis administranda.

IV. Epistola Sigismundi Regis ad Concilium lecta : qua petiit suspendi declarationem Monitorum usque ad suum adventum.

V. Lectus libellus novem assertionum Joannis Parvi.

VI. Deputantur Commissarii in causa Argentinensi, ad recipiendum testes per Concilium.

1416. 9. *Maji* Congregatio Generalis per modum Sessionis publicæ.

I. Lectæ quatuor literæ: prima Sigismundi ad Concilium.

II. Schedula prorogationis in causa Argentinensi.

III. Regis Romanorum.

IV. Universitatis Pragensis. *Subjiciuntur tenores dictarum literarum.*

1416. 11. *Maji* Congregatio in causa Argentinensi.

1416. 16. *Maji* Altera Congregatio in eadem causa. Deputatio Commissariorum in eadem causa.

1416. 23. *Maji* In Congregatione referuntur responsa Hieronymi de Praga.

1416. 26. *Maji* Relatio de fulminatis certis sententiis a Cardinali Angelo Corario, contra Comitem de Urbino Eugubiensis Diœcesis.

Continuatum examen & interrogatio Hieronymi de Praga, ejusque responsa. Demum Hieronymus revocationem olim factam improbavit, Wicleffum & Hussum sanctos, bonos viros fuisse, asseruit, se eorum doctrinam tenere. His auditis Promotores petierunt definitivam sententiam in proxima Sessione.

SESSIO XXI. *anno* MCCCCXVI. 30. *Maji* in Ecclesia Constantiensi. Præside Joanne Episcopo Ostiensi, Cardinali Vivariensi.

I. Post Missam, Litanias, & reliqua sermo fuit factus ab Episcopo Laudensi.

Eo sermone finito, Magister Hieronymus ascendens quandam Bancam replicavit contra ejus sermonem.

His & aliis auditis, Patriarcha Constantinopolitanus sententiam definitivam contra eum legit, quam Concilium approbavit.

Ea lecta: Hieronymus est traditus potestati sæculari, & combustus fuit.

II. Lecta Epistola Sigismundi Regis ad Concilium, qua ostendit desiderium pacis & concordiæ Ecclesiæ.

III. Epistola Archi-Episcopi Moguntini, quâ se excusat apud Regiam Majestatem, quod in senio constitutus ob necessitates Ecclesiæ suæ non possit ad Synodum venire.

IV. Lectus tenor declarationis pœnarum, in quas Decanus, Capitulum, & civitas Argentinæ incidit, ob Wilhelmum Electum Episcopum, & Cantorem, vi captos, nec hactenus dimissos, uti moniti fuerant.

1416. 5. *Junii* Congregatio Generalis.

I. Regis Portugalliæ Ambasiatores Concilio commendantur.

II. Comes de Nelleburg, locum tenens Gubernatoris & Custodis sacrosanctæ Synodi Constantiensis, per os Episcopi Verdensis proposuit Literas Fratris sui Canonici Argentinensis, excusatorias de captione Wilhelmi, Electi Argentinensis, adeoque illum in pœnis, in Monitorio latis, comprehendi non posse.

1416. 27. *Junii* Congregatio Generalis fuit in causa Argentinensis Wilhelmi. Disputatum pro & contra.

II. Le-

II. Lecta Epistola Regis Francorum super promotione Electi Wilhelmi.

III. Lecta Capitula pro D. Argentinensi a Patriarcha Antiocheno coram deputatis Commissariis causæ.

1416. 4. *Julii* Loco & tempore consuetis, Congregatio Generalis absque solemnitate.

Florentinus Cardinalis fecit sermonem pro concordia.

Magister Joannes Abundi obtulit literas clausas a Serenissimo Rege Aragoniæ, & instrumentum publicum Procurationis pro Domino Texal Gerali O. B. M. de Mercede.

Ea lecta Magister Antonius Texal, conscenso ambone, fecit collationem in laudem Regis dicti, & excusavit de tardatione missionis Ambasiatorum ad Concilium.

Magister Abundi quandam commissionis schedulam pro Domino Joanne Cornelii Decretorum Doctore legit.

Tenores horum instrumentorum & literarum sequuntur.

Procuratorium personæ Antonii Texal pro Rege Aragonum, lectum a Joanne Abundi.

Responsum Concilii Constantiensis factum Generali O. B. M. de Mercede, Ambasiatori Regis Aragonum.

Commissio per Joannem Abundi pro Doctore Tolosano in causa Archidiaconatus Ulmensis Ecclesiæ Tolosanæ.

1416. 14. *Julii* Literæ Regis & Reginæ ad Congregationem quatuor Nationum: quia Rex & Regina Castellæ volebant se unire Congregationi, non tamen esse Concilium Generale ante adventum Legatorum Castellæ.

Auditus Nuntius a Duce Albaniæ, Gubernatore Scotiæ, (cujus Rex captivus tenebatur jam a 12. vel circa annis a Rege Angliæ.)

1416. 18. *Julii.* Congregatio, in qua solum de causis particularibus actum fuit.

I. Lecta Scheda in causa Fidei.

II. Scheda in causa Tridentina.

III. De citatione olim Decreta contra Nobiles Bohemiæ, & Moraviæ. Procurator supplicat pro executione causæ.

IV. Præpositus Quinquecclesiensis legit Schedulam Deputationis Commissariorum in causa Fidei, & in causa Tridentina.

V. Promotor Concilii petit deputari Commissarios in causa Georgii Episcopi Tridentini, contra Fridericum Ducem Austriæ.

VI. Promotor Henricus de Piro petit executionem citationis contra fautores Wicleffistarum, quosdam Nobiles de Bohemia & Moravia. Deputantur Commissarii ex quatuor Nationibus: pro Germanica Nicolaus Episcopus Merseburgensis, & Joannes de Alexandria.

VII. Commissio in causa Fidei contra fautores Hussi in Bohemia & Moravia.

10. *Augusti* placuit Nationi Italicæ.

20. *Augusti* placuit Nationi Germanicæ.

21. *Augusti* placuit Nationi Gallicanæ.

VIII. Executio citationis Bohemorum in audientia Constantiæ facta.

Dein executio in partibus Bohemiæ facta, alia, & alia.

1416. 10. *Septembris* Congregatio Generalis. Excepti Ambasiator Alphonsi, Aragonum Regis, qui gratias egit Concilio ob exspectatos Ambasiatores suos, & offert se paratum ad unionem.

II. Legitur Instrumentum Procuratorium Regis Aragonum, Siciliæ, Sardiniæ &c. Legatos accedere Constantiam ad Congregationem, ut fiat unum Generale Concilium.

1416. 16. *Septembris* Congregatio Generalis, sine solemnitatibus. Ludovicus Comes Palatinus, Dux Bavariæ Gubernator, & locumtenens Sigismundi pro Concilio Constantiensi, protestatur contra Ambasiatores Jacobi de Neapoli, & Reginæ ejus uxoris, qui prætendebant variorum Regnorum titulos &c.

Laurentius de Neapoli, Ambasiator pro Jacobo, & Joanna, pro iis peroravit.

II. Le-

II. Lectæ literæ Regis Poloniæ per D. Petrum de Polonia.

III. Lecta Epistola Magistri Generalis O.B.M. Teutonicorum, pro pace inter eos, & Regem Poloniæ, mediante Sigismundo Rege Rom. & Concilio promovenda.

IV. Literæ Universitatis Cracoviensis. Laudat zelum Concilii contra hæreses Wicleffi, & Hussi &c. Hortatur ad eligendum Pastorem unicum, Christi Sectatorem.

V. Lectum procuratorium Jacobi, & Joannæ, Regum Ungariæ, Siciliæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Jerusalem, Raviæ, Serviæ, Galiciæ, Ludomiriæ, Bulgariæ, & Neapoleos.

VI. Literæ credentiæ Regis & Reginæ Neapoleos.

1416. 19. *Septembris.*

I. Lectum instrumentum confirmationis concordatorum, in Narbona initorum per Regem Navarræ.

II. Literæ credentiæ ejusdem Regis Navarræ.

III. Subtractio Regis Aragonum ab obedientia Petro de Luna.

IV. Subtractio obedientiæ Regis Navarræ eidem facta.

V. Subtractio Comitis Fuxi.

VI. Decretum suspensionis sententiarum &. processuum in diversis obedientiis.

SESSIO XXII. 15. *Octobris anno* 1416. *Indict. IX.*

I. Schedula lecta per Ambasiatores Regis Aragonum.

II. Literæ convocatoriæ scriptæ a Miseratione Divina Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Prælatis, & cæteris, in Constantia Provinc. Moguntinensis in Christi nomine congregatis, (a) ad Illustrem Principem Ferdinandum Aragoniæ & Siciliæ Regem, ut ipse cum subditis veniat ad tractandum una secum de exstirpando schismate (non obstante pertinacia Petri de Luna, nolentis cedere) suos subditos convocari, moneri per Regem orant.

Ea lectura finita, Oratores Domini Alfonsi dixerunt: Nos Oratores convocamus vos omnes Prælatos & cæteros juxta tenorem dicti Capituli.

III. Concedit Synodus Ambasiatoribus Regis Aragonum, Castellæ, Portugalliæ, Navarræ, vocem in natione Hispanica, observando Capitula Narbonensia.

IV. Ambasiatores Regis Aragonum acceptant omnia decreta & acta secum facta, edita in sacra Generali Synodo Constantiensi.

V. Antonius Taxal fecit brevem collationem. Cui respondit Franciscus Cardinalis nomine Synodi per brevem collationem.

Tum cantatus Hymnus: *Te Deum laudamus.* Cantata Missa de Spiritu S., Litaniæ, & reliqua.

VI. Sessio de unione Ambasiatorum Aragonum.

VII. Decretum locationis eorundem Ambasiatorum.

VIII. Protestatio Ambasiatorum Regis Jacobi & Reginæ Joannæ.

IX. Protestatio pro Rege Francorum.

X. Promotores Henricus de Piro de Colonia, Licentiatus in Decretis, & Joannes de Scribanis de Placentia, petierunt per Protonotarios Sedis Apostolicæ fieri instrumenta ad conscribenda acta Concilii Constantiensis. Ambasiatores Regum idem petierunt.

SESSIO XXIII. 5. *Novembris anno* 1416. Loco & tempore consuetis. Præside Joanne Episcopo Ostiensi, S. Rom. Eccl. Cardinali Vice-Cancellario. Post Officium Missæ, Litanias & alia, fuit lecta

I. Commissio Deputatorum super informatione summaria facienda ad effectum citationis personalis, & per edictum contra Petrum de Luna.

II. Processus in causa hæresis & schismatis contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. in sua obedientia nuncupatum, coram S. Synodo & Commissariis habitus.

(a) Non audebant sibi nomen *Concilii* attribuere.

SESSIO XXIV. 28. *Novembris anno* 1416. Eodem loco, tempore, & præside. Poſt Miſſam, Litanias, & Orationes

Citatio decreta contra Petrum de Luna & lecta: quam quatuor Nationes approbarunt.

SESSIO XXV. 14. *Decembris anno* 1416. *die Lunæ, Indict. IX.*

I. Unio & incorporatio D. Comitis de Fuxo per ejus Ambaſiatores.

II. Cuſtodia, regimen, cura Eccleſiæ Olomucenſis in Spiritualibus, vacans per obitum Wenceslai Patriarchæ Antiocheni, Joanni Epiſcopo Luthomislenſi commiſſa fuere. Expediendæ litteræ a Cardinali Vice-Cancellario.

III. Literæ credentiæ Comitis Fuxi pro Epiſcopis Olorenſi, & Adurenſi, Legatis ſuis.

IV. Inſtrumentum procurationis D. Comitis Fuxi, & trium Statuum Dominiorum ſuorum.

His lectis unio & incorporatio dictorum Dominorum per quatuor Nationes facta. Et cantatum: *Te Deum laudamus.*

V. Lecta Schedula Deputationis Commiſſariorum in cauſa Tridentina, pro Natione Hiſpanica.

VI. Schedula Approbationis ſuper victualibus, & penſionibus domorum cum civibus Conſtantienſis. Una cum taxa lectorum, domorum, victualium pro equis & hominibus.

SESSIO XXVI. 25. *Decembris anno* 1416. Hora, loco, & præſide iisdem.

I. Unio & incorporatio Caroli, Regis Navarræ, in ſuis Ambaſiatoribus.

II. Decretum de non derogando juri alicujus Nationis in prioritate votorum, lectum ab Epiſcopo Aretino nomine Concilii: quod acceptant Legati Regis Navarræ; Dein convocant omnes Prælatos, & cæteros Dominos, juxta tenorem Capituli Narbonenſis.

III. Legitur Procuratorium Caroli, Regis Navarræ, Ducis Nemauſenſis.

IV. Procuratorium Status Cleri Regni Navarræ.

V. Procuratorium Domini Decani Beatæ Mariæ de Tutela.

VI. Procuratorium D. Abbatis de Oliva, Pampilunenſis Diœceſis.

VII. Procuratorium D. Abbatis de Tiraſona, Tiraſonenſis Diœceſis.

VIII. Procuratorium Abbatis de Yrancio, Pampilonenſis Diœceſis.

IX. Procuratorium Abbatis de Irachis, Pampilon. Diœc. & aliorum Abbatum & Capitulorum.

X. Citatio Friderici Ducis Auſtriæ, & aliorum in cauſa Tridentina.

XI. Fit relatio citationis factæ.

XII. Deputantur Commiſſarii in cauſa Auguſtenſi, Monaſterii Cæſareenſis.

SESSIO XXVII. 20. *Februarii anno* 1417. Loco & Præſide iisdem.

Poſt Officium Miſſæ, Litanias, & reliqua:

I. Fuit accuſata contumacia Friderici, Ducis Auſtriæ, & aliorum in Monitorio nominatorum.

II. Relatio facta per Commiſſarios in cauſa Tridentina ſuper executione Monitorii, & approbata.

III. Referuntur tenores dictarum citationum.

IV. Deputantur Commiſſarii ad recipiendas informationes Monaſterii Cæſarienſis, Ord. Ciſtercienſis, Auguſtenſis Diœceſeos, occaſione invaſionum, exactionum, & injuriarum illatarum a Ludovico, Duce Bavariæ.

SESSIO XXVIII. 3. *Martii anno* 1417. in Majore Eccleſia Conſtantienſi. Præſide Joanne, Epiſcopo Oſtienſi.

Poſt Miſſam, Litanias, & reliqua ſupervenit Sereniſſimus Rex Roman. & Hungariæ Sigismundus cum ſuis Nobilibus.

I. Poſt accuſatam Ducis Auſtriæ contumaciam Nicolaus Epiſc. Merſeburgenſis legit Decretum Concilii Conſtantienſis, quo declarabat Fridericum, Ducem Auſtriæ, ob Georgium Epiſcopum Tridentinum, ejusque urbes & oppida capta, ſpoliata, invaſa, violato juramento, facto Sigismundo Regi

Regi de restituendo, in omnes pœnas constitutione Carolina contentas, incidisse.

II. Protestatio Ambasiatorum Regis Francorum pro justitia ejusdem Regis elucidanda.

SESSIO XXIX. 8. *Martii anno* 1417. Loco, tempore, & Præside, *ut supra.* Post Sacrum factum, Litanias, & reliqua:

I. Stephanus, Dolensis Episcopus, legit deputationem Procuratorum & Notariorum, a Concilio Constant. factam in causa contra Petrum de Luna.

II. Ordinatio lecta super contumacia Domini Petri de Luna.

III. Instrumentum executionis lectum.

SESSIO XXX. 10. *Martii anno* 1417. in majori Ecclesia Constantiensi.

Præsedit D. Joannes, Episcopus Ostiensis, Cardin. Vice-cancellarius.

Interfuit Sigismundus Rex cum multis Principibus.

Post Sacrum, Litanias &c.

I. Legati ad Petrum de Luna, retulerunt, eum inventum in castro Paniscola, citatum, & instrumenta Concilii ei exhibita fuisse.

II. Concilium Constantiense approbat subtractionem obedientiæ factam per Regem Aragonum Petro de Luna.

III. Instrumentum responsionis per Petrum de Luna factæ, productæ, & lectæ.

IV. Practicæ viæ schismatis abolendi per Petrum de Luna duæ: prima via renuntiationis, altera via compromissionis.

V. Instrumentum executionis in personam factæ per D. Lambertum de Stipite, Priorem Ordinis Cluniacensis, Diœcesis Leodiensis, Paniscolæ in Dertusensi Diœcesi.

Post quorum Instrumentorum lectionem Promotores petierunt publica instrumenta fieri, & inter acta Synodi registrari.

SESSIO XXXI. die 31. *Martii anno* 1417. Post Missam dictam & Litanias, & reliqua: lectum

I. Monitorium contra Comitem Virtutum, ob vim illatam Alberto, Episcopo Astensi, capto & incarcerato: Commissarii dati: affixæ citationis schedulæ.

II. Lectum Decretum super redintegratione Ecclesiæ Bajonensis, quæ per plures annos, duos Episcopos habuerat, scilicet Petrum, a Joanne XXIII. nominatum, sed jam defunctum: & Guillermum adhuc superstitem, quem Petrus de Luna illius Sedis Episcopum dixerat. Statutum a Concilio, ut Guillermus totum Episcopatum obtineat & regat.

III. Præsentantur literæ missivæ Regis Poloniæ ad Concilium, item literæ Advocati Ord. B. M. Teutonicorum. Neutræ lectæ, quia Nationibus non fuerant ante communicatæ.

IV. Petrus de Polonia legebat aliud Decretum, quo subrogabantur Domini Jacobus Plocensis Nationis Germanicæ, Petrus Olorensis Nationis Anglicanæ, Thomas Emonensis Nationis Italicæ, Episcopi: loco Dominorum Ulrici Verdensis, Patricii Cortagensis, Lazari Czinensis Episcoporum, in causa Fidei de Regno Bohemiæ.

Qua subrogatione facta, fuit deputatus in una alia causa Fidei de Regno Bohemiæ R. D. Hieronymus electus Ariminensis, loco Bartholomæi electi Alexandrini in Lombardia.

V. Promotores petierunt fieri instrumenta.

VI. His factis, de licentia Synodi Petrus de Polonia legebat certam literam missivam ad Conc. Constantiense per Regem Poloniæ, & Ducem Witoldum, qua excusabant, pacem non factam inter se, & Ordinem Teutonicorum.

VII. Protestationes variæ Anglicanorum de divisione in quatuor Nationes, contendentium, quod Anglia mereatur vocem pro sua Natione &c.

SESSIO XXXII. 1. *Aprilis anno* 1417. Loco, tempore, & Præside iisdem.

Post Missam, Litanias, & reliqua:

I. Præses deputavit ex quatuor Nationibus, & Cardinalibus, qui Petrum de Luna ad valvas Ecclesiæ citent, & de

de citatione facta referant ad Synodum.

II. Articuli contra Petrum de Luna numero 81. Testes citati, auditi. Novæ citationes ad Valvas.

III. Instrumentum contractus inter Cardinales facti, & subscripti per ipsos & Notarios, qualiter eligendus in Papam debeat esse constitutus.

SESSIO XXXIII. 12. *Maji anno* 1417.

Præside Joanne, Episcopo Ostiensi.

Præsente Rege Roman. & Hungariæ Sigismundo. Post Missam, Litanias, & reliqua:

Facta iterata citatione Petri de Luna & relatione, lectum Decretum de publicatione attestationum, & citatione ad contra objiciendum.

Tenores citationum & schedularum sequuntur.

SESSIO XXXIV. 5. *Junii anno* 1417. *Indict. X.* præsedit Joannes, Episcopus Ostiensis, Cardin. Vice-cancellarius. post Missam, Litanias, & reliqua:

I. Duo Commissarii conscenso ambone legerunt articulos productos contra Petrum de Luna, & eorum probationes per testes.

II. His peractis Episcopus Concordiensis legit Decretum ex mandato Synodi.

III. Promotor petit fieri instrumenta actorum lectorum.

SESSIO XXXV. 18. *Junii anno* 1417. Præsens Imperator & Rex cum multis Principibus, & Nobilibus sibi inservientibus.

I. Ambasiatores Regis Castellæ & Legionis post lectum procuratorium, ascenderunt ambonem, & tria se facturos, edixerunt:

Concilium Constantiense convocaturos.

præsenti congregationi in Constantia se unituros.

Subtractionem obedientiæ in Narbona ratificatam, juxta capitula ibidem concordata, approbaturos.

II. Oratores & procuratores Illustrissimi Domini Infantis Henrici, Ordinis sacræ Militiæ sancti Jacobi de Spata, Generalis Magistri.

Convocant omnes prælatos & decanos in hac congregatione.

Uniunt se ipsis.

Acceptant Capitula concordata in Narbona.

III. Ambasiatores Regis Castellæ

Approbant Capitula Narbonensia.

Ab obedientia Petri de Luna se subtrahunt, nil obstantibus juramentis eidem factis.

Uniunt se Dominis Constantiæ congregatis.

IV. Legitur procuratorium Oratorum Regis Castellæ.

V. Promotor Concilii omnia acceptat, poscit instrumenta fieri.

VI. Canitur: *Te Deum laudamus.*

Ab hac die incipit juxta literam esse Concilium universale Constantiæ, ab Sessione 36. ad Sessionem 45. & ultimam.

SESSIO XXXVI. 22. *Julii anno* 1417.

præside Joanne Episcopo Ostiensi.

post Missam, Litanias, & reliqua:

I. Legitur Decretum citationis ab Episcopis faciendæ, & affigendæ valvis Ecclesiæ: fit omnium relatio ad Concilium.

II. Legitur Decretum cassationis pœnarum, dictatarum per Petrum de Luna, vigore cujusdam constitutionis pro Ambasiatoribus Regis Castellæ.

III. Citatio ad audiendam sententiam.

IV. promotores petunt fieri instrumenta.

SESSIO XXXVII. 26. *Julii anno* 1417.

præsedit Joannes, Ostiensis Episcopus.

Interfuit Rex Roman. & Hungariæ cum insignibus Regalibus, & Nobilibus, sibi inservientibus.

post Missam, Litanias & Sermonem habitum:

I. Lecta fuit per Guillermum Cardinalem S. Marci sententia definitiva, qua Benedictus XIII. ob gravia crimina schismatis, hæresis, ob violatum articulum: *Unam, Sanctam, Catholicam Eccle-*

Ecclesiam. . . . . privatur, deponitur a Papatu, eidem inhibetur, ne pro Papa se gerat, omnesque Christiani ab ejus obedientia absolvuntur, vetitum insuper sub pœnis gravissimis, ne quis ei adhæreat.

His peractis Cardinalis Præses nomine Synodi dixit: *placet*.

II. Subscripserunt Protonotarii: exemplaria postulata.

SESSIO XXXVIII. 28. *Julii anno* 1417. Loco, tempore, Præside iisdem.

Post Missam, Litanias, & reliqua:

I. Dominus Petrus de Lomburga legit Decretum Concilii Constantiensis irritans pœnas omnes ab anno 1416. latas contra Ambasiatores Infantis Henrici, Filii Joannis, Regis Castellæ.

II. Idem legit Decretum revocationis vocum Ambasiatoribus Regis Aragonum concessarum.

III. Unus Ambasiator Regis Aragonum protestatus est de nullitate hujus Decreti.

IV. Adjunguntur Commissarii novi in causa Argentinensi.

V. Protestatio Cardinalium contra reformationem, ante electionem Pontificis præmittendam.

VI. Protestatio trium Nationum Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ contra Nationem Germanicam, quæ volebat reformationem præmittendam electioni novi Pontificis, facta 11. Septemb. anno 1417.

VII. Protestatio Nationis Germanicæ facta in Concilio contra electionem Papæ, reformationi præmittendam.

Anno 1417. 23. *Septembris Congregatio inter Sessionem 38vam & 39nam* pro Concordia inter quatuor Nationes: Italicam, Hispanicam, Gallicanam & Anglicam (quæ a Sigismundo Rege se jam sejunxerat) & Germanicam, quæ sola cum Rege volebat fieri reformationem ante electionem.

Concordia hoc modo facta per Episcopum Vintoniensem, Anglum, tum casu Constantiam invitatum ex vicinia itineris in Jerosolymam: qui, cum esset Patruus Regis Angliæ, persuasit Sigismundo, & Nationi Germanicæ, ut primo eligeretur certus Pontifex, sed ante electionem per Decretum Concilii in forma fieret *Cautio de fienda Reformatione*, post electum Papam, & expedirentur Capitula reformationis, concordata per omnes Nationes, & darentur Deputati ad ordinandum modum electionis.

II. Lectus fuit tenor Commissionis super præsidentiam inter Legatos Regis, & Reginæ Castellæ, & Legionis, & Navarræ, ex una parte, & ex alia inter Legatos Regum Aragonum, Siciliæ, & Portugalliæ.

SESSIO XXXIX. 9. *Octobris anno* 1417. Præses, locus, & tempus idem.

Post Missam, Litaniam, & reliqua:

I. Bartholomæus, Archi-Episcopus Mediolanensis, legit Decretum de Conciliis Generalibus, a fine hujus Concilii in quinquennium, post in septennium, demum a decennio in decennium celebrandis.

II. Forma præscripta Professionis edendæ a futuro Pontifice.

III. Ne Prælati transferantur inviti.

IV. Spoliorum exactiones, & procurationes ratione visitationis interdictas esse, & manere.

V. Potestas definiendi possessorium causæ Episcopatus Cumanensis, tribus Episcopis de Concilio commissa.

SESSIO XL. 30. *Octobris anno* 1417.

Post Missam de Spiritu S., Litanias, & reliqua:

I. Lectæ a Cardinali Guillermo, Tit. S. Marci, Reformationes XVIII. fiendæ per Papam una cum Concilio, priusquam Concilium dissolvatur.

II. Decernitur procedendum ad electionem Papæ Romani, absentia Cardinalium Petri de Luna non obstante.

III. Statuitur modus & forma eligendi Pontificis.

SESSIO XLI. 8. *Novembris anno* 1417. *Indict. X*. Loco, tempore, consuetis.

Interfuit Sigismundus Rex cum Insigniis.

Post Missam, Litanias, & reliqua:

I. Episcopus Laudensis habuit sermonem in illud: *Eligite meliorem*. (*)

[*] IV. Reg. X.

II. Lecta conſtitutio Clementis Papæ VI. de modo & forma tenendis ſuper victualibus Cardinalium in Conclavi exiſtentium.

III. Capitula X. juranda per Electores Romani Pontificis, & cuſtodes Conclavis.

IV. Nomina jurandorum.

V. Decretum de Electoribus Romani Pontificis pro hac vice. Juxta ordinationem Concilii, Cardinalibus ex eorum voluntate & conſenſu adjunguntur Patriarcha Conſtantinopolitanus, V. Archi-Epiſcopi, & XI. Epiſcopi, deinde dilecti Eccleſiæ Filii: Jacobus Bennenſis electus, Italicæ, Robertus Cluniacenſis Gallicanæ, Thomas S. Mariæ Eboracenſis Anglicanæ, Monaſteriorum Abbates. Leonardus Generalis Ord. Prædicatorum, ſacræ paginæ, Italicæ: Thomas, Decanus Eboracenſis, Anglicanæ: Pandulphus de Malateſtis, Archidiac. Bononienſis, Italicæ: Waltherus Graſſi, Prior Rhodi Decretorum, Gallicanæ: Philippus de Madalia, Archidiac. Pœnitentiarius in Eccl. Barcin. ſac. paginæ, Hiſpanicæ: Lambertus de Stipite, Prior de Berkeneyo, Gundiſalvus Garciæ de Bruneſta, Decretorum: Walaſchus Petri, juris utriuſque, Hiſpanicæ: Nicolaus de Dinckelſpuel, Conradus de Suſato, ſacræ paginæ Doctores, Germanicæ Nationis.

VI. Decretum de non ſpoliando eligendum in Papatu.

VII. Decretum annullationis proteſtationum, contentionum, nec non ſuſpenſionis cauſarum, & audientiæ litium.

VIII. Introitus Conclavis.

IX. Electio Papæ die Jovis in Feſto S. Martini, XI. Novembris. Odo de Columna, Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, concordi voce eligitur, qui Martinus V. vocari voluit.

X. Coronatio Papæ. Vigeſima prima Novembris, die Dominica, in Eccleſia majore Conſtantienſi, deducente Sereniſſimo Imperatore, & Prælatis omnibus coronatur. Coronatus per Sigismundum Regem a dextris, per Marchionem Brandeburgenſem a ſiniſtris ducitur fræno equi, cui Papa inſidebat, ab Eccleſia ad Monaſterium S. Auguſtini, per circuitum ad Conſtantienſem Cathedralem ſolemniſſime reductus.

SESSIO XLII. 28. *Decembris anno* 1417. Præſedit ipſus Papa Martinus.

Poſt Miſſam, Litanias, & reliqua:

I. Sigismundus Rex jurat fidelitatem Eccleſiæ Romanæ: Confirmatur ejusdem Regis electio.

II. Guillermus, S. Marci Cardinalis, legit Bullam Martini V. ſcriptam Domino Imperatori, qua eum liberat ab onere cuſtodiendi Joannis XXIII. & eum ſibi Papæ traditum fatetur.

SESSIO XLIII. 21. *Martii anno* 1418. *Indictione XII.*

Præſedit Martinus Papa V.

Poſt Miſſam, Litanias, & ſolita: Guillermus Cardinalis prælegit Decreta per Dominum Papam, & Synodum facta.

I. De exemptionibus Eccleſiarum, Capitulorum, Monaſteriorum, poſt obitum Gregorii XI. factis, quas revocat, & priſtinæ Ordinariorum jurisdictioni ſubjicit.

II. Uniones ab eodem tempore factas ad querelas eorum, quorum intereſt, revocabit Papa juſtitia mediante.

III. Fructus percipiendos vacationis tempore, juris, vel conſuetudinis diſpoſitioni relinquit Papa, nec vult ſibi, aut Cameræ Apoſtolicæ applicari.

IV. Simoniam ita vetat, ut ſimoniace ordinati, ſint eo ipſo ſuſpenſi: Electiones, poſtulationes, confirmationes ſimoniacæ.... ſint ipſo jure nullæ, nec ſic promoti faciant fructus ſuos.... dantes & accipientes ipſo facto, ſint excommunicati.

V. Diſpenſationes omnes, præter illas, Bonifacii VIII. per Bullam: *Cum ex eo*, revocat.

VI. De Decimis, & aliis oneribus eccleſiaſticis, quæ jura prohibent, ab inferioribus Papa imponi, iterum idem mandat. Papa niſi ex magna cauſa utilitatem Eccleſiæ concernente, nec niſi de conſilio Cardinalium imponet: nec Regno

gno alicui, nisi Prælatis Regni consentientibus.

VII. De vita & honestate Clericorum in vestibus, tonsura, & habitu.

VIII. Concordata cum singulis Nationibus *Sacro approbante Concilio* inita, in sua Cancellaria vult poni Papa Martinus, & literas sub sigillo Vice-Cancellarii, volentibus offert super reformatione 30. Octobris anno 1417. in Sess. XL. proposita, cui fuisse & esse satisfactum, Papa declarat.

Subinde Cardinalis Episcopus Ostiensis respondit: De mandato Nationum respondeo, quod placent Nationibus Decreta recitata, & cuilibet Nationi placet concordia cum ipsa per Dominum nostrum facta, & per præmissa fatentur dicto Decreto jam esse satisfactum, non intendentes propterea, quod concordata cum una Natione, in aliquo alteri Nationi afferant præjudicium.

Deinde Guillermus, Cardinalis S. Marci, de mandato Papæ & Synodi prælegit publice articulos reformatos, per Papam & Synodum, qui erant propositi Sess. XL. 30. Octobris anni proximi.

Articulus primus: De numero & qualitate Dominorum Cardinalium. *Statuimus, ut deinceps &c.*

Infra XV. articuli avisati & reformati ex Cl. von der Hardt exhibebuntur.

1418. 15. *Aprilis.* Concordata inter Martinum V. & Nationem Germanicam expedita per Joannem Episcopum Ostiensem S. R. E. Cardinalem & Vice-Cancellarium:

Harduinus habet articulos XI.

Von der Hardt totidem ex MS. Viennensi Cæsareo, & Gothano Ducali.

Infra exhibebuntur.

SESSIO XLIV. 19. *Aprilis anno* 1418. In Ecclesia majori Constantiensi.

præsidet Martinus V. PP.

Interest Sigismundus Rex cum insignibus.

Post Missam, Litanias, & solita,

I. Prælegit Antonius de Chalanco, S. R. E. Cardinalis, Decretum de loco futuri Concilii designato, civitate Papiensi.

SESSIO XLV. & *ultima* 22. *Aprilis anno* 1418. Loco & tempore consuetis.

Papa Martinus V. præsidet.

Interest Sigismundus Rex.

Post Missam, Litanias, & solita

I. Papa absolvit Concilium, hac voce; de mandato Papæ & Concilii: Domini, *ite in pace*, responsum: *Amen.*

II. Ambasiator Poloniæ Regis detulit Libellum Fratris Joannis Falkenberg, hereses & errores continentem, quem, uti jam damnatum per Nationes & Cardinales, damnari, & damnatum pronuntiari petiit ante dissolutionem Concilii.

Papa respondet, omnia determinata *in materia Fidei conciliariter*, tenenda & inviolabiliter observanda.

Bulla dissoluti Concilii, Veniæ redeundi ad propria.

Hoc Diarium ex Hardouiniana Collectione Conciliorum Tomo VIII. excerptum fuit.

Cl. Binius brevius Diarium fecit, quod Hardouin recudit.

Cl. von der Hardt Tomo IV. de rebus Concilii Constantiensis, Chronologicam seriem fusiorem præmisit.

CAU-

CAUSÆ AGITATÆ
IN ET CORAM CONSTANTIENSI SYNODO,
De Ecclesiis, vel Episcopis, vel Principibus Germaniæ, & Populis eo Sæculo in Natione Germanica reputatis.



CAUSA PRIMA
De hæresi Cruci-Fratrum in Misnia.

Anno MCCCCXIV. Misnia vidit nascentem sectam novam Flagellatorum, in Oppido Sangershausen, qui sibi nomen indiderant *Fratrum Crucis*: circuibant civitates & oppida flagris tergora cædentes.

Adventu suo in orbem jactabant reprobatum a Deo Sacerdotium Evangelicum, ob vitam & mores perversos Ecclesiasticorum: improbabant Baptismum in aqua, suo quemvis sanguine baptizandum. Sacramentum Altaris esse cuculum Presbyterorum, nec in eo esse verum Christi Corpus, nec verum Deum. Negabant Sacerdoti confitendas esse noxas: flagella cum contritione cordis suscepta iis abluendis sufficere. Purgatorium locum & preces pro defunctis rejiciebant: diem Festum præter Dominicum Natalem Domini, & Assumptæ Mariæ in Cœlum, alium nullum colebant. *Von der Hardt T. I. Histor. Conc. Const. pag.* 124. enumerat L. articulos alios, aliis insaniores.

Jam Sæculo XIII. & XIV. enarravimus similes fanaticos. *Vide Digressionis in sæculum XIII. §. XIII. pag.* 57. *Tomo III. & Digressionis nostræ ad sæculum XIV. §. V. pag.* 626. *Tomo IV. Concilior. German.*

Super præmissis articulis (*a*) præfati hæretici, culpabiles inventi, per Magistrum Henricum Schonefeld, Magistrum Theologiæ, & Inquisitorem Hæreticæ pravitatis, igni adjudicati, in præfato oppido Sangerhausen combusti sunt.

Cl. Hardtius dicit S. Vincentium Ferrerium per Literas Constantiam fuisse, post Sessionem XXXV. 9. Julii A. 1417. invitatum, ut a Flagellatorum secta (falsissime Sancto huic imputata) avocaretur. *Tomo IV. in Serie Chronologica Concil. Constant. pag.* 43.

Gobelinus Persona Cosmodromii ætate VI. Cap. XCIII. pag. 294. 295.

CAUSA SECUNDA
S. Birgittæ canonizatæ.

BONIFACIUS IX. durante schismate inter Romanos & Avenionenses Papas electus fuerat Romæ anno 1389. Hic anno 1391. S. Birgittæ Suecæ sanctarum Viduarum cultum decrevit. Verum cum hujus Pontificis authentia a Gallis in dubium vocaretur;

Oratores Regni Sueciæ Joanni XXIII. supplicarunt pro eadem Canonizatione extra dubium ponenda. Hic Pontifex tempore Concilii Constantiensis a se, & Cæsare convocati, ante Sessionem IIdam anno 1415. die 2. Februarii cum magna Solennitate S. Birgittam in Templo Cathedrali, præsente Cæsare Sigismundo canonizavit, intererant quatuor Patriarchæ, Cardinales sedecim, (non 29. *uti scribit Nauclerus*) Archi-Episcopi XLVII. Episcopi CLX. Principes, Comites, Barones, Doctores sine numero.

Hoc Pontifice in Sessione XII. Constantiensi 29. Maji 1416. deposito, & depositioni suæ acquiescente: Oratores Sueciæ, & Norvegiæ supplicarunt Martino V. in Sessione XLI. Concilii Constantiensis electo, pro eadem causa. Hic Florentiæ Kalendis Julii anno 1419. ut indubitatus Pontifex iterat Canonizationem.

Pagi Tomo IV. Breviarii in vita Joannis XXIII. No. XXVI. pag. 387.

CAUSA TERTIA
Friderici, Ducis Austriæ, cum Concilio Constantiensi, & cum Cæsare Sigismundo duplex dissidium, duplex ejusdem Conciliatio cum Imperatore.

JOANNES XXIII. priusquam ad Concilium Constantiense, a se cum Cæsaris consensu convocatum, iret, præsidium Friderici Austriæ Ducis pepigerat, numerata eidem summa sex mille Florenorum aureorum, & creato eodem Capitaneo generali militum Pontificiorum. Hoc pactum Sigismundus Rex sibi oblatum a Joanne, causato cœli Constantiensis sibi noxii inclementiam, Cæsar ratum habuit: moraturum enim se spopondit, vel Constantiæ, vel in loco Friderici Ducis Constantiæ vicino.

Post

(*a*) *Gobelinus plures errores & stultiores, & extensiores habet ætate VI. Cap. XCIII. p.* 295. *Von der Hardt Tom. III. Pars VII. pag.* 94. 95.

Poſt primam Seſſionem & 2dam, qua promiſerat ſe ceſſurum Papatu, ſi alii duo cederent, metuens vel ſuæ valetudini, vel vi inferendæ, collocutus cum Friderico, qui Conſtantiam venerat, nocte imminente ſub habitu veredarii, vel pugilis clam urbe exceſſit.

Occaſionem ſuffecerat Friderici ingenium, qui ludos equeſtres publicos extra urbis mœnia Principibus & Nobilibus exhibuerat, populo igitur & Principibus accurrentibus facile fuit Joanni, excubias Palatio ſuo appoſitas fallere. Quare ſub alieno Schemate equo evectus, primo Schaffhuſam, dehinc Lauffenbergam, inde Friburgum, Briſacum, ac Neuburgum abit cum Friderico, qui fuga cognita, Papam mox inſecutus eſt.

Cæſar & Patres ultra, quam dici poteſt, indignati Papæ, & Friderico Duci, metuebant, ne Concilium ab initio diſſolveretur, & ſpes ſchismatis extinguendi evaneſceret.

Joannes & Fridericus primo per Literas Regi & Concilio fugam excuſarunt; ſed Cæſar ab Epiſcopis excitatus, in graviſſimam iram exarſit.

Indicitur dies Friderico, ceu turbatori Eccleſiæ & Imperii, qua compareat, & rationem facti reddat.

Sed quum citatus, non compareret; in Bannum Imperii ipſe & Ditiones ejus declarantur, ſubditi jurata fide liberantur, arces, prædia, oppida Helvetiis, Suevis, Rhenanis primo occupaturis, offeruntur perpetuo retinenda citra reluitionem.

Helveti pacto quinquaginta annorum Auſtriacis obſtricti, non audebant obſequi ſententiæ Cæſaris: ſed Cæſar & Concilium declararunt, hoc pacto non juvari eum, qui in Majeſtatem Cæſaream, Eccleſiam, & Imperium peccaſſet, & anathemati ſubjectus eſſet; liberari eos hoc in caſu juramento facto. Igitur cum & Helvetii, & multi alii ex Cæſareo Banno proficerent, turmatim in ditiones Friderici involarunt, diripuerunt, incenderunt.

Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, Friderici Ducis Affinis, hunc adit: oſtendit omnium Eccleſiaſticorum, & Laicorum Principum animos abalienatos: ſerviendum tempori, ne ad incitas redigamur, & rideamur ab omnibus: ſuadens ei, ut ſupplex fiat Cæſari: Papam reſtituat, & ſua bona in Cæſaris poteſtatem tradat.

Obſequitur Affini, meliora ſuadenti Fridericus, fruſtra obnitente Joanne XXIII. proficiſcitur Conſtantiam, & anno 1415. 5. Maji a ſuo affine Ludovico, ac Burggravio Friderico Norimbergenſi adductus, ſupplex ne genibus veniam petit coram Cæſare ſtipato innumera cohorte Nobilium, & Legatorum in Conventu, & Refectorio Franciſcanorum, in Congregatione Deputatorum a IV. Nationibus.

Cæſar gravibus verbis Ducem Auſtriæ increpuit, & jubet primo: Papam Joannem XXIII. Conſtantiam reducat: 2. Se & bona ſua poteſtati Cæſaris tradat, nec abeat Conſtantia, niſi cum venia Imperatoris.

Hæc omnia ſcripto pollicitus Fridericus (*a*) Friburgam proficiſcitur, ut fugitivum reducat; ſed noluit ſequi ultra Rudolphi cellam: inde ſcribit Cæſari, quid facto opus: jubet Cæſar, Joannem ibidem ut cuſtodiat: ſubin in Monaſterio Reichenawienſi cuſtoditus, Ludovico, Palatino Comiti, cuſtodiendus aſſignatur, qui Mannheimii primum, dein Heidelbergæ incluſum tenuit.

Fridericus Conſtantiam reverſus, cum videret ſua ab omnibus diripi impune: ipſummet Cæſarem adit, & in priorem ſtatum reponi petit.

Opponit Cæſar, experiatur viam juris, & oſtendat poſtulata ſibi deberi: Jus omnibus adminiſtrandum.

Hoc generico reſponſo deluſum ſe videns, anno 1416. 30. Martii Fridericus *2da vice* clam abit Conſtantia, & inviſit Tirolim, quam a fratre Erneſto, captis homagiis pene abſorptam & ereptam, fruſtra ingemiſcit.

Eccleſiaſtici & Nobiles favebant Erneſto, uti & Concilium Conſtantienſe: civitates & oppida ruſticana Tirolenſia ſtabant a Friderico. Demum cum cadmæum bellum metueretur; prudentiores exoptarunt medium concordiæ, ac Friderico Comitatum Tirolis, Erneſto Stiriam adjudicant.

Interim Georgius de Lichtenſtein, Tridentinus Epiſcopus, vidit Diœceſin ſuam a Friderico vexari, diripi.

1416. 3. *Auguſti* Congregatio Nationum in cauſa Tridentina.

1416. 15. *Auguſti* Congregatio in cauſa Tridentina.

1416. 16. *Auguſti* Congregatio in cauſa Tridentina.

1416. 1. 2. 3. 4. *diebus Septembris* in Congregatione Generali Friderici, Ducis Auſtriæ, cauſa Tridentina ſevere expenſa.

1417. 18. *Februarii* Fridericus, Dux Auſtriæ, ob cauſam Tridentinam citatus.

1417.

(*a*) *Promiſſionem Friderici factam Cæſari, refert Cl. Lunig de rebus Germaniæ II.* Theil *pag.* 531. 532.

1417. 20. *Februarii Sessio XXVII.* in causa Tridentina Friderici Austriaci.

1417. 1. 2. 3. *Martii Sessio Generalis XXVII.*

1417. 4. *Aprilis* Diplomata affixa contra Ducem Austriæ.

1417. 25. *Novembris* Martinus V. Papa Legatum ad Fridericum, Ducem Austriæ, mittit, eum cum Cæsare reconciliaturus.

1418. 7. *Februarii post Sessionem XLII.* Comitia Constantiæ in Curia Regia celebrata fuerunt, Præside Friderico Electore Brandenburgico, contra Fridericum Ducem Austriæ.

1418. 16. *Aprilis ante Session. XLIV.* Cæsar re cum Friderico Austriaco nondum compositâ, Constantiam rediit.

1418. 25. *Aprilis post ultimam Sessionem 22. Aprilis* exactam, in Monasterio Münsterlingensi Cæsar cum Friderico, Duce Austriæ multis diebus tractat.

1418. 6. 7. *Maji* Cæsar & Fridericus Austriacus in gratiam redeunt.

1418. 11. *Maji* Sigismundus in foro Constantiensi sub Baldachino, Brandenburgo sceptrum tenente Ludovico de Brieg gladium: Fridericum Austriacum de omnibus Principatibus & ditionibus investit coram 50000. hominibus, 1500. equitibus.

Pacis Condition. de reb. Imper. L. IV. pag. 430. *Cl. Lunig refert.*

Decretum Synodi Constantiensis contra Ducem Fridericum, Austriacum, & ipsi adhærentes, ut Capitulo Metropolitano (a) *Tridentino ablata bona sine mora, nisi dictas incurrere velint pœnas, restituant, seque intra determinatum tempus Synodo, aut ejus Delegatis, causam violentæ suæ involationis in Bona dicti Capituli dicentes, exhibeant.*

DE ANNO MCCCCXV.

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS CONSTANTIENSIS UNIVERSALIS ET SINGULIS CHRISTI-FIDELIBUS SALUTEM, ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM.

GRavem querelam Venerabilis Fratris nostri GEORGII, Episcopi Tridentinensis, accepimus continentem, quod Illustris Princeps Fridericus, Dux Austriæ, ipsum in Canonica possessione Ecclesiæ & civitatis Tridentinensis, & oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, & locorum, juriumque & aliorum bonorum mobilium & immobilium, ad eandem Ecclesiam, & ipsum Episcopum pertinentium, alias sexdecim annis pacifice existentem, Ecclesia, civitate, oppidis, castris, terris, villis, locis, ac juribus, & bonis hujusmodi temerarie, & de facto spoliasset, eaque novem annis citra detinuisset, & adhuc detinet occupatas, & occupata, fructus, redditus, & proventus sublevando, & percipiendo ex eisdem, ac ipsum cepisset, & carceribus mancipatum affecisset pluribus gravibus violentiis ac injuriis, propter quæ anathematis, sacrilegii, & alias pœnas, a jure contra talia perpetrantes promulgatas incurrisset, quibus insorduisset per longa tempora, & insordet de præsenti: nonnullasque promissiones, ac etiam certa juramenta, & literas tempore suæ captivitatis, & ante seu post, in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, dictæque Ecclesiæ Tridentinensis damnum non modicum, ab eodem Episcopo incussionibus & metu extorsit. Et ulterius idem Fridericus nuper, dum inter Serenissimum Principem Sigismundum, Romanorum & Hungariæ Regem, ac ipsum Fridericum Ducem, post executionem justitiæ contra eundem Fridericum per dictum Dominum Regem factam, submissionis tractatus firmaretur, se juramenti vinculo adstrinxisset, quod si quæ personæ tam Ecclesiasticæ, quam sæculares dicto Regi de ipso Friderico conquererentur, & ab ipso Rege sibi peterent justitiæ complementum ministrari, ipse Fridericus Dux stare deberet ordinationi dicti Regis, & facere, quæ dictus Rex diceret & ordinaret: quod quidem, licet Rex ipse, dicto Geor-

(a) Errat *Cl. Lunig:* Capitulum Tridentinum est Cathedrale, non Metropolitanum.

Georgio Episcopo de præmissis graviter coram eodem conquerente, decrevisset, & ordinasset, quod ipse Fridericus Dux, Ecclesiam, civitatem, oppida, castra, villas, terras, loca & jura, & bona hujusmodi, quibus ipsum Georgium Episcopum notorie spoliaverat, notorieque detinet occupatas & occupata, eidem Georgio restitueret, ipsumque permitteret eorum possessione imposterum pacifice uti & gaudere; nihilominus idem Fridericus Dux pro parte dicti Episcopi interpellatus, & sufficienter requisitus, hoc facere non curasset hactenus, nec curat de præsenti. Quapropter antea præmissorum excessuum, & spolii notorietate, & rei evidentia, idem Episcopus petiit per Nos super præmissis de opportuno remedio sibi provideri, & literas monitoriales contra præfatum Fridericum Ducem, & alios forsan occupatores & detentores Ecclesiæ, civitatis, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, locorum, & bonorum hujusmodi, etiamsi Ducalis, vel alterius cujuscunque status, gradus, & præeminentiæ essent, decerni, & concedi, ipsumque Fridericum Ducem, & occupatores, & detentores prædictos sub pœnis juris & constitutionis a divæ memoriæ Carolo IV. contra tales facinorosos & sacrilegos editæ, & aliis pœnis gravioribus requiri & moneri, quatenus infra certum terminum idem Fridericus Dux, & occupatores, ac detentores prædicti, Ecclesiam, civitatem, castra, oppida, terras, villas, jura, & alia bona hujusmodi, quibus eundem Georgium Episcopum spoliasset, seu spoliavit: ac etiam quæcunque castra & bona ante & post prætactam spoliationem ad dictam Ecclesiam Tridentinam devoluta, quæ detinerent, seu detinent occupatas, seu occupata restitueret, & restituerent, & alias sibi circa injurias & percepta, & alia debite satisfaceret, & satisfacerent: nec non se, vasallos & subditos suos, & Ecclesiæ suæ prædictæ, a prædictis juramentis & promissionibus absolvi, & prædictas literas cassari, irritari, & annullari, humiliter & cum instantia debita postulavit, & alias circa præmissa petiit, & conclusit, sicut in petitionibus pro parte ejusdem Episcopi verbo & scriptis, & in actis coram Nobis inter dictas partes factis & redactis, plenius noscitur contineri. Nos vero (b) per notorietatem facti, & alias practicata in causa hujusmodi, coram Nobis, & a Nobis deputatis, Nobis constitit, & constat, petitionem hujusmodi fore justam; ipsum Fridericum Ducem, & occupatores, & detentores antedictos monendos, petitasque literas monitoriales contra dictum Fridericum Ducem, & occupatores, & detentores hujusmodi, partibus ipsis auditis, & servatis servandis, prædictis partibus ad hoc legitime citatis, decrevimus fore concedendas, decernimusque & concedimus in forma, quæ sequitur:

MONITORIUM in forma debita contra Ducem Austriæ.

SAcrosancta Generalis Synodus Constantiensis universos & singulos Venerabiles Fratres, Patriarchas, Archi-Episcopos, & dilectos Ecclesiæ Filios, Abbates, Priores, Præpositos, Decanos, Cantores, Scholasticos, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Canonicos, Parochialiumque Rectores Ecclesiarum, cæterosque Presbyteros, Clericos & Notarios, & Tabelliones publicos, per Alemanniam & Italiam, & alias ubilibet constitutos, & eorum quemlibet, tenore præsentium requirimus & monemus primo, secundo, tertio & peremptorie, communiter & divisim, eisque & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ & subscriptis sententiarum pœnis districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium, postquam pro parte dicti Georgii Episcopi, vigore præsentium fuerint requisiti, vel eorum alter fuerit requisitus: quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies eis & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino ac Canonica monitione assignamus, ita quod in his exequendis alter alterum non expectet, nec unus pro alio se excuset, præfatum Fridericum Ducem, & quoscunque alios Ecclesiæ & civitatis Tridentinensis, nec non oppidorum, castrorum, terrarum, locorum ac jurium & bonorum quorumcunque ad ipsam Ecclesiam pertinentium, prædictorum forsan occupatores

(b) *Videtur omissum*: quia

res & detentores, vaſallos & ſubditos, etiamſi Ducalis aut alterius cujuscunque Dignitatis, Status ac præeminentiæ fuerint, in eorum propriis perſonis, ſi & ubi pro præmiſſorum ac infraſcriptorum executione ad eorum præſentiam tutus patebit acceſſus; alioquin per edictum publicum in audientia publica contradictarum legendum, nec non Cathedrali & ſancti Stephani Conſtantienſis, ac locis circumvicinis, videlicet Aquilejenſi, Saltzburgenſi, Auguſtenſi, Friſingenſi, Brixinenſi, Curienſi, Feltrenſi & Veronenſi Eccleſiis affigendum & inibi publicandum ex parte noſtra, Fridericum Ducem Auſtriæ, & alios occupatores prædictos requirant & moneant, quos Nos etiam, tenore præſentium ſic requirimus & monemus, ipſique Friderico Duci, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub anathematis, ſacrilegii, privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Eccleſia, ſeu Imperio obtinet, & intrahabilitationis ſuæ & filiorum ſuorum maſculorum ad obtinendum tam feuda quam Officia & Beneficia uſque ad ſecundam generationem, & honoris, & famæ, ac communionis in conſiliis Principum, quam ipſum Fridericum Ducem, juxta conſtitutionem divæ memoriæ Caroli IV, contra tales facinoroſos & ſacrilegos editam, a Sede Apoſtolica canonizatam & approbatam, quin imo & perjurii, ratione juramenti in manibus Regis Romanorum per ipſum Ducem præſtiti, & aliis ſæcularibus perſonis ſub excommunicationis & privationis minorum feudalium, quas ipſas perſonas ſæculares ſupradictas, nec non Eccleſiaſticis perſonis ſub dictæ excommunicationis ac privationis omnium Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & in habilitationis ad illa, & quæcunque alia Beneficia inpoſterum obtinenda, ac ſuſpenſionis a Divinis quoad Capitula, neç non interdicti, quoad omnia territoria prædicti Ducis Friderici, & cæterorum occupatorum & detentorum cenſuris & pœnis; quas Eccleſiaſticas perſonas prædictas, ſi in præmiſſis deliquerint, & mandatis & monitionibus hujuſmodi non paruerint, ſeu non paruerit, incidere volumus ipſo facto, & quas in ipſas exnunc prout extunc, extunc prout exnunc, Canonica monitione præmiſſa, ferimus in his ſcriptis, niſi mandatis hujuſmodi obedierint, diſtricte præcipiendo mandent, ſeu alter eorum mandet. Quibus Nos etiam tenore præſentium ſic mandamus, quatenus ipſe Fridericus Dux, & alii forſan occupatores & detentores hujuſmodi, infra triginta dierum ſpatium poſt requiſitionem & monitionem immediate ſequentium, & quorum dierum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem dies pro tertio & peremptorio terminis, ac monitione Canonica eis, & eorum cuilibet aſſignamus, ab occupationibus & detentionibus Eccleſiæ, civitatis, oppidorum, caſtrorum, terrarum, & locorum, nec non jurium & bonorum prædictorum, & illorum, quæ ante & poſt præfatam ſpoliationem ad illam Eccleſiam Tridentinam ſunt devoluta, penitus & omnino deſiſtant, & eorum quilibet deſiſtat, ac ipſi Georgio, aut Procuratori, ſeu Procuratoribus ſub ejus nomine, poſſeſſionem corporalem, realem & actualem Eccleſiæ, civitatis, oppidorum, caſtrorum, terrarum & locorum, nec non jurium & bonorum prædictorum efficaciter & ſine dolo & fraude reſtituant, & reſtitui faciant & permittant, & eorum quilibet reſtitui faciat & permittat. Ipſe quoque Fridericus Dux Georgio Epiſcopo de perceptis hujuſmodi ſatisfaciat, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Vaſalli quoque & Nobiles, Officiarii, Capitanei & ſubditi, tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares ſupradicti, infra ſex dies poſt lecturam & publicationem, & affixionem præſentium, nec nec lapſum dictorum triginta dierum terminum immediate ſequentium, quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino eis & eorum cuilibet per ſimile dictum aſſignamus, & aſſignari præcipimus & mandamus, præfato Georgio Epiſcopo, tanquam eorum vero Domino, & non ipſi Friderico Duci, ſeu alteri cuiquam, in omnibus, prout alias conſueverunt, facere teneantur. Non obſtantibus quibuscunque juramentis in contrarium præſtitis, a quibus eos, ut præmittitur, abſolvimus, efficaciter pareant, obediant, & intendant, & eorum quilibet pareat, obediat, & intendat. Et inſuper in caſu, quo præfatus Dux Fridericus, & alii forſan occu-

occupatores & detentores, nec non Vasalli, Nobiles, Officiarii, Capitanei & subditi, & alii supradicti mandatis hujusmodi infra terminos supradictos non paruerint, ex tunc prout ex nunc, exnunc prout ex tunc, omnes & singulos Vasallos, Nobiles, Officiarios, Capitaneos, nec non occupatores & detentores in civitate & Diœcesi Tridentinensi, seu alibi commorantes & constitutos, quorum præsentia pro executione præmissorum, & infra scriptorum facienda tute adiri non potest, per simile edictum pari modo & forma legendum, publicandum, & affigendum; Fridericum Ducem, & alios occupatores & detentores tenore præsentium peremptorie citamus & mandamus, quatenus ipse Fridericus Dux, & alii forsan occupatores & detentores hujusmodi, moniti & requisiti octava die post lapsum dictorum triginta dierum eis assignatorum immediate sequentium, si juridica fuerit, alioquin proxima die juridica ex tunc sequenti: alii vero, ut Nobiles, Capitanei, Officiarii & subditi per edictum hujusmodi moniti & exquisiti, vigesima die post lapsum dictarum sex dierum eis assignatorum immediate sequentium, si juridica fuerit, alioquin proxima die juridica sequenti compareant coram Nobis, vel Judicibus per Nos deputatis, seu interim deputandis, pœnas, censuras, ac sententias hujusmodi declarari, & ipse Fridericus Dux, procedi, visuri, & audituri. Certificantes nihilominus, eosdem, quod usque ad declarationem pœnarum prædictarum procedemus justitia mediante. Venerabilibus vero Fratribus, Patriarchis, Archi-Episcopis & Episcopis, quibus ob reverentiam suarum Pontificalium dignitatum, duximus merito deferendum, si in prædictis deliquerint, vel aliquis eorum deliquerit, eis sex dierum Canonica monitione præmissa ingressum Ecclesiæ interdicimus in his scriptis. Si vero hujusmodi interdictum per alios sex dies sustinuerint, ipsos suspendimus a Divinis. Si vero hujusmodi interdicti & suspensionis sententias animis, quod absit, sustinuerint, vel alter eorum, quod absit, sustinuerit induratis, ipsos ex nunc prout ex tunc, ex tunc prout ex nunc excommunicationis sententia innodamus. Inferiores vero Episcopis, qui in præmissis exequendis negligentes fuerint, post lapsum sex dierum terminum, excommunicanis sententiam incurrere volumus ipso facto. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias, aut earum aliquam incurrerint, vel aliquis eorum incurrerit quoquo modo, Nobis, aut summo futuro Pontifici tantummodo reservamus. Loca vero audientiæ, & valvarum prædictarum, tanquam publica & idonea ad executionem prædictorum, ut præmittitur, publicandam adinstar publicorum edictorum, quæ olim in albo prætorio scribebantur, duximus eligenda, quæ præsentes nostras literas suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt, in quibus nostras literas modo præmisso decernimus publicandas, ne prænominati moniti & citati de præmissis aliquam ignorantiam prætendere valeant, vel etiam allegare; cum non sit verisimile apud dictos sic citatos & monitos remanere incognitum, quod tam patenter & notorie extitit publicatum. Volentes nihilominus & decernentes, quod præsentes nostræ literæ dictos monitos & citatos perinde arceant & adstringant, ac si eorum propriis personis publicatæ fuissent. De executione præmissorum, & de his, quæ in præmissis & quolibet præmissorum vos præscripti Venerabiles Fratres, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, vosque alii delegati nostri feceritis, seu aliquis eorum fecerit, Nos per instrumenta publica, seu alia legitima documenta legitime certificare non obmittatis, sub pœnis supradictis, quibus & cuilibet vestrum in præmissis dabimus plenam fidem. Datum Constantiæ, undecimo Kalendas Decembris, anno a Nativitate Domini millesimo, quadringentesimo decimo quinto, Apostolica Sede vacante.

Tom. XXIX. Concil. ex Typogr. Reg. Parif.

Cl. Lunig des H. Röm. R. Archivs-*Spicilegii Ecclesiastici* 2. Theil *pag.* 918.

CAUSA QUARTA

Confirmatio Immunitatis Ecclesiasticæ per Concilium Constantiæ.

SESSIONIS XIX. ANNO MCCCCXV. XXII. SEPTEMBRIS CELEBRATÆ

DECRETUM,

QUOD DOMINUS VICE-CANCELLARIUS EXPEDIAT CAROLINAM SUB BULLA SACRI CONCILII CONSTANTIENSIS.

CUm in Generalibus Conciliis, *maxime Lateranensi*, (a) provide quædam fuerint Statuta, libertatem Ecclesiasticam concernentia, quæ (b) piæ memoriæ FRIDERICUS SECUNDUS in fervore devotionis Romanæ Ecclesiæ tunc persistens, etiam quædam statuit, & adjunxit: & demum per felicis recordationis HONORIUM TERTIUM fuit ejusdem Friderici Constitutio approbata, & consequenter per divæ memoriæ CAROLUM (c) QUARTUM eadem fuit approbata, & quædam alia in favorem Ecclesiasticæ libertatis adjecta, quæ in libro Cancellariæ Romanæ Ecclesiæ latius continentur: hæc Sancta Synodus decernit, & mandat Domino Vice Cancellario ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ut exsecutorias literas super ipsis expediat in forma dari solita:

Confirmatio Constitutionum FRIDERICI SECUNDI, & CAROLINÆ.

SAcrosancta Synodus Constantiensis (d) in speculum (e) suæ considerationis extollens, quam gravissima dispendia Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, Xenodochia, & alia pia loca, ac personæ Ecclesiasticæ sic tempore guerrarum, & lugubris schismatis, proh dolor! causante malitia, & ambitione mentium humanarum, ad talia diversis coloribus, modis & titulis inhiantium improbe, hactenus pertulerint, maxime a tempore felicis recordationis URBANI Papæ VI. inclusive citra, ac perferant incessanter, in talliis, collectis, exactionibus, occupationibus, invasionibus, detentionibus, distractionibus, concessionibus, venditionibus, infeudationibus, emphyteoticis, & aliis locationibus, donationibus, dimembrationibus, dationibus, permutationibus, & aliis variis & diversis alienationibus Regnorum, Provinciarum, Comitatuum, Dominorum, territoriorum, districtuum, civitatuum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, bonorum, jurium etiam spiritualium, ac jurisdictionum ad Romanam, & Ecclesias alias, Monasteria, Hospitalia, Xenodochia, & pia loca, ac personas hujusmodi communiter vel divisim spectantium, aliisque gravaminibus hactenus a dicto tempore citra, & per ipsum tempus, seu ipso tempore usque in præsentem diem, præter seu contra dispositionem juris scripti quomodocumque & qualitercumque impositis, illatis, factis, seu præsumptis, aut attentatis: ac intendens, & cupiens circa reformationem Immunitatis Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, ac recuperationem bonorum, & jurium suorum diligenter intendere: quamvis dudum contra sæculares Potestates, nec non Consules civitatum, ac alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos talliis, collectis, & exactio-

(a) Generali XII. anno 1215. Canone XLVI. sub Innocentio III.
(b) Tomo III. nostro editum pag. 505. a Friderico II. Augusto anno 1220. Romæ, & A. 1213. Egræ.
(c) Carolus IV. simile Edictum pro Immunitate Ecclesiastica edidit Tangermundæ anno 1377. XV. Kal. Julii.
(d) Cum multis adjectionibus per Concilium Constantiense in decima nona Sessione, quibus Libertati Ecclesiasticæ plurimum favetur.
(e) *forte:* in speculam se considerationis

actionibus aliis aggravare nitebantur, in *Lateranensi Concilio* Immunitati Ecclesiæ provisum fuit, per quod hujusmodi præsumptio sub anathematis districtione prohibita fuit; & illius fautores & transgressores excommunicationi subjacere præcepit hujusmodi Concilium, donec satisfactionem earundem impenderent competenter; ac etiam constitutiones & sententiæ, quæ a talibus vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, inanes & irritæ haberentur, nullo tempore valituræ. Et ut nullus vano in hoc deciperetur errore, ut infra tempus sui regiminis hujusmodi anathema sustineat, quasi post illud non esset ad satisfactionem debitam compellendus, decretum fuit in eodem Concilio, & ipsum, qui satisfacere recusaret, & successorem illius, nisi satisfaceret infra mensem, manere debere Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum etiam succedere debeat in onere, qui substituitur in honore. Et licet etiam in sacris legibus pro libertate & immunitate Ecclesiastica, sive Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, multa salubria & favorabilia Statuta fuerint, dudum felicis recordationis HONORIUS Papa III. attente considerans, quod quondam FRIDERICUS Secundus, olim Romanorum Imperator, tunc sub obedientia & devotione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persistens, ad laudem ejusdem Ecclesiæ, & sacri decus Romani Imperii, cupiens, ut expurgatis quorumdam erroribus & iniquis Statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete & secura libertate gauderent, ac pie & juste attendens, quod quorumdam perversorum iniquitas adeo abundaverat, ut non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam, & sacros Canones statuta sua confingere adversus Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem; edictali lege hujusmodi statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita annuntiari, & omnia statuta & consuetudines contra civitates & loca, potestates vel consules, aut quæcumque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, & Ecclesiasticas personas hujusmodi edere aut conservare tentaverint contra Canonicas & Imperiales Sanctiones, de ipsorum Capitularibus infra duos menses post hujusmodi legis publicationem penitus aboleri facerent; & si de cætero talia attentarent, illa ipso jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos: nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri Fisco Imperiali præceperat subjacere: Potestates vero, Consules, Statuarii, & Scriptores Statutorum prædictorum, nec non Consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memoratas judicarent, extunc essent ipso jure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere: quodque, si per annum præfatorum Constitutionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum suum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in *Generali Concilio* promulgatis. Et insuper voluerat tunc idem Imperator, quod nulla communitas vel publica persona seu privata collectas, seu exactiones, angarias, vel perangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis hujusmodi imponeret, aut invadere Ecclesiastica bona præsumeret: quod si secus faceret, & requisita ab Ecclesia, vel Imperio hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quod, quæcumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso jure banno Imperiali subjaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili ad judicium sæculare præsumeret trahere contra Canonicas Sanctiones, & contra Constitutiones Imperiales: quod si secus faceret, actor a suo jure caderet, & judicatum non teneret, & judex foret ex tunc judicandi authoritate privatus: quodque judices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumerent, tertio requisiti jurisdictionem amitterent, prout dicta Imperiali edictali Constitutione plenius continetur. Dictusque HONORIUS constitutionem ipsam de consilio etiam

etiam Fratrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc erant, authoritate Apostolica approbans & confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari: nec non Statutarios & Scriptores prædictos, excommunicatos eadem authoritate nuntiari.

Et deinde ad evidentiam divæ memoriæ Caroli Quarti etiam Romanorum Imperatoris semper Augusti deducto, quod nonnullæ sæculares personæ in potestatibus, & officiis publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, & alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, in eorundem provinciis, Dei timore postposito, Statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio & de facto, contra personas Ecclesiasticas, & Ecclesiarum libertates, & harum privilegia, condiderant, illisque de facto & publice utebantur contra Canonicas & legitimas sanctiones: utpote quod nulla bona temporalia in vim & potestatem Ecclesiasticam transferantur, & ne Clerici in sacris constituti ad agendum & testificandum in civilibus & maxime in piis causis, aliquatenus admitterentur; quodque excommunicati laici, & publice denuntiati in foro civili minime repellerentur. Et insuper cum prædicti Domini temporales, Consules, & Rectores per sæcularem potestatem res ac bona Clericorum occuparent, arrestarent, & oblationem Christi Fidelibus minuerent atque restringerent; exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones Ecclesiarum, & personarum earundem devastarent incendiis & rapinis; contractus inter Clericos & laicos factos legitimos, ac libros civitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum prædictorum inscribere & sigillare recusarent; donataque & legata ad fabricas, Ecclesiarum structuras, contra dictorum & præfatorum voluntatem, & aliorum quorum interest, contra justitiam usurpare præsumerent; ac in fraudem & odium Clericorum de bonis Ecclesiæ, rebus Clericorum, quæ non causa negotiationis, sed pro eorum propriis usibus per eorum terras & Dominia ducebant, & duci faciebant, telonium exigere, & recipere non verebantur, & confugientes atque currentes ad Ecclesias & earum cœmeteria, inde extrahere contra Canonicas & Imperiales sanctiones præsumpserant: idem Carolus Imperator tamquam Christianissimus Princeps, volens & in præmissis providere de remedio salutari, etiam de quorumdam Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Fideliumque aliorum consilio, authoritate Imperiali quæcunque Statuta & consuetudines prædictas, tamquam per Canonicas & civiles sanctiones expresse reprobata, cassavit, irritavit, & annullavit, ac cassa & irrita, nulliusque roboris esse voluit penitus & momenti: præcipiens sub indignatione banni Imperialis universis & singulis Principibus, ac Dominis temporalibus, Consulibus, Potestatibus, & aliis in officiis publlcis constitutis, quatenus extunc ipsorum Statuta & ordinationes, sicut in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edicta fuerant, omnia revocarent, & de luce tollerent: quodque secundum ea non judicarent amplius, nec sententias ferrent, aut eisdem in judicio, vel extra judicium quomodolibet pro & contra Ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronuntiavitque insuper & eadem decrevit authoritate, quod quicumque laicus: cujuscumque status, gradus, aut conditionis exsisteret, ausu sacrilego, & propria temeritatis audacia Sacerdotem vel Clericum sæcularem vel religiosum diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac hujusmodi maleficia perpetrantes, & facientes scienter receptaret, vel eis favorem præstaret, præter pœnas a sacris Canonibus, Imperialibus, & legalibus Sanctionibus in tales promulgatas, eo ipso redderetur infamis, ac omni honore privatus, nec ad placita vel consilia Nobilium admitteretur quovis modo. Hortans insuper in Domino, & requirens Ecclesiasticos Prælatos, in illis partibus, in quibus committerentur, talia constitutos, ut Legem Imperialem hujusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores hujusmodi per simulatam ignorantiam suas in hac parte valeant malitias excusare, prout in edictali lege prædicta plenius continetur. Quia non tantum in Provinciis & Regnis, quæ Romanum profiterentur Imperium, sed fere modernis tem-

temporibus ubique in toto Chriſtiano orbe neglectis hujusmodi *Lateranenſis* Concilii conſtitutionibus, Imperialibus, ac ſacris Sanctionibus quibuscumque, ab impiorum malitia adverſus Eccleſias & Clericos nulla reverentia, nullo Dei timore, nulloque animarum interitu penſatis, eorundem temere audacia crevit inſolenter. Igitur authoritate Dei Omnipotentis prædicta omnia innovat, ſtatuit & confirmat, perpetuisque futuris temporibus ab omnibus Chriſti fidelibus ubilibet in omnibus & per omnia, juxta ipſarum conſtitutionum tenores, ſub bannis, aliisque pœnis & cenſuris ſupra in eiſdem comprehenſis, inviolabiliter obſervandis.

Ceterum in eodem (*b*) Lateranenſi Concilio ſtatutum & ordinatum fuit, quod Epiſcopus, ſive Ordinarius cum conſenſu ſui Cleri ad relevandas communes utilitates & neceſſitates, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, absque ulla coercitione poſſit Eccleſiaſticas perſonas compellere ad aliqua ſubſidia laicis conferenda, prius Romano Pontifice conſulto: & hac ſumptà occaſione, laici in quampluribus partibus, minis vel terroribus, ſeu aliquibus aliis modis aut coloribus diverſis ducunt, ut tallias, collectas, ſubſidia, impoſitiones, vel alia quævis onera, quocumque vocabulo ſeu nomine nuncupentur, Eccleſiis, vel Clericis imponant, aut imponi conſentiant, vel permittant, cum facultate interdum per ipſosmet laicos, aut alios exigendi. Ex quo Conſtitutio Lateranenſis, quæ ob pietatem laicorum fuit ordinata, in impietatem & grave damnum, & jacturam Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum vertitur. Ideo dicta Sancta Synodus hoc perpetuo ſtatuit, & ordinat, quod nulla perſona ſæcularis cujuscumque dignitatis, aut ſtatus & conditionis exſiſtat, etiamſi Imperiali, Regali, vel quacumque præfulgeat dignitate, ſub prætextu conſenſus Epiſcopi; Clero tallias, impoſitiones, & onera, vel ſubſidia imponat, exigat, vel recipiat, niſi prius Romano Pontifice conſulto, ſub pœnis, bannis, & cenſuris eisdem.

Idem per omnia, Romano Pontifice dictas tallias, vel collectas imponente, vel imponi mandanté, conſenſu Epiſcopi vel Cleri non accedente; Epiſcopi vero, qui contra prædictum Concilium Lateranenſe, vel hanc Conſtitutionem, imponendo, vel imponi conſentiendo, vel exigendo conſenſerint, eis ingreſſus Eccleſiæ ipſo facto ſit tamdiu interdictus, donec læſis Eccleſiis, & Clericis, ac Eccleſiaſticis perſonis plenariam fecerint ſatisfactionem. Prælati quoque, qui contra ſacrorum Canonum diſpoſitionem, & contra Conſtitutionem Bonifacii VIII., quæ incipit: *Vas electionis* &c. viſitando, vel caritativum ſubſidium, nec non tallias & collectas imponendo, Eccleſiaſticas perſonas quocumque modo gravant, ipſo facto ab omni adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium (etiamſi in Pontificali, vel alia dignitate exſiſtant) ſint privati, aliis quidém pœnis in jure expreſſis in ſuo robore permanſuris.

Item conſiderans, quod nonnulli Summi Pontifices ex captata opportunitate nonnullorum Regum, Dominorum, Comitum, & aliarum quarumvis perſonarum temporalium, aut ad ipſorum benevolentiam captandam, vel alio ſpiritu ducti, conceſſerunt, & licentiam dederunt eiſdem, tallias, collectas, ſubſidia, impoſitiones, datias, pedagia, aut alia quævis onera hujuſmodi imponendi, vel exigendi ab Eccleſiis, Clero, vel Eccleſiaſticis perſonis in eorumdem Dominio, vel diſtrictu, aut alibi conſtitutis & commorantibus, alias ad tempus, alias ad certam ſummam, ſub diverſis modis, formis, vel conditionibus, in confectis literis Apoſtolicis, vel aliis hujuſmodi licentiæ comprehenſis: idcirco omnes & ſingulas conceſſiones & licentias hujuſmodi; etiamſi de plenitudine poteſtatis Romanorum Pontificum, aut Apoſtolicæ Sedis quovis modo, & quibusvis perſonis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus conceſſas revocat, caſſat, annullat, & irritat. Dictiſque Dominis Comitibus, & aliis, ut ſupra expreſſis, mandat, & jubet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis, bannis, & cenſuris, nec non in triplum reſtitutionibus ſupra expreſſis, quas incurrent ipſo facto, quod ab inde in antea dictis conceſſionibus, licentiis, aliqua & aliquibus ex ipſis nullo modo per ſe, vel alium, aut alios, directe, vel indirecte, palam,

(*b*) Sub Alexandro III. cap. 19. & ſub Innocentio III. cap. 64.

palam, publice, vel occulte, imponendo, vel exigendo, quoquo modo utantur: quinimo privilegia, conceſſiones, & ſcripturas hujuſmodi ſuper dictis conceſſionibus & licentiis confectas de luce aboleri faciant.

Item eadem authoritate ſtatuit, ordinat, decernit, & declarat, quod Regna, Provinciæ, Comitatus, Dominia, territoria, civitates, diſtrictus, terræ, villæ, caſtra, fortalitia, poſſeſſiones, ædificia, grangiæ, & quævis alia bona, res, jura, juriſdictiones, actiones reales & perſonales, ſpirituales, & temporales, ac patronatus, & pertinentiæ eorundem, & Eccleſiarum Cathedralium Diœceſes, quæ Romanæ, ſeu Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Abbatialibus, & quibuſvis aliis Collegiatis ſæcularibus vel regularibus Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, menſiſque Cathedralibus, & Abbatialibus, Capitulis, Collegiis, ſeu Conventibus, Hoſpitalibus, Xenodochiis, & quibuſvis aliis piis locis, alicui, vel aliquibus ex ipſis temeritate, vel audacia, dolo, vi, vel fraude, quomodocumque, vel qualitercumque per qualvis perſonas Eccleſiaſticas vel laicales, Capitula, Collegia, Dominos, Comitatus, & Univerſitates, etiamſi Imperiali, Regali, Cardinalatu, Pontificali, vel alia quavis Eccleſiaſtica, vel laicali præeminentia & dignitate præfulgerent, a tempore felicis recordationis Gregorii Undecimi incluſive citra (poſt cujus quidem Gregorii deceſſum (*c*) ſchiſma præſens, proh dolor! in Dei Eccleſia ortum habuit) quavis occaſione ſeu colore quæſito fuerint invaſa, occupata, uſurpata, captata, ſeu detenta; hujuſmodi Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, menſiſque Cathedralibus, & Abbatialibus, Capitulis, Collegiis, ſeu Conventibus, Hoſpitalibus, Xenodochiis, & piis locis, videlicet illi & illis, cujus, quorum, vel quarum tempus, & in tempore invaſionis, occupationis, uſurpationis, captionis, ſeu detentionis hujuſmodi erant, & nunc ſunt: dummodo tempore invaſionis, occupationis, uſurpationis, ſeu detentionis prædictæ, vel prius, poſſeſſiones, Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, menſas Cathedrales, & Abbatiales, Capitula, Conventus, Hoſpitalia, Xenodochia, & pia loca, aut per aliquem, vel aliquod ex ipſis, coram aliquo de exſecutoribus, ſive conſervatoribus, de quibus infra fit mentio, probetur infra tempus quadrimeſtre, a die probationis prædictæ continue currendum; vel ſi fama de dicta poſſeſſione, aut ſecuta invaſione, occupatione, uſurpatione, captione, ſeu detentione hujuſmodi erit in Diœceſi Eccleſiæ, Monaſterii, Prioratus, menſarum Cathedralium, Abbatialium, Capituli, Collegii, Conventus, Hoſpitalis, Xenodochii, vel pii loci hujuſmodi, ſimiliter infra ſimile quadrimeſtre, continuandum a die legitimæ citationis, monitionis, ſeu requiſitionis perſonaliter factæ; vel ſi poſſeſſoris copia commode haberi, aut bene, tute, ac legitime citari non poſſit; tunc & eo caſu moneri, & requiri valeat per edictum in aliquo loco Diœceſis, vel ipſi Diœceſi propinquo, ubi invaſor, occupator, uſurpator, captor, ſeu detentor habitare conſueverat, ad habitandum vacua & expedita, plenarie, realiter, & cum effectu, omni ceſſante excuſatione, & exceptione, reſtituantur, reddantur, & redintegrentur, ac pacifice dimittantur, ſub pœnis, bannis, & cenſuris, & ſub aliis ut ſupra, & ſub triplicata reſtitutione, & ſub infamia, & occupatione, & juris amiſſione ſuperius nominatis: quas negligentes, inobedientes, tranſgreſſores, rebelles, & contra facientes incurrent ipſo facto: a quibus pœnis, & cenſuris, & aliis prædictis non poſſint abſolvi, niſi prius factis (ut præfertur) plenis & integris reſtitutionibus. Et nihilominus ex abundanti cautela ipſa Sancta Synodus ex certa ſcientia prædicta bona, Regna, civitates, & cætera, ut ſupra, illis, quibus erant (ut præfertur) reſtituit, reddit, & redintegrat per præſentes. Et inſuper licet Prælatis, Capitulis, Conventibus, & Rectoribus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum hujuſmodi, quorum talia Regna, bona, & cætera erant, & nunc ſunt, eorumque Succeſſoribus, aut eorum Procuratoribus, & Syndicis, authoritate propria, alicujus conſenſu, vel licentia minime requiſita, poſſeſſionem illorum intrare, capere, aut detinere libere, & impune: conſtitutionibus, & privilegiis Apoſtolicis, & Imperialibus, & aliis quarumvis perſonarum nequaquam

(*c*) Anno 1378. ad 1415. 23. Septembris.

quam obſtantibus. Rurſus quia contractus celebrari, nec non conceſſiones ſuper Regnis, Provinciis, civitatibus, caſtris, villis, & aliis bonis ſupra expreſſis, viro non purgato, veriſimiliter ad vexationes redimendas facti, vel factæ præſumerentur: eapropter ipſa Sancta Synodus ex certa ſcientia omnes & ſingulas conceſſiones, donationes, venditiones, alienationes, pignorationes, diviſiones, ſeparationes, dimembrationes, diſtractiones, extenuationes, permutationes, obligationes, declarationes, revocationes, infeudationes, reinſeudationes, pacta, proviſiones, promiſſiones, ſententias, & alios contractus quoſque, etiamſi juramentis fuerint convalidatæ, & convalidati, etiam per viam, aut modum cujuſcumque contractus etiam in illis contenta, ſub quacumque verborum conceptione appareant, poſt invaſiones, occupationes, uſurpationes, captiones, vel detentiones Regnorum, Provinciarum, civitatum, & aliorum alicujus, vel aliquorum bonorum hujuſmodi, & ante eorumdem bonorum plenariam reſtitutionem, de, in, pro, aut ſuper eiſdem alicui vel aliquibus ex Regnis, aliis bonis hujuſmodi, vel ipſorum, aut eorum aliquibus juribus, juriſdictionibus, actionibus, & pertinentiis realibus & perſonalibus, atque mixtis, Spiritualibus & temporalibus quibuscunque, quibusvis Dominis, Dominiis, Comitatibus, Univerſitatibus, Capitulis, Collegiis, Patriarchalibus vel aliis Eccleſiis quibuſvis, ſive eorum menſis aut aliis perſonis quibuſcumque Eccleſiaſticis vel laicalibus, etiamſi Imperiali, Regali, Pontificali, vel alia Eccleſiaſtica & temporali præfulgeant dignitate, quavis occaſione, a dicto tempore Gregorii incluſive citra, quomodocumque, & qualitercumque factis & conceſſis, faciendis, concedendis per Romanos Pontifices, motu proprio, ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis cum omnium defectuum ſupplemento, ac de & cum conſenſu & conſilio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſive per modum aut viam contractuum quorumcumque, vel alias & quavis authoritate etiam Apoſtolica, Imperiali, Regali, Legatorum, Nuntiorum, aut Vicariorum Sedis Apoſtolicæ, ſive ordinaria legata, vel delegata, etiamſi factum & conceſſum fuerit per illas perſonas, aut de & cum conſenſu illarum, ad quas in talibus de jure, & de conſuetudine facere, concedere, & conſentire pertinuerit, nullas & nullos, nulliuſque juris, efficaciæ, firmitatis, roboris & momenti, atque viribus evacuatos fuiſſe & eſſe decrevit & declaravit. Et nihilominus ex abundanti cautela, ipſas & ipſos revocat, caſſat, abolet, irritat & annullat, ac viribus evacuat: ipſaque Regna, & Provincias, civitates, & alia bona cum juribus, & omnibus aliis ſupradictis, tenore præſentium illis, quorum vel quarum (ut præfertur) erant & ſunt, reddit, reſtituit & redintegrat.

Statuens quoque & præcipiens, decernens & declarans, ipſa omnia & ſingula reddenda, reſtituenda, & redintegranda, quibus (ut præfertur) erant & ſunt vacua & expedita, plenarie, realiter, & cum effectu, omni ceſſante excuſatione, infra dictum quadrimeſtre, ſub eiſdem pœnis, bannis, & cenſuris, & aliis, quas incurrent ipſo facto, & a quibus non poſſint abſolvi, niſi ut ſupra continetur: aliis tamen juris remediis pro prædictis exſecutioni demandandis in ſuo robore permanſuris. Et nihilominus liceat Prælatis & aliis, quorum talia bona (ut præfertur) erant & ſunt, poſſeſſiones intrare, & cetera, ut ſupra continetur.

Item dicta ſancta Synodus eadem authoritate ex certa ſcientia decernit & declarat, omnes & ſingulas conceſſiones, donationes, obligationes, venditiones, extenuationes, pignorationes, diviſiones, ſeparationes, dimembrationes, diſtractiones, permutationes, declarationes, revocationes, infeudationes, reinfeudationes, ac cenſuum, fructuum, ſeu reſponſionum aliarum, quocumque nomine ſeu vocabulo nuncupentur, extenuationem, extinctionem, pacta, promiſſiones, proviſiones, ſententias, & alios contractus quoſcumque, etiamſi juramentis fuerint convalidatæ & convalidati, etiam per viam aut modum cujuſcumque contractus, & in illis contenta, ſub quacumque verborum conceptione appareant, quibusvis Patriarchis, Primatibus,

bus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumque Cathedralibus Eccleſiis, ſive antiquis, ſive poſt dictum ſchiſma erectis, aut eorum menſis, Capitulisque, Collegiis, Comitatibus, ſeu Univerſitatibus, & perſonis, etiam Imperialis, Regalis, Reginalis, Pontificalis, Cardinalatus, aut cujusvis Eccleſiaſticæ vel mundanæ fuerint dignitatis, præeminentiæ, ſtatus vel conditionis, de, in, pro aut ſuper Regnis, Provinciis, Comitatibus, Dominiis, territoriis, civitatibus, diſtrictibus, terris, villis, caſtris, fortalitiis, poſſeſſionibus, ædificiis, grangiis, & quibusvis aliis bonis, rebus ac pertinentiis ſuis, juribuſque, juriſdictionibus & actionibus realibus, & perſonalibus atque mixtis, Cathedraliumque Eccleſiarum Diœceſibus, ac patronatuum juribus, & quibuſvis aliis tam ſpiritualibus quam temporalibus, ſine aliquo vel aliquibus prædictorum ad Romanam, Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales, Abbatiales, & quaſvis alias Collegiatas, & non Collegiatas, Regulares & ſæculares Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, menſaſque ipſarum Eccleſiarum, Capitula ſeu Conventus eorum, aliquos vel aliquas ex ipſis factas & factos, præter vel contra diſpoſitionem juris ſcripti, a dicto tempore Urbani Papæ VI. incluſive citra, quomodocumque & qualitercumque, uſque in præſentem diem, ſub quibuſvis titulis, juribus, actionibus, cauſis, modis, conditionibus, viis ſive formis, & quavis occaſione, etiam motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, ac cum ſuppletione omnium defectuum, etiam de & cum conſilio & conſenſu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſive per viam aut modum contractuum quorumcunque, vel alias, & authoritate quacumque, etiam Apoſtolica, Imperiali, Regali, Reginali, Legatorum, Nuntiorum, aut Vicariorum Sedis Apoſtolicæ, ſive ordinaria, delegata vel ſubdelegata, vel quacumque alia, etiamſi factum & conceſſum fuerit per illas perſonas, aut de & cum conſenſu illarum, ad quas in talibus de jure & conſuetudine facere, concedere, & conſentire pertinuerit; fuiſſe & eſſe ipſo jure nullos & nullas, ac nullius efficaciæ, roboris & momenti, viribuſque evacuatos & evacuatas; & perinde cenſeri & haberi, ſub & cum modificationibus infra ſcriptis, ac ſi facti & factæ non fuiſſent. Conceſſioneſque, donationes, & cætera hujuſmodi, & alias quasvis, quæ cum detrimento, vel læſione Eccleſiarum, Monaſteriorum, Menſarum, Capitulorum, Conventuum, locorum ſeu perſonarum alicujus vel aliquorum hujuſmodi factæ a dicto tempore Urbani Papæ VI. citra, ex certa ſcientia & authoritate prædicta hac edictali conſtitutione, ſub & cum ſupra & infra dictis modificationibus revocat, caſſat, irritat, & annullat; & nihilominus ad abundantiorem cautelam tollit, & penitus viribus evacuat, dictaque Regna, loca, territoria, diſtrictus, jura, juriſdictiones &c. ac bona hujuſmodi ad jus, & proprietatem Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum, menſarum, Capitulorum, Conventuum, & perſonarum hujuſmodi, ad quæ, ſeu quas ſpectabant, & nunc ſpectant & pertinent, ſub & cum ſupra & infra ſcriptis modificationibus reſtituit, reddit, & reincorporat penitus per præſentes. Quorum omnium poſſeſſionem vacuam, liberam, expeditam, nihilominus illi, qui talia bona tenuerint, & tunc tenebant, debeant, ac etiam teneantur infra dictum quadrimeſtre a die probationis vel citationis, monitionis, ſeu requiſitionis, ut ſupra fiendæ, libere, totaliter, & cum effectu vacua & expedita relaxaſſe, & dimiſiſſe Eccleſiis, Menſis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, locis, & aliis perſonis hujuſmodi, ad quas ante conceſſiones prædictas ſpectabant, & pertinebant, & nunc ſpectant & pertinent, ſeu ſpectare & pertinere poſſunt; ſub pœnis, bannis, & cenſuris, & aliis, ut ſupra, quas incurrent ipſo facto, & a quibus abſolvi non poſſunt, niſi prius ſatisfecerint & reſtituerint, ut ſupra continetur. Et nihilominus liceat Prælatis, Capitulis, Conventibus, ac Rectoribus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum locorum hujuſmodi, quorum talia bona fuerunt, & nunc ſunt, eorumque Succeſſoribus, & Syndicis authoritate propria, alicujus conſenſu, vel licentia minime requiſitis, cautione tamen prius præſtita, ut inferius denotatur, poſſeſſionem illorum intrare, capere, & recipere libere & impune: non obſtantibus Conſtitu-

ſtitutionibus, Privilegiis Sedis Apoſtolicæ ejus authoritate conceſſis, factis, concedendis, & faciendis, ac impetrationibus ſub quacumque verborum expreſſione, & tenoribus conceſſis; & etiamſi de ipſorum tenoribus expediret facere mentionem ſpecialem de verbo ad verbum, in totum, vel in partem; quorum & quarum omnium ipſa Sancta Synodus hic pro expreſſis, lectis, & inſertis haberi vult, & decernit: nec non præſcriptionibus, conſuetudinis, & aliis contrariis, & repugnantibus, aut quovis modo huic conſtitutioni de cætero nequaquam obſtantibus quibuſcumque.

Prædicta quoque, quæ de declarationibus ac revocationibus hujusmodi dicta ſunt, non vendicent ſibi locum in infeudationibus, conceſſionibus, & locationibus quibusvis perpetuis, ſolitis ante dictum tempus Domini Gregorii Papæ XI. fieri & dari in feudum, reviſendum Vicariatum, aut emphyteoſim, & Regnis, Provinciis, civitatibus, terris, caſtris, villis, locis, territoriis, diſtrictibus, & aliis bonis ſeu juribus hujusmodi, aliquo vel aliquibus eorumdem, dummodo utile Dominium eorumdem per pacificam tenutam corporalis poſſeſſionis ante hujusmodi infeudationem, reinfeudationem, conceſſionem, non fuerit cum directo Dominio incorporatum, & ſolidatum, ac etiam, quod Canon & cenſus antiquitus ante Domini Gregorii Papæ XI. pro illis præſtari & dari ſoliti, conſueti ſeu admiſſi, ſi qui præſtabantur, debite perſolvent. Nec etiam locum habeant in venditionibus bonorum, quorum juſta pretia apparebunt & probabuntur, conventuum, & locorum hujuſmodi, quorum (ut præfertur) erant dumtaxat, verſa eſſe in permutationibus factis, verſis in evidentem utilitatem Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum hujuſmodi. Nec locum ſibi vendicent in conceſſionibus, per Romanos Pontifices pro dotatione in totum vel in partem, ac pro alia quavis ſubventione aliquarum Eccleſiarum Cathedralium, & aliarum indigentium quarumcumque civitatum factis de aliquibus Eccleſiis inferioribus, & bonis earum: dummodo hujuſmodi civitates ab antiquo & ante dictum ſchiſma habuerint famam, titulum, & nomen civitatis; & dummodo etiam hujuſmodi conceſſa non fuerint alicujus Eccleſiæ Cathedralis, ſed ab Abbatialibus inferiorum Eccleſiarum. Nec etiam ſibi ſortientur effectum in venditionibus, & aliis alienationibus bonorum, Hoſpitalium, Xenodochiorum, & aliorum piorum locorum quorumlibet, quæ Hoſpitalia, Xenodochia, & pia loca, ut ſunt ad Sancta Sanctorum, Sancti Spiritus in Saxia de urbe, Beatæ Mariæ novæ de Florentia, de Scala, de Seminis, ac de Miſericordia, de Paradiſo, & ſimilia, pro ſuſtentatione pauperum, & hoſpitalitate conſervanda conſueverunt ab antiquo bona eorum vendere, aut taliter alienare, locare, aut uſumfructum concedere, ſecundum eorum ſtatuta, ſeu laudabiles & antiquas conſuetudines pacifice hactenus obſervatas: privilegiis etiam antiquitus a Romanis Pontificibus quibusvis Religioſorum Ordinibus, bonorum & rerum hujusmodi indultis, ac etiam ſuis conſuetudinibus in talibus ab antiquo obſervatis, in ſuo robore permanſuris. Nec etiam in Vicariatibus, Gubernationibus, miniſtrationibus, ſeu locationibus, aut feudis Provinciarum, terrarum, caſtrorum, locorum, ſeu bonorum hujuſmodi ad tempus novem annorum, vel abinde infra dumtaxat duraturis: prædictis tamen modificationibus non ſe ad prædicta invaſa, occupata, uſurpata, capta, ſeu (ut præfertur) detenta, aliqualiter extendentibus.

Cæterum decrevit præfata Sancta Synodus eadem authoritate, quod quicumque ex juſtis & rationabilibus cauſis probaverit legitime ſe, de, aut ſuper Regnis, Provinciis, civitatibus, terris, caſtris, locis, vel bonis hujuſmodi, vel eorum aliquo, pro pretiis perſolutis, vel ex cauſa depoſiti, ſive mutui, aut alias ex juſtis cauſis recipere debere a Romana, ſeu aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, Hoſpitalibus, vel locis ipſis, ſeu eorum aliquo, aut ex Prælatis, ſeu Rectoribus eorumdem occaſione dumtaxat Eccleſiarum, Hoſpitalium, ſeu locorum præfatorum, ad quæ ipſa bona pertinuiſſent, vel pertinerent, aliquas florenorum, ſeu pecuniarum ſummas, aut res alias; ac illas verſas eſſe in utilitatem evidentem Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, aut locorum hujuſmodi, quod facta coram loci Ordinario deductione,

ctione, aut defalcatione fructuum, aut proventuum perceptorum, arbitrio dicti Ordinarii loci, sive rerum & bonorum, de quibus ageretur, super quo ipsius Ordinarii conscientiam oneraverit, & onerat; non obstantibus quibuscunque conventionibus, seu pactis initis, vel adjectis, etiam auctoritate Apostolica, vel alia quomodolibet roboratis, ac juramento vallatis, maxime, quoad probandum pretia, res, vel pecunias, versa esse in evidentem utilitatem, vel quorum talia bona fuissent, seu ut fructus in sortem computare quis minime teneretur, aut quod faceret fructus suos, seu aliis contrariis & aliter disponentibus quovis modo, Ecclesia, seu Monasterium, Hospitale, vel locus hujusmodi residuum, quod declaratur ad restituendum illi qui solvisset, aut ejus hæredibus, seu jus vel causam, aut titulum suum habentibus, infra annum a die talis declarationis continue computandum, vel ad hujusmodi bona obligata usque ad satisfactionem, ut infra declaratur, ipsis creditoribus restituendum, pro dicto residuo declarato; eo ipso Prælatus, Capitulum, Conventus, ac Rectores talis Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, vel loci, cujus vel quorum (ut præfertur) ipsa bona erant, sub pœna excommunicationis sint adstricti. Et nihilominus pro securitate creditorum super satisfactione hujusmodi, nullus ex Prælatis & aliis supradictis possit aut debeat per se aut per alium possessionem talium bonorum intrare, capere vel retinere, nisi idonea cautione prius per ipsos præstita coram loci Ordinario, ipsius vel ipsorum creditorum, & hujusmodi Ordinario recusante, coram loci Ordinario debitoris de eo, quod ab Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, vel locis seu personis supradictis ratione declarationis hujusmodi tenerentur, habere creditores ipsi infra dictum annum persolvendo: bona quoque talibus vendita, pignorata, seu aliter obligata, alienata, vel ut supra concessa, illis usque ad satisfactionem specialiter obligata remaneant, & exsistant. Si autem infra dictum annum satisfactio quantitatis declaratæ facta non fuerit, (ut præmittitur) præviis tribus protestationibus, diversis diebus per creditores, seu eorum Procuratores factis, præfatis Capitulis, Conventibus, aut Rectoribus hujusmodi super dicta satisfactione, saltem infra mensem a die primæ protestationis facienda: tunc lapso dicto mense liceat hujusmodi creditoribus, aut hæredibus jus, vel causam, seu titulum habentibus ab illis, per se vel Procuratores suos authoritate propria possessionem bonorum hujusmodi intrare, capere, ac illa tenere & possidere, fructusque & emolumenta ex illis percipere. Deducendo tamen de sorte ipsius debiti, quousque eidem fuerit de quantitate hujusmodi debiti, ut præfertur, declarata integraliter satisfactum: ita tamen proviso circa præmissa & quodlibet prædictorum, quod pro debito Romanæ, vel alterius Cathedralis, vel inferioris Ecclesiæ, Hospitalis, aut pii loci, Prælatus, Rector, sive alia persona hujusmodi, nisi solitum pro sua Ecclesia, Hospitali, & pio loco, in cujus evidentem utilitatem dumtaxat probabilter, ut præfertur, pretium & valorem versum esse fidejubere, vel alias cautionem de debitis declaratis, vel alias minime præstare teneatur: nec hujusmodi bona pro aliis debitis quoquomodo remaneant obligata; nec etiam de ipsis restitutio & redintegratio, ut supra est declaratum, quovis modo valeat nec debeat retardari. Cæterum, quia lex salubris præteritis intendit, & futuris casibus providere, decernit ipsa Sancta Synodus eadem authoritate, quod de cætero præmissis, & infra scriptis nulla feudatio, locatio, donatio, venditio, permutatio, pignoratio, obligatio, sive quævis alienatio, aut declaratio, de aut super Regnis, Provinciis, civitatibus, terris, castris, locis, juribus, ac jurisdictionibus, seu bonis prædictis, aut aliquo eorumdem, authoritatibus hujusmodi, seu earum aliqua, vel alias sine expressa deliberatione Concilii Generalis, vel saltem Provincialis, cum evidenti tamen utilitate Ecclesiæ, & pii loci hujusmodi fieri possit, vel debeat, quovis colore quæsito, seu jam facta confirmari, extendi, vel prorogari, aut de novo concedi quovis modo. Salvo, quod locationes usque ad prædictum tempus novem annorum, vel abinde infra, & non ultra, tam Apostolica, quam ordinaria authoritate valeant celebrari, cum dicta præstatione tamen census soliti, sive rationabilis. Ita tamen, quod fiant cum

cum evidenti utilitate hujuſmodi tam per Romanum Pontificem, quam per Prælatos, & Rectores, ſecundum juris ſcripti formam, etiam infeudationes, emphyteoticæque conceſſiones, occupationes, & revocationes de bonis feudalibus, ac emphyteoticis ante dictum tempus Gregorii undecimi infeudari ſolitis, ad Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, vel pia loca hujuſmodi quomodolibet devolutis, & devolvendis inpoſterum, cum modificationibus infraſcriptis, pro cenſu & canone ſolitis, aut adauctis ante præfatum tempus Gregorii undecimi, & non de aliis, aut aliter ullo modo poſſint etiam fieri conceſſiones Vicariatuum, Gubernationum, & Adminiſtrationum Regnorum, Provinciarum, civitatum, terrarum, caſtrorum, locorum præfatæ Eccleſiæ Romanæ, quæ ante hujuſmodi tempus concedi in Vicariatum, ſeu adminiſtrationem per Romanam Eccleſiam conſueverunt per Romanos Pontifices ad tempora novem annorum, & abinde infra, & non ultra, cum reſponſionibus, Canonibus, & cenſibus conſuetis, melioratis ſeu adauctis ante tempus præfatum: hoc addito, declarato ac reſervato, quod Vicariis non ſolventibus eidem Romanæ Eccleſiæ cenſum ac Canonem debitum in terminis appoſitis, vel ſaltem, infra menſem poſt lapſum terminum, eo ipſo abſque aliqua declaratione ad cenſum & Canonem duplicatos perſolvendos præfatæ Romanæ Eccleſiæ teneantur, ac adſtricti ſint. Et ſi primum & duplicatum cenſum ſeu Canonem prædictos infra alium menſem ſequentem non ſolverint, ipſo facto ſententias, banna, & pœnas hujuſmodi incurrent. Si autem infra ſemeſtre a lapſu primi termini præfati ſolutionem hujuſmodi non fecerint de cenſu & Canone, ut præfertur, ipſo jure cadant ab omni poſſeſſione Vicariatus, gubernationis & adminiſtrationis hujuſmodi, & conceſſa ad liberam ordinationem Romani Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ præfatæ devolvantur, & devoluta ipſo facto intelligantur eſſe, & ſint, cum omni rerum integritate & cauſa. Et illud idem intelligatur ſervari & fiat in & de Vicariis, gubernationibus, & adminiſtrationibus provinciarum, civitatum, terrarum, caſtrorum & locorum aliorum quorumvis, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum aliorum prædictorum, & cujuslibet eorundem. Præmiſſa quoque extendantur ad ſolutionem feudorum bonorum emphyteoticorum, & aliorum locatorum reſponſiones quovis titulo, tam ad Romanam, quam ad alias Eccleſias, Monaſteria, & loca alia ſupraſcripta, communiter vel diviſim, prout de cenſibus & Canonibus Vicariatuum prædictorum ſuperius continetur. Diſtrictius nihilominus inhibens, ne qua prorogatio, ſeu nova conceſſio Vicariatuum, gubernationum, ſeu adminiſtrationum hujuſmodi de Regnis, Provinciis, civitatibus, terris, caſtris, & locis dictæ Romanæ Eccleſiæ fieri poſſit, aut debeat, niſi de conſilio & aſſenſu Romanorum Pontificum & Dominorum Collegii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, eorum ſcrutatis votis, vel ſaltem per duas partes dicti Collegii in concordia, & non niſi pro evidenti cauſa, ſtatu, & honore Eccleſiæ præfatæ: ita tamen, quod debeant ipſi Cardinales in literis Apoſtolicis vel contractibus deſuper factis, una cum Romano Pontifice propriis manibus ſe ſubſcribere, ad inſtar antiquorum privilegiorum Apoſtolicorum in perpetuum.

Et ſi aliter, ſecus, ſeu alio modo in præmiſſis & infraſcriptis omnibus & contentis in præſenti Capitulo, vel circa ea facta, ſeu declarata etiam motu proprio, & de Cardinalium conſilio ſeu conſenſu, ſeu alias, & Apoſtolica vel quavis alia authoritate, non teneant ipſo jure, & nullum jus contrahentibus vel recipientibus aliter acquiratur. Et nihilominus Vicarii ipſi, Gubernatores, & Adminiſtratores, & alii recipientes, quovis nomine nuncupentur, vel titulo, vel modo, etiamſi ſponte concederentur, vel alias contrarium facientes, ipſos proceſſus, banna, ſententias, & pœnas ipſo facto ſe noverint incurriſſe: conceſſionibus, conſtitutionibus, privilegiis Apoſtolicis, ac aliis quarumcumque perſonarum, nec non conſuetudinibus, & aliis quibusvis in contrarium facientibus, nequaquam obſtantibus. Hoc ſane intellecto, quod modificationes ipſæ ſupraſcriptæ, & ipſarum aliqua, aliis, qui tenent & tenuerunt regna, provincias, civitates, terras, caſtra, ſive alia bona, & in alio infraſcripto Capitulo continetur, ſcilicet, invaſa, occupata, capta, ſeu (ut præfertur)

fertur) detenta; non valeant in aliquo suffragari: quin immo ad plenarie restituendum, reddendum, & ad alia faciendum (ut in eodem Capitulo continetur) protinus sint adstricti.

Ex eodem Concilio Constantiensi, (a) *quando solvenda sit, sive deneganda decima.*

Cum paterna pietas filiis hominum providere debeat, licet in casu necessitatis urgentis valeat vicissitudo laudabilis; declarat sancta Synodus, non licere Romano Pontifici indictiones sive exactiones quascumque super Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas imponere per modum decimæ, vel alio quovis modo. Si vero cum necessitas acciderit Papæ, qua esset eidem debite subveniendum, vocato generali Concilio, secundum quod expediens videbitur, & utile secundum Decretum Concilii, provideatur eidem.

Ex Collect. Regia Harduim Tom. VIII. pag. 923. & seqq.

(a) Sessione XLIII. anno 1418. 21. Martii.

Inter Statuta Ecclesiæ Coloniensis in Concilio Coloniensi anno 1423. celebrato, publicatur hæc Confirmatio duorum Diplomatum Cæsareorum CAROLI IV. & FRIDERICI, facta pro Immunitate Ecclesiastica a Concilio Constantiensi. (r)

Statuta Coloniensia impressa A. 1554. pag. 237. & seqq.

CAUSA QUINTA

Hæresis Wicleffi, Hussi, Hieronymi Pragensis in Concilio damnata.

MARTINUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHI-EPISCOPIS, ET EPISCOPIS; AC INQUISITORIBUS HÆRETICÆ PRAVITATIS UBILIBET CONSTITUTIS, AD QUOS LITTERÆ PRÆSENTES PERVENERINT, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

INter (a) cunctas Pastoralis Curæ solicitudines; quibus premimur incessanter, illa potissime fortius Nos angit, ut hæreticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis & erroribus perversis penitus, quantum Nobis ex alto conceditur, exstirpatis, orthodoxa & Catholica fides integra & illibata permaneat, ac populus Christianus ejusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis & inviolatus persistat. Sane dudum plus quam omnibus retroactis temporibus in nonnullis Regionibus & Dominiis, præsertim Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, ac locis & districtibus illis vicinis, adversus fidei Catholicæ dogmata, & sanctæ Matris Ecclesiæ traditiones, non solum contra unum, quinimo contra plura Fidei Catholicæ dogmata insurrexerunt quidam hæresiarchæ circumcelliones, schismatici, & seditiosi, Luciferina superbia, & rabie lupina evecti, dœmoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diversis mundi partibus oriundi) convenientes, & caudas colligatas habentes, damnatæ videlicet memoriæ Joannes Wicleff de Anglia, Joannes Huss de Bohemia, & Hieronymus de Praga, (b) qui utinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent! Nam ubi hujusmodi pestilentes personæ per-

(a) Errores Joannis Wicleff de Anglia damnati sunt Sessione VIII. 4. Maji A. 1415. Joannes Huss de Bohemia, Sessione XV. 6. Julii A. 1415. cum libris coram ipso crematis damnatus, depositus, brachio sæculari traditus, & in sua pertinacia combustus fuit, cineres in Rhenum projecti.

(b) Hieronymus de Praga Sessione XXI. generali 30. Maji A. 1416. absente Cæsare, & locum tenente Electore Palatino, publice damnatus ad rogum, & concrematus fuit, postquam errores suos bis coram Synodo ejuraverat: sed iterum relapsus, pertinax in errore obiit.

perverſa dogmata pertinaciter ſeminabant, in ſuæ doctrinæ peſtiferæ primordio Prælati, & alii judiciariæ poteſtatis Regimina exercentes, tamquam canes muti non valentes latrare, nec ulciſcentes cum Apoſtolo in promptu omnem inobedientiam, hæreſiarchas ipſos peſtiferos & doloſos, eorum lupinam rabiem truculentam ſtatim (ut adſtricti fuerant) canonice coercere, eoſque de Domo Domini corporaliter ejicere non curarunt; ſed ſacrilegam, falſam, & pernicioſam ipſorum doctrinam per longas moras negligenter convalere permiſerunt: populorum multitudo illorum opinionibus falſis decepta, pro veris accepit, quæ diu mendaciter & pernicioſe, ac damnabiliter ſeminaverunt, eisque credendo, a recta fide cecidit turba multa, & errore devio involvitur proh dolor! paganorum adeo: quod per diverſa illarum, eiſdemque convicinarum partium climata, oves Chriſti Catholicas hæreſiarchæ ipſi ſucceſſive infecerunt, & in ſtercore mendaciorum fecerunt putreſcere. Quapropter Generalis Conſtantienſis Synodus tantam fidelium, & fidei orthodoxæ plagam & ruinam videns, exclamare compulſa eſt cum Auguſtino: "Quid (c) faciet Eccleſiæ medicina, ſalutem omnium materna caritate conquirens, tamquam inter phreneticos & lethargicos æſtuans?" Numquid contemnere, numquid deſiſtere, vel debet, vel poteſt? certe non, ſecundum eundem; immo utriſque ſit, neceſſe eſt, moleſta, quæ neutris eſt inimica. Nam & moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater in diſciplina filio: ille ligando, iſte cædendo; ſed ambo diligendo. "Si autem negligant, & eos perire permittant (*inquit Auguſtinus*) (d) iſta manſuetudo potius falſa crudelitas eſt." Proinde Synodus præfata ad Omnipotentis DEI gloriam, ipſiusque Catholicæ Fidei, ac Chriſtianæ Religionis conſervationem, augmentum, & animarum ſalutem, & præſervationem, eoſdem Joannem Wicleff, & Joannem Huſs, & Hieronymum, qui inter cætera de Sacro Euchariſtiæ Sacramento, & aliis Sacramentis Eccleſiæ, & articulis Fidei aliter, quam Sancta Romana Eccleſia credit, & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temere & damnabiliter credere, ac tenere, prædicare, atque docere pertinaciter attentabant, velut hæreticos & pertinaces, ac obſtinatos, jam a communione fidelium ſeparatos, & de domo Dei corporaliter ejecit, & ſpiritualiter ejectos declaravit: & alia nonnulla circa præmiſſa utilia & ſalubria ſtatuit, & decrevit, per quæ alii, qui cauſantibus hæreſiarchis, eorumque falſis doctrinis hujuſmodi, ſpiritualiter de domo Dei exierunt, per vias Canonicas reducerentur ad ſemitas veritatis. Et quia (ſicut dolenter accepimus) non ſolum in Regno Bohemiæ, & Marchionatus, Dominiis, & locis ſupradictis, verum etiam in quibuſdam partibus, & Provinciis contiguis, ſeu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex ſectatoribus, & ſequacibus hæreſum, ac errorum hæreſiarcharum prædictorum, timore Divino, & pudore humano prorſus abjectis, nec de ipſorum, & præſertim Joannis Huſs, & Hieronymi interitu miſerabili ſumentes converſionis, & pœnitentiæ fructum; ſed tamquam in profundum preſſi peccatorum, Dominum Deum blaſphemare non ceſſant, ducentes in irritum nomen ejus: quorum mentes pater mendacii (e) ſic damnabiliter excœcavit, ut prædictos libros, codices, & opuſcula, hæreſes, & errores, continentes, ſeu continentia, dudum etiam per Synodum præfatam damnatos, & damnata, ac ignibus concremanda deputata, & concremata, legunt, ſtudent, ac ex eis in ſui, & multorum ſimplicium periculum, nedum contra ſtatuta, decreta, & ordinata in Synodo ſupradicta, ſed etiam contra Canonicas Sanctiones dogmatizare præſumunt in animarum periculum, ac puritatis Fidei denigrationem, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod *error, cui non reſiſtitur, approbari* videtur, ac malis & pernicioſis erroribus hujuſmodi reſiſtere, ac eos de medio Chriſti fidelium, & præſertim de ſupradictis Bohemiæ & Moraviæ Dominiis, & diſtrictibus, ac confinibus, & viciniis eorum, ne amplius & latius ſe extendant, funditus evellere cupientes, diſcretioni veſtræ, *Sacro approbante Concilio Conſtantienſi*, per Apoſtolica ſcripta committi-

(c) Epiſt. 167. ad Fauſt. (d) Epiſt. 50. ad Bonifac. (e) Joannis VIII.

mittimus, & mandamus, quatenus vos Archi-Episcopi, & Episcopi, ac Electi, & quilibet vestrum per se, seu alium, vel alios, quos graves, & idoneas personas spiritualem jurisdictionem habentes esse volumus, omnes & singulos cujuscumque dignitatis, officii, præeminentiæ, status, vel conditionis exsistant, & quibuscumque nominibus censeantur, qui de præexcelso, salutifero, & supermirabili Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Pœnitentiæ pro peccatis injunctione, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, seu Fidei articulis, aliter sentire, aut docere, quam Sacrosancta Romana Ecclesia, & universalis docet, prædicat, & observat: aut articulos, seu libros, & doctrinas præfatorum hæresiarcharum Joannis Wicleff, & Joannis Huss, & Hieronymi, per eandem Constantiensem Synodum cum suis authoribus (ut prædicitur) damnatos, & damnatas, tenere, credere, & dogmatizare, ac vitæ finem ipsorum hæresiarcharum publice, vel occulte, pertinaciter quomodolibet laudare vel approbare præsumpserint, eorumque receptatores, defensores, aut fautores quoslibet etiam contemplatione prædictorum errorum; nec non credentes & adhærentes eisdem, tamquam hæreticos judicetis, & velut hæreticos sæculari Curiæ relinquatis. Receptatores quoque, fautores, & defensores hujusmodi pestiferarum personarum, quæ erroribus ipsis crediderint, nec favore, aut contemplatione errorum ipsorum, sed forte carnalis amoris causa, vel occasione alia hujusmodi personas pestiferas receptaverint, præter pœnas ab utroque jure talibus inflictas, per judices competentes tanta severitate pœnarum in tam enormi scelere ultionem accipiant, quod cedat ceteris grassantibus in exemplum; ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem coerceat severitas disciplinæ. Cum reliquis vero hujusmodi secta damnabili quomodolibet infectis, qui post competentem monitionem, ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos, spe correctionis, & emendationis, ac ad melioris vitæ frugem conversionis, usum est, a prædictis erroribus & secta noluerint resipiscere, & ad gremium, unitatemque Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Fidem Catholicam, quæ sola (f) salvare potest, sine qua nulli veræ salutis subsidium contingit, plene recognoscere, & confiteri, justitiæ severitas (prout facti poposcerit qualitas) dulcore misericordiæ temperetur. Et nihilominus omnes Christianæ & Catholicæ fidei Professores, Imperatorem, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Potestates, Rectores, Consules, Proconsules, Scabinos, communitates, & universitates Regnorum, provinciarum, civitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum hujusmodi, nec non cæteros jurisdictionem temporalem exercentes, juxta juris formam & exigentiam auctoritate Apostolica exhortando moneatis & requiratis, ut de regnis, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & omnibus aliis locis ac Dominiis supradictis, omnes & singulos hæreticos hujusmodi, secundum tenorem (g) Lateranensis Concilii, quod incipit: *Sicut ait*, adinstar etiam irretitorum crimine usurarum, quos publice vel manifeste per facti evidentiam cognoverint esse tales, tamquam oves morbidas, gregem Domini inficientes expellant, donec & quousque a Nobis, seu vobis, vel aliis judicibus Ecclesiasticis, vel Inquisitoribus, fidem & communionem Romanæ Ecclesiæ tenentibus, aliud recipiant in mandatis: nec eosdem in suis districtibus prædicare, domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negotiationes & mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittant. Et si tales hæretici publici ac manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tam gravi crimine decesserint, Ecclesiastica careant sepultura, nec obligationes fiant, aut recipiantur pro eisdem: bona tamen ipsorum a tempore commissi criminis secundum Canonicas sanctiones confiscata, non occupentur per illos, ad quos alias pertinerent, donec per hujusmodi Judices Ecclesiasticos super hoc potestatem habentes, sententia declaratoria super ipso hæresis crimine fuerit promulgata. Qui autem de hæresi per Judicem competentem Ecclesiasticum inventi

(f) Hebr. XI.

(g) Concilium Lateran. sub Alexand. III. cap. 27.

venti fuerint, sola suspicione notati seu suspecti, nisi juxta considerationem, & exigentiam suspicionis, qualitatemque personæ, ad arbitrium judicis hujusmodi propriam innocentiam congrua devotione monstraverint, in purgatione eis Canonice indicta deficientes, & se Canonice purgare non valentes, aut pro hujusmodi purgatione facienda, obstinatione damnabili jurare renuentes, tamquam hæretici condemnentur. Qui vero dictam innocentiam monstrare ex quadam negligentia seu desidia, & purgationem hujusmodi facere omiserint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur; ita quod si per annum in excommunicatione hujusmodi persstiterint, extunc velut hæretici condemnentur. Si quis vero super aliquo sæpe dictæ pestiferæ doctrinæ hæresiarcharum prædictorum, vel aliquibus articulis dumtaxat scandalosis, temerariis, seditiosis, vel piarum aurium offensivis, culpabilis repertus fuerit, Canonice puniatur. Si vero propter solam infamiam aut suspicionem dictorum articulorum, vel alicujus ipsorum, quis repertus fuerit suspectus, & in purgatione Canonica propter hoc sibi indicta deficeret, pro convicto habeatur, & tamquam Canonice convictus puniatur. Et insuper felicis recordationis BONIFACII PAPÆ Octavi Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Ut inquisitionis negotium*, renovantes, & etiam exsequentes, universas Potestates, & Dominos temporales, & Judices antedictos, quibuscumque Dignitatibus, vel Officiis, seu nominibus censeantur, exhortando requirimus & mandamus eisdem; ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ac Filii Ecclesiæ nuncupari, & in Christi nomine gloriari, ita pro defensione fidei vobis Arciepiscopis, Episcopis, & Electis, ac Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, & aliis judicibus, seu personis Ecclesiasticis per vos ad hoc (ut præmittitur) deputandis, fidem & communionem sanctæ Matris Ecclesiæ tenentibus, pareant, & intendant, præbeantque auxilium & favorem, in hæreticorum nec non credentium, fautorum, receptatorum & defensorum ipsorum investigatione, captione, custodia diligenti, cum ab eisdem fuerint requisiti; ut præfatas personas pestiferas, alias secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per vos Archiepiscopos, Episcopos, electos, & Inquisitores prædictos, aut deputandos a vobis, vel ad locum, de quo vos, vel ipsi mandabitis, infra eorumdem Dominorum potestatem, Rectorum seu Judicum districtum ducant, vel duci faciant sine mora: ubi per viros Catholicos, a vobis Archiepiscopis vel Episcopis, electis seu Inquisitoribus, seu deputandis personis hujusmodi, vel vestrum aliquo deputato, sub exacta & diligenti custodia, ne fugiant, ponendo eos, etiam compedibus & manicis ferreis teneant, donec eorum negotium per Ecclesiæ judicium terminetur: & quod de hæresi a judice Ecclesiastico competenti, qui fidem & communionem dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ teneat, condemnentur, præfati Domini temporales, seu Rectores, Judices, vel eorum Officiales, seu nuntii, sibi relictos, recipiant indilate, animadversione debita puniendos. Verum ne in præjudicium & scandalum præfatæ fidei orthodoxæ religionis Christianæ, prætextu ignorantiæ quemquam in hoc circumveniri, aut versutos homines sub frivolæ excusationis velamine in hac materia palliare contingat; & ut de convincendis, seu cognoscendis, hæreticis, receptoribus, defensoribus, fautoribus, credentibus & adhærentibus, nec non de hæresi suspectis, & aliis hujusmodi perversa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in futurum instructio; tam ad Regnum Bohemiæ & convicinas illi, quam alias quaslibet partes, in quibus hæc superstitiosa doctrina quomodolibet pullulaverit, articulos infrascriptos, sectam dictorum hæresiarcharum concernentes, pro directione dictæ fidei concernimus transmittendos, & etiam destinandos: super quibus vobis & aliis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & Electis, ac Commissariis & Inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut quilibet eorum infra limites & loca suæ jurisdictionis, nec non Regno & Marchionatu, & locis eis vicinis prædictis, etiamsi loca ipsa extra jurisdictionem eamdem ultra duas diætas consistant, circa exstirpationem & correctionem errorum, ac hæresum, & hujusmodi sectæ pestiferæ, in favorem ipsius fidei orthodoxæ diligenter invigilent: & omnes infama-

famatos seu suspectos de tam pestifera labe sub confessati criminis, excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut alia formidabili pœna Canonica vel legali, prout, quando & quemadmodum eis videatur expedire, & facti inquireret qualitas, ad singulos hujusmodi articulos per juramentum corporaliter præstitum, tactis sacrosanctis Evangeliis, seu Sanctorum Reliquiis, imagine Crucifixi, secundum quorumdam locorum observantiam, juxta infrascripta *Interrogatoria* ad quemlicet articulum convenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & Electos, & Inquisitores, qui super expurgando suum territorium, districtum, seu locum, de talibus malis, & sceleratis hominibus negligentes fuerint, seu remisse egerint, usque ad privationem seu depositionem Pontificalis dignitatis procedere intendimus & procedemus, ac procedi faciemus; aliosque loco illorum substituemus, qui pravitatem hæreticam possint & valeant confundere; & ad alias pœnas contra tales a jure inflictas, & alias graviores, si expediat, infligendas, procedemus, procedique faciemus, juxta juris & facti exigentiam, ac hujusmodi culpæ & criminis fœditatem. Tenores vero eorumdem articulorum, seu capitulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur per ordinem in hæc verba:

Et primo sequitur tenor articulorum JOANNIS WICLEFF.

(*SESSIONE VIII. anno* 1415. 4. *Maji, damnatorum*)

I. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in Sacramento Altaris.

II. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

III. Christus non est in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præsentia corporali.

IV. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

V. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

VI. Deus debet obedire diabolo.

VII. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

VIII. Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.

IX. Post Urbanum Sextum non est recipiendus aliquis in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

X. Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

XI. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

XII. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.

XIII. Illi, qui dimittunt prædicare, sive audire Verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

XIV. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare Verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici.

XV. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

XVI. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.

XVII. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

XVIII. Decimæ sunt puræ eleemosynæ: & possunt Parochiani, propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas auferre.

XIX. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

XX. Conferens eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus ipſo facto.

XXI. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

XXII. Sancti inſtituentes religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

XXIII. Religioſi viventes in religionibus privatis, non ſunt de religione Chriſtiana.

XXIV. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

Prima pars eſt ſcandaloſa & præſumptuoſe aſſerta, pro quanto ſic generaliter & indiſtincte loquitur: & ſecunda erronea, pro quanto aſſerit mendicitatem fratribus non licere.

XXV. Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

XXVI. Oratio præſciti nulli valet.

XXVII. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

XXVIII. Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

XXIX. Univerſitates, Studia, Collegia, graduationes, & magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.

XXX. Excommunicatio Papæ vel cujuscumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.

XXXI. Peccant fundantes clauſtra; & ingredientes ſunt viri diabolici.

XXXII. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

XXXIII. Silveſter Papa & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.

XXXIV. Omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam, ſunt excommunicati.

XXXV. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda Divina Præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad regnum cœlorum; niſi apoſtataverint ab eiſdem.

XXXVI. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares & cæteri laici.

XXXVII. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

XXXVIII. Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a fide Chriſti: & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas.

XXXIX. Imperator & Domini ſæculares ſunt ſeducti a Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

XL. Electio Papæ a Cardinalibus, a Diabolo eſt introducta.

XLI. Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.

XLII. Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.

XLIII. Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus & commercia civilia.

XLIV. Auguſtinus, Benedictus & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerint poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt religiones: & ſic a Papa uſque ad ultimum religioſum, omnes ſunt hæretici.

XLV. Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt a Diabolo. (f)

(f) Extra hos 45. articulos Conſtantiæ examinatos, & cenſuratos, contentos in Libris *Dialogus*: & *Trialogus* per Wicleffum nominatis, & Romæ jam anno 1412. damnatos, Magiſtri Oxonienſes alios ducentos ſexaginta ex Libris Wicleffi excerpſerunt. Conſtantienſis Synodus eos in globo damnavit, alios notorie hæreticos, alios ſcandaloſos & blaſphemos: alios erroneos, temerarios, piarum aurium offenſivos, fidei & moribus inimicos: alios veſanos. Voluit inſuper eadem Synodus Conſtantienſis libros cremari, memoriam Wicleffi damnari, oſſa exhumari & comburi.

Tenor autem articulorum JOANNIS HUSS sequitur, & est talis:

I. Unica est Sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas. *Et infra sequitur*: Universalis Sancta Ecclesia tantum est una, sicut tantum unus est numerus prædestinatorum.

II. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus, actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

III. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea: eo quod prædestinationis caritas, quæ ipsam ligat, non excidit.

IV. Duæ naturæ Divinitas & humanitas, sunt unus Christus.

V. Præscitus etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars Sanctæ Ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.

VI. Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non secundum præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.

VII. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ.

VIII. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, Sacerdotii polluunt potestatem: & sic ut filii infideles, sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cærimoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

IX. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ perfectio & institutio a Cæsaris potentia emanavit.

X. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis: nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

XI. Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

XII. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium Vicariatus requiritur & morum conformitas & instituentis authoritas.

XIII. Papa non est verus & manifestus Successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: & si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri & manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata & consilia Domini nostri Jesu Christl.

XIV. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari judicio tradiderunt; & quod tales sint homicidæ graviores, quam Pilatus.

XV. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam authoritatem scripturæ.

XVI. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiose: & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

XVII. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, & habentes scripturæ notitiam, & effectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obstante prætensa excommunicatione. Et infra: quod si

si Papa vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti sic disposito, non prædicare, non debet subditus obedire.

XVIII. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exsequi, prætensa excommunicatione non obstante.

XIX. Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti, ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui Clerum pro se maxime usurpabit.

XX. Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc, ut Judas Apostolus, est Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

XXI. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

XXII. Papa vel Prælatus malus & præscitus, est æquivoce Pastor, & vere fur, & latro.

XXIII. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum officium: & tortores & præcones dicerentur sancti, imo etiam Diabolus deberet dici sanctus, cum sit Officiarius Dei.

XXIV. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum constitionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Judas Scarioth rite & legitime est electus a Deo Christo Jesu ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde in ovile ovium.

XXV. Condemnatio quadraginta quinque articulorum Joannis Wiceff per Doctores facta, est irrationabilis & iniqua, & male facta, & ficta est causa per eos allegata: videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

XXVI. Non eo ipso, quo Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus & manifestus Successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in Officio Ecclesiastico: unde sive Electores bene, sive male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.

XXVII. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum Caput in Spiritualibus Regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante converseturr, & conservetur.

XXVIII. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos, sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.

XXIX. Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii.

XXX. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

Super præmissis autem articulis, quilibet de eis suspectus, seu in eorum assertione deprehensus, juxta modum interrogetur infrascriptum.

Inprimis: utrum cognoverit Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Huss de Bohemia, Hieronymum de Praga, seu aliquem eorum: & unde habuerit eorum notitiam, & utrum cum eis, vel eorum aliquo, dum viverent, conversationem vel amicitiam habuerit.

Item utrum sciens ipsos, seu aliquem ipso-

ipſorum excommunicatos, ſcienter participaverit cum illis, reputans & dicens, talem participationem non eſſe peccatum.

Item utrum poſt mortem eorum pro eiſdem, ſeu aliquo eorum oraverit, & publice vel occulte opera pietatis exercuerit, aſſerens eos fore beatos & ſalvos.

Item utrum eos vel aliquem eorum ſanctos reputaverit & dixerit, & eis venerationes velut ſanctis exhibuerit.

Item utrum credat, & teneat, & aſſerat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentet.

Item utrum credat, quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentans, approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnavit, & condemnat, eſſe fidei vel bonis moribus contrarium; hoc ab eiſdem eſſe tenendum pro condemnato, credendum & aſſerendum.

Item utrum credat, quod condemnationes Joannis Wicleff, Joannis Huſs, & Hieronymi de Praga factæ de perſonis eorum, libris & documentis per ſacrum generale Conſtantienſe Concilium, fuerint rite & juſte factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ & firmiter aſſerendæ.

Item utrum credat, teneat, aſſerat, Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Huſs de Bohemia, & Hieronymum de Praga, fuiſſe hæreticos, & pro hæreticis nominandos ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuiſſe & eſſe perverſos: propter quos & quas, & eorum pertinacias, per ſacrum Concilium Conſtantienſe pro hæreticis ſunt condemnati.

Item utrum habeat in ſua poteſtate aliquos tractatus, opuſcula, epiſtolas, vel quæcumque alia ſcripta in quocumque idiomate, per Joannem Wicleff, Joannem Huſs, & Hieronymum hæreticos, ſeu eorum pſeudodiſcipulos & ſequaces editos, vel translatos, edita, vel translata; quod illos vel illa Ordinario loci, vel ejus Commiſſario ſeu Inquiſitori ſub juramento præſentet.

Quod ſi apud ſe ſcripta hujuſmodi ſe habere non cognoverit, ſed alibi; quod juret, illa circa ſuum Ordinarium, vel alios ſupradictos, infra certum terminum ſibi præfigendum deponere.

Item utrum ſciat aliquem, vel aliquos habentes præfatorum tractatus, opuſcula, epiſtolas, vel quæcumque alia ſcripta, in quocumque idiomate compoſita, ſive translata, quod illum, vel illos detegat, vel manifeſtet pro purificatione fidei, ſive exſecutione juſtitiæ.

Item ſpecialiter litteratus interrogetur, utrum credat ſententiam ſacri Conſtantienſis Concilii ſuper quadraginta quinque Joannis Wicleff, & Joannis Huſs triginta articulis ſuperius deſcriptis latam, fore veram & Catholicam: ſcilicet, quod ſupradicti quadraginta quinque articuli Joannis Wicleff, & Joannis Huſs triginta, non ſunt Catholici, ſed quidam ex eis ſunt notorie hæretici, quidam erronei, (a) alii temerarii & ſeditioſi, alii piarum aurium offenſivi.

Item utrum credat & aſſerat, quod in nullo caſu ſit licitum jurare.

Item utrum credat, quod ad mandatum Judicis juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad cauſam opportunum, etiam pro purificatione infamiæ faciendum, ſit licitum.

Item utrum credat, quod perjurium ſcienter commiſſum; ex quacumque cauſa vel occaſione, pro conſervatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius, etiam in favorem fidei, ſit formale peccatum.

Item utrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Eccleſiæ, cærimonias Exorciſmi & Catechiſmi, aquæ baptiſmatis conſecratæ, peccet mortaliter.

Item utrum credat, quod poſt conſecrationem Sacerdotis in Sacramento Altaris ſub velamento panis & vini, non ſit panis materialis, & vinum materiale, ſed idem per omnia Chriſtus, qui fuit in Cruce paſſus, & ſedet ad dexteram Patris.

Item

(a) *MSS. addunt:* alii blaſphemi, alii periculoſi.

Item utrum credat & afferat, quod facta consecratione per Sacerdotem, sub sola specie panis tantum, & præter speciem vini, sit vera Caro Christi & Sanguis, & anima, & Deitas, & totus Christus, ac idem corpus absolute, & sub una qualibet illarum specierum singulariter.

Item utrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia universali observata, & per sacrum Concilium Constantiæ approbata, sit servanda sic, quod non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tamquam hæretici vel sapientes hæresim, sint arcendi & puniendi.

Item utrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter.

Item utrum credat, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumcunque bonis & devotis.

Item utrum credat, quod Sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum & contritum a peccatis absolvere, & sibi pœnitentiam injungere.

Item utrum credat, quod malus Sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, & vere conferat alia Sacramenta.

Item utrum credat, quod beatus Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi, & solvendi super terram.

Item utrum credat, quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit Sucessor beati Petri habens, supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.

Item utrum credat, auctoritatem jurisdictionis Papæ, Archi-Episcopi, & Episcopi in solvendo & ligando esse majorem auctoritate simplicis Sacerdotis, etiam si Curam animarum habeat.

Item utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis, & confessis ex causa pia, & justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adjutrices. Et,

Utrum credat, quod ex tali concessione visitantes Ecclesias ipsas & manus adjutrices eis porrigentes, hujusmodi indulgentias consequi possint.

Item utrum credat, quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum Canonum, hujusmodi indulgentias concedere possint.

Item utrum credat, & afferat, licitum esse, Sanctorum Reliquias, & imagines Christi fidelibus venerari.

Item utrum credat, religiones ab Ecclesia approbatas, a sanctis Patribus rite & legitime introductas.

Item utrum credat, quod Papa vel alius Prælatus propriis nominibus Papæ pro tempore expressis, vel ipsorum Vicarii, possint suum subditum Ecclesiasticum, sive sæcularem, propter inobedientiam, sive contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

Item utrum credat, quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, Prælati, vel eorum Vicarii in Spiritualibus habeant potestatem aggravandi, & reaggravandi, interdictum ponendi, & brachium sæculare invocandi; & quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

Item utrum credat, quod Papa, vel alii Prælati, & eorum Vicarii in Spiritualibus habeant potestatem, Sacerdotes & laicos inobedientes & contumaces excommunicandi, ab Officio, Beneficio, ingressu Ecclesiæ, & administratione Ecclesiasticorum Sacramentorum suspendendi.

Item utrum credat, quod liceat personis Ecclesiasticis absque peccato hujus mundi habere possessiones & bona temporalia.

Item utrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat; imo quod sic auferentes, tollentes, & invadentes bona ipsa Ecclesiastica, sint

tamqam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ Ecclesiasticæ, bona hujusmodi possidentes.

Item utrum credat, quod hujusmodi ablatio & invasio cuicumque Sacerdoti, etiam male viventi, temere vel violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium.

Item utrum credat, quod liceat laicis utriusque sexus, viris scilicet & mulieribus, libere prædicare Verbum Dei.

Item utrum credat, quod singulis Sacerdotibus libere liceat prædicare Verbum Dei, ubicumque, quandocumque & quibuscumque placuerit, etiam si non sint missi.

Item utrum credat, quod omnia peccata mortalia, & specialiter manifesta, sint publice corrigenda & exstirpanda.

Volumus insuper ac statuimus, & decernimus, quod si quis per secretam informationem per vos recipiendam, vel alias repertus fuerit infamatus, seu suspectus de quacumque specie hæresis pestiferæ, sectæ, vel doctrinæ pestilentium Joannis Wicleff, Joannis Huss, & Hieronymi de Praga hæresiarcharum prædictorum; aut de fovendo, receptando, defendendo præfatos damnatos homines, dum viverent in humanis; vel ipsorum perfidos sequaces, & pseudo-discipulos, aut ipsorum erroribus credendo, pro ipsis defunctis, vel aliquo ipsorum, post obitum orando, vel inter Catholicos nominando & defendendo, vel ipsos, ut sanctos colendo, prædicando, vel adorando, vel alias circa eos suspecte agendo, citetur per vos seu alterum vestrum, personaliter coram vobis seu altero vestrum compariturus, semotis Procuratore & Advocato, responsurus medio juramento per ipsum sic (ut prædictum est) corporaliter præstito, de plana & mera veritate dicenda super prædictis articulis, seu eorum singulis, vel aliis opportunis, secundum exigentiam casus, & occurrentium circumstantiarum ad arbitrium vestrum, & prout vobis, seu alteri vestrum videbitur expedire, vel alias contra eosdem ipsorum singulos (prout præsentibus exprimitur, vel alias) Canonice procedatis: nec non præsentes literas, exclusis articulis & interrogatoriis superius positis atque omissis, in civitatibus, Diœcesibus, terris & locis aliis, ubi tute fieri poterit, authoritate nostra solemniter publicetis, & publicari faciatis, omnes & singulos hæreticos hujusmodi, nec non sectatores ipsarum hæresum & errorum, utriusque sexus, tenentes & etiam defendentes eosdem, aut hæreticis ipsis quomodolibet publice, vel occulte in Divinis, vel alias participantes, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Regali, Reginali, Ducali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate: nec non Advocatos & Procuratores quoslibet, qui hæreticos hujusmodi, aut credentes, sequaces fautores, defensores & receptatores super crimine hæresis, aut credulitatis, sequelæ, fautoriæ, defensionis, & receptationis hujusmodi defenderint, excommunicatos singulis diebus Dominicis, & Festivis in præsentia populi nuntietis, & per alios nuntiari faciatis. Et nihilominus contra eosdem omnes & singulos utriusque sexus, hujusmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac fautores, & receptatores, & defensores eorundem, exemptos & non exemptos, & quemlibet ipsorum, cujuscumque dignitatis, status, præeminentiæ, gradus, ordinis, vel conditionis (ut præfertur) existunt, authoritate nostra diligenter inquirere studeatis: & eos, quos per inquisitionem hujusmodi diffamatos, vel per confessionem eorum, seu per facti evidentiam, vel alias hujusmodi hæresis & erroris labe respersos reperietis, authoritate prædicta etiam per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, nec non privationis dignitatum, Personatuum, & Officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac feudorum, quæ a quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, ac aliis locis Ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum, & dignitatum sæcularium, ac graduum scientiarum quarumcumque facultatum, & per alias pœnas, sententias & censuras Ecclesiasticas, ac vias, & modos, quos ad hoc expedire, seu opportunos esse videritis, etiam per captiones & incarcerationes personarum, & alias pœnas corporales, quibus hæretici puniuntur, seu puniri jubentur, aut solent juxta Canonicas sanctiones. Similiter & Clericos ipsos, & Ecclesiasticas personas usque ad degradationem

tionem inclusive, si eorum culpa ac pertinacia vel rebellio id exigat, aut requirat, corrigatis & puniatis, ac diligenter corrigi & puniri faciatis: nec non contra eosdem, ipsorum, laicorumque bona secundum Canonicas sanctiones & legales, contra hæreticos & eorum sequaces editas, quibus eosdem sectatores sive sequaces subjacere decernimus, animose consurgatis juxta modum & formam supradictos. Et qui de præmissis hæresibus vel articulis, vel aliquo præmissorum infamati fuerint, ad arbitrium vestrum se purgare teneantur. Alii vero qui per testes seu propriam confessionem, vel alias legitimas probationes convicti fuerint de prædictis hæresibus vel articulis, vel aliquo præmissorum, eosdem articulos, & errores solemniter, & publice revocare, abjurare, pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem (si delictum exegerit) subire cogantur: nec non quod errores & hæreses hujusmodi, cujuscumque generis, vel speciei censeantur, de cetero verbo, nutu, vel facto non fovebunt, seu alios ad credendum illis verbo, vel de facto, publice vel occulte, directe vel indirecte, aut alio quovis modo inducent, sufficientem & idoneam cautionem præstare teneantur. Quodsi forsan eosdem articulos solemniter, & publice revocare & abjurare, & pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem perpetuam, vel temporalem juxta vestræ discretionis arbitrium, sine dilatione subire, ac sufficientem cautionem, quod errores & hæreses ipsas de cætero non tenebunt, nec fovebunt, nec alios ad credendum, vel verbo, vel facto, publice & occulte, directe vel indirecte, vel quovis quæsito colore inducant, præstare, seu aliquid præmissorum facere voluerint, extunc contra ipsos juxta qualitatem errorum ac delictorum suorum (etiam si expediat) tamquam contra hæreticos, aut hæretica labe respersos, authoritate nostra juxta Canonicas & legales sanctiones summarie & simpliciter, ac de plano sine strepitu, & figura judicii, & etiam ex officio, appellatione, seu appellationibus quibuscumque cessantibus procedatis, ac ipsos juxta easdem Canonicas traditiones puniaris, etiam si opus fuerit, curiæ sæculari relinquendo, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio ejusdem brachii sæcularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi Prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra civitatem & Diœcesim suam, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam diætam a fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede Apostolica deputati extra civitatem & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam diætam a fine Diœcesum eorumdem trahere præsumant, & de duabus diætis in Concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus Romanorum Pontificum, tam a judicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ possint in hac parte vestræ jurisdictioni aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu ultra vel extra loca ad judicium evocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum personis, locis, & ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Datum Constantiæ octavo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

MARTINUS &c. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In eminentis Apostolicæ dignitatis specula superni dispositione consilii constituti, inter solicitudines alias innumerabiles nostris humeris incumbentes, assidua cura revolvimus, & in votis nostris gerimus desideranter, ut Fides Catholica, quæ Christianæ religionis firmissimum est fundamentum, nostris pro-

prosperetur temporibus, ac a contagiosis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quasi tenebrosi fumi caligine obscurare satagunt, conservetur, hæreticaque pravitas de finibus fidelium exstirpetur; ne innoxii & religione hujusmodi insigniti, hujusmodi dogmatibus, instigante etiam satore malorum operum, infici valeant, & involvi. Sane cum dudum damnatæ memoriæ Joannes Huss de Bohemia, & Hieronymus de Praga hæresum quondam nefandæ memoriæ Joannis Wicleff de Anglia, pertinacis hæretici, reprobi sectatores, puritatem & splendorem ipsius fidei, nec non immaculatam Ecclesiam, Domini nostri JESU CHRISTI Sponsam, vulpina calliditate per diversas doctrinas sacrilegas, atque errores multifarios partim inferius designatos obumbrare, ac Regni Bohemiæ, & partium illi vicinarum incolas inficere, eisque pestiferum virus inferre per tempus & tempora, nequiter in suarum, nec non incolarum prædictorum, ac aliorum animarum periculum, & scandalum plurimorum molirentur, Baldassar tunc Joannes XXIII. in sua obedientia, de qua partes illæ fuerant, nuncupatus, volens, prout suo incumbebat officio, hujusmodi doctrinas & errores e mundi limitibus evellere, & penitus exstirpare, habitis primitus, & præcedentibus diversis tam authoritate Apostolica, quam nonnullorum Archi-Episcoporum in suis Conciliis & locis, insignibus super iis processibus, in Concilio per eum tunc Romæ celebrato ad ulteriora procedens, libellos, volumina, tractatus, libros, sive opuscula ipsius Joannis Wicleff, doctrinas & errores hujusmodi continentes, de quibus infra fit mentio, condemnavit; mandans illos & illa publice concremari: districtius etiam inhibendo, ne quis Christi nomine insignitus, aliquem, vel aliquos, seu aliqua ex dictis libellis, voluminibus, tractatibus, & libris, sive opusculis legere, exponere, docere, vel tenere, aut illis quomodolibet uti, vel illos, nisi in ipsorum reprobationem, allegare publice vel occulte auderet; ac universis ipsius Joannis Wicleff tunc defuncti memoriam, quominus de hæresi damnaretur, defendere volentibus tertium tunc expressum terminum assignavit; & etiam in generali Constantiensi Concilio ad nonnullos alios actus super præmissis processit: subsequentes vero, postquam ipse Baldassar (tunc Joannes XXIII.) dictæ obedientiæ præesse desierat, ad audientiam præfati Constantiensis Concilii crebris clamoribus deducto, quod supradictus Joannes Wicleff diversos, & inter alios Dialogum, & Trialogum per ipsum nominatos libros, atque opuscula & volumina composuerat; in quibus inter cætera quadraginta quinque damnabiles inseruerat & dogmatizaverat erroneos articulos, prout Joannes Huss & Hieronymus supradicti, nonnullorum potentum etiam sequacium dictorum errorum, protectione suffulti legerent, & etiam dogmatizarent; simplicibus primo bonum vinum ponentes, paulatim fel draconis in calice Babylonis, persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis contra ipsius Catholicæ fidei veritatem procaciter instillando; ac ignorantes Dei justitiam, & propriam gloriam inaniter quærentes statuere: molliendo super oleum sermones suos, quibus tamquam jaculis corda vulnerabant infirmorum, linguas suas acuendo, ut immaculatos interimerent in occulto: ex quibus multa scandala atque damna, & animarum pericula in Bohemiæ supradicto, & Angliæ regnis sunt secuta: prædictum Constantiense Concilium, quia per diligentem inquisitionem super hoc de ejus mandato factam præmissa & plura alia reperit fore vera atque notoria; idcirco prædictos per eumdem Baldassarem (tunc Joannem XXIII.) ut præfertur, habitos processus approbando, eosdem quadraginta quinque articulos, ac Dialogum ac Trialogum prædictos, & quoscumque alios libros, tractatus & opuscula, per eumdem Joannem Wicleff conceptos atque factos reprobavit; nec non illos & illa, ac memoriam ipsius Joannis Wicleff damnavit; ipsum fuisse & esse notorium, & pertinacem hæreticum, ac in hæresi decessisse, nihilominus declarando: nonnullorum quoque temerariam assertionem, adstruere præsumentium, Eucharistiæ Sacramentum sub utraque scilicet panis & vini specie, a fidelibus ipsis sumendum, similiter reprobavit. Et deinde postquam nutu Dei, cujus in comprehensibilia sunt judicia, Joannes Huss (b) etiam a nonnullis

(b) mancus sensus.

nullis murmure gerebantur, aliquorum potentum sæcularium salvo conductu suffultus personaliter venerat, ac Hieronymus præfatus adductus fuerat, ut consummarentur peccata illorum, ad Constantiense Concilium: supradictum utique Concilium ipsum, quia ex fama publica ad eos devenerat, Joannem Huss, & Hieronymum prædictos præfatis erroribus esse implicatos, ipsos carcerali custodia successive mancipari, & ibidem tamdiu teneri fecerat, quousque super præmissis veritas eluceret. Tandem cum de prædictis essent sententialiter convicti, præfatum Constantiense Concilium triginta erroneos articulos dicti Joannis Huss, nec non quemdam libellum per ipsum compositum, & per eum *de Ecclesia* intitulatum, qui etiam inferius describitur, similiter reprobavit: ac eumdem Joannem Huss Presbyterum prius caritative monitum, ut errores ipsius prædictos, prout de jure facere tenebatur, solemniter & publice abjuraret & revocaret; ipso tamen in sua pertinacia damnabiliter persistente, a suis ordinibus degradatum, nudatum quoque & privatum omni privilegio Clericali, de crimine hæresis condemnavit, & nihilominus, quod ex quovis salvo conductu per quemcunque Principem sæcularem concesso, nullum fidei Catholicæ & jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generaretur, declaravit; & subsequenter dictum Concilium præfatum Hieronymum laicum, Magistrum in artibus, in hæresim errorum suorum, quos prius similiter caritativis monitis in Concilio supradicto abjuraverat & revocaverat, prout infra continetur, velut canis ad vomitum reproba temeritate relapsum, etiam de crimine hæresis condemnavit. Verum quia non sine displicentia grandi ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli Joannis Huss & Hieronymi prædictorum, quos sæcularis potestas propter eorum demerita & peccata, ignis incendio justitia exigente consumpsit, reprobi sequaces, & asseclæ, in profundum malorum descendentes, fidelium animas damnabiliter sauciantes, adhuc prædictas hæreses sequi, ac dogmatizare non sine Divini numinis offensa, & (*c*) opprobrium fidei supradictæ conantur, in hujusmodi animarum periculum & scandalum plurimorum; & nimis grave exsisteret ad exterminationem pravitatis prædictæ non agere, quod ipsius contagiosa enormitas agendum requirit; ideo ad Dei Gloriam & ejusdem fidei augmentum, prout ex debito Nobis commissi officii incumbit, sectam detestabilem, & præmissos ipsius exsecrandos errores, ne propagentur ulterius, & corda fidelium corrumpant, exstirpare, errantesque hujusmodi in viam veritatis reducere, ac animas eorum Deo sua Nobis cooperante gratia lucrifacere totis conatibus affectantes, præmissa omnia & singula, nec non ea, quorum tenores inferius describuntur & annotantur, ad publicam notionem cunctorum fidelium præsentium, & memoriam futurorum deduci volumus per præsentes, ne quisquam affectatam, seu quamvis aliam valeat ignorantiam prætendere, seu quælibet allegare, sed potius certitudinaliter de iis, quæ pro exstirpatione hujusmodi hæresum, & errorum tam Joannis Wicleff, quam Joannis Huss, & Hieronymi prædictorum hactenus gesta fuerunt, informentur. &c.

Hic inserta est Bulla Joannis XXIII. contra eosdem errores, edita in Concilio Romano anno 1412.

2do. *Bulla executoria ejusdem, data Romæ IV. Nonas Februarii anno* 1412.

3tio. *Decretum Concilii Constantiensis contra errores Wicleffi, editum Sess. VIII. anno* 1415.

4to. *Decretum ejusdem Concilii Sess. XXI. contra Hieronymum de Praga.*

5to. *Decretum ejusdem Concilii Sess. XXV. quæ incipit:* Quia teste veritate.

Demum conclusio Bullæ: In eminentis, *horum omnium Confirmatoria. Datum Constantiæ VIII. Kal. Martii, anno primo Pontificatus.*

Harduinus Tom. VIII. Concil. pag. 906. *ex primæva editione Hagenoana.*

Cl. Hardtius *in Indice generali* Tomo VII. *rerum Constantiensis Concilii* narrat, duas Bullas MARTINI V. de anno 1418. VIII. Kal. Martii, datas Constantiæ (unam, quæ inchoatur: *Inter cunctas,* jam hic editam, alteram: *In eminentis,* vulgatam ab Raynaldo

(*c*) *forte*: opprobrio.

ad annum 1415. Tomo XVIII. *Annal. Ecclesiast. pag.* 77. & ab Cl. Harduino Tomo VIII. *Concilior. pag.* 918. & ab Schelestrato *ex Regesto authentico variorum Martini V.*) in disceptationem venire, utrum sint Confirmatoriæ Concilii Constantiensis, inter Schelestratum ex una, & Richerium ac Maimburgum ex altera. Eo quod hi Scriptores diffideant in ea quæstione: *An Concilium sit supra Papam?* Cl. Fleury *Historiæ Ecclesiasticæ* Tomo XXI. Lib. CIV. No. CXI. pag. 478. postquam observasset has duas Bullas, non omnino concordare in verbis: eo quod prima *Inter cunctas*, videatur asserere Bullam in & cum Concilio editam, *sacro approbante Concilio*: quæ verba non habet 2da Bulla, ac si solius Papæ auctoritate edita fuisset. Addit suam animadversionem: ex utraque Bulla confici Superioritatem Concilii Oecumenici supra Papam hoc argumento: Inter quæstiones proponendas hæretico ad Ecclesiam redituro, hæc interrogatio affirmanda proponitur: *Utrum credat, teneat, & asserat, quod quodlibet Concilium Generale, & etiam Constantiense, Universalem Ecclesiam repræsentet? Item utrum credat, quod illud, quod S. Concilium Constantiense Universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit, & approbat in favorem Fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi Fidelibus approbandum & tenendum?*

Quibus relatis pergit ratiocinando: atqui Concilium Constantiense asseruit Sessione V. Concilium habere a Christo immediate potestatem supra omnes personas etiam Papales, qui eidem obedire tenentur, & possunt puniri, nisi obediant: Ergo definita est Catholica Fide hæc Thesis, quod Concilium sit supra Papam.

Jam Cl. Schelestratus responderat Gallis: quod ea tantum, quæ Concilium *quoad favorem Fidei* approbasset, vel damnasset, approbare, vel damnare teneatur Catholicam fidem amplexurus: Deinde Concilium hoc non definivit absolute, Concilia generalia habere a Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum pro tempore schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa; nam dubius Papa habetur pro non Papa, & proinde habere super illum potestatem non est habere potestatem in Papam. Ita *Bellarminus.*

Cæterum Bullæ: *Inter cunctas*, &: *In eminentis*, damnatos errores in Concilio Constantiensi Sess. VIII. contra Wicleffum: Sess. XV. contra Hussum: Sess. XXI. contra Hieronymum Pragensem, rursum condemnant.

DIARIUM HUSSITICÆ DAMNATIONIS
ET COMPLICUM.

MCCCCXIV. XXVI. Augusti Joannes Hussus Pragæ triplici libello divulgato linguis Latina, Teutonica, Bohemica professus erat, se iturum Constantiam ad respondendum de doctrina sua, de qua accusabatur, omnes adversarios suos monens, adessent ibidem, ad eum coarguendum: qui si eum vel minimi erroris in fide convincerent, non recusare se subire quascumque hæretici pœnas. Agnovit ergo semper Concilium Constantiense judicem suum in materia Fidei.

XV. Octobris Praga exivit.

XVIII. Octobris Cæsar Sigismundus dederat Spiræ literas salvi commeatus, ne quid violentiæ injustæ in via ei accideret, adjecto præcepto sub pœna capitis, ne Constantia discederet. *Bzovius* Literas Imp. exhibet, datas Spiræ XVIII. Octobris anno MCCCCXIV.

III. Novembris Constantiam advenit. In hospitio libere agere permissus, errores Wicleffi disseminavit voce & libris.

Monitus cum desistere nollet, teste *Cerretano in Diario MS. apud Bzovium*, ductus est ad Pontificem Joannem XXIII., a quo XXVIII. Novembris A. MCCCCXIV. custodiæ causa inclusus fuit, ne spargere hæreses pergeret.

Hussus videns e Clero Bohemico advectos accusatores, & multos adversarios suæ doctrinæ, cœpit fugam circumspicere, & curru rusticano straminibus oppleto tectus elabi voluit. Hic currus erat Joannis de Latzenbog amici Hussi. Magistratus urbanus Constantiæ monitus fugitivum persequitur, & interceptum Constantiam reducit ad Palatium Papæ. *Nauclerus generat.* 48. *pag.* 437.

437. *M. Cerisart L. Histoire du Concile de Constance L. I. pag. 56.*

Ulricus Reichenthal Chori-Episcopus Constantiensis, & Conradus Dacher Consiliarius Electoris Saxoniæ, authores coævi, narrant, secunda vice Hussum tentasse fugam ex urbe Constantia A. MCCCCXV. III. Martii ex suo hospitio: sed forte in die & loco *unde* errant. Nam ut ait *von der Hardt in factis Concilii Constantiensi* præviis *Tomo IV.* in arctiorem custodiam III. Martii apud Franciscanos traditus fuit, cum antea in Cœnobio Prædicatorum reclusus fuisset, credo ob tentatam secundam fugam.

I. Decembris deputantur Cardinales examinatores Joannis Hussi. X. Decembris Cæsar imperat Hussum e carcere liberum dimitti.

MCCCCXV. I. Januarii Deputati congregati fuerunt super inquisitione justitiæ Hussi per Cæsarem non impedienda.

III. Januarii Hussus in carcerem apud Dominicanos recluditur.

XXII. Januar. Hussus Episcopo Constantiensi traditus, Constantia Gottlesium vehitur & includitur.

VI. Aprilis Sessione quinta Generali: proponitur causa Hussi, in proxima Sessione tractanda.

XI. Aprilis congregati Deputati quatuor Nationum, Hieronymo de Praga Salvum conductum dant, *Salva semper justitia.*

XVII. Aprilis, Sessio VI. Generalis, constituti Commissarii in causa Hussi: de libris & articulis Wicleffi sententia Cardinalium postulata.

XVIII. Aprilis Hieronymus de Praga citatus prima vice. Congregati Cardinales & Theologi super articulis Wicleffi examinandis.

XXV. Aprilis Hieronymus de Praga Constantia fugit: in itinere Hirsaviæ captus fuit.

I. Maji denuo idem citatur.

II. Maji celebrata *Sessio VII. Generalis.* Decreta nova Sessio in diem IV. Maji de Wicleffo damnando.

IV. Maji Sessio VIII. Memoria Wicleffi cum ejus articulis & libris damnata, hæreticus declaratus, mandantur ossa exhumari.

XIII. Maji Sessio IX. Hieronymus de Praga tertio citatus.

XVI. Maji Congregatio publica contra Hussum, & ejus Salvum conductum, quem multis modis violaverat.

XXIII. Maji Hieronymus captivus Constantiam reducitur.

XXV. Maji Sessio Generalis XI.

XXVIII. Maji Deputati in causa Hussi pro formandis articulis.

XXIX. Maji Sessio Generalis XII.

XXX. Maji congregatæ Nationes de Husso e carcere Gollesiensi Constantiam reducto, publice examinando. Bohemorum libelli supplices oblati pro Joanne Husso: responsum iisdem, proxime auditum iri Joannem.

I. Junii Hussitæ sententiam Hussi exponunt, ad quorum revocationem Huss invitatur.

V. Junii Huss primum publice auditus.
VII. Junii secunda vice
VIII. Junii pro tertia vice examinatus: articuli XXVI. damnati, & alii propositi: frustra ad eorum revocationem Hussus invitatur.

IX. & XIII. Junii eadem pertinacia invitantibus ad revocationem resistit.

XV. Junii Sessio Generalis XIII.

XXX. Junii datur Husso Confessarius septiduo ante mortem.

II. III. IV. Julii Sessio Generalis XIV.

V. Julii Congregatio, in qua Hussus pertinaciæ suæ inhæret.

VI. Julii Sessio Generalis XV. Postquam Imperator, Cardinales, & Episcopi sæpissime eum hortati essent ad revocationem errorum; noluit vel unicum revocare, appellavitque ad Judicem JESUM CHRISTUM.

Demum Episcopus Constantiæ duas sententias legit: primam coram Husso genuflexo, qua libri ejus omnes cum erroribus igni decernebantur; alteram, qua damnabatur ipse ad degradationem. Hactenus Ecclesia.

Subin

Subin degradatus juxta ritum Ecclesiæ, ut laicus traditur brachio sæculari, Electori Palatino, & Magistratui urbis: post igni traditus: cineres Constantiæ in Rhenum projecti.

XI. Julii Sessio Generalis XVI.

XIX. Julii congregati Deputati. Hieronymus Pragensis e carcere in Concilium ductus, examinatus.

XVII. Augusti Sessio Generalis XVIII.

VIII. Septembris Hieronymus Pragensis ad revocationem invitatus.

XI. Septembris Hieronymus Pragensis prima vice revocavit errores.

XXIII. Septembris Sessio Generalis XIX. secunda vice idem revocat.

MCCCCXVI. XVII. Aprilis Hieronymus Pragensis ad examen retractus.

II. Maji publice examinatus.

XXX. Maji Sessio Generalis XXI. Hieronymus relapsus, pertinax, damnatur ad rogum, & comburitur.

CAUSA SEXTA
CAPITULI & CIVITATIS Argentinens.
CONTRA
WILHELMUM II. (a) Episc. Argent.

GRAVAMINA PRÆLATORUM, ET CÆTERI CLERI METROPOLITANI (b) ARGENTINENSIS, CONTRA EPISCOPUM WILHELMUM II. IBIDEM, DE ANNO MCCCCXVI.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Anno a Nativitate ejusdem *Millesimo, quadringentesimo, sexto decimo,* indictione nona, Apostolica Sede Pastore carente, coram Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis, Dominis miseratione Divina, JOANNE, *Patriarcha* Constantinopolitano, & NICOLAO, Episcopo Merseburgensi, Nuntiis & Legatis sacrosancti Generalis Constantiensis Concilii, super unione & reformatione universalis Ecclesiæ sanctæ Dei congregati ad civitatem, & Capitulum Argentin. super liberationem, & relaxationem Domini WILHELMI, electi Argentinensis, per cives Argentinenses, & Capitulum antedictum personaliter detenti specialiter destinatis in civitate ipsa, & in loco, in quo Capitulum Ecclesiæ Argentin. teneri consuevit, & tenetur existentibus, in meique Notarii publici, & testium infrascriptorum præsentia personaliter constituti, & existentes nonnulli Religiosi, & alii

(a) Wilhelmus de Diesth, Episcopus Argentinensis LXXV, auctoritate Papæ ab Ecclesia Trajectensi transfertur ad Argentinensem 14. Decembris anno 1394. Sedit annos 44. Obiit Molshemii anno 1439. Pridie Nonas Octobris. Hic a civibus Argentinensibus captus fuit in Molsheim A. 1415. 7. Decembr. & Argentinam ductus. Hanc discordiam Episcopi & Civium, cum Moguntinus Archi-Episcopus, & Marchio Badensis sopire non possent, ad Concilium Constantiæ res delata fuit.

(b) Hanc erroneam inscriptionem fabricatus est *Cl. Lunigius*: certum est Argentinam nec hoc Sæculo, nec aliis Metropolim Ecclesiasticam fuisse, sed Episcopalem meram.

1415. 9. 10. 11. *Decembris* congregatæ Nationes pro liberando Episcopo Argentinensi Wilhelmo de Diesth. De Diez, *Laguillio.*
1416. 13. 14. *Januarii* Legati Concilii Argentorato Constantiam reversi.
1416. 15. *Jan.* Congregatio publica Constantiæ, in qua auditi Legati reversi Strasburgo.
1416. 16. 17. 18. 19. *Jan.* Congregatæ IV. Nationes in causa Argentinensi.
1416. 20. *Jan.* Congregatio generalis de Episcopo Argentinensi captivo.
1416. 10. *Martii* Monitorium contra Argentinenses pro Episcopo publicatum.

alii Viri Ecclesiastici, qui Abbates, & Archidiaconi, & alii Prælati civitatis & Diœcesis Argentin. dicebantur, & præsertim Dominus *Burchardus*, *Abbas Monasterii Novillarensis*, nec non *Johannes Armbruster*, *Abbas Monasterii in Schutteren*, & *Johannes Wangenberg*, *Archipresbyter in Sletstad*, nec non *Jacobus Ris*, *Publicanus* (c) *Ecclesiæ St. Andreæ Argentin.*, ut asserebatur, post debitam reverentiam eisdem Dominis Patriarchæ, & Episcopo Nuntiis, & Legatis antedictis per ipsos Dominos Abbates, Archipresbyteros, & Prælatos impensam, ipsis Dominis Nuntiis, & Legatis per Venerabilem & circumspectum Virum, Dominum *Hermannum Ritter*, *Advocatum Curiæ Argentin.* nec non Clericum Capituli dictæ Argentin. Ecclesiæ ibidem præsentem, proponi fecerunt multa gravamina, & oppressiones, quibus ipsi, & Clerus Argentin. affligebantur per malum regimen prædicti electi, præsentantes, & exhibentes per eundem quendam papiri rotulum scriptum, *cujus tenor de verbo ad verbum inferius est insertus*, de malo regimine dicti Domini Argentin. electi, & oppressionibus ac violentiis ipsis factis per eundem, multipliciter conquerendo petentes humiliter, ac etiam postulantes, sibi super dictis oppressionibus, & violentiis, & aliis in ipso rotulo contentis, & expressis, ac malo regimine antedicto, per eosdem Dominos Nuntios & Legatos de optimo remedio providere. Tunc vero iidem Reverendissimi Patres Domini Patriarcha, & Episcopus, Nuntii & Legati prædicti hujusmodi rotulum benigne recipientes ipsis Dominis Abbatibus, Archidiaconis, & Prælatis responderunt, se velle eis concedere omnia juridica, offerentes se paratos ipsis conquerentibus, si aliqua volebant intentare, juxta eorum possibilitatem ministrare justitiam. Tenor vero rotuli antedicti superius, ut præmittitur, præsentati, & recepti sequitur, & est talis: ...

Reverendi Patres: hii sunt defectus, & gravamina, quibus Prælati, & Clerus Argentin. Diœcesis hactenus gravati sunt & fuerunt, circa quæ pro conservatione libertatis Status Ecclesiastici petunt eis provideri. *Primo* cum oportet, quid indistincte Ecclesiastici viri dictæ Diœcesis hactenus a Domino WILHELMO, electo & confirmato Argentinensi indefensi, sive sint religiosi Viri, Abbates, Præpositi, Proceres, &c. sive Clerici seculares juri stent coram laicis personis judicum, & districtuum Dominorum temporalium, & juri pereant laicis responsari querelis ipsorum, & a laicis recipiant justitiam, & decreto Judicum temporalium pereant cum effectu per præconesque laicorum eisdem mandata observent, & eorum advertant, & eisdem obtemperent indistincte, ob quæ, & qualia Monasteria, Conventus, Præbende eorum, & alia depauperati sunt, & depauperantur cottidie contra Ecclesiasticam libertatem, quia sua consequi non possunt. *Secundo* Prælati, & Clerus Diœcesis Argentin. hactenus indefensi a dicto Domino WILHELMO electo, & non protecti, indistincte a laicis ad omnes exactiones, dacias, tallias, gabellas, & alia onera laicalia subeunda, & solvenda ortantur, & compelluntur sine omni misericordia, etiam de bonis Monasteriorum, & quæ propriis sumptibus excolunt, ob quæ vires & facultates ipsorum exhaustæ sunt, & si exsolvere eadem recusant, tunc bona ipsorum de facto ab eis auferuntur. *Tertio* Viri Ecclesiastici, Religiosi, Abbates, Priores, & eorum Monasteria, nec non Clerici sæculares indistincte in Diœcesi Argentin. propter indefensam Domini WILHELMI prædicti a laicis Dominis temporalibus ratione Advocatiæ, seu exactionis turpis, quam tamen exactionem Domini temporalem laici milites, & militares dictæ Diœcesis nominant, & nominare consueverunt, jus Advocatiæ omnem substantiam Cleri extorquent: nam aliquis Abbas Domino suo temporali annue sexaginta, vel octoginta modia frumenti advocatiæ nomine assignare annuo, & singulis annis compellitur: ex quibus pro cultu Divino peragendo Monachos suos alere debet, & sic juxta vires facultates indistincte omnes Ecclesiastici Viri extorquentur a laicis: & non tantum in hoc opprimuntur, verum etiam ad mandata laicorum operas serviles facere, & ministrare oportet eisdem, prout cæteri servi & villani, præstando carras seu quadrigas ipsorum, famulas, & alia animalia ipsorum in usus, & commoditatem laicorum Dominorum tempora-

(c) *Credo:* Plebanus, *seu* Parochus.

poralium ad eorum nutum & beneplacitum, ob quæ vectigalia immense gravantur. *Quarto*, quia a Domino WILHELMO, Electo prædicto immense hactenus spoliati, & deprædati sunt, variis viis: nam omni anno collectam habere voluit, & extorsit ab eisdem sine misericordia jam de qualibet marcha redditutum annuorum, quas Viri Ecclesiastici, Religiosi, & Sæculares possiderunt, quintam partem florenorum Renens. ut puta quatuor blapphardos: aliquando de marcha duos blapphardos: aliquando plus, hoc annue continuando, ob quæ annue Clerus tria millia florenorum cum quingentis florenis eidem exsolvit: aliquando vero duo millia, vel mille octingentos florenos. Insuper a quocumque Abbate, Abbatissa, Præposito, vel Priori Electo a suo Conventu, & ab ipso confirmando pro conservatione prædicta facienda tantum extorsit, & extorquere consuevit a confirmando, & Monasterio suo, & indistincte omni tempore confirmationem sciente, quod vires facultates Monasteriorum ipsorum, exhausit, & proprietates & possessiones Monasteriorum vendere coacti sunt, & fuerunt: nam pro confirmatione alicujus Abbatis, vel Abbatissæ jam sexingentos, jam septingentos, jam octingentos, jam quingentos, jam quadringentos florenos extorsit, & extorquere consuevit: & si infra anni spatium, vel quandocunque eundem confirmatum, vel confirmatam, decedere contingebat, iterato tantum pro confirmatione novi electi, vel electæ habere voluit, prout prius extorsit ab eisdem. Insuper indistincte ad sui libitum quoscunque Sacerdotes suæ Diœcesis, sine causa & ratione, causa extorquendi pecunias ab eisdem, cœpit, incarceravit, & incarcerare consuevit, & rebus, & bonis eorum ad sui libitum spoliavit, & abstulit, tam in vita, quam post mortem ipsorum: non vocati in jus, non convicti, neque confessi: & ne similia inhumana eis contingant, decenter petunt, misericorditer eisdem provideri de remedio. Insuper judicia Ecclesiastica ordinaria, nec delegata in Diœcesi Argentinensi in Dominiis Dominorum temporalium, & Imperii propter indefensam Domini Wilhelmi progressum habere non possunt, nec mandata Ecclesiastica reciperentur, nec publicare per aliquem Sacerdotem præsumerentur, nec per metum aliquem ad publicanda præsentari sine examinatione sui ipsius & metu corporum: quare nec decimas, census, nec debita ipsis, & eorum Monasteriorum, & Præbendis competentia consequi possunt, ob quæ depauperati sunt hactenus, & cottidie depauperantur, & petunt provideri eisdem, ut de cætero Mandata Ecclesiastica in Diœcesi prædicta, & districtibus Dominorum temporalium recipiantur ob sua consequenda. Insuper silvas & nemora ipsorum Monasteriorum, & Religiosorum, Abbatum, Præpositorum, Priorum, & Ecclesiasticarum personarum, nec non bona & jura silvestria, seu forestaria ob indefensam antedicti Domini Wilhelmi electi, &c. Domini temporales recipiunt, & auferuntur ab eis indebite, & prædictis ipsis spoliant indistincte. Petunt similiter, ut hiis provideatur. Item juribus & operis servilibus tam in vita, quam post mortem debitis & competentibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis Monasteriorum, & aliis Religiosis locis a servis ascriptitiis, & aliis personis Monasteriorum eorundem, a Dominis temporalibus laicis spoliantur, & destituuntur, atque sibi titulo prætensæ advocatiæ sub ipsis has operas & jura usurpant & asscribunt in grave detrimentum Ecclesiasticarum personarum: item jura, jurisdictiones, & alia privilegia, quæ & quas viri Ecclesiastici habent, & habere consueverunt, in certis villis & districtibus ad eorum Monasteria pertinentibus, ipsi etiam laici eisdem Ecclesiasticis personis usurpant, & destituuntur, & ipsos impediunt, quominus ipsi gaudere possint ipsorum privilegiis & libertatibus. Item ipsi laici, & Domini temporales propter indefensam ipsorum a dicto Domino Wilhelmo, decimas ad ipsorum Monasteria, & Abbatias, & aliarum Ecclesiasticarum personarum, Præbendas, & mensam spectantes sibi usurpant, assumentes sibi vocabulum ironicum & repugnans dicentes: *fore Decimas laicales*, cum tamen nulla decima possit dici *laicalis*, cum possessio in eosdem laicos eorundem non cadat, cum decimæ sint cibus in domo Domini. Item laici & Domini

mini temporales, qui cum potentia armorum incedunt per Diœcesin, ut plurimum in Monasteriis & locis religiosis se locant, & bona ipsorum consumunt, sine misericordia Ecclesias, & Monasteria graviter ledendo, & depauperando: petunt circa eisdem obviari. Insuper præfatus Dominus WILHELMUS a tempore sui introitus (*c*) in dictam Ecclesiam Argentin. indistincte omnes benedictiones Abbatum, Abbatissarum, cæterorumque Prælatorum, nec non Ordines Clericales, cæteraque Sacramenta per Suffraganeum, seu Episcopum titularem confert, & conferre consuevit *Symoniace* pro pecuniis immensis, quæ pecuniæ ob dationem Ordinum, ob Benedictionem, ob conservationem Ecclesiarum & Cœmiteriorum, & reconciliationem eorundem, hactenus a Prælatis, & Ecclesiasticis Viris extortæ sunt, & cotidie extorquentur, contra Divinæ legis institutionem; & petunt similiter eisdem de remedio opportuno provideri. Item ipsi Domini Abbates, Præpositi, & Priores Monasteriorum & Conventuum hactenus indistincte ultra onera Episcopalia debita & competentia solita per Dominum WILHELMUM coacti, compulsi, & coartati sunt hactenus indistincte ad exactiones indebitas annuas. Nam ipse Dominus WILHELMUS Sagittariis, sive Balistariis suis portenriis fistulatoribus Coc. exponditaribus Cellerariis, & aliis familiaribus suis salarii nomine nil vel parum tribuit, nec tribuere vult, ut asseruit, sed Abbates, Præpositos, & Ecclesiasticas personas compellit per totam suam Diœcesim contra solitum fas & rationem ad satisfaciendum eisdem suis familiaribus annue de salariis apud ipsum Dominum Wilhelmum serviendo deservitur, ob quæ annuæ contributiones ipsos Abbates, Præpositos, Priores, & Ecclesiasticos Viros imponere oportet, nam talis Abbas artatur annue ad solvendum quatuor florenos, talis ad quinque, talis ad tres, talis ad sex &c. juxta vires facultates: petunt similiter ipsis provideri. De & super quibus omnibus & singulis antedictis iidem Domini Abbates, Archidiaconi, & Prælati petierunt, dictique Domini Nuntii & Legati voluerunt, & concesserunt, sibi unum & plura publica fieri Instrumenta per me Notarium publicum infra scriptum. Acta fuerunt hæc anno, die, mense, indictione, & loco, quibus supra, præsentibus Venerabilibus & Illustribus Viris *Hugelmanno de Vinstingen Decano*, *Friderico Comite de Zolre*, Canonico dictæ Ecclesiæ Argentin. *Nicolao Slendorpf*, Decano Ecclesiæ S. Sixti Merseburgensis, & *Conrado Luppfer* Vicario in Ecclesia Argentin. testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et ego *Ludovicus de Maurinis*, Clericus de Luca, in Legibus Licentiatus publicus, auctoritate Apostolica Notarius, ac præfatorum Reverendissimorum in Christo Patrum, Dominorum JOHANNIS Patriarchæ Constantinopolitani, & Nicolai Episcopi Merseburgensis, una cum Nicolao de Slendorff Decano St. Sixti Merseburgensis, pro tunc Notarius & Scriba prænominatis testibus dictis præsentationibus, exhibitionibus, & requisitionibus, ac singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent adfui, vidi, & audivi prius inde publicum Instrumentum, manu aliena fideliter scriptum, me aliis occupatum negotiis conficiens in fidem præmissorum omnium & singulorum rogatus, & requisitus.

Cl. Lunig Spicilegii Ecclesiastici des Teutschen Reichs Archiv 2. Theil *pag.* 905. *Vitiosissimam descriptionem horum Gravaminum debemus Librario, quo Cl. Lunigius usus est.*

(*c*) Anno 1394. facta permutatione.



Capituli Cathedralis Argentinenſis, uti & Magiſtratus ibidem, Inſtrumentum APPELLATIONIS *ad Sedem Apoſtolicam, & Generale Concilium melius informandum, nec non ad futurum Pontificem, per Concilium legitime eligendum, in cauſa Epiſcopi* WILHELMI II. *Argentinenſis, contra memoratum Capitulum Cathedrale, & Civitatem, de anno* MCCCCXVI. XXVII. *Martii Conſtantiæ in publica Congregatione propoſita.*

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

ANno a Nativitate ejusdem Milleſimo, quadringenteſimo, ſextodecimo, Indictione nona, Apoſtolica Sede vacante, die Lunæ, viceſima ſeptima Aprilis, hora primarum, vel quaſi, tempore *Sacri generalis Concilii Conſtantienſis*, in noſtrorum Notariorum publicorum, teſtiumque infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum præſentia perſonaliter conſtitutus Honorabilis Vir Dominus Kuwt, (*b*) alias Bell, Procurator, ut aſſeruit, & Syndicus Procuratorio & Syndicatorio nomine Venerabilium Virorum Dominorum Hugelmann, (*c*) Decani, & Capituli: nec non Friderici de Zolre, (*d*) Canonici Venerabilis Eccleſiæ Argentinenſis, ac etiam Excelſorum Dominorum Magiſtri Officiorum, (*e*) nec non Proconſulum, Conſulum, & Univerſitatis Magnificæ civitatis Argentinenſis, nec non Rulini Barpfenning, Ulrici Goſſe, & Michaelis Melbruge, civium Argentinenſium, tam conjunctim, quam diviſim, habens & tenens in ſuis manibus quandam appellationem papiri cedulam, quam ibidem palam & publice, ac alta & intelligibili voce legit, & publicavit, ac provocavit, & appellavit, & proteſtatus fuit, aliaque dixit & fecit quemadmodum in eadem appellatione continebatur, *cujus tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:*

COram (*f*) Vobis Notario publico, & teſtibus hic præſentibus, & aſtantibus: Ego Heinricus Kuwt, (*g*) dictus Bell, Procurator, & Syndicus, Procuratorio & Syndicatorio nominibus Venerabilium Virorum Dominorum Hagelmanni Decani, & Capituli, nec non Friderici de Zolre, Canonici Venerabilis Eccleſiæ Argentin., ac etiam Excelſorum Dominorum Magiſtri Officiorum, (*h*) nec non Proconſulum, Conſulum, & Univerſitatis Magnificæ (*i*) civitatis Argentinenſis, nec non Rulini Barpfenning, Ulrici Goſſe, & Michaelis Melbruge, civium Argentinenſium, tam conjunctim, quam diviſim, proteſtor ſolempniter & expreſſe, quod per præſentem, & quemcunque alium actum per me dictis nominibus factum, aut faciendum, non intendo, me quibuscumque rite, & juſte, ac ſancte per prædictum ſacrum generale Conſtantienſe Concilium, in Spiritu Sancto legitime congregatum, (*k*) diffinitionibus, decretis, ac ſtatutis, & ordinationibus, ac diffiniendis, decernendis, ſtatuendis, & ordinandis in aliquo opponere, aut contra ea facere, vel venire. Quinimmo volo ſemper & intendo diffinitionibus ſanctis, & juſtis, nec non decretis, ſtatutis, & ordinationibus, atque mandatis prædicti ſacri Concilii firmiter atque humiliter parere, & obedire. Infra dictis tamen ſemper ſalvis. Proteſtor inſuper, quod per præſentem actum, vel etiam alium quemcunque per me factum, aut faciendum, nolo, neque intendo, ab appellatione, & appellationibus per me nomine dictorum Dominorum in præſenti cauſa interpoſitis, & gravami-

(*b*) Libot, *Hardouin Tom. VIII. Concil. pag.* 532.
(*c*) Hugelmannus, Dominus de Vinſtingen, Decanus.
(*d*) Fridericus de Hohenzölleren, Camerarius.
(*e*) officiariorum
(*f*) *Totum habet Harduin T. VIII. Concilior. a pag.* 532.
(*g*) Libot. *Harduin.*
(*h*) officiariorum. *Harduin.*
(*i*) magnæ. *Harduin.*
(*k*) definitis

vaminibus eis illatis, quoquo modo recedere, neque resilire, sed eisdem volo firmiter inhærere, quibus protestationibus ipsis salvis appellando propono dictis nominibus & dico, quod quamvis prædicti Domini, Decanus, Canonici, & Capitulum nuper desolationis, (l) destructionis, dilacerationis bonorum eorum, possessionum, terrarum, oppidorum, & castrorum prædictæ Venerabilis Ecclesiæ Argentinensis alienationis, per WILHELMUM DE DYEST, assertum Electum ejusdem Ecclesiæ, dampnose, & irrecuperabiliter factis; præsertim cum idem WILHELMUS tempore suæ dampnosæ, & execrabilis promotionis prædictam Ecclesiam Argentin. in triginta castris, vel circa (m) & oppidis, atque redditibus invenisset ad valorem triginta millium florenorum auri annuatim habundare, quæ omnia temporibus suis miserrime dilapidavit, dissipavit, & quasi ad nihilum reduxit. Ita quod hodie dicta Ecclesia Argentin. nullum hujusmodi oppidorum & castrorum in possessione habet, quod detestabile est audire, pie (n) compacientes & cupientes, quantum in eis erat, indempnitati Ecclesiæ prædictæ providere, & finali ipsius Ecclesiæ exterminio imminenti obviare. Ad ipsius WILHELMI attestationem tunc fugitivi, & suspecti propter præmissa per eum commissa & perpetrata, volens tunc, & intendens oppidum Zabern ipsius Ecclesiæ Argentin. penitus ab ipsa Ecclesia alienare, (o) prout publica vox, & fama tunc de hiis (p) in partibus illis erat, quemadmodum etiam quasi alienatum esse videtur, debita cum honestate processissent, cum non erat superior, ad quem statim recursus posset haberi propter periculum instans, quem etiam in habitu laicali, & absque tonsura Clericali repererunt, quemadmodum etiam semper incedere solebat, & solet, successive prædicto sacro Concilio arrestationem, alienationem, destructionem, desolationem, & finale exterminium per suos legitimos Procuratores, atque amicos solemniter, & sufficienter intimassent, cum exhortatione, & supplicatione tam humili, quam devota deprecando, quatenus prædictum sacrum Concilium prædictis Dominis, Decano, Canonicis, & Capitulo, & Ecclesiæ Argentin. in præmissis paterne consulere, ipsique Ecclesiæ tam miserabiliter destructæ occurrere, nec non etiam Dominum BERNHARDUM Comitem de Eberstein, prædicti oppidi una cum WYRICO (q) de Hoenburg occupatorem & detentorem, tunc personaliter coram præfato sacro Concilio, seu certis tunc in causa hujusmodi Deputatis constitutos, ad restituendum Ecclesiæ prædictæ oppidum prædictum, vel ad reponendum ipsum in manibus ipsius sacri Concilii compellere, & constringere dignaretur, prout hæc, & alia in instrumentis publicis desuper confectis, ad quæ me, iis quo supra nominibus refero, & ea, nec non omnia & singula acta, facta, dicta, gesta in præmissis, & circa præmissa hic insero, & pro insertis haberi volo, quatenus tamen faciunt pro justificatione præsentis appellationis, & non alias, plenius continetur. Nihilominus tamen prædictum sacrum Concilium (cum omni semper benigna supportatione ejusdem loquendo) majoribus, ut præsumitur, præpeditum negotiis supplicationem, & exhortationem dictorum Dominorum Decani, Cantoris, (r) & Capituli usque nunc exaudire, in præmissis paterne consulere, & occurrere, & indempnitati Ecclesiæ prædictæ providere distulit, atque differt: & quamvis etiam prædicti Domini Decanus, Canonici, & Capitulum nuper Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis JOANNI Patriarchæ Constantinopolitano, & NICOLAO Episcopo Merseburgensi, in civitate Argent. nomine dicti sacri Concilii existentibus, nonnullas vias rationabiles, & justas ac sanctas obtulissent, & etiam apud eos debita cum instantia institissent, quatenus indemnitati Ecclesiæ prædictæ providerent, dictumque oppidum ad manus ipsorum nomine prædicti Concilii reciperent, & alias in præmissis Ecclesiæ prædictæ salubriter succurrerent, attentis maxime legitimis causis suspicionis perpetuæ alienationis oppidi prædicti, ac etiam (s) Borre, quod etiam idem Comes Bernhardus absque

(l) desolationem, destructionem
(m) vel citra
(n) propterea compatientes
(o) alleviare
(p) de ipso
(q) Ulderico
(r) Canonicorum, *non* Cantoris. *Harduin.*
(s) Castri Boje.

absque aliqua requisitione prædicti provisi (*t*) electi, ac etiam ipsorum Dominorum Decani, Canonicorum, & Capituli de facto cum oppido prædicto una cum prædicto Wyrico (*u*) occupat, quæ etiam causæ eisdem Ambaxiatoribus allegatæ fuerunt, continentes in effectu videlicet ex eo, quia idem Comes BERNHARDUS absque eorum Dominorum Decani, Canonicorum, & Capituli, quinimmo contra ipsorum voluntatem se detentioni, & occupationi eorundem castri & oppidi intromisit, licet Vasallus sit Ecclesiæ, tamen id oppidum & castrum nec huic sacro Concilio, nec Ecclesiæ Argentin. nec etiam Capitulo ejusdem Ecclesiæ restituere curavit, neque curat, cum tamen juramento fidelitatis Ecclesiæ astringeretur. *Secundo.* Quia idem Comes non obstante juramento fidelitatis, quo Ecclesiæ alligatur; ipse se Dominis Decano, & Capitulo opposuit supradictis, expresse se partem contra eos faciens tam coram prædictis Reverendis Patribus, quam alibi: Quinimmo etiam idem Comes cum volentibus Ecclesiæ prædictæ ac Capitulo movere guerram, illegitime conversatur, & eisdem alligatus existit, ac similiter ipsis Dominis Decano, Canonicis, & Capitulo ex prædicto oppido, & castro guerram movere minatur, studens obesse Ecclesiæ, cum juxta exigentiam juramenti fidelitatis sibi prodesse deberet, & ejusdem indempnitati præesse. (*x*) *Tertio.* Quia idem Comes servitor, & fautor specialissimus fuit, & est Illustris Principis Domini LUDOVICI Ducis Bavariæ, Comitis Palatini, qui etiam terras & oppida Ecclesiæ una cum castro Ortenberg de facto, & contra jus detinet, & sic vehementer suspicatur, eadem oppida Zabern, & castrum Borre, (*y*) sibi ipsi usurpare posse. *Quarto.* Quia potentia ipsius Domini DUCIS, & præfati Comitis Bernhardi adeo est magna, quod in casu cessus, vel decessus, aut privationis ipsius WILHELMI, vel etiam hoc sacro Concilio dissoluto nunquam oppidum, & castrum prædicta de manibus ipsius Comitis Bernhardi evelli possent. *Quinto.* Quia apparuit, & apparet etiam magna suspicio contra eundem Comitem Bernhardum ex eo, quia alias idem Comes recepit in hypothecam villam Zaſsbach, (*z*) cum fortalitio pro sexcentis florenis auri a prædicto WILHELMO sine consensu Capituli ad finem, ut eidem WILHELMO in guerra contra Dominos Decanum, Canonicos & Capitulum, & civitatem Argentin. assisteret: idem etiam Comes eandem villam cum fortalitio Ecclesiæ Argentin. restituere noluit, nisi Decanus, Canonici, & Capitulum hujusmodi villam, & fortalitium ab eodem Comite pro sexcentis florenis de bonis Ecclesiæ reluerent: alioquin etiam in perpetuum ab eadem Ecclesia fuissent alienata. *Sexto.* Ex eo, quia in instructionibus, per Dominos Abbatem Monasterii in Elwangen, & Christian. de Erpel hujusmodi sacri Concilii Nuncios nuper Argentinæ exhibitis, continebatur, & continetur inter cætera, quod idem Comes Bernhardus in omnem eventum retinere deberet, & debeat possessionem castri & oppidi prædictorum, & ea restituere duntaxat dicto Wilhelmo, vel futuro præficiendo Episcopo. Ex quibus etiam luculenter apparuit, & apparet, indempnitati Ecclesiæ minime provisum esse. Quinimmo etiam prædicta *contra dispositionem juris communis* attemptata videntur. Nam in casu cessus vel decessus prædicti WILHELMI, ac vacationis prædictæ Ecclesiæ gubernatio, & custodia oppidorum, castrorum, & possessionum Ecclesiæ ad Decanum, Canonicos, & Capitulum prædictos pertinent de jure, quo jure iidem Domini Decanus, Canonici, & Capitulum in casu hujusmodi forent penitus destituti, si hujusmodi oppidum, & castrum in manibus ejusdem Comitis modo præmisso remanere deberent. *Septimo* apparuit & apparet suspicio contra eundem Comitem, quod ab initio receptionis castri, & oppidi prædictorum dixit idem Comes coram pluribus fide dignis, se in eadem subintrasse, & ea detinere nomine Imperii, & de jussu prædicti Domini Ducis tamquam Subballivus (*a*) Imperii. Nunc autem dicit, se eadem detinere & cepisse tamquam Vasallus Ecclesiæ, & pro Ecclesia mutans verba per eum dicta. Et quatenus præ-

(*t*) prætensi Electi (*u*) Ulrico (*x*) pro posse
(*y*) Bojer, *rectius:* Hohenbar. (*z*) Sezuach (*a*) Subvasallus

prædicti Domini Ambaxiatores & Nuntii Sacri Concilii prædicti rationabilibus causis, modis & viis eis per Dominos Decanum, Canonicos, & Capitulum prædictos oblatis debuissent acquievisse, & Ecclesiæ prædictæ circa ejus indempnitatem providisse; ipsi tamen Domini *Patriarcha*, & *Episcopus*, & alii Nuntii prædicti communes (*b*) & singulas (*c*) justas & sanctas, ac rationabiles vias prædictas acceptare, & Ecclesiæ prædictæ in præmissis providere penitus recusarunt, & denegarunt, dicentes, se ad præmissa nullum habere mandatum. Et quamvis Sacra Generalia Concilia, & prædictum Sacrum Constantiense Concilium per Spiritum Sanctum, ut pie creditur, regulata fuerunt, prout etiam ipsum Sacrum Constantiense Concilium regulari dicti Domini mei firmiter credunt. Et propterea etiam ipsum Sacrum Concilium in aliquo errorem, quod absit, aut tamquam inscitiam in ipso denegare per quemquam asserere, foret ipsum Spiritum Sanctum reprehendere, quod absurdum inimicum censeretur, verumptamen, quia prædicti Domini appellationis vendita relatione didicerunt, quod præfatum sacrum Constantiense Concilium in hujusmodi causa supradictæ Ecclesiæ Argentinens. in præmissis compatiendo, nonnullis Dominis Prælatis, atque Doctoribus sedecim in numero, videlicet de quatuor nationibus, quatuor deputavit, qui causam hujusmodi audiendi, & cognoscendi usque ad sententiam diffinitivam exclusive habuerunt potestatem. Qui quidem Domini etiam sedecim Commissarii Deputati inter se deliberaverunt, & concluserunt in hunc modum, videlicet *inprimis* applicando jura ad ea, quæ facta sunt in materia, discussoque prius, an super characteris Clericalis, vel Ordinis Ecclesiastici sacri, vel non sacri electi Argent. excipipiendo, perseverando, (*d*) sit ante omnia pronuntiandum. Et utrum ab hujusmodi exceptionibus excipientes sint repellendi, diversis considerationibus ad evitandum multa inconvenientia, ex (*e*) consistentibus in facta resultantia ad faciliorem expeditionem causæ sine suspicione, & ut veritas habeatur, ac scandala, & pericula imminentia evitentur, avisando deliberarunt, *primo*, quod causa hujusmodi tam pro Electo, quam contra eum, Capitulumque, & communitatem Argentin. cum dependentiis, emergentiis, incidentiis, & connexis committatur aliquibus judicibus per Concilium cum plena potestate in forma juris tractanda in Basilea, vel in alio loco insigni, extra Constantiam & Argent. ex causa usque ad sententiam exclusive. Et cum ex officio Nobis per inquisitionem, quam mercenarie procedendo plebarie processu instructo, & concluso, assignata die ipsi Electo & aliis quibus fuerit, & videbitur assignanda Constantia ad comparendum personaliter, vel peremptorie secundum exigentiam casus, vel materiæ coram Concilio, audituri relationem processus, & ipsius exhibitionem postmodum judicando per (*f*) ipsius Concilii deliberationem. Item avisando deliberaverunt, quod ante omnia deberent inducere, monere, & requirere Capitulum, & communitatem Argentinensem, ut ipsum electum deliberent, & relaxarent in manibus judicum deputandorum nomine Concilii, & hoc (*g*) excommunicationis in singularum personas, & interdicti in Capitulum & civitatem, & in eorum territoriis, & Dominiis, & aliis pœnis tam juribus (*h*) quam aliis, de quibus (*i*) indebite eis, quas ipsi possint, debeant, & teneantur declarare, casu quo non fecerunt, & processus facere contra particulares culpabiles. Item avisando deliberarunt, quod electo liberato, & in eorum manibus reposito, immediate in eodem loco existente, debeant inducere, requirere & monere maxime dicti electi consensu interveniente, ut oppidum Zabern & castrum Borre (*k*) detinentes debeant relaxare, & remittere pure & libere in potestate, & custodia dictorum judicum nomine Concilii, (*l*) & hoc per consimiles censuras, & interdicta, & consimiles declarationes, & per privationem feudorum, & aliarum pœnarum, de quibus eis videbitur. *Item* avisando deliberarunt, quod castrum & oppidum hujusmodi debeant dari

(*b*) omnes, *pro:* communes
(*c*) & singuli
(*d*) perseverant,
(*e*) ex consistentibus in præfata resultantia
(*f*) pro ipsius Concilii deliberatione
(*g*) sub pœna
(*h*) juris
(*i*) videbitur
(*k*) Hohenbar
(*l*) & hoc sine stipendiis aut expensis restitutionis

dari, & committi in cuſtodiam alicujus non ſuſpecti, fideli habita deliberatione cum ipſo electo, & aliis, de quibus videbitur, & quod ultra redditus annuos dictorum caſtri & oppidi pro cuſtodia exponendi non poſſint, & debeant nec etiam etiamſi pro communibus (*l*) expenſis fieri poſſit, & quod pro ſtipendiis ſuis, vel expenſis, vel quocunque caſu dato fortuito, vel alio non poſſit nec debeat differre expeditionem, & traditionem caſtri & oppidi prædictorum ad decretum & beneplacitum Concilii, vel ſpecialiter ad hoc Deputatorum, & de hoc debeant recipi juramenta (*m*) obligationes, & hypothecationes, & aliæ ſecuritates poſſibiles. *Item* aviſando deliberarunt, quod qui caſtri,& oppidi cuſtodiam habebunt, debeant, & teneantur jurare & promittere, non offendere Capitulum, vel communitatem Argentin. quod eis debeat fieri inhibitio, & ſimiliter illis de Capitulo, & communitate Argentin. ſub pœnis formidabilibus, donec per Concilium, vel ſuam auctoritatem aliud ſuper hoc fuerit ordinatum. Et quamvis poſt prædictam deliberationem, & etiam ante iidem Domini ſedecim Deputati requiſiti fuiſſent,& cum inſtantia ab eis petitum fuiſſet,quatenus indempnitati Eccleſiæ prædictæ, maxime circa oppidum piædictum providerent, & ſi providiſſent, quod nondum apparuit, prædictos Dominos Decanum,Canonicos, & Capitulum de hoc certificarent, cum iidem Domini nunc fuiſſent, & eſſent parati, præfatum WILHELMUM relaxare, præſtita per ipſum ſola juratoria cautione de ſtando, & parendo juri coram prædictis Deputatis, & ſacro Concilio, ad quod etiam ipſi Domini paratos ſe ſemper obtulerunt. Prædicti tamem etiam Domini Deputati indempnitati hujusmodi ſaltem tacite pertranſientes (*n*) ſe deliberationem, quam facere intendebant circa præmiſſa feciſſe aſſerebant, dictos tamen Appellantes de proviſione indempnitatis hujusmodi certificare non curarunt. Cum iidem Domini Deputati in cauſa hujusmodi juxta eis per prædictum ſacrum Concilium commiſſa procedere intendiſſent: aliqui tamen pauci, animo partiales Prælati, a Spiritu Sancto, ut præſumitur, recedentes, ſeque Procuratoribus & Magiſtris magnis inter ſanctos (*o*) Dominos ibidem in eodem Spiritu congregatos, tamquam principales Gubernatores repræſentantes, mittentes falcem in meſſem alienam, in angulis, & non in publico quasdam particulares feciſſe dicuntur in cauſa hujusmodi deliberationes, & a jure communi penitus devias & exorbitantes, licet ſuper hoc a prædicto ſacro Concilio nil penitus habuiſſent in mandatis, ſaltem ſic deliberandi, qui etiam omnibus, & ſingulis per prædictos ſedecim deputatos deliberationibus, & concluſionibus contradixiſſe & contrarium feciſſe comprobantur, prout rei docuit, proh dolor! & hodie docet exitus. Et licet idem Spiritus Sanctus per organum Prophetæ David locutus fuerit ſic inquiens: *Recta judicate filii hominum*; (*p*) quod etiam judicium non immerito ipſe idem Spiritus S. in prædicto ſacro Concilio procul dubio fieri ſemper voluit ac hodie vult, machinationibus, partalitate, exorbitantiis & particularibus deliberationibus iniquis & injuſtis, perſonarum quarumcunque non obſtantibus quibuscunque. Quædam tamen præviſa litera ſub Sigillo ſive Bulla dicti ſacri Concilii partialiter, & abſque prædictorum ſedecim Deputatorum, quinimmo etiam præter, & abſque inclitarum quatuor nationum prædicti ſacri Concilii ſcitum, conſenſum, voluntatem, & mandatum *cameraliter*, *&* *angulariter*, contra omnem juris formam & debitam rationem, etiam *ſurreptitie & obreptitie* contra prædictos Dominos meos, etiam neſcitur, ad cujus inſtantiam, emanata eſſe dicitur. In qua de omnibus & ſingulis oblationibus, requiſitionibus, exhortationibus, dicto ſacro Concilio per dictos Dominos meos factis, nec non de alienatione, deſolatione, deſtructione, periculis, exterminiis, & alıis ſupradictis dilapidationibus per dictum D. WILHELMUM Venerabili Eccleſiæ Argentin. prædictæ factis, & præſtitis nulla penitus mentio facta apparet. Quinimmo per eandem proviſam (*q*) Bullam exorbitantes prædicti Domini mei per edictum, per modum *monitionis* requiri dicuntur, quatenus infra duodecim dies poſt lectionem, publicationem, & affixionem ejuſdem præ-

(*l*) minoribus, *pro:* communibus
(*m*) Inſtrumenta
(*n*) pertranſeundo
(*o*) ſtantes, *pro:* ſanctos
(*p*) Pſalm. LVII, 2.
(*q*) prætenſam

præviſæ (r) Bullæ in certis Eccleſiis, & locis ibidem expreſſe factas prædictum WILHELMUM aſſertum electum, nec non Cantorem Eccleſiæ prædictæ cum eorum familia abſque qualibet contradictionis obſtaculo plenarie in manibus dicti ſacri Concilii, ſeu Commiſſariorum ab eodem ſacro Concilio ad hoc Deputatorum libere reſtituerent, ipſisque ablata redderent, & reddi ac reſtitui facerent; vel de ipſis, ſi non extarent, ſatisfacerent, aut ſatisfieri procurarent, competenter ſub excommunicationis & interdicti, & aliis ſententiis, & cenſuris, ac pœnis. Quodſi forſan hujuſmodi monitionibus, & requiſitionibus in dicto termino comparere contempnerent, infra alios duodecim dies Domini Hugelmannus Decanus, Fridericus de Zolre, nec Rulinus Barpfenning, Ulricus Goſſe, & Michael Melbruge perſonaliter in eorum propriis perſonis, & alii Domini Canonici, & Capitulum omnes legitime comparerent *Conſtantiæ* in loco Seſſionis, ad videndum & audiendum ſe declarari in cenſuras & pœnas tam juris, quam ſacri Concilii prædictis incidiſſe. Certificantes nihilominus omnes, & ſingulos ſupradictos Dominos, & eorum quemlibet, quod ſive hujuſmodi monitionibus, & requiſitioni parere, & obedire, ac in præfatis terminis comparere curarent, ſive non, ipſa nihilominus ſancta Synodus ad omnia, & ſingula præmiſſa, & alia juris remedia in præmiſſis opportuna quomodolibet procederet, quæ utique ab ipſa ſancta Synodo proceſſiſſe minime creduntur, ſed potius *cameraliter*, particulariter atque furtive, eadem ſancta Synodo penitus ignorante, extorta præſumitur, maxime ex eo, & pro eo, quia quidam Caſpar de Peruſia, qui ſemper atque frequenter prædictos Dominos meos in prædicto ſacro Concilio, & in Nationibus nequiter, & mendoſe tamquam Advocatus diffamando, prædictam præviſam (s) Bullam præter ſcitum conſenſum, & voluntatem dicti ſacri Concilii, & ipſarum Quatuor Nationum, non per Cancellariam, ſed angulariter, & cameraliter expediviſſe comprobatur, pecunia, & muneribus corruptus dictum ſacrum Concilium vituperando, & ſcandalizando. Nam in eodem præviſo (t) *Monitorio* inter cætera continetur; quod dicti Domini Decanus, & Capitulum eidem WILHELMO debitam obedientiam promiſerint, & præſtiterint, quod omni caret veritate. Quinimmo idem WILHELMUS eiſdem Decano, & Capitulo ſolempne præſtitit juramentum de non alienando bona Eccleſiæ prædictæ, cujus tamen fecit, (u) perjurium incurrendo. Etiam non attendens eadem ſancta Synodus, quod præfatus Cantor fuit, & eſt de jurisdictione dictorum Dominorum Decani, & Capituli, quodque etiam de conſuetudine legitime præſcripta correctio, & punitio Canonicorum dictæ Eccleſiæ Argent. delinquentium, ac etiam arreſtatio, captio, & detentio eorundem ad eoſdem Decanum, & Capitulum ſpectavit, & pertinuit, quodque etiam ſi apparere poſſet, eundem Cantorem, & Canonicum per Decanum, & Capitulum prædictos fuiſſe captum, quod hujuſmodi captura rite, & legitime ipſius Cantoris & Canonici de cauſis exigentibus facta fuit, & præſertim ex eo, & pro eo, quia idem Cantor ut laicus ſine habitu, & tonſura Clericalibus in armis equitando ſemper inceſſit. Quodque etiam juxta juramentum per eum præſtitum Decano prædicto obedire ſæpius recuſavit, & contra juramentum ſuum veniendo, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ rebus, & bonis ſuis vi, & manu armata ſpoliavit, ac ſæpius debellare, & deprædare ſtuduit. Eoſdem etiam Decanum, & Capitulum ad indebitas exactiones ſpreto judicio, & foro atque jurisdictione Spirituali compulit, nec juſtitia in foro Eccleſiaſtico contentari voluit, ſed eoſdem exactionare (x) deprædari ad ſuæ libitum voluntatis, & quam plura alia enormia contra juramentum fidelitatis, & obedientiæ commiſit, & perpetravit. Non attendens etiam ipſa ſancta Synodus, quod præfatus WILHELMUS præviſus (y) Electus non fuit, neque eſt in aliquo etiam Clericali, vel majori Ordine conſtitutus, quodque tamquam purus laicus armatus ſemper inceſſit ſine aliqua tonſura. Quodque etiam tempore ſuæ arreſtationis ſic repertus fuerit, & ſic etiam ejuſdem correctiones

(r) prætenſæ (s) prætenſam (t) prætenſo
(u) contrarium (x) exauctorare (y) prætenſus

nes punitiones ad præfatos Dominos Magiſtrum, Officiorum Rectores, & prædictæ civitatis Argentin. non eſt dubium pertinere. Quodque dictum ſacrum Concilium Conſtantienſe de exceſſibus laicorum non ſpectat cognoſcere. Et præſertim de exceſſibus in dicta civitate Argent. & ejus diſtrictu per dictum WILHELMUM de Dyeſt commiſſis & perpetratis inhibendo, mandando, monendo, vel aliis qualitercunque diſponendo. Et licet prædictum prævifum [z] Monitorium præter ſcitum voluntatem, conſenſum, atque mandatum dicti ſacri Concilii, ac etiam contra juris & ſtili Romanæ Curiæ formam emanaſſe creditur, eique etiam tamquam nullo & a jure communi exorbitanti, nec non ſubreptitie & obreptitie extorto fides aliqua non fuiſſet, neque eſſet adhibenda, ſibique etiam minime parendum, neque obtemperandum per prædictos Dominos monitos, ut dicitur, atque citatos quamvis de facto, & quamvis etiam in prævifa [a] forma dicti prævifi (b) Monitorii caveatur expreſſe, quod dictum prævifum (c) Monitorium per Edictum publice foret in Romana Curia, & extra in partibus circumvicinis affigendum. Nihilominus tamen etiam prævifa [cc] forma hujuſmodi in exequendo minime ſervata eſſe dicitur, maxime cum originalis prævifa Bulla hujusmodi minime reperiatur in aliquo locorum edicti hujusmodi, extra Romanam Curiam fuiſſe in valvis Eccleſiarum, ut moris & juris eſt, affixa. Et licet præfatus Dominus Gaſpar de Peruſio, Advocatus dictæ partis nuper coram omnibus Dominis Deputatis quatuor Nationum hujuſmodi Sacri Concilii in cauſa hujusmodi, tunc pro audientia Illuſtris Principis Domini Comitis de Wirtenberg, nec non Baſilienſis & Conſtantienſis civitatum, nec non Bernenſis, Turicenſis, Schaffuſenſis, Lucernenſis, Uberlingenſis, Ravenſpurgenſis, Rotwilenſis, Lyndowenſis, Pfulbendorpfenſis, & Wilingenſis oppidorum Imperialium Ambaxiatoribus, danda in domo Fratrum Minorum Conſtantiæ congregatis (d) expreſſe poſtulaſſent & petiviſſent, quemadmodum etiam ſæpe & ſæpius pro parte dictorum Dominorum Decani, Canonicorum, & Capituli petitum & poſtulatum fuit: Quatenus hoc Sacrum Generale Concilium indempnitati Eccleſiæ Argentin. prædictæ provideretur, prædictique etiam Ambaxiatores coram eiſdem Dominis Deputatis, & a Sacro Concilio etiam cum inſtantia poſtulaſſent, quatenus prædictæ Reverendiſſimæ Paternitates, & hoc Sacrum Concilium intuitu Dei, & etiam propter bonum pacis & concordiæ, & etiam pro utilitate & ſtatu Reipublicæ totius Patriæ terminum Monitorii prædicti, nec non etiam *Salvum Conductum* eiſdem Dominis Decano, Canonicis, & Capitulo, ac Magiſtro Officiorum, Proconſulibus, & Conſulibus dictæ civitatis Argent. per idem Sacrum Concilium datum, & conceſſum ad moderatum tempus, videlicet terminum quindecim dierum proxime futurorum prorogare dignarentur, attento maxime quod iidem Domini Ambaxiatores mediante auxilio & conſilio ejuſdem Sacri Concilii ſperabant inter partes hujusmodi ſe taliter interponere, & amicabiliter tractare, quod cauſa hujuſmodi abſque magnis periculis concordaretur & terminaretur. Nihilominus tamen prædictæ Reverendiſſimæ Paternitates, ſeu ſaltem prædicti Domini Deputati Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſenſu, nec non votis Nationum hujus Sacri Concilii, ut creditur, minime ſuper hoc auditis, neque receptis, petitionem prædictam expreſſe rejecerunt, ſeu ſaltem admittere recuſarunt. Et prædictæ Reverendiſſimæ Paternitates cum benigna ſemper ſupportatione earundem Reverendiſſimarum Paternitatum loquendo, ut dicitur de prædictis non ignari aliaſque nulliter, & de facto in cauſa hujuſmodi procedentes ad executionem dicti (e) prævifi Monitorii, nec non pœnarum & cenſurarum prævifarum (f) in eodem expreſſatarum declarationem contra eosdem Dominos meos monitos atque citatos procedere nituntur. Et quia prædicta omnia & ſingula fuerunt, erant, & ſunt vera, publica, & notoria, dictique etiam Domini Decanus, Canonicus, & Capitulum, nec non Procurator & Syndicus nominibus, quibus ſupra prædicta omnia & ſin-

(z) prætenſum (a) prætenſo (b) prætenſi
(c) prætenſum (cc) prætenſa (d) congregatis
(e) prætenſi (f) prætenſarum declarationem

& ſingula fuerunt, & erant quilibet ipſorum fuit, & hodie ſunt probare parati, & ſe ad probandum prædicta, ſi neceſſe fuerit, admitti petunt, & quilibet eorum petit, in quantum onus probandi prædicta ſibi incumbit, de quo etiam proteſtatur. Ideo Procurator prædictus nominibus quibus ſupra, ſentiens ſe, & dictos Dominos ſuos, & jura ipſorum per prædicta omnia & ſingula, & eorum quemlibet fore læſos & læſa, timensque eos impoſterum ab eisdem Dominis Prælatis, Deputatis Sacri Concilii (g) plus poſſe lædi, ideo ab eisdem Dominis Prælatis, & Deputatis Sacri Concilii tamquam male informatis, & a prædictis particularibus deliberationibus, & a dicto prævifo iniquo nullo & invalido Monitorio, nec non a prætenſis pœnis & cenſuris in eodem contentis, & a ſingulis membris & Capitulis in ipſo expreſſatis, nec non etiam a dicta prætenſa iniqua, & injuſta [h] excommunicatione, ac etiam dictarum petitionum juſtarum non admiſſione, & non exauditione, & a dicto prævifo proceſſu prædictæque venerabilis Eccleſiæ Argentin. irrecuperabili dampnificatione prædictorumque oppidi Zabern, & caſtri Borre alienatione, & prædicti Comitis BERNHARDI, eorundem occupatoris tali quali tollerantia ipſiusque Comitis expulſione, denegatione, & ab omnibus aliis & ſingulis gravaminibus, quæ ex præmiſſis & actis cauſæ hujusmodi elici poſſint, & quæ ad (i) probandum ſufficiunt tam conjunctim, quam diviſim, non tamen a prioribus Appellationibus in cauſa hujusmodi interpoſitis recedendo, *ad Sanctam Sedem Apoſtolicam*, *& ad Sacrum Generale Concilium melius informandum*, *& ad futurum Romanum Pontificem* auctore Domino per ipſum Sacrum Concilium eligendum in his ſcriptis dictis nominibus provocat, & appellat, ac Apoſtolos petit primo, ſecundo, & tertio, ac inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime ſibi dari & exhiberi abjiciens (k) ſe, & dictos Dominos ſuos, & eorum quemlibet, ac jura & bona ipſorum, eisque adhærentium protectioni, & tuitioni Sedis Apoſtolicæ, & hujus Sacri Concilii, proteſtando ſolempniter & expreſſe, quod hujusmodi Appellatione pendente nihil penitus contra ipſos ſuos Dominos attemptaretur, ſeu innoveretur. Quodque etiam hujuſmodi Appellationem vult & intendit proſequi, & jure debito terminare loco & tempore opportunis. Et quod etiam præſentem Appellationem poſſit & valeat corrigere, & emendare, eique addere & minuere, & alias proteſtatur, ut fuit & eſt moris, atque juris & ſtili Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum, & Curiæ Romanæ: requirens vos Notarios publicos infra ſcriptos, ut de præmiſſis omnibus & ſingulis conficiatur unum vel plura, publicum vel publica, & tot, quot neceſſaria fuerint, inſtrumentum vel inſtrumenta ad futuram rei notitiam. Acta ſunt hæc in majori Eccleſia Conſtantienſi ſub anno, Indictione, die, & menſe; quibus ſupra. Præſentibus ibidem Reverendo in Chriſto Patre Domino Ludovico, Epiſcopo (l) Bauwarenſi, ac Venerabili ac provido viro Magiſtro Johanne de Breyda in Medicinis Licentiato, & Petro Annotti Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. [m]

Et ego Gumpertus Fabri de Wildungen, Clericus Moguntinenſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius, prædictis proteſtationibus provocationi & appellationi interpoſitioni, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſicut præmittitur per ſupradictum Dominum Henricum Kuwt, Procuratorem & Syndicum, fierent, & agerentur una cum infraſcripto Notario, & teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri, vidi, & audivi. Ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum per alium me aliis occupatum ſcriptum, una cum provido viro Magiſtro Johanne Hees de Wener, Notario publico infraſcripto exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum ejusdem Magiſtri Johannis Hees Notarii ſigno & ſubſcriptione ſignavi, rogatus & requiſitus

(g) nil amplius (h) exſecutione, *loco:* excommunicatione,
(i) ad appellandum (k) ſubjiciens ſe (l) Bangarenſi
(m) Hic Hardouinus ceſſat ſolo nomine *Joannis Wener*, Notarii ad præmiſſa addito. Reliqua ſunt Lunigii.

ſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Et ego Johannes Hees de Wener, Clericus Padeburn. Diœceſis, publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius. Quia hujuſmodi appellationi, interpoſitioni, & lectioni, cæteriſque præmiſſis, una cum prænominatis teſtibus atque Notario ſupraſcripto præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi. Ideoque hoc præſens publicum Inſtrumentum per alium fideliter ſcriptum una cum Notario exinde confeci, ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis & conſuetis conſignavi, rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Lunig Tomo II. Spicilegii Eccleſiaſtici II. Theil *pag.* 892.

Collatus cum Harduini non minus vitioſa deſcriptione Tom. VIII. Concil. p. 532.

Concilii Conſtantienſis Pronuntiatio declarationis in pœnas, quas in citatione Capitulo Cathedrali, & Magiſtratui Argentinenſibus, ut captum Epiſcopum coram Concilio, (a) *ſtatuant; ſi inobedientes fuerint, minatum eſt, & præcedentem Appellationem tanquam frivolam rejecit.*

27. Junii anno 1416.

IN DEI NOMINE. AMEN.

AD compeſcendos temerarios auſus ſubditorum in Superiores, & Prælatos ſuos, nec non laicorum, quos Clericis infeſtos oppido tradit antiquitas in perſonas Eccleſiaſticas, & præſertim Paſtorale gerentes officium, tuendamque Eccleſiæ libertatem, hæc Sancta generalis Synodus Conſtantienſis dudum ad eam, fama publica proferente frequentique, & clamoſa inſinuatione rem pene notoriam demonſtrante, Hugelmannus Decanus, & Fridericus de Zolre Canonicus de mandato Capituli Eccleſiæ, atque de conſenſu Proconſulum, Rectorum, & communitatis civitatis Argentin. nec non Michaelis Melbruge, Rulini Barpfenning dictæ civitatis civium conſilio, auxilio, & conſenſu dilectos Eccleſiæ Filios WILHELMUM Electum, nec non Fridericum Cantorem dictæ Argentin. Eccleſiæ cum nonnullis eorum bonis, & rebus manu armata violenter, & temere ceperant in quodam caſtro ad ipſam Eccleſiam pertinente, atque ad civitatem Argentin. invitos adduxerant, carcerique mancipaverant: dictique Hugelmannus, Fridericus aliique ſupra nominatim, nec non Capitulum, Conſules, Proconſules, civitas, & communitas prædicti incluſos detinebant, prout adhuc detinent mancipatos: Hugelmannum Decanum, Fridericum Canonicum, nec non Capitulum, Conſules, Proconſules, Rectores & communitatem, atque Michaelem, & Rulinum præfatos Canonice, & peremptorie monuit, quatenus infra certa temporum ſpatia tunc futura, nunc autem, & diu elapſa prædictos WILHELMUM Electum, & Fridericum Cantorem, ſub pœnis juris, & Sacrorum Canonum, nec non excommunicationis in ſingulos, interdicti in Eccleſiam, atque civitatem, communitatem, nec non in terras Dominia, atque loca ad Capitulum, & communitatem prædictum, & prædictam communiter, vel diviſim pertinentes, & pertinentia eidem Sanctæ Synodo redderent, & relaxarent, niſi tamen cauſam, vel cauſas allegare vellent; quare ad præmiſſa minime tenerentur, ad quam ſeu quas allegandas eorum ſancta Synodus certum & peremptorie terminum præfixit, & aſſignavit, & ad illos peremptorie citavit. Alioquin eadem Sancta Synodus præfatas ſententias, & cenſuras ex tunc in ſcriptis promulgavit. Et quia præfati moniti hujuſmodi monitioni parere, & coram eadem Sancta Synodo legitime ad præmiſſa in aſſignato, & prærogato terminis, & eorum quolibet comparere, cauſamque vel cauſas præmiſſas allegare minime curaverunt, immo contumaciter contempſerunt. Ad hoc tamen diutius

(*a*) Congregatione Generali ſine ſolemnitatibus Concilii inter XX. & XXI. Seſſiones.

tius exſpectari idcirco eadem Sancta Synodus præfatus Hugelmann Decanum, Fridericum Canonicum, Michaelem, & Rulinum cives, nec non Conſules, & Proconſules, & ſingulariter ſingulos excommunicationem, Eccleſiam vero civitatem & communitatem, nec non terras, Dominia, & loca, prædictas, & prædicta interdicti ſententias, & cenſuras incurriſſe, dictaſque perſonas ſingulariter ſingulas excommunicationi, Eccleſiam vero civitatem & communitatem, atque terras, Dominia, & loca prædictas, & prædicta Eccleſiaſtico ſubjacere interdicto, pronuntiat, & declarat, præmiſſaque mandat per omnes Eccleſiæ ſubditos, qui fuerunt ſuper hoc requiſiti, publicari, & de præmiſſis confici literas opportunas.

Lunig Loco citato....
Harduin Tom. VIII. Concilior. pag. 572. diverſis ſtilo & vitiis multis.

NOTIFICATIO DECLARATIONIS.

SACROSANCTA ET GENERALIS SYNODUS CONSTANTIENSIS VENERABILI FRATRI EPISCOPO ANCONITANO, ET DILECTIS ECCLESIÆ FILIIS CONSTANTIENSIS ET SPIRENSIS OFFICIALIBUS, SALUTEM, ET DEI OMNIPOTENTIS BENEDICTIONEM.

Cum dudum ad audientiam noſtram poſt depoſitionem Baldaſſaris, olim Johannis Pontificiis viceſimi tertii in ſua obedientia nuncupati, per Nos factam, fama publica referente deductum foret. Quod Hugelmannus de Vynſtingen Decanus, & Fridericus de Zolre, Canonicus Eccleſiæ Argentinenſis. Michael Melbruge, & Rulinus Barpfenning cives Argentin. de Capituli, & Canonicorum prædictæ Eccleſiæ, nec non Conſulum, & Proconſulum, atque communitatis civitatis Argentin. de Capituli, & Canonicorum prædictæ Eccleſiæ auxilio, & conſenſu, hoc ratum, & gratum habentium, cum nonnullis ſuis in ea parte complicibus ad oppidum Mollisheim, Argentin. Diœceſis ad Epiſcopalem menſem ſpectans, (in quo tunc erat dilectus Eccleſiæ Filius, WILHELMUS electus Argentin. una cum dilectis Eccleſiæ Filiis Friderico de Bytz, Cantore Eccleſiæ prædictæ, & familia ipſorum Electi. & Cantoris pro quibusdam ipſius Eccleſiæ negotiis illic una cum eiſdem Decano & Canonico, ut ipſe credebat electus utiliter pertractandis, & promovendis,) manu armata acceſſerant, & ſuadente diabolo ac Dei timore, nec non reverentia, & obedientia eidem electo per ipſos debitis inconſulte poſtpoſitis, in Electum, & Cantorem prædictos auſu ſacrilego manus injecerant temere violentas. Eosque cum prædicta ipſorum familia ignominioſe cœperant, & ad eandem civitatem perduxerant, ibique carceribus manciparant, ac ex poſt detinuerant, prout adhuc detinent electum ipſum incarceratum. Nec non eosdem Electum, Cantorem & Familiam, bonis, & rebus ſuis apud eos repertis ſpoliaverant, propterea excommunicationem, aliasque cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas in tales a jure prolatas dampnabiliter incurrendo. Nos de tam gravibus exceſſibus prope Nos, qui ad univerſalis Eccleſiæ reformationem diu ante fuimus, prout adhuc ſumus authore Domino inſimul congregati, & ad quos ſuper quibuſcumque quæſtionibus movendis contra Electum, Cantorem ac Familiam prædictos communiter, & diviſim de facili poterat recurſus haberi, non immerito dolentes & volentes, prout ad Nos ſpectabat, & ſpectat, ſuper hiis diligentius inquirere veritatem, Venerabiles Fratres, Johannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Nicolaum Epiſcopum Merſeburgenſem ad civitatem prædictam, cum plena poteſtate ſuper præmiſſis ſimpliciter, & de plano inquirendi ſeque informandi, etſi ita eſſe reperirent Electum, & Cantorem, ac Familiam prædictos cum rebus, & bonis hujusmodi eis ablatis, ut præfertur, libere in noſtris manibus reſtitui, faciendi, requiſitionemque, & monitionem hujusmodi, cæteraque circa hæc quomodolibet utilia, & neceſſaria faciendi, nuntios ſpeciales noſtros duximus, deſtinandos parati de ipſo electo quærulantibus omnibus reddere bonum, & breve juſtitiæ complementum. Ex quorum ſiquidem Patriarchæ & Epiſcopi, qui ad eandem civi-

civitatem, prout eis injunximus, propter præmissa personaliter accesserant, relatione fide digna comperimus, quod quanquam prædictas captionem, & detentionem fore notorias in illis partibus reperissent, ac de illis,& aliis præmissis ibi esset publica vox & fama, ipsique Decanum, Canonicum & Capitulum, cives, Consules, Proconsules & communitatem prædictos pro parte nostra requisivissent, & monuissent instanter ut Electum, Cantorem & Familiam relaxarent, electumque in nostris manibus, ut facere tenebantur, libere assignarent, cum oblatione justitiæ, quam apud Nos sublata difficultate qualibet invenirent, si contra ipsos vellent aliqua proponere, coram Nobis: tamen Decanus Fridericus, Capitulum, cives,Consules, Proconsules, & communitas prædicti requisitione,& monitione hujusmodi obauditis, aut spretis prædictos Electum, Cantorem & Familiam relaxare, ipsumque Electum in manibus assignare, minus, debite denegarunt, aut saltem distulerunt, prout adhuc denegant, & differunt de præsenti, propter quæ Nos ad juris remedia concurrere, suggerente justitia commoniti, & in hac parte ex officio contra ipsos procedere volentes, per Nostros certi tenoris literas adinstar Edicti publici majoris Constantiensis, & quorundam aliarum dictæ Diœcesis Ecclesiarum portis publice affixis, monuimus Decanum Fridericum, Capitulum, cives, Consules, Proconsules & communitatem prædictos, ac etiam quoscumque alios in præmissis forte culpabiles, videlicet infra certum terminum peremptorie competenter tunc expressum *Decanum Fridericum*, *Capitulum*, *Michaelem & Rulinum*, cives, Consules, Proconsules, communitatem, & complices præfatos, quatenus Electum & Cantorem cum hujusmodi eorum Familia, absque cujuslibet contradictione obstaculo, & plenarie in nostris manibus, seu Commissariorum per Nos super hoc deputatorum restituerent, aut ponerent, eisque ablata redderent, aut reddi, & restitui facerent, si extarent. Alioquin de illis satisfacerent, aut procurarent satisfieri, competenter sub excommunicatione, quam alias Decanum, & Fridericum Canonicum, nec non cives, Consules, Proconsules, & alias culpabiles in præmissis, ac etiam singulas personas, & Capitulo, & communitate prædicta incurrere, nec non interdicti pœnis, quo Ecclesiam Argentin. & civitatem præfatas, & omnia loca, terras, & Dominia Capitulo, & communitati prædictis in temporalibus subjecta corporaliter volumus subjacere. Et nihilominus ex tunc etiam Decanum Fridericum, Canonicum, Capitulum, cives, Consules, Proconsules, communitatem & complices, nec non omnes,& singulos in præmissis culpabiles sæpedictos, & eorum fautores per idem edictum peremptorie *citavimus*, ut infra alium terminum peremptorie competenter, etiam tunc expressum videlicet Decanum Fridericum, Canonicum, Michaelem & Rulinum cives, personaliter in eorum propriis personis. Alii vero omnes legitime comparerent coram Nobis *ad audiendum " per Nos declarari, se in pœnas, & censuras prædictas incidisse, vel ad docendam causam rationabilem, quare illa fieri non debe- rent.* " In quo quidem primo termino dilectus Ecclesiæ Filius, Magister Johannes de Scribann. Procurator in Romana Curia, & Promotor hujusmodi Officii per Nos *Deputatus* coram Nobis in judicio comparens, ac de *citatione* prædicta Nobis fidem faciens, per legitima documenta prædictorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit. Et licet etiam postea Decano Friderico, Canonico, Capitulo, civibus, Consulibus, & communitati prædictis pro bono pacis, nec non obviandum scandalis & litibus, quæ alias ex præmissis,& eorum occasione possint verisimiliter exoriri, multa dilationes sub dierum competentibus intervallis dederimus ad expurgandum per ipsos coram Nobis hujusmodi minis morosam contumaciam eorundem, & quanquam specialiter exhortatione carissimi Ecclesiæ Filii SIGISMUNDI, Romanorum & Hungariæ &c. Regis Illustrissimi excitati dilectum Ecclesiæ Filium, Nobilem Virum Henricum dictum Latzenboch, militem ad prædictam civitatem Argentin. & Capitulum prælibatum transmiserimus, pro hujusmodi liberatione, & relaxatione concorditer facienda, certo termino præfixo, donec ejusdem Henrici responsio

ſio haberetur, jam elapſo termino eandem declarationem ſuſpenderimus, putantes intercedentibus ſuffragiis ejusdem invictiſſimi Romanorum Regis, prædictos Conſules, Proconſules, & Capitulum noſtris immo Dei, & Eccleſiæ juſſionibus hujusmodi obedire debere, ipſi tamen Decanus Fridericus, Canonicus, Capitulum, cives, Conſules, Proconſules, & communitas in reprobum ſenſum dari requiſitioni & monitioni, nec non citationi noſtris prædictis obedire contumaciter non curarunt, nec in termino eidem Henrico præfixo debite & cum effectu reſponderunt, nec quæ cum eodem Henrico tractaveramus, effectui demandarunt. Poſtea vero præfatus Magiſter Johannes coram Nobis in judicio comparens, quandam petitionem ſummariam in hujuſmodi cauſa dedit, Nosque demum attendentes, quod ferro ſcindenda ſunt vulnera, quæ fomenta reſpuunt medicinæ, ad inſtantiam præfati Joannis prædictos Decanum Fridericum, Canonicum, Capitulum, cives, Conſules, Proconſules, & communitatem ad noſtram in cauſa hujusmodi declarationis ſententiam audiendam, in audientia publica, ut moris eſt, citari fecimus ad certum diem peremptorie competenter, in quo prædicto Johanne coram Nobis *in publica Seſſione* in judicio comparente, ac præfatorum citatorum non comparentium contumaciam accuſante, & in eorum contumaciam ſententiam ipſam ferri petente, Nos ipſos citatos, quod ad hoc, prout erant reputantes, merito contumaces in eorum contumaciam viſis, per Nos, & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis actis & habitis in cauſa hujusmodi, ipſisque cum diligentia recenſitis & examinatis, per hanc noſtram ſententiam pronuntiamus, & declaramus præfatos Hugelmannum Decanum, Fridericum Canonicum, Michaelem & Rulinum cives, nec non Conſules, Proconſules, & ſingulariter ſingulos *Excommunicationis*, Eccleſiam vero, civitatem, & *communitatem*, nec non terras, Dominia, & loca ad Capitulum & communitatem communiter, vel diviſim pertinentes, & pertinentia *Interdicti* ſententias & cenſuras incurriſſe, dictasque perſonas ſingulariter ſingulas excommunicationi, Eccleſiam vero, civitatem & communitatem, atque terras, Dominia, & loca prædictas, & prædicta Eccleſiaſtico interdicto ſubjacere. Quocirca diſcretioni veſtræ per ſcripta noſtra mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios prædictam ſententiam noſtram, ubi & quando expedire videritis, authoritate noſtra ſolempniter publicetis. Nec non Decanum Fridericum, Canonicum, cives, Conſules, Proconſules, & ſingulas perſonas excommunicationi ad Eccleſiam Argentin. civitatem, loca, terras, & Dominia ipſa interdicto ipſo, ut præmittitur, ſuppoſita in omnibus Eccleſiis, & locis, de quibus etiam fueritis requiſiti coram multitudine populi publice nuntietis. Et ab aliis tamdiu denuntiari dictosque Decanum Fridericum, Canonicum, cives, Conſules, Proconſules, & perſonas arctius evitari ab omnibus faciatis, quouſque ipſi abſolutionis Beneficium ab excommunicationis ſententia, nec non aliis cenſuris, & pœnis eiſdem a Nobis, aut ab unico & indubitato, Summo Pontifice in proximo Domino annuente creando meruerint obtinere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Conſtantiæ tertio Nonas Junii, anno a Nativitate Domini, Milleſimo, quadringenteſimo, ſexto decimo, Apoſtolica Sede vacante.

Cl. Lunig Spicilegii Eccleſiaſtici des T. Reichs Archivs 2. Theil.
Harduinus Tom. VIII. Concil. pag. 498. *diverſitate magna, & multis vitiis plenam copiam hujus Monitorii habet.*



Con-

Concilii Constantiensis Commissoria potestas

Deputatis commissa X. personis inquirendi contentiones inter Episcopum WILHELMUM II. Argentinensem, & Capitulum suum Cathedrale, uti & Magistratum & communitatem.

De anno MCCCCXVI. XXVII. Aprilis.

SAcrosancta & Generalis Synodus Constantiensis dilectis Ecclesiæ Filiis *Angelo Veronensi*, & *Branda Placentinensi*, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus*, sic vulgariter nuncupatis: nec non *Marino Episcopo Apruntino*, *Thomæ de Aurelia*, Sacri Palatii Apostolici causarum Auditori, pro Italica: Johanni Patriarchæ Constantinopolitano, Johanni Episcopo Gebenensi, pro Gallicana: Jacobo Episcopo Plocensi, Nicolao Vordis etiam dicti Sacri Palatii Apostolici causarum Auditori, pro Germanica: Patritio Episcopo *Cartagiensi*, & *Richardo Derhaim*, Sanctæ Sedis Apostolicæ Protho-Notario, pro Anglicana Natione committit omnes & singulas causam & causas tam civiles, quam criminales, quæ vertitur, vertuntur, seu verti, & esse sperantur inter dilectos Ecclesiæ Filios, WILHELMUM Electum Argentinensem ex una, ac Hugelmannum Decanum, Fridericum Canonicum, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ Argentin. & Rulinum Barpfenning, Michaelem Melbruge, Magistros civium, Consules, Proconsules, ac communitatem Argentin. & eorum ab utraque parte complices & adhærentes conjunctim & divisim parte ex altera, de & super captivationibus dictorum *Electi*, & *Cantoris Argentin.* suorum familiarium, & sibi adhærentium in hac parte, nec non spoliis, violenciis, & injuriis per unam partem contra aliam active & passive deductis, & deducendis juxta tenorem cedulæ alias in *Sessione publica*, *in præsenti materia lectæ* audiendi, cognoscendi cum omnibus & singulis emergentiis, incidentiis, dependentiis, & connexis usque ad sententiam diffinitivam exclusive, & cum potestate, & quod si omnes judices interesse non possint, aut noluerint, major saltem pars in aliorum absentia procedere valeat indemnitati Ecclesiæ Argentin. proviso summarie simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii feriis non obstantibus sola facti veritate inspecta, & terminis abbreviatis etiam ex officio cum potestate processus jam decretos, vel in futurum fulminandos, contra quoscunque, quorum contumacia hoc exigit, aggravandi, reaggravandi, & brachium sæculare invocandi totiens, quotiens opus erit. Et nihilominus *Decanum*, & *Capitulum*, nec non *Michaelem*, & *Rulinum*, *Cives* supradictos, singulasque personas tam Capituli Argentin. quam communitatis ejusdem civitatis, a quibuscunque censuris in forma juris *absolvendi*. Et *Interdictum* occasione præmissorum, ubicunque positum *relaxandi*, vel ad tempus suspendendi, nec non omnes & singulos processus in hujusmodi causa decretos, & decernendos, fulminatos & fulminandos, tam in Concilio Constantiense, quam in partibus per edictum exequendi constitutionibus, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque.

Cl. Lunig Spicil. Ecclesiast. des T. Reichs Archivs 2. Theil.

Harduinus Tomo VIII. Concil. pag. 554.

Commissariorum Concilii Constantiensis Instrumentum Absolutionis pro Capitulo Cathedrali, uti & Magistratu & Communitate Argentinensibus, anno MCCCCXVI. XVIII. Julii.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

PEr hoc præsens publicum instrumentum pateat universis præsentibus, & futuris. Quod anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, sextodecimo, indictione Nona, *Sede Apostolica vacante*, *die vero Sabbati*, *decima octava* men-

mensis Julii Constantiæ, provinciæ Moguntinensis, in Ecclesia Cathedrali processionibus, sive congregationibus publicis per Sacrum Concilium Constantiense super ordinationibus, diffinitionibus, & conclusionibus teneri, & servari solent specialiter deputata, ipsoque Concilio in modum generalis Congregationis super certos ibidem ordinandos, concedendos, & diffiniendos legitime congregato, inter cætera, quæ ibidem Statuta, ordinata, & definita fuerunt, idem Concilium in finem, & effectum, ut provideri possit indempnitati Ecclesiæ Argentinensis, ac Reverendo Patri Domino *WILHELMO*, *Electo Argentinensi*, & *Friderico Bitz*, *Cantori* dictæ Ecclesiæ ex una, & Hugelmanno Decano, & Friderico de Zolre Canonico, & Capitulo ipsius Ecclesiæ Argentinensis, & Roilino Barphennyg, Michaele Melbruge Magistro, civium Consulibus, & Proconsulibus, & communitati sæpe dictæ civitatis Argentinensis, & ipsorum ab utraque parte complicibus & adhærentibus, conjunctim & divisim, in causa & causis vertente, & quæ verti & esse sperarunt inter eos, & quæ una pars alteri, & altera alteri movet, movebit, seu movere intendat de & super nonnullis spoliis, violentiis, injuriis, dilapidationibus, & alienationibus, & aliis, in ipsis causa & causis deductis, & deducendis, & eorum occasione partibus ex altera, hinc inde plena justitia ministretur, & ex quo Judices seu Commissarii alias per ipsum Concilium ipsis partibus ad examinandam causam & causas prædictas, videlicet Reverendissimi in Christo Patres & Domini *Branda Placentinensis*, *Angelus Veronensis*, *Presbyteri Cardinales*, pro Collegio Reverendissimorum Patrum, Dominorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium: *Martinus*, *Episcopus Aprutinensis*, & *Thomas de Aurelia*, Sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, pro Italica: *Johannes*, *Patriarcha Constantinopolitanus*, & *Johannes*, *Episcopus Gebenensis*, pro Gallicana: *Jacobus*, *Episcopus Plocentinensis*, & *Nicolaus Vordus*, *ejusdem Palatii Apostolici causarum Auditor*, pro Germanica: *Patritius*, *Episcopus Cortragensis*, & *Richardus Darbam*, *Sedis Apostolicæ Protho-Notarius*, pro Anglicana Nationibus uniformiter *Deputati* fuissent, licet tunc plena potestate pro examinatione hujusmodi causæ & causarum usque ad diffinitivam sententiam, in ea, seu eis proferendam exclusive non suffulti, prout in quadam papiri cedula *die vigesima septima mensis Julii* proxime præteriti, partim per organum Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Domini *Johannis*, Patriarchæ Anthiocensis, *in simili Congregatione ipsius Synodi Constantiensis* recitata, partim vero *de mandato ipsius Synodi*, & totius Congregationis per Venerabilem Virum, Magistrum *Henricum de Piro*, de Colonia, ipsius Synodi Constantiensis Promotorem, in scriptis tunc pronuntiata, cujus tenor inferius est insertus, plenius continetur. Quapropter *ipsa Synodus*, ut præmittitur, loco & hora, quibus supra, legitime congregata, nil de contingentibus & necessariis, quoad supra dictas causas atque partes omittere volens, supradictis Dominis, Judicibus, & Commissariis alias Deputatis dedit, tribuit, atque concessit plenam potestatem audiendi, & cognoscendi causam & causas hujusmodi, prout & quemadmodum in simili papiri cedula per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum *Antonium*, *Episcopum Concordiensem*, de mandato ipsius Synodi Sacrosanctæ in ambone, in quo edicta, decreta, ordinationes, statuta fuerunt, & diffinitiones ipsius Synodi legi solent, lecta & publicata, cujus tenor similiter inferius est insertus, continetur, & habetur. *Tenores vero cedularum*, *de quibus supra fit mentio*, *sequuntur*, & *sunt tales*: *PRIMO*: Quod persona Domini Electi Argentinensis offeratur Sacro Concilio, cras

1416. 30. *Aprilis* Appellatio Argentinensium repudiata. Item congregata eodem die Natio Germanica in causa Argentinensium.

1416. 8. *Maji* Congregatio publica pro Episcopo Argentinensi liberando. Rursum die 9. *Maji anno* 1416.

1416. 9. *Junii* contra Argentinenses pronuntiatum.

1416. 27. *Junii* Congregatio Generalis. Guillelmus de Diest Constantiam deducitur, sententiæ Concilii se submisit. *Hardtius in Indice ante Tom. IV.*

cras in Congregatione Generali in loco Seſſionum faciendi, ibique per habentem verbum nomine dicti Concilii cum honeſtate & honore debitis recipiatur, ſecundum quod decet honorem Sacri Concilii, & Eccleſiæ Argentinenſis, & perſonæ ejusdem Domini Electi conſideratis. *Item*, quod attendatur, quod dictæ perſonæ oblatio fiat pure & ſimpliciter ſine conditione & obligatione quacumque, & ſi forſan aliqua conditio vel obligatio interveniret in dicta obligatione caſſetur ante omnia per dictum Concilium, & pure præfata perſona recipiatur ad finem juſtitiæ, inter partes, & alias ex officio interſtrandæ. *Item*, quod dictus Electus ibidem offerat & præſtet cautionem idoneam de non recedendo a Concilio ante finem cauſæ, & de ſtando juri ac judicio ſiſti, & de parendo, obtemperandoque & obediendo judicatis ſuper omnibus propoſitis & proponendis contra eum, tam ex officio, quam ad inſtantiam datam & Capituli, ac civium Argentinenſium, & maxime ſuper his, quæ concernunt indemnitatem Eccleſiæ Argentinenſis prædictæ. *Item*, quod vice verſa præfati Domini Decanus, & Capitulum, ac cives ſimilem cautionem præſtent, quoad propoſita, & proponenda contra eos pro parte dicti Electi, & alias ex officio, ne juſtitia dicti Sacri Concilii in aliquo videatur claudicare.

Iſta ſuperius ſcripta non fuerunt lecta, ſed ſolum per Dominum Patriarcham Anthiocenſem verbaliter dicta. Sequens Capitulum fuit lectum, prout ſequitur:

Item, quod deputentur per Sacrum Concilium de qualibet Natione duæ notabiles perſonæ, & ex parte Collegii duo Domini Cardinales, qui habeant plenam poteſtatem recipiendi dictas cautiones, caſu quo in prima Congregatione non eſſent per Concilium receptæ, & circa cuſtodiam perſonæ medio tempore providendi in dicto caſu, & etiam cauſam & cauſas, & quærelas partium prædictarum, & alias ex officio motas, & movendas audiendi, examinandi, & generaliter omnia faciendi, quæ ad plenam diſcuſſionem hujuſmodi cauſarum, & quærularum pertinent, ſeu pertinebant uſque ad ſententiam diffinitivam. *Tenor ſecundæ cedulæ*: Sacroſancta & Generalis Synodus Conſtantienſis dilectis Eccleſiæ Filiis A. Veron. & B. Placentinenſi, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſic vulgariter nuncupatis, nec non Marino, Epiſcopo Apruntinenſi &c. *ut ſupra*. Qua quidem ultima papiri cedula poteſtatem conceſſam Judicibus, & Commiſſariis prælibatis, in ſe continente lecta & ipſa cedula, ut ſic lecta per eundem Dominum *Antonium, Epiſcopum Concordienſem*, *Ytalice: Vitalem Tholonenſem*, *Gallicane: Nicolaum Merſeburgenſem*, *Germanice: Patritium Anglicane Nationum*, & *Johannem, Epiſcopum Oſtienſem*, Cardinales, Collegii nominibus approbata per verbum *Placet*, præfata Synodus Conſtantienſis ad honorabilis viri Magiſtri Johannis de Stribann, Promotoris ipſius Synodi juſtam, & requiſitam, mandavit omnibus & ſingulis Protho-Notariis Sedis Apoſtolicæ, cæterisque Notariis ipſius Synodi Conſtantienſis unum vel plura, ac tot, quot ſufficiant, fieri publicum & publica Inſtrumentum & Inſtrumenta, ad perpetuam rei memoriam, præſentibus ibidem Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, & Dominis, Dominis: Johanne Oſtienſi, Vinarienſ. Angelino Peneſtrin. vulgariter Lauden. Epiſc. Cardinalibus. Antonio Bononienſi, Antonio Aquilegienſi, Gabriele Senenſi, Alamano Piſano, Angelo Veronenſi, Thomá Tricaritenſi, Guillielmo Sancti Marci, Antonio de Challanto, Petro de Fuxi Presbyteris, Reginaldo de Branthatiis, Ludovico de Fliſto, Amadeo Salutiarum Lucido de Comite, & Franciſco Florentin. Diaconis Cardinalibus vulgariter nuncupatis, aliisque Dominis, Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Regum, Principum, Comitatum, & Univerſitatum Studiorum Ambaſiatoribus, Doctoribus, & Magiſtris, ac Procuratoribus Eccleſiaſticis & Secularibus dictum Concilium repræſentantibus, aliis Chriſtianis in numero copioſo ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Gunipertus de Wildnerghen, Clericus Moguntinenſis Diœceſis, publicus, Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, præfatæque Synodi Conſtantienſis pro Natione Germanica Scriba, & prædictarum cedularum recitationi, & lecturæ, poteſtatis traditioni, omnibusque & ſingulis aliis præmiſſis, dum ſicut præmitti-

mittitur, fierent, & agerentur una cum prænominatis Dominis Cardinalibus, cæterisque Dominis pro teſtibus in ſcriptis præſens ſucceſſuris temporibus fui, eaque ſic fieri vidi, & audivi. Ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum hujusmodi cedularum lecturam, Judicum deputationem, poteſtatis dationem in ſe continens, per alium, me aliis occupato, ſcriptum de mandato Synodi prælibatæ exinde confeci, publicam, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi, rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum. Quorum quidem inſtrumentorum, ſeu commiſſionum prædictarum vigore, per Nos in cauſa & cauſis hujusmodi inter partes prædictas ad certos actus rite & legitimo proceſſo, ac cautione idonea & ſufficiente de non recedendo a Concilio Conſtantienſi prædicto ante finem cauſæ & cauſarum hujusmodi, quo ad ipſum Dominum Electum duntaxat primo, deinde ab ipſo Domino Electo, nec non ab ipſis Dominis, Decano, Canonicis, Capitulo, civibus, & communitati Argentin. ſubſequenter de ſtando juri & de judicio ſiſti, & de parendo, obtemperandoque & obediendo judicatis ſuper omnibus propoſitis & proponendis, contra alterutram partium tam ex officio, quam ad inſtantiam alterutrius partis diligenter receptis. Et ad majorem cautelam, & certitudinem præmiſſorum attendorum, & obſervandorum, aliisque quam pluribus cautionibus a dictis Dominis, Decano, Canonicis, Capitulo, civibus, & communitate ſolempni, interveniente ſtipulatione, tam ſuper reſtitutione ablatorum, quam expenſarum ratione continenter factarum, & alias de parendo & obtemperando mandatis dicti Sacri Concilii, atque noſtris coram Nobis datis, & realiter exhibitis.

Tandem die, & hora infraſcriptis comparent in judicio coram Nobis Judicibus, & Commiſſariis præfatis ad hoc ſpecialiter congregatis, Dominus Hugelmannus de Vinſtingen, Decanus, ac Thoringus de Arburg, Canonicus Eccleſiæ Argentinenſis prædictæ, tam nominibus propriis, quam Capituli, & Eccleſiæ Argentin. citra tamen ſuorum Procuratorum revocationem, ac idem Dominus Thoringus, & Magiſter Henricus Kuwt, alias Bell, in Romana Curia, & dictorum Dominorum Friderici de Zolre, Canonici Eccleſiæ, nec non Rulini Barpfenning, Michaelis Melbrugè, ac Proconſulum, Conſulum, civium, & communitatis civitatis Argent. Principalium Procuratores, prout de ipſorum procurationum mandatis Nobis legitime conſtabat, prout conſtat documentis in præſentia memorati Domini WILHELMI Electi, tunc etiam coram Nobis comparentis, ac ad actum infra ſcriptum per nos legitime requiſiti, prædicti Domini Hugelmannus Decanus, ac Toringus Canonicus, nec non Magiſter Henricus Kuwt, alias Bell, Procuratores in perſonam dicti Domini Friderici de Zolre, & Capituli Eccleſiæ, nec non Rulini Michaelis civium prædictorum, ac Proconſulum, Conſulum, & communitatis Argentin. a prædictis excommunicationis ſententiis abſolvi, ac interdictum in quibuscunque Eccleſiis, terris, ſeu locis communiter, ſeu diviſim eisdem ſubjectis poſitum relaxari per Nos debita cum inſtantia poſtulavit, prout id etiam in quadam petitione ſummaria in ſcriptis Nobis oblata humiliter *flexis genibus* petierunt, offerentes ſe in omnibus paratos ſtare juri, & parere mandatis Sanctæ Matris Eccleſiæ, dictique Sacri Concilii, atque noſtris. Nos igitur Judices, aut Commiſſarii præfati attendentes requiſitionem hujusmodi fore juſtam, & conſonam rationi, & quod Sancta Mater Eccleſia nemini claudit gremium ad eam revertenti, & veniam petenti, conſcito Nobis prius de relatione ipſorum, Dominorum Electi, Cantoris, & Familiæ eorundem, ac demum receptis per Nos ab ipſis Dominis Hugelmanno Decano Principali, ac Toringo Canonico, nec non Magiſtro Henrico Kuwt, Procuratoribus, procuratoriis nominibus, quibus ſupra, & per ipſorum quemlibet ad mandatum noſtrum, & in noſtris manibus tactis corporaliter ſcripturis Sacroſanctis, ad Sancta Dei Evangelia præſtito juramento, ac inſuper aliis cautionibus ſufficienter de ſtando juri, & parendo Sanctæ Matris Eccleſiæ, dictique Sacri Concilii, & noſtris mandatis, nec non etiam recepta ab eiſdem Dominis, Decano, Canonico, & Procuratore, nominibus, quibus ſupra, cautione idonea, ſine depoſito, ac promiſſorio ſufficienti de

de restituendo effectualiter dictis Dominis, WILHELMO Electo, Friderico Cantori, & Familiæ eorum res ablatas hujusmodi, quæ exstant, & quarum facultatem restituendi habent, infra viginti dies, a die dat. præsentium immediate sequentes, & de aliis secundum valorem earum sufficienter, competenter ad mandatum nostrorum Judicum, & Commissariorum infra terminum per Nos eosdem taxatione prima assignandum, consequenter prænominatos Dominos Hugelmannum Decanum, Principalem in persona propria, Toringum, & Magistrum Henricum Kuwt, Procuratores in persona dictorum Dominorum, Friderici Canonici, nec non Rulini, & Michaelis, civium, ac Proconsulum, Consulum civitatis prædictæ, etiam Principalium. Et vice versa ipsos Dominos Fridericum Canonicum, nec non Rulinum, & Michaelem, ac Proconsules, Consules, Cives civitatis ejusdem in personas dictorum Toringi, & Magistri Henrici Kuwt Procuratorum singulariter singulos ab excommunicationis sententiis, quas incurrerint, propter contumaciam in non parendo monitorio supradicto, per Sacrum Concilium contra eos decreto, in quibus sententiis declarati incidisse exstiterunt, præfertur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, duximus absolvendos simpliciter, & absolvimus, ac interdictum in Ecclesia, communitate civitatis Argentin. aliis quibuscumque Ecclesiis, terris, & Dominiis ratione contumaciæ prædictæ positum, duximus suspendendum, & usque ad tres menses proxime futuros suspendimus per præsentes. Quæ omnia & singula acta, & facta per Nos Judices, & Commissarios antedictos vobis omnibus, & singulis supradictis intimamus, insinuamus, & notificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes nostras literas absolutionis, & relaxationis exinde fieri, & per Notarios publicos, scribasque nostros infrascriptos subscribi, & publicari mandavimus, ac Dominorum Angeli, & Brande Cardinalium, nec non Johannis Patriarchæ prædictorum sigillorum vice, & nomine, & de consensu omnium nostrum Judicum & Commissariorum præfatorum fecimus appensione communiri. Datum, & actum Constantiæ, Provinciæ Moguntinensis, in Aula Episcopali Constantiensi, in loco solito, ubi per Nos jura inter dictas partes redduntur, Nobis inibi ad jura reddendum, pro tribunali sedentibus: sub Anno a Nativitate Domini *Millesimo*, *quadringentesimo*, *sextodecimo*, *indictione nona*, Apostolica Sede vacante, *die vero Jovis*, *vicesima tertia mensis Julii;* præsentibus ibidem honorabilibus Viris Wilhelmo de Sele, & Joanne Bluet de - - - - Nuncio nostro in hujusmodi causa jurato, Clerico Leodiensis, & Spirensis Diœcesis, ac Ulrico Meyer, Prothonotario civitatis Argentinensis, prædictis testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et ego Johannes Ruenberg de Montemartis, Clericus Padeburnensis Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, ac Reverendissimi in Christo Patris, & Domini, Domini Angeli, Cardinalis Veronensis, Judicis, & Commissarii præfati, & hujusmodi causæ coram eo scriba. Quia prædictis *absolutioni*, *relaxationi*, eorumque *petitioni*, coram decreto, omnibusque aliis, & singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi. Ideoque hoc præsens publicum instrumentum per alium, me aliis occupatum negotiis fideliter scriptum exinde confeci, ac una cum Antonio connotario meo prædicto subscripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoque, & nomine meis solitis, & consuetis, una cum appensione sigillorum memoratorum Dominorum Angeli, & Brande Cardinalium, ac Johannis Patriarchæ præfatorum, signari, rogatus, & requisitus in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum.

Et ego Antonius Bartholini Franchi de Pisis, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, ac præfatorum Dominorum Judicum.

Cl. Lunig Spicilegii Ecclesiast. des Teutschen Reichs Archivs 2. Theil.

Exi-

Exitus plenus hujus Causæ ex P. Laguillio, S. J. in Historia Alsatiæ.

Advocatus Capituli, & Magiſtratus Argentinenſis coram Congregatione IV. Nationum 11. Decembris anno 1415. dixerunt, Epiſcopum volentem vendere vel prodigere Savernam & caſtrum Bar, ut hoc ære pararet nuptias, quique jam viginti caſtra alienis manibus vendiderat, in locum Capituli incluſum fuiſſe: eamque mali majoris evitandi cauſa incarcerationem inſtitutam fuiſſe. De cætero ſeſe ſubeſſe & ſubjicere definitioni Concilii. Advocatus Epiſcopi petiit Monitorium pro liberatione Epiſcopi ante omnia.

Deputati Nationum declararunt, a ſedecim Commiſſariis cauſam examinandam, ſed proviſionaliter relaxandum Epiſcopum.

Advocatus Capituli reſtitit: non relaxandum, niſi reſtituta poſſeſſione Eccleſiæ.

Res ad aliam Congregationem rejicitur.

Interim 22. Decembris anno 1415. fœdus ſeu confraternitas inſtituitur inter Decanum, Prælatos, Archi-Diaconos, & omnes Abbates Argentinenſis Diœceſeos contra Wilhelmum, & ſtatuuntur præſervativa media contra abuſus ab Epiſcopis tentatos, vel tentandos. Adveniunt Argentinam Commiſſarii Conſtantienſes. Principes commiſſionis erant Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Epiſcopus Merſeburgenſis. Effectum nihil. Deputati Confraternitatis plura & atrociora crimina, Wilhelmo objecta, Commiſſariis, ad Concilium perferenda, inſinuarunt.

Commiſſarii his viſis & auditis Conſtantiam redeunt, relicto in vinculis Epiſcopo.

Congregatio 19. Januarii anno 1416. magna cum indignatione relationem audivit. Voluit relaxari Epiſcopum ſub conditione jurata, quod pariturus eſſet deciſioni Concilii, caſtra Savernum & Bar ſub Concilii tutela fore.

20. Februarii anno 1416. Procuratores Concilii inſtiterunt pro liberatione Epiſcopi, & Monitorio expediendo, quod 10. Martii expeditum fuit: incurſuros Decanum, & Camerarium, Canonicos, Cives, Rolinum Barpfenning, Michaelem Melbruge, & Ulricum Goſſe excommunicationem, ob contumaciam, niſi intra XII. dies Epiſcopum & ei adhærentes liberent carcere.

Evolvitur hic terminus fruſtra.

27. Aprilis Procurator Epiſcopi inſtat pro executione Monitorii declaranda.

Advocatus Capituli & ſociorum publico actu appellat ab omnibus actitatis *ad Concilium melius informatum*, & ad Papam futurum, cauſatus, *Monitorium* non eſſe a Concilio, ſed *ſubreptum* ab inimicis Capituli & civitatis.

Hæc Appellatio fuit 30. Aprilis anno 1416. rejecta uti temeraria, frivola, contraria juri & rationi.

5. Maji Promotor Concilii in Congregatione petiit, Capitulum & urbem contumaces interdicto ſubjici, excommunicationem declarari. Interea afferuntur literæ Sigismundi Reg. Rom. per Henricum de Latzenbog, quibus petit ſuſpendi declarationem contra Argentinenſes uſque ad reditum ſuum.

Concilium non omnino abſtinuit ab actione, ſed citavit defenſores Capituli & urbis: teſtes audire voluit, informationesque, ut proximo ſabbato definire cauſam liceret.

8. Maji anno 1416. Henricus de Latzenbog præſentavit credentiales Imperatoris, affirmabatque Concilio, Imperatorem redditurum Epiſcopo libertatem, & procuraturum indemnitatem Eccleſiæ Argentinenſis. Imo ipſe Henricus promiſit, ſe adducturum Epiſcopum ad Concilium, modo Prælati ſibi adjungerentur cum poteſtate neceſſaria.

Epiſcopus Wilhelmus fuit liberatus, miſſo Latzenbogo, & ſociis, 27. Junii anno 1416. apparuit in pleno Concilio. Mox Latzenbogus Argentinam reverſus, Chorepiſcopum & familiares Wilhelmi Epiſcopi relaxari fecit, Procurator cauſæ & Regis Franciæ pro Wilhelmo perorarunt.

28. Junii Wilhelmus cum omni decore comparuit in Concilio, ſub conditione, quod ſtaturus eſſet definitioni Concilii, nec Conſtantia abiturus citra Concilii conſenſum.

23. Julii anno 1416. Decanus Hugelmannus, & Thuringus d'Arbourg deputati Capituli coram Congregatione ſpeciali una cum Advocato civitatis, genibus flexis ſupplicarunt pro abſolutione a cenſuris & interdicti ablatione.

Commiſſarii hac ſubmiſſione moti, aſſenſerunt precibus, ſed ea conditione, ut jurarent ſe parituros Decretis Concilii, & reſtituturos Epiſcopo & Cantori Friderico de Bitſch, & familiaribus omnia per incarcerationem ablata.

Quo juramento præſtito, ab Excommunicatione abſolvuntur, ſed civitas adhuc trimeſtri ſpatio ſub interdicto manſit, quod 8. 8bris anno 1416. prorogatum fuit uſque ad diem Cinerum anni proximi 1417.

Epiſcopus ægre tulit, hanc gratiam factam ab Commiſſariis: appellavit *ad Concilium*, quod ſolum poterat cauſam terminare: violatores puniendos, honorem Principis & Epiſcopi *vindicandum*, *reparanda* damna omnia &c.

Sigismundus 1. *Januarii anni* 1417. reverſus Conſtantiam, cauſam Epiſcopi, qua Principis Imperii in ſe ſumpſit tuendam, urbem declaravit incidiſſe in Bannum Imperii ob violatam Epiſcopi Principis dignitatem.

Nobiles & Domini vicini gaviſi hac declaratione, ſperabant ſe urbem invaſuros, urbana prædaturos.

Urbs hoc Banno Imperiali territa, poſt reſtitutum Epiſcopum & Cantorem libertati, damnata fuit ad ſolvendos ſex mille florenos Cameræ Apoſtolicæ, & majorem ſummam Sigismundo Imperatori.

Anno 1417. 6. Novembris ante ingreſſum in Conclave interdictum civitati & Capitulo levatum fuit: Decanus, Canonici, & cives damnati in expenſas, taxa, reſervata Commiſſariis Concilii.

CAUSA SEPTIMA

MATTHÆI GRABON, Fratris ex Ord. Prædicatorum, tractata Conſtantiæ III. Aprilis ANTE SESSIONEM *GENERALEM XLIV., QUÆ FUIT CELEBRATA DIE XIX. APRILIS ANNI MCCCCXVIII.*

MARTINI V. PP. I. SIGISMUNDI REG. VIII.

CAPUT I.

Concluſiones Fratris Matthæi Grabon, Ordinis Prædicatorum, in Sacro Conſtantienſi Concilio ad examinandum Martino V. oblatæ.

Ex antiquis codicibus Gerſonianis.

BEATISSIME PATER! Exponitur Sanctitati veſtræ ex parte viri devoti Oratoris Fratris MATHÆI GRABON, Conventus Wiſmarienſis (forte Vinarienſis) provinciæ Saxoniæ, *Ordinis Prædicatorum*, ac Merſeburgenſis Diœceſeos, quod cum *Lector* ipſe exiſtens in Conventu Groningenſi, Diœceſeos Trajectenſis, dictæ provinciæ, & ordinis, videret, *plures perſonas ſexus utriuſque novæ religionis habitum aſſumentes*, *& conventicula facientes*, (a) nullum habitum approbatum profitentes, *ſtatuenteſque ſibi ipſis ſuperiores pro libitu voluntatis*, *& ſub ſimulata devotione populum attrahentes*, *& multa contra veritatem Sacræ Scripturæ*, *ac Sacros Canones attentantes*, *& de eleemoſynis Chriſti fidelium domos ſumptuoſas ad modum Monaſteriorum regularium ædificantes*, *& ſe invicem in eis includentes cum obſervatione quorundam rituum* minime per Eccleſiam approbatorum: cœpit ſuper hoc apud ſemetipſum ardenter cogitare, & an hoc ſtantibus regulis fidei, & Sacris Canonibus, Eccleſia diſſimulare deberet. Revolvenſque diligentius Sacræ Scripturæ, ſanctorumque Doctorum libros, & Sacros Canones, quaſdam *concluſiones*, *reprobantes illorum modum vivendi*, *extraxit*, & ſcripturæ commendavit. Quarum una principalis eſt, ex qua aliæ deducuntur, exceptis paucis. *Nullus poteſt licite, & meritorie, imo nec veraciter*, *obedientiæ*, *paupertatis*, *& caſtitatis univerſalia conſilia conjunctim*, *extra veras religiones manendo*, *adimplere.*

Ex quo ſequitur immediate formali conſequentia, articulus ſeu concluſio in ordine: *quod nullus poteſt prædictum paupertatis conſilium meritorie*, *imo nec veraciter obſer-*

(*a*) Anno 1384. Gerardus de Groot, Daventrienſis, Canonicus Ultrajectinus, Præpoſitus Aquisgranenſis, inſtituit Societatem plurium Clericorum ſæcularium, qui opes ſuas in commune conferrent, juventutem docerent, Horas Canonicas, & alia exercitia pia ſimul facerent. Thomas de Kempis, oppido Archi-Diœceſis Colonienſis, fuit ex eorum numero, & ſcripſit viam Inſtitutoris.

observare, *nisi fuerit in Statu* Spiritualis perfectionis, sive *veræ religionis.*

Et dico notanter de *istis tribus consiliis* simpliciter, seu universaliter sumptis. *Secundum quod* vero, & *in aliquo casu* possunt laudabiliter, & meritorie extra religiones observari. Quando enim aliquis secularis dat eleemosynam in casu aliquo, quando ad eam de necessitate præcepti non tenetur, implet illud consilium paupertatis in illo casu tantum. Et quando continet se ab uxoris amplexibus tempore illo, quando illud facere non tenetur, implet *consilium continentiæ*, in illo casu *secundum quod* tantum. Quando etiam obedit alicui suo Prælato, Curato, vel Episcopo, in casu, quando hoc de necessitate præcepti non tenetur, observat illud *obedientiæ consilium* in illo casu. Et ista possunt extra *religiones viventes*, voto, vel sine voto Deo offerre. Unde dicit *S. Thomas secunda secundæ*: *Quod in sæculo viventes* aliquid Deo dant, & aliquid sibi reservant, & secundum hoc Prælatis Ecclesiæ subduntur. Regulares autem oportet totum Deo, quod habent, tanquam holocaustum offerre. Et hoc fit & fieri potest tantum per *tria consilia universalia* prædicta. Et ideo dicit ibidem, quod ad *sæculares* pertinent tantum *particularia vota*. Unde *particularia* vota dicuntur sacrificia, more veterum, de cujus ratione fuit, de offertorio Deo oblata partem dare, & partem retinere. *Universalia* vero vota holocaustum dicuntur, de cujus ratione fuit, totum Deo offerre, & nihil retinere, quod pertinet ad solos religiosos, se & sua in modum cujusdam holocausti Deo dedicantes.

Ex quibus sequitur *undecima*, *quod abdicare quemquam omnia propter Christum, extra prædictas religiones manendo*, seu, nisi veram aliquam religionem ingrediatur, *est sibi, & suis, quorum cura sibi incumbit*, *vitam subtrahere.* Quod est homicidium tot hominum committere, quot ejus curæ subduntur. Hæc est de mente *S. Thomæ secunda secundæ*: *Quæst.* 33. *art.* &c.

Ex quibus sequitur, quod *nullus potest abdicationem omnium propter Christum facere extra veram religionem manendo*, sine peccato mortali. Quia subtraheret sibi vitam.

Ex quibus sequitur, quod *omnes peccant*, *qui bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur*, extra religionem veram manendo, quæ est tertia conclusio in ordine.

Et etiam, quod *peccent*, *qui sua propria resignant*, non intrantes religionem aliquam approbatam, quæ est *decima octava* in ordine, coincidens cum *tertia* immediate præcedenti.

Ex quibus sequitur *decima*, quod *reputantes se bene facere*, *assumendo* prædictum *consilium paupertatis*, *remanendo in statu sæculari*, *mortaliter peccant.* Ratio. Quia talis non est assumptio ipsius nisi fantastica, perversa, & non vera. Ut docet Dominus *Johannes XXII.* in quadam *extravagante: Gloriosam Ecclesiam*, &c. & ratio idem convincit.

Ex quibus sequitur, quod *sæculares*, *credentes se mereri tali abdicatione* (in sæculo scilicet manendo) *vitam æternam*, *mortaliter peccant.*

Ex quibus sequitur, quod aliquis sic voluntarie pauper propter Christum, in seculo manens, omnino nihil habendo, nec etiam ipsam voluntatem habendi propria, *includit omni tempore contradictionem*, &c. quia includit, quod secularis sit religiosus, & econtra. Quod est omni tempore contradictio.

Ex quibus sequitur, quod *non effundi omnes opes simul ab his*, *qui volunt in statu seculari remanere*, reducitur quasi immediate ad illud præceptum Decalogi: *Non occides.* Uno casu tantum dempto secundum expositionem *Sancti Thomæ Quæst. XXXIII.* allegantis ad confirmationem dicti sui Ambrosium dicentem *in primo de Officiis*: Deus non vult simul omnes opes effundi, nisi forte ut Helisæus, qui mactavit boves suos, & pavit pauperes ex eo, quod habuit: ut nulla cura teneretur domestica, sed ut se daret in Propheticam disciplinam. Quod verbum scilicet, *nisi forte ut Helisæus*, exponit *Sanctus Thomas*: Nisi quis velit statum suum, scilicet secularem, mutare per religionis ingressum, & Principem *de extrema necessitate* liberare &c. Et *Johannes in summa confessionis* sub aliis verbis: nisi quis velit ex toto seculum relinquere. Et *Magister Sententiarum* titulo *de Eleemosyna* dicit idem. Et loquitur ibi *Ambrosius* de effu-

effuſione, ſeu abdicatione actu habitorum, ex quibus poſſit homo convenienter vitam tranſigere, ſecundum conditionem ſtatus, & perſonæ.

Ex quibus ſequitur, quod dicens pertinaciter, omnia eſſe meritorie abjicienda propter Chriſtum, in ſeculo manenti, *hæreticus* eſt dicendus. Excepto uno ſolo caſu, *de liberando Principem de neceſſitate extrema.* Per quem, &c.

Ex quibus ſequitur, quod *proprietas temporalium rerum eſt ſtatui ſeculari eſſentialiter annexa.* Et per conſequens Dominus *Papa* ſalva authoritate ſua, *non poteſt diſpenſare cum ſecularibus, ut omnibus in ſingulari careant*, ſeu nihil in ſingulari habeant.

Ex quibus ſequitur *ſextus articulus*, reddens præcedentis articuli quinti rationem. Si enim Dominus *Papa* poſſet hoc; poſſet alicui concedere propriæ vitæ ſubtractiones, &c. poſſet etiam, quod pro omni tempore contradictionem implicat. Quod Deus, ſecundum Sanctos, facere non poteſt. Sequitur etiam, quod *Religioſus ſine peccato mortali non poteſt abdicare voluntatem habendi communia*, etiam quando actu talia non habet. Quia etiam illud, quod nullus facere poteſt ſine peccato mortali, nullus poteſt illud velle facere. Et Religioſus non poteſt abdicare communia, quia ſine illis vivere non poſſet, cum per ſuam profeſſionem renuntiaverit omnibus, & ſingulis propriis ſingularibus. Sequitur ergo, quod Religioſus, &c. Quia etiam, teſtante *Sancto Thoma ſecunda ſecundæ. Q. XXXIII. art. &c.* Nullus debet inconvenienter vivere, tribus caſibus exceptis,

Sequitur, quod *male faciant, & peccent, illud abjicientes, de quo ſecundum ſtatum ſuum, & conditionem perſonæ poſſint convenienter vivere*: dictis tribus caſibus exceptis, &c.

Nullus etiam *corpore validus, extra veram neceſſitatem* exiſtens, *poteſt ſine peccato Chriſti fidelium eleemoſynas tollere.*

Ex quibus ſequitur, quod prædicta *tria* Salvatoris *conſilia* ſint ita concatenata, ut ubi *paupertas* veraciter ſeu meritorie invenitur, oportet, quod neceſſario *obedientia, & caſtitas* veraciter, ſeu meritorie inveniantur. Probatur ita: quia Papa ſic arguit in *Decretali.* Qui non renuntiant propriis, non ſunt Religioſi. Ergo *propriis renuntiantes ſunt Religioſi.* Et omnis Religioſus eſt neceſſario ſimul cum paupertate ad alia duo conſilia veraciter obligatus. &c.

Ordo & numerus articulorum, & concluſionum prædictarum.

ARticulus I. Proprietas temporalium rerum ſtatui ſeculari eſſentialiter eſt annexa.

Art. II. Nullus ſine peccato poteſt illud abjicere, quo retento poteſt convenienter vivere ſecundum ſtatum ſuum.

Art. III. Omnes peccant, qui bona ſua ſimpliciter in eleemoſynam largiuntur propter Chriſtum.

Art. IV. Abdicationes omnium propter Chriſtum nullus facere poteſt, extra veras religiones manendo, ſine peccato mortali. Et dico *veras religiones* per Sedem Apoſtolicam *approbatas.*

Art. V. Papa non poteſt diſpenſare cum ſecularibus, ut omnibus in ſingulari careant.

Art. VI. Si Papa poſſet alicui concedere hoc, tunc poſſet concedere propriæ vitæ ſubtractionem. Quod eſt contra præceptum Decalogi: *Non occides.*

Art. VII. Religioſus non poteſt ſine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet.

Art. VIII. Quod aliquis ſit voluntarie pauper propter Chriſtum, in ſæculo manens, omnino nihil habendo in ſingulari, nec etiam ipſam voluntatem habendi propria, includit omni tempore contradictionem.

Art. IX. Nullus poteſt paupertatis conſilium meritorie obſervare, niſi fuerit in ſtatu Spiritualis perfectionis, ſive veræ religionis. Dico autem veram religionem, ſecundo modo dictam religionem.

Art. X. Reputantes ſe bene facere aſſumendo paupertatem, quæ eſt Salvatoris conſilium, remanendo in ſtatu ſeculari, peccant mortaliter.

Art. XI. Abdicare omnia etiam pro-

propter Christum, nisi veram approbatam religionem ingrediatur, est sibi, & suis, quorum cura sibi incumbit, vitam subtrahere. Quod est homicidium committere tot hominum, quot etiam ejus curæ subduntur.

Art. XII. Credentes se mereri vitam æternam tali abdicatione, credunt se posse mereri vitam æternam mortaliter peccando.

Art. XIII. Effundi omnes opes simul ab his, qui volunt in seculo manere, reducitur quasi immediate ad illud Præceptum: *Non occides.*

Art. XIV. Dicens omnia meritorie esse abjicienda propter Christum remanenti in seculo, est hæreticus judicandus.

Art. XV. Nullus potest meritorie, & secundum Deum obedientiæ paupertatis & castitatis consilia extra veras & approbatas religiones manendo adimplere.

Art. XVI. Tria Salvatoris consilia sunt sic concatenata, ut ubi paupertas meritoria, in quantum est Salvatoris consilium, invenitur, oportet, ut necessaria alia duo, scilicet castitas, & obedientia, inveniantur, quæ a paupertate separari non possunt.

Art. XVII. Matronæ, seu mulieres communem vitam ducentes, insimul commorantes, Beguttæ (b) vulgariter nuncupatæ, quoscunque errores non tenentes, aut prædicantes, seu alias de erroribus, vel hæretica pravitate non suspectæ, *æternæ damnationis sunt filiæ*, & eorum status est prohibitus & damnatus.

Art. XVIII. Peccant, quia propria sua resignant, non intrantes religionem approbatam. Ratio est secundum eum, quia *Religiosorum est carere proprio*, sicut *Sæcularibus est necessarium* retinere proprium.

Art. XIX. Non licet Presbyteris & Clericis communem vitam ducere, nisi in religione approbata, sub pœna peccati mortalis.

Art. XX. Peccant omnes, qui fovent consilio & auxilio communem vitam ducentes extra religionem approbatam.

Art. XXI. Excommunicati sunt omnes communem vitam ducentes extra religionem approbatam.

Art. XXII. Quare similiter excommunicati sunt illi, qui vitam communem extra religionem approbatam ducentibus præbent eleemosynam. Et qui tales fovent consilio, & auxilio, vel defensione, similiter stant, & sunt in statu perpetuæ damnationis. Et nisi de hujusmodi eorum excessibus magna contritione pœnituerint, ad vitam æternam non possunt pervenire, nec salvi permanere.

Art. XXIII. Omnes *vitam communem ducentes* extra religionem approbatam, sunt illi, a quibus Salvator noster præcipit esse abstinendum, & tamquam a falsis Prophetis attendendum.

Art. XXIV. Quilibet faciens *contra Jura Canonica*, peccat mortaliter.

Art. XXV. Nullus corpore validus, absque communi utilitate & necessitate, potest extra veras religiones sine peccato eleemosynas Christi fidelium tollere. &c.

CAPUT II.

Petri de Alliaco, (c) Cardinalis Cameracensis, judicium de causa fidei Matthæi Grabon, datum Commissario Cardinali a Martino V. constituto.

Reverendissime Pater & Domine! super schedula papyrea sigillo vestro sigillata mihi ad instigatoris instantiam *in quadam causa Fidei* respondeo, deliberationem meam istam esse pro præsenti: quod coram Reverendissima Paternitate vestra *convocentur Theologi, qui sunt in hoc Sacro Concilio.* Quibus *proponatur materia*, ut communicatis invicem com-

(b) Vide de illis Disceptationem nostram Digressione III. ad Sæculum XIV. *pag.* 623. *Tomi IV. Conciliorum Germaniæ.*

(c) Martinus V. articulos Grabboni censurandos commisit Petro Alliacensi, Cardinali Cameracensi, & Joanni Gerson Cancellario Parisino aliisque post Sessionem XLIII. Constantiensis Concilii, qui censuerunt Grabboni propositiones erroneas, falsas, temerarias, ut postea dicetur.

communi deliberatione ſine contentione *dicat* tandem *unusquisque in publico*, id quod ſibi videbitur *conformiter ad Sacram Scripturam*. Et illic ego *in favorem fidei* volo libenter intereſſe.

Non enim debet talis materia in tenebris vel particulariter terminari, ſed communiter & in luce. Ut quilibet, qui intererit, poſſit vel docere, vel doceri, dum ſe mutuo quilibet intelliget.

Et *talem modum ſervavi in hoc Concilio in cauſis fidei mihi commiſſis*. Et nihilominus, quia neſcio, ſi occurrerit occaſio, quod non poſſem intereſſe in convocatione præmiſſa, dico, quod mihi occurrit, ut ſequitur.

Propoſitiones ſive *Concluſiones*, *ſuper quibus ſit Inquiſitio*, habent *fundamentum* primæ concluſionis *principale*, quod eſt *erroneum*, repugnans nedum rationi Theologicæ & morali, ſed etiam obſervationi primitivæ Eccleſiæ, quæ ſcribitur *Actor. IV.* ubi ſic in forma dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed nec quiſquam egens erat inter eos.* Conſtat itaque, quod *in illa Congregatione primitiva fuerunt multi uxorati, & alii diverſarum conditionum ſæculares, qui* ſcilicet *non erant aſtricti per votum ad tria conſilia Evangelica caſtitatis, obedientiæ & paupertatis*, quemadmodum ſunt profeſſi religionum, per Beatum *Baſilium*, *Benedictum*, & *Auguſtinum*, ac ſimiles introductarum. Quas iſte ponens hujusmodi concluſiones appellat *veras religiones, tanquam extra illas non ſit vera religio, quod falſum eſt*, imo *hæreticum*, ſi ſic per præciſionem intelligatur. Quoniam *Chriſtiana vera eſt religio, etiam apud ſæculares, ut Jacobus in Canonica ſua* notanter expreſſit.

Sunt præterea in dictis propoſitionibus multæ *clauſulæ* appoſitæ ultra prædictum *principalem fundamentalem errorem*: quod ſæculares *non poſſint vivere ſine proprio:* quæ continet magnam temeritatem, ſcandalum, atque proterviam: & quæ poſſent ſingillatim reprobari. Ut, quod dicere oppoſitum illius, quod aliquæ concluſiones ſuæ continent, ſit hæreticum, quod ſit implicans contradictionem, quod ſit peccatum mortale, quod omnis faciens contra jura Canonica, peccat mortaliter, & ita de ſimilibus.

Eſt igitur *deliberatio mea*, quod propter iſta & ſimilia, quæ tractatus vel libellus, a quo ſunt extractæ concluſiones, ſeu poſitiones antedictæ, continet, damnandus eſt, ut erroneus, & temerarius, & ſcandaloſus, & ut dogma falſum Sacræ Scripturæ contrarium. Et per conſequens, quod *tractatus eſt hæreticalis, & igni tradendus.*

Cæterum de *Compoſitore tractatus* deliberent Domini juſtitiæ, iſtis attentis, quid agendum.

In teſtimonium præmiſſorum propria manu ſubſcripſi. Veſter totus Petrus, Cardinalis Cameracenſis.

CAPUT III.

Johannis Gerſonis judicium, ſeu propoſitiones de dogmatibus Matthæi Grabon, in Concilio Conſtantienſi propoſitis IN CAUSA FIDEI DE VERA RELIGIONE ET PERFECTIONE.

Quibus propoſitionibus tredecim Doctores majores, quos pro tunc mundus habuit in Theologia de diverſis Univerſitatibus, contra prædictas aſſertiones adhæſerunt.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO PRÆSTANTISSIMO, DOMINO ANTONIO, CARDINALI VERONENSI, JOHANNES, CANCELLARIUS PARISIENSIS, HUMILITER OBEDIRE.

REVERENDISSIME PATER! ſuper ſchedula, per Reverendiſſimam Paternitatem veſtram *ex commiſſione Domini noſtri* mihi transmiſſa, *reſpondeo conformiter ad reſponſionem* Reverendiſſimi Patris, ac Domini mei, ac Præceptoris præcipui, Domini *Cardinalis Cameracenſis.* Quam reſponſionem in ſcriptis ego vidi, & huic adhæreo, paratus, ſi opus fuerit, ad declarationem non veriorem, ſed forte latiorem. Scriptum Conſtantiæ propria manu, *die tertia Aprilis, anni Milleſimi, quadringenteſimi, decimi octavi.*

Ad elucidationem veritatis, & ad obedientiæ meritum *ſex propoſitiones* ſequentes cum totidem *Corollariis* offeruntur

tur vobis Reverendiſſimo Patri, Domino *Cardinali Veronenſi, judici in hac parte* per me Johannem, Cancellarium Pariſienſem.

Propoſitio I. Sola Religio Chriſtiana eſt proprie vere, & anthonomaſtice *dicenda religio*, quam Chriſtus obſervavit perfectiſſimo & ſummo modo.

Patet prima pars: Quia extra religionem Chriſtianam non eſt ſalus. Secundam partem nullus poteſt negare Chriſtianus. Quia ſicut eam Chriſtus docuit in Evangelio, ſit & fecit, quod cœpit facere & docere.

Propoſitio II. Religio Chriſtiana non obligat ad obſervantiam conſiliorum neque cum voto, neque ſine voto. Patet: quia jam non eſſent conſilia, ſed præcepta.

Propoſitio III. Religio Chriſtiana poteſt abſque voto obligante ad conſilia, *perfecte imo perfectiſſime obſervari.*

Patet de *Chriſto*, qui *non legitur voviſſe conſilia*, qui fuit tamen ſuæ legis perfectiſſimus obſervator. Patet inſuper de *Apoſtolis, & Diſcipulis Chriſtianis in primitiva Eccleſia*, quorum multi erant uxorati, multi poſſeſſiones habuerunt, quidam in communi, quidam in proprio. Multi ſubjiciebantur ſolis Prælatis ſuis, Epiſcopis, & Curatis.

Conſtat itaque, quod *non erant de religionibus Baſilii, vel Auguſtini.* Quia nondum fuerant inſtitutæ, vel per Eccleſiam approbatæ, nec talibus regulis ſubdebantur.

Propoſitio IV. Religio Chriſtiana non requirit ad perfectiorem ſui obſervationem, tam in præceptis, quam in conſiliis, quod ſuperaddatur alia religio. Quales dicuntur *obſervationes inſtitutæ per Sanctos Baſilium, & Auguſtinum, &c.* Et quales *Anſelmus* vocat *religiones factitias.* Patet ex præcedentibus.

Propoſitio V. Religiones hujusmodi *factitiæ ſatis improprie, & abuſive, & forſan arroganter dictæ ſunt ſtatus perfectionis.*

Patet, quia conſtat, *homines imperfectiſſimos tales religiones profiteri. Sic notat Auguſtinus, quod non pejores reperit, quam eos, qui in hujusmodi religionibus defecerunt.*

Sed aliunde declaratur hæc abuſio, vel uſurpatio nominis. Quia ſecundum illos, *qui noviter*, poſt Sanctos Doctores *uſi ſunt tali vocabulo, ſtatu perfectionis*, ille ſtatus non dicit apud religioſos perfectionem habitam, vel *acquiſitam*, ſicut eſt de ſtatu Prælatorum, ſed tantummodo dicit perfectionem acquirendam. Conſtat autem, quod perfectio acquirenda non eſt acquiſita. Et ideo melius nominaretur *via* quædam, vel *inſtrumenta*, ſeu *diſpoſitiones* ad perfectionem acquirendam, quam diceretur *ſtatus perfectionis.* Imo & ſicut *hujuſmodi ſtatus*, ſic dictus, dirigit, & juvat quosdam ad perfectiorem obſervationem veræ religionis Chriſtianæ, *ſic & multos impedit*, atque *præcipitat*, *quod tutius fuerat in ſeculo remanſiſſe.* Quia *diſplicet Deo ſtulta, & infidelis promiſſio*: quæ ſcilicet, *vel indiſcrete ſumitur, vel non obſervatur.*

Propoſitio VI. Religio Chriſtiana perfectius poteſt, & debet obſervari a Papa, Cardinalibus & Prælatis, *etiamſi nullo voto ſint aſtricti ultra legem Dei*; *quam ſimplices religionum factitiarum Profeſſores.* Patet: quia ſunt in ſtatu perfectionis exexcendæ. Primum Corollarium, ſequitur *primo*, *quod acceptio religionis*, ſicut *Frater Matthæus Jacobita* deſcribit in ſecunda acceptione, ubi vult declarare, quod eſt proprie, & anthonomaſtice religio, eſt nedum *ſtulta, & inſana*, ſed & *hæreticalis, blaſphema*, quando dicit ſic: alio modo, inquit, *accipitur hoc nomen* religio, *ſecundum* quod a religando *dicitur*, *prout homo obligat ſe ad ea, quæ pertinent eſſentialiter ad ſtatum perfectionis.* Et *illo modo dicitur anthonomaſtice tantum de illis, qui ſunt* in aliqua *de approbatis regulis proprie dictis profeſſi, cujuſmodi Auguſtini, Baſilii, Benedicti, Franciſci, &c.*

Patet Corollarium ex præcedentibus deducendo ad hoc inconveniens, quod Chriſtus, & Papa, & Prælati non obſervaverunt, vel obſervant eſſentialiter ſtatum perfectionis. Quia, ſi non profeſſi ſunt regulas prædictas, ideo nec deberent dici de *vera religione*, niſi improprie, & analogice, contra primam propoſitionem, quæ ſolide fundata eſt: nec eſt credibile, quod Auguſtinus, & Sanctus Thomas hoc ſomniaverunt.

Unde etſi poſſint in religione Chriſtia-

ſtiana aſſignari *duo modi vivendi ſecularium* videlicet, & illorum, *qui profitentur religiones factitias*, quos communis uſus *Religioſos* appellat: non tamen ita diſtinguntur iſti modi, quin multa, quæ conveniunt talibus Religioſis, conveniant, & convenire poſſint vere, & meritorie multis ſecularibus: imo & perfectius, ſicut patet de Prælatis, qui ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ, tam majores, quam minores, ſicut ſunt curati, prout multi tenent contra Sanctum Thomam.

Secundum Corollarium. Sequitur *ſecundo*: quod *extra religiones factitias poteſt aliquis* cum voto ſimplici, vel ſine voto, *Chriſtianam religionem in ſuis præceptis, & conſiliis perfecte obſervare*: & dicere, quod tale votum ſimplex, ſi fieret, eſſet nullum, & pro non voto deberet computari, eſt apertiſſimus error, & inſanus. Sic tamen *iſte Frater* ponit circa finem, & in fine ſui ſcripti ultimi.

Corollarium tertium. Sequitur *tertio*: quod *tota doctrina fratris iſtius innititur ſtultæ, & inſanæ fantaſiæ, imo & blaſphemiæ.*

Propterea non eſt mirandum, ſi hoc inconvenienti dato, multa poſuerit, & deducere conatus eſt. Ut: quod implicet contradictionem, aliquem de ſeculo ſervare conſilium paupertatis, vel caſtitatis & obedientiæ: imo, quod hoc eſſet mortale peccatum, extra religiones factitias, quas ſolas vocat veras religiones; & quod Papa non poſſet diſpenſare, quod aliquis in ſeculo ſic obſervaret conſilium paupertatis, &c. Et quod dicens oppoſitum eſt hæreticus.

Nec valet ratio ſua: quod ſi ſecularis voveret paupertatem, ageret contra illud præceptum: *Non occides.* Quoniam multis modis poſſet ſecularis, ſicut & Religioſus, vivere decenter, & ſufficienter, in communi ſine proprio, imo & nihil habendo, niſi labores manuum ſuarum: poteſt etiam aliquis de ſeculo, ſicut confitetur, & verum eſt, vovere ſolenniter caſtitatem. Patet in Sacerdotibus. Cur non ſimiliter vovere poſſet obedientiam Prælato ſuo ſeculari, cum ſecularibus vivere in communi?

Corollarium quartum. Sequitur *quarto*: Quod fautores, & defenſores iſtius fratris ſunt arcendi, ſeu repellendi. Et niſi deſiſtere voluerint, graviter puniendi.

Ita tamen, quod *non laxetur nimia licentia ad defenſionem Begardorum, & Beguttarum*, ſi reperiantur effrenes & diſcoli, & ſcandaloſi in ſacris obſervationibus. Præſertim in contemptum Prælatorum ſuorum ſecularium, & Curatorum, juxta mentem *Decretalium contra tales editarum.*

Corollarium quintum. Sequitur *quinto*: Quod Dominus noſter *Papa*, qui *ſecularis eſt*, & ſimiliter ſui Cardinales & *Prælati*, tam majores, quam minores *de ſeculo*, debent celeriter, & vehementer operam dare, quod talis *doctrina peſtifera, ac blaſphema, atque injurioſa* eis, extirpetur judicialiter & publice, ne ſerpat in majorem perniciem.

Corollarium ſextum. Sequitur *ſexto*: Quod ſi *autor* talis doctrinæ cum ſuis fautoribus inveniatur *pertinax*, & arrogans, & a longo tempore, tam contra Prælatum ſuum, quam Magiſtros & Doctores, tam in verbis, quam in ſcriptis; debet ſic arreſtari, quod non habeat facultatem redeundi, & deteriora perpetrandi. Sicut jam dicitur hoc pluries feciſſe, *recedendo* ſcilicet a Prælato ſuo & Judice, & conſequenter ſemel *ab hoc Concilio.*

Alia *ſunt de validis mendicantibus, ac de actione contra jura Canonica, quæ dimitto.*

CAPUT IV.

Matthæi Grabon revocatio & abjuratio prædictorum ſuorum articulorum & concluſionum A. 1418. ante Seſſionem XLIV. coram Cardinalibus & Commiſſariis cauſæ ſuæ.

EGO *Frater Matthæus Grabon*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Profeſſus Conventus Wiſmarienſis (forte Viſnarienſis) Merſeburgenſis Diœceſis, Provinciæ Saxoniæ, cognoſcens veram Catholicam, & Apoſtolicam Sedem, anathematizo, & *abjuro omnem hæreſin, omnemque falſam, & erroneam doctrinam* in quodam

meo

meo opuſculo, tractatulo, ſeu libello, incipiente: *ſuppono primo, quod non intendo infra ſcripta, neque quomodolibet alia pertinaciter defendere, &c.* & ſic finiente: *& aliam ſpecificat Joannes Andreæ, cujus inventrices, ſeu aſſumptrices conſcientiam peccatum reputabant (ut invenitur in gloſſa utriuſque ſuper dictum Cap. Et per hæc patet reſponſio ad decimum)* maxime ad decem, & ſeptem concluſiones perverſas, ſive aſſertiones, quarum aliæ ſunt hæreticæ, aliæ erroneæ, & aliæ ſcandaloſæ, ac piarum aurium offenſivæ, per me dictas & manutentas, in dicto perverſo opuſculo ſive tractatulo, aut libello contentas, de qua hactenus infamatus, convictus, & ſententiàliter condemnatus ſum. Conſentio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, ac corde & ore puris profiteor, eandem fidem, & doctrinam me tenere & credere, quam Sancta Mater Eccleſia tradidit & firmavit. Jurans per Sanctam Trinitatem, & per hæc Sacroſancta Chriſti Evangelia, eos, qui contra hanc fidem orthodoxam venient cum dogmatibus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe. Promitto etiam, quod, ſi ego ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire, dicere aut prædicare præſumpſero, Canonum ſeveritati me ſubmitto. Præſenti *abjurationi* per me *lectæ*, & perlectæ *manu propria me ſubſcripſi*, hancque meam *confeſſionem & abjurationem* coram veſtra Reverendiſſima Paternitate, Domine *Cardinalis Aquilegienſis, Judex & Commiſſarie*, Reverendiſque Patribus Dominis Prælatis, Doctoribus, & Magiſtris hic præſentibus, ad hoc ſpecialiter vocatis, & requiſitis feci, & approbavi ad futuram rei memoriam, in teſtimonium præmiſſorum.

Von der Hardt Concilii Conſtantienſis Tomi III. Part. VIII. pag. 106.
Ex Tom. V. Operum Gerſonis in appendice.

CAUSA OCTAVA

De diſſidio VLADISLAI JAGELONIS, Poloniæ Regis, & LUITOLDI, Ducis Lituaniæ, CONTRA *EQUITES PRUSSICOS Ord. B.M.V. TEUTONICOS, circa converſionem Samogitiæ, & hujus Provinciæ poſſeſſionem.*

DE hoc diſſidio multiplex mentio fit in *Faſtis Concilii Conſtantienſis ante Tomum IV. rerum Conſtantienſis Concilii a Cl. Hardtio adornatis:* verum quantumcunque legerim & volutarim ſeptem Tomos Hardtii, non potui nec originem, nec ſeriem diſſidii, nec finem intentum ab utraque parte divinare.

Incipio ab ultimo. Qua de cauſa, aut crimine accuſantur a Polonis Equites Teutonici apud Concilium Conſtantienſe?

Reſpondet Cl. Hardtius: Ex ea cauſa, quod Equites docerent, aut prætenderent, Samogitas paganos ferro, igne, cæde, non verbo Divino ſolo adducendos, vel cogendos ad fidem Chriſti. In eum finem deſcribit prolixam orationem Pauli Vlodomiri, Cracovienſis Canonici & Doctoris, ſcriptam & datam Nationi Germanicæ anno 1415. 5. & 6. Maji congregatæ in publico Conventu.

Idem crinomenon ſæpius indicat Hardtius *in Indice generali Tomo VII.* ſubjecto.

Sed, bona venia Hardtii, is error apud Teutonicum Ordinem non fuit: neque eſt mens Eccleſiæ Chriſti, ferro propagare Religionem, ſed verbo Dei prædicando.

Sane Literæ, quas Vladiſlaus Poloniæ Rex Concilio Conſtantienſi ſcribit, non faciunt mentionem hujus erroris, a Teutonicis Equitibus adoptati: nec Literæ Teutonicorum ad idem. Neque ullus Papa, qui Ordinem Teutonicorum approbavit, dedit facultatem, paganos, dum quiete ſuo ritu vivunt, armis aggrediendi, vel vexandi; ſed ubi Catholicos invadunt, ſpoliant, trucidant, uti

uti Slavi Sæculi XII. anno 12. invaſerunt Saxoniam horrenda ſtrage hominum, pecudum, incendiis, rapinis: *v. Tom. III. pag.* 257. Vel uti Stedingi Provinciam Bremenſem, & confines Catholicas ferro & igne invaſerunt Sæculi XIII. anno 34. *v. Tom. III. pag.* 551. Tum Papa & Epiſcopi, ex Lege naturali docti, vim injuſtam vi juſta repellere, cruciatam indixerunt his paganis, vel hæreticis abigendis, compeſcendis, & pro liberanda patria ab hoſtibus crudeliſſimis.

Eadem eſt mens Catholicorum Theologorum. *v. Digreſſionis ad Sæculum XIII. §. VIII. de uſu gladii contra hæreticos. Tomo IV. Concil. pag.* 54. An autem Teutonici Equites, vel Poloni, vel Lituani, aliquando limites juſtæ defenſionis exceſſerint, non hic examinabo.

Pomum diſcordiæ inter Polonos & Teutonicos fuit Provincia Samogitia: quæ modo a Polonis, modo a Teutonicis invaſa & acquiſita fuit, modo amiſſa, modo reſtituta, quas vices infra recenſebo. Accuſabant Poloni Teutonicos, hi Polonos uſurpatæ violentiæ erga Samogitas. Concilium Conſtantienſe Legatos miſit, tum concordiæ conciliandæ cauſa inter has duas partes, tum prædicandæ Fidei, & ordinandarum Eccleſiarum in Samogitia. Sententia nulla lata in Concilio legitur, etſi plures ex Polonia Epiſcopi & Legati pro Rege Vladislao Jagelone Conſtantiæ adeſſent. Quare cum fruſtra in Hardtio initium, vel ſeriem, vel finem hujus controverſiæ quærerem, adivi demum Hiſtoriam Lituaniæ P. Kojalowicz, editam Antwerpiæ anno 1669. cujus narrationi aliqua ex Hardtio adjeci.

Anno 1404. Raciunzi Rex Poloniæ Vladislaus Jagelo, Vitoldus Alexander Dux Lituaniæ, & Magiſter Crucigerorum Pruſſiæ, ſeu Ord. B. M. V. Teutonicorum Equitum, Baro de Jungingen, convenerunt die condicta. Ictum eſt fœdus poſt longum bellum, auctore præcipuo Epiſcopo Vladislavienſi, his Legibus: Vitoldus Samogitiam Crucigeris perpetuo jure tradat: Rex Jagelo 40000. florenorum numeret: Crucigeri Drobryniam Polonis reſtituant: captivi utrimque fideliter reſtituuntor: transfugæ extra fines ejiciuntor: excurſionibus mutuis in confiniis abſtinento.

1405. Vitoldus Dux honorifica Legatione Magiſtrum, & Primores Ordinis Teutonici Caunam invitat, ſcribuntur tabulæ fœderis latino & teutonico ſermone. Quibus Samogitia, a Lituaniæ Principatu avulſa, Ordini Teutonico mancipatur. Deducuntur Vitoldiana præſidia: Magiſter Ordinis Teutonici arces, oppida, civitates milite ſuo occupat. Samogitæ id ægre ferunt: multæ cædes patrantur. Vitoldus eosdem ad obſequium Ordinis cogit.

1408. Vitoldus Dux rurſum Crucigeros Samogitia expellit.

1409. Crucigeri nova occaſione excitati, bellum Poloniæ Regi denuntiant, niſi Samogitiam reſtituat, & Vitoldi amicitiæ renuntiet; etiam Lituaniam a ſe invadendam minantur.

1410. Rex Jagelo contra eosdem bellum decernit, & Crucigeros horrenda clade profligat ad Tannebergam 15. die Julii.

1411. Pax concluſa Torunii: Crucigeri Samogitia ceſſerunt, poſt Jagellonis & Vitoldi fata eam recuperaturi.

Rex novo fœdere Polonis Lituanos conjungit, & pæne exæquat: Samogitia Catholica Regio nunc abolita prorſus idololatria, Epiſcopatu ac Collegio majore in Miednick civitate, minoribus Collegiis Sacerdotum in minoribus oppidis fundatis, inauguratur Catholicæ Fidei Regulis. Leges Eccleſiaſticæ Lituanæ Legibus Regni Poloniæ aſſimilantur.

Hæc omnia Vitoldus Dux, magnifica Nobilium Samogitarum ad Concilium Conſtantienſe Legatione, confirmari petiit.

1415. 17. *Februarii* advenerunt Legati numeroſi Conſtantiam.

Michael Kochmeiſter, novæ Marchiæ Advocatus, Equites Crucigeros contra Henricum de Plawen, Magiſtrum Ordinis Teutonici, excitaverat ea de cauſa, quod Magiſter Henricus Legato a Concilio Conſtantienſi, Benedicto de Macra, qui ad litem terminandam de finibus Samogitiæ miſſus fuerat, nimia facilitate indulſiſſet, ut Memmelum ac Velona arces, Samogitiæ adjungerentur: imo Magiſtrum in vincula conjecit, & Equitum animos ita allexit, ut ipſius Magiſter ſufficeretur in locum Plawenii: Utque bellici genii erat, mox fœdus cum Jagelone & Vitoldo ictum reſcidit, immiſſis inopinato in Drobryniam vaſtatoribus: ac ne quid ſceleris violati jurisjurandi ſacrilegio deeſſet, quoscunque Polonos intercipi contigit, ſuſpendio enecavit.

His injuriis provocatus Rex, exercitum in Pruſſiam ducit. Interim Turcas Hungaria imminere rumor erat. Pontifex Turcici belli metu, Legatum ad Regem, & Equites Teutonicos mittit Epiſcopum Lauſanenſem: cujus interventu

tervenţu biennales induciæ ægre inter Regem & Equites pactæ fuerunt.

1415. 4. *Maji* causa Vladislai Jagelonis Regis, contra Equites Prussios Ord. B. M. V. Teutonicos, per Commissarios Concilii Constantiensis examinari cœpta.

1415. 5. *Julii* congregata fuit Natio Germanica in causa Polonorum, quam causam, ait *Hardtius*, hanc fuisse: Verbo, an ferro Pagani ad Fidem adducendi? Hæc opinio *Hardtii*.

1415. 29. *Novembris* Literæ Vladislai Regis, & Vitoldi Ducis lectæ in Congregatione Constantiæ.

1416. 10. *Julii* Michaelis Kochmeisteri scripta Litera coram Congregatione lecta.

1416. 2. *Augusti* Epistola Vladislai Regis. Grates agit, & gratulatur pro Hussis & Hussitis damnatis, & quod Cardinalem & duos Episcopos, Leopoliensem, & Belvensem miserint pro Ecclesiis inter Paganos erigendis. Neutra Epistola alterum accusat, nec Universitas Cracoviensis aut Regem, aut Equites arguit. Ut mirer, quid Cl. Hardtium impulerit, ad hunc errorem Equitibus affingendum.

1417. Vitoldus Concilii Constantiensis Legatos invitat, ut mandata quantocius exequantur. Legati in Samogitiam advecti, Matthiam, natione Lituanum, Ss. Theologiæ Doctorem, nuper Collegii Canonicorum Vilnensium Præpositum novum Samogitiæ Episcopum creant, consecrant, & quæ ad Ecclesias sacrandas pertinent, mense Octobri perficiunt.

1418. Bellum in Prussiam a Polonis & Lituanis totis viribus suscipitur. Cruci-geri oppressi, Legatum a Papa Bartholomæum Capra Mediolanensem Archi-Episcopum obtinent, cujus industria biennales induciæ impetrantur. Rex Jagelo & Vitoldus diffisi Equitibus, novum fœdus cum Rege Daniæ, & Duce Pomeraniæ sanciunt.

Hæc ex P. Wijuck-Kojalowicz S. J. ostendunt Seriem rei & finem.

CONCORDATA CONSTANTIÆ.

Anno Christi MCCCCXVIII. Martini V. Papæ I. Sigismundi Reg. Rom. VII.

Concordia facta in Concilio Constantiensi inter MARTINUM Papam V. & NATIONEM GERMANICAM, DE ECCLESIÆ UNIVERSALIS ADMINISTRATIONE, a Johanne, Cardinali Ostiensi, Ecclesiæ Romanæ Vice-Cancellario, sub sigillo ipsius communicata Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensi, Constantiæ III. Maji, Pontificatus Martini V. anno primo.

UNIVERSIS ET SINGULIS, JOHANNES, MISERATIONE DIVINA EPISCOPUS OSTIENSIS, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS, ET VICE-CANCELLARIUS, SALUTEM IN DOMINO, ET PRÆSENTIBUS FIDEM INDUBIAM ADHIBERE.

§. I.

SI juxta laudabilem antiquorum sententiam, & providum Sapientum consilium dignum est, ea, quæ majorum consultissima providentia in subditorum gratiam & commoda geruntur, Scripturæ testimonio redigere, dignum per consequens est, & rationi consentaneum, ut adeo nota fiat eorum veritas, quod inde nec desit pacificis opportuna provisio, nec usquàm perversis sub ignorantia variandi supina facultas requiratur.

§. II. Cum itaque nuper inter Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum MARTINUM

Martinus V. *antea* Odo de Columna, Romanus, concorditer electus in & a Concilio Constantiensi anno 1417. 11. Novembris, Sessione XLI. Obiit anno 1431. 10. Februarii. Sessionibus XLII, XLIII, XLIV. præsedit ipse Papa Martinus.

NUM Divina Providentia Papam QUINTUM, & Reverendos Patres, Prælatos, nec non egregios, & circumſpectos viros Ambaſiatores, Procuratores, Doctores, & Magiſtros, cæterosque, *Venerabilem NATIONEM GERMANICAM in Generali Concilio Conſtantienſi repræſentantes*, & facientes; nonnulla *Capitula concordata, ab utraque parte* ſponte ſuſcepta, nec non de dicti Domini noſtri Papæ mandato, *in Libro Cancellariæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in quo Romanorum Pontificum Conſtitutiones & Ordinationes ſolent conſcribi*, ad futuram rei certitudinem Nobis operam dantibus, prout ad noſtrum ſpectat officium, die quinta decima menſis Aprilis, Pontificatus dicti Domini noſtri Papæ anno primo, conſcripta fuerunt, ac de ſimili mandato in *Audientia contradictarum* die ſecunda menſis Maji, anno quo ſupra, lecta & publicata: adjecto, quod ſub noſtrarum litterarum teſtimonio indigens, quisque ſibi teſtimonium ſumere valeat, in toto vel in ea parte, qua indiguerit earum lem.

§. III. Nos ad Reverendi in Chriſto Patris Domini GUNTHERI Archi-Epiſcopi, ac Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiæ Magdeburgenſis inſtantiam, Capitula hujusmodi, ſicut præfertur, concordata, & ſponte ſuſcepta ex integro libro prædicto de verbo ad verbum fideliter conſcribi, & præſentibus annotari fecimus, quorum tenor ſequitur in hunc modum.

§. IV. *De numero & qualitate Cardinalium.*

Statuimus, ut deinceps numerus Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adeo ſit moderatus, quod non ſit gravis Eccleſiæ, qui de omnibus partibus Chriſtianitatis proportionabiliter, quantum fieri poterit, aſſumantur, ut notitia cauſarum, & negotiorum in Eccleſia emergentium facilius haberi poſſit, & æqualitas regionum in honoribus Eccleſiaſticis obſervetur, ſic tamen quod num. XXIV. non excedant, niſi pro honore Nationum, quæ Cardinales non habent, unus vel duo pro ſemel de conſilio, & conſenſu Cardinalium aſſumendi viderentur. Sint autem viri in ſcientia, moribus & rerum experientia excellentes, *Doctores in Theologia, aut in Jure Canonico, vel civili, præter admodum paucos, qui de ſtirpe Regia, vel Ducali, aut magni Principis oriundi exiſtent*, in quibus competens litteratura ſufficiat; non fratres, aut nepotes ex fratre, vel ſorore alicujus Cardinalis viventis; nec de uno ordine mendicantium ultra unum; non corpore vitiati, nec alicujus criminis, vel infamiæ nota reſperſi: nec fiat eorum electio per auricula vota ſolummodo, ſed etiam cum conſilio Cardinalium collegialiter, ſicut in promotione Epiſcoporum fieri conſuevit: qui modus etiam obſervetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Epiſcopum aſſumetur.

§. V. *De Proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum.*

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa MARTINUS V. ſuper proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Beneficiorum quorumque utetur *Reſervationibus* juris ſcripti ex Conſtitutione *Execrabilis, &: Ad Regimen* modificatis, ut ſequitur. Ad Regimen Eccleſiæ generalis, quamquam immeriti ſuprema diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum & Monaſteriorum Regimina, & alia Eccleſiaſtica Beneficia juxta Divinum beneplacitum, & noſtræ intentionis affectum, viri aſſumantur idonei, qui præſint & proſint committendis eis Eccleſiis, Monaſteriis, & Beneficiis prælibatis. Præmiſſorum namque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archi Epiſcopales, Epiſcopales Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, & Officia, nec non Canonicatus, & Præbendas, ac Eccleſias, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, vel ſine cura, regularia & ſæcularia quæcumque, aut qualiacumque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, nunc apud Sedem Apoſtolicam, quocumque modo vacantia, & inpoſterum vacatura, nec non per depoſitionem, vel privatio-

tionem, seu translationem per Nos, seu auctoritate nostra factas, & in antea faciendas ubilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia seu discordia electi, vel postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, & admissa auctoritate nostra exstiterit, seu quorum electorum, postulatorum, & in antea eligendorum, seu postulandorum electionem cassari, vel postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per Nos, seu auctoritate nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicumque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, ac Officiariorum dictæ Sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditorum literarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Scriptorum literarum Apostolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non verorum Commensalium nostrorum, & aliorum viginti quinque Capellanorum Sedis ejusdem in Epitaphio descriptorum, ac etiam quorumcumque Legatorum, seu Collectorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, & Thesaurariorum Deputatorum, seu Missorum hactenus, vel deputandorum, ac mittendorum inposterum, vacantia, & in antea vacatura, ubicumque dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores, aut Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet, pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, si in locis a dictâ Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint, vel eos in antea transire de hac luce contigerit; & etiam simili modo quorumcumque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacunque causa, vel ad quævis loca secedentium; si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, jam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri; nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel in posterum vacatura; rursus Monasteria, Prioratus, Decanatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraque Beneficia Ecclesiastica secularia, vel regularia, cum cura, vel sine cura, quæcumque & qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per Nos, vel auctoritate nostra ad Patriarchalium, seu Archi Episcopalium, Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum Regimina obtinebant, tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, seu in posterum vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Ecclesiarum, aut Beneficiorum aliorum, per Nos, seu auctoritate nostrarum literarum immediate collatorum, seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ exspectativæ assecutio fiat, nunc vacantia, & in antea vacatura: plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ *usque ad quinquennium* de ipsorum fratrum consilio auctoritate Apostolica reservamus, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum per quoscumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: non obstantibus quibuscumque Constitutionibus a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent super enarratis articulis vel alicui, vel aliquibus eorum dicto quinquennio durante. Nulli igitur &c.

§. VI. In Ecclesiis Cathedralibus, & etiam Monasteriis Apostolicæ Sedi immediate subjectis fiant electiones Canonicæ, quæ ad Sedem Apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in constitutione Nicolai III. quæ incipit: *Cupientes*, Papa exspectat; quo facto, si non fuerint præsentatæ, vel si præsentatæ minus Canonice fuerint, Papa provideat; si vero Canonicæ fuerint,

rint, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili & evidenti, & de fratrum consilio, & de digniori, & utiliori persona duxerit providendum: proviso, quod confirmati, & provisi per Papam, nihilominus Metropolitanis, & aliis præstent debita juramenta & alia, ad quæ de jure tenentur.

§. VII. In Monasteriis, quæ non sunt immediate subjecta Sedi Apostolicæ, nec non in aliis Beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione, seu provisione non consuevit haberi recursus ad Sedem Apostolicam, non teneantur venire electi, seu illi, quibus providendum est, ad curiam ad habendam confirmationem, seu provisionem: nec etiam dicta Beneficia regularia cadant in gratiis exspectativis: ubi autem in Monasteriis ad curiam Romanam pro confirmatione venire, seu mittere consueverunt, ibi Papa non aliter confirmet, aut provideat, quam superius de Ecclesiis Kathedralibus est expressum.

§. VIII. De Monasteriis Monialium Papa non disponet, nisi sint exempta; & tunc per commissionem in partibus. (*a*) De cæteris Dignitatibus, & Beneficiis quibuscumque secularibus, & regularibus vacaturis, ultra reservationes jam dictas majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesiis, exceptis, de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet; nec computentur in turno seu vice eorum.

§. IX. Item (*b*) Dominus noster Papa declarat, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma, per eum aut ejus auctoritate factam, vel faciendam, non velit, neque vult, neque intendebat, nec intendit facere aut fieri, quominus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt, alternis vicibus libere disponatur per illos, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, aut alia quævis dispositio pertinebit, prout ad ipsos spectabit de consuetudine, vel de jure: ita quod cum de una Dignitate, Personatu, Officio, vel Beneficio, ex illis ad electionem, provisionem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem alicujus spectante, fuerit auctoritate Apostolica provisum, aut alias dispositum; ille, ad cujus electionem, collationem, vel quamvis dispositionem primo loco pertinebat, & ita consequenter de singulis hujusmodi Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis vacaturis, auctoritate ejusdem Domini nostri Papæ, aliorum prædictorum alternatis vicibus disponatur; reservationibus, aut aliis a præmissis dispositionibus auctoritate ejusdem Domini nostri Papæ factis, vel faciendis non obstantibus quibuscumque.

(*Mensibus scilicet Papalibus nondum tunc introductis.*)

§. X. Quotiens vero aliquo vacante Beneficio cadente invice & gratia exspectativa, non apparuerit infra tres menses a die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo secundum prædictas ordinationes fuerit Apostolica auctoritate provisum; ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponat, nec sibi in sua vice computetur. Beneficia, quæ per simplicem renuntiationem, aut permutationem vacaverint, neutri parti computentur.

§. XI.

(*a*) Hic incipit paragraphus, ex varia interpunctione controversus. *Dumont* in *Corpore Juris Gentium Diplomatico T. II. P. II. pag.* 111. *Not.* 1. indicat, *Leibnitii* editionem minus recte interpunctam esse, & Parenthesi includit hæc verba: *Majoribus dignitatibus*, usque ad illa: *vice eorum.*

(*b*) *Cl. von der Hardt in Concilii Constantiensis Historia T. I. pag.* 1054. exhibens hæc Martini V. cum Germanis concordata ex tribus Cæsareæ Bibliothecæ Tomis MSS. & uno Ducali Brunsvicensi, Concilio coævis, vult, legendum esse: *Idem Dominus noster*, in una periodo continua, inchoata a verbis: *De cæteris Dignitatibus*, quæ periodus §. X. terminetur: unde consequens sit, *Majores Dignitates* post Pontificalem, Ordinario Collatori relictas. Sed contrarium sentiunt plerique Catholici cum *Branden*, *Reiffenstbul*, & pluribus aliis apud *Rigantium*, *Comment. in Regulas Cancellariæ Apostolicæ T. I. in Reg.* 4. *n.* 32. 33. *& seqq.* qui hæc solum verba parentheſi inclusa volunt: (*Majoribus Dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & Principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis*) unde concludunt, *Dignitates majores* Papæ reservatas esse. Addit *Rigantius*, contrariam assertionem erroneam evinci ex inveterata praxi & stilo inconcusse servato a die concordatorum, usque ad præsens, demonstrantibus, dignitates præfatas provisas fuisse per Sedem Apostolicam.

§. XI. *De Qualificatione Beneficiandorum.*

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Martinus V. ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Spiritualem profectum populi Chriſtiani, *de conſenſu & beneplacito Nationis Germanicæ*, ſtatuit, ordinat, & decernit, quod deinceps in Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis *Nationis Germanicæ* ejusdem, *ſexta Pars Canonicatuum, & Præbendarum ſit pro Doctoribus, aut Licentiatis* in ſacra pagina, vel altero jurium, vel in Theologia Baccalauriis formatis, aut Magiſtris in Medicina, qui per *biennium*, ſeu Magiſtris in Artibus, qui per *quinquennium* poſt Magiſterium in Theologia, aut altero jurium, ſtuduerint in *Studio Generali*; ſic videlicet, quod ubicunque non fuerit ſaltem ſexta pars Canonicorum Præbendatorum in Metropolitana, aut Cathedrali Eccleſia taliter graduatorum, ibi quicumque deinceps vacaverit Canonicatus & Præbenda, quacumque etiam Apoſtolica, vel alia auctoritate, non niſi taliter graduatis conferatur, quouſque dicta ſexta pars compleatur taliter graduatorum. Si tamen infra menſem a tempore vacationis hujusmodi Canonicatus & Præbendæ numerandum repertus fuerit taliter graduatus, & alias idoneus, qui per ſe, vel Procuratorem voluerit acceptare, quod poſtmodum continuetur, ut ad minus dictus numerus ſextæ partis Canonicorum taliter, ut præmittitur, graduatorum in ipſis Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis habeatur: ubi autem *ſoli* conſueverunt *Illuſtres ac de Comitum, vel Baronum genere, vel ex utroque genere militares* in Canonicos admitti, taliter graduati, qui acceptare voluerint, ſi taliter Nobiles, ut præmittitur, fuerint in Eccleſiis, cæteris etiam Nobilibus ſaltem uſque ad dictum numerum præferantur.

§. XII. Item quod in aliis Collegiatis Eccleſiis ejuſdem Nationis ſimiliter ſexta pars Canonicatuum & Præbendarum, deinceps modo præmiſſo conferatur, ſicut præmittitur, graduatis, aut ſaltem in Medicina, aut in Artibus Magiſtris vel Licentiatis, aut in Theologia, vel altero jurium Baccalariis examinatis per rigorem.

§. XIII. Item quod Parochiales Eccleſiæ, habentes communi æſtimatione, quæ ſecundum famam publicam attendatur; duo millia communicantium, vel plures; deinceps non conferantur etiam Apoſtolica, vel quacunque alia auctoritate, niſi Doctoribus, aut Licentiatis in ſacra pagina, vel jure Canonico, vel civili, vel Baccalauriis in Theologia formatis: ſi tamen infra menſem a tempore vacationis Eccleſiæ numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per ſe, vel Procuratorem voluerit acceptare; decernendo irritum & inane, ſi ſecus in præmiſſis, tam circa Canonicatus & Præbendas, quam Parochiales Eccleſias, vel eorum aliquid a quoquam, quavis etiam Apoſtolica auctoritate fuerit attemptatum. Salvis ſemper laudabilibus conſuetudinibus & Statutis Eccleſiarum; quæ præmiſſis non adverſantur: in contrarium, autem facientibus non obſtantibus quibuscunque.

§. XIV. Item quatenus prædicta ordinatio pluribus proſit, & humanæ ambitioni frenum imponatur, ordinat, ſtatuit, & decernit idem Dominus noſter Papa, quod vigore præſentis conſtitutionis, ſeu ordinationis, nemo graduatorum poſſit ultra unum Beneficium Eccleſiaſticum adipiſci.

§. XV. *De prærogativa Graduatorum.*

Item vult, quod in pari data ad eandem collationem graduatus non graduato præferatur, prærogativis, & diligentiis, non obſtantibus quibuscumque.

§. XVI. Item, quod Vicariæ, ad certa chori officia in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis deputatæ, non conferantur, etiam Apoſtolica auctoritate, niſi talibus, qui hujuſmodi Beneficia cantando & legendo, & alias ſciverint, & poterint perſonaliter adimplere.

§. XVII. *De Annatis.*

De Eccleſiis & Monaſteriis virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis, ſolventur pro fructibus primi anni a die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ *communia ſervitia* nuncupantur: ſi quæ vero exceſſive taxatæ ſunt, juſte retaxentur, & provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus ſecundium qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod dabuntur Commiſſarii, qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum, a die poſſeſſionis pacificæ totius, vel majoris partis ſol-

ventur, & pro media parte alia infra ſequentem annum. Et ſi infra annum bis vel pluries vacaverint, ſemel tantum ſolvatur, nec debitum hujusmodi in Succeſſorem in Eccleſia, vel Monaſterio tranſeat. De cæteris autem Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis & Beneficiis ſecularibus quibuscunque, & regularibus, quæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ conferentur, vel providebitur de eiſdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut cauſa permutationis, ſolvantur annuata ſeu medii fructus juxta taxam ſolitam a tempore unionis (poſſeſſionis) infra annum; & debitum hujusmodi in Succeſſorem in Officio, Beneficio non tranſeat. De Beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum de Camera non excedunt, nihil ſolvatur; debitis omnibus præteriti temporis uſque ad Aſſumptionem Domini noſtri communium ſervitiorum, & annuatorum pro medietate relaxatis, ſolventibus aliam medietatem infra ſex menſes a die publicationis.

§. XVIII. *De cauſis tractandis in Romana Curia, vel non.*

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa Martinus V. ſtatuit, & ordinat, quod nullæ cauſæ in Romana Curia committantur, niſi quæ de jure, & natura cauſæ in Romana Curia tractari debebunt, & quod *cauſæ, quæ ad forum Eccleſiaſticum de jure, vel conſuetudine non pertinent*, per Curiam Romanam etiam prætextu crucesignationis laicorum extra tempus Paſſagii Generalis non recipiantur, de illis cognoſcendo in Curia, vel extra committendo, niſi de conſenſu partium. Quæ vero ad forum Eccleſiaſticum pertinent, & de jure ſunt per appellationem, aut alias ad Romanam Curiam devoluta, ac de ſui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea: cæteræ committantur in partibus, niſi forſan pro cauſæ, & perſonarum qualitate, in commiſſione exprimenda, illis tractare in Curia expediet, pro juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in curia tractentur.

§. XIX. *De Commendis.*

Ordinat Dominus noſter Papa, quod in poſterum Monaſteria, aut magni Prioratus Conventuales (habentes) hiis temporibus ultra decem Religioſos, & officia clauſtralia, dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralibus, ſicut & Eccleſiæ Parochiales nulli Prælato, etiam Cardinali dentur, in commendam, datæ aut dati quamprimum commendatariis loco illorum de æquivalenti providebitur, poſt pacificam poſſeſſionem adeptam illas dimittant, una etiam Eccleſia Metropolitana uni Cardinali, vel Patriarchæ concedi poterit proviſionem aliam ſufficientem non habenti.

§. XX. *De Symonia.*

Ut autem conſiderata malitia aliquorum temporum proxime præteritorum, quibus labes Symoniaca tam in Ordinibus, quam in Beneficiis Eccleſiaſticis tunc conferendis, & percipiendis, ac religionibus ingrediendis, fuit heu nimium frequentata, læſis in hoc conſcientiis ad pernitioſiorem adminiſtrationem, & perceptionem Sacrorum Eccleſiaſticorum, ſalubriter omnibus conſulatur, & ſingulis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis, cæteriſque Prælatis: nec non Clericis ac perſonis Eccleſiaſticis, Religioſis & ſecularibus utriusque ſexus: ut quælibet eorum infra tres menſes poſt publicationem, aut inſinuationem præſentium ſibi, aut in Diœceſi, ubi domicilium habuerit, factam, aliquem in ſacra pagina, vel in jure Canonico Doctorem, vel Licentiatum, vel Baccalaurium formatum: ubi talis non reperiretur, Lectorem, aut alias intelligentem Sacerdotem diſcretum, ac bonæ famæ, curatum, vel non curatum *eligere valeat Confeſſorem*, qui infra prædictum tempus, quantocius commode fieri poterit, ejus confeſſione audita, ipſam perſonam confitentem a ſuis peccatis, & a quibuscumque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, aliisque ſententiis, cenſuris atque pœnis, quas forſan propter Symoniacm in ordine, vel Beneficio Eccleſiaſtico, religionis ingreſſu, aut alias qualitercunque active, vel paſſive commiſſam uſque ad tempus publicationis prædictæ dignoſcitur incurriſſe, *in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvere;* nec non *ſecum ſuper irregularitate*, pro eo, quod hujusmodi ſententiis ac excommunicatione ligata, forſan Miſſas, vel alia Divina Officia celebraſſe, aut ſe illis

illis immiſcuiſſe cenſebitur; uſque ad tempus prædictum contracta, ipſaque propter præmiſſa, aut eorum aliquod a ſui ordinis, vel officii exſecutione ſuſpenſa, quod in illis nihilominus miniſtrare, illa exercere & adepta Beneficia, vel ſtatum, in quo eſt, retinere, & ad ulteriora promoveri poſſit, in dicto foro valeat diſpenſare, ac eadem Beneficia, quæ obtinet, ab hoc forſitan vacantia vel vacatura; ſicut poſtquam dimiſerit, reconferre, omnemque inhabilitatis, irregularitatis, nec non infamiæ maculam ſymoniacam, atque aliam labem, per eam occaſione prædicta uſque ad tempus prædictum contractam, in eodem foro totaliter abolere: *Fructus* quoque Beneficiorum Eccleſiaſticorum; quos forſan indebite percepit, & quos percipere potuiſſet, & ad* quicquid occaſione prædicta fuerit refundendum (dummodo perſona ipſa ad refuſionem faciendam, deducto ne egeat in ſtatu, in quo tunc fuerit, aut alias absque nota, vel ſcandalo ſufficiens non fuerit) in dicto foro remittetur, ac etiam de hiis quitare, & liberare tenore præſentium (litterarum) miſericorditer indulgemus: conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscumque.

§. XXI. *De non vitandis excommunicatis, niſi fuerint denuntiati.*

Inſuper ad vitandum ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, omnibus Chriſti fidelibus tenore præſentium (litterarum) miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacrorum adminiſtratione vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel prætextu cujuscunque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, a jure, vel homine generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, vel cenſura hujusmodi fuerit in, vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, communitatem aut locum, certam, vel certum a judice publicata, vel denuntiata ſpecialiter & expreſſe; conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque. Salvo, ſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum, ſententiam latam Canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri juxta Canonicas ſanctiones.

§ XXII. *De Diſpenſationibus.*

Ordinat etiam Dominus noſter ad Eccleſias Cathedrales, Monaſteria, Prioratus Conventuales, aut Parochiales Eccleſias, ſuper defectu ætatis ultra triennium nullatenus diſpenſare; niſi forte Eccleſiis Cathedralibus ex ardua, & evidenti cauſa, de conſilio Cardinalium, ſeu majoris partis illorum videretur, aliter diſpenſandum. Item Dominus noſter in arduis, & gravibus caſibus *ſine conſilio Cardinalium non intendit diſpenſare.*

§. XXIII. *De proviſione Papæ & Cardinalium.*

Romano Pontifici a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus pro illorum ſuſtentatione, *rebus Romanæ Eccleſiæ ſtantibus, ut ſunt, non videtur aliter poſſe provideri, quam huc uſque factum eſt, ſcilicet per Beneficia, & communia ſervitia, quæ vacantia nuncupantur*; verum circa Beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod nulli Cardinali Monaſterium, (vel) Prioratus Conventualis ultra numerum decem religioſorum ſecundum moderna tempora habetur (habere) conſueti, nulla major dignitas poſt Pontificalem in Cathedralibus, aut Parochialibus Eccleſiis, nullum Officium Clauſtrale, nullum Xenodochium, Hoſpitale, elemoſinaria, aut leproſaria in titulum, vel adminiſtrationem conferantur; & ſi quæ talia nunc obtinent, quàm primum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneantur, ſicut ſuperius de commendis eſt dictum.

§. XXIV. *De Indulgentiis.*

Cavebit Dominus noſter Papa in futurum nimiam indulgentiarum effuſionem, ne vileſcant: & in præteritum conceſſas, ab obitu Gregorii XI. adinſtar alterius indulgentiæ revocat, & annullat.

§. XXV. Item Sanctiſſimus Dominus noſter, & *inclita Natio Germanorum* con-

concesserunt, & protestati sunt, quod omnia, & singula supra scripta durare, & tolerari debeant, *usque ad quinquennium dumtaxat*, a data præsentium numerandum; constitutionibus Apostolicis, Regulis Cancellariæ factis & fiendis; & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque; quodque per observantiam eorum nullum jus novum Romano Pontifici, aut alicui Ecclesiæ, vel personæ acquiratur, seu præjudicium generetur: sed lapso dicto quinquennio, quælibet Ecclesia, & persona prædicta liberam facultatem habeat utendi, quolibet jure suo. Non obstantibus supra dictis. Et quod Capitula prædicta, & quodlibet eorum dentur cuilibet, ea habere volenti communiter, seu divisim, in autentica forma, sub Sigillo Vice-Cancellarii cum subscriptione Notarii, sic quod fidem faciant exhibita ubicunque; pro toto autem non solvantur ultra duodecim *Grossi Turonenses*.

§. XXVI. Hæc universitati vestræ tenore præsentium firmiter attestantes, eadem nostras præsentes litteras in horum fidem & testimonium præfato Domino *Archi-Episcopo*, Præposito, Decano, & *Capitulo Magdeburgensi* concessimus, nostri Sigilli munimine roboratas. Datum Constantiæ, Provinciæ Moguntin. in domo habitationis nostræ, Anno quo supra, die tertia mensis Maji, Pontificatus supradicti Domini Papæ Anno *primo*.

Leibnitz Cod. Juris gentium monet, posteriora Concordata sub Nicolao V. anno 1447. *ex his prioribus illustranda.*

Von der Hardt Tomo I. Historiæ Concilii Constantiensis pag. 1055. *Generalia Concordata exhibet.*

Articuli (*) *de reformanda Curia Romana*

a Martino V. oblati Nationibus Germanicæ, Gallicæ, Anglicanæ anno 1418. *extremo Januario.*

Ideati & definiti ante electionem Papæ Sessione XL. anno 1417. 30. *Octobri, sed publicati post electionem Sessione XLIII. anno* 1418. 21. *Martii.*

ARTICULUS I.

De numero, qualitate, & Natione Dominorum Cardinalium.

MS. Vindobonense. *Papa decrevit non fore ultra XXIV. nisi ex causa & propter honorem Nationis, quæ Cardinalem non haberet.*

STatuimus, (*a*) ut deinceps *Numerus Cardinalium* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeo sit *moderatus*, quod nec sit gravis Ecclesiæ, nec superflua numerositate vilescat.

(*b*) Qui *de omnibus partibus Christianitatis* proportionaliter, quantum fieri poterit, assumantur; ut notitia causarum, & negotiorum in Ecclesia emergentium facilius haberi possit, & *æqualitas Regionum* in honoribus Ecclesiasticis observetur.

(*c*) Sic tamen, quod *numerum viginti quatuor non excedant.* Nisi *pro honore Nationum, quæ Cardinales non habent*, unus, vel duo, pro semel de consilio & consensu Cardinalium assumendi viderentur.

(*d*) Sint autem *Viri in scientia, moribus, & rerum experientia excellentes, Doctores in Theologia, aut in Jure Canonico, vel civili.* Præter admodum paucos, qui *de stirpe Regia, vel Ducali, vel magni Principis* oriundi existant, in quibus competens litteratura sufficiat.

Non fratres aut nepotes ex fratre, vel sorore alicujus Cardinalis viventis. Nec

(*) *Hunc titulum refert Cl. Hardt*: MARTINI V. PP. Reformatio in Capite & Curia Romana A. MCCCCXVIII. circa finem mensis Januarii in Concilio Constantiensi Nationibus oblata. *Tomo I. Histor. Concil. Constantiensis pag.* 102.

(*a*) Cardinalium numerus erit moderatus.

(*b*) Cardinales ex omnibus Nationibus eligendi. Æqualitas Regionum in Cardinalium electione spectanda.

(*c*) Cardinales sint XXIV.

(*d*) Sint Viri docti & prudentes, Doctores, aliqui ex illustribus familiis.

Nec de uno ordine mendicantium *ultra unum.*

Nec corpore vitiati, aut alicujus criminis vel infamiæ nota resperſi.

(e) Nec fiat eorum electio *per auricularia vota* solummodo, ſed etiam *cum conſilio Cardinalium* collegialiter, ſicut in promotione Epiſcoporum fieri conſuevit.

Qui modus etiam obſervetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Epiſcopum aſſumetur.

ARTICULUS II. IV. V.

De Reſervationibus Sedis Apoſtolicæ.

MS. Vindob. *Ultra reſervationes juris duæ partes ſint in diſpoſitione Papæ, tertia vero Ordinariorum.*

De collatione Beneficiorum, & gratiis expectativis.

MS. Vindob. *Papa non intendit dare, niſi ad unum Beneficium.*

De Confirmatione Electionum.

MS. Vindob. *Si Canonice factæ fuerint, Papa confirmet: ſi non, Papa provideat.*

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa MARTINUS V, ſuper *Proviſionibus* Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum quorumcunque, vult, intendit, & mandat obſervare, quod exceptis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, & cæteris Beneficiis *reſervatis* (f) *in jure*, & deſignatis, & in Extravaganti, *ad Regimen* modificata, quantum ad numerum conſuetum: item quoad *Capellanos* (g) *honoris*, quod *Beneficia eorum non ſint reſervata.* Niſi ſint Magiſtri, Doctores, vel Licentiati in Theologia, Jure Canonico, vel civili. *Quorum diſpoſitio ad Papam ſpecialiter pertineat.*

In Eccleſiis & Monaſteriis fiant *Electiones Canonicæ.*

(h) *De Monaſteriis* autem *non exemptis*, quorum fructus ſecundum taxam communem decimæ extra Italiam, Hiſpaniam centum quinquaginta; in Italia vero & Hiſpania ſexaginta librarum Turonenſium parvorum valorem annuum non excedant, fiant *confirmationes* &c. aut *proviſiones* per Ordinarios, ſecundum Canonicas Sanctiones.

De Monaſteriis vero *excedentibus ſummas prædictas*, nec non Cathedralibus Eccleſiis, *Electiones ad Sedem Apoſtolicam deferantur:* quatenus ad tempus conſtitutum *in Conſtitutione Nicolai III.* (i) quæ incipit: *Cupientes*, Papa expectet. Quo tranſacto, (k) ſi non fuerint præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus canonicæ fuerint, *Papa provideat*: ſi vero canonicæ fuerint, *Papa* eas *confirmet.* Niſi ex cauſa rationabili & evidenti, & de fratrum conſilio, *de digniori & utiliori perſona* duxerit providendum.

Proviſo, quod confirmati & proviſi per Papam, nihilominus *Metropolitanis*, & aliis *præſtent* debita *juramenta*, & alia conſueta.

(l) *De Monaſteriis Monialium* Papa non diſponet, niſi ſint exempta.

(m) Ad *Epiſcopales* autem *Dignitates* & ſupra *nullus eligatur*, *niſi Doctor aut Licentiatus cum rigore examinis in Theologia, aut jure canonico, vel civili.*

De cæteris vero Dignitatibus, Officiis & Beneficiis, ſecularibus & Regularibus, ultra reſervationes prædictas, *duæ partes ſint in diſpoſitione Papæ*, & *tertia pars remaneat in diſpoſitione ordinariorum.*

Ita, quod duo prima cedant *Papæ*, & tertium *Ordinario*; ita quod per quamcunque aliam reſervationem, aut prærogativas non minuatur.

Item Beneficia vacantia per reſignationem ſimplicem, vel ex cauſa permutationis, neutra Papæ competant: videatur in margine in Cancellaria.

Item non vult, nec intendit *gratias expectativas* (n) dare, niſi ad unicum Beneſi-

(e) Electionis Cardinalium modus.
(f) Reſervationes Papæ ordinariæ.
(g) Capellani honoris.
(h) De Monaſteriis non exemptis.
(i) Sexto Decret. Lib. I. Tit. 6. cap. 16.
(k) Quomodo electiones poſſint ad Papam devolvi.
(l) De Monaſteriis Monialium.
(m) Ad Epiſcopatus eſſe eruditos promovendos.
(n) De gratiis expectativis.

neficium: Nisi in *Italia*, & in *Hispania*, & in aliis partibus, ubi Beneficia sunt exilia: Neque ad dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, neque ad principales in Collegiatis, neque ad Prioratus Conventuales.

Dignitates vero *majores post Pontificales* in Cathedralibus, principales in Collegiatis, *nullis* (o) *nisi Doctoribus, aut Baccalaureis formatis in Theologia*, vel *Doctoribus, aut Licentiatis in jure Canonico vel civili*, conferri valeant.

Nec ad illas alius assumatur, nisi forte propter ipsorum tenuitatem infra mensem a die vacationis nullus inveniatur talis, qui illa voluerit acceptare.

Cæteris autem *litteratis* in prærogativis datarum (p) providebitur.

Item quod *in pari data gratiarum expectativarum* (q) ad eandem collationem *graduatus non graduato præferatur*; & in gradibus paribus *Diœcesanus præferatur non Diœcesano*.

Multorum temporum experientia docuit, quod *dilationes* (r) *eligendi*, aut alias providendi Ecclesiis, Monasteriis, vel aliis dignitatibus, quibus de jure, vel consuetudine per electionem est providendum, quæ a nostris Prædecessoribus, etiam in Generalibus Conciliis statuuntur, tam prætextu vocationis absentium, quam alias nimium diuturnas damnationes, vexationes, ac onera gravia expensarum inducant;

Quibus providere volentes, *Sacro approbante Concilio statuimus*, ut deinceps vacantibus Ecclesiis, Monasteriis, & Dignitatibus prædictis, ii ad quos pertinebit eligere, a die notæ vacationis in Ecclesia, Monasterio sive loco, *per viginti dies continuos absentes expectent*. Quibus transactis, hi, quæ præsentes fuerint, absque alia vocatione absentium, libere ad electionem procedant.

Qui *infra quadraginta dies* a die notæ vacationis prædictæ non elegerint, locum habeant Statuta super hoc in Concilio Generali. Quæ, & alia jura, circa hoc edita volumus in suo robore permanere.

ARTICULUS III.

De Annatis & communibus servitiis & minutis.

MS. Vindob. *Papa decrevit, solvantur fructus* (s) *primi anni, & male taxata, juste taxentur.*

Pro *sustentatione Summi Pontificis*, & Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalium*, de Ecclesiis & *Monasteriis Virorum* duntaxat, vacantibus & vacaturis, solventur pro *fructibus primi anni* a die vacationis, summæ pecuniarum in *libris Cameræ Apostolicæ* (t) *taxatæ*, quæ *communia servitia* nuncupantur.

Si quæ (u) male taxatæ sunt, juste retaxentur.

Et provideatur specialiter *in gravatis regionibus*, secundum qualitatem rerum, temporum & regionum, *ne nimium prægraventur*. Ad quod dabuntur *Commissarii*, qui diligenter inquirant, & retaxent.

Taxæ autem prædictæ (v) *pro media parte* infra annum a die habitæ possessionis solventur: Et *pro media parte alia* infra sequentem annum.

Et (x) *si bis in anno vacaverint*, *semel* bene *solvetur*.

Nec debitum hujusmodi in Successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat,

De cæteris autem Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis, secularibus & Regularibus quibuscunque, quæ authoritate Sedis Apostolicæ conferentur, vel providebitur de eisdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis, *Solvatur valor fructuum primi anni pro media parte infra sex menses* a die habitæ possessionis: Et *infra alios sex menses* pro alia parte.

Et (y) *debitum hujusmodi in Successorem in Beneficio non transeat.*

AR-

(o) Eruditorum prærogativa.
(p) *forte:* litterarum
(q) *Labb. & Schelestr.* earum
(r) De dilata electione.
(s) De fructibus primi anni.
(t) Communia servitia.
(u) De taxis iniquis moderandis.
(v) Quando taxæ Ecclesiarum solvendæ.
(x) Si bis in anno Ecclesia vacaverit.
(y) Ne Successores onerentur Antecessoris debito.

ARTICULUS VI. & VII.

De Causis in Romana Curia tractandis, vel non.

MSc. Vndob. *Papa decrevit cætera, quæ de jure ad Curiam non pertinent, in ea non tractari.*

De Appellationibus ad Romanam Curiam.

MS. Vindob. *Injuste seu frivole appellans ab interlocutoria, vel gravamine, ultra condemnationem expensarum, & interesse non audiatur.*

(z) Causæ quæ ad forum Ecclesiasticum *de jure*, vel *consuetudine* non pertinent, per Curiam Romanam non recipiantur, de illis cognoscendo in Curia, vel extra committendo, nisi de consensu partium.

Quæ vero *ad forum Ecclesiasticum*, ut præmittitur, *pertinent*, & de jure sunt per appellationem, aut alias ad Romanam Curiam devolutæ, aut de sua natura in illa tractandæ, tractentur in ea.

Cæteræ committantur in partibus.

Nisi (a) forte pro causæ, aut personarum qualitate illas tractare in curia expediret pro justitia consequenda, vel de partium consensu in curia tractarentur.

Matrimoniales (b) tamen causæ in prima instantia præter appellationem *non committantur in Curia*, nisi in causis proxime dictis.

Item *ad refrenandum appellationes frustratorias*, (c) quæ ante definitivas sententias interponuntur, ordinamus, quod *injuste*, seu *frivole appellantes* ab interlocutoria, vel gravamine, ultra condemnationem expensarum, damnorum, & interesse, *in decem florenos*, si appellatio interponatur in curia: & *in viginti* si de partibus ad curiam; parti appellatæ *condemnetur*. Et quod super eadem locutoria, vel gravamine *secundo appellare* non liceat, nisi haberent vim definitivæ.

ARTICULUS IX.

De exemptionibus, & incorporationibus tempore schismatis factis.

MS. Vind. *Papa revocat.*

Attendentes, quod a tempore obitus felicis recordationis (d) Gregorii XI. Prædecessoris nostri nonnulli Romani Pontifices, aut pro Romanis Pontificibus se gerentes, & in suis diversis obedientiis reputati, *pro sua voluntate*, aut *pro importunitate petentium*, nonnullas Ecclesias, Monasteria, Capitula, Conventus, Prioratus, Beneficia, loca & Personas, *a jurisdictionibus Ordinariorum* tempore dicti Gregorii nullatenus exemtas, vel exemta de novo a dictorum Ordinariorum jurisdictionibus (e) *exemerunt, in grave ipsorum Ordinariorum præjudicium.* Nos volentes hujusmodi præjudicio obviare, omnes *exemtiones* Ecclesiarum, Monasteriorum, Capitulorum, Conventuum, Præpositurarum, Beneficiorum, locorum, & personarum quarumcunque, etiam, si ex prædictis aliquod Monasterium fuerit exemtum, & postea subjectum Monasterio diversi habitus, vel coloris, a tempore dicti obitus Gregorii XI. *per quoscunque pro Romanis Pontificibus se gerentes de novo factas*, quæ tamen ante exemtionem hujusmodi nulla exemtione gaudebant, sed simpliciter subjiciebantur Ordinariorum jurisdictioni, nullumque ante id tempus initium habuerunt: exceptis etiam exemtionibus, quæ uni toti ordini, & quæ Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Conventibus, Beneficiis, sive locis, a prædicto tempore sub exemptionis modo, aut conditione fundatis, aut contemplatione novæ Fundationis, seu Universitatibus studiorum generalium, aut per modum confirmationis, augmenti aut additionis factæ fuerunt, aut concessæ, aut super quibus præsentibus & auditis, quorum intererat, auctoritate competente ordinatum fuit, seu in quibus Ordinarii consenserint: *Sacro approbante Concilio revocamus*, Ecclesias, (f) Mo-

(z) Quæ causæ ad Curiam Romanam spectent. (a) Quæ non ad Curiam spectent.
(b) Causæ matrimoniales. (c) Appellationes frustratoriæ.
(d) Quas exemtiones Papa velit revocatas.
(e) Ordinariorum præjudicium ex exemtionibus.
(f) Jus Ordinariis restitutum.

Monasteria, & alia prædicta in pristinam jurisdictionem reducentes. Cæteris autem *exemtionibus*, *ante obitum* dicti *Gregorii habitis*, vel concessis, nullum volumus per hoc præjudicium generari.

Revocamus etiam omnes *uniones & incorporationes* (g) a tempore obitus Gregorii XI. per eos, qui pro Summis Pontificibus in eorum obedientiis reputati fuerunt, factas, seu concessas, *quæ effectum sortitæ non fuerunt.*

Item omnes etiam, quæ effectum sortitæ fuerunt, de perpetuis Vicariis factas, & concessiones omnes juris Patronatus seu præsentandi, factas laicis, Ecclesiarum, seu Beneficiorum, quæ non fundaverunt, nec dotaverunt.

Circa alias vero *uniones*, *quæ effectum jam sortitæ fuerunt*, cum certa regula dari non possit, *ad querelas* eorum, quorum intererit, si non ex rationabilibus causis, vel veris factæ fuerunt, licet Apostolicæ Sedis authoritas intervenerit, *revocabimus* eas, justitia mediante, vel aliter secundum juris exigentiam providebimus.

ARTICULUS X.

De Commendis.

MS. Vindob. *Monasteria & Prioratus habentes ultra decem Religiosos nulli dentur.*

Ordinat idem Dominus noster Papa, quod inposterum Monasteria, aut magni Prioratus Conventuales, habere consueti his temporibus ultra decem Religiosos in Conventu, & officia claustralia, dignitates (h) majores post Pontificalem in Cathedralibus, sive Ecclesiæ parochiales, *nulli* Prælato etiam Cathedrali *dentur in Commendam.*

Datæ autem, & dati quamprimum Commendatariis loco illorum de æquitate providebitur, post pacificam possessionem adeptam illos dimittant.

Una etiam Ecclesia Metropolitana uni Cardinali, vel Patriarchæ concedi poterit, provisionem aliam sufficientem non habenti.

ARTICULUS XI.

De fructibus medii temporis.

MS. Vindob. *Quando Ecclesia vacat, Papa juris, & consuetudinis, & privilegii dispositioni relinquit.*

Item Sanctissimus (i) Dominus noster *Fructus* & *Proventus* Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum, *vacationis tempore obvenientes* relinquit, illosque sibi vel Apostolicæ Cameræ prohibet applicare.

ARTICULUS XII.

De non alienandis bonis Romanæ, & aliarum Ecclesiarum.

MS. Vindob. *Papa revocat omnes tales factas citra Papam Gregorium XI.*

Volentes indemnitatibus providere, omnes (k) *alienationes rerum immobilium*, & jurium, nec non concessiones Vicariatuum, terrarum, civitatum, & Dominiorum Romanæ Ecclesiæ, ultra quinquennium *sine Concilii consensu*, & subscriptione majoris partis Cardinalium illius obedientiæ: nec non omnes *alienationes rerum* similium *aliarum Ecclesiarum*, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum sine consensu libero Rectorum & Ministrorum eorundem: per quoscunque pro Romanis Pontificibus se gerentes a tempore felicis recordationis Gregorii XI. Prædecessoris nostri factas & concessas, *Sacro approbante Concilio* penitus *revocamus.*

Alienationes vero, per Prælatos, Rectores, aut Ministros, de rebus similibus Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum Beneficiorum suorum præter, aut contra juris formam factas *nullas* fuisse & *esse declaramus*, & etiam *revocamus*: Res ipsas, terras, civitates, atque Dominia, ad jus & proprietatem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum ipsorum reducentes.

Volumus etiam, ac intendimus, (l) quod *Regimina terrarum*, provinciarum, civitatum, & Dominiorum *Ecclesiæ Romanæ*,

(g) Uniones Ecclesiarum a Papa revocatæ.
(h) De Commendis per Papam restrictis.
(i) Fructus Ecclesiarum tempore vacationis Papam sibi nolle vindicare.
(k) Alienationes rerum sacrarum per Papam revocatæ.
(l) Regimen terrarum Romanæ Ecclesiæ, quibus committendum.

manæ, quas pro tempore possidebit, nulli *nisi Cardinali*, vel Prælato Ecclesiastico, & ultra quam in iis, quæ requirunt ministeria laicorum: sed nec Vicariatus terrarum Ecclesiæ Romanæ ultra triennium, & de Cardinalium consilio *concedantur*, vel etiam committantur.

De cæteris autem alienationibus, si qui se gravari senserint, querelam exponant apud Sedem Apostolicam, per quam, ut fieri poterit, providebitur de remedio competenti.

ARTICULUS XIII.

Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi & deponi.

MS. Vindob. *Nihil respondit.*

Non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus; circa hoc aliquid novum statui vel decerni.

ARTICULUS XIV.

De extirpatione Simoniæ.

MS. Vindob. *Ordinati sint suspensi. Electiones sint nullæ.*

Multæ contræ Simoniacam pravitatem ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes, ut possumus, attentius providere, *Sacro approbante Concilio* declaramus, quod *ordinati simoniace* (*m*) ab executione suorum Ordinum sint eo ipso *suspensi*.

Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, seu ad illa, nullæ sint ipso jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur. Nec faciat fructus suos. Sed ad illorum restitutionem tanquam inique ablatorum, percipientes teneantur. Statuentes insuper, quod dantes, & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi Pontificali, aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.

Districtius inhibentes, juxta etiam antiqua Statuta Canonum, quod pro Ordinibus, etiam Clericali tonsura, *ordinans nihil recipiat*, cum ad id sint fructus Ecclesiastici deputati.

Quodque *Notarii* pro literis super Ordinum prædictorum collatione, pro prima Clericali tonsura non ultra unum, pro quatuor minoribus ordinibus unum pro quolibet Sacro Ordine unum grossum de Camera, quorum decem faciunt, florenum de *Camera*, recipiant. Quod si contra faciant, Canonicis subjaceant institutis.

ARTICULUS XV.

De Dispensationibus.

MS. Vindob. *Omnes revocat, præter illas, quæ secundum formam* C. Cum ex eo, *factæ sunt.*

Quia Beneficia propter officia conceduntur, reputamus *absurdum, ut qui Beneficia obtinent, recusent, aut negligant officium exercere.* Nos igitur *Sacro approbante Concilio* omnes *dispensationes*, a quibuscunque pro Romanis Pontificibus se gerentibus (*n*) concessas, quibuscunque electis, confirmatis, seu provisis ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus Conventuales, Diaconatus, Archidiaconatus, & alia quæcunque Beneficia, quibus certus ordo deditus est, vel annexus, aut de illis: Ne munus consecrationis Episcopi, seu benedictiones habentes, aut ceteros debitos, aut annexos ordines suscipiant, præter illas, quæ secundum formam Capituli: *Cum ex eo, sexto Decret. L.* 1. *tit.* 6. *cap.* 34. factæ sunt, *revocamus.*

Statuentes, ut qui de præsenti illas, vel illa obtinent, infra sex menses a die publicationis hujusmodi constitutionis nostræ, & quæ inposterum obtinebunt, infra annum a die possessionis adeptæ *se faciant consecrari aut benedici*, sive ad alium debitum ordinem promoveri. Alioquin sint ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis & Beneficiis prædictis ipso jure privati.

Et aliis libere conferantur, aut provideatur. Cæteris constitutionibus circa hæc editis in suo robore duraturis.

Et quia multi *Episcopi*, & eorum Superiores, atque *Abbates, in quibus major debet*

(*m*) De Simonia per Papam extirpanda.
(*n*) Dispensationes per Papam revocatæ.

bet esse solicitudo Curæ & Officii Pastoralis, plerumque extra Ecclesias, Diœceses, & Monasteria commorantur, propter quod *negligitur Officium Pastorale*; *Eodem approbante Concilio* statuimus, quod *Episcopi*, (*o*) & Superiores hujusmodi, in suis Ecclesiis vel Diœcesibus, Abbates autem in suis Monasteriis *personaliter resideant*.

A quibus si per sex menses (*p*) continuos absuerint, a perceptione fructuum, & proventuum eorundem *per annum* integrum: & si per annum absuerint, ab eorum fructuum,& proventuum perceptione *per biennium* sint privati.

Qui fructus & proventus in utroque casu Cathedralibus Ecclesiarum, & Conventibus Monasteriorum applicentur.

Si vero *per biennium absuerint*, ipsis Ecclesiis, & Monasteriis decernimus esse privandos. Nullumque eis in aliquo casuum prædictorum cujusvis generalis studii privilegium suffragetur, nec illis gaudeant quovis modo. Ordinat Dominus noster, quod ad Ecclesias Cathedrales, Monasteria, Prioratus Conventuales, aut Parochiales Ecclesias, *super defectum ætatis ultra triennium nullatenus dispensetur*. (*q*) Nisi forte in Ecclesiis Cathedralibus ex ardua,& evidenti causa de consilio Cardinalium, seu majoris partis illorum, videretur aliter dispensandum.

Item Dominus noster *in gravibus,& arduis casibus* sine consilio Cardinalium *non intendit dispensare*.

Circa *Beneficia incompatibilia* obtinentes, in quibus multi reperientur (*r*) excessus, *constitutionem* felicis recordationis *Joannis XXII.* Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis* (Extravagant. *Joh. XXII. tit.* 3. *c.* 1.) salva moderatione, in eo, quod in ea dicitur de *uno* Curato Beneficio cum non Curato incompatibili, tamen licite retinendis, *ad duo* etiam Curata, dummodo non sint duæ Parochiales Ecclesiæ, *extendimus, Sacro appprobante Concilio* innovamus, atque contenta in illa secundum illius formam, & tenorem de novo statuimus, & etiam ordinamus, contenta in illa volentes diligentius observari.

ARCULUS XVI.

De provisione status Papæ & Cardinalium.

MS. Vindob. *Non videtur aliter fore providendum, quam hucusque provisum est scilicet per Beneficia & servitia communia.*

Romano Pontifici & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus *pro illorum sustentatione*, rebus Romanæ Ecclesiæ stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam hucusque factum est, scilicet *per Beneficia* (s) *& communia servitia*, quæ *vacantiæ* nuncupantur.

Verum *circa Beneficiorum qualitatem* taliter duximus providendum,quod nulli Cardinali Monasterium, Prioratus Conventualis, ultra numerum decem Religiosorum secundum moderna tempora habere consuetus, nulla major dignitas post Pontificalem in Cathedralibus aut Parochialibus Ecclesiis, nullum officium claustrale, nullum Xenodochium, hospitale, eleemosynaria, seu leprosaria, *in titulum vel administrationem conferantur.*

Et si quæ talia nunc obtinent, quamprimum Papa loco illorum de alio æquivalente providebit, illa dimittere teneantur, sicut superius *de Commendis* est dictum.

Proviso, quod nullus Cardinalis de proventibus Ecclesiasticis non habeat ultra valorem *sex millium florenorum.*

Statuimus, quod singuli Cardinales, Monasteria, aut Prioratus Conventuales, habentes ultra numerum XII. Religiosorum secundum consuetudinem modernorum temporum, habeant (*t*) in illis *Vicarium Generalem in Spiritualibus, & temporalibus Religiosum.*

Poterunt tamen iidem Cardinales *ad Regimen temporalium* sub dicto Vicario alias personas constituere. Et nitentur, quantum poterunt, ad Ecclesiasticas personas hoc agere.

Constitutas tamen ad Regimen hujus-

(*o*) Episcopi & Abbates in suis sedeant Ecclesiis.
(*p*) Malitia absentium.
(*q*) De dispensationibus super defectu ætatis.
(*r*) Beneficia incompatibilia restricta.
(*s*) Vacantiæ pro Papæ sustentatione.
(*t*) Vicarius Generalis in Spiritualibus.

jusmodi, dictus *Vicarius* fine consensu Cardinalis non valeat revocare.

In minoribus autem Beneficiis constituant *Vicarium in Spiritualibus*. Cætera per alias personas: & quantum poterunt, ut præmittitur, per *Ecclesiasticas* hoc faciant.

Nulli autem laico Monasteria aut Beneficia hujusmodi locent, vel ad firmam aut arradimentum (*t*) dent.

Teneantur etiam in illis tenere numerum Religiosorum, secundum moderna tempora consuetum: & maxime, quot erant, antequam Cardinales ipsi illa Monasteria aut Beneficia obtinerent.

Nisi postmodum fructus & reditus eorum sine culpa Cardinalium essent adeo diminuti, quod ad sustentationem Prioris, & tot Religiosorum non sufficerent.

Superiores autem dictorum Monasteriorum & Prioratuum, *quibus jus visitandi competit*, illa poterunt visitare, & defectus charitative corrigere. Et quæ in illis reparanda viderint, aut collapsa maxime, ac per culpam Cardinalium, vel suorum Ministrorum, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, illa Gubernatoribus ipsorum injungant reparari secundum facultatem Monasteriorum, & Beneficiorum hujusmodi: deducto quantum Abbas vel Prior, si essent, secundum communem modum pro statu suo expenderent.

Quod si in conficiendis his, quæ in præmissis injuncta fuerint, Gubernatores prædicti fuerint negligentes: Superiores ipsi tantum Sedi Apostolicæ & Cardinalium dignitati deferant, quod semel Summo Pontifici & Cardinalibus ipsis studeant intimare. Qui super his provideri procurabunt.

Quod si non fecerint infra terminum competentem, *Superiores ipsi sua auctoritate provideant* secundum jura & Canonicas Sanctiones: procedendo contra Gubernatores ipsorum principales &c. quemadmodum facere possent, si per Abbates, vel Religiosos dicta Monasteria, vel Prioratus obtinerentur. Quocunque privilegio non obstante.

ARTICULUS XVII.

De Indulgentiis.

MS. Vindob. *Cavebit Dominus Papa imposterum nimiam Indulgentiarum effusionem, ne vilescant: & præteritas revocat, a tempore Gregorii XI. factas.*

Cavebit Dominus noster Papa in futurum *nimiam Indulgentiarum effusionem*, ne vilescant.

(*u*) Et in præteritum concessas ab obitu Gregorii XI. citra perpetuas: Item quæ dicuntur *de pœna & culpa*, sive *de plena remissione*, concessas locis: Item omnes concessas *adinstar alterius Indulgentiæ* revocat & annullat.

ARTICULUS XVIII.

De Decimis imponendis.

MS. Vindob. *Papa nullas imponet imposterum, & prohibet ab inferioribus imponi, & impositas revocat.*

Præcipimus & mandamus, jura, quæ prohibent inferioribus a Papa *Decimas, & alia onera Ecclesiis*, (*v*) & personis Ecclesiasticis imponere, districtius observari.

Per Nos autem *nullatenus imponentur*: quod & nostris Successoribus indicamus, non imponi generaliter super totum Clerum: nisi ex magna & ardua causa, & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio, & consensu, ac subscriptione Fratrum, & Prælatorum, quorum consilium faciliter haberi poterit: nec specialiter in aliquo Regno, vel Provincia, inconsultis Prælatis illius Regni vel Provinciæ.

Cl. von der Hardt Tomi I. de Concilio Constantiensi Part. XXIII. a pag. 1021 *ad* 1038.

(*t*) arrendamentum. *Labbe, Schelestr.*
(*u*) Indulgentiæ limitatæ.
(*v*) Decimas Ecclesiis olim impositas a Pontifice non quærendas esse.

Ger-

GERMANICÆ NATIONIS
ET
MARTINI V. PAPÆ
CONCORDATA,

Quoad Ecclesiastici Regiminis Emendationem, in Concilio Constantiensi anno MCCCCXVIII. adornata.

PRÆFATIO AC TESTIMONIUM JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS, CARDINALIS, ET VICE-CANCELLARII.

EGO JOHANNES, EPISCOPUS OSTIENSIS, Romanæ Ecclesiæ CARDINALIS, & VICE CANCELLARIUS, infra scripta Constitutiones & Statuta transvidi in Cancellaria de mandato Domini nostri MARTINI PAPÆ V. *die quinta decima mensis Aprilis*, Pontificatus dicti Domini nostri Papæ anno primo. Et *in libro Cancellariæ feci scribi* de eodem mandato. Et juxta ejusdem Domini nostri mandatum sic observari ubique mandavi. Et mihi extrahi ea feci & mandavi per Notarium subscriptum, & *in hanc publicam & autenticam formam* redigi, inserendo ea de verbo ad verbum, prout in quaternis seu *Libris* dictæ *Cancellariæ* originaliter conscripta existunt. Ut in quocunque judicio & extra, tam in Curia Romana, quam extra, fidem plenariam faciant, illisque stari debeat incommutabiliter, sicut propriis originalibus. Voluit insuper, mandavit, statuit, & ordinavit idem Dominus noster Papa, quod omnia & singula hic subscripta firmiter & immobiliter observentur. In quorum omnium *testimonium* sigillum meum cum Notarii publici infra scripti subscriptione apponi feci, & mandavi.

CAPUT I.

De numero & qualitate Cardinalium, & eorum creatione.

Statuimus, ut deinceps *numerus Cardinalium* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeo sit *moderatus*, quod non sit gravis Ecclesiæ.

Qui *de omnibus partibus Christianitatis* proportionaliter, quantum fieri poterit, assumantur: ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium facilius haberi possit, & *æqualitas Regionum in honoribus Ecclesiasticis* observetur.

Sic tamen, quod numerum XXIV. non excedant, nisi pro honore Nationum, quæ Cardinalem non habent, unus vel duo pro semel de consilio & assensu Cardinalium assumendi viderentur.

Sint autem *Viri in scientia, moribus, & rerum experientia excellentes*, Doctores in Theologia, aut in jure Canonico, vel civili.

Præter admodum paucos, qui *de stirpe Regia*, vel *Ducali*, aut *magni Principis* oriundi existant. In quibus competens literatura sufficiat.

Non fratres aut nepotes ex fratre, vel sorore, alicujus Cardinalis viventis.

Nec de uno ordine mendicantium ultra unum.

Non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota respersi.

Nec fiat eorum *electio per auricularia vota* solummodo: sed etiam cum consilio Cardinalium collegialiter. Sicut in promotione Episcoporum fieri consuevit.

Qui modus etiam observetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Episcopum assumetur.

CAPUT II.

De provisione Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum.

Sanctissimus Dominus noster *Papa Martinus quintus* super provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum

rum quorumcunque, *utetur reſervationibus Juris ſcripti*, & Conſtitutionis: *Execrabilis*, (a) &: *Ad regimen*, (b) modificate, ut ſequitur:

AD regimen Eccleſiæ Generalis quanquam immeriti ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum, & Monaſteriorum regimina, & alia Beneficia Eccleſiaſtica, juxta Divinum beneplacitum, & veſtræ intentionis affectum, viri aſſumantur *idonei*, qui *præſint* & *proſint* committendis eis Eccleſiis, Monaſteriis & Beneficiis prælibatis.

Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus Nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus & Officia, nec non Canonicatus & Præbendas, & Eccleſias, cæteraque-Beneficia Eccleſiaſtica, cum Cura, vel ſine Cura, ſecularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, apud Sedem Apoſtolicam quocunque modo *vacantia*, vel impoſterum *vacatura*: nec non per depoſitionem, vel privationem, ſeu translationem, per Nos, ſeu authoritate noſtra factas, & inantea faciendas, ubilibet: Nec non, ad quæ aliqui in concordia, ſeu diſcordia electi, vel poſtulati fuerint, quorum electio caſſata, vel poſtulatio repulſa, vel per eos facta renuntiatio, & admiſſa authoritate noſtra exſtiterit, ſeu quorum electorum, vel poſtulatorum, & in autea eligendorum, ſeu poſtulandorum electionem caſſari, vel poſtulationem repelli, aut renuntiationem admitti per Nos, ſeu authoritate noſtra continget apud ſedem prædictam, vel alibi ubicunque: & etiam per obitum Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, ac Officiariorum dictæ Sedis, quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, ſeptem Notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apoſtolic. Palatii cauſarum auditorum, correctorum, centum & unius ſcriptorum literarum Apoſtolic. & XXIV. pœnitentiariæ præfatæ ſedis, & viginti quinque abbreviatorum, nec non verorum commenſalium noſtrorum, & aliorum XXV. Capellanorum Sedis ejusdem in pitavio (c) deſcriptorum, & etiam quorumcunque Legatorum, ſeu Collectorum, ac in terris Eccleſiæ Romanæ Rectorum & Theſaurariorum, Deputatorum, ſeu miſſorum hactenus, ſeu Deputandorum ac mittendorum impoſterum vacantia, & in antea vacatura, ubicumque dictos Legatos, vel Collectores, ſeu Rectores, aut Theſaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis: Nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, ſi in locis a dicta Curia ultra duas dietas legales non diſtantibus, jam forſan obierint, vel eos in antea tranſire de hac luce contigerit: & etiam ſimili modo quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem, jam forſitan deceſſerint, vel in poſterum eos contigerit de medio ſubmoveri, nunc per obitum hujusmodi *vacantia*, vel in poſterum *vacatura*: rurſus Monaſteria, Prioratus, Decanatus, Dignitates, Perſonatus, Præbendas & Eccleſias, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia, & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ promotæ per Nos, vel authoritate noſtra ad Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium Eccleſiarum, nec non Monaſteriorum regimina, obtinebunt tempore promotionum, de ipſis factarum, nunc quocunque

(a) Extravagans: *Execrabilis unica de Præbendis & Dignitatibus*, edita fuit anno 1317. a Joanne XXII. Papa.
(b) Extravagans: *Ad Regimen inter communes de Præbendis & Dignitatibus*, edita fuit a Benedicto XII. anno 1335.
(c) Pitavio, *credo pro* pitatio, *ſeu* codicillo, *vel* catalogo Curialium Papæ.

que modo *vacantia*, ſeu in poſterum *vacatura*: Nec non etiam quæ per aſſecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, Perſonatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum Eccleſiaſticarum, aut Beneficiorum aliorum, per Nos, ſeu authoritate literarum noſtrarum immediate Collatorum, ſeu conferendorum in poſterum, præterquam, ſi virtute gratiæ expectativæ aſſecutio fiat, nunc *vacantia*, & in antea *vacatura*: plena ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſecuta, ordinationi, diſpoſitioni, & proviſioni noſtræ uſque ad *quinquennium* de ipſorum fratrum conſilio authoritate Apoſtolica *reſervamus*. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis,& quolibet eorum per quoſcunque quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus, a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editis, quatenus obſiſtere poſſent ſuperius enarratis articulis, vel alicui,ſeu aliquibus eorum: dicto *quinquennio durante*: Nulli ergo,&c.

In Eccleſiis Cathedralibus, & etiam in Monaſteriis, *Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectis*, fiant *electiones Canonicæ*, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferantur. Quas etiam ad tempus, conſtitutum in conſtitutione Nicolai III. quæ incipit: *Cupientes*, Papa expecter. Quo facto, ſi non fuerint præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus Canonicæ fuerint, Papæ provideat: ſi vere Canonicæ fuerint, Papa eas confirmet. Niſi ex cauſa rationabili, & evidenti, & de fratrum conſilio, de digniori, & utiliori perſona duxerit providendum. Proviſo, quod confirmati, & *proviſi per Papam* nihilominus *Metropolitanis* cum aliis *præſtent debita juramenta*, & alia, ad quæ de jure tenentur.

In Monaſteriis, quæ non ſunt immediate ſubjecta Sedi Apoſtolicæ, nec non in aliis Beneficiis Regularibus, ſuper quibus pro confirmatione, ſeu proviſione non conſuevit haberi recurſus ad Sedem Apoſtolicam, *non teneantur* venire electi, ſeu illi, quibus providendum eſt, *ad Curiam* ad habendam confirmationem, ſeu proviſionem. Nec etiam dicta Beneficia regularia cadant in gratiis expectativis.

Ubi autem in Monaſteriis ad Curiam Romanam pro confirmatione venire, vel mittere conſueverunt: ibi Papa non aliter confirmet,aut provideat, quam ſuperius de Eccleſiis Cathedralibus eſt expreſſum.

De Monaſteriis Monialium Papa non diſponet: niſi ſint exempta: Et tunc per commiſſionem in partibus.

De (*d*) *cæteris* Dignitatibus,& Beneficiis quibuſcunque ſecularibus & regularibus, vacaturis ultra reſervationes jam dictas: majoribus Dignitatibus poſt Pontificales in Cathedralibus, & Principalibus in Collegiatis Eccleſiis, exceptis: de quibus *jure ordinario provideatur per* illos inferiores, ad quos alias pertinet: Nec computentur in turno, ſeu vice eorum: Idem Dominus noſter ordinat, quod per quamcunque aliam reſervationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacumque verborum forma per eum, aut ejus authoritate factam,vel faciendam; non velit, neque volebat, neque intendebat, nec intendit facere, aut fieri, quominus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt, *alternis vicibus libere diſponatur per illos, ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio aut alia quævis diſpoſitio pertinebit*, prout ad ipſos ſpectabit de conſuetudine, vel de jure, ita quod cum *de una* Dignitate, Perſonatu, Officio, vel Beneficio ex illis ad electionem, proviſionem, collationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem alicujus ſpectante, fuerit *authoritate Apoſtolica proviſum*, aut alias diſpoſitum, *ille ad cujus electionem*, vel quamvis diſpoſitionem primo loco *pertinebat, de alio immediate poſtea vacaturo provideat*, aut diſponat, prout ad eum pertinebit.

Et ita conſequenter de ſingulis hujusmodi Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis,& Beneficiis vacaturis, auctoritate ejusdem Domini noſtri Papæ, & aliorum prædictorum; *alternatis vicibus diſponatur*. Reſervationibus, aut aliis præmiſſis diſpoſitionibus auctoritate ejusdem Domini noſtri Papæ factis,vel faciendis, non obſtantibus quibuſcunque.

Quo-

(*d*) *De cæteris Dignitatibus* incipit periodus critica, de cujus interpunctione diverſi diverſa ſentiunt, ut dixi *hujus Tomi pag.* 130. *Dumont* cenſet Periodum non eſſe completam, niſi in his verbis, *aut diſponat, prout ad eum pertinebit.*

Quoties vero aliquo vacante Beneficio, cadente in vice, & in gratia expectativa, non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo secundum prædictas ordinationes fuerit auctoritate Apostolica provisum: *Ordinarius*, vel *alius*, ad quem illius dispositio pertinebit, *de illo libere disponat*: Nec sibi in sua vice computetur.

Beneficia etiam, quæ per simplicem renuntiationem, aut permutationem vacaverint, neutra Papæ computentur.

Sanctissimus Dominus noster Papa MARTINUS *Quintus*, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & spiritualem profectum populi Christiani, *de consensu, & beneplacito Nationis Germanicæ* statuit, & ordinavit, ac decrevit, quod deinceps in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis *Nationis Germanicæ* ejusdem *sexta pars Canonicatuum*, & *Præbendarum sit pro Doctoribus, aut Licentiatis in sacra pagina, vel altero jurium, vel in Theologia Baccalaureis formatis, aut Magistris in Medicina*, qui per biennium, seu *Magistris in artibus*, qui per quinquennium post Magisterium in Theologia, aut altero jurium studuerunt in studio generali.

Sic videlicet, quod ubicunque non fuerit saltem *sexta pars Canonicorum Præbendatorum*, in Metropolitana, vel Cathedrali Ecclesia, taliter *graduatorum*, ibi quæcunque deinceps Canonicatus, & Præbendæ vacaverint, quacunque etiam Apostolica, vel alia auctoritate, *non nisi taliter graduatis conferantur*, quousque dicta *sexta pars* compleatur *taliter graduatis*. Si tamen *infra mensem* a tempore vacationis hujusmodi Canonicatus, & Præbendæ numerandum, repertus fuerit taliter *graduatus*, & *alias idoneus*, qui per se, vel per Procuratorem voluerit acceptare.

Quod postmodum continuetur, ut ad minimum dictus *numerus sextæ partis Canonicorum*, taliter, ut præmittitur, *graduatorum*, in ipsis Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis habeatur.

Ubi autem soli consueverunt *Illustres*, aut de *Comitum*, vel *Baronum* genere, vel ex utroque genere militares in Canonicos admitti: taliter graduati, qui acceptare voluerint, si taliter *Nobiles*, ut præmittitur, fuerint in illis Ecclesiis, cæteris etiam nobilibus saltem usque ad dictum numerum præferantur.

Item quod in aliis Collegiatis Ecclesiis *ejusdem* Nationis, similiter *sexta pars Canonicatuum*, & Præbendarum deinceps modo præmisso conferatur, sic ut præmittitur, graduatis, aut saltem in Medicina, aut in artibus Magistris, vel Licentiatis, aut in Theologia, vel in altero jurium Baccalaureis examinatis per rigorem cum limitatione, modo & ordine supradictis.

Item quod *Parochiales Ecclesiæ* habentes communi æstimatione, quæ secundum famam publicam attendatur, *duo millia communicantium*, vel plures, deinceps non conferantur, etiam Apostolica vel quacunque alia authoritate, nisi *Doctoribus vel Licentiatis in sacra pagina*, vel Jure Canonico vel Civili, & Baccalaureis in Theologia formatis. Si tamen *infra mensem* a tempore vacationis numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per se, vel per Procuratorem voluerit acceptare.

Decernendo irritum & inane, si secus in præmissis, tam circa Canonicatus & Præbendas, quam Parochiales Ecclesias, vel eorum aliquod, a quoquam quavis etiam auctoritate Apostolica, fuerit acceptatum.

Salvis semper *laudabilibus consuetudinibus & Statutis Ecclesiarum*, quæ præmissis non adversantur. In contrarium autem facientibus non obstantibus quibuscunque.

Item quatenus prædicta Constitutio, seu Ordinatio, pluribus prosit, & *humanæ ambitioni frenum imponatur*, ordinat, statuit, & decernit idem Dominus noster Papa, quod vigore præsentis Constitutionis, seu Ordinationis, nemo *Graduatorum possit ultra unum Beneficium Ecclesiasticum adipisci.*

Item vult, quod in pari data ad eandem collationem *graduatus non graduato præferatur*. Prærogativis & diligentia non obstantibus quibuscunque.

Item quod *Vicariæ* ad certa Chori officia in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis deputatæ, non conferantur etiam Apostolica auctoritate, nisi talibus, qui hujusmodi Beneficia cantando, legendo, & alias sciverint & poterint personaliter adimplere.

CAPUT III.
De Annatis.

De Ecclesiis & Monasteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, solventur pro fructibus primi anni a die vacationis *summæ pecuniarum* in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, *quæ communia servitia* nuncupantur.

Si quæ vero *excessive taxatæ* sunt, juste retaxentur, & provideatur specialiter *in gravatis regionibus*, secundum qualitatem rerum, temporum & *regionum*, *ne nimium prægraventur.* Ad quod dabuntur *Commissarii*, qui diligenter inquirant & retaxent.

Taxæ autem prædictæ *pro media parte infra annum* a die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solventur: Et *pro media parte alia infra sequentem annum.*

Et si *infra annum* bis vel pluries *vacaverit*, semel tantum solvetur.

Nec debitum hujusmodi *in Successorem* in Ecclesia vel Monasterio *transeat.*

De cæteris autem Dignitatibus, Personatibus, Officiis secularibus & regularibus quibuscumque, quæ auctoritate Sedis Apostolicæ conferentur, vel providebitur de eisdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis, solvatur *annata* seu *medii fructus* juxta taxam solitam tempore unionis infra annum. *Et debitum* hujusmodi *in successorem* in Beneficio *non transeat.*

De Beneficiis vero, quæ valorem XXIV. florenorum de Camera non excedunt, nihil solvatur.

Debitis omnibus præteriti temporis, usque ad Assumptionem Domini nostri communium servitiorum & annatarum, *pro medietate relaxatis* solventibus aliam medietatem infra sex menses a die publicationis.

CAPUT IV.
De causis tractandis in Romana Curia, nec ne.

Sanctissimus Dominus noster Papa MARTINUS V. statuit & ordinat, quod nullæ causæ in Romana Curia committantur, nisi *quæ de jure* & natura causæ in Romana Curia tractari debebunt.

Et quod causæ, *quæ ad forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine non pertinent*, per Romanam Curiam etiam prætextu crucesignationis laicorum, extra tempus Passagii generalis, *non recipiantur*, de illis cognoscendo in Curia, vel extra committendo, nisi de consensu partium.

Quæ vero ad forum Ecclesiasticum pertinent, & *de jure* sunt per appellationem, aut alias ad Romanam Curiam *devolutæ*, ac de sui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea. *Cæteræ committantur in partibus.*

Nisi forsan pro causæ & personarum qualitate, in commissione exprimenda, illas tractare in curia expediret, pro justitia consequenda, vel de partium consensu, in curia tractentur.

CAPUT V.
De Commendis.

Ordinat Dominus noster Papa, quod inposterum Monasteria, aut magni Prioratus Conventuales, habentes hiis temporibus ultra decem Religiosos, & officia claustralia, dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, sive Ecclesiæ Parochiales, *nulli Prælato etiam Cardinali dentur in commendam.*

Datæ autem & dati, quamprimum *Commendatariis* loco illorum de æquivalenti providebitur, post pacificam possessionem adeptam, illas dimittant.

Una etiam Ecclesia Metropolitana uni Cardinali vel Patriarchæ concedi poterit, provisionem illam sufficientiorem non habenti.

CAPUT VI.
De Simonia in foro conscientiæ providetur, ut sequitur.

Ut autem, considerata *malitia* aliquorum *temporum proxime præteritorum*, quibus *labes Simoniaca* tam *in Ordinibus*, quam *in Beneficiis Ecclesiasticis* tunc conferendis & percipiendis, ac religionibus ingrediendis, fuit heu *nimium frequentata*, *læsis* in hoc *conscientiis*, ad puriorem administrationem & perceptionem Sacramentorum, salubriter *consulatur*: Omnibus & singulis Patriarchis, Archi Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, cæterisque Prælatis, nec non Clericis ac per-

personis Ecclesiasticis, Religiosis & sæcularibus utriusque *sexus*, ut quælibet earum infra tres menses post publicationem aut insinuationem præsentium, sibi aut in Diœcesi, ubi domicilium habuerit, factam, aliquem *in sacra pagina, vel in Jure Canonico Doctorem, aut Licentiatum, vel Baccalaureum formatum*, ubi talis commode poterit reperiri, vel ubi talis non reperitur, *Lectorem*, seu alias *intelligentem Sacerdotem discretum ac bonæ famæ*, curatum, vel non curatum, *eligere* valeat *Confessorem*, qui infra prædictum tempus, quantocius commode fieri poterit, ejus confessione audita, ipsam personam confitentem a suis peccatis, & a quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, & pœnis, quas forsan *propter Simoniam* in Ordine vel Beneficio Ecclesiastico, Religionis ingressu, aut alias qualitercunque, *active vel passive commissam*, usque ad tempus publicationis prædictæ dignoscitur incurrisse, *in foro conscientiæ* duntaxat *absolvere*, nec non secum super irregularitate, super eo, quod hujusmodi sententiis, aut earum aliqua ligata forsan Missas, vel alia Divina Officia celebrasse, aut se illis immiscuisse censebitur, usque ad tempus prædictum contracta, ipsaque propter præmissa, aut eorum aliquod a suorum ordinis vel officii executione suspensa, quod in illis nihilominus ministrare, illa exercere, beneficia adepta, vel statum, in quo est, retinere, & ad ulteriora promoveri possit, in dicto foro valeat *dispensare*, ac eidem Beneficia, quæ obtinet, ob hoc forsitan vacantia, vel vacatura, si & postquam dimiserit, *reconferre*, omnemque inhabilitatis, irregularitatis, nec non infamiæ maculam sive notam, atque aliam labem, per eum occasione prædicta usque ad tempus prædictum contractam, in eodem foro totaliter *abolere*, fructus quoque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quos indebite percepit, & quos percipere potuisset, aut quidquid occasione prædicta fuerit refundendum, dummodo persona ipsa ad refusionem faciendam, deducto, ne egeat in statu, in quo nunc fuerit, aut alias absque nota vel scandalo sufficiens non fuerit, in dicto foro *remittere*, ac eam de his *quitare & liberare*, tenore præsentium misericorditer *indulgemus*: Constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque.

CAPUT VII.

De non vitandis excommunicatis, antequam per Judicem fuerint declarati & denuntiati.

Insuper ad vitanda scandala & multa pericula, *subveniendumque conscientiis timoratis*, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer *indulgemus*, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, ac interdictum Ecclesiasticum observare: nisi sententia vel *censura* hujusmodi fuerit in vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, aut locum certum, vel certa *a Judice publicata* vel *denuntiata* specialiter & expresse.

Constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque.

Salvo si quem pro sacrilegio & manuum injectione in Clerum, sententiam latam in Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta Canonicas sanctiones.

CAPUT VIII.

De Dispensationibus.

Ordinat etiam Dominus noster ad Ecclesias Cathedrales, Monasteria, Prioratus, Conventuales & Parochiales Ecclesias, *super defectum ætatis ultra triennium nullatenus dispensare.* Nisi forte in Ecclesiis Cathedralibus ex ardua & evidenti causa, de consilio Cardinalium, seu majoris partis illorum videretur aliter dispensandum.

CAPUT IX.

De provisione Papæ & Cardinalium.

Romano Pontifici & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus *pro illorum sustentatione*, rebus Romanæ Ecclesiæ stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam hucusque factum est, scilicet *per Beneficia, & communia servitia*, quæ *vacantia* nuncupantur.

Verum circa Beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod *nulli Cardinali* Monasterium, Prioratus Conventuales, ultra numerum decem Religiosorum secundum moderna tempora habere consueti, nulla major dignitas post Pontificalem in Cathedralibus, aut Parochiales Ecclesiæ, nullum officium claustrale, nullum Xenodochium, Hospitale, Eleemosynaria, seu Leprosaria, *in titulum vel administrationem conferantur.* Et si quæ talia obtinet, quamprimum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneatur, sicut superius de Commendis est dictum.

Proviso, quod Cardinalis de proventibus Ecclesiasticis non habeat ultra valorem sex millium florenorum.

CAPUT X.

De Indulgentiis.

Cavebit Dominus noster Papa *in futurum* nimiam Indulgentiarum effusionem, ne vilescant. Et *in præteritum* concessas ab obitu GREGORII XI. *adinstar alterius Indulgentiæ*, revocat & annullat.

CAPUT XI.

De horum Concordatorum Papæ Martini V. & Nationis Germanicæ valore.

Item Sanctissimus Dominus noster *Papa, & inclyta Natio Germanorum consenserunt & protestati sunt*, quod omnia & singula supradicta *durare & tolerari debeant usque ad quinquennium duntaxat*, a data præsentium numerandum: Constitutionibus Apostolicis, *Regulis Cancellariæ* factis & fiendis, & aliis in contrarium facientibus, *non obstantibus*, quibuscunque. Quodque per observantiam illorum *nullum jus novum Romano Pontifici*, aut alicui alteri Ecclesiæ vel personæ *acquiratur*, seu præjudicium generetur.

Sed *lapso dicto quinquennio* quælibet Ecclesia & persona prædicta *liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo*, non obstantibus supradictis.

Et quod Capitula prædicta, & quodlibet eorum, *dentur* cuilibet ea habere volenti, communiter seu divisim, *in autentica forma sub Sigillo Domini Vice Cancellarii*, cum subscriptione Notarii. Sic quod fidem faciant, exhibita ubicunque.

Pro toto autem non solvantur, ultra duodecim grossi Turonenses.

Von der Hardt Concilii Constantiensis Tomo I. a pag. 1055. *& cæteris.*

Ex MSS. codicibus Cæsareo Vindobonensi & Ducatibus Brunswicensibus.

Anno 1418. VII. Kal. Februarias Martinus V. Sigismundo Regi Diploma concessit, decimas integras unius anni omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum in tota Germania sub Imperio Romano consistentium, percipiendi.

Horum Concordatorum Exemplar directum ad Abbatem & Conventum in Selse, Ordinis S. Benedicti, Argentinensis Diœceseos, conscriptorum & publicatorum 2da Maji anno primo Martini, adeoque anno 1418. *edit* Cl. Senckenbergerus, *Imperialis Judicii Aulici Consiliarius*, Tomo I. Recessuum Imperii *edito Francofurti anno* 1747. *typo Ernesti Augusti Koch* pag. 111. & seqq. *quæ editio non tantum accurata & conformis* Hardtii & Leibnitii *editione, sed utraque emendatior, & verosimiliter originali conformior, quod paucis evidenter demonstratur, nam primo non habet subdivisiones ab utroque additas, nullum pæne habet comma, sicut tum temporis moris erat: pauca hinc & inde puncta. Commata, parentheses, duo puncta &c. sunt* additamenta Cl. Leibnitii & Hardtii, *non originalium Literarum Sæculi XV. initio exaratarum: Certe meum, quod infra anno* 1447. *producam ex* Archæo Electorali coævo *productum, simili simplicitate scriptum, ætatem suam ostendit. Tertio nullum* æ, *sed simplici* e *scribitur:* que Ecclesie nostre *&c. Quarto vix nullum* t, *sed ejus loco* c, *ubique v.* g. di-

g. diſpenſacio, eleccio, gracia, audiencia, inſtancia &c. *ubi cæteri t ſubſtituunt ex ſua ætate. Videtur Cl. Vir originale Argentinenſe ipſe aut ejus deſcriptor præ oculis habuiſſe.*

MARTINI V. PP. Confirmatio omnium per Concilium Conſtantienſe in materiis Fidei Decretorum, & Concilianter factorum, & non aliter : edita occaſione damnationis errorum JOANNIS FALCKEMBERGII, quæ per Oratores Regis Poloniæ magno clamore poſtulabatur Seſſione ultima hujus Concilii anno 1418. die 22. Aprilis.

EN OCCASIONEM, EN FRUCTUM.

JOANNES DE FALCKEMBERGA, oppido hujus nominis in Diœceſi Caminenſi, ſubjecto Dominis Equitibus Boruſſicis B. M. V. Ordinis Teutonici : Hic cum Ordini Prædicatorum nomen dediſſet, vixit tempore ſchismatis trium Pontificum, & inter eos Gregorio XII. adhæſit, quod ſchisma magnum etiam Ordines Regularium turbavit, adeo ut inter unius familiæ v. g. Prædicatoriæ Alumnos, alii Alexandro V. alii Gregorio XII. alii Joanni XXIII. adhærerent. Hinc, cum Joannes in Concilio Conſtantienſi præſens, Leonardum de Datis Ordinis ſui Magiſtrum Generalem agnoſcere recuſavit, eo quod alteri obedientiæ addictus eſſet: in hujus obſtinationis pœnam a Comitiis totius Ordinis Argentinæ anno MCCCCXVII. VI. Junii celebratis, ad perpetuum carcerem damnatus fuit.

Eodem tempore fervebat in Concilio Conſtantienſi cauſa IX. Propoſitionum *Joannis Parvi*, Theologi Pariſini Ducis Burgundiæ, quas non cenſebat ut hæreticas damnandas. Scripto hoc Libello & Concilio oblato: " Tres Tractatuli dati judicialiter in " Concilio Conſtantienſi circa novem aſſer- " tiones Joannis Parvi Sacræ Facultatis Pa- " riſienſis a Joanne Gerſonio Cancellario " Eccleſiæ Pariſienſis denuntiatas , ſcripti " per Magiſtrum Joannem de Falckenbergi- " ca, Ord. Prædicatorum, Sacræ Theolo- " giæ Profeſſorem.

Recuſus inter opera *Gerſoni* Antverpiæ impreſſa anno 1706. *in appendice Tomi V. a columna* 1013. *ad columnam* 1032. quos libellos ſi ſolos ſcripſiſſet, nihil mali paſſus fuiſſet: etſi enim has Parvi aſſertiones fere Magiſtri omnes reprobas habuerint, quamplures tamen ab hæreſis cenſura eximendas cenſuerunt.

Verum lis inter Regem Poloniæ & Equites Teutonicos ultimam ei perniciem attulit.

Eccum titulum Libelli pro Equitibus contra Poloniam ſcripti : " Libellus in gratiam " Dominorum ſuorum Equitum Crucigero- " rum editus, ſed multo pipere ſeu potius " felle conditus adverſus Vladislaum ſive Ja- " gelonem, qui ex Duce Lituaniæ tum infi- " deli & idololatra electus Rex Poloniæ, " Chriſtianam Religionem amplexus erat, " & cum ſuis Polonis ac Lituanis Equites " dictos Cruciferos multis cladibus affecerat, " ac pæne profligârat. *Initium Libri :* Uni- " verſis Regibus & Principibus, cæteriſque " Prælatis ſive Eccleſiaſticis, ſive ſæculari- " bus, & generaliter omnibus, qui Chri- " ſtiani nominis meruerunt inſigniri titulo. &c. . . *Finis* : Quatenus pro exterminio " Polonorum, & eorum Regis Jagyel valeant " vitam capeſſere æternam.

Scilicet, *pergunt dicti PP.*, cum Sigismundus Cæſar ex ſententia Concilii Conſtantienſis Lutetiam progreſſus eſſet cum rege Carolo VI. de ſchismate extinguendo collaturus, Nicolaus, Gneſnenſis Archi-Epiſcopus, comes ei adjunctus, qua erat magnificentia, Doctores omnes Academiæ Pariſienſis ſplendido convivio excepit XVII. Januarii anno MCCCCXVII. & inter prandendum hic Libellus ipſi fuit ab uno e Magiſtris oblatus, de quo antea nil audierat.

Offenſus eo libello graviſſime , ubi Conſtantiam rediit, cum Legatis Polonis ad Patres conqueſtus eſt diebus VIII, IX, X. Februarii ſequentis, obtinuitque ut Falckenbergius in carcerem detruderetur. Diebus XI, XII, XIII. ejuſdem menſis frequenter congregatæ Nationes cum Cardinalibus Commiſſarios delegarunt, qui Libellum & Auctorem examinarent, & ad Synodum referrent. Commiſſarii delegati II. Non. Junii anno MCCCCXVII. hanc ſententiam tulerunt:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

NUper oblato Nobis coram Commissariis nostris in causa Fidei quodam Tractatulo a F. Joanne Falckemberg, Ord. Prædicatorum, composito &c. *Finis:* Committens Commissariis prædictis, quatenus dicto F. Joanni dicti tractatuli seu libelli, ut præmittitur: Compositori, tanquam humiliter se subjicienti eisdem, ut cum eodem propter humilem subjectionem præmissam misericorditer agentes, pœnitentiam salutarem imponant, prout secundum Deum, juxta delicti qualitatem, attentis etiam his, quæ secundum sacram Scripturam, & sacros Canones in hujusmodi negotio attendenda viderint, & censuram ipsam in toto expediant sine ulteriori relatione ad ipsum Concilium amplius facienda. Provideantque in præmissis, ut salvetur debita reverentia Catholicæ Fidei, & honor Regis, & Regni Poloniæ, quod constat esse nobile membrum Ecclesiæ militantis, prout secundum Deum viderint expedire. Datum *Constantiæ* anno Incarnat. Dom. MCCCCXVII. secundo Nonas Junii.

Legati Poloni XXII. Aprilis anno MCCCCXVIII. *in ultima Sessione Generali publica* vehementius instıtere, ut Libellus jam per Judices delegatos prædamnatus totius Concilii & Papæ sententia damnaretur tanquam continens doctrinam hæreticam, erroneam in fide. *Sed frustra:* Martinus V. silentio omnibus imposito dixit, " quod omnia per Concilium in materiis Fidei decreta, & conciliariter facta, approbabat, & non aliter, nec alio modo. " Protestatione & appellatione Polonorum frustra iteratis.

Qualis sententia Joanni fuerit imposita, qualiter & ubi vitam finiverit, ipsi Scriptores nesciunt, varia referunt, nihil ad nos.

CONVENTUS IN NORIMBERGA
Anno Christi MCCCCX. Alexandri V. Papæ I. Ruperti Reg. X.

ALBERTUS, Babebergensis Episcopus, & FRIDERICUS, Eistettensis Episc., communis Colloquii gratia Norimbergam convenerunt, & laborantis Ecclesiæ labes (*ob schisma trium, Papatum sibi arrogantium*) diligenter discusserunt. Ibi Benedicto XIII. & Alexandro V. rejectis, Gregorium XII, ut verum & Catholicum Episcopum approbarunt, & se in ejus obedientia perstituros esse professi sunt, donec ex Concilii Generalis auctoritate schisma penitus tolleretur.

Hoffmannus L. V. Annal. Bambergensium edente Ludewigio Tomo I. Scriptor. Bamberg.

SYNODUS PRAGENSIS
RAUDNITZII CELEBRATA
Anno Christi MCCCCXIII. Joannis XXIII. Papæ IV. Sigismundi Reg. Rom. IV.

HOc anno, die 29. Augusti CONRADUS Westphalus, Raudnitzii, ditione ad Archi-Episcopatum pertinente, Synodum universi Cleri sui celebravit, cujus articuli nil nisi sanum & Catholicum continebant.

Hos articulos ex manuscripto codice habuit Balbinus, uti testatur, in Epitome rerum Boem. L. IV. C. VI. pag. 423.

Ex communicatis Literis à D. Dachowsky, Archi-Episcopi Pragensis Archivario, anno 1762. 30. Martii transmissis, descripsi istam mentionem hujus Synodi.

WOR-

WORMATIENSIS SYNODUS

Anno Christi MCCCCXIV. Joannis XXIII. Papæ V. Sigismundi Reg. rom. V.

JOANNES DE FLECKENSTEIN (*a*) *in Synodo* Feria IV. post Bartholomæi anno Millesimo quadringentesimo decimo quarto, præcepit, ut Festum Visitationis Beatæ MARIÆ Virginis DEI Genitricis celebraretur in civitate Wormatiensi, & in tota Diœcesi sua.

II. Quod Festum Sanctæ Trinitatis servaretur in Dominica die, in octava Pentecostes. (*b*)

III. Multas lites & abusus laudabili consilio tollit, religionis cultum auget, numerosa Synodo collecta. (*c*)

(*a*) Joannes de Fleckenstein fuit Episcopus Wormatiæ Ordine XLV. Sedit annis XVI. Obiit A. 1426. 8. Maji, sepultus in majori Ecclesia ante summum Altare.

(*b*) *Hactenus Chronicon Wormatiense, scriptum a Kirschgartensi Monacho, edente Ludewigio Tomo II. Reliquiæ MSS. pag.* 153.

(*c*) *Hæc addit Clmus Schannatus Historiæ Wormatiensis Tomo I. pag.* 410. *nec plura supersunt.*

SYNODUS VARMIENSIS

Anno Christi MCCCCXV. Sede Apostol. vacante. Sigismundi Reg. rom. VI.

SUB JOANNE III. EPISCOPO VARMIENSI, *20. Febr. contra Wicleffitas celebrata.*

HUic Synodo cæteri, qui in Prussia sunt Episcopi, interfuere. Circuitus cum aqua lustrali per domos statutus fuit, eo tempore, quo nefaria Wicleffitarum hæresis in has oras irrupit, & mala multa causavit. Nam plurimi, qui huic sectæ nomen dabant, a recto veræ Fidei tramite recedentes, Ecclesias non frequentabant, Sacramenta irridebant, & contemnebant, seque in popinis liquoribus ingurgitabant : a Dœmoniis vexati mirum in modum cruciabantur, ut in rabiem & insaniam versi, more canum per plateas discurrerent: alii in ignem insilientes cremabantur, alii in flumina & puteos se præcipites dabant, & suffocabantur : qui verò aquam lustralem adhibuerant, a periculo omni illæsi servabantur, unde fiebat, ut salis & aquæ exorcisatæ usus frequentior haberetur.

Hæc mentio extat in Synodo Varmiensi, anno 1726. Heisbergæ celebrata ab Illustrissimo Christophoro SZEMBECHO Episcopo Varmiensi & Pomesaniensi, impressa Brunsbergæ anno 1726. pag. 64.

SYNODUS TORNACENSIS

A. C. MCCCCXVI. SEDE ROM. VACANTE. SIGISMUNDI R. VII.

SUB JOANNE EPISC.

Ejus Mentio duntaxat superest.

UT JOANNES DE THOYSI, (*a*) Episcopus Tornacensis, in meliorem statum post bella, famem, pestilentias, Diœcesin reduceret; Synodum Diœcesanam congregavit Tornaci anno MCCCCXVI, cujus acta repetuntur anno MCCCCLXXXI, ubi Synodum referemus infra.

Summa Statutorum Synodalium Tornacensis Ecclesiæ, una cum Synopsi vitæ Episcoporum edita a D. La Groux, Pastore Ecclesiæ La marque en Baroeul insulis anno 1726. in 8vo.

(*a*) Sedit ab anno 1413. ad 1433.

CON-

CONCILIUM WRATISLAVIENSE

Anno Chrifti MCCCCXVI. Romana Sede vacante. Sigismundi Rom. Reg. VII.

Conftitutiones Domini WENCESLAI, (a) Epifcopi Wratislavienfis.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS, AMEN.

WENCESLAUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS. UNIVERSIS ET SINGULIS PRESBYTERIS ET CLERICIS NOSTRE DYOCESIS, SALUTEM IN EO, QUI EST OMNIUM VERA PAX ET SALUS.

SUper gregem Dominicum Divinitus Nobis creditum, & in partem follicitudinis vocati, fpeculatoris officium in vinea Nobis commiffa exercentes, ad univerfas noftre Diocefis Ecclefias aciem noftre confiderationis extendimus, & congrua provifionis remedia fingulis defectibus, quanto Nobis ex alto commiffum eft, intendimus adhibere.

§. I.

Et quamvis deceat quofque fubditos curam folertem gerere: ut ambulent velut filii lucis; hoc tamen precipue ab illis videlicet Ecclefiarum Rectoribus, & Prelatis, & Clericis, qui conftituti per altitudinem regiminis & officii in fpecula quafi fignum pofiti funt ad fagittam, exigitur, & circa commiffos fibi Plebanos, Paftoris fimiliter & Cuftodum officium implentes, fic invigilent; ut vita, doctrina, & moribus alios ad bene vivendum fuo exemplo provocent & inducant. Sane, quia non eft ambiguum, illud effe fceleratius commiffum, quod eft gravius punitum. Cumque vicium incontinentie Divine Majeftatis oculis fit deteftabile; ut etiam totum orbem ab illo vicio expurgandum, catharactas celi folvendo, omnem carnem, paucis exceptis, aquis diluvii delevit pro nulloque crimine dixit, quam pro illo: *penitet* (b) *me* feciffe hominem; illud etiam vitium per penarum exaggerationem de finibus noftre Diecefis, & prefertim a Filiis Levi, ut facrificium illud incontaminatum puro corde, & cafto corpore acceptabiliter offerant, propellere: & eos, qui quafi aurum & argentum colare volentes prefentis *Synodi* ac etiam Nobis a future, indulti auctoritate non novam rem aggredientes: neque viam infolitam ambulantes: fed anteriorum jurium, & *Conftitutionum Provincialium*, quarum nonnulle propter earum vetuftatem in oblivionem date funt & tradite, alique vero per abufum abrogate nec recepte, calcatam, veftigiis inherentes: ftatuimus & ftatuendo mandamus, quatenus nullus Presbyter, Dyaconus, Subdyaconus, cujuscumque gradus, vel conditionis exiftant, noftre Diocefis, concubinam feu focariam, vel alias mulieres fufpectas, in domo fua, vel aliena teneat: & ei victualia miniftret, feu miniftrare faciat. Alioquin omnes tales tenentur, & privantur pena privationis quarte partis reddituum Beneficiorum fuorum, quam incurrere volumus ipfo facto. Confidimus enim, quod fpiritualis pena excommunicationis, & fufpenfionis talibus a jure infligenda quevis, quam temporalis, quamvis periculofior formidatur in temporalem commutata: fubditorum mutabuntur & mo-

(a) Wenceslaus, Dux Ligniacenfis, ex Cathedra Lebufiana translatus fuit a Papa ad Cathedram Wratislavienfem, Epifcopus XXVIII.; refignat Epifcopatum ad manus Papæ Martini V. anno 1417. 11. Novemb. electi Conftantiæ. Obiit eodem anno 1417.

(b) Genefis VI, 7.

mores: & quia necesse est, ut ferro abscindantur vulnera: que fomentorum non sentiunt medicinam; adjicimus presentis constitutionis vigorem. Quod si quis Clericus post ipsius Constitutionis publicationem concubinam tenere presumpserit, penam carceris seu carceralem ad tempus per Nos, vel Officiales nostros moderandum incurrere volumus, ipse juris penitentiam singulis feriis sextis in pane & aqua: feriis quartis & sabbatinis in pane & cervisia, ut corpore, quo deliquit, puniatur, peracturus; quousque ad cor reversus, se a commissis castigatione condigna maceratus duxerit cohibendum. *Item* cum in officiis charitatis illis primo loco simus obnoxii, a quibus Nos constat charitatis beneficia percepisse, nonnulli hec minime perpendentes, contra debitum ordinem charitatis anime sue potius detrimentum, quam testamentum facientes, & ut eorum vite enormis, apud quos conversati sunt, etiam post mortem jugis maneat memoria: & odor male fame diutius corda fidelium inficiat, concubinis suis & focariis tam magnas faciunt legationes & testamenta, de tot & tantis rebus, & annuis redditibus assignationes & donationes, que etiam valde insignibus nobilibus, & illustribus viderentur pro dote sufficere, Ecclesias, quarum intuitu bona acquisierunt, in testamentis suis damnabiliter pretereuntes; Nos, premissis congruam volentes adhibere medelam, statuimus & statuendo mandamus; quatenus nullus Ecclesiarum Parrochialium Rector, vel alius Clericus, quicunque administrationem habens, de bonis, maxime intuitu Beneficiorum suorum acquisitis, aliquod testamentum, legationem, assignationem, seu donationem, concubinis suis, seu focariis, vel aliis suspectis personis, & laicis, in vita, vel in morte faciat: sed secundum juris communis dispositionem eadem bona sua Successoribus suis dimittant, vel Ecclesiis pro earum reparatione, seu librorum, vel aliarum rerum ad Divinum cultum comparatione relinquant, & disponent. Et quia juxta Canonicas, & legitimas sanxiones pactum turpe, & rei turpis nulla est obligatio; omnes donationes, testamenta & legationes prædictis personis, & promissiones de his faciendum facte, irritamus, annullamus, & cassamus. Imo verius irritas, cassas, & nullas nuntiamus: non obstantibus quibuscumque concessionibus & indultis, ac literis testandi sub quacumque forma verborum a Nobis concessis, per que huic nostro Statuto nullum volumus prejudicium generare. Per hoc non negamus, quin Christi pauperibus, amicis suis, & servitoribus: seu in alios pios usus donationem de rebus suis predictis facere possint, tamen moderatam.

§. II. *De Tabernariis.*

Item statuimus, & mandamus, hortamurque per viscera misericordie Jesu Christi, quatenus omnes Clerici a tabernarum visitatione, a crapula & ebrietate, que mentis inducit exilium, & libidinis provocat incentivum, abstineant. Conviviaque & commessationes in eorum convocationibus, & animarum commemorationibus (quas *stipas* vocant) non faciant: cantilenas mundanas, turpes, & scurrilia turpiloquia (sicut decet Sanctos) non proferant, neque cantent: linguas suas & ora, quibus incontaminata Christi mysteria conficiunt, & premunt, omni mendacio & perjurio presertim exclusis, munda conservent, secularibusque negotiis se non misceant: per decentiamque habitus extrinsecam moris honestatem intrinsecam ostendant. Statuendo mandamus, quatenus nullus Clericorum vestes & habitum tam formæ quam coloris sacris Canonibus (presertim per constitutionem CLEMENTIS V. *de vita & honestate Clericorum*) prohibitos, nec non mitras ante vel retro veluti cornua curvatas portent, seu deferant. Alioquin ultra penas a *jure communi* statutas contra facientes, & presertim tabernas absque itineris necessitate visitantes; pena Synodali, videlicet *trium marcarum argenti* decernimus presentis constitutione vigoris ipso facto mulctatos.

§. III. *De Eucharistie expositione.*

Item quamvis retroactis temporibus, nonnullis personis, tam secularibus quam regularibus, & certis locis spe augmentande devotionis a Nobis sit indultum, ut aliquibus diebus in septima-

na illud vivificum, & ſalutiferum hereditatis eterne pignus noſtrum certiſſimum, Corporis Domini noſtri JESU CHRISTI Sacramentum viſibiliter exponi, & publice poſſit demonſtrari; ex qua frequenti expoſitione (ut percepimus) excreſcit indevotio multorum, minoratur reverentia, tepeſcit charitas, & ut locorum vicinorum pericula edocent, ex ea hereſes inſurgere, & pullulare formidamus: & quia quod ad ſalutem pie indulſimus, cum ad noxam tendere perſpicimus, conſultius revocamus. Cumque etiam Sanctorum Patrum ſanxit authoritas, quod iſtud Sacratiſſimum Sacramentum poſt Miſſarum ſolemnia, niſi pro uſu infirmorum & decedentium, reſervari non debet: ne veluti (quod in figura, quin Deus de celo manna pluit in deſerto Patribus) ſpecies hujus Sacramenti in alterum diem reſervate putrifiant ſeu putreſcant, mandamus igitur ſtatuendum. Quod nullus in antea Clericorum ſecularium ſive regularium ſub obteſtatione Divini judicii iſtud veneratiſſimum Sacramentum Miſſarum ſolemniis expletis (Feſto Corporis Domini noſtri JESU CHRISTI: & ſi ejuſdem Sacramenti ſingularis fiat memoria, excepto) exponere, demonſtrare, & reſervare quam ad uſum infirmorum preſumat: propter penam rebellionis, & contemptum noſtri mandati, quam ſe noverit incurſurum, pene Synodali contra facientes, totiens quotiens contra premiſſa preſumptum fuerit, ſubjacere volumus ipſo facto. Non negamus tamen, quin ipſi Clerici, qui ſingularem eidem vivifico Sacramento reverentiam exhibere volunt: Miſſam ipſo Sacramento non expoſito publice, nec denudato celebrare poterint & decantare.

§. IV. *De Collatione Sacramentorum in communi.*

Item multorum oculos ſic avaricie vicium execavit, ut Divino timore poſtpoſito, Chriſti-Fideles nec Sacramenta Corporis Chriſti: nec Unctionis extreme procurare, & eis conferre, nec baptizare: nec matrimonialiter copulare volunt, niſi prius certis denariis preſentatis vel datis. Et quia tales ementes, & vendentes exemplo Salvatoris merito de Templo Dei ejiciuntur. Mandamus omnibus & ſingulis Presbyteris, Curatis, & non Curatis, ut in antea talia non attentent. Statuentes ſub *pena privationis Beneficii*, quatinus nihil pro collatione Sacramentorum (pretextu etiam cujusvis conſuetudinis) exigant. Sed ipſa Sacramenta ſine pacto, & quavis exactione gratis porrigant & conferant. Volumus tamen, quod ubi pia fidelium devotione & introductione, quod Sacramenta miniſtrantibus aliquid conſuevit dari, quod hujusmodi conſuetudinis contemptores, & violatores per Nos ex mero Officio, vel Officiales noſtros ad eandem ſervandum compellandos Nobis vel eis denuntient, & ad noſtram, vel eorum notitiam perducant.

§. V. *De Clericis peregrinis.*

Item ſtatuimus, quo nullus Eccleſiarum Rector Clericos peregrinos, & extraneos in ſua Eccleſia ad celebrandum, vel aliud officium exercendum Clericale, niſi viſis litteris noſtris receptoriis, ſub pena Synodi admittat.

§. VI. *De Sacramento conſervando.*

Item dolenter referimus, quod nuper ignis voragine duabus Eccleſiis noſtre Diéceſis conſumptis, eoque Sacraria, in quibus Sacramenta conſervantur, lignea fuerunt, incendio totaliter ſunt conſumpta & incinerata. Ne igitur propter noſtram incuriam Divina ultio in Nos gravius exardeſcat. Mandamus, hortantes, quatenus Plebani, ceterique Eccleſiarum Rectores, & earum vitrici [a] Sacraria, in quibus Sacramenta conſervari debent, de lapidibus, ſeu lateribus conſtruant, & conſervari faciant. Diſtricte precipientes ſub *pena Synodali*, quatenus Corpus Chriſti vivificum una cum aliis Sacramentis, Unctionem in loco ſingulari mundo, & ſignato ſeris adhibitis juxta *Generalis Concilii Decreta*, ne ad ea temeraria manus poſſit extendi ad aliqua nefaria & horrenda exercenda, reſervent & cuſtodiant. Ne oſſa Regis Ydumee redigantur in cinerem. Et quia ipſe Salvator noſter redemptionis miniſterio expleto: corpus ſuum mortuum, & pro Nobis in ara crucis arefactum in ſepulchro petra exciſo ſigillis munito voluit recondi & reſervari: Multo plus Sacramentum Corporis ſui jam in celo regnantis & immortalis,

[a] *forte:* Vicarii.

talis, in quo Sacramento nobiscum manere voluit etiam corporaliter usque ad consummationem seculi: ne incineretur & corrumpatur, majori diligentia & custodia reverenterque conservari debet & custodiri. Sed quia ad id forte nonnullorum Ecclesiarum perficiendum non suppetunt facultates: ideo omnibus, qui ad ipsa Sacraria manus porrexerunt construenda adjutrices, *quadraginta dierum indulgentias*, auctoritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum Petri & Pauli confisi in Domino misericorditer elargimur.

§. VII. *Accentus & cantus sit idem cum Ecclesia Cathedrali.*

Item, quia non licet membra a capite recedere, & turpis sit pars, que suo non congruit universo, convenitque juxta sacrorum Canonum decreta Ecclesie ordinem ab omnibus equaliter custodiri; sub debita obedientia *& pena Synodali*, districte precipiendo mandamus statuendo, quatinus omnes & singuli Clerici Beneficiati nostre Diocesis, & presertim Ecclesiarum Parrochialium Rectores, nec non & Collegiate Ecclesie in Divinis Officiis & Missarum celebrationibus, inchoationibus, & conclusionibus collectarum, in accentibus Epistolarum & Evangeliorum, & notis prefationum eundem ordinem, & ritum & morem, quem tenet nostra Ecclesia Cathedralis, & qui servatur in eadem, teneant diligenter & observent, seque eidem in omnibus coaptent,& conforment, contra facientes pena Synodali mulctantes.

§. VIII. *Circuitu interesse debent Beneficiati.*

Item statuimus ordinantes, quod quilibet Clericus in Ecclesiis, in quibus Beneficiatus existit, diebus Dominicis & aliis, quibus Processiones solennes fieri solent, ipsis Processionibus intersit sub pena unius grossi usualis, quam incurrere volumus negligentem ipso facto, quam penam in Ecclesia nostra Cathedrali, & Collegiatis per Vicedecanos, in aliis vero per Ecclesiarum Rectores exigi volumus & mandamus, quam penam post eorum requisitionem, si processioni non interfuerit, infra triduum solvere neglexerit: suspensionis ab ingressu Ecclesie sententiam incurrat ipso facto.

§. IX. *Missas quot quilibet legat.*

Item, quia sunt nonnulli Ecclesiarum Rectores, in quos torpor negligentie in tantum obrepsit, quod vix in Ecclesiis suis infra unius ebhomade spatium unam Missam: nonnulli Altariste (quod deterius est) unam imo nullam per anni circulum in Altaribus & Ecclesiis, in quibus Beneficiati existunt, celebrant, seu faciunt celebrare. Quare statuimus, disponimus & ordinamus, quod quilibet Plebanus ruralis tres Missas ad minus in Ecclesia sua singulis ebdomadis, Altarista vero unam, nisi ad plures celebrandas ex fundatione, vel consuetudine esset astrictus, quas omnes teneantur per se, vel per alios, legant, & dicant, seu decantent *sub pena Sinodali*, contra facientes gravius processuri.

§. X. *De Copula matrimoniali.*

Item mandamus anterioris juris decreta exequentes, quatenus nullus Presbyter Parrochianum alienum, seu quosvis alios etiam suos Parrochianos in facie Ecclesie copulet, seu copulare presumet bannis non premissis, contra facientes penam Synodalem, præter penam alias a jure talibus inflictam, incurrere volumus in ipso facto.

§. XI. *Ne rapta raptori copuletur.*

Item mandamus, quatenus nullus raptam raptori copulet, nisi pristine libertati restitutam sub pena præmissa, & quia sunt nonnulli laici, qui bannis non premissis se faciunt copulari: ignorantes publicare, seu bannum premittere verecundentur, & non curent, & ut pena timoris ad ea præmittenda facilius inclinentur, mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, quatenus Constitutionem *Concilii Generalis*, que incipit: *Cum inhibitio*: presentibus annexam tribus diebus Dominicis post nunc instans festum Nativitatis Christi, ne in premissis se juris ignorantiam excusare poterint, studeant publice ex eorum ambonibus publicare.

§. XII. *De Immunitate Ecclesiarum.*

Item, quia fama crebro referente, experientiaque, que efficax rerum magiſtra exiſtit, didicimus, quod nonnulli Conſules civitatum & oppidorum, ac alii Capitanei, Balivi, ceterique poteſtatem habentes, tot onera Clericis & eorum ſubditis & bonis imponant, ut omnia eorum negocia, que per eos agenda ſunt, de bonis Eccleſiaſticis & ſubditorum eorum cuncta fere velint compleri, & quod deterius eſt, bona Eccleſiarum propria auctoritate, imo verius temeritate invadunt, homines Eccleſiarum ſpoliant, & res eorum violenter recipiunt, ſibi jus in eis, cum nullum habeant, vendicantes, non perpendentes, quod eis de rebus Eccleſie nulla diſponendi ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas non auctoritas imperandi, & quia *Statuto (c) Provinciali* loca, ad que res Eccleſiarum per habitantium in eiſdem violentiam ablate deducuntur, Eccleſiaſtico ipſo facto ſubjiciuntur interdicto. Mandamus vobis omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, quatenus in ipſis locis, ad que res ipſe perducte ſunt, & pervenerint, interdictum auctoritate prefati ſtatuti prolatum inviolabiliter obſervetis, alio ſuper hoc a nobis mandato minime exſpectato. In derogationemque Eccleſiaſtice libertatis & contemptum nonnulla ſtatuta faciunt & ordinant, & edicta ſua publice proclamant, jurisdictionem etiam Eccleſiaſticam in eos, qui ad ſuam juſticiam conſequendam ad fores Eccleſie confugiunt bannientes, & proſcribentes impediunt. Sunt & alii, qui Clericos etiam non ſolum in bonis moleſtant, ſed & earum perſonas judicant, captivant, & detinent, & eorum judicio contra Sanctorum Patrum Decreta parere compellunt. Multi etiam in ſue ſalutis grave diſpendium in gradibus conſanguinitatis & affinitatis, & alias a jure prohibitis contrahunt, & contrahere matrimonium preſumunt. Nonnulli etiam contra nervum Eccleſiaſtice cenſure, & in vilipendium & contemptum tempore interdicti contra prohibitionem juris, & aliqui excommunicatos publice ſepeliunt, & Eccleſiaſtice tradunt ſepulture, & quia contra tales preſumptores & temerarios actores ſufficienter juris communis remedio eſt proviſum, (*d*) certa Capitula Corporis juris clauſa. Ne tam illi, qui ea publicare, ſeu illi, quibus publicari & notificari debent, ignorantiam allegare valeant aliqualem, preſentibus noſtris Statutis duximus annectenda. Primo C. *Non minus. De Immun. Eccleſ.* Secundo C. *Cum Inhibitio. De cland. deſp.* Tertio C. *Noverit de ſent. excomm.* Quarto C. *Quoniam ut intel.* & C. *Eos qui. De Immunitate Eccleſ.* Lib. VI. Quinto C. *Quum qui abjectis. De vita & honeſtate Clericorum in Clem.* Quibus etiam addi fecimus: *Si Judex laicus. De ſent. excomm. Lib. VI.* Mandantes omnibus & ſingulis Archi-Presbyteris Sedium noſtre Dioceſis, quatenus preſentia noſtra Statuta una cum predictis Conſtitutionibus eis annexa, antequam de loco recedant, Curie noſtre Notarium recipiant, convocationibusque factis, infra unius menſis ſpatium ſingulis ſuarum Plebanis legant, intiment, & inſinuent, quibusque Plebanis eadem ſtatuta a ſuo Archi Presbytero; precacti etiam Archi-Presbyteri quilibet a ſuo Archi-Diacono Statuta, *in (e) proxima Synodo* noſtra nuper edita, ſuis Plebanis per eum communicanda, recipiant; & conſcribi faciant infra tres menſes *ſub pena Synodali*, prefatique Eccleſiarum Rectores eadem Capitula ſuperius deſcripta & annexa infra hinc, & feſtum Epiphanie Domini ſucceſſive certis diebus Dominicis & Feſtivis populo publicent, & publicari faciant.

§. XIII. *Viſitatio Cleri per Archi-Diaconum.*

Item parum eſt jura condere, niſi ſit, qui ea tueatur, & debite executioni demandet ſub obteſtatione Divini judicii & ſuſpenſionis ab officio pena. Mandamus omnibus Archi-Diaconis noſtre Dioceſis, quatenus infra hinc & feſtum Nativitatis Beati Joannis Baptiſte quilibet,

(*c*) Vratislavia ab initio Gneznenſem Archi-Epiſcopum habuit Metropolitam, cujus Provinciæ accenſebatur: nunc videtur immediate S. Sedi Apoſtolicæ ſubjecta.
(*d*) *forte addendum:* per certa.
(*e*) Aliam ergo Synodum præter hanc Wenceslaus celebravit.

bet, prout ad eorum pertinet officium, ſinguli ſingulas ſui Archi-Diaconatus Baſilicas viſitent: auctoritateque Noſtra, quam eis preſentibus impartimnr, que corrigenda & reformanda viderint, reforment & corrigant, & preſertim de vita & continentia Clericorum diligentius inquirant, penamque ſtatuti ſupra expreſſi a concubinariis per cenſuram Eccleſiaſticam exigant, & ſi exceſſus qualitas meruerit, vel eorum rebellio gravioribus penis per Nos corrigendum, contumaces Nobis deferant & denun tient. Et an Sacramenta diligenti cuſtodia ſint reſervata? fideli perluſtratione conſpiciant, ſecundumque *Statuta Provincialia antiqua*: ſingulos in Canone & ſignis, an ea competenter faciant & ſciant, & (*a*) modo & forma baptiſandi, & verbis ſubſtantialibus diligenter examinent. Ignorantes ab officio, prout viderint expedire, ad tempus ſuſpendant, nec easdem ſuſpenſionis ſententias juxta eorundem Statutorum tenorem propter noſtram ſententiam relaxent. *Penam Synodalem* transgreſſores Statutorum preſentium, & etiam *in proxima Synodo* ſtatutorum, & preſertim, qui ea non habuerint, & apud quos ea non reperierint, per Nos in pios uſus convertendum ſolvere compellant, ſicque in premiſſis curam ſolertem & diligentem exerceant, officiique ſui debitum irreprehenſibiliter exigant, ne videantur, *que ſua ſunt, querere, ſed que JESU CHRISTI*, ut talentum miniſterii ſibi traditi, cum Dominus rationem poſiturus cum ſervis ſuis venerit, reddere poterint & repreſentare, multiplicibus virtutum meritis augmentatum: ſuperque multa & plura ab eodem conſtituendi, eternorumque premiorum manſiones conſequi, & in gaudia ſua feliciter poterint & valeant introire.

§. XIV. *De Copula conjugali.*

Cum inhibitio copule conjugalis ſit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus diſtricte obſervari. Unde Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inherentes, clandeſtina conjugia penitus inhibemus: prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe preſumat, quin ſpecialem quondam locorum conſuetudinem ad alia generaliter porrigendo; ſtatuimus etiam cum neceſſaria fuerint, contrahenda in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur competenti termino prefinito, ut ille, qui voluerit, ſeu noluerit, legitime impedimentum opponat, & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat? Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſſe, donec quid fieri debeat, ſuper hoc manifeſtis conſtiterit documentis. Si quis enim hujusmodi interdicta conjugia inire preſumſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahendo non ex parte ſcientie, ſed affectatores ignorantie videntur. Pari modo proles illegitima cenſeatur, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum, etiamſi in conſpectu Eccleſie, contrahere preſumunt. Sane Parrochialis Sacerdos, ſi tales conjunctos prohibere contempſerit, nec non quivis etiam regularis, qui eis preſumpſerit intereſſe: per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus, ſi culpe qualitas poſtulaverit, ſed qui taliter copulari preſumpſerint, etiam in gradu conceſſo, dignam penitentiam injungant, ſi quis autem ad impedienda legitimam copulam malitioſum impedimentum objecerit, Canonicam non aufugit ultionem.

§. XV. *De fide pactionis & conſenſus.*

Noverit Fraternitas tua, &c. *Et infra*: Excommunicamus omnes hæreticos utriuſque ſexus: quocumque nomine cenſeantur: & fautores, receptores, & defenſores eorum. Nec non & qui de cetero fecerint, ſervari Statuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſie libertatem: niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt hujus publicationem ſententiæ fecerint amoveri. Item excommunicamus Statutarios, & Scriptores Statutorum ipſorum, nec non Poteſtates, Conſules, Rectores, Conſiliarios locorum, ſi de cetero hujusmodi Statuta & conſuetudines Eccleſiæ fuerint obſer-

(*a*) *deeſt:* de

obſervate, nec non & illos, qui ſecundum ea preſumpſerint judicare : vel in publicam formam ſcribere judicata. Quoniam (ut intelleximus) quorundam Juſticiariorum, Balivorum, Judicumve ſecularium, ac temporalium Dominorum in quibuſdam partibus preſumptuoſa temeritas ſic excrevit, ut in terris eorum ſive diſtrictibus literas Apoſtolicas impetrantes, vel ad Judices Ordinarios Eccleſiaſticos recurrentes, ſuper cauſis, negotiis, ſeu queſtionibus, que de jure, aut antiqua conſuetudine ad forum Eccleſiaſticum pertinent, obtinere non poſſint, in eis per eosdem ordinarios Judices, vel Apoſtolicas literas juſticie complementum, quin potius ſuper illis recurrere ad judicium ſeculare, vel a lite, cauſa & queſtione deſiſtere compelluntur. Nos juſtitiam noſtram & Eccleſie noſtre ſponſe nolentes negligere, qui alios in ſua juſtitia confovemus, ſtatuimus, ne quis impetratores litterarum noſtrarum, vel alios ad forum Eccleſiaſticum recurrentes, ſuper cauſis, que ad idem forum de jure vel antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum vel in foro ſeculari de queſtionibus hujusmodi litigandum, per eorundem Judicum Eccleſiaſticorum, vel impetrantium, vel litigantium, ſeu nolentium litigare, aut propinquorum ipſorum, ſeu rerum illarum, & Eccleſiarum ſuarum captionem, modisque aliis quibuscumque compellat, ſeu compelli faciat, vel procuret, nec per ſe aliosque impediat, quominus coram Judicibus Eccleſiaſticis, delegatis ſeu ordinariis querelantes de cauſis, que, ut premiſſum eſt, ad cognitionem pertinent eorundem, poſſint libere juſtitiam obtinere, nec ad predicta facienda det auxilium, conſilium, favorem. Si quis vero contra preſumpſerit, excommunicationi ſe ipſo facto noverit ſubjacere, a qua, niſi tam Judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio uſurpata, quam parti, que turbata in perſecutione fuerit ſui juris: de injuriis, damnis, expenſis, & intereſſe, priuſquam per eundem integre fuerit ſatisfactum, nullatenus abſolvatur. Et qui temporale Dominium obtinent, ſuis ſubditis, ne Prelatis, aut Clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem : neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere preſumant, aliquando interdicant : cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſtice preſumantur, ipſo facto excommunicationis ſententie decernimus ſubjacere.

§. XVI. *De vita & honeſtate Clericorum.*

Quoniam, qui abjectis veſtibus proprio congruentibus ordini alias aſſumere & in publico portare, rationabili cauſa ceſſante præſumit, Profeſſorum ordinis illius prærogativa ſe reddit indignum : præſenti conſtitutione ſancimus. Quod, quicunque virgata vel partita publice veſte utetur, ſi Beneficiatus extiterit, per ſex menſes a perceptione fructuum Beneficiorum, que obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus. Si vero Beneficiatus non fuerit; in ſacris tamen ordinibus citra Sacerdotium conſtitutus: per idem tempus redditur eo ipſo inhabilis ad Beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Idem quoque cenſemus de Clericis aliis veſtem talem publice deferentibus: Clericalem dignitatem, vel Perſonatum, ſeu Beneficium aliud obtinentibus, cui cura imminet animarum, nec non ceteri in Sacerdotio conſtituti ac religioſi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinſeci morum intrinſecam honeſtatem oſtendere, ſi preterquam ex cauſa rationabili publice veſtem ferant, hujusmodi ſint eo ipſo, Beneficiati videlicet, a perceptione fructuum Beneficiorum, que obtinent, ſuſpenſi per annum. Ceteri vero Sacerdotes, & religioſi quilibet per idem tempus reddantur ad quodcunque Beneficium inhabiles obtinendum. Sed & tales & ceteri quicumque Clerici utentes epitogio ſeu tabordo ſoldrato, ita brevi, quod veſtis inferior notabiliter videatur, epitogium ipſum ſeculares Clerici & religioſi adminiſtrationem habentes, teneantur infra menſem dare pauperibus. Ceteri vero religioſi adminiſtrationem non habentes infra idem tempus teneantur ſuis ſuperioribus aſſignare in pios uſus aliquos convertendos. Alii Beneficiati ſuſpenſionis, ceteri vero inhabilitatis penas predictas per idem tempus ſe noverint incurriſſe. Huic inſuper adjicimus ſanctioni : ut Clerici, præſer-

tim Beneficiati caligis cacacis, rubeis, aut viridibus publice non utantur.

§. XVII. *De Sepultura Ecclesiastica.*

Eos, qui proprie temeritatis audacia, defunctorum corpora non sine contemptu clavium Ecclesie in cimiteriis interdicti tempore in casibus nemini concessis a jure, vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire presumunt: decernimus ipso facto excommunicationis sententie subjacere, a qua nullatenus absolvantur; nisi prius ad arbitrium Diocesani Episcopi eis, quibus per premissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerit competentem, nullo eis circa premissa exemptionis, vel quovis alio privilegio sub quacumque forma verborum concesso, aliqualiter suffragante.

§. XVIII. *De Copula illicita.*

Eos, qui Divino timore postposito in suarum periculo animarum: scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione Canonica interdictis: aut cum monialibus matrimonialiter contrahere non verentur: nec non religiosos, & moniales, & Clericos, in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refrenare metu pene ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipsos excommunicationis sententie ipso facto decernimus subjacere: precipientes Ecclesiarum Prelatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu a suis faciant subditis nuntiari: donec suum humiliter cognoscentes errorem separentur abinvicem, & absolutionis obtinere Beneficium mereantur. Per predicta juribus, que sic contrahentibus alias penas imponunt, in nullo volumus derogari.

§. XIX. *De Jurisdictione & foro competenti.*

Si judex laicus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens, ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti: vel curia ipsa eum tanquam suum Clericum repetat: illum judice inficiante Clericum esse: & ob hoc minime remittendum, dubitatione hujusmodi, an scilicet sit, qui repetitur, Clericus? ad Judicem Ecclesiasticum, quia de re Ecclesiastica & Spirituali, vocato tamen ad hoc seculari, vel alio cujus interest, cognitio pertinebit. Et si notorium fuerit: quod idem malefactor sit Clericus, qui hujusmodi privilegio gaudere debeat statim absque alia cognitione, si fama publica de hoc exstiterit, aut ipse pro Clerico communiter habebatur: in continenti, & ante cognitionem Clericatus Ecclesiastice curie debet reddi Item etiam censemus, si reus ipse ante deprehensionem pro laico publice se non gerens, deprehensus fuerit in habitu Clericali, tonsuram videlicet, & vestes deferens Clericales. Nam talem debemus Clericum, donec constet de contrario, representare, sicut de illo, qui in possessione ingenuitatis existat. Si dicatur ab alio libertinus: legalis sancit auctoritas: ut probandi necessitate non ipse, sed adversarius adstringatur. Justum est enim, ut ipse talis, quem gestat ex habitu, quousque appareat aliud, presumatur: qualis is esse, cujus fert habitum, comprobetur. Ex stigmate namque consueto fabricensibus imprimi, latens fabricensis agnoscitur. Custodes aquarum, quos hydrophylaces nominant, quæ eis insigi solet, annotatione signati, manifesti sunt omnibus: & angariarum nomine non tenentur. Isque status alicui esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur. Non sic autem volumus observari: si ante deprehensionem pro laico publice se gerebat: ac pro tali communiter habebatur: quamvis ante deprehensionis tempus captus fuerit in habitu Clericali: tunc enim restituendus non est, quousque fidem de titulo fecerit Clericali, cui eidem probationis onus incumbat propter presumptionem, quæ adversus ipsum orta est ex delatione laicalis habitus, procedendo tamen contra eum, interim processus quivis judicis secularis penitus conquiescat.

§. XX. *Conductio Eucharistie.*

Et ut Domino quantum in Nobis est, populum reddamus acceptabilem, & bonorum operum sectatorem, & quod gratis accepimus, gratis aliis communicemus: omnibus Christi fidelibus vere confessis & contritis, qui sacrum Cor-

Corpus Chriſti, quando defertur ad infirmos, vel quando ad Eccleſias reportatur, devote conduxerint: ſeu qui verbum Dei totiens quotiens in Eccleſiis predicatur, audierint: nec non & illis, qui ad pulſationem campanarum de mane & de ſero juxta tenorem noſtri mandati faciendum flexis genibus unum PATER NOSTER & tria AVE MARIA ob reverentiam Beate Virginis Marie pro felici ſtatu & unione Eccleſie: & pro pace dixerint, quadraginta dierum indulgentias auctoritate Domini noſtri JESU CHRISTI, & beatorum Petri & Pauli confiſi, miſericorditer elargimur. Item de ſpecialis dono gratie omnibus & ſingulis Presbyteris Curatis & non Curatis, ceterisque Clericis noſtre Dioceſis hic preſentialiter conſtitutis, ut ſibi quilibet valeat eligere confeſſorem ſeu confeſſores; eos qui abſolvere valeat ſeu valeant, in caſibus etiam Nobis a jure, vel conſuetudine reſervatis: plenam auctoritate preſentium concedimus facultatem ad unum annum dumtaxat valituris: caſibus tamen, in quibus ipſo facto quis incidiſſet excommunicationis ſententiam a jure, vel ab homine prolatam, Nobis ſpecialiter reſervamus.

Expliciunt Statuta Wenceslai Wratislavienſis.

Deſcripta ex Libro impreſſo in 4to anno 1512. *Nurembergæ, recuſo Wratislaviæ anno* 1585.

Cl. Lunig (*Continuatione II. Spicilegii Eccleſiaſtici pag.* 1188.) qui ex eodem Libro hanc Synodum edidit, nullum annum celebratæ Synodi addit: ſed ex *Curio*, *Sileſiacarum rerum Scriptore*, certum eſt, Wenceslaum e Ducum Ligniacenſium ſanguine ortum fuiſſe, & ex Epiſcopo Lebuſiano fuiſſe Pontificis auctoritate translatum ad Cathedram Eccleſiæ Wratislavienſis. Subin reſignaſſe Epiſcopatum ad manus Papæ Martini, ac demum mortuum fuiſſe anno MCCCCXXII. ergo ante hunc annum Synodus hæc celebrata fuit.

Curius, *Hiſtoriographus Sileſiæ*, hæc de eo certa ponit: I. Quod Pretislaus, Anteceſſor Wenceslai II, obierit anno 1376. II. Quod Wenceslaus, Ligniacenſis Dux, & in Epiſcopatu Succeſſor, obierit anno 1417, & ante mortem reſignavit Epiſcopatum in manus Martini V, qui anno 1417. 11. Novembris electus fuit Pontifex in Concilio Conſtantienſi, ſed, quot annis ſederit in Cathedra Vratislavienſi, non dicit. Idem dicit eum *quinquennio* adminiſtraſſe Epiſcopatum Vratislavienſem, ſed unde inchoandum, quo die finiendum? In hac Synodo, quam anno 1416. collocavi ex conjectura, liquet ex §. XII. eum nuper *proximo anno* aliam Synodum celebraſſe.

COLONIENSIS SYNODUS

Anno Chriſti MCCCCXVII. Sede Rom. vacante. Sigismundi Reg. rom. VIII.

THEODORICUS, Comes DE MOERSA, Archi-Epiſcopus Colonienſis ex Præpoſito Bonnenſi, anno MCCCCXIV. VIII. Kal. Maji electus, ab initio ſui Archi-Epiſcopatûs reformandæ in Ordine Eccleſiaſtico diſciplinæ Vigilias admovit, & Primoribus Cleri in cœtum Provincialem congregatis, Leges propoſuit, quas communi conſenſu approbatas, promulgavit anno MCCCCXVII.

Mörckens in Conatu pag. 146. *Idem in Indice Apodictico ad h. annum.*
In Statutis Coloniæ, anno 1554. *impreſſis, hujus Synodi nulla fit mentio.*

CON-

CONCILIUM COLONIENSE

SUB THEODORICO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, ET ADMINISTRATORE PADERBORNENSI,

In quo Clericorum Regularium in communi viventium institutum, contra impugnantium calumnias defensum, & publicis tabulis confirmatum fuit.

ANNO MCCCCXVIII. COLONIÆ PUBLICATIO.

Circa annum MCCCCXVIII. haud levi procella agitati sunt Regulares Clerici, qui secundum D. Augustini institutum vitam in communi societate viventium amplexi erant, & jam ab aliquot annis magno Germaniæ bono florere cœperant. Ausus quippe Matthæus Grabbo Razeburgensis, e Predicatorum familia Theologiæ Professor, librum a se conscriptum spargere in vulgus, quo contendebat, *fas non esse ulli extra mendicantium ordines amplecti aliquod vitæ institutum*, in quo palam secundum Evangelica consilia paupertatem, castitatem, & obedientiam profiterentur. Is liber, tanquam classico inflato, multos adversarios concivit Clericis hisce ex mendicantium familiis. a quibus traducti, oppugnatique. At postquam ea ad Theodoricum Coloniensem Archi-Episcopum delata fuere; convocavit illa *in Concilium* ex omnium facultatum Collegiis viros eruditos: quorum judicio cum institutum Clericorum magnopere probaretur, Archi-Episcopus publicis etiam tabulis confirmavit.

Schatenus Tom. II. Annal. Paderborn. ad h. ann.

Gelenius de Magnitudine Lib. III. Syntag. 39. pag. 451.

CONCILIUM PROVINCIALE SALTZBURGENSE

Anno Christi MCCCCXVIII. Martini V. Pp. I. Sigismundi Reg. rom. IX.

Cæptum anno MCCCCXVIII. medio Novembri, finitum MCCCCXIX. mense Januario.

Fœdus inter Archi-Episcopum Salisburgensem, ejusque Suffraganeos Episcopos initum pro tuenda Immunitate Ecclesiastica Anno MCCCCXIX.

NOS EBERHARDUS, Dei gratia, Archi-Episcopus Salisburgensis, S. Sedis Apostolicæ Legatus. Nos ejusdem gratia Hermannus Frisingensis, Albertus Ratisbonensis, Georgius Passaviensis, Bertholdus Brixinensis, Ernestus Gurcensis, Engelmanus Chiemensis, Ulricus Seccoviensis, & Wolffgangus Lavantinus Episcopi, Provinciæ Salisburgensis Suffraganei, hisce patentibus attestamur pro Nobis, & Successoribus nostris. Postquam pro bono publico prætactæ Provinciæ ad recuperandam Immunitatem Ecclesiasticam, & bonum regimen *Concilium Provinciale* octava post Festum S. Martini die, in urbe Salisburgensi per Nos Archi-Episcopum Eberhardum convocatum, & rite celebratum fuit; ubi inter cætera ad dictum Concilium diversi defectus, gravamina, & importunitates delata fuerant, quæ Nobis, nostris Prælatis, & Clero a quibusdam sæcularibus Principibus, Dominis, & Equitibus, Vasallis, eorumque Officialibus, & subditis in dicta provincia commorantibus contra Pontificia, & Cæsarea jura, Clerique immunitatem attentantur. Quapropter etiam Nos, & illud Concilium, Serenissimum Principem nostrum, Clementissimum Dominum, Dominum SI-

GISMUNDUM Romanorum Regem pro assistentia contra dicta gravamina humiliter invocavimus, & cum Nos ipse noster Clementissimus Dominus Romanorum Rex suis regiis litteris desuper assecuraverit, quod Nos matura deliberatione & Capitulorum uostrorum consilio confœderaverimus, nosque etiam vigore præsentium confœderamus sequenti modo, & promittimus etiam hoc fœdus servare, nobisque invicem succurrere sub fide principali fideliter & candide. Primo itaque, si aliquis ex sæcularibus cujuscunque status & conditionis contra unum, aut plures nostrum, vel Prælatos, Clerique immunitatem inique egerit, tunc gravatus, vel gravati secundum jura, aut statuta hujus provinciæ contra talem interdictis, & excommunicatione procedat, vel procedant, donec resipuerit & parti gravatæ satisfacerit; & si ejusmodi sæcularis persona reniteretur, nec satisfacere vellet, & sic in sua temeritate permaneret, post sex septimanas incepti processus Nos invicem invocabimus nostri, nostrorum Prælatorum, & Cleri causa pro assistentia contra talem sæcularem personam, & qui ita inter Nos invocatus fuerit, is sine mora processum & excommunicationem patentibus literis in sua Diœcesi contra sæcularem publicare teneatur, juxta tenorem, processus fideliter & candide continuando usque ad reorum resipiscentiam. Si autem, quod Deus avertat, tales personæ in contumacia perseverarent, & gladium Spiritualem Censuratum spernerent, deberetque invocari gladius temporalis, præsertim nostri prænominati Clementissimi Domini Romanorum Regis, id fieri debeat nostrum omnium aut potiorum e Nobis consensu & consilio; ita tamen, ut Nos, & nostrum quilibet, qui ita invocatus fuerit, ut præmittitur, assistentiam, consilium, aut consensum sine mora impertiri teneamur, & teneatur, præclusa omni omnino tergiversatione. In quorum omnium fidem, & perpetuam rerum scriptarum memoriam hasce litteras fieri, & nostris, ac nostrorum Capituloruum dependentibus sigillis roborari curavimus. Datum post Nativitatem Christi anno 1419. Dominica immediate ante Festum S. Antonii.

Meichelbeck loco citando Historiæ Frisingensis.

Meichelbeckii Notæ. Has litteras vulgari idiomate fuisse conscriptas omnino nobis persuasum habemus. Certe in Frisingensibus chartariis reperiuntur exaratæ sermone germanico. Verum, quia exemplar nobis exhibitum ob plures lacunas ex litteris detritis ac fugientibus ortas legi totum non poterat, opus erat Instrumentum illud aliunde, & quidem ex Salisburgensi Historia excerpere.

Cæterum ex his sancti Fœderis inter Episcopos initi litteris discent Collectores Conciliorum Synodum Salisburgensem eodem adhuc anno, quo Constantiense terminatum fuerat, nempe A. 1418. medio fere mense Novembri fuisse institutam: & mense Januario anni sequentis, (1419.) hanc piam societatem adversus violatores Ecclesiasticæ Immunitatis coaluisse. Item plures Episcopos huic tractatui, quam dicto Concilio Salisburgensi fuisse præsentes.

Præter Eberhardum, Archi-episc. Salisburgensem, interfuere: Albertus Ratisbonensis, Hermannus Frisingensis, Engelmanus Chiemensis, Ulricus Secoviensis, Wolfhardus Lavantinus, Episcopi: & absentium Præsulum Pataviensis, Brixinensis, & Gurcensis Procuratores, una cum Abbatibus, Præpositis, aliisque Prælatis & Primoribus Provinciæ Salisburgensis.

Totius Concilii intentio eo spectabat, ut Prædecessorum Archi-Episcoporum Friderici, Conradi, Piligrini Statuta in Provincialibus Synodis concepta, in memoriam revocarentur.

Conditi fuere Articuli XXXIV. publicandi, & inculcandi. Horum articuli plerique a Decretis Concilii Generalis Constantiensis non differebant: aliqui singulariter Wicleffi virus, & mulierum indecentia vestimenta reprehendebant.

Judæi jussi non alio, quam cornuto pileo, uti, ut sic a Fidelibus discernerentur.

Adelzreiter hoc Concilium ad A. 1418. refert.

Dukerus scribit, anno 1419. Episcopos hujus Provinciæ iniisse Fœdus contra invasores libertatis Ecclesiasticæ.

Fœdus refert *Meichelbeck Historiæ Frisingensis Tom. II. pag.* 192, 193. ex quo hæc bona fide, nec plura habente, excerpsimus.

ARCHI-

ARCHI-DIACONALIS SYNODUS HALBERSTADENSIS
ANNO CHRISTI MCCCCXIX.

Declaratio duorum Parochorum Diœcesis Halberstadensis, coram Henrico Archi-Presbytero in Synodo facta, de Decima Monasterio Eylwardestorpiensi solvenda.

NOS HENRICUS, Archi-Presbyter Banni Orientalis, publice recognoscimus ex præsentibus, quod juxta annum Domini M. quadringentesimum decimum nonum *Sanctam Synodum* Feria sexta post Matthæi Apostoli in Quernforde celebrantes, honorabiles Viri, Domini Joannes Czygkalo Plebanus in Muchile, & Joannes Michaelis Plebanus in Quernforde, declaraverunt, . . . als . . . . . ad quæstionem petitoriam, coram Nobis judicialiter motam per Venerabilem Dominum Abbatem in Eylfferstorff, quod expedit juxta consuetudinem patriæ, & terræ Decimam exsolvere de omnibus seminibus & sementis in agris, pro quocunque tempore anni seminatis, messis & collectis, non obstantibus aliis quibuscunque.

Publicata sunt hæc in præsentia Domini Heinrici, Plebani de Schapslede: Domini Heynemanni, Canonici castri Quernforde: Domini Joannis, Plebani in Dornstede; Laycorum vero: Clauwes, Geryngh**e**n dicti Mollhusen, & aliorum plurimorum fide dignorum. In evidentiam præmissorum Sigillum nostri officii præsentibus est subimpressum.

Ludewig Reliquiæ MS. Tom. I. pag. 453. 454.

MOGUNTINA ENCYCLICA
CONRADI (a) Archi-Episcopi, ad Decanos & Clerum Moguntinum.
Anno Christi MCCCCXX. Martini V. Papæ III. Sigismundi Reg. Rom. XI.

VENERABILIBUS TAM NOSTRE MAJORIS, QUAM ALIARUM COLLEGIATARUM ECCLESIARUM NOSTRARUM CIVITATIS ET DIOECESEOS MOGUNTINE DECANIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET MANDATIS NOSTRIS DISTRICTIUS OBEDIRE.

I. FElicis recordationis Predecessores nostri considerantes, quam detestabile sit inobedientie vitium, quod ex radice superbie traxit originem, inter cetera pro honore & reverentia Prelatorum, qui columpne Ecclesie forecensentur, provide statuerunt, hoc quoque teneri, & per universos Canonicos Ecclesiarum hujusmodi observari, & fieri voluerunt, quod Canonici Prælatis ipsorum in omni exhibita reverentia assurgendo, & in aliis prerogativis tanquam obedientes esse deberent, & devotionem exhibere specialem, ut per signa hujusmodi ipsi Decani a simplicibus Canonicis discerni valerent, sed quia nonnulli tunc, nunc quoque moderni Canonici immemores juramenti, in eorum receptionibus prestiti, de consuetudinibus Ecclesiarum observandis, nec adver-

(a) Conradus III. Waldgravius in Dunen, Rhingravius zum Steyn, electus fuit anno 1419. 23. Septembris Archi-Ep. XLVII. Obiit 1434. 10. Junii. *Gudenus Cod. Diplom. Tom. IV. pag.* 122. & *Serarius Lib. V. rerum Mogunt. pag.* 874.

advertentes, quod, ſicut legum, ſic antiquarum conſuetudinum transgreſſores juxta utriusque juris precepta non immerito ſunt plectendi contra debitum obedientie, & conſuetudinem hujusmodi juri conſonam, ex quadam arrogantia vel ſimulatione quadam motu proprio venire & facere preſumpſerunt, & preſumunt, & inobediendo in his, que juſta ſunt & honeſta, multipliciter contradicunt: propter quod non fuit, aut hodie dubium eſt, quia talia preſumentes notam inobedientie & reatum perjurii tunc incurrebant, & hodie moderni quidam, quod dolenter ymmo & diſplicenter intelleximus, incurrere non verentur.

II. Nos igitur, qui ſupradictis.... Prædeceſſoribus noſtris in hac S. Sede ſucceſſimus, ſic jugum Domini, quod ipſi occaſione premiſſorum humeris ipſorum ſupportarunt, collo noſtro abjicere non volentes, obedientiam & reverentiam debitas & devotas Prelatis Eccleſiarum predictarum, maxime vobis Decanis non ſolum per Canonicos, ymmo & a fortiori per Vicarios decernimus & volumus exhiberi. Vobis & ſingulis veſtrum in virtute ſancte obedientie, & ſub excommunicationis pœna diſtricte precipiendo mandantes, quatenus contra omnes & ſingulos Canonicos & Vicarios, qui vobis, aliisque Prelatis ipſorum quomodolibet in obediendo, debitam quoque reverentiam exhibendo contradicunt, ad penas & cenſuras in C. *Præterea. de Majoritate & Obedientia.* in Statutis Provincialibus contentas quoad Canonicos, quantum vero ad Vicarios ad clauſtralem, aut alias juxta exceſſus qualitatem, intrepide & omni excuſatione poſtpoſita procedatis, & ſinguli veſtrum procedant, prout excomm. ſententiam predictam, nec non indignationem Dei & noſtram velitis evitare.

III. Ceterùm cum non tantum ſacrorum Canonum, verum etiam Statutorum Provincialium prædictorum ſuper incontinentia Clericorum hactenus quam plura emanarint inſtituta, cum mulieribus cohabitationis vitium excluſiva, nulla tamen eorundem Clericorum etiam quantocunque digeſta conſilio uſque nunc medela ſufficit; quin, quod etiam diſplicenter intelleximus, & non ſine cordis amaritudine referimus; nonnulli Prelati, Canonici, Sacerdotes, & Clerici obſcenis voluptatibus inhiantes, adhuc hodie publice detineant concubinas. Ne igitur delictum hujusmodi tranſeat impunitum, vobis Decanis omnibus & ſingulis . . . . ſub penis & cenſuris antedictis, & ut ſupra, diſtricte precipiendo mandamus, quatenus ad hujusmodi *Concubinatus* vitium extirpandum, ſine fictione una Nobiscum laborantes, ſinguli veſtrum, ſingulis vobis ſubditis tam Canonicis, quam Vicariis hujusmodi vitio incontinentie reſperſis, vice & authoritate noſtra diſtrictius injungendo precipiatis, ut infra terminum congruentem, ſingulis ipſorum per ſingulos veſtrum eis adhoc prefigendum, concubinas hujusmodi relinquant, & a ſe ſine fraude & dolo quibuscunque prorſus repellant ſub penis & cenſuris tam Canonum, quam Statutorum predictorum, quas contra facientes, & inobedientes, & rebelles incurrere volumus ipſo facto. Ad quorum etiam declarationem, & denuntiationem, ac aggravationem, & reaggravationem, prout opus fuerit, procedendi, vobis omnibus & ſingulis omnimodam tenore preſentium tradimus poteſtatem.

IV. Et, ne Sacerdotes ceu Clerici rurales ab hoc Edicto videantur excluſi, Archi-Dyaconis, ſeu Præpoſitis ipſorum pari modo mandamus: ſubditos ipſorum a vitio concubinatûs hujusmodi totis viſceribus refrenare, ſimilem poteſtatem declarandi & reaggravandi ipſis preſentibus concedentes. Vos etiam Decani, & Archi-Dyaconi, & Præpoſiti . . . taliter vos exhibeatis in premiſſis, ne ſanguis ſubditorum noſtrorum de noſtris, ſeu veſtris manibus requiratur, & prout penas & indignationes ſupra dictas volueritis evitare.

In cujus rei teſtimonium &c. Datum ſabbato die poſt Feſtum Aſcenſionis, anno Domini MCCCCXX.

Cl. Gudenus Tomo IV. Codicis Diplomatici Ancedotorum No. LIV. pag. 128.

Anno 1420. dedit ad Cleri optimates Literas in Eltvilla, quibus cum de vitiis aliis, tum vero maxime de obſcœno concubinatu funditus evellendo monuit.
Serarius Rerum Moguntin. L. V. pag. 874.

CON-

CONCILIUM LUBECENSE

Anno Chrifti MCCCCXX. Martini V. Papæ III. Sigismundi Reg. Rom. XI.

SUB JOANNE EPISCOPO.

SUMMA CAPITULORUM.

I. *Innovatio veterum Statutorum.*
II. *Refervatio cafuum Epifcoporum.*
III. *Enumerantur cafus refervati.*
IV. *Interdictum concubinis & fufpectis.*
V. *Præceptum veftium modeftarum.*
VI. *Tonfuræ Clericalis.*
VII. *Ordo Lubecenfis Ecclefiæ fervandus.*
VIII. *Interdictum ebrietatis.*
IX. *Alienorum Clericorum.*
X. *Alienorum Epifcoporum & Quæftuariorum.*
XI. *De non publicandis Indulgentiis extraneis.*
XII. *De fervando interdicto locorum.*
XIII. *Quæ licita tempore interdicti.*
XIV. *De iis, qui caufam interdicto dederunt.*
XV. *De fpernentibus excommunicationem.*
XVI. *De celebrantibus in Ecclefiis non dedicatis, vel pollutis.*
XVII. *Qui fepeliendi, qui non?*
XVIII. *Excommunicantur impedientes jurisdictionem Epifc.*
XIX. *Ne duæ Miffæ eadem die.*
XX. *Ne fiat conventio pro miniftrandis Sacris.*
XXI. *Contra ufuras Clericorum.*
XXII. *Confeffiones in publico audiendæ.*
XXIII. *De non admittendis extraneis.*
XXIV. *Chrifma in Cœna Domini acceptandum.*
XXV. *Indulgentiæ comitaturis viatico deportato conceffæ.*
XXVI. *Ne oppignorentur vafa facra.*
XXVII. *Claufura Monialium arctior præcipitur.*
XXVIII. *Baptifmalia vafa claufa fervanda.*
XXIX. *Parochi ne urbe exeant citra licentiam.*
XXX. *Beneficiati fuo tempore ordinandi.*
XXXI. *Quot Patrini baptizandis.*
XXXII. *Pœna tabellionum non auctorizatorum.*
XXXIII. *Copia Synodi habenda fub pœna.*
XXXIV. *Indictio futuræ Synodi.*
XXXV. *Miffarum indictio.*

JOHANNES, (a) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS LUBICENSIS, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUm ideo factæ funt conftitutiones, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque remaneat inter reprobos innocentia, ad cohibendam humanam audaciam de peccato conftitutiones quasdam vitiis, & concupifcentiis *in hac noftra Synodo* profpeximus opponendas, inhærentes veftigiis tam Divini quam humani juris, per quod genus humanum, ut honefte vivat, alterum non lædat, jus fuum cuique tribuat, informatur. Quia igitur Rex pacificus, pia miferatione, difpofuit, fibi fubditos fore pudicos, pacificos, & modeftos, ad obfervationem iftorum exhortationes, inhibitiones, & mandata noftra cum quibusdam noftris conftitutionibus, Nobis, & univerfo Clero noftro neceffariis, publicamus, volentes & decernentes, ut quilibet intercedere debeat, ne in his ignorantiam prætendere valeat & allegare, quia præfens notificatio, & infrafcriptorum publicatio mandatorum habetur loco monitionum Canonicarum juxta quodlibet mandatum infrafcriptum, ita quod delinquentes in infrafcriptis, condignis pœnis puniantur.

I. *Imprimis* itaque Statuta & Conftitutio-

X 3

(a) Joannes Schele, Hannoveræ natus, eligitur Epifcopus VII. hoc nomine, Lubecenfis, anno 1420, fuerat Decanus Bremenfis Metropolitanæ, Thefaurarius Mindenfis Cathedralis, & Canonicus Dorpati in Lithuania. Antea Secretarius Sigismundi Regis, in Concilio Bafileenfi Doctor Canonum promotus hoc eodem anno 1420. Bononiæ tefte diplomate apud *Lunig. P. II. Spicileg. Ecclef. pag.* 388. Poft ab obfequiis fuit Alberti Regis Hungariæ. obiit Viennæ anno 1439, fepultus in Collegio Scotorum. Grundliche Nachricht der Statt Lubeck 1713. *in* 8vo.

tutiones Prædecessorum nostrorum innovamus, præcipimus, & mandamus, ut Præpositi, Decani, cæterique nostrarum Ecclesiæ & Diœcesis Prælati, quibus hoc de jure, privilegio, vel consuetudine legitime præscripta competit, suorum subditorum, infra duos menses proxime secuturos, sic studeant excessus corrigere, ut non sint desides, negligentes, seu remissi, ante oculos Deum habentes, justitiam studeant exercere, ut non quæ sua, sed quæ JESU CHRISTI sunt, quærant, pœnam Canonicam, quæ magis timeatur, excedentibus infligendo, ne sanguis subditorum de manibus Prælatorum requiratur. Alioquin hujusmodi jurisdictionem Canonicam, monitione præmissa, volumus ad Nos devolvi, maxime juxta Canonicas sanctiones.

II. Item caveant omnes & singuli Prælati ac alii, & omnino se abstineant, ne se intromittant de casibus, Reverendis Patribus, Dominis Episcopis, Nobisque de jure, vel consuetudine specialiter reservatis, & ipsos ad Nos deferant, ne absolvendo in his, vel judicando, in quibus authoritatem nostram non habent, umbram exhibeant in opere Domini, & non sit veritas in effectu. Nam quamvis quilibet Sacerdos in sui ordinatione accipiat potestatem ligandi & solvendi, dummodo habeat materiam, casus tamen infrascripti, seu Canones, Episcopis ita reservantur, quod de ipsis nulla attribuitur inferioribus facultas absolvendi.

III. Qui casus sunt: excommunicatos majori excomunicatione absolvere, pœnitentias solennes, Dei & Sanctorum blasphematoribus, ac matrimonium clandestinum, vel contra interdictum Ecclesiæ contrahentibus imponere, de votorum quorumlibet immutatione, de incendio, sacrilegio, incestu Sanctimonialium, male ablatorum, incertorum, vel quando non extant hi, quibus facienda est restitutio, certorum restitutione, de homicidio, de parvulorum oppressione, de sortilegio, de falso testimonio seu instrumento, de Ecclesiarum, & Ecclesiasticæ emunitatis violatione, de perjurio, de adulterio, de percussione parentum, de peccato contra naturam, & maxime cum brutis, & aliis similibus seu enormibus absolvere, seu quomodolibet dispensare. Hinc est, quod sub excommunicationis pœna latæ sententiæ statuimus, ne quis Clericus, sæcularis aut Religiosus, cujuscumque Status, aut dignitatis fuerit, in prædictis casibus, sententiam nostram sine speciali licentia dispenset vel absolvat.

IV. Item firmiter inhibemus, ne quisquam sacri Altaris Minister in sacris constitutus habeat concubinam, vel etiam talem in domo sua familiam, de qua quocumque modo sinistra suspicio, vel infamia verisimiliter poterit suboriri. Mandamus sub pœna suspensionis ab Officio latæ in his scriptis sententiæ, ut omnes Clerici nostræ civitatis & Diœcesis habentes concubinas a se ipsas removeant indilate, videlicet intra spatium quatuordecim dierum, ita ut non hospitiis, nec vestitu, nec alimentis ipsis procurent, vel faciant procurari.

V. Item cum vestitus indecens, & incompositus mentis incompositionem indicet, & cor nuntiet impudicum, mandamus, ut quisque Clericus isto utatur habitu, quem Canones sacri concedunt, ut nec fulgidis, nec sordidis vestibus utantur, nec vestimenta deferant nimia brevitate, vel longitudine notanda, nec quisquam tenacula aurea, vel argentea in togis, vel superiori veste circa collum, vel intuitum ante pectus, aut in manicis circa manus, superfluitatem inducentia publice deferre præsumant. Itaque omnibus & singulis Beneficiatis, & in Sacris Ordinibus constitutis usus vestium rubei & viridis, lucidorum colorum, post duos menses à dato præsentium computandos, sub excommunicationis pœna strictissime interdicimus.

VI. Et Clerici cum Tonsura rotunda & corona rasa & ampla sicut decet Clericos, præsertim in Sacris constitutos incedentes (*b*) in ministeriis Divinorum religionem deferant anni temporibus congruentem.

VII. Item in omnibus Divinis Officiis & horis nullum ordinem præter solum Lubicens. ordinem præcipimus observari.

VIII. Item cum ebrietas mentis inducat exilium, & libidinis provocet incen-

(*b*) *lego:* incedentes.

cendium, ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ prohibemus, ut nullus Clericus Beneficiatus, vel in Sacris conſtitutus, in ea civitate, vel loco aut villa, ubi hoc Beneficium ſeu manſionem, ſeu Beneficiati vices gerit, occaſione ludorum tum taxillis, vel inter ſocios potando viciſſim præſumant tabernas temere viſitare.

IX. Item mandamus, quod nullus Clericus ex Diœceſi aliena recipiatur, ſeu ad ſervitium, ſeu ad Beneficium aliquod Eccleſiaſticum in noſtra Diœceſi, niſi probaverit Nobis, aut Officiali noſtro per literas proprii Epiſcopi ſui, vel alias, Canonice ſe ordinatum, & quod habens executionem ſui Officii Diœceſim ſuam laudabiliter ſit egreſſus. Nam frequenter accidit, quod excommunicati, & irregulares, & aliis criminibus irretiti, cum in ſuis non admittantur Diœceſibus, ad alienas tranſeant, Divina celebraturi, in animarum ſuarum grave periculum ad ſcandalum plurimorum; alioquin in contrarium facientes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis.

X. Præterea firmiter inhibemus, ut nullus alienus Epiſcopus ad Pontificale Officium in noſtra Diœceſi qualitercunque exercendum, vel aliqui quæſtionarii ad exercendum prædicationis, vel quæſtus officium deinceps aliquo modo admittantur, niſi fuerint ſuper his noſtris litteris ſpecialiter communiti.

XI. Item inhibemus ſub pœna excommunicationis, quam ferimus in his ſcriptis, ut nullus, ſive Clericus, ſive laicus indulgentias extraneorum Epiſcoporum pronuntiet, ſeu pronuntiari faciat in noſtra Diœceſi, niſi ad eas litera certi noſtri conſenſus, ratihabitionis, & confirmationis acceſſerit & voluntas.

XII. Item ſtatutum eſt a jure, quod quicunque in loco interdicto ab homine, vel etiam a re ſcienter & ſolenniter, campanis pulſatis, & januis apertis celebraverint, niſi privilegium ſuper hoc exiſtat, & niſi in quinque Feſtivitatibus, ſcilicet Natali Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis Virginis Glorioſæ, & Corporis Chriſti, quæ per Bonifacium IX. quatuor prædictis eſt adjecta, irregularitatem incurrant, a qua non per alium, niſi per Summum Pontificem poterunt liberari, ſed, januis clauſis, campanis non pulſatis poſſunt, imo debent ſubmiſſa voce (interdictis & excommunicatis, & quibuscunque aliunde venientibus, id eſt, de gremio Eccleſiæ non exiſtentibus Clericis & laicis, ac etiam Religioſis quibuscunque, niſi ſuper his privilegiati exiſtant, & privilegium ſuum prius oſtenderint, excluſis) Divina Officia celebrari, & tantum infraſcripta Sacra miniſtrari.

XIII. Permittitur etiam tempore interdicti baptiſmus parvulorum, pœnitentia non tantum morientium, ſed etiam ſanorum & Euchariſtia, infirmorum confirmatio in fronte, confectio chriſmatis & unguentorum etiam debet permitti tempore interdicti. Hoc ſane expreſſo, quod pœnitentia non ſolum infirmis, ſed & ſanis tempore interdicti injungitur, dum tamen excommunicati non fuerint, qui præterquam in mortis articulo ad eandem nullatenus admittantur.

XIV. Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem fertur ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum aliquod præbuerunt auxilium, conſilium, vel favorem, niſi de ipſo delicto ſatisfactionem fecerint competentem, non eſt proxime Beneficium aliquatenus concedendum.

XV. Item pervenit ad Nos, quod multi excommunicationem vilipendentes, excommunicatos publice admittunt, ad Divinum Officium, celebrantes coram ipſis ſcienter, vel ignorantia affectata. Quamobrem in omnes tales, qui id animo fecerint, vel qui ipſos ad Eccleſiaſticam ſepulturam receperint, præter pœnas alias in jure expreſſas ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ ſententiam generaliter ferimus in his ſcriptis. Interdicentes etiam reconciliationem omnibus cimiteriis illis, in quibus excommunicatorum corpora ſunt ſepulta.

XVI. Similiter ſub eiſdem pœnis firmiter prohibemus ne quiſquam in Eccleſiis non dedicatis, aut per effuſionem ſeminis, vel ſanguinis, ſeu alias per violentiam pollutis, vel in privatis domibus, ſeu ad Alraria non conſecrata, vel etiam portatilia, de cætero celebrare præſumat. Ne quisquam de qualicunque Beneficio

Ec-

Ecclesiastico, quocunque nomine censeatur, si mereatur dici Beneficium, ad cujus fundationem, confirmationem Episcopalis consensus, & authoritas efficaciter non accessit, directe vel indirecte se aliquatenus, sub eisdem pœnis, intromittat, cum talia sine Episcopali auctoritate exerceri nequeant aut etiam usurpari. Insuper Statutum felicis memoriæ Domini HEINRICI quondam Episcopi Lubecens. Prædecessoris nostri amplificandum statuimus, & sub pœna per eundem in contrarium facientes promulgata inhibemus, ne deinceps quis, præsertim in Ecclesia nostra Cathedrali Lubecensi sepeliatur.

XVII. Item: nisi per Nos propter Beneficia impensa sepeliendus dignus fuerit declaratus. Item mandamus & præcipimus, quatenus omnes & singuli, qui plura habent Beneficia ex consuetudine, vel ex jure incompatibilia, infra mensem suæ incompatibilitatis dispensationem, si quam habent, debeant adhibere. Alioquin contra ipsos executione, in quantum de jure poterimus, procedemus. Insuper ad reprimendum illicitos ausus malignantium, vestigiis Venerabilium Dominorum BORCHARDI, HEINRICI, & JOHANNIS Episcoporum quondam Lubecensium, nostrorum Prædecessorum, inhærere, ac justitiam nostram, & Ecclesiæ Lubecensis sponsæ nostræ defensare volentes merito, ut tenemur, in præsenti *Sancta Synodo* declaramus, esse statutum, decretum, & ordinatum, ac etiam statuimus & ordinamus, ne deinceps ulla persona Ecclesiastica, vel sæcularis; quantacunque præfulgeat nobilitate, aut præeminentia status, bona nostra Episcopalia, ac Dominorum nostrorum Præpositi, Decani, Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ nostræ Lubecensis violenter invadat, occupet, aut rapiat, aut invasoribus, occupatoribus, aut spolia toribus præstet auilium, consilium, favorem, vel Nos, seu Dominos nostros, Præpositum, Decanum, Canonicos, & Capitulum prædictos, aut Ecclesiam nostram in juribus, jurisdictionibus, & libertatibus nostris, seu ipsorum impediat vel perturbet, nec etiam colonos, villarios, aut subditos nostros, aut Præpositi, Decani, Canonicorum, & Capituli prædictorum capiat, res vel bona ipsorum violenter occupet nomine pignoris, res eorum violenter capiat, eos bonis suis spoliet, equos, boves & oves, & alia pecora eorum in prædam abducat, per onerosas & violentas hospitalitates, & indebita servitia eos affligat, & illicitas exactiones, tallias, seu collectas, ac vectigalia, seu precarias eis imponat, nec præmissa sic occupata, rapta, capta, ablata, seu deducta emat, vel detineat, nec ad præmissa facienda det consilium, auxilium, vel favorem. Si qua vero persona, cujuscunque conditionis aut status contrafacere præsumpserit, nisi infra sex dies immediate sequentes, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio & peremtorio termino, ac monitione Canonica sibi assignamus; occupata, rapta, capta, ablata, extorta, seu abducta restituerit, aut de damnis, violentiis, & injuriis, perturbationibus, & molestiis destiterit, excommunicationi ipso facto se noverit subjacere. Si qui vero Domini temporales, Comites, Barones, seu Nobiles, seu Domini temporales, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, seu existat, aut Advocati, seu Capitanei ipsorum, seu ipsius, aut majoris oppidorum, castrorum, aut villarum nostræ Diœcesis in hujusmodi sententias excommunicationum inciderint, & eas animis sustinerent induratis, per mensem a tempore lapsus publicatæ monitionis prædictæ computandum, in districtibus, seu terris dictorum Dominorum temporalium, Comitum, Baronum, & Nobilium, seu Domini temporalis, & per omnes Parochias districtuum, seu terrarum ipsorum, seu districtus ipsius in nostra Diœcesi constitutas, ac per oppida, castra, & villas prædictorum, dicta monitione præmissa; generaliter cessetur a Divinis. Si qui vero milites, seu miles, armigeri, seu armiger, vel oppidanus, colonus, aut alius quicunque nostræ Diœcesis in hujusmodi Prædecessorum nostrorum & nostras sententias inciderint, seu inciderit, & eas, ut supra, per mensem animis sustinuerint induratis, vel sustinuerit, in Parochiis illis, seu in Parochia illa duntaxat, in quibus, seu in qua tenent, seu tenet domicilia, seu domicilium prædicto mense elapso cessetur generaliter a Divinis. Et ne aliquis prædictorum malefactorum hujus-

hujusmodi ſtatuti, ſeu decreti ignorantiam valeat prætendere, omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus & interceſſoribus per noſtras civitates & Diœceſim Lubecenſes ubilibet conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ & nihilominus ſub pœna excommunicationis, quam trium dierum ſpatio pro canonica monitione præmiſſa in ipſos & ipſorum quemlibet ferimus in his ſcriptis, ſi non fecerint, quod mandatur, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſorum ſinguli in ſuis Eccleſiis, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, cum populus convenerit ad Divina, hujusmodi ſtatutum ſeu decretum per ſe publicent, ſeu per alios faciant publicari.

XVIII. *Item* excommunicamus omnes & ſingulos, tam Clericos, quam laicos, cujuscunque conditionis fuerint, qui Nos impediunt directe vel indirecte, per ſe, vel per alium, aut alios in noſtra jurisdictione Epiſcopali, in his, quæ ad officium noſtrum Paſtorale ſpectant. Innovamus inſuper vetera Statuta Prædeceſſorum noſtrorum de areis & dotibus ædificandis, de anno gratiæ, & de memoriis pro Dominis Principibus in terra Holtzat, & Epiſcopis Lubicenſibus, trina voce quolibet anno per Rectores Eccleſiarum, & Beneficiatos Diœceſ. noſtri faciendis, prout Præceceſſores noſtri ſtatuerunt, & decreverunt faciendis.

XIX. *Item* inhibemus, ne quis præſumat duas Miſſas habere de die, niſi in caſibus, in jure privilegiatis.

XX. *Item* volumus & mandamus, quod nullus conventionem faciat, ſeu aliquid exigat pro adminiſtratione Sacrorum Eccleſiaſticorum, niſi voluntarie offeratur.

XXI. *Item* ne aliquis Clericus exerceat uſuras, vel mercaturas ſuſpectas, vel contractum aliquem, in fraudem uſurarum.

XXII. *Item* mandamus, ne confeſſiones in cameris, locisque ſuſpectis, & occultis audiantur, ſed in Eccleſiis, ſeu aliis locis congruis & honeſtis, niſi infirmitatis affuerit cauſa. Indulgemus etiam Presbyteris ſibi invicem confitendi & abſolvendi poteſtatem in ſimplicibus.

XXIII. *Item* mandamus, ne Religioſi extranei & aliarum Diœceſium aliquatenus admittantur in Diœceſi noſtra in parochiis, niſi doceant, ſe legitime præſentatos & admiſſos. Nec etiam quæcunque Religioſæ perſonæ, niſi in habitu, quem deferre tenentur, ad Divina admittantur, quod, depoſito habitu, tamquam depoſiti a poteſtate, ſunt cenſendi.

XXIV. *Item* in Cœna Domini cum conſecratur Chriſma, compareant, qui ad hoc tenentur.

XXV. *Item* omnibus vere confeſſis & contritis, ſequentibus devote Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, dum portatur ad infirmos, auctoritate Nobis conceſſa, XL. dies indulgentiarum miſericorditer in Domino relaxamus.

XXVI. *Item* mandamus, ne aliquis libros, Calices, Patenas, vel alias res Eccleſiaſticas creditoribus præſumat aliquatenus obligari, ſed potius obligata redimantur, quæ etiam absque uſuris reſtitui præcipimus.

XXVII. *Item* mandamus Præpoſitis ſanctimonialium, ut caveant, ne aliquis, ſive Clericus ſive laicus introeat clauſtra Monialium, niſi de licentia Præpoſiti, & obtenta deſuper noſtra licentia ſpeciali. Contrarium facientes ipſi Præpoſiti, infra octo dierum ſpatium à tempore receſſus, Nobis vel noſtro Officiali ſtudeant revelare fideliter.

XXVIII. *Item* mandamus, ut baptiſteria Sacra in noſtris civitatibus, Diœceſ. ſub clauſtro debito, & religioſa Clericali cuſtodia habeantur & ſerventur.

XXIX. *Item* mandamus omnibus & ſingulis Divinorum Rectoribus, ſub pœna excommunicationis, quatenus, antequam de civitate Lubicenſ. recedant, per Principalem *de quarta Officiali* fideliter revelent, vel procurent revelari, nec recedant ſub eadem pœna, niſi prius cum Officiali noſtro, ſuper abſentibus & præſentibus conferant ſimiliter.

XXX. *Item* mandamus, ut unusquisque, ſecundum exigentiam ſui Beneficii ſtatutis a jure temporibus, ſub privationis pœna recipiat Sacros Ordines, ſicut decet.

XXXI. *Item* diſtrictius inhibemus, ne ad pueros baptizandos plures, quam tres compatres, de cætero aſſumantur, vel quo-

quomodolibet admittantur. Item quia nonnulli ad officium tabellionatus minus idonei in civitate & Diœcesi noſtris illegitime huic officio dicuntur ſe ingerere, ſtatuimus ſub pœna decem marcarum monetæ Lubicenſ. diſtricte mandando prohibentes, ne quisquam in civitate & Diœcesi noſtris prædictis aliquem pro tabellione ad conficiendum publicum inſtrumentum requirat, nec etiam de officio tabellionatus ſe quomodolibet intromittat, illud exercendo, niſi per Nos, aut Officialem noſtrum expreſſe fuerit approbatus. Alioquin requiremus pœnam hujusmodi decem marcarum fabricæ applicandarum: ſimiliter & de officio hujusmodi ſe intromittentes pœnam eandem eo ipſo ſe noverint incurriſſe.

XXXII. *Item* ne de præmiſſis ignorantiam prætendere quisquam valeat, ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ mandamus, ut quivis præſertim gerens in civitate & Diœcesi noſtra curam animarum, infra menſem proxime ſecuturum, copiam præſentis proceſſus Synodalis in ſua Eccleſia Parochiali apud ſe, etiam ad uſum aliorum habere procuret.

XXXIII. *Item* mandamus omnibus & ſingulis *ad æſtivalem Synodum* jam proxime præteritam vocatis, tunc abſentibus abinde & contumacibus, & etiam nunc abſentibus, nec non Clericis concubinariis, per Nos alias monitis, culpabiles, ſi qui fuerint, excommunicationis & ſuſpenſionis ſententias per Nos tunc latas damnabiliter incurrendo, quatenus ſub pœna xx. marcarum monetæ Lubic. fabricæ applicandarum infra quindecim ſpatium dierum proxime ſequentium, quivis ipſorum Beneficium abſolutionis, ſive diſpenſationis a Nobis obtinere procuret. Alioquin pœnam ſupra proxime dictam, eo ipſo ſe noverit incurriſſe.

XXXIV. *Item* petimus & in Domino hortamur, ut civitatis & Diœcesis noſtrarum Presbyter quilibet tres Miſſas celebret, videlicet unam pro vivis, aliam pro defunctis, & tertiam pro pace, quam Nobis pacis auctor tribuere dignetur, & firmiter ſtabilire.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præſentes literas, & inſtrumentum, hujusmodi noſtrum Proceſſum Synodalem in ſe continentes, ſive continens exinde fieri, & per Albertum, Notarium noſtrum, atque Scribam infraſcriptum, ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique Secreti juſſimus appenſione muniri. Datum Lubic. in Curia noſtra Epiſcopali ibidem, anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo. Indictione XIII. menſis Octobris, die XXIII. hora tertia, vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris & Domini noſtri MARTINI, Divina providentia Papæ quinti, anno tertio. Præſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis Viris, Dominis, Johanne Daghewake in Ronnebergbe Mindenſ. & Gherardo in Myeſtad, noſtræ Lubicenſ. Diœceſis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Albertus von Dembrake, Clericus Verdenſis Diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, prædictarum ſententiarum atque Proceſſus Synodal. Fulmination. & Decreto, omnibusque aliis præmiſſis præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in hanc publicam formam redegi. Quam de mandato ſupradicti Reverendi in Chriſto Patris, Domini JOHANNIS, Epiſcopi Lubicenſis, una cum appenſione Secreti ſui, ſigno & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi, rogatus & requiſitus in fidem, & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Lunig Teutſchen Reichs-Archivs II. Theil pag. 384.



CON-

CONCILIUM SALTZBURGENSE PROVINCIALE

SUB EBERHARDO, (*) ARCHI-EPISCOPO SALTZBURGENSI,

Anno Chriſti MCCCCXX. Martini V. Papæ III. Sigismundi Rom. Reg. XI.

In cauſa Fidei & Morum.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

EBERHARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS SALTZBURGENSIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

DEUS omnium creaturarum Fabricator, poſt infinita ſæcula creaturas ad extra ſuæ caritatis volens eſſe participes, ad ipſius imaginem & (*a*) pulchritudinem humanam condidit creaturam, perfectam, in naturalibus illuſtratam, & cunctis adornatam virtutibus, & ratione rectiſſima regulatam; quibus felicitatem poterat poſſidere perpetuam, ſi in originali juſtitia perſtitiſſet. Sed hoſtis antiquus tantæ, quam amiſerat, felicitati invidens, hominem tot donis & virtutibus præfulgentem ſua calliditate traxit ad vetita. Cui homo primus aſſentiens, cum tota ſui ipſius poſteritate, in ſingulis ſuis virtutibus vulneratus, mortalis effectus, cœpit infinitis, nedum corporis, ſed etiam animi incommodis & miſeriis laborare. Hinc & homicidia, hinc & mala innumerabilia per appetitum noxium, proclivem ad malum, orbem replevere terrarum. Sed in horum remedium, miſerationum Dominus regulas ad honeſte vivendum, quibus homo felicitatem recuperaret perditam, nedum per ora Prophetarum, & Principum, & ipſorum Legatorum, ſed etiam ſacratorum Præſulum Provinciæ Saltzburgenſis, in ſolicitudinis partem vocatorum Prædeceſſorum noſtrorum, pro directione gregis ipſis crediti Divinitus promulgavit. Quæ licet ſaluberrima exſtitiſſent, temporum tamen exigente malitia, qua univerſalis Dei Eccleſia monſtruoſo & peſtifero ſchismate fere ſex luſtris miſerabiliter lacerata, a memoria hominum ex quadam diſſuetudine exſularunt. Hinc delinquentium impunitas, præbens veniam delinquendi, effecit, ut effrenata cupiditas, & facilitas veniæ, tam in Clero, quam in populo, noſtræ Provinciæ decorem priſtinum in moribus per difformitatem vitæ denigrantur. (*b*) Sed quia dies Sanctificationis illuxit, qua Romana & univerſalis Eccleſia jam unico & indubitato gubernatur Paſtore, tempus eſt, ut ex debito Paſtoralis officii, quod dudum in votis geſſimus, ad reprimendum tot conatus noxios, ad ſanandum infirmos, ad alligandum confractos, ad corrigendum exceſſus, ad reformandum mores, providis Statutorum remediis aſſurgamus.

Hinc eſt, quod Nos EBERHARDUS præfatus, *Albertus* Ratisponenſis, *Hermannus* Friſingenſis, *Engelmarus* Chiemenſis, *Ulricus* Seccovienſis, *Wolffhardus* Laventinenſis, cum Venerabilium Fratrum noſtrorum abſentium *Patavienſis*, *Brixi-*

(*) Eberhardus, Baro de Neuhaus, III. hoc nomine eligitur Archi-Epiſc. Salisburg. anno 1403., Synodum celebravit anno 1418. die octava poſt Martini redux e Concilio Conſtantienſi eodem anno clauſo (licet in impreſſione omnes annum 1420. præferant) ait *Hanſiz Tom. II. Germ. pag.* 468. Univerſitas Viennenſis 4. Doctores ab Archiep. accitos eo miſit ex ſuo gremio, anno 1418. ait *Hanſiz loc. cit.*

(*a*) *forte:* ſimilitudinem (*b*) *lege:* denigrarent.

Brixienſis, *Gurzenſis*, Eccleſiarum Epiſcoporum, *Procuratorum*, & Venerabilium (*b*) Abbatum, & aliorum Prælatorum, & totius *Sacri Concilii Saltzburgenſis* approbatione, conſilio, & conſenſu, omnia & ſingula Statuta Reverendiſſimi Patris & Domini, Domini GUIDONIS, tunc *Sancti Laurentii* in Lucina Presbyteri Cardinalis, & Reverendi Patris & Domini, Domini JOANNIS Epiſcopi Tuſculani, Apoſtolicæ Sedis Legatorum, dum in noſtra Provincia Legationis officio fungerentur, & Reverendiſſimorum Patrum ac Dominorum divæ memoriæ FRIDERICI, CHUNRADI, PILGRINI, Sanctæ Saltzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcoporum, ac Legatorum Sedis Apoſtolicæ, Prædeceſſorum noſtrorum, edita in ipſorum Provinciis, ſeu *Conciliis Provincialibus*, innovamus, & obſervari præcipimus. Quibus novis morbis emergentibus nova remedia adhibentes, Statuta ſubſcripta, de Venerabilium Fratrum noſtrorum prædictorum, & totius Provinciæ approbatione, ordinamus & ſtatuimus, volentes & præcipientes, easdem noſtras Conſtitutiones ab omnibus & ſingulis noſtris *Suffraganeis*, & eorum ſubditis firmiter obſervari & publicari *in ipſorum Synodis*, copiasque illarum petentibus decernimus ſub petentium ſumptibus & expenſis.

I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica, *ex Concilio Domini Eberhardi.*

DE SUMMA TRINITATE, quæ propter ſui exquiſitiſſimam & probatiſſimam perfectionem, ac clariſſimam, & lucidiſſimam veritatem, adjectione vel declaratione ulla non indiget: ad quam in primis, tamquam principium, medium & finem ſalutis omnium, corda noſtra, manus & oculos elevemus devoti: nihil aliud eſt credendum, tenendum, & docendum, niſi *quod Romana credit, tenet, & docet Eccleſia*, piiſſima, ſanctiſſima, & prudentiſſima Mater noſtra: ita tamen, ut omnes Prælati articulos Fidei principales fideliter ſuos ſubditos laicos doceant ſimpliciter credere, ſicut Eccleſia: (*c*) Eccleſiaſticos vero expliciter & diſtincte.

Item ſtatuimus, ut ſi aliquis Clericus vel laicus utriusque ſexus, cujuscumque dignitatis, religionis, vel ſtatus exiſtat, auſus ſit præſumptione damnabili publice prædicare, aut occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali peccato exſiſtens non poſſit conficere corpus Chriſti; ſeu ſic ligatus non poſſit ſolvere vel ligare ſuos ſubditos a peccatis; pro hæretico & incredulo habeatur. Quem errorem *hujus Sacri Concilii approbatione* damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus; cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod ſive bonus, ſive malus ſit Miniſter, per utrumque Deus effectum gratiæ confert. Non enim, quæ ſancta, coinquinari poſſunt: nec ipſa Sacramenta propter hominum malitiam profanari. Unde Sacerdos, quantumcumque pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exſiſtant. Licite ergo a quocumque Sacerdote ab Eccleſia tolerato Divina Myſteria audiantur, & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramenta.

II. *De Conſtitutionibus.*

Fruſtra Sanctorum Decreta *Canonum* antiquis fuiſſent ordinata temporibus, ſi illorum executio negligatur. Hinc eſt, quod Nos *Eberhardus*, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Saltzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Statuta Romanorum Pontificum de celebrandis *Provincialibuss Conciliis* & *Epiſcopalibus Synodis* diligenter cupientes obſervari, ordinamus; quod noſtrum *Provinciale* proximum Concilium a Feſto Sancti Auguſtini proxime futuro ad annum, indicimus publice, & intimamus in hac civitate Metropolitana noſtra Saltzburgenſi, per Nos, Deo concedente, aut noſtros Procuratores ſolemniter celebrandum; niſi ex emergente cauſa, ut puta, guerræ, peſtilentiæ, aut alia duxerimus locum immutandum. Quam mutationem loci etiam congruo tempore noſtris literis intendimus publicare. Ad quod conveniendum exnunc ſub pœnis infra ſcriptis evocamus, citamus, & requirimus omnes & ſingulos noſtræ Provinciæ, qui per annum per ſeipſos, vel alium in caſu *Suffraganeos*, & alios quoscumque, qui de jure, vel conſuetudine ad Provinciale Concilium ire tenentur. Sta-

(*b*) Religioſorum (*c*) Clericos

Statuentes denique pro ulteriori Canonum excecutione, *Sacro approbante Concilio*, ut finguli *Suffraganei* noftræ provinciæ, qui per annum per fe ipfos, vel alium in cafu, quo legitime non fuerint impediti, omiferint celebrare *Synodos Epifcopales*, a Pontificali officio, nec non ab omni exercitio jurisdictionis Ecclefiafticæ per fe vel per alium fint ipfo jure fufpenfi; eorumque jurisdictio Ecclefiaftica, & illius liberum exercitium, ad Capitulum, feu Ecclefiam devolvatur, & devoluta perfiftat; omniaque & fingula emolumenta jurisdictionis ad Capitulum pertineant, in publicam ipfius Ecclefiæ, non fingularium perfonarum, vel officiorum utilitatem, donec hujusmodi *Synodos* (*d*) congregaverit, convertenda. Adjicientes, quod fub pœna præmiffa, omnes & finguli noftræ provinciæ Suffraganei infra hinc & *Feftum Sancti Jacobi* proxime venturum, *fuas Synodos* in fuis Diœcefibus ftudeant celebrare. In quibus de corrigendis exceffibus, & reformandis moribus, præfertim in Clero, cum Dei timore agatur, vifitationes faciant, vel fieri procurent, maxime Monafteriorum Ordinis Sancti Auguftini Canonicorum Regularium, & Sancti Benedicti in certis partibus, heu, nimium collapforum, juxta Canonicas fanctiones: quod & Nos in noftra Diœcefi Saltzburgenfi fieri procurabimus; ut exhibeamus Nos noftris fratribus in exemplum. Si vero dicto tempore fufpenfionis durante, Suffraganei noftri, vel alter eorumdem exercitio dictæ jurisdictionis Ecclefiafticæ per fe, vel per alium fe immifcuerit, aut Capitulum (*e*) contra præmiffa impediverit, ipfo facto fententiam excommunicationis incurrat. Quod fi per annum alium integrum Suffraganei noftræ provinciæ Concilium Synodale convocare feu celebrare neglexerint (quia crefcente contumacia crefcere debet & pœna) contra (*f*) dictos contumaces violatores Canonum & noftrarum conftitutionum fequenti Provinciali Concilio, aut Concilio generali, fi illud celebrari contigerit, de remedio provideatur opportuno juxta Canonicas Sanctiones. Suffraganei vero noftri, & alii, qui de jure, vel confuetudine ad Provinciale Concilium ire tenentur, nifi congruo fe tempore perfonaliter præfentaverint, excommunicationis fententiam incurrant ipfo facto, nifi tali neceffitate & impedimento legitime præpediti fuerint, ex tunc per Procuratores fuos legitimos comparere teneantur fub pœna prædicta. Durentque Concilia Provincialia per duodecim: & Epifcopales Synodi per tres dies, nifi agendorum exigentia prolixius aut præcifius tempus expofcat.

Infuper *Sacro approbante Concilio* ordinamus, ut omnes & finguli noftri Suffraganei in proximis ipforum Synodis per fingulas Diœcefes, prout & Nos in noftra proxima Synodi Saltzburgenfi ordinabimus fub pœna fufpenfionis a Pontificali officio, ftudeant perfonas idoneas, probas videlicet & honeftas, in teftes publicos five Synodales ordinare, qui per totum annum fimpliciter & de plano absque ulla jurisdictione folicite inveftigent, quæ correctione & reformatione fint digna, & ea fideliter referant ad Provinciale Concilium, aut Synodum Epifcopalem, ut correctione digna animadverfione congrua puniantur.

Ad reformationem quoque Ordinum *Sancti Auguftini* Canonicorum Regularium, & *Sancti Benedicti* noftræ Provinciæ, cura officii Paftoralis attendentes, Sacro approbante Concilio, ordinamus Præfidentes Capitulis antedictis, videlicet de Ordine *Sancti Auguftini* Canonicorum Regularium, (*g*) Dominum Præpofitum, Metropolitanæ Ecclefiæ Saltzburgenfis, Monafterii Beatæ Mariæ Virginis Nuiburgæ Patavienfis Diœcefis Præpofitos; de Ordine vero *Sancti Benedicti* Religiofos Monafterii *Sancti Petri* civitatis Saltzburgenfis, & in Niedernaltach Patavienfis Diœcefis Abbates: quibus plenam concedimus poteftatem citandi & evocandi, per cenfuras etiam Ecclefiafticas omnes & fingulos Abbates, Præpofitos, Priores, & quofcumque alios Ordinum prædictorum, qui ad Capitula ipforum Provincialia confueverunt convocari, aut de jure vocari debebunt. Super quibus ipfis decernimus per Cancellariam noftram fieri literas opportunas, qui in eventum negligentiæ Epifcoporum Suffraganeorum noftrorum, fi fuas *Synodos* non celebraverint in termino fuperius (*h*) expreffo; & emen-

(*d*) aggregaverint, (*e*) circa præmiffa (*f*) *forte:* tales
(*g*) Dominos (*h*) expreffato.

emendanda, & corrigenda in omnibus & singulis Monasteriis Ordinum prædictorum nostræ Provinciæ non correxerint, & emendaverint diligenter, teneantur singuli suum Capitulum Provinciale in loco apto suorum Monasteriorum, in *festo Sancti Michaelis* proxime futuro, convocare & celebrare: ibique agere de reformatione Ordinum & Monasteriorum juxta Constitutiones dictorum Ordinum, & Canonicas Sanctiones: jure tamen Ordinariorum in omnibus semper salvo. Dictaque Capitula Provincialia prædictorum Ordinum *de triennio in triennium* per prædictos Ordines districte præcipimus in nostra Provincia celebrari. In casu etiam diligentiæ, quo nostri Suffraganei etiam suas Synodos celebraverint, fecerintque diligentiam suam pro reformatione Ordinum præfatorum; nihilominus tamen volumus & ordinamus, ac districte præcipimus, ut Præsidentes superius nominati, debeant & teneantur de *triennio in triennium* incipiendo a fine præsentis *Concilii*, sua Capitula celebrare; liberumque sit Præsidentibus sæpe dictis terminum præfatum pro suis celebrandis Capitulis prævenire.

Ordinamus denique, *Sacro approbante Concilio*, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, & mandamus omnibus & singulis Abbatibus, Abbatissis, Præpositis, Prioribus, Priorissis, & aliis, quibus cura, & administratio Monasteriorum utriusque sexus dictorum Ordinum nostræ Provinciæ est commissa; quatenus infra hinc & festum *Pentecostes* proxime futurum, debitum Pastoralis officii sui diligenter impendant: ipsos præcipue ad tria substantialia Ordinis, videlicet, proprietatis abdicationem, obedientiæ exhibitionem, & castitatis observationem reducendo: prohibendo congressus (*i*) sine causa rationabili, & ingressum personarum suspectarum: ac observent, & a suis subditis faciant observari, ut Divinum officium diurnum pariter & nocturnum devote juxta Regulas dictorum Ordinum celebretur. In aliis vero, quæ reformationem Monasteriorum & Ordinum præfatorum respiciunt, se tales ostendant, quod Nobis, & Suffraganeis nostris ipsos visitantibus, de diligentia quam invenimus, debebunt merito commendari: sciturі, quod si in præmissis, aut eorum aliquo negligentes exstiterint, aut aliqui ex subditis præmissorum rebelles, & inobedientes inventi fuerint; contra tales per Nos, & nostros Suffraganeos ad pœnas graviores procedemus juxta Canonicas Sanctiones.

III. *De Consuetudine.*

Consuetudines, quæ gravamen Eccesiis inducere (*k*) demonstrantur, invalidas publicamus: locorum Ordinariis, ut in omnem eventum eis resistant, firmiter injungentes.

IV. *De Renuntiationibus.*

Nullus Ecclesiam, vel Beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel recipere præsumat sine sui Superioris authoritate; quod sub pœna excommunicationis, vel suspensionis omnibus firmiter inhibemus.

V. *De Scrutinio.*

Statuimus, quod nullus ad examen per Sacrorum Ordinum suceptionem aliquatenus admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo Sacerdoti. Et quia pauci sunt, qui sua delicta cum sequelis eorum intelligant, per districtum informatorem debet instrui ordinandus, an expediat sibi ordinari, an vero (*l*) irregularitatis alicujus prætextu ei potius sit abstinendum.

Item quod nullus admittatur ordinandus, vel promovendus ad ordinem super Vicaria ((*m*) nisi sit perpetua Vicaria) a qua non possit ad inordinatum placitum amoveri.

Statuimus insuper ad terrorem malefactorum, ut omnes Episcopi provinciæ Saltzburgensis, ac eorum Vicarii, quando volunt & debent suis temporibus ordines celebrare, committant expresse Examinatoribus Clericorum ordinandorum sub anathematis interminatione, ut inter cetera perquirenda fideli diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi a singulis ordinandis, ut si patres,

(*i*) egressus (*k*) dignoscuntur
(*l*) *id est*: finis alicujus pravi & minus recti & legitimi.
(*m*) *Hæc parenthetica clausula in MS. Ratisbonensi deest.*

tres, avi, aut progenitores eorum usque ad lineam ascendentem, captivaverint, captivatum detinuerint, occiderint, aut mutilaverint temere Clericum aliquem in Sacris Ordinibus constitutum, & pro Clerico se gerentem. Eum vero, quem in aliquo præmissorum affectum per aliquem ipsorum progenitorum usque ad lineam memoratam invenerint, si hujusmodi factum sit notorium, non admittant. Prælati quoque, vel eorum vices gerentes, quorum interest investire, vel instituere præsentatos, ante investituram, vel institutionem cum summa diligentia de his quærant: & quos tales invenerint, nullo modo instituant ad aliquod Officium, vel Beneficium Ecclesiasticum. Examinatores insuper & Prælati, ac eorum vices gerentes, qui secus in præmissis agere præsumpserint, in futurum suspensionis sententia percellantur: alias per locorum Ordinarios graviter puniendi, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum, & ab hujusmodi reatibus appareant absoluti.

VI. *De Filiis Presbyterorum.*

Nullus illegitime natus ad aliquem Sacrum Ordinem vel Beneficium, aut Officium Curam habens animarum, sine dispensatione Sedis Apostolicæ admittatur in aliqua Ecclesia sæculari. Et tales, qui hactenus sunt admissi, si de his constiterit, per eorum Ordinarios repellantur. Alioquin scienter contrarium facientes per unum mensem ab ingressu Ecclesiæ noverint se suspensos.

VII. *De Officio Archidiaconi.*

Inhibemus Episcopis, Archidiaconis, Prælatis, ac eorum Officialibus universis sub pœna suspensionis, quam in omnes facientes contrarium promulgamus, ne subditis suis, aut eis qui litigant, seu litigaverint coram eis, aliquam eis faciant inhibitionem, seu impedimentum aliquod præstent, sub quocunque colore vel modo, publice vel occulte, quo minus causas suas appellationum, seu quascumque alias ad examen Superiorum spectantes, libere possint (*n*) deferre.

VIII. *De Officio Vicarii.*

Et quia Ecclesiarum Rectores Vicariis suis adeo relinquunt exiguam portionem, quod ex ea nequeant sustentari, Generali Concilio inhærentes statuimus, ut ipsis Vicariis suis sufficiens, & honesta portio de proventibus Ecclesiæ assignetur. Alioquin ipsi Rectores, si moniti non assignaverint, suis poterunt Beneficiis spoliari. Nullusque sub pœna suspensionis ab Officio, intitulatus ad Curam animarum, Vicariam perpetuam, vel (*o*) Episcopalem, vel (*p*) plus Beneficii assumere præsumat.

IX. *De Officio delegati.*

Ad hæc plerumque contingit, quod judices delegati, (*q*) ad quos simplices commissiones sub forma communi diriguntur, ultra quam patiantur vires rescripti præcedentis, terras, civitates, oppida & villas Ecclesiastico subjiciunt interdicto, invocantes etiam super hoc brachium sæculare. Nos igitur volentes iniquis processibus hujusmodi obviare, præsenti scripto declaramus de Fratrum nostrorum consilio & assensu, quod Sacerdotes nostræ civitatis, Diœcesis, & Provinciæ, ad observationem seu publicationem sententiarum hujusmodi interdicti minime teneantur; nec invocationi brachii sæcularis, quam sic faciunt, aliquatenus est parendum: super interdicto vero ponendo, recurrant ad decretalem extravagantem, quæ incipit: *Provide attendendum* (*r*). Et est Bonifacii VIII. cujus tenor sequitur in hæc verba:
" Provide attendendum, quod, ut frequentius, quamvis non sine causa, sine culpa tamen multorum, interdicti sententiæ proferuntur: quodque sunt nonnulli judices nimis prompti ad proferendas easdem, etiam in negotiis sive causis, quæ interdum plus ex cupiditatis, quam caritatis radice perspicuis indiciis procedere arguuntur: quodque interdicti tempore Divina organa suspenduntur, & laudes; nec Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, ut solent; tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia; præsertim per oblationem frequentem Hostiæ salutaris: adolescentes & parvuli participantes rarius Sacra-

(*n*) ferre (*o*) temporalem (*p*) similis Beneficii
(*q*) seu subdelegati (*r*) *In sexto Extravag. commun. Lib. 5. de sent. excomm. c. 2.*

" Sacramenta, minus inflammantur, & " ſolidantur in fide : fidelium tepeſcit " devotio, hæreſis pullulat, & multi- " plicantur pericula animarum: præſen- " tis conſtitutionis providemus edicto, " ut nulla provincia, civitas, caſtrum, " villa, locus, territorium, vel diſtri- " ctus auctoritate ordinaria, vel delegata " ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto pro " pecuniario debito, vel pro cujusvis " monetæ vel pecuniæ quantitate, qua- " cumque occaſione vel cauſa, ſeu quo- " vis quæſito colore : pro eo maxime, " quod ipſorum Domini, Rectores, ſeu " Officiales, quocumque nomine cenſe- " antur, aut incolæ ſeu habitatores, aut " ſingulares perſonæ, ipſorum ſtatutis " vel ſtatuendis, ordinatis vel ordinan- " dis terminis hujusmodi debitum, ſeu " quantitatem non ſolverunt hactenus, " aut in antea non perſolvent. Nos " enim exnunc decernimus irritum & " inane, ſi ſecus hactenus exſtitit atten- " tatum, vel contigerit attentari; (s) il- " ludque revocamus omnino. Non ob- " ſtantibus quibuscumque contractibus, " obligationibus, pactis, conventioni- " bus, compoſitionibus, ſubmiſſioni- " bus, fidejuſſionibus, conſenſibus, " proceſſibus, & ſententiis ſuper hoc " habitis; vel habendis, juramentorum, " pœnarum ſpiritualium & temporali- " um, ſeu multarum appoſitione, vel " quacumque alia firmitate vallatis : niſi " talis ſuppoſitio interdicti hactenus fo- " ret facta, vel in antea fieret de Apo- " ſtolicæ Sedis licentia ſpeciali expreſſa, " per ipſius Sedis patentes litteras ap- " parente.

X. *De Officio Ordinarii.*

Sacerdos vero quilibet plebem (t) piam doceat diligenter, ut, cum in celebratione Miſſarum levatur Hoſtia ſalutaris, quilibet Deo devote flectat genua ſua, vel ſaltem ſe reverenter inclinet : idem faciens, cum eam portat Presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, ferat mani feſte & honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore, ſemper nola parvula & lumine, niſi locorum repugnet diſtantia vel temporis qualitas, præcedentibus, ut ex hoc fides & devotio apud homines augeantur.

Cum mos unicuique gerendus ſit, & in diverſis Diœceſibus noſtræ provinciæ Clerus & populus inveniatur variis vitiis & defectibus laborare, quæ omnia non poſſunt una quaſi medela curari : Nos, cunctorum ſaluti noſtri gregis, quantum poſſumus, providere volentes, aliqua duximus generaliter committenda; omnesque & ſingulos noſtros Suffraganeos, qui una nobiscum ſuper populum nobis creditum in partem ſolicitudinis ſunt vocati, & de contingentibus apud ipſos in Clero & populo, quæ reformatione & emendatione indigent, habent notitiam certiorem; paterna exhortatione requirimus, & monemus in viſceribus Jeſu Chriſti, ut gregi ſibi commiſſo præſint verbo doctrinæ pariter & exemplo, ac ſecundum qualitatem temporum & locorum, ea quæ correctione & emendatione indigent, reformare & corrigere, dum ipſos ſuas Synodos celebrare, & ſuas Diœceſes viſitare contingit per ſeipſos, vel alios Deum timentes, non omittant; In ipſorum Paſtorali Officio taliter procedentes, ut tollantur ſcandala, evellantur vitia, & populus eis creditus numero, & merito augeatur; ne ſubditorum ſanguis in die diſtricti judicii de ipſorum manibus requiratur: attendant, ut ſint jurium, præſertim contra Eccleſiaſtica crimina promulgatorum, & noſtrarum conſtitutionum exſecutores. Uſuras prohibeant, quantum poſſunt; Clericorum concubinatum cohibeant nimium ſcandaloſum; provideant, ut Divinum officium (u) canonice & debite perſolvatur: ut mendicantes præſentati cum litteris Ordinariorum in ipſorum mendicitate non graventur. Ut mendicantes Fratres ſuis limitibus contenti, Parochiales Eccleſias & ipſarum jura non offendant; Feſtivitates Sanctorum nimis multiplicatas reſtringant. Item, quia Divinum Officium in Eccleſiis cum Solemnitatibus debitis perſolvatur : habeantque Archidiaconos, Decanos, & Officiales in jure peritos, habentes peritiam cauſarum; quod tales juſtitiam (v) celeriter faciant, præcipue pauperibus: abſtineant ſe, & abſtinere faciant tales

(s) illud quoque (t) ſuam (u) in Eccleſiis cum ſolemnitatibus debitis
(v) in ſcientia celeriter faciant pauperibus.

tales ab immoderatis exactionibus circa lites: quod de Monasteriis Ordinum Sancti Augustini Canonicorum Regularium, & Sancti Benedicti, suarum Diœcesium juvenes habiles mittantur ad studium generale: quod Beneficiorum permutationes dumtaxat ex causis a jure permissis admittantur.

XI. *De Majoritate & Obedientia.*

Sacro approbante etiam *Concilio* statuimus, ut nulli Clerici Nobilium, Capellani in capellis castrorum Dominorum suorum celebrare præsumant, nisi ante Episcopo, vel loci Archidiacono obedientiam faciant manualem, ut ad Synodos veniant & Capitula, certis temporibus & statutis mandata Ecclesiastica recepturi, & suis Dominis, ac eorum castrensibus, secundum quod fuerit opportunum, relaturi; cum Plebani, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem suorum Dominorum. Quod si secus quispiam facere præsumpserit, per loci Ordinarium, vel Archidiaconum condigne puniatur. Statuentes etiam sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ, districte mandantes, ut si quando prædam vel spolium rerum Ecclesiasticarum ad Divinum cultum deputatarum, seu etiam Ecclesiasticam personam captivam ad aliquam civitatem, villam, oppidum, seu castrum adduci contigerit, Sacerdotes & Capellani civitatum, villarum, castrorum, postquam sciverint, non exspectato super eo (*x*) suorum mandato, abstineant a Divinis interim, quoad persona captiva, aut res Ecclesiasticæ prædictæ in præfatis locis detinentur.

XII. *De his; (y) qui vi metuque absolvunt, vel absolvuntur.*

Hos, qui absolutionem, vel quamcumque revocationem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicti sententiis, per vim, vel per metum extorserint, cum hoc, quod hujusmodi absolutiones, revocationes sunt irritæ, statuimus, & publicamus, excommunicationis sententiæ subjacere.

XIII.

. . . .

Quia Clerici & Religiosi nonnulli, non attendentes, quantum sit obedientiæ bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum est ariolandi, nolle acquiescere; & scelus idololatriæ, obedire non velle; amissionem rerum suarum & corporis, & vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exsequi Prælatorum. Qui cum prosperitatis tempore multa bona receperint, laute vixerint de patrimonio Crucifixi, imminente necessitatis articulo, pro honore illius adversitates sustinere detrectant, qui cum foret summe dives, ad obediendum Deo Patri pro salute nostra subiit onus voluntariæ paupertatis: ex quo propter contemptum clavium Ecclesiæ, nervus Ecclesiasticæ disciplinæ dissolvitur, & animas miserabiliter periclitari contingit: Sacra hujus Concilii necessaria deliberatione statuimus, ut nulla rerum perditio, aut metus corporis, nec legitime probatus, subditi inobedientiam, mandatum Prælati exsequi non curantis, valeant excusare: adeo, quod si metus corporis dumtaxat sentienti, proprio juramento, & non legitimis coram eo, a quo mandatum subditus receperit (*z*) ostensis fuerit documentis, nihilominus loco cedat, ne notam transgressionis incurrere videatur. In his autem, quæ in non faciendo consistunt, ut puta, cum mandatur, non communicare excommunicatis, non celebrare in locis interdictis, ac aliis hujusmodi, omnino nullum, nec rerum, nec corporum, quantumcumque probatus metus excusat; cum pro nullo metu debeat peccatum mortale committere; quod ex inobedientia surgere, Sanctorum auctoritatibus comprobatur.

XIV. *De Alienatione.* (a)

Quia plerumque cessiones actionum in fraudem fiunt; aliquando tamen pure & simpliciter ex causa legitima: statuimus, ut cessiones actionum, quæ ex justis causis vel causa procedunt, in præsentia Episcoporum, Judicum, seu Officialium suorum, de licentia eorumdem, si subsint legitimæ causæ, fiant: jurent etiam

(*x*) *forte:* Superiorum
(*z*) *forte:* ostensus
(*y*) quæ vi aut metus causa fiunt.
(*a*) mutandi judicii causa facti.

etiam cedentes, quod non ſimulate, ſed vere cedant. Alioquin ſecus factas, determinamus non tenere.

XV. *De Judiciis.*

Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam perſonaliter citari non poſſunt: quidam etiam, quia in caſtris habitant, ita quod nulla poteſt ad eos citatio pervenire: idcirco provida & neceſſaria deliberatione ſtatuimus, ut contra tales citationes edictum apud Parochialem Eccleſiam ipſorum publice & legitime proponatur. Quia, ſi Parochialis Sacerdos tales citare non poſſet metus cauſa, faciat juramentum hujusmodi coram aliquo Presbytero honeſto, qui ipſi judici de hoc faciat literatoriam fidem. Extunc in Cathedrali Eccleſia tribus Dominicis continuis publice in ambone citentur, dummodo citandi infra unam diætam ſint a Cathedrali Eccleſia conſtituti. Alioquin ad tres quindenas ſolemniter evocentur. Et extunc contra hujusmodi, ac ſi perſonaliter citati fuerint, procedatur, ne ex malitia valeant commodum reportare: propterea, quod crudeles homines & perverſi; dum ad forum Eccleſiaſticum in cauſis, etiam de quibus Eccleſia merito habet agnoſcere, a judicibus evocantur, illius auctoritatis, qua dicitur; qui honorat miſſum, honorat mittentem: immemores exiſtentes; Nuncios Eccleſiaſticorum Judicum citatione excommunicationis, vel alias judiciales, & juris litteras defendentes, verbis probroſis, & quandoque duris verberibus quosdam captivantes, alios interdum ſuis rebus temere, publice ſpoliantes, multipliciter afficiunt & perturbant, & impediunt citationes, & litterarum exſecutiones, in non modicam Eccleſiaſticæ libertatis contumeliam & jacturam. Conſiderantes igitur malitiis hominum non eſſe aliquatenus indulgendum, hoc *Sacro approbante Concilio* duximus ſtatuendum, ut reus nuntios acta judicialia deferentes, per ſe, vel per alium verberans, ſpolians, vel captivans, lite etiam non conteſtata, auctoritate etiam hujus Sacri Concilii habeatur penitus pro convicto. Actor vero in cauſa reconventionis ſimilia perpetrare per ſe, vel per alium non formidans, ſuper inſtituta contra reum actione amplius nullatenus audiatur. Et inſuper uterque, ac omnes alii, qui nomine & actione eorum talia facere præſumpſerint, uſque ad condignam ſatisfactionem læſo, & judicibus ſummaria cognitione ſuper hujus fero facto præhabita, percellantur.

XVI. *De foro competenti.*

Dudum felicis recordationis PILGRINUS, Prædeceſſor noſter, provide duxerat ſtatuendum, ne Prælatus, vel quivis alius Clericus, alium Prælatum, vel Clericum, aut etiam laicus quamcunque perſonam Eccleſiaſticam coram ſæculari judice trahere, vel convenire, aut tractus ſeu conventus ſponte & judicialiter præſumeret reſpondere: alioqui tam trahentes, quam tracti, ultra pœnas contra tales a jure promulgatas, excommunicationis ſententiam incurrerent ipſo facto. Verum nonnulli laici ſalutis ſuæ immemores, contra pœnas prædictas, perſonas Eccleſiaſticas, etiam ſi Pontificali præfulgeant dignitate, ad hujusmodi judicia forenſia & ſæcularia indiſtincte trahere non verentur. Qui quidem judices ſæculares (*o*) nec compareant propria in perſona ſic citati, res & bona ſua, atque Beneficiorum ſuorum, decernunt in contumaciam invadenda, ſic quod ipſi laici exinde, occaſione recepta, bona Eccleſiaſtica invadere & occupare præſumunt in Eccleſiaſticæ libertatis detrimentum. Nos hujusmodi temeritatis audaciam reprimere cupientes, datam conſtitutionem Prædeceſſoris noſtri auctoritate hujus Concilii de Fratrum noſtrorum conſilio innovamus, & extendi volumus ad judices ſæculares antedictos. Adjicientes, quod ſi quando laicus Clericum, ſeu Eccleſiaſticam perſonam, cujuscumque dignitatis vel conditionis exiſtat, noſtræ Saltzburgenſis, Brixinenſis, Chiemenſis, Seccovienſis, & Laventinenſis Diœceſium, ad judicium ſæculare trahere vel judicare præſumpſerit, tamdiu in territorio trahentis & judicantis ceſſetur a Divinis, donec de hujusmodi injuria ſatisfecerint parti tractæ, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

XVII.

(*o*) *forte*: ne compareant.

XVII. *De vita & honestate Clericorum.*

Etsi per Sacros Canones, & nostrorum Antecessorum constitutiones indecentia in vita,& habitu Clericorum strictissime prohibeatur, nostri tamen subjecti temporibus præsentibus hoc minime attendentes, tam in habitu, quam reliquis ad honestatem in sortem Domini electorum spectantibus habenas suas dimiserunt. Nos igitur huic inhonestati Clericorum occurrere volentes, nostrorum nihilominus Antecessorum constitutionibus in suo robore duraturis, statuimus, ut quicumque Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, vel in minoribus, & Beneficiatus tantum, portaverit habitum a Sacris Canonibus, vel a nostris Antecessoribus prohibitum, si monitus fuerit, eo ipso amissionem illius habitus incurrat ipso jure, in aliquod opus pium convertendum (*d*). Et ut hæc constitutio nostris temporibus effectu non careat, nostris Suffraganeis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii præcipimus, quod per suas Diœceses aliquos discretos & honestos Ecclesiasticos Viros deputent, qui prædictis Clericis, unica monitione tantum præmissa, præcipiant, ut infra decennium talem habitum deponant, & nullo amplius tempore reassumant. Alioquin ipsum habitum eis publice auferant, etiam violenter, & eum in opus pium convertant; cum consensu tamen ipsorum Diœcesanorum, si habitus ipse notabilis fuerit æstimationis. Alioqui præter talem consensum exsequantur, quod in exemplum prædictorum nostrorum Suffraganeorum intendimus observari.

Cum plerique Fratres Ordinum mendicantium, ac Religiosi Ordinum aliorum intitulati, &c. ad Ecclesias Cathedrales suæ religionis habitum absque rationabili causa manifeste non deferentes, ad excusationem in peccatis exemptionis allegando privilegium, de quo minime oporteret, in animæ suæ periculum, & plurimorum scandalum allegando, sicque excommunicationis sententia innodantur, qua ligati damnabiliter exercere ea, quæ sunt Episcopalis ordinis, non verentur. Nos tantæ temeritati providere volentes, sacro approbante Concilio, ordinamus, ut sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, nullus Suffraganeorum nostræ provinciæ in sua Diœcesi ad exercendum ea, quæ Episcopalis ordinis existant, tales titulares Episcopos admittat, nisi habitum suæ religionis manifeste deferant, & sint conversationis laudabilis, & bonæ famæ; omnesque tales,cum excommunicati sint, arctius evitent, & faciant eosdem ab aliis arctius evitari. Nullusque Clericus, vel Scholaris nostræ provinciæ sub pœna suspensionis ab ordine, quem susceperit ab eodem, quam contravenientes incurrere volumus ipso facto, sacros aut minores ordines; nec etiam laici utriusque sexus confirmationis Sacramentum quoquo modo recipere præsumant. Nec invitentur tales, nec venientes sponte admittantur ad consecrandum Basilicas, Altaria, aut ad benedicendum quascumque res sacras, nisi de absolutione eorum constiterit manifeste.

XVIII. *De Cohabitatione Clericorum & mulierum.*

Ad arcendum concubinatus crimen, ut de Clero penitus evellatur, summo studio per Sacros Canones est provisum. Quia tamen tempore, quo universalis Ecclesia monstruose divisa perstitit, modica diligentia adhibita fuit in exsequendo eisdem provisionibus, crimen præfatum in multis locis etiam provinciæ nostræ, cum maximo Catholicorum scandalo, totius Clericalis Ordinis contemptu frequentatur. Cui morbo volentes occurrere, ut debemus, sacro approbante Concilio decernimus, ut deinceps omnes in Sacris Ordinibus consistentes, vel etiam in minoribus Beneficiati, vel ad religionem aliquam Deo sponte oblati & obligati, qui concubinatus fœditate castitatis votum notorie seu publice violarunt, tenendo notorie concubinas, pœnis infrascriptis ipso facto subjaceant: ut videlicet, si habuerunt beneficia sæcularia,vel regularia officia, aut administrationes vel dignitates, nisi infra duos menses prorsus (*e*) a se removerint, ipso jure intelligantur suis beneficiis, officiis, administrationibus, &

(*d*) convertendi. (*e*) *quæ sequuntur ex MS. Ratisbonensi, suppleta sunt.*

& dignitatibus Ecclesiasticis per hanc constitutionem privati. Et possunt ipsa beneficia, officia, administrationes & dignitates prædictæ libere per habentes potestatem aliis conferri, impetrari, vel de eisdem aliis modis Ecclesiasticis provideri. Si vero Beneficiati non fuerint, & concubinas notorie & publice detinuerint, & infra duos menses a se non separaverint, sint ipso jure inhabiles ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica assequenda, pœnis aliis a Sacris Canonibus contra tales editis in suo robore duraturis.

XIX. *De Institutionibus.*

Statuimus, ut nullus Clericus ad Curam animarum ab Episcopo vel Archidiacono admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in adeptione Beneficii, ad cujus curam præsentatus est, commiserit simoniam. Cum decor Ecclesiæ, exaltatio fidei, & errorum extirpatio per viros in utroque jure Divino peritos & humano instructos, ut plurimum procurari noscatur; illi, quoniam in provisione congrua, quæ ad status ipsorum decentiam expediret, stipendiis Ecclesiasticis carentes, talentum eis creditum dispensare Dei populo non valentes, lucerna sub modio absconsa non effundit in domo Domini luminis claritatem. Unde plerumque contingit, ut Beneficia, & Officia Ecclesiastica, præsertim, quibus onus Curæ animarum, & Ecclesiasticæ jurisdictionis incumbit, minus idoneis provideantur Rectoribus, ex quibus Pastoribus desunt pabula, & ovibus deficiunt alimenta. Ad quorum salutare remedium Sacrosancta Generalis Constantiensis Synodus; saluti nationis Germanicæ providere intendens, decretum promulgavit inferius annotatum: Nos spiritualem animarum profectum nostræ provinciæ, quem Pastorali cura dudum concepimus, exsequi cupientes, præfatam constitutionem Constantiensis Concilii sacro approbante Concilio publicantes, præcipimus, & mandamus, ut institutio prædicta ab omnibus nostris Suffraganeis in suis Synodis proxime celebrandis intimetur, & observetur. Quam exnunc cum singulis in ipsa contentis volumus sub pœna suspensionis a collatione & electione Beneficiorum per singulos Beneficiorum Collatores, & Patronos firmiter observari. Tenor vero constitutionis sequitur, & est talis: " Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus V. ad exaltationem fidei Catholicæ, &c. Vide informationem ex Concilio Constantiensi de qualitate Beneficiandorum, &c. Invenies, &c.

Quoniam nonnunquam contingit, quod ad vacantem Episcopatum, vel aliam Prælaturam, vel quodcumque Beneficium aut Officium Ecclesiasticum Regulare, vel sæculare, duo in discordia eliguntur, seu instituuntur; & alter, qui minore jure utitur, ut eum, cui majus est acquisitum, per potentiam, vel per tædium fatigare & haurire possit, attrahit favorem potentium laicorum, quibus, ut ei mutuent, & assistant, promissiones facit de Beneficiis eorum filiis conferendis, & de juribus, & libertatibus Ecclesiasticis remittendis: Nos huic morbo occurrere volentes remedio salutari præsentis statuti, hujusmodi promissores, & potentum laicorum attractores volumus ipso jure sententia excommunicationis esse innodatos, & nihilominus eos fore ineligibiles ad hujusmodi dignitates: mutuatores etiam pecuniarum taliter in hoc casu volumus carere actionibus pro mutuo hujusmodi repetendo.

XX. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.*

Quoniam in quibusdam Alemanniæ locis laici Fundatores Ecclesiarum, vel hæredes ipsorum; potestate, in qua hucusque Ecclesia sustinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum Ecclesiasticarum in Beneficiis, in quibus jus obtinent Patronatus, sibi retinent ex pacto, (*f*) cum præsentantur, Clericos; adeo huic vulneri canceroso, & simoniaco censuræ ferrum apponimus, decernentes, ut ex quo aliquid constiterit, pluries eos hujus (modi) perpetrasse flagitium, anathemate feriatur, & ejus terra ponatur sub Ecclesiastico interdicto, donec Ecclesiam sub suo jure dimittat; salvo jure Patronatus, quod eis de jure reservamus, cum possint per juris ignorantiam excusari. Qui vero

(*f*) *forte*: cum præsentant Clericos,

vero cæca cupiditate ducti taliter a Patronis Beneficia per præſentationem recipere non vereantur, Officio Beneficioque priventur, nec ad Beneficium, vel actus Eccleſiaſticos admittantur, niſi per Sedem Apoſtolicam cum ipſis fuerit diſpenſatum. Epiſcopi vero, vel Archidiaconi, qui talibus ſcienter curam commiſerint animarum, ob inſtitutionem hujuſmodi (g) Beneficiorum collationem, perpetuo ſint ſuſpenſi, &c.

Cum Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferri debeant, quidam Eccleſiarum Patroni, perſonis idoneis prætermiſſis, tales adeo cum præſentant, qui portionem, quam talibus debeant eſſe contenti, ſuis uſibus reſiduum totaliter applicando. Unde ad hujuſmodi mali perniciem extirpandam, ſtatuimus, quod ſi tales Clerici ſe portione debita ſpoliari videntes, ad Epiſcopum ſuum querelam non detulerint, auctoritate præſentis Concilii ſint ipſo jure ſuſpenſi; nihilominus per Epiſcopum eiſdem Eccleſiis ſpolientur. Si vero ad Superiorem ſuper hoc detulerint quæſtionem, ipſe Patronum per cenſuram Eccleſiaſticam ab hujusmodi moleſtatione, & exquiſita exactionis malitia compeſcat: adjicientes nihilominus, quod ſi in hac (re) pertinax Patronus exſtiterit, ad præſentationem, &c. Eccleſiæ proximo vacaverit, nullatenus admittatur.

Ad noſtrum, quod dolenter referimus, pervenit auditum, quod nonnulli Epiſcopi, Comites, Barones, Nobiles, ac eorum Poteſtates & Officiales, dum aliquam vacare contingit in noſtra Provincia Prælaturam, Beneficium vel Officium Eccleſiaſticum, ſtatim gentes inibi mittunt armorum, quæ graves faciunt in ipſis Prælaturis, vel Beneficiis expenſas. Et quod deterius eſt, nonnunquam hi, ad quos electio, vel præſentatio ſpectat futuri Prælati, compelluntur eligere, aut præſentare per abuſum poteſtatis ſæcularis, vel potentiæ inordinatæ. Quandoquidem nullatenus admittunt ad poſſeſſionem, etiam jam a ſuo Superiore confirmatum, donec de certa pecuniæ quantitate concordent cum laicis antedictis, atque perſolvant eamdem. Nos hujusmodi damnandæ ambitionis audaciam reprimere cupientes, auctoritate hujus Sacroſancti Concilii ſtatuimus, ut nullus, quacumque Eccleſiaſtica, vel mundana, etiamſi Pontificali, vel Ducali præfulgeat dignitate, talia de cætero facere præſumat, per quæ offenditur Eccleſiaſtica libertas, & Eccleſiæ multipliciter aggravantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, niſi infra menſem a tempore hujuſmodi vacationis reſtituerint, aut remiſerint jam promiſſum, quod indebite extorſerunt realiter, & cum effectu, ipſos volumus excommunicationis ſententiæ eo ipſo ſubjacere; a qua nullatenus abſolvantur, donec modo ſimili reſtituant extorta: in quibus etiam nulla eorumdem remiſſio vindicat ſibi locum.

XXI. *De Emptione.*

Nullus prædam aliquam ſcienter emere, vel tenere præſumat: alioquin niſi infra menſem prædam ipſam, aut ejus æſtimationem, ſi reſtitutioni non ſubjaceant, reſtituat, excommunicationis ſententia percellatur.

XXII. *De Pignoribus.*

Ad omnium quoque dubitationem, ſive quæſtionis materiam amputandam, ſtatuimus, ut ſi quis prædium ſuum, cui jus attinet Patronatus, cuiquam obligaverit indiſtincte, jus præſentandi apud ipſum obligantem reſideat. Cum tale jus æſtimari non poſſit. & . . . . in ſortem nequeat computari. Cum ſemper fructus rei pignoratæ in ſortem debeant computari, juxta Canonicas & legitimas ſanctiones.

XXIII. *De Teſtamentis.*

Ad hæc, quia quædam in quibusdam partibus conſuetudo, immo corruptela deteſtabilis obſervatur; videlicet, quod tam Clericus, quam laicus in lecto ægritudinis conſtitutus, ultra quinque ſolidos uſualis monetæ, vel aliam ſummam, juxta loci conſuetudinem limitatam, nec piis locis, nec perſonis Eccleſiaſticis, pro animæ ſuæ remedio, aut aliis quibuscumque (h) ordinare legata; conſiderantes prædictam conſuetudinem & ſacris Canonibus, & ſacris etiam legibus, obviare; cum omnium jura clament, quod ultima voluntas, & ultimum hominis teſtamentum immobile per-

(g) *forte:* Beneficiorum collatione perpet.

(h) *forte deeſt:* poſſit.

perſeveret: & quod nihil ſit, quod magis homines deceat, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſtylus exſiſtat: eamdem conſuetudinem Deo odibilem, animabus & bonis moribus inimicam, auctoritate hujus Concilii Sacri penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes; ut ubicumque jura a teſtamentorum non prohibent factione, vel in lecto ægritudinis conſtituto, legandi, diſponendi, & ordinandi de bonis collatis circa pia loca, perſonas Eccleſiaſticas, & alias quaſcumque, dummodo contra legitimas non veniat ſanctiones, libera ſit facultas. Volentes & præcipientes diſtricte, ut per locorum Epiſcopos, & ceteros Prælatos jurisdictionem habentes, univerſi Clerici & laici impedientes defunctorum legata, ſeu ultimas voluntates, per excommunicationem in perſonas, & interdicti in loca ſententias, quindecim tamen dierum Canonica monitione præmiſſa, ferendas ab hujusmodi impedimentis deſiſtere compellantur. Ad quarum exſecutiones, & debitas aggravationes procedente tempore faciendas, Epiſcopi & Prælati, ad quos teſtamentorum defenſio, utroque jure ſuadente, dignoſcitur pertinere, tam benevolos ſe exhibeant & paratos, ne hujusmodi negligentia de eorum manibus in die diſtricti judicii requiratur.

XXIV. *De Sepulturis.*

Inſuper ſtatuimus, & ſub pœna ſuſpenſionis præcipimus firmiter & monemus, ut quilibet Sacerdos Provinciæ Saltzburgenſis, cujuscumque Dignitatis, ſeu Eminentiæ, Status vel Religionis fuerit, infra octo dies cauſa legitima ceſſante, poſtquam ei de morte Archi-Epiſcopi, vel proprii Epiſcopi prædictæ provinciæ conſtiterit, per ſe, vel per alium Miſſam pro defunctis dicat, in remedium Archi-Epiſcopi, aut Epiſcopi memorati.

XXV. *De Parochiis.*

Nos Sanctorum Patrum, qui Eccleſiæ Sanctæ Dei, & Perſonis Eccleſiaſticis terminos, quos non licet tranſgredi, poſuerunt, Statuta conſiderantes, hujus Sacri approbatione Concilii, univerſis Sacerdotibus tam Religioſis, quam ſæcularibus, cujuſcumque Ordinis, conditionis, ſive ſtatus exſiſtant, in civitate, Diœceſis, vel Provinciæ Saltzburgenſis degentibus ſub debito juramenti, quod Epiſcopo in receptione Sacerdotii præſtiterunt, ſub interminatione Divini Judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Epiſcopum, vel loci Archidiaconum, ſeu ejus Vicarium, alii eſt conceſſa; (excepta neceſſitatis cauſa, quæ legem non habet;) ad confeſſionem recipere, aut ei aliquod Eccleſiæ Sacramentum porrigere præſumat, non petita deſuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis: cum (*i*) minime incerti & indubitati juris exſiſtat, talem a tali crimine ſolvi non poſſe aliquatenus vel ligari: & ex hoc ordinem Eccleſiæ per majores & Sanctos Patres Divina providentia inſtitutum confundi, & perturbari. Et hoc præſens Statutum per univerſos Plebanos ſingulis quatuor temporibus, & in præcipuis Feſtivitatibus coram ſuis Parochianis præcipimus publicari.

XXVI. *De Jure Patronatus.*

Ad exſtirpandam illam deteſtabilem corruptelam quorundam Eccleſiarum Patronorum, qui Rectoribus earum defunctis, ſpoliant dotem, & Eccleſiam rebus mobilibus, & interdum immobilibus, in ſalutis propriæ diſpendium & ſcandalum plurimorum, ſtatuimus, ut ſive Clericus, ſive laicus hoc facere præſumpſerit, cujuscumque dignitatis, etiam Pontificalis exſiſtat, ſit a jure præſentandi ea vice ſuſpenſus . . . . Eccleſiam conferat: & ſi ipſe negligens fuerit, Superior ipſam conferat ipſa vice: uterque autem ſit excommunicatus ipſa juris . . . . & arctius ab omnibus evitetur, donec cum debita ſatisfactione reſtituat ſic ablata.

XXVII. *De Celebratione Miſſarum.*

Prædeceſſorum noſtrorum ducti veſtigiis ſtatuimus, inhibentes hujus Sacri approbatione Concilii, ut nullus Sacerdotum novitiorum illa die, qua primam Miſſam celebrare voluit, in exordio publicationis ſanctiſſimi ſui officii oblaturus Deo primitias gratiæ ac ſalutis ſibi collatæ, aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere, aut procurare per ſe,

(*i*) *in quodam MS. deſiderabatur.*

ſe, vel per alium ullo modo præſumat: ſed ad ſolum Deum, cujus militiæ eſt adſcriptus, dirigat aciem ſui cordis, maxime illa die devotus, curis & ſolicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahuntur, exutus; remotis vanitatibus hiſtrionum, qualibus tumultibus & inſolentiis reproborum, qui etiam ſæpe venire aſſolent non vocati.

XXVIII. *De Baptiſmo.*

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus exſiſtit; his ſcilicet verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant igitur Sacerdotes tam mares quam fœminas, in neceſſitate debere (illos) parvulos baptizare eadem forma in ſuo idiomate. Et, quod patres & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt baptizare. Et ſi Sacerdotes ſuper hoc diligenter requirentes debitam formam in Baptiſmo invenerint, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa baptizatum, quoad unctionem olei in pectore & in ſcapulis, & Chriſmatis in vertice, quod a laicis eſt omiſſum. Si autem in Baptismate debitam formam non invenerint obſervatam, non differant parvulos baptizare.

Item ſtatuimus, ut in cunctis Eccleſiis Baptiſmus, Chriſma, Oleum, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis aſſerventur, ne poſſit ad illa manus temeraria extendi. Pallæ quoque altaris, vaſa, corporalia & veſtimenta Miniſtrorum munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in Sacris ſordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis.

XXIX. *De Emunitate Eccleſiarum.*

Quamquam dudum Eccleſiarum Advocati, ut ab indebitis vexationibus earum abſtineant, & conſuetis juribus ſint contenti, ſaluberrimis monitionibus antiquorum Conciliorum ſint cauſati: quia cum plerique Domini temporales, & laici alii Provinciæ Saltzburgenſis, in Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu quibuslibet piis locis, in quibus jus Advocationis prætendunt, ſuis juribus non contenti, inconſuetas & enormes novitates exercent, attentant in Eccleſiæ libertatem non modicum detrimentum. Nos huic morbo occurrere cupientes, auctoritate hujus Concilii ſtatuimus, ne Advocati Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum quorumcumque dictæ noſtræ Provinciæ, quocumque etiam nomine cenſeantur, de cetero talia præſumant; nec Eccleſias, Monaſteria, & alia pia loca, ultra conſueta & debita onera ullatenus aggravent & infeſtent, quocumque quæſito colore. Alioquin ipſos, & eorum quemlibet, auctoritate hujus Sacri Concilii excommunicationis volumus ſententiæ ſubjacere ipſo facto: a qua, donec de hujusmodi indebite extortis ac illatis violentiis Eccleſiis, Monaſteriis, atque locis aliis piis competenter ſatisfecerint, nullatenus abſolvantur.

Abuſum quoque ſeu conſuetudinem quorumdam laicorum, immo potius corruptelam Sacris Canonibus, & legibus inimicam, quam quidam Judices & Poteſtates ſaculares ad inſtantiam ſe præcedentium habere auctores contra Prælatos ac Clericos Beneficiatos noſtræ Provinciæ, ſeu etiam contra tales ex officio procedentes, licet de facto, ipſos Prælatos ac Beneficiatos in bonis immobilibus ſpectantibus ad Eccleſias, Monaſteria & Beneficia eorumdem, quaſi quodam citationis edicto publico ſolent ad judicium evocare, licet nulliter, & de facto, allegantes, quod non contra Clericos, ſed ipſorum bona dumtaxat judicent & procedant: non attendentes, quod Clerici & Clericorum bona eodem gaudent privilegio, & nulla ſit eis de rebus, & Perſonis Eccleſiarum attributa judicandi facultas. Nos hanc conſuetudinem, Sacro approbante Concilio, penitus reprobantes, decernimus, præfatam conſuetudinem fore iniquam, rationi, & juri penitus inimicam: ſtatuentes ſub pænis præmiſſis, quas contra facientes incurrere volumus ipſo facto; ut nullus, cujuſcumque ſtatus, conditionis, aut ordinis exſiſtat, etiamſi Pontificali aut Ducali præfulgeat dignitate, præfatam reprobatam conſuetudinem obſervet, aut obſervari faciat, nec ipſius prætextu perſonas Eccleſiaſticas prædictarum Diœceſium in ipſorum bonis, & poſſeſſionibus perturbare, inquietare, aut judicare

care præſumat : decernentes irritum & inane, ſi ſecus contra præmiſſa, a quoquam fuerit attentatum, ſententiaſque latas licet de facto ac . . . . impoſſibiles, cum omnibus inde ſecutis nullius exſiſtere roboris vel moniti.

XXX. *De Simonia.*

Ut labes pravitatis ſimoniacæ in noſtra Provincia penitus extirpetur, Nos ſacro approbante Concilio, ordinamus, ut conſtitutio Generalis Concilii Conſtantienſis inferius deſcripta in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, & aliis Eccleſiis Collegiatis per Ordinarios, aut eorum inferiores ter in anno publice intimetur; ut in pœnarum afflictione nullus valeat crimen prædictum ignorantia excuſare: adjicientes, ut ad locum Ordinarii, & exſecutionem ipſius, & aliorum jurium pro extirpatione pravitatis præfatæ procedant contra quoslibet transgreſſores. Alioquin contra negligentes exſecutionem hujuſmodi, ac ſimoniam active, vel paſſive committentes in futuris Provincialibus Conciliis acrius, auctore Domino, procedemus. Tenor vero Conſtitutionis Conſtantienſis ſequitur in hunc modum:

MARTINUS &c.

" Multæ contra ſimoniacam pravitatem ab olim factæ ſunt conſtitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter extirpari. Nos volentes de cetero, ut poſſumus, attentius providere, ſacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati ſimoniace ab exſecutione ſuorum ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi. Electiones autem, poſtulationes, confirmationes, & quævis proviſiones ſimoniacæ Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ ſint ipſo jure, nullumque per illos jus cuiquam acquiratur: nec promoti, confirmati, aut proviſi faciant fructus ſuos; ſed ad illorum reſtitutionem, tamquam inique ablatorum, percipientes teneantur. Statuentes inſuper, quod dantes, & recipientes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, etiamſi Pontificiali, aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.

XXXI. *De Sententia Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.*

Item in quibuſdam locis, ut accepimus, in tantum accrevit temeritas & præſumptio laicorum, quod, ſi quando auctoritate Ordinarii, ſeu Delegati, in terram, villam, aut caſtrum interdictum generale ponatur, iidem laici officium Sacerdotum, immo quod ipſis Sacerdotibus eſt prohibitum, uſurpant; curantes, ut Eccleſiaſticam per hoc magis cenſuram elidant, apud loca taliter interdicta ſepelire præſumunt, in cœmiterio corpora defunctorum. Licet autem jam pridem contra præſumptores hujusmodi inter alia ſit proviſum, (*k*) ut non reſumantur Divina, quam, quæ tumulata ſunt corpora, fuerint exhumata: quia tamen per illos, contra quos interdictum ponitur, antequam ſatisfaciant, frequenter in pactum deducitur, ut exhumationis pœna ab Ordinario, vel Delegato ante omnia ſimiliter remittatur: ne forte hujusmodi delinquentium temeritas actione hac impunita remaneat, & per hoc ceteris detur audacia, ſimilia præſumendi, Sacri approbatione Concilii ſtatuimus & mandamus, ut quicumque amodo intra cœmiterium loci interdicti aliquod corpus, ſeu corpora defunctorum ſepelire præſumpſerint, aut qui talia præſumentibus opem vel operam quocumque modo adhibuerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto: a qua non niſi per ſolum Metropolitanum, vel Diœceſanum, aut cui ſuper hoc ſuas vices ſpecialiter commiſerit, abſolvantur: Metropolitanus vero, vel ejus Diœceſanus, aut eorum in hac parte Vicarii, nequaquam ad impendendum talibus abſolutionis beneficium procedant, niſi prius ſepultis taliter corporibus exhumatis, Eccleſiæ & perſonis, quibus ex hoc injuria dignoſcitur irrogata, ſatisfactum fuerit competenter: & niſi ſuper facta exhumatione, & ſatisfactione præſtita, ordinarii, aut ſi copia ipſius haberi non valeat, Officialium ſuorum litteras abſolutionis ipſis pro teſtimonio exhibeant & oſtendant, ad communionem Eccleſiæ nullatenus admittantur.

XXXII.

(*k*) *forte:* ut non prius

XXXII. *De Hæreticis.*

Cum nonnulli (quod dolenter referimus) Wicleffistarum, & Hussitarum hæresibus & erroribus infecti; & de eisdem infamati & suspecti, terminos nostræ provinciæ, sub agni specie gerendo lupum, latenter intrantes, & ausu temerario præsumunt prædicare, tenere & docere occulte, & publice prædictorum errores, & hæreses dudum ab universali Ecclesia,& Generali Constantiensi Concilio tamquam erroneos, & hæreticos condemnatos: Nos saluti gregis Dominici Nobis commissi, saluti animarum, & huic morbo periculoso pervigili cura providere volentes, ne scintilla modica in principio succrescat in flammam, & fermentum modicum totam massam corrumpat, sacro approbante Concilio sub interminatione maledictionis æternæ, ac sub excommunicationis sententiis in singulares personas, & interdicti in loca, si communitates, aut Domini locorum in infra scriptis negligentes,aut culpabiles fuerint, quas contra facientes ac negligentes incurrere ipso facto,volumus,inhibemus,ut nulla (*l*) Ecclesia, mundanave persona nostræ provinciæ, cujuscumque status, conditionis, aut ordinis existat, etiamsi Pontificali, aut ducali præfulgeat dignitate, præfatis erroribus,& hæresibus infectos, infamatos,aut suspectos; in suis Ecclesiis, Monasteriis, Parochiis, Dominiis, terris, civitatibus, oppidis, villis, castris, aut domibus, aut locis aliis quibuscumque, ad prædicandum, docendum, aut dogmatizandum publice, vel occulte admittat, seu assumat, quovis quæsito colore: nullusque præfatorum eorumdem prædicationem audire, aut prædicationibus interesse præsumat quoquo modo. Ordinamus, ut omnes Christi fideles utriusque sexus memoratæ nostræ provinciæ, postquam audiverint, sciverint, aut eis constiterit, præfatis hæresibus,& erroribus infectos, infamatos, aut suspectos, in præfata nostra provincia morari, docere, dogmatizare errores prædictos, ipsos statim suis Superioribus, quorum præsentiam commode adire poterunt, sine omni excusatione & negligentia, sub pœnis, ut superius exprimitur, denuntiare nullatenus omittant. Omnibus Ducibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Burggraviis, Castellanis, Magistris civium, Consulibus, Judicibus, & Officialibus aliis quibuscumque distincte præcipimus,& mandamus sub pœnis præmissis, ut ad requisitionem Suffraganeorum nostrorum, eorumdem Vicariorum, seu Inquisitorum pravitatis hæreticæ, seu cujuscumque alterius prædictorum, taliter de hæresi infectos, infamatos, aut suspectos incarcerare, captivare, aut detinere debeant, & teneantur. Et si tales se prætenderent in Sacris Ordinibus constitutos, Nobisque ac nostris Suffraganeis, Archidiaconis, Vicariis,& eorumdem Officiis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus Deputatis, pro nunc autem in nostra procincia postea deputandis, tradant,& assignent taliter denuntiatos& suspectos, ut pro extirpatione tam periculosi criminis libere procedant, & procedi faciant juxta Canonicas sanctiones. Receptatores quoque, fautores & defensores eorumdem, pœnis, ut præmittitur, volumus subjacere. Et quia tales infecti, infamati,& suspecti de erroribus supradictis, ut plurimum per simulatam conversionem, ad unitatem Ecclesiæ redeunt fraudulenter, sacro approbante Concilio ordinamus, ut ultra pœnas talibus post conversionem ipsorum, & errorum abjurationem, carceribus mancipentur, nec relaxentur ab eisdem, donec de vera,& sincera ipsorum conversione verisimiliter præsumatur. Adjicientes, ut omnes,& singuli nostri Suffraganei ad extirpationem tanti mali viriliter assurgentes, omnia,& singula jura contra hæreticos ac de hæresi suspectos, & infamatos contra ipsorum receptatores, fautores & defensores, ac potestates sæculares, qui requisiti legitime neglexerint sua Dominia a pravitate hæretica extirpare, promulgata provide exsequantur, & observent, & a suis subditis faciant inviolabiliter observari, paterne, ut tenemur, in hoc ipsorum officium excitantes.

XXXIII. *De Judæis.*

Non ambigui juris est, Hebraicam gentem a fidelium crucifixi populo aliquo discretionis extrinsecæ signaculo debere esse separatam. Unde sanctæ memoriæ GUIDO, titulo sancti Laurentii in Lu-

(*l*) *forte:* Ecclesiastica.

Lucina Presbyter Cardinalis, in hanc nostram provinciam a Sacrosancta Apostolica Sede Legatus, provide decrevit, statuendo, ut Judæi in publicum se exhibentes pileum deferre debeant cornutum: non portantes, pœna pecuniaria præcipimus mulcta puniri. Nos autem volentes prædicti legati bonam intentionem, quantum in Nobis est, effectui mancipare, omnibus sæcularibus potestatibus, cujuscumque conditionis, & præeminentiæ exsistant, quocumque nomine censeantur, sive communitates, sive singulares reipublicæ Præsidentes exsistant, sub excommunicationis sententia præcipimus, & districte injungimus, ut per se, vel per alios suos familiares, quemcumque Judæorum, pileum talem in publico non deferentem pecuniaria pœna, juxta eorum arbitratum taxanda, quacumque conditione, provocatione, vel excusatione frivola non obstante, protinus puniant.

Præcipimus etiam pro meliori hujus providi Statuti executionis effectu, ut prædictæ potestates per se, vel per alios possint, & debeant Judæum sic pileum cornutum non portantem aliqua veste, vel alia re, publice, & statim in itinere, quo visus est, pignorari, ut sic eo citius pœnam exsolvat antedictam. Et quoniam non tantum masculos Judaicæ superstitioni inhærentes a Christiano populo convenit separari, sed etiam ejusdem superstitionis feminas, atque virgines a Catholicorum gente volumus esse segregatas: unde præcipimus sub eisdem pœnarum exactionibus, ut mulieres, vel virgines dictæ superstitioni insudantes, cum se in publicum exhibent Christianorum nostræ provinciæ, nolam sonantem in aliqua sui corporis deferant parte: alioquin ipsas per dictas potestates pœnis, & modis præscriptis in virtute sanctæ obedientiæ mandamus affligi.

XXXIV. *De prohibito & illicito vestitu mulierum.*

Cum in partem solicitudinis, & Pastoralis officii ad hoc simul assumpti . . . . gregem Dominicum rite gubernemus, & in eo vitia extirpemus, & virtutes inseramus, debemus non solum removere peccata, sed etiam cujuslibet mali, & peccati speciem, & imaginem, ac etiam scandalosum quodlibet, & exempli continens perniciem, curabimus, quantum poterimus, provincia exsulare. Unde (quod dolenter referimus) multorum querelis sumus excitati, ac etiam in parte nostris propriis percepimus oculis, quod in nonnullis nostræ provinciæ partibus mulieres habitu induuntur satis inhonesto, utputa caudam ad modum aspidis, ac alias ornatum exquisitissimum, & supra modum sumptuosum habentes. Faciunt enim quædam mulieres suis peplis, crinibus, atque aliis capitis ornamentis, ac si ante, & post facies habeant monstruose. Considerantes ideoque, quod ex his, & consimilibus vanitatibus scandala, oblocutiones, detractiones, quæ in cordibus simplicium generantur, ac nihilominus per hoc patrimonialia exhauriuntur, furta, rapinæ, & alia innumerosa peccata, & demum *spectacula luxuriam provocantia* in domibus, plateis, & Ecclesiis, aliisque locis damnabiliter proveniunt. Nos igitur volentes, sicut tenemur, his periculis occurrere, *Sacro approbante Concilio*, sub excommunicationis sententia, & obtestatione Divini Judicii, universos & singulos laicos nostræ provinciæ per viscera JESU Christi obsecramus ac rogamus, & nihilominus districte præcipiendo mandamus, ut uxores suas, & filias, & alias mulieres in sua patria, seu familiari potestate exsistentes faciant honeste incedere: prohibentes, ne *nimiam* in vestibus, & aliis mulierum ornamentis *superfluitatem* habeant. Eisdem etiam mulieribus sub excommunicationis sententia præcipimus, ut in hoc maritorum suorum obtemperent mandatis. Quodsi secus fecerint, nostris Suffraganeis, & aliis Ecclesiasticis Viris nostræ Diœcesis & Provinciæ curæ animarum præexsistentibus, præcipimus, rebelles mulieres communione privare, ac eas aliis Ecclesiasticis supponere censuris. Universis etiam sæcularibus potestatibus sub ejusdem districtionis pœna injungimus, ut ad corroborationem, & exsecutionem hujus necessarii Statuti faciant Statuta pœnalia, quibus hanc sanctionem faciant exactissime observari. &c. *Deo gratias.*

Harduin Tom. VIII. Concilior. pag. 957. *& seqq. ad* 976.
Ex Regia Parisina editione excerptum.

Cl. van der Hardt *in Historia Concilii Constantiensis Tomo I. Parte V. pag.* 161. laudat Eberhardi, Archi-episcopi Salisburgensis, Studium pro reformandis moribus suæ Ecclesiæ anno 1420. celebrato Concilio. Addit eundem Eberhardum, quando fuit Constantiæ, quotidie ante portam domus suæ panem & carnes elixas haud exiguo pondere cum jure distribuisse, addito vino; diebus esurialibus pultem & legumina.

CONCILIUM SALTZBURGENSE

Anno Christi MCCCCXX. Martini V. Papæ III. Sigismundi Reg. rom. XI.

JOANNES, DEI GRATIA, PRÆPOSITUS (a) ET ARCHI-DIACONUS ECCLESIÆ SALTZBURGENSIS.

UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, CÆTERISQUE PRÆLATIS, ARCHI-DIACONIS, PAROCHIALIUM ECCLESIARUM RECTORIBUS, PLEBANIS ET CLERICIS QUIBUSCUMQUE PER DIŒCESIM SALTZBURGENSEM CONSTITUTIS.

QUamvis per Sacrorum Canonum, & Provincialium Conciliorum Statuta recte ac honeste vivendi norma adeo sit sufficienter comprehensa, quodsi eorumdem negligeretur exsecutio, quodammodo de cetero aliqua nova conderentur Statuta: quia tamen eorumdem tam saluberrimorum Statutorum nostris temporibus memoria quasi evanuit, cœcaque ipsa quodammodo offuscavit oblivio, tamquam prodita numquam extitissent. Et quia juxta sapientis cujusdam dictum, numquam nimium dicitur, quod nunquam satis dicitur: subscriptæ Ordinationes in Episcopali Synodo in civitate Saltzburgensi nuper celebrata, cui de mandato Reverendissimi in Christo Patris Domini nostri EBERHARDI Sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, & ex commissione ejus speciali præsedimus, alias emanarunt. Ad quorum humilem ac devotam observantiam, executionemque promptam & debitam, vos omnes & singulos in Domino exhortamur; prout Divinam ex hoc reportare remunerationem, præfatique Reverendi Domini nostri Archiepiscopi pœnam & ultionem debitas & condignas volueritis evitare.

I. *Declaratio pœnæ Statuti Provincialis contra notorios concubinarios edicti.*

Contra crimen concubinatus Clericorum plurimum scandalosum, & hinc merito detestandum, non aliter, nec melius, quam dudum in Provinciali Concilio statutum fuit, videmus posse provideri. Innotescimus tamen, & ad memoriam revocamus ejusdem Concilii . . . . omnes namque, qui a die publicationis Statutorum Provincialium, infra duos menses concubinas suas, quas notorie tenuerunt, a se prorsus non removerint, si Beneficiati fuerint, sciant se suis Beneficiis statim ipso facto, absque alia privationis sententia, auctoritate ejusdem Concilii esse privatos; nec aliquid juris amplius competere, aut aliquem se titulum habere in eisdem: teneri que se idcirco ad restitutionem omnium fructuum & proventuum, quos levaverunt, seu in futurum levabunt ex eisdem. Possuntque eorum Beneficia per habentes potestatem libere aliis conferri, vel in curia etiam impetrari. Qui vero Beneficiati non fuerint; sciant se auctoritate ejusdem Concilii ad habendum quæcunque Ecclesiastica Beneficia perpetuo inhabilitatos.

II. *Quod*

(a) Hundio est Præpositus vigesimus Archi-episcopalis Ecclesiæ: præsedit Concilio nomine Archi-episcopi Eberhardi III. Festo S. Augustini.

II. *Quod Clerici non debent ſecum tenere mulieres juvenes, & de incontinentia ſuſpectas.*

Et quoniam juxta Apoſtolum non ſolum a malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali debemus abſtinere; prohibemus, ne Clerici in domibus ſuis habeant feminas juvenes, de quibus ſuſpicio poſſit merito ſuboriri. Qui autem feminarum famulatu carere nequiverint, tales ſibi aſſumant, quæ propter ætatem, morumque gravitatem, aut, ſi fieri poteſt, conſanguinitatem, omnem merito ſuſpicionem excludant.

III. *Quod Clerici in domibus ſuis tabernas tenere, aut tabernas, & laicorum convivia accedere non debeant*

Inhibemus inſuper, prout etiam per Sacros Canones, & Provincialium Conciliorum Statuta prohibitum exſtat, ne Clerici officium tabernariorum exercere præſumant; & ne in ſuis domibus tabernas teneant, aut vinum more tabernariorum vendant. Tabernas quoque, & laicorum convivia (quod valde honeſtatem dedecet Clericalem, ipſorumque Clericorum vileſcere facit auctoritatem) Clerici omnino devitent, niſi neceſſitatis cauſa in itinere conſtituti.

IV. *Quod Clerici venationi, & ludo alearum, & taxillorum inſiſtere non debent.*

Venationi quoque cum canibus, nec non aucupationibus cum falconibus, niſis, aut hujuſmodi volucribus Clerici omnino non inſiſtant, nec canes tales venaticos, aut aves in domibus teneant, aut ſecum per viam ducant. Ad aleas etiam & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint, nec ludos tales in domibus ſuis exercere permittant.

V. *Quales Presbyteros debeant ſibi aſſumere Plebani in adjutorium exercitii curæ animarum.*

Omnibus inſuper Saltzburgenſis Diœceſis Plebanis prohibemus, ne in adjutorium exercitii curæ animarum, aut Capellanatum aſſumant Presbyteros luſores, potatores, ebrioſos, aut laicorum convivia frequentantes, per quos multum plebs ſcandalizatur fidelis. Nullum etiam Sacerdotem alienigenam & penitus incognitum, ſuæ ordinationis litteras, ſeu formatas omni ſuſpicione carentes non habentem, & vero litteras commendatitias proprii Epiſcopi (*a*) aut fide digno teſtimonio, ſeu longi temporis converſatione de vita & moribus ipſius fuerit informatus, aſſumere præſumant.

VI. *Quod Plebani inducere debent ſibi ſubditos Presbyteros ad obſervantiam Statutorum Provincialium & Synodalium Ordinationum, & ad deferendum habitus honeſtos & Clericales, à laicorum habitu diſcrepantes.*

Studeant quoque Plebani ſuorum domeſticorum, præſertim Clericorum ſibi ſubjectorum, diligentem curam gerere, ipſos ad obſervantiam conſtitutionum Provincialium, & hujus Sanctæ Synodi ordinationum, morum honeſtatem, Clericaliſque habitus decentiam reſpicientium, inducendo; nec patiantur eos deferre habitus a Sacris Canonibus, vel Provincialibus Conciliis interdictos: ſed faciant ipſos deferre veſtes in colore, & ſciſſura honeſtatem Clericalem decentes; nimia longitudine, vel brevitate non notandas, circa pectus & ſcapulas, ut moris eſt laicis, non ſtrictas, & corpori bene adjacentes; ſed bene amplas, & aliquantum plicatas, manicas decentes, uſque ad contactum manus protenſas, infra vero brachium deorſum ultra unius palmæ longitudinem minime dependentes, cum goleriis licitis ſaltem unius pollicis collo adjacentibus: ſciſſuras, ſeu aperturas a latere omnino non habentes, nec retro: ab anteriori tamen parte, propter majorem ambulandi commoditatem, ad altitudinem unius palmæ cum media, veſtes non prohibemus aperiri. Veſtes etiam ad equitandum, prout commoditas poſtulaverit, ante & retro poterunt, honeſte tamen aperire. In ſciſſuris hujuſmodi, in goleriis, ſeu aliis veſtium extremitatibus foderaturas expoſitas, & notabiliter præeminentes non habentibus.

Abuſum quoque iſtum Clericorum, quo ſe ſæcularibus hominibus conformantes pallia deferunt, nudis joppulis (*b*) manicas ſtrictas, ut nunc moris eſt, multipliciter

(*a*) aut niſi fide.

(*b*) joppa, caligæ ſpecies Ducangio.

citer plicatas seu (*b*) rigatas, aut aliàs laicales habentibus, nulla veste manicata coopertis, cum expositis brachiis nequaquam tolerent. Aliasque tam decenter, & honeste Clericos sibi subditos incedere faciant, ut per decentiam habitus extrinsecam morum valeant ostendere honestatem. Hanc autem habitus honestatem exhortamur præcipue ipsos Plebanos, sicut & ceteros Clericos, observare, quatenus in omnibus suis subditis se normam & exemplum præbeant.

VII. *Quod Sacramenta Ecclesiastica, & alia Spiritualia libere, sine conventione, & pactione præcedente debent ministrari.*

Volumus quoque, & præcipimus singulis Saltzburgensis Diœcesis Presbyteris, quatenus circa Sacramentorum administrationem omnem observent puritatem, libere, sine pactione, aut conventione prævia, Ecclesiastica Sacramenta, & alia Spiritualia administrando. Ex post vero antiquas, & laudabiles Ecclesiarum consuetudines pia fidelium devotione, per ministrorum sustentationem introductas non intendimus prohibere; ad quas etiam observandas superioris officii laici Ecclesiastica possunt censura compelli.

VIII. *Quod non sunt tolerandi pro aliquo quæstu publice delinquentes, & quod potestate absolvendi in casibus reservatis Sacerdotes abuti non debent.*

Districte quoque prohibemus, ne quis Sacerdotum adulteros, concubinarios, seu fornicarios, aut alios quoscunque publice delinquentes gratia, vel favore, aut pro aliquo temporali emittat. Nec obtentam a superiori in casibus reservatis ad certum personarum numerum licentiam, eam venalem exponant; non nisi ad solvendum aliquid ex pacto, eadem licentia utendo; sed gratis & libere, prout expediens fuerit, ad omnes sine personarum acceptione, hujusmodi sibi concessa utantur potestate.

IX. *Quod pro sepeliendis præventis nil est extorquendum.*

Pro sepultura quoque præventorum Presbyteri nil extorquere præsumant.

X. *Qualiter adulteri, & concubinarii publici sint admonendi, & ab ingressu Ecclesiæ excludendi.*

Ad exstirpandum quoque adulterii, & concubinatus publica crimina, quæ in Diœcesi Saltzburgensi plurimum sunt frequentata, hunc volumus & præcipimus ordinem per singulas Saltzburgensis Diœcesis Parochias observari; videlicet, ut infra duorum mensium spatium in qualibet Ecclesia Parochiali aliquo die Dominico vel Festivo, quando major adfuerit populi multitudo, publice in ambone admoneantur, & requirantur in generali omnes & singuli utriusque sexus homines præfatis criminibus publice implicati, quatenus ab hujusmodi adulterio, & concubinatu penitus & omnino desistant. Si qui vero generali spreta admonitione se non correxerint, sequenti Dominica in specie, & nominatim, ut se emendent, ... sic illi, quorum Domus inhabitant, quatenus eos ultra non hospitent, admoneantur & requirantur. Quodsi nec taliter moniti se correxerint, sequenti Dominica eosdem, ac illos, qui eos hospitare præsumpserint, ab ingressu Ecclesiæ publice excludant, coram quibus expost Presbyteri nullatenus Divina celebrare præsumant. Idem quoque de conjugibus utriusque sexus, qui temere sibi mutuo cohabitare recusant & nolunt, & de hospitantibus eosdem, etiamsi non sit notorium eos alibi adulterari, volumus per omnia observari.

Hunc quoque ordinem perpetuis temporibus in posterum præcipimus observari: ita quod generalis ista monitio in Dominica prima Quadragesimæ publice proponatur, speciali continenter admonitione, & exclusione sequentibus duabus Dominicis, prout supra dispositum, continuatis.

XI. *Qualiter se debeant habere Plebani ad eos, quos ad auctoritatem Superiorem remittunt.*

Quotiens vero ad Superioris auctoritatem aliquos remitti contigerit, Plebanus eosdem reversos, nisi litteras testimoniales Superioris ostenderint, pro absolutis nequaquam teneant, nec Sacramenta eis Ecclesiastica, nisi pœnitentia, aut saltem pœnitentiæ parte peracta, administrent:

 strent:

(*b*) *forte:* rugatas.

ſtrent: quod præſertim circa adulteros,& alios criminoſos notorios volumus exactiſſime obſervari. Et ut fraudibus via præcludatur, hujuſmodi notorios,& manifeſtos criminoſos ad auctoritatem Superioris litteris ſuis clauſis, cauſæ & facti narrationem plene continentibus, tranſmittant: eoſdemque reverſos non ad ſimplices remiſſionis ſchedulas, ſed ad litteras Superioris intentionem continentes, ad Eccleſiaſtica remittant Sacramenta.

XII. *Quod matrimonia clandeſtine non ſint contrahenda, & quod ſecus aut contrarium facientes ad Epiſcopalem auctoritatem ſint remittendi.*

Et quoniam ex clandeſtinis matrimoniorum contractibus plurima ſæpe inſurgunt pericula animarum, quibus occurrere cupientes, quod ſuper hoc provide a jure ſtatutum exſtitit; præcipimus obſervari: ut videlicet cum matrimonia fuerint contrahenda, prius per Presbyteros publice in Eccleſia proponantur,bono competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat: & ipſi etiam Presbyteri infra illum nihilominus inveſtigent, an aliquod impedimentum obſiſtat, ſolicitare. Cum apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſſe; donec, quid fieri debeat, manifeſtis conſtiterit documentis. Qui vero aliter contrahere præſumpſerit, ad Epiſcopalem auctoritatem puniendi ſecundum juris diſpoſitionem remittantur.

XIII. *Quod matrimonia in Eccleſiis, & mediante Presbytero contrahi debent: & quod non poſt, ſed ante carnalem copulam nuptiarum ſolemnia matrimonia ſint benedicenda.*

In contrahendis quoque matrimoniis hanc volumus honeſtatem pro reverentia Sacramenti obſervari, ut videlicet nonniſi per Presbyteros, & ſi commode fieri poteſt, in Eccleſia, aliquando in alio loco honeſto, ſine ſtrepitu, cum honeſtate debita fiant matrimoniorum copulationes. Matrimonia quoque, quæ benedicenda fuerint, non poſt, ut moris exſtitit, ſed ante ipſorum carnalem conſummationem, ac ſolemnitatis nuptiarum celebrationem, pro benedictionis ipſius reverentia benedicatur.

XIV. *Quod Patrini baptiſmales non multiplicentur.*

Et quia ex cognatione ſpirituali, ſicut etiam carnali, impedimentum oritur matrimonii, impediens contrahendum, & dirimens etiam contractum. Unde ne nimium inter homines ejuſdem Parochiæ hujuſmodi multiplicentur attinentiæ, mandamus, quatenus Presbyteri parentes baptizandorum puerorum inducere ſtudeant, ut uno tantum viro, vel una muliere, prout Canones diſponunt, ſint contenti. Ad quod ſi forte facile induci non poſſunt, ſaltem ultra duos,unum ſcilicet virum, vel unam mulierem, nequaquam admittant.

XV. *Quod Presbyteri informare debent populum, qualis & quam lata ſpiritualis cognatio in baptiſmo & confirmationis Sacramento oritur.*

Injungimus inſuper omnibus Plebanis, quatenus populum ſibi commiſſum publice in ambone informare ſtudeant, quod, ſicut inter quemlibet levantem aliquem de ſacro fonte, & ipſum levatum, ſic & inter omnes filios, & filias levantem & ipſum levatum, & inter conjugem levantis carnaliter prius cognitum, & ipſum levatum, nec non inter parentes levati,& ipſum levantem, & ejus conjugem, carnaliter prius cognitum, vel cognitam cognatio oritur ſpiritualis impediens matrimonium contrahendum, & dirimens jam contractum, & ea, quæ de levante ſunt dicta, etiam de baptizante modis expreſſis declarent eſſe intelligenda.

In confirmationis quoque Sacramento ratione prius confirmantis, & ad confirmationem aliquam tenentis, non autem ratione ligaturam, aut faſciam ſolummodo fronti alligantis, ſeu chriſma dumtaxat abluentis, eiſdem modis, ut in baptiſmate, hujuſmodi propinquitatem provenire populo denuntient & declarent.

XVI. *Forma Juramenti, quam præſtare debent teſtes Synodales in manibus ſuorum Archidiaconorum.*

Jurabunt teſtes Synodales, vel ſal-

tem

tem fidem loco juramenti piabunt in hac forma. Primo quod per totum annum usque ad Synodum proximam diligenter inquirent, simpliciter tamen de plano, & absque ulla jurisdictione, quæ correctionis, & reformationis tam in Clero, quam in populo sint necessaria: & quod illa fideliter referent in Concilio Provinciali, & Synodo Episcopali proxime celebrandis, postquam fuerint requisiti, usurarios, adulteros, concubinarios notorios, seu manifestos, & quoscumque manifeste, & publice delinquentes tam in Clero, quam in populo, quos debita ad hæc adhibita diligentia perquisiverint, deferre & denuntiare, quando super hoc requisiti fuerint, denuntiare non omittent.

XVII. *Statuta summatim, & ordinate sub certis titulis collocata populo* (d) *collocanda.*

Quoniam multa Statuta Provincialia tam antiqua, quam etiam promulgata, nec non & quæ Synodales ordinationes laicos concernunt, quorum quæ etiam satis dignoscuntur esse pœnalia. Unde ne ipsos ignorantes contingat detrimentum incurrere, quod dignum est eos postmodum (*e*) vetitos sustinere; idcirco statuimus & ordinamus, quatenus singuli Saltzburgensis Diœcesis Plebani eadem statuta laicos respicientia, prout inferius summatim subjectis rubricis, & titulis ordinate continenter, quam citius poterunt, eorum habita copia, aliquo die Dominico vel Festivo, & deinceps singullis annis bis: semel scilicet in Dominica prima Adventus Domini, & semel in Dominica prima Quadragesimæ, Plebi sibi commissæ publice in ambone vulgari lingua clare, & intelligibiliter intiment, publicent, & exponant; ad observantiam eorundem, prout unumquemque concernunt, dignoscitur, eamdem plebem fideliter exhortando.

XVIII. *De Usurariis & eorum pœnis ex Statutis Domini Guidonis tituli Sancti Laurentii, Presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, quod incipit*: Item dolentes.

Excommunicati sunt ipso facto usuras exercentes, qui sic excommunicati ter in anno, videlicet in Cœna Domini, in Assumptione Gloriosæ Virginis Mariæ, in Nativitate Domini, per Plebanos, & majores suos debent denuntiari, aliis pœnis contra usurarios editis nihilominus salvis.

XIX. *De eodem ex Statuto Domini Johannis Episcopi Tusculani Apostolicæ Sedis Legati, quod incipit*: Usurarios actus.

Usurarii dicuntur etiam, qui sub titulo emptionis usuras exercent, emendo scilicet pignus pro quantitate, quæ mutuo petitur, & revendendo eidem, redemptionis tempore pro quantitate eadem adaucto numero usurarum. Et hæc constitutio una cum constitutione Gregorii X. in Generali Concilio edita, publicari debet singulis annis in Quadragesima, lecto Evangelio in singulis Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis. Et tunc etiam usuras exercentes contra dicti Concilii tenorem, ac illos, qui eos retinent in domibus propriis, nominatim, & in specie excommunicati debent denuntiari. Et usurarium, etiam occultum, dum tamen duorum vel trium fide dignorum testium ipsum constiterit usuras exercuisse, nec pro eo satisfactum fuerit, nullus recipere debet ad Ecclesiasticam sepulturam. Alioquin Ecclesiastici, in cujus cœmeterio de consensu Prælati, sive Capituli tale corpus sepultum fuerit, exhumatum Ecclesiastico subjacet interdicto.

XX. *Intentio Concilii Generalis, de quo supra fit mentio, quod habetur in Capit. Usurarum, de usuris libro sexto in effectu est talis, ut sequitur.*

Constitutio Lateranensis Concilii contra usurarios edita debet inviolabiliter observari; scilicet, quod manifesti usurarii ad commnionem Altaris, & Ecclesiasticam sepulturam, & oblationem faciendam admitti non debent, & qui eorum oblationes receperint, aut ad Ecclesiasticam eos sepulturam admiserint, compelli debent reddere, quod acceperint, & ad arbitrium Episcopi ab officio suspendi. Item secundo præcipitur Dominis terrarum, & universalibus, seu communitatibus, ne permittant alienigenas in terris & locis suis conducere domos, & jam conductas retinere ad exercendum usuras. Contrarium facientes, si sunt Epi-

(*d*) *forte:* communicanda (*e*) *MS. habet:* fetitos, *haud dubie mendosius.*

Episcopi, aut eorum Superiores suspensionem; alii vero inferiores, excommunicationis; communitates autem interdicti sententias, & pœnas incurrunt ipso facto: quas suspensionis & excommunicationis pœnas, si Episcopi, & eorum Superiores, aut singulares personæ per mensem sustinuerint animo indurato, eorum terræ, quamdiu hujusmodi usurarii in ipsis permanserint, Ecclesiastico subjaceant interdicto: & nihilominus laici ab hujusmodi excessu per suos debent Ordinarios compesci.

XXI. *Ex eodem Concilio Generali, quod habetur de usurariis, in Cap.* Quamquam, *libro sexto.*

Manifesto usurario, licet mandaverit usuras restitui, Ecclesiastica sepultura denegari debet, nisi primo, prout facultates patiuntur, satisfaciat; vel de restituendo, idonee caveat illis, quibus restitutio facienda, si præsentes fuerint: vel, ipsis absentibus, loci Ordinario, aut ejus vices gerenti, sive Rectori Parochialis Ecclesiæ, in qua habitat, coram fide dignis de Parochia; in cautione hujusmodi exprimendo quantitatem usurarum receptarum, si hujusmodi fuerit quantitas manifesta: alioquin aliam quantitatem ipsius recipientis arbitrio moderandam: qui si scienter minorem, quam visibiliter creditur, moderetur, tenebitur ad residui satisfactionem, & eos contra hanc constitutionem sepeliendo, Lateranensis Concilii pœnam incurrunt. Testamenta quoque talium usurariorum alias facta non tenentur: nec debet aliquis interesse, nec eos absolvere, aut etiam admittere ad confessionem.

XXII. *De Constitutione Concilii Viennensis, quæ habetur in Clementina (contra eos) de sepulturis.*

Sepelientes scienter usurarios manifestos, etiamsi exempti fuerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant: a qua nisi satisfactio prius competenter eis, quibus ex hoc injuria est irrogata, facta fuerit, nullatenus absolvi debent.

XXXIII. *Ex Statuto Domini Pilgrini Saltzburgensis Archi-Episcopi, quod incipit:* Apud multos.

Usurarii, postquam a suis Rectoribus trina monitione fuerint nominatim moniti, si infra mensem non destiterint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrunt. Et Ecclesiarum Rectores, & Prælati tenentur suos subditos manifestos usurarios monere & inducere; ut infra mensem ab hujusmodi pravitate desistant, & de perceptis satisfaciant cum effectu. Quod si non fecerint, eos excommunicatos denuntient, certificantes nihilominus eos, quod si in hoc peccato decesserint, Ecclesiastica sepultura carebunt. Quodsi Rectores scienter sepeliverint, similiter ipso facto excommunicationis sententia sunt ligati. Et manifesti usurarii dicuntur, de quibus est publica vox & fama, & certa sunt indicia, & argumenta, quod pecunias mutuant ad usuras, easque recipiunt; vel fructus rei pignoratæ ex pacto, vel alias sibi imbursant, nec computant in sortem pecuniæ mutuatæ.

XXIV. *De Spoliatoribus, & raptoribus stratarum, ex Statuto Domini Johannis Tusculani, quod incipit:* Spoliatores stratarum.

Excommunicati sunt ipso facto spoliatores stratarum, & raptores transeuntium per vias, & eisdem dantes auxilium, vel favorem.

XXV. *De his, qui scienter emunt prædam, ex Statutis Domini Eberhardi Saltzburgensis Archi-Episcopi.*

Nullus prædam aliquam scienter emere, vel tenere præsumat: alioquin nisi infra mensem prædam ipsam, aut ejus æstimationem, si deprædata, & oblata haberi non possit, restituat, excommunicationis sententia percellatur.

XXVI. *Qualiter Decimæ sunt persolvendæ, & qualiter puniri debeant laici decimas usurpantes, ex Statuto Domini Guidonis Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati.*

Decimæ tam antiquæ, quam etiam de novalibus majores & minutæ, juxta lau-

laudabilem consuetudinem patriæ integraliter sunt persolvendæ. Et laici decimas, maxime novalium, & minutas sibi usurpantes, ab ingressu Ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam sint suspensi.

XXVII. *De his, qui imponunt aut exigunt nova passagia, vel antiqua augmentant, ex Statuto Domini Joannis Tusculani Episcopi, quod incipit:* Imponentes.

Nova passagia imponentes & exigentes, vel antiqua augmentantes, singulis annis Summus Pontifex in Cœna Domini denuntiat excommunicationi subjacere; quos etiam sive fuerint Ecclesiasticæ, sive sæculares personæ, quocunque nomine censeantur, locorum Ordinarii per se, vel per suos Vicarios omni anno eadem die Cœnæ Domini, pulsatis campanis, & accensis candelis, excommunicatos, & ab omnibus evitandos usque ad restitutionem integram debent denuntiare.

XXVIII. *Quod etiam in lecto ægritudinis potest quis testari, contraria consuetudine non obstante, ex Statuto Domini Eberhardi Archi-Episcopi Saltzburgensis, quod incipit:* Ad hæc.

Non obstante consuetudine, quæ potius est corruptela, ubi jura testamentorum (*f*) sanctionem non prohibent, quilibet etiam in lecto ægritudinis constitutus, legare, disponere & ordinare potest de bonis sibi collatis a Deo piis locis, aut alias. Et impedimentum præstantes, per Prælatos compesci debent Ecclesiastica censura.

XXIX. *De his, qui tempore interdicti sepeliunt corpora defunctorum, aut sepelientibus opem præstant, ex Statuto Domini Eberhardi, Archi-Episcopi Saltzburgensis, quod incipit:* Item in quibusdam.

Excommunicati sunt laici sepelientes intra cœmeteria locorum interdictorum corpora defunctorum, aut qui sepelientibus opem, vel operam præstant: a qua non absolvantur, nec per Ordinarium loci, vel per eum, cui super hoc specialiter commiserit suas vices. Hujusmodi tamen absolutio non est impendenda, nisi prius exhumentur sic tumulata, & satisfactum fuerit Ecclesiæ & personis, quibus exinde injuria dignoscitur irrogata. Nec etiam tales ad communionem Ecclesiæ admittantur, nisi habeant super exhumatione, & absolutione prædicta litteras Ordinarii vel sui Officialis.

XXX. *Quod mulieres per exclusionem a communione prohibendæ sunt ab illicito vestitu; ex Statuto Domini Eberhardi Saltzburgensis Archi-Episcopi, quod incipit:* Cum in partem.

Mandatur sub pœna excommunicationis omnibus laicis, & sub obtestatione Divini Judicii, ut uxores suas & filias, & alias mulieres, in præsentia, vel familiari potestate constitutas, faciant honeste incedere: prohibeantque, ne nimiam in vestibus longitudinem, & aliis mulierum ornamentis exquisitam superfluitatem habeant. Quibus etiam mandatur sub pœna excommunicationis, ut in his pareant maritis: alias Eucharistiæ communione priventur, & per censuram Ecclesiasticam arceantur. Et in fine mandatur sæcularibus potestatibus sub pœna præfata, ut ad corroborationem hujusmodi statuti faciant hanc constitutionem exacte observari.

XXXI. *De his, qui occidunt, verberant, aut qualitercumque manus violentas in Clericos injiciunt, aut eos captivant, seu captivatos tenent. Ex Statuto Domini Guidonis Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, quod incipit:* Item cum in plerisque.

Occidens, verberans, aut qualitercumque manus violentas in Clericos injiciens, seu eos capiens, singulis annis in Synodis Episcopalibus excommunicati denuntiari debent, & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste.

XXXII. *De eodem, ex Statuto ejusdem Domini Guidonis, quod incipit:* Quodcumque vero.

Vulnerans enormiter Ecclesiasticam personam, occidens vel captivans, non nisi

(*f*) factionem.

nisi per Sedem Apostolicam debet absolvi. Et si quid tenebat ab Ecclesia, illud ipso facto perdit, quod in utilitatem Ecclesiæ debet converti. Et generaliter in Diœcesi, in qua aliquem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum capi contigerit, aut captivum detineri, usque ad liberationem ipsius, & debitæ satisfactionis exhibitionem: Similiter & in Parochia, in qua res Clerici violenter ablatas detineri contigerit, usque ad satisfactionem, & restitutionem congruam cessari debet a Divinis.

XXXIII. *De eodem, ex Statuto Domini Friderici Saltzburgensis Archi-Episcopi, quod incipit:* Statutum.

Captivato Domino Archi-Episcopo Saltzburgensi, aut aliquo ipsius Suffraganeo, seu invasa Ecclesia Saltzburgensi, aut quacunque alia Ecclesia Cathedrali provinciæ Saltzburgensis, hostiliter & injuriose, ut de subversione status ejus verisimiliter timeatur; statim postquam hoc innotuerit, per totam provinciam Saltzburgensem cessari debet a Divinis. In terris tamen Principum cessari non præcipitur, nisi ab offensis hujusmodi cessare, & emendam præstare infra mensem admoniti contempserint.

XXXIV. *De eodem, ex Statuto ejusdem Friderici, quod incipit:* Item cum hi.

Qui violentas manus in Clericos injiciunt, debent in Parochia, in qua delictum commissum fuerit, aut in qua injiciens domicilium habuerit, per Rectores Ecclesiarum singulis Dominicis, & Festivis diebus excommunicati denuntiari: & qui tales violentos injectores scienter ad Divina vel Ecclesiasticam sepulturam receperint, sunt ab officio suspensi. Qui vero in prædicta denuntiatione, postquam sibi per Ordinarium fuerit specialiter demandata, negligens fuerit, aut remissus, per viginti dies ab ingressu Ecclesiæ, & ab officio est ipso facto suspensus.

XXXV. *De eodem, ex Statuto Domini Joannis Tusculani Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, quod incipit:* Eos qui.

Captivantes seu captivos detinentes Clericos, & personas Ecclesiasticas, si infra octo dies, postquam requisiti fuerint, eos non relaxaverint, omnibus Dominicis, & Festivis diebus per Prælatos & Rectores Ecclesiarum, in quarum limitibus hujusmodi captivantes, aut detinentes commorantur, & personæ hujusmodi, Ecclesiasticæ fuerint captivatæ, aut in quibus captivæ detinentur, excommunicati publice denuntientur. Et nihilominus, ubi hujusmodi personæ Ecclesiasticæ captæ detinentur, quamdiu taliter detinentur, Clerici hoc scientes cessare debent a Divinis: contrarium facientes, excommunicati sunt ipso facto.

XXXVI. *De his, qui verberant, vel capiunt Nuntios Legatorum Apostolicæ Sedis, Archi-Episcoporum, Delegatorum, Judicum, & aliorum, aut eos, qui de curiis eorum veniunt, aut eos occidunt: ex Statuto Domini Joannis Tusculani, quod incipit:* Si qui in tantum.

Capientes, verberantes Nuntios Legatorum Apostolicæ Sedis de latere missorum, seu Archi-Episcoporum, vel Delegatorum; & eisdem litteras auferentes, vel dilaniantes, seu ipsos in jurisdictionem (aut) eis commissa quomodolibet, manifeste vel occulte impedientes: similiter & illi, qui ad curiam eorum Legatorum, Archi-Episcoporum, Episcoporum, vel Delegatorum venientes, aut abinde recedentes offendunt in personis, aut bonis, quæ secum habent, spoliant, excommunicati sunt ipso facto.

XXXVII. *De eodem, ex Statuto Domini Eberhardi Archi-Episcopi Saltzburgensis, quod incipit:* Præterea.

Reus verberans, spolians, & captivans nuntium judicis litteras judiciales deferentem, pro convicto debet haberi: & idem in actore in causa reconventionis.

XXXVIII. *De his, qui bona decedentium Clericorum occupare præsumunt: ex Statuto Domini Guidonis Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, quod incipit:* Item ad aures.

Patroni Ecclesiarum tam Clerici, quam laici, Advocati, Judices, & præcones, bona decedentium Clericorum occupantes &

& usurpantes, excommunicationis vinculo, quousque ablata restituant, debent innodari.

XXXIX. *De eodem, ex Statuto Domini Friderici Saltzburgensis Archi-Episcopi, quod incipit:* Item Statutum: *& ex Statuto Domini Joannis Tusculani Apostolicæ Sedis Legati, quod incipit:* Nonnulli.

Raptores, invasores, & occupatores bonorum Clericorum (a) detinentium, ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt. Et in locis, ubi talia bona violenter ablata conservantur, tamdiu cessari debet a Divinis, postquam hoc Rectoribus Ecclesiarum innotuerit, donec ablata hujusmodi successori defuncti reddantur, in pristino loco reponantur, ac alia satisfactio competens subsequatur.

XL. *De eodem, ex Statuto Domini Eberhardi, Archi-Episcopi Saltzburgensis, quod incipit:* Ad exstirpandam.

Ecclesiarum Patroni, sive Clerici aut laici, qui Rectore Ecclesiæ mortuo, dotem & Ecclesiam rebus mobilibus spoliant, cujuscumque dignitatis fuerint, sunt a jure putandi illa vice suspensi, & collatio ad immediatum superiorem devolvitur. Insuper etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt.

XLI. *De his, qui imponunt tallias, & exactiones Ecclesiasticis personis: ex Statuto Domini Pilgrini Archi-Episcopi Saltzburgensis, quod incipit:* Cum Ecclesiæ.

Imponentes Clericis, & Ecclesiasticis personis, & recipientes ab eisdem exactiones, tallias & collectas; si infra mensem, postquam per Ecclesiarum Prælatos moniti fuerint, non destiterint, vel de damnis illatis competenter satisfecerint; excommunicati sunt ipso facto, & terræ ipsorum Ecclesiastico subjacent interdicto.

XLII. *De his, qui Ecclesiasticas personas compellunt solvere pædagia, vel quidagia de rebus suis: ex Satuto ejusdem Domini Pilgrini, quod incipit:* Constitutionem: *& in Cap. De censibus L. 6.*

Bonifacius VIII. statuit, quod si universitas, seu communitas, vel singularis quæcunque persona, cujuscumque dignitatis fuerit, per se, vel per alium, suo vel alieno nomine Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas compulerit solvere pædagia, vel quidagia, seu exactiones pro rebus suis, quas causa negotiationis non deferunt, universitas talis est interdicta, & personæ singulares excommunicatæ. Nec valet contraria consuetudo. Et hæc constitutio per Prælatos, Archidiaconos, & Plebanos debet solemniter publicari.

XLIII. *De his, qui occupant, invadunt, aut usurpant sibi Ecclesiastica bona: ex Statuto Domini Joannis Tusculani, quod incipit:* Dignum......

Sæculares Ecclesiasticæve personæ, quacumque dignitate præfulgeant (Romanorum dumtaxat Rege, & ejus conjuge, & filiis exceptis) (b) Ecclesias & Ecclesiastica bona, jura & jurisdictiones, seu Ecclesiarum vasallos publice occupare, aut invadere, vel scienter usurpare; seu occupatoribus, invasoribus, aut usurpatoribus hujusmodi potestatem quomodolibet, auxilium, vel favorem (c) præsumpserint: nec non qui bona Ecclesiarum titulo pignorum detinent obligata, a quibus receperint ultra sortem: nisi requisiti infra mensem satisfecerint, ipso facto excommunicati, & terræ ipsorum Ecclesiastico subjacent interdicto; quod Clerici terræ offensorum ad solam denuntiationem Prælati offensi observare tenentur: alioquin ante satisfactionem coram celebrante a Divinis sunt ipso facto suspensi.

XLVI. *De eodem, ex Statuto ejusdem Domini Joannis Tusculani, quod incipit:* Nullus de cetero.

Qui prætextu guerrarum, quas habent cum Advocatis Ecclesiarum, earumdem Ecclesiarum bona subripuerint, aut Ecclesias ipsas, aut earum villas, & incendio, & hostilitate devastant, aut homines earum suis bonis spoliant, excommunicati sunt ipso facto; nec possunt, nisi sufficienter emendaverint, absolvi.

XLV. *De eodem, ex Statuto ejusdem Domini Joannis, quod incipit:* Prohibemus.

Qui propter debitum, aut fidejussoriam obligationem alicujus personæ singu-

(a) *forte:* decedentium (b) quæ (c) præstare

ſingularis, bona Eccleſiaſtica ad ipſam Eccleſiam, & Capitulum communiter pertinentia ceperit, ſeu ſpoliaverit, niſi requiſitus infra quindecim dies, a die requiſitionis numerandos, reſtituerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrit.

XLVI. *De his, qui ad vacantes Eccleſias mittunt armatos, & faciunt ibi expenſas. Ex Satuto Domini Eberhardi Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi, quod incipit:* Ad......

Prælati, Principes, aut alii Nobiles, atque Officiales eorumdem, qui ad vacantes Prælaturas, Beneficia ſive Officia, mittunt gentes armorum, & inibi expenſas faciunt graves, aut compellentes eligere per abuſum poteſtatis ſæcularis, aut potentiæ inordinatæ; ſeu qui electum, & confirmatum non admittunt ad poſſeſſionem, niſi pro certa pecuniæ quantitate; niſi infra menſem emendaverint, quod fecerint, excommunicati ſunt ipſo facto; a qua ſententia non abſolvantur, donec ſatisfaciant, & extorta reſtituant, in quibus etiam non prodeſt eis remiſſio.

XLVII. *De Laicis recipientibus, & occupantibus Eccleſiaſtica Beneficia. Ex Statuto Domini Joannis Tuſculani, quod incipit:* Laicos.

Laici recipientes & occupantes Eccleſiaſtica Beneficia, niſi infra menſem a tempore occupationis computando ipſa dimiſerint, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrunt.

XLVIII. *De Advocatis Eccleſiarum, qui ultra jura eis debita Eccleſiaſtica, gravant Eccleſias. Ex Statuto ejusdem Domini Joannis, quod incipit:* Nonnulli.

Mortuo Eccleſiæ Advocato, non omnes ejus filii, ſed ille ſolus, in quem omnes, vel major pars ipſorum conſentit, habeatur pro Patrono. Et Advocati Eccleſiarum, qui defendendo & manutenendo perſonas & bona Eccleſiarum, quarum ſunt Advocati, negligentes fuerint, aut remiſſi, hujuſmodi Advocationis officio privati ſunt ipſo facto. Qui vero ab hujusmodi Eccleſiis ultra debitum aliquid auferre præſumpſerint, niſi infra menſem ablata reſtituerint, ſingulis menſibus debent excommunicati denuntiari.

XLIX. *De eodem, ex Statuto Domini Eberhardi, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi, quod incipit:* Quamquam.

Excommunicati ſunt laici Advocati Eccleſiarum, qui ſuis juribus non contenti, inconſuetas & enormes novitates in ipſas Eccleſias exercent & attentant, & ultra debita onera aggravare non formidant.

L. *De Patronis Eccleſiarum, qui poſt tempus a jure præfixum occupant Eccleſias; aut impediunt Superiores in collatione. Ex Statuto Domini Joannis Tuſculani, quod incipit:* Eccleſiarum.

Patroni Eccleſiarum ad Eccleſias vacantes præſentare debent perſonas idoneas infra tempus a jure ſtatutum. Qui vero poſt lapſum ejusmodi temporis per menſem Eccleſias ipſas retinere & occupare præſumpſerint, ipſo facto ſunt excommunicati, & ea vice præſentatione hujuſmodi Eccleſiarum privati; quas Superiores infra tempus eis a jure præfixum conferre tenentur: alioquin a collatione Beneficiornm ſunt ipſo facto ſuſpenſi. Laici vero impedientes Ordinarium providere volentem, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrunt.

LI. *Ex Statuto Domini Eberhardi, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi, quod incipit:* Quoniam. *De Patronis, qui partem Advocationis, cum præſentant, ſibi retinent ex pacto.*

Laici Patroni ex pacto ſibi retinentes partem decimarum, vel aliarum obventionum Eccleſiaſticarum in Beneficiis, cum præſentant Clericos ad ea, excommunicari debent, & terra eorum Eccleſiaſtico interdicto ſupponi, donec Eccleſiam liberam dimittant ſub ſuo jure: ſalvo tamen eis jure Patronatus. Clerici autem taliter ab ipſis recipientes Beneficia, officio & beneficio priventur; nec ad Beneficium vel actus Eccleſiaſticos admittantur, niſi per Sedem Apoſtolicam cum eis fuerit diſpenſatum. Epiſcopi vero & Archi-Diaconi, qui talibus ſcienter curam commiſerint animarum, ſub inſti-

inſtitutione hujusmodi Beneficiorum & collatione perpetuo ſint ſuſpenſi.

LII. *De eodem, ex Statuto ejuſdem Domini Eberhardi, Archi-Epiſcopi Saltzburgenſis, quod incipit:* Beneficia.

Clerici, qui præſentantur ad Eccleſias per Patronos cum aſſignatione alicujus portionis, ut reſiduum uſibus Patronorum applicetur, ſi de hoc non deferunt querelam ad Epiſcopum ſuum, ſunt ipſo jure ſuſpenſi, & per Epiſcopum hujusmodi Beneficiis ſpoliandi. Patroni vero per Epiſcopum, cum hoc ad ipſum deductum fuerit, ab hujusmodi exactione compeſcantur. Et ſi in hoc pertinaces fuerint reperti, ad præſentationem hujusmodi Eccleſiarum, cum proxime vacaverint, nullatenus admittantur.

LIII. *De laicis, qui ſine conſenſu Prælatorum bona Fabricæ Eccleſiarum deputata adminiſtrant. Ex Statuto Domini Joannis Tuſculani, quod incipit:* Laicos.

Laici ſine aſſenſu Prælatorum & Capitulorum bona fabricæ Eccleſiæ deputata adminiſtrare non poſſunt. Et qui contrarium fecerint, ſi infra menſem, poſtquam per Ordinarium loci moniti fuerint, non deſiſtunt, excommunicati ſunt ipſo facto.

LIV. *De his, qui Eccleſias & earum ædificia violenter, & ſine Prælatorum aſſenſu incaſtellare præſumunt, aut gentes ibi tenere. Ex Statuto ejusdem Domini Joannis Tuſculani, quod incipit:* Nonnullos.

Qui Eccleſias, campanilia, ſeu alia Eccleſiarum ædificia violenter, & ſine Prælatorum aſſenſu incaſtellare, aut perſonis armatis munire præſumpſerint, & eorum hæredes hujusmodi violentiæ participes, per ſuos Superiores excommunicationis pœna percellantur.

LV. *De his, qui prohibent, ne quis conquiratur coram Eccleſiaſtico Judice; aut qui condunt Statuta contra Eccleſiaſticam libertatem. Ex Statuto ejuſdem Joannis Tuſculani, quod incipit:* Perſonis.

Univerſitates civitatum & locorum prohibentes, ut nullus conquiratur coram Eccleſiaſtico Judice, ac Statuta condentes contra Clerum & Eccleſiaſticam libertatem, interdicti: ſingulares vero perſonæ talia committentes, quacumque dignitate præfulgeant, excommunicationis ſententias ipſo facto incurrunt.

LVI. *De his, qui tradunt Eccleſiaſticas perſonas coram Judice ſæculari. Ex Statuto Domini Pilgrini, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi, quod incipit:* Sæpe.

Trahentes Clericos & Eccleſiaſticas perſonas coram judice ſæculari; nec non Eccleſiaſticæ perſonæ conventæ ſponte coram talibus judicibus ſæcularibus judicialiter reſpondentes, excommunicati ſunt ipſo facto.

LVII. *De eodem, ex Statuto Domini Eberhardi, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi, quod incipit:* Dudum.

Judices ſæculares, qui perſonas Eccleſiaſticas ad judicia ſæcularia evocare, aut trahere in ipſorum contumaciam, ipſis non comparentibus, Eccleſiaſtica bona invadenda decernere præſumpſerint, excommunicati ſint ipſo facto. Et quotiens laicus cujuscunque dignitatis exiſtat, Eccleſiaſticam perſonam ad judicium ſæculare trahere aut judicare præſumpſerit, tamdiu in territorio trahentis & judicantis ceſſetur a Divinis, donec ſatisfecerint parti tractæ, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

LVIII. *De eodem, ex Statuto ejusdem Domini Eberhardi, quod incipit:* Quanquam. *In paragrapho:* Abuſum.

Invalida & iniqua eſt conſuetudo, qua judices ſæculares trahere conantur perſonas Eccleſiaſticas ad judicium ſæculare, etiam ſuper bonis Eccleſiaſticis: & contra facientes excommunicati ſunt ipſo facto; & eorum proceſſus, ac omnia inde ſecuta nullius ſunt momenti.

LIX. *Proviſio contra Huſſitas, ne admittantur ad prædicandum; & quod eos ſcientes ſuis Superioribus denuntient. Ex Statuto Domini Eberhardi, Saltzburgenſis Archi-Epiſcopi, quod incipit:* Cum nonnulli.

Mandatur ſub interminatione maledictionis æternæ, & ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ in ſingulares per-

personas, & interdicti in loca, ne quispiam, cujuscumque status existat, etiamsi Pontificali vel Ducali præfulgeat dignitate, Wickeffistas & Hussitas, & de eorum hæresibus, & erroribus infamatos aut suspectos, in quibuscumque locis ad prædicandum, docendum, & dogmatizandum admittat, seu assumat, publice vel occulte. Et omnes utriusque sexus Christi-fideles dictæ Provinciæ, postquam audiverint, sciverint, aut eis constiterit, hujusmodi hæreticos & suspectos in Provincia morari vel docere, &c. sub pœnis prædictis denuntiare tenentur suis Superioribus, si eorum præsentiam commode adire possunt. Principes quoque & (*i*) Comites, & eorum Judices & Officiales, ad requisitionem Episcoporum, vel suorum Vicariorum, tales incarcerare, captivare & detinere debent, & tenentur sub pœnis prædictis, etiamsi se prætendant in Sacris constitutos; quos tamen suis Superioribus præsentare tenentur. Et contra eos procedatur juxta Canonicas Sanctiones. Receptatores quoque, fautores, & defensores eorumdem pœnis subjaceant præfatis. Insuper ordinatur, ut ultra pœnas juris, non abjurantes hujusmodi errores per annum carceribus mancipentur; nec relaxentur, donec de vera constet ipsorum & non simulata conversione. Hortantur demum Suffraganei, ut contra tales viriliter insurgant, & jura exsequantur, & observent, & a suis faciant subditis inviolabiliter observari.

Harduinus Tomo VIII. Concilior. a pag. 975.- 990. *& hic ex Hundii Metropoli.*

(*i*) *forte*: Communitates.

CONCILIABULUM PRAGENSE
HUSSITARUM
Anno Christi MCCCCXXI. Martini V. Papæ IV. Sigismundi Rom. Reg. XII.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

INcipit Sancta Synodus, habita & rite celebrata, de anno Domini MCCCCXXI. die VII. mensis Julii, in inclyta civitate Pragensi, sub CONRADO (*a*) Archi-Episcopo ejusdem civitatis Pragensis, & sub potestate & mandato Magnificorum & Nobilium Dominorum, Magnatorum, Comitum, Baronum, nec non Magistrorum, Civium, & Communitatum ejusdem civitatis Pragensis: ac Militum, Clientum, civitatum aliarum communitatum Christianissimi Regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ, convenientibus ad illam, fere ex universis districtibus, Clericis ejusdem Regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ: & præsidentibus in ea Magistris, (b) *Joanne de Przibram*, *Procopio de Piltzna*, (c) *Jacobo de Misna*, & *Joanne de nova civitate*: statuentibus & exponentibus communi consilio totius Cleri, & consensu uniformi, has salubres & Ecclesiasticas Regulas. Ut omnes Clerici prædictarum, civitatis & Diœcesis noverint, quid debeant in futurum observare.

I. *Explanatio Fidei ipsius Sanctæ Synodi.*

Inprimis pio & fideli corde credimus, & integra mente credendum & asse-

(*a*) Conradus, gente Westfalus, Episcopus Olomucensis, post mortem Slinconis & Alberici resignationem Archi-Episcopus Pragensis, ad Hussitarum hæreses prolapsus, novam Calixtinorum sectam, quæ Calicem sub altera specie urgebat, in hac Pseudo-Synodo approbavit: anno 1423. infelici morte extinctus.

(*b*) In juventute Husso favit, post anno 1428. edidit præclaram professionem Catholicæ Fidei, editam a *Cochlæo*.

(*d*) Jacobus de Misna, vulgo Jacobus de Mizabohomes & Jacobellus, Concionator in Ecclesia S. Michaelis Pragæ, auctor erroris de utraque specie ex necessitate salutis Laicis danda.

asseverandum affirmamus, omne verbum Sacræ Scripturæ novi ac veteris testamenti Sanctum & Catholicum: ac ab universis Christi fidelibus venerandum & tenendum toto corde, asseveramus & nunciamus. Item Symbolum Apostolorum, Symbolum magni Nicæni Concilii, Symbolum Athanasii, una cum omnibus aliis Symbolis Catholicis, in Ecclesia primitiva tentis & promulgatis, fideliter & ex integro credimus, & credendum ab omnibus asseveramus. Omniaq; Decreta, Statuta sancta, rationabilia, & Catholica Apostolorum, & Ecclesiæ primitivæ: quam pro Matre & Magistra Fidei Catholicæ honoramus, & a qua discedere nephas putamus: tenenda & observanda decernimus, & mandamus, ita ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque servemus & custodiamus.

II. *De Gubernatoribus & Directoribus universi Cleri Diœcesum Pragensis, Olumucensis, & Lythomislensis.*

Item pro universo ordine & honestate totius Cleri nostri custodienda & retinenda, omnique præsumptione in Clero hujus Regni compescenda, dignum duximus, eligere quatuor viros idoneos, scientia & vita comprobatos: Principales & capitales, supremosque Cleri Gubernatores, Directores, & Ministratores in Spiritualibus cum consensu Reverendissimi in Christo Patris Archi-Episcopi Pragensis, scilicet Magistrum Joannem Przibram, Magistrum Procopium de Piltzna, Magistrum Jacobum de Misna, & Joannem Prædicatorem de nova civitate. Quorum directioni, dispositioni, & vocationi, in omnibus licitis & honestis parere & obedire, syncere promittimus & spondemus: dando & concedendo plenam & omnimodam super Nos potestatem, omnes injustos & rebelles castigandi, puniendi, dirigendi, deponendi, mutandi vel alienandi, & quomodolibet aliter, exigente ordine & justitia, peragendi.

III. *De habenda ab omnibus Lege Domini scripta, discenda, & promovenda.*

Item, quod omnes Sacerdotes totam Legem Domini scriptam ex integro, aut si nullatenus possunt, ad minus novam legem habeant, & ipsam tota solicitudine legant & discant, & in se & normam & vitam Evangelicam & Apostolicam, nec non in aliis studiose promoveant: Verbum Domini jugiter prædicando, & constanter promulgando.

IV. *De novitatibus absque ratione non inveniendis.*

Item quod nullus Clericorum aliquam novitatem consuetam, contra Evangelium, aut antiqua Sanctorum Patrum præcepta, & decreta rationabilia, audeat incipere & docere, aut prædicare, sed ipsam ad prædictos Regni Gubernatores & Directores, aut Synodum Provincialem deferat, & ipsam approbet aut ostendat, & præsertim articulos contra Sacratissimam Eucharistiam, & alia concomitantia, & per Universitatem, & Clerum Pragensem prohibita. Quæ & Nos prohibemus, ut nemo tenere præsumat, aut docere.

V. *De Fide Eucharistiæ, & ejus promotione.*

Item quod omnes Sacerdotes in Divinissimo Eucharistiæ Sacramento, & corde fidelissime credant, & ore syncerissime confiteantur, tam sub forma panis, quam sub forma vini totum Dominum Jesum Christum, verum Deum & hominem, cum suo proprio corpore & sanguine, nobiscum esse sua præsentia reali. Sicque ab omnibus tenendum fideliter populo nuntient & credendum. Ejusque Sacratissimæ Eucharistiæ communionem Divinissimam, sub utraque specie vini & panis, quotienscunque Spiritus Domini suggesserit, sane semel tantum quotidie, aut alias dierum intervallo Christi fidelibus universis, tam sanis, quam ægris, tam adultis, quam infantibus, cum ingenio & pietatis consilio effectualiter exequendum, promoveant, & velut donum omnium gratiarum ardentissime populo recommendent.

VI. *De Ordine, & ritu Missæ juxta decreta Sanctorum observanda.*

Item quod ordo, & Officium Sacræ Missæ, in omni ritu, & gestu ab Ecclesia pri-

primitiva (*i*) evacuato & exemplato, & a Sanctis primitivæ Ecclesiæ approbato, tento, & in habitu communi, quem alii (*k*) horarium, alii ornamenta appellant: circumscripta ab eis omni superfluitate, semota & preciositate, ab omnibus & singulis sacrificantibus, nisi necessitas inevitabilis præpediat, diligenter observetur.

VII. *Quod circa omnia Sacramenta Eucharistia est conferenda.*

Item statuimus, quod circa ministrationem omnium sex Sacramentorum, Sacramentum Eucharistiæ, velut virtus & confirmatio eorundem, non deferatur, sed concurrat & ministretur. Quia teste B. Dionysio, nullum Sacramentum rite celebratur, in quo Eucharistia non sumitur.

VIII. *Quod nullus Sacerdos debeat civiliter, & sæculariter dominari.*

Item quod nullus Sacerdos Christi super prædiis, agris, domibus, censibus, aut quibuscunque aliis proventibus & possessionibus, civili vel sæculari jure, dominetur: sed verius, & ad normam Evangelicæ paupertatis, & vitæ Apostolicæ, victu & amictu moderato contentetur. Ipsas autem eleemosynas, & facultates Ecclesiæ appropriatas, & dotationes temporales sive perpetuas, nemo sæcularium Dominorum per se usurpare debet, aut auferre.

IX. *De Conductoribus* (l) *& Conventibus.*

Item quatenus a modo nullus Clericus audeat res Ecclesiæ quascunque in mercede convenire, propter avaritiam, & damnosam solicitudinem annexam. Sic nec solicitudinem circa patrimonialia exercere, Nicæno Concilio hoc statuente.

X. *De omnibus peccatis mortalibus destruendis & cohibendis.*

Item statuimus in Domino JESU Christo, & sub æterna damnatione denunciamus, quatenus quilibet Christi Sacerdos omnia peccata mortalia, publica lege Dei prohibita, toto conatu, & absque omni desidia, in se & in omnibus aliis, diligenter & pro posse, evitare, destruere, evellere, disperdere & dissipare debeat: nec aliquid hujusmodi malum, per omnia pericula rerum, & corporum suorum, in se & in suis subditis negligens permittere, ignorare, aut tolerare.

XI. *De nihil accipiendo, & exigendo a septem Sacramentis.*

Item quod nullus Sacerdotum Christi a septem Sacramentis, aut pro septem Sacramentorum ministerio, immo nec extra ministerium omnium Sacramentorum, & aliis omnibus spiritualiter annexis, pecuniam aliquam, aut dona accipiat, aut exigat. Nec sub obtentu religionis cujuscunque pro orationibus recipere audeat.

XII. *De non cohabitando mulieribus.*

Item quatenus nullus Sacerdos cum mulieribus maxime juvenibus, nedum cohabitationem, sed nec conversationem habeat, nec colloquia aliqua misceat, nec domus eorum, nisi salubris cogat necessitas, ex Apostoli præcepto visitet, sed devitet.

XIII. *De Clerico in fornicationem lapso.*

Item si quis Sacerdos in fornicationem lapsus fuerit, quod ad unum annum in carcere detentus puniatur. Quod si pluries lapsus fuerit, quatenus degradetur, & ab officio perpetuo suspendatur.

XIV. *De Clerico in ebrietatem lapso.*

Item, si quis Sacerdos in ebrietate aliquotiens repertus fuerit, aut tabernis, aut (*m*) aliis inservierit; quatenus in carcerem detrudatur.

XV. *De hoc quod Sacerdos debet differre a laicis veste, tonsura, & gestu.*

Item Clericus professionem suam etiam habitu, & tonsura a communi populo differenti, gestu & incessu probet, sed nec vestimentis, nec calciamentis decorem, sed tantum religionem quærat.

XVI.

(*i*) *forte:* emanato. (*k*) Orarium
(*m*) *forte:* aleis.

(*l*) *forte:* Conventoribus.

XVI. *De Clerico scurrili, aut maledico.*

Item Clericum scurrilem, aut maledicum, & vanis, & turpibus joculatorem, aut maleficum, ab officio dicimus removendum.

XVII. *De Clerico percussore.*

Item quod Clerici seditionarii nequaquam ordinentur, & si in ordinibus fuerint, degradentur.

XVIII. *De confessione auriculari non prohibenda.*

Item nemo homines vere pœnitentes, humili corde peccata sua confiteri Presbyteris affectantes, quavis temeritate ab eodem præsumat repellere, aut prædictam confessionem velut illicitam, aut vim clavium, quibus peccata vere pœnitentibus a Domino JESU Christo (*n*) mysterialiter remitti creduntur, satisfactionis quoque remedia saluberrima, quoquomodo audeat prohibere.

XIX. *De Fonte Baptismi, & Chrismate in Ecclesia retinendis.*

Item quod Ecclesiarum Directores fontem Baptismi temporibus licitis consecratum, Oleum quoque Sacrum cum Chrismate in Ecclesiis suis habeant, & habenda provideant. Et solitis modis ungendi, interrogandi, & respondendi, & exorcizandi infantes baptizent, & baptizatos mox, si idonei sunt & cibi capaces, Sacramento Corporis & Sanguinis Domini communicent.

XX. *De Clerico adjudicando a laicis non defendendo.*

Item si quis cujuscunque honoris Clericus, judicio Episcopi, aut illorum electorum, quocumque crimine fuerit damnatus, non licet eum cuicunque laico quovis modo defensare, sed Ecclesiastico judicio obtemperare.

XXI. *De modo orandi, & legendi Clericorum.*

Item quod quilibet Christi Sacerdos, cui tempus, & locus facultatem dant, ad horas Canonicas sit obligatus: nisi meditatione, aut studio, & legendi, aut alia utiliore inevitabiliter sit præpeditus necessitate. Quod, si quis otio vacaverit, tempus, per quod aut orare, aut studere potuit, vane consumpserit, sit anathema.

XXII. *De quibusdam rationabiliter omissis.*

Nuntiamus propter pericula aliqua futura evitanda, quod circa ritus Ecclesiasticos, illa quæ sunt rationabiliter ex certis causis omissa in communitatibus Pragensium, quod hæc habeantur, & teneantur pro omissis. Nisi magis rationabilis, & magis utilis causa interveniret pro tali ritu resumendo. Hæc ergo Sancta, & rationabilia Statuta, & Decreta statuimus: immo potius antiqua Statuta (*o*) Concilia, & Sanctorum præcepta renovamus: Protestantes in his omnibus, quod per illa in nullo fidei orthodoxæ Domini nostri JESU Christi intendimus derogare. Seu si de contrario aliquo eorundem melius docti fuerimus, parati humiliter sumus emendare. *Hæc in Synodo.*

Decreta ista loco reformationis erant Hussitis antiquis. Quia plerique apostatæ multas ex Wicleffo enormitates docuerant, & in praxim perduxerant, de quibus pessime audiebant apud exteros Bohemi. Ad abolendam igitur illam infamiam hujusmodi decreta verbis quidem statuerunt, sed factis maxima ex parte non tenuerunt, neque hodie tenent *Waldenses* & *Thaboritæ*. Ex eo itaque tempore permansit perpetua discordia inter Sacerdotes *Thaboritarum*, & Magistros atque *Clericos Pragenses*. Nec ullis tractatibus, aut congregationibus publicis, in concordiam reduci potuerunt, licet a plurimis Baronibus & civitatibus Regni id sæpe attentatum fuerit. Qua de re prolixa scripta est historia a *Joanne Lukawitz Sacerdote Thaborita:* qui adversus Magistros Pragenses (inter quos nominatissimi erant *Jacobellus de Misna*, *Joannes de Rokyzan*, *Joannes de Przibram*, *Wenceslaus de Drachou*, & *Procopius de Pilzna*) ubique tuetur partes Wiclephi & *Thaborensium*. Quamvis negare non potuerit, Pragenses Magistros datis arbitris pro sua parte sen-ten-

(*n*) *lege*: per Sacerdotem ministerialiter

(*o*) *forte*: Conciliorum

tentiam obtinuiſſe. Quandoquidem ad Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ ritus & inſtituta, multo propius accedebant, quam *Thaboritæ*. *Pragenſes* enim aſſerebant cum Romana Eccleſia ſeptem Sacramenta, & conſuetos circa eorum adminiſtrationem, ritus, & cæremonias: in Euchariſtia verum Corpus Chriſti, in Miſſa ornamenta, & vaſa ſacra, in Baptiſmo exorciſmum, unctionem, Chriſma, ſal, patrinos, & id genus alia, in pœnitentia confeſſionem auricularem, & ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pietatis exercitia: extremam unctionem pro infirmis, purgatorium ignem, & ſuffragia vivorum pro defunctis, conſecrationes, & dedicationes Templorum, & Altarium, Sacros Ordines Clericorum, feſta, & jejunia Eccleſiæ, & id genus alia permulta, quæ antiquo ritu obſervant Catholicæ Eccleſiæ Filii. Quemadmodum ex ſupradictis Synodi ſuæ Capitulis, & ex articulis eorum (*quos in hiſtoria ſua in modum epilogi recitat ille ipſe Thaborita*) liquido cognoſcitur.

Cochlæus Lib. V. Hiſtoriæ Huſſitarum Auctor, Canonicus Wratislavienſis, impreſſus Moguntiæ anno 1549.

Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum Lib. IV. C. 7. *fol.* 448. *ſcribit, Acta hujus Synodi in veteri codice deſcripta ſe habere. Clariſſimo D. Dachowski videntur eadem, quæ Cochlæus habet.*

Subjungit XXIII. articulos Magiſtrorum Pragenſium ſub Conrado Weſtphalo jam in hæreſin lapſo, contra Thaboritas:

Repoſuerunt Thaboritæ plures prolixiores articulos, jam diviſi ab Huſſitis Pragenſibus.

ODORICI RAYNALDI *Reflexiones*

ad Conciliabulum Pragenſe anni MCCCCXXI.

HAbita itaque eſt *Pſeudo-Synodus* a *Calixtinis ſchiſmaticis*, qui inter Catholicos & Huſſitas mediam factionem condidere, cum veritatem Catholicam de præſentia Chriſti in Euchariſtia propugnantes, commento diabolico divulſi eſſent a Fidelium communione, dum contra Eccleſiæ præcepta Communionem ſub utraque ſpecie ab hæreticis accipiebant. Cœptum eſt ejusmodi Conciliabulum die VII. menſis Junii, Præſide apoſtata CONRADO *Weſtphalo, Pragenſi Archi-Epiſcopo*, qui cum adverſus Huſſitarum impietatem pro Eccleſiæ & Chriſti gloria fundere ſanguinem debuiſſet, a ſuſcepta conſtantia deſcivit: cui aſſedere Magiſtri ſcelerum Joannes Przisbram, Procopius e Pilzna, Jacobus e Miſnia, & Joannes e nova civitate. Cum vero eorum omnium conſilia eo ſpectarent, ut vano fictæ pietatis lenocinio Catholicos deluderent, ita ſua Decreta compoſuere, ut Sanctimoniam Chriſtianam olerent, uno excepto, quo Eccleſiæ Romanæ conculcato ritu, ſumendi a laicis ſub ſpeciebus vini ſanguinis, contra Decreta Sanctorum Patrum inani pietatis falſæ ſpecie neceſſitatem induxerunt.

I. *Inprimis* admiſere *Novum & vetus Teſtamentum*, *Symbolum Apoſtolorum*, *Nicæni Concilii*, & *Decreta primitivæ Eccleſiæ.*

II. At in *ſecundo Canone* viros impios hæreſeos infamia notatos ad perdendum Clerum Catholicum, reſtituendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ obtentu inani præfecerunt.

III. In *tertio* Sacerdotibus mandata dedere, ut vitam Apoſtolicam abumbrarent, quo direptioni expoſitis Eccleſiaſticis opibus, nobiles ad ſe pellicerent.

IV. *Quarto Canone* vetuere quidquam in religione novari, ne ob ſectarum inter ſe pugnantium varietatem ab invicem diffiderent, tum præcipue edixere, ne hæreſis Wicleffi & Joannis Huſs contra Euchariſtiam promulgaretur.

V. *Quinto Canone* præſentiam totius Chriſti ſub qualibet ſpecie cum Catholicis ſunt profeſſi his verbis: " Item quod " omnes Sacerdotes in Diviniſſimo Eucha-

" chariſtiæ Sacramento, & corde fideliſſi-
" mo credant, & ore ſynceriſſime con-
" fiteantur, tam ſub forma panis, quam
" ſub forma vini totum Dominum JE-
" ſum Chriſtum verum Deum & homi-
" nem cum ſuo proprio corpore & ſan-
" guine nobiſcum eſſe ſua præſentia rea-
" li, ſicque ab omnibus tenendum fide-
" liter populo nuntient & credendum." Addidere viri inconſtantes, qui paulo ante nihil in religione novandum edixerant, ut populo ſpecies vini exhiberentur.

VI. Retinuere *ſexto Canone* Sacros in Miſſæ Sacrificio ritus, atque Altarium, Templorumque ornamenta.

VII. *Septimo Canone* edixere, ut in adminiſtrandis ſex aliis Sacramentis Euchariſtiæ etiam Sacramentum conferretur, in quo etiam haud parum novarunt *contra quartum Canonem*, dum infantibus Baptiſmo perluendis Euchariſtiam tradi voluere.

VIII. *Octavo Canone* ſceleratiſſimi latrones Clerum omni jure atque imperio in agros, prædia, domos, & cenſus ſpoliarunt, addita Juliani apoſtatæ ratione, dum in Chriſtianos latrocinia exercebat, ut ita Chriſti pauperis exemplis ſe accommodarent: nec minus inepte rerum uſu ſine ullo jure contentos eſſe voluerunt, atque errorem Fraticellorum jam ante damnatum redintegrarunt....

XVIII. Interjectis pluribus *decimo octavo*, ne Wicleffi & Joannis Huſs lue viderentur laborare de ſacra exomologeſi hoc ſancitum: " Nemo homines vere
" pœnitentes, humili corde peccata ſua
" confiteri Presbyteris affectantes, qua-
" vis temeritate ab eodem præſumat re-
" pellere, aut prædictam confeſſionem
" velut illicitam, aut vim clavium, qui-
" bus peccata vere pœnitentibus a Do-
" mino JEſu Chriſto myſterialiter (a)
" remitti creduntur, ſatisfactionis quo-
" que remedia ſaluberrima quoquo mo-
" do audeat prohibere, &c." Quæ vero Fidei Catholicæ conſentanea ſanxere, id ad declinandam invidiam, ne in ſe univerſum orbem concitarent, præſtitere; ob quam etiam a *Polonis* & *Lituanis*, cum eorum clientelam contra SIGISMUNDUM Regem exambirent, hoc anno repudiatos, refert *Cramerus. Addit vero Cochlæus:* maximam diſcordiam inter *Thaboritas*, qui Wicleffi, & Joannis Huſs errores ſectabantur, atque *Calixtinos Pragenſes*, qui ad fidem orthodoxam propius accedebant, ab eaque ob calicis uſum diſceſſerant, exortam, neque ulla ratione, datis etiam arbitris, ſedari potuiſſe: afferunturque ab eodem auctore plures articuli Eccleſiæ Romanæ ritibus in plurimis conſentientes, a Pragenſibus contra *Thaboritarum* effrænatam impietatem editi. Impendente vero cruce ſignatorum Catholicorum, expeditionis terrore, finitimos Principes, inter alios Miſniæ Marchionem, exaratis ſexta die Julii litteris ſolicitarunt, ut eorum patrocinium ſuſciperet, profeſſi ſunt, nunquam quatuor articulis jam ante a nobis expoſitis, de quibus in *Concilii Baſileenſis Actis* agendum erit, diſceſſuros, ac Sigismundum Regem multis calumniis onerarunt, in quibus omnibus idem *Cochlæus ipſum vindicat.*

Raynaldus ad h. a. in Annalib. Eccleſiaſtic. ex Cochlæo Lib. V. Hiſtor. Huſſit.

Ex Dubravio Hiſtor. Bohemiæ Lib. XXVI.

(a) miniſterialiter

Epiſtola CONRADI Archi-Epiſcopi, jam apoſtatæ, & Baronum Regni Bohemiæ, ad Principem & populum Luſatiæ, anno 1421.

CONRADUS, Pragenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, Zenzo de Wartenberg *alias* de Vuesle, Henricus Berka de Duba, Ulricus de Hardetz, Hyneck Cruſſina de Lichtenberg, Alzo Scopeck, Joannes de Kalsko, Mikes de Sampach, Henricus de Vuartenberg, Victorinus de Kun-

ſtat, Hinko de Kunſtat, Hermannus de Broteri, Joannes de Lichtenberg *alias* Cruſſina, Henricus Latzenbock de Ochlim, Wenceslaus de Sweyretitz, Joannes de Opotzna, Gnual de Sternberg *alias* de Holitz, Ameſtus de Richenberg, Joannes de Chlum, Wenceslaus de (*) Gentſenſteyn, Nicolaus de Valſtein, Nicolaus de Monachu, Zdenick, Modeck de Teynitz, Magiſtri civium atque Communitates inclytæ civitatis, & invictæ in veritate urbis Pragenſis, Joannes Ziska de Batznau, civitas & communitas de Moncibus. Cumis una cum aliis Nobilibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Civitatibus & Communitatibus Regni Bohemiæ.

Illuſtri & Magnifico Principi, nec non terrigenis civitatibus Budiſſin, Gorlitz, Sittaviæ, Lobaviæ, Luban, & Camentz Fautoribus noſtris ſervitutem paratam cum deſiderio omnis boni.

Illuſtris Princeps, nec non Nobiles Barones, Milites, Clientes, cæterique civitatum Communitates. Noveritis, qualiter inclytum Regnum coronæ Bohemiæ innumeras & atroces injurias, & injurioſas calumnias, vaſtationem, & exuſtiones villarum, inhumanasque & crudeles occiſiones virorum pariter & mulierum, & parvulorum, una cum aliis innumeris detrimentis (quæ gemebundum cor abſque lacrymis nec videre, nec narrare poteſt) hactenus ab invaſoribus & crudelibus exterarum gentium hoſtibus perpeſſum eſt, & patitur, pro dolor! in pericula atque damna omnium noſtrorum pariter & detrimenta: ideoque veſtram illuſtrem Magnificentiam & generoſas Nobilitates, providasque prudentias veſtras, nos omnes unanimi deſuper compaſſione ex intimo corde commoniti (*a*), conſtanter petimus, immo prout de jure debemus, requirimus, & monemus, quatenus non veluti viri, Deum & famam negligentes, ſed veluti viri ſtrenui, memores veſtrorum juramentorum, quibus jure feudi & homagiali coronæ Regni Bohemiæ præcipuo eſtis obligati, & ad ipſam protegendam, & ab omnibus invaſoribus & hoſtibus tuendam prorſus de jure aſtricti, contra ipſam amplius non inſurgatis, immo inſurgere quoslibet, velut fideles ipſius Coronæ tutores, pro poſſe prohibeatis, prout honoris veſtri puritatem, & juramenti præſtiti integritatem diligitis firmius obſervare. Alioquin contra vos, & quemlibet hujusmodi ſecus facientem, velut contra honoris neglectorem, & juramenti præſtiti corruptorem, juxta jura Regni remedio opportuno durius procedemus. Significamus inſuper vobis graves exceſſus & culpas Sereniſſimi Domini SIGISMUNDI Regis, quas ab ipſo paſſi præſentibus incluſas vobis deſtinamus.

Datum in plena Congregatione Baronum terræ Bohemiæ & Moraviæ, & Dominorum inclytæ civitatis Pragenſis, nec non Militarium & Clientum civitatum & communitatum in Gaslavienſi civitate anno Domini MCCCCXXI. Sabbato poſt Martini.

Cochlæus Lib. V. Hiſtor. Huſſitarum.

(*) Gutenſtein,

(*a*) *forte*: commoti

Epiſtola MARTINI V. indicit cruciatam contra Wicleffiſtas & Huſſitas, Nationem Germanicam hæreſi ſua inficientes.

Anno Chriſti MCCCCXXI. Martini V. Papæ IV. Sigismundi Imp. XII.

DILECTO FILIO BRANDÆ, (*a*) TIT. S. CLEMENTIS PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, SALUTEM &c.

CONſiderantes iniquitatis alumnos *Wicleffiſtas* & *Huſſitas*, aliosque hæreticos, & infideles, qui veram ſalutis ſemitam deſerentes, Chriſtianæ Religionis perſecu-

(*a*) Caſtilionæo Mediolanenſi.

ſecutores acerrimos ſe ſe reddunt, quique falſis & inſanis dogmatibus, & damnatis erroribus, hæreſumque fomentis orthodoxam fidem evertere molientes, univerſum Regnum Bohemiæ, & partes illi conterminas infecerunt: ac cupientes illorum temeritati, quantum cum Deo poſſumus, obviare, fideles milites Chriſti, pugiles, athletas vivificæ Crucis, qua Nos a damnatione redemit, charactere inſignitos, contra præfatos hæreticos duximus excitandos; ut hæreticos ipſos, qui etiam Dei timore poſtpoſito Eccleſias, Monaſteria, vel alia pia loca in honorem Chriſti, Virginis Glorioſæ, Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum dedicata, eorumq; imagines concremant, & evertunt, & fidem Catholicam, præſertim in *Natione Germanica*, delere moliuntur, a nequiſſimis eorum propoſitis & inſultibus, quibus in Chriſtianum ſanguinem, & Catholicos Sacerdotes debacchantur, non ſolum Spiritualibus, verum etiam temporalibus convocatis præſidiis proponimus auctore Domino coercere.

Hodie ſiquidem pro ſuccidendis ex agro Dominico vepribus peſtiferis & nocivis, quibuscumque perverſis erroribus de hæreticorum ipſorum mentibus extirpandis, illorumque ſalubri reductione ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ, ut ad cor reverſi ab hujusmodi reſipiſcant erroribus, quibus gregem ipſum ſeducere, & inficere moliuntur, & ſi in eorum obſtinatione, & malignitate permanſerint, evertantur, te ad Regnum præfatum, nec non Marchionatus Moraviæ, & Miſniæ, eorumque provincias, civitates, terras, & loca eiſdem hæreſibus, & erroribus polluta, tibi plenæ poteſtatis Legati de latere officium committendo, de Fratrum noſtrorum conſilio, tamquam pacis Angelum providemus deſtinandum, prout in aliis noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur. Cupientes itaque, ut hujusmodi legationis officium ad laudem, & gloriam Divini nominis, & ſalutem fidelium animarum eo facilius exequaris, quo ampliori te noveris per Sedem Apoſtolicam facultate munitum, directis in cœlum oculis ad illum, cujus res geritur, Divinum, & humanum præſidium invocantes, ut hujusmodi adjuti præſidiis eorundem hæreticorum audaciam, niſi ſe ad Chriſtum converterint, coercere, & comprimere valeamus, omnes & ſingulos Reges, Duces, Marchiones, Principes, Barones, Comites, Capitaneos, Magiſtratus, & quoslibet alios Officiales, eorumque loca tenentes, communitates quoque, univerſitates civitatum, terrarum, oppidorum, caſtrorum, & aliorum quorumcumque locorum, cæterosque Chriſtiani nominis Zelatores, Status, & Regionis cujuslibet, ubilibet dominantes, ac conſtitutos, rogamus & hortamur, ac per aſperſionem ſanguinis ejusdem Glorioſiſſimi Redemptoris paternis affectibus obſecramus, in ſuorum remiſſionem peccaminum ſuadentes, ut ad Wicleffiſtarum, Huſſitarum, & aliorum hæreticorum præfatorum ſubverſionem & exterminium, & ad impendenda ſibi contra eos profutura ſuffragia, quibus hujusmodi negotii proſecutio feliciter adjuvetur, potenter ac viriliter ſe accingant, quos ſpiritualibus donis, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus de ipſorum fratrum conſilio providimus invitandos, &c. *Inſtruxit ampliſſimis mandatis Legatum, ut Præſules, & alios viros laborum ſocios ſibi aſciſceret, qui Chriſti fideles, ſacram militiam in hæreticos profeſſuros, Crucis Symbolo inſignirent.* Datum Romæ apud S. Petrum, Id. Aprilis, Pontificatus noſtri anno IV.

Raynald in Annal. Eccleſiaſticis ad h. ann. N. 6.

De eodem BRANDA, Legato in Germaniam, hæc adde: Anno MCCCCXXI. menſis Junii die XXI. intravit Leodium cum magno honore, a Domino Epiſcopo, & omnibus Eccleſiaſticis, proceſſionaliter obviam procedentibus uſque ad portam S. Leonardi, receptus D. BRANDA Cardinalis Placentinus, a Latere Papæ Legatus, ad ſignum Crucis prædicandum contra perfidos [a] hæreticos Regni Bohemiæ. Quo ipſo die Miſſa ſpecialis in Eccleſia majori per univerſum Clerum civitatis, coram dicto Cardinali ſolemniter pro extirpatione hæreſis hujusmodi eſt celebrata.

[a] *Quam perfidi non ſolum in Eccleſiam & Papam, ſed in Regem & Regnum, fuerint Huſſitæ ab anno* 1408. *ad* 1470. *docent bella, ad quæ Sigismundus & Succeſſores fuere coacti.*

Prima Augusti, iterum Missa speciali facta in majori Ecclesia, Dominus Episcopus Leodiensis, cum plurimis Nobilibus, satis magna, ut apparebat, devotione recepit Crucem ad pergendum contra perfidos supradictos, & eadem die post prandium cum pulchro comitatu suorum, & aliorum Cruce signatorum, Leodio recessit versus Regnum Bohemiæ, in subsidium Archi-Episcopi Coloniensis, & aliorum Electorum Imperii, & Principum Alemanniæ.

Chronicon magnum Belgii, ex quo Raynaldus.

Similis Epistola Papæ Martini V. scripta fuit ad Germaniæ Archi-Episcopos, & Episcopos, Electores Imperii, & alios Principes. *Raynald. n. 8. ad h. a.*

Ex Libro III. Epistolarum Martini V. pag. 151.

Personæ congressæ ex Germania ad Bohemos Hæreticos compescendos.

DUX Militiæ fuit *Fridericus* Marchio Brandenburgensis, cum eo præcipui fuere *Otto* Trevirensis, *Theodoricus* Coloniensis, *Guntherus* Magdeburgensis Archi-Episcopi: item Episcopus Leodiensis, & alii. *Ludovicus* Comes Palatinus, *Albertus* Dux Saxoniæ, *Ludovicus* Landgravius Hassiæ, *Fridericus* & *Wilhelmus* Marchiones Misnenses, Domini nostri: *Bernus*, *Georgius*, & *Adolphus* Principes Anhaltini: *Fridericus* Landgravius Doringiæ, *Joannes* Dux de Berge, *Henricus* Comes de Schwartzburg, *Volradus* & *Gerardus* Comites de Mansfeld, *Bedo* de Stolberg Comes, & plures alii, quorum *quadraginta Equitum fuere millia*, dempta multitudine Peditum. Et cum tot & tanti essent, vix Bohemiam ingressi, subito pavore omnes perculsi, & priusquam hostis ullus in conspectu daretur, fœdissime omnes simul cœperunt fugere, quilibet extra Bohemiam. Hostis exin metu alieno ingenti præda potitus est, quam relictam invenit.

Langius in Chronico Citizensi, apud Pistorium inter illustres Scriptores pag. 853. edition. Francof. 1513.

CONCILIABULUM IN ATREBATENSI DIOECESI ANNO MCCCCXXI.

IN Belgio prope Duacum in oppido, cui *Sains* nomen est, hæresi Bohemica infecti, *Conciliabulum* compegerant: atque in Atrebatensis Episcopi carceres conjectos fuisse, narrat *Monstreletus Vol. 1. Cap. 258.* quorum pars ad animæ sanitatem reversa, insidiam exuit, pars autem Censoris Fidei & Theologorum monita respuens, Atrebati, Duaci, Valentinianis, ardentibus rogis consumpta periit: quorum exitio publica salus constituta est.

Raynaldus Annal. Eccles. ad h. a. N. 9.

CONCILIUM MOGUNTINUM

Anno Christi MCCCCXXIII. Martini V. Papæ VI. Sigismundi Reg. Rom. XIV.

STATUTA XVII.

SUB DOMINO CONRADO ARCHI-EPISCOPO, EDITA IN PROVINCIALI CONCILIO, MOGUNTIÆ CELEBRATO.

DE Mandato Reverendissimi in Christo Patris & Domini CONRADI Archi-Episcopi Moguntinensis, in hoc Provinciali Concilio Presidentis, exponitur Vobis Reverendis Patribus, Episcopis, Abbatibus, Nuntiis & Oratoribus ad Concilium hujusmodi convocatis, ceterisque Prælatis, Doctoribus & Magistris hic presentibus, sicut olim a Sanctis Patribus noscitur institutum: quod Metro-

Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis presertim in Clero, diligenter cum Domini timore habebunt tractatum. Sed quia institutioni hujusmodi per non usum videtur esse aliquantulum in non modicum periculum animarum, & in Status Ecclesiastici præjudicium derogatum; quapropter idem Reverendissimus in Christo Pater volens insequi vestigia Sanctorum Patrum; atque etiam in hoc obedire mandatis Apostolicis, sibi desuper directis: Vos Reverendos in Christo Patres, Dominos Episcopos, Abbates, ceterosque Nuntios, Prelatos, Doctores & Magistros, pro celebratione Concilii Provincialis convocari fecimus: vestroque consilio, & auxilio de excessibus corrigendis, & moribus reformandis, ac, que bonum Statum Ecclesie, aut libertates Ecclesiasticas concernere videntur, tractaturi. Verum quia ante omnia in fide incipiendum est, cum sine fide nullus salvetur; *Primo* intendit idem Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, cum consilio vestrarum Paternitatum publicare condemnationes, & conclusiones *Wicleff*, & *Hussi* in Concilio *Constantiensi* factas, quod tenentes hujusmodi hæreses sic condemnatas sint hæretici censendi: & eorum fautores, si non desistunt, puniendi. Insuper cum consilio vestro intendit mandare universis Rectoribus Ecclesiarum, quod si quos sciant hujusmodi hæreticorum fautores, vel receptatores: quod eosdem Ecclesie denuntient, debita pœna puniendos. Et dein Patres Reverendi, docet experientia; que rerum est magistra, quod dissolutio Clericorum in moribus, & vita domum Dei discolorat, immo verius denigrat, ita quod propter dissolutionem hujusmodi periit devotio in populo, fides decrevit in mundo, & status Ecclesiæ existit diminutus: Et quanquam a Sanctis Patribus contra premissa salubriter sit provisum cum debita penarum appositione, & in diversis Conciliis Generalibus, & Provincialibus, ultra penas juris communis, nove sint pene apposite. Heu tamen, & heu in tanto excrevit hujusmodi malitia, quod pene hujusmodi minime formidantur, & sic a bono obedientie receditur, Sanctiones Sanctorum Patrum predictorum, & ordinationes Conciliorum vilipenduntur: surguntque preterea hereses & pullulant, & innumera mala subsequuntur. Ceterum cum nihil Ecclesie Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur ad regimen animarum: & grave nimis est, & absurdum, quod Ecclesiarum Prelati, cum possint viros idoneos ad officia promovere, assumere non verentur indignos, quibus, nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur. Unde quanta Ecclesiis ex hoc damna proveniant, nemo sane mentis ignorat. Et licet circa premissa in diversis generalibus Conciliis sit provisum. Sunt tamen nonnulli, qui non judicium rationis, sed potius tranquillitatis sequentes affectum, beneficia dignis non satagunt assignare, in periculum animarum, & scandalum plurimorum: propter que etiam studia generalia depereunt: quia studentibus in Beneficiis non providetur: sed potius Beneficia indoctis conferuntur. Et quod ultra lamentabiliter exponitur: quamquam per leges Imperiales, ultra Canonicas Sanctiones per conservationem libertatis Ecclesie diverse pene sint adinvente contra transgressores libertatis Ecclesie huiusmodi: his tamen non obstantibus, diversa gravamina, & onera Ecclesiis quotidie, & Ecclesiasticis personis imponuntur a multis: datis etiam ad hoc laicis pro executoribus. Insuper quia sunt nonnulli, qui falcem suam mittunt in alienam messem: cognoscentes de causis, ad eorum jurisdictionem minime spectantibus: ex hoc insurgunt invidie, & rancores inter laicales, & Ecclesiasticas personas: incendia, rapine, & diversa alia mala propterea perpetrantur, & ordo Ecclesiasticus confunditur. Requirit igitur idem Reverendissimus in Christo Pater & Dominus noster Archi-Episcopus, & vos Reverendos Patres, in Fide Christi, & per viscera misericordie Dei exhortatur, quatinus consilia, & auxilia impertiri dignemini pro salubri Statu Ecclesie: ac pro conservatione libertatis Ecclesiastice. Et etiam que, & qualia in *Generali Concilio in civitate Papiensi* de proximo celebrando, sint circa premissa proponenda, & agenda: intendit etiam prefatus Dominus cum vestris Reverentiis in omnibus concurrere, que sunt pro bono Statu Ecclesie, & pro conservatione libertatis

Ecclefiaftice. Idem Reverendiffimus Dominus nofter Archi-Epifcopus dat, & concedit liberam poteftatem unicuique in prefenti Concilio proponendum, & allegandum, que fibi pro expeditione premifforum videbuntur utilia, honefta, difcreta, & quomodolibet opportuna.

Cap. I. *Damnatur herefis Bohemorum.*

Sanctam (*b*) & orthodoxam Fidem Catholicam, quam Sancta Romana, & univerfalis profitetur, dogmatifat, & tenet Ecclefia, cum omni ritu obfervantie Sacramentalis, prout ipfa Romana Ecclefia hactenus tenuit & obfervat, totis cordibus devotiffime credimus, & ore fimpliciter confitemur. Verum, quia pridem in Regnis Anglie, & poft hoc Bohemie, in quibus predicta fides devotiffimo quondam venerabatur affectu, nunc quedam feviffime herefes, quantum in eis eft, Status Ecclefiaftici deftructive, gratiarum Sacramentalium exterminative, & clavium Ecclefie, nec non poteftatis earundem ac Ecclefiafticarum cenfurarum penitus enervative inceperunt noviter, nec adhuc definunt, maxime in Regno Bohemie pullulare: Que licet in Sacro Conftantienfi Concilio Generali cum fuis auctoribus, Magiftris videlicet Joanne Wicleff primo, ac poftmodum Joanne Huffe, & Hieronymo de Praga, eorumque fequacibus & adherentibus, nec non omnibus fuis erroribus, libellis, & opufculis fuerint condemnate, & Synodaliter reprobate, cum inhibitione fub gravibus penis, ne quisquam cujufcunque dignitatis, ftatus, preeminentie, aut conditionis exiftat: hujusmodi libellos, feu opufcula, aut errores, five articulos in eis contentos, reprobata, & reprobatos legere, vel ftudere prefumat. Venena tamen fue toxicationis jam adeo diffufa & multiplicata, quod populus ille pridem Catholicus in Bohemia, nunc ad arma convolans, Clericos, & veros Chrifticolas inhumaniter perfequitur, crudeles ipfis mortes atque martyria, & penas diverfimodas inferendo: Ecclefias atque imagines noftri Salvatoris, ejus Gloriofiffime Genitricis, ceterorumque Sanctorum deftruens, & devaftans. Idcirco volentes Nos dicte Ecclefie Romane atque Catholice conformare, predictas herefes, dictorumque herefiarcharum doctrinas erroneas fimiliter anathematizamus, reprobamus, & totaliter condempnamus: afferentes cum dicto Generali Concilio Conftantienfi, quod omnes hujufmodi articuli, aut funt piarum aurium offenfivi, aut feditiofi, aut fcandalofi, vel manifefte a fide devii, feu expreffam herefim continentes, prout in fententia lata contra dictos hereticos, & fua perverfa dogmata plenius continetur. Quapropter univerfos & fingulos Nobis fubjectos in virtute fancte obedientie requirimus; & eis precipiendo mandamus, quatenus in Spiritu virtutis Dei exfurgentes, predictorum hereticorum fequaces, eorumve fautores vel receptatores, & eorum doctrinam reprobam cum opufculis memoratis, ubicunque illos feu illa, contigerit reperiri, diligenter inquiratis: Nobifque, Ordinario loci, aut alicui ex inquifitoribus heretice pravitatis, ad hoc a Sede Apoftolica deputatis, vel deputandis, prodatis, & reveletis, atque mediante juftitia (fi non refipuerint) exterminari, & libros totaliter concremari fideliter procuretis. Nos etiam omnibus per noftram provinciam conftitutis, confeffis, & contritis, qui ad id operam, vel efficaciam dederint, aut qui in expeditionem exercituum contra prædictos hereticos profecti fuerint, aut ad hujufmodi expeditiones, fi perfonaliter proficifci non valeant, manus fuas porrexerint adjutrices: de Omnipotentis Dei mifericordia, & Sanctorum ac Sanctarum noftrorum Patronorum, aut Patronarum meritis, & precibus confifi, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis mifericorditer in Domino relaxamus, Suffraganeos provintie noftre in Domino exhortantes: ut his noftris indulgentiis fimiles in fuis civitatibus, & Diocefibus fnperaddant. Mandamus infuper omnibus, & fingulis Ecclefiarum Rectoribus, & eorum Vicariis, feu Plebanis, aliifque Predicatoribus per Provinciam Moguntinenfem, quod in fingulis fermonibus fuis ad populum faciendis, exhortationes faciant fpeciales ad inducendum populum congruis modis, ut orationes, jejunia, & eleemofynas,

(*a*) Hic incipit Liber, in quo hoc Concilium impreffum eft Eiftadii anno 1484. Extat in Bibliotheca Herbipolenfi.

ſynas, & alia pia opera: omneſque Presbyteri dicte noſtre Provintie Miſſarum ſolenniis celebrandis, & alias ſpeciales collectas, & ſuffragia noſtro offerant Salvatori: quatenus Eccleſie ſue Sancte, & veris Chriſticolis contra quoſcunque perſecutores, & rebelles ejuſdem, præſertim dictam fidem Catholicam impugnantes, largiri dignetur victoriam, & triumphum.

C. II. *Inſtituuntur pulſationes pro memoria Paſſionis Chriſti ad feriam ſextam in meridie, & compaſſionis Beate Virginis quolibet mane.*

Cum Petri naviculam Sanctam, & Catholicam Eccleſiam interdum propter peccata hominum fluctuantem (cujus fides deficere non poteſt) confidenter ſperemus, memoria paſſionis, & mortis Domini noſtri JESU Chriſti in fide recta, & interceſſione Glorioſiſſime ac ſemper Virginis Dei Genitricis Marie a fluctibus & incurſibus hereticorum liberari: ſalutationem quoque Virginis Angelicam eidem fore gratiſſimam; Horum itaque conſideratione ad impetrandum veniam peccatorum noſtrorum, & ut Deus omnipotens per ſuam miſericordiam ſanctam & orthodoxam Romanam, & Catholicam Eccleſiam pacificare, regere, & adjuvare dignetur, & eidem, excluſis erroribus univerſis, valeamus in pace, & unitate, in fide recta, ſpe firma, & charitate perfecta famulari: ſtatuimus, volumus, & ordinamus, hoc Sacro Provinciali approbante Concilio; quod deinceps in ſingulis civitatum, & locorum provincie noſtre Eccleſiis principalibus, Collegiatis, & Parochialibus, omnibus feriis ſextis hora meridiei, vel circa, in memoriam Paſſionis ac Mortis Domini noſtri JESU Chriſti, noſtreque redemptionis, pulſetur ſolenniter magna cujuslibet earumdem Eccleſiarum campana: ad excitandum Chriſti fideles, ut eadem hora memoriam Paſſionis Chriſti, & ſue redemptionis devotius recolant, & per ejus merita miſericordiam Dei pro premiſſis, & omni neceſſitate Eccleſie implorent. Similiter quoque approbante hoc Sacro Provinciali Concilio ſtatuimus, volumus, & ordinamus: ut deinceps ſingulis Eccleſiis predictis omni die circa ſolis ortum in memoriam compaſſionis Glorioſiſſime, & Intemerate ſemper Virginis Marie, que ſtans juxta Crucem ſui Dilectiſſimi Filii cruciabatur, anxietate, & merore plena: pulſetur tribus vicibus campana ipſius Eccleſie, que & prout hactenus circa occaſum ſolis pro ſalutatione ejuſdem Virginis pulſari conſuevit, ad hortandum Chriſti fideles: ut tunc in laude ipſius Virginis incipientes, eam cum ſalutatione Angelica devote venerentur: ut ipſa, quam Filius ejus nihil negans ſemper honorat, pro nobis, & omni neceſſitate noſtra apud Dominum intercedat. Nos etiam omnibus contritis, & confeſſis in provintia noſtra conſtitutis, qui feria ſexta tempore pulſus predicti in memoriam Paſſionis, & mortis Domini noſtri JESU Chriſti tria *Pater noſter*, & tria *Ave Maria*, nec non qui tempore pulſus, qui ſingulis diebus fieri debet, circa ortum ſolis ter ſalutationem Virginis Angelicam *Ave Maria*, flexis genibus oraverint: de Omnipotentis Dei miſericordia, & authoritate noſtra Metropolitica, & ordinaria quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis, totiens quotiens hoc fecerint, miſericorditer in Domino relaxamus. Suffraganeos provintie noſtre in Domino hortantes, ut his noſtris indulgentiis ſimiles in ſuis civitatibus, & Dioceſibus ſuperaddant.

C. III. *De Veſtibus Clericorum, & calceis.*

Quoniam, qui abjectis veſtibus proprio congruentibus ordini, alias aſſumere, & eas in publico rationabili cauſa ceſſante deferre præſumit, Profeſſorum ordinis illius prærogativis juxta Canonicas Sanctiones ſe reddit indignum; Iccirco preſenti conſtitutione ſancimus, ut Clerici per civitates & opida, & preſertim in Eccleſiis, veſtes longas, & ſtatui Clericali decentes deferre debeant, & teneantur, non ſericeas ab extra, non variatas aut diviſatas, nec deſuper ab extra cum plicaturis foderatas, manicis autem ſtrictis, & aliis decentibus utantur: non ferant calceos, ſive ſotulares inhoneſtos, aut indecentes, non conſuticios extra talum. Itinerantibus autem ex cauſa brevioribus veſtibus uti liceat: tranſgreſſores vero a diſtributionibus, & corpore Prebende per unum menſem nove-

noverint se suspensos. Et ut premissa inviolabiliter observentur, mandamus sub simili pena Ecclesiarum Decanis, vel eorum loca tenentibus: seu his, ad quos de jure, vel consuetudine correctio spectare dinoscitur: quatenus cum effectu inhibeant Officiatis Ecclesiarum, ne de distributionibus, & corporibus Prebendarum hujusmodi transgressoribus aliquid administrent, vel assignent: per premissa tamen *Cle. Qm. De vita, & honestate Clericorum*: nec non ordinationi Generalis Concilii Constantiensis, & aliis juribus, que de indecentia vestium Clericorum tractant, non intendimus derogare, sed potius volumus in suo robore permanere.

C. IV. *De Tonsura Clericali.*

Ut Clericorum mores, & actus eorum exteriores in melius reformentur, honeste vivere studeant universi. Decet igitur unumquemque coronam, & tonsuram unicuique suo ordini, statui, aut dignitati convenientem deferre juxta Canonicas Sanctiones. Sunt tamen nonnulli contemptores sanctionum hujusmodi: ideo statuimus, & decernimus. Transgressores hujusmodi simili pene, ut premittitur, subjacere.

C. V. *Quando, & ubi Clericis liceat arma portare.*

Cum Clericis sit inhibitum, ne arma portent: statuimus, ut nullus Clericorum per civitates, & opida armatus incedat, nec gladios, vel cultellos longos portent, nisi forte eos equitare contingeret, sub pena simili: extra autem civitatem armatus non incedat, nisi hoc faceret in defensionem Ecclesie sue, rerum vel persone, habita licentia a suo Superiore, nisi contingeret eum incedere per loca suspecta, & tunc coopertas loricas, aliaque arma deferre poterit: transgressores autem volumus pene simili subjacere.

C. VI. *Confabulantium Clericorum sub Divinis pena statuitur.*

Quoniam valde iniquum est, & res pessimi exempli, ut tempore, quo Divina celebrantur officia, Canonici, & alii Clerici ad Divinum cultum deputati, qui devotissime psalmodie deberent intendere, confabulationes, aliaque inter se habeant colloquia ad Divinum cultum minime spectantia: statuimus igitur, & ordinamus de Fratrum nostrorum consilio, ut dicti Canonici & Clerici, qui tempore divinorum inter se colloquia hujusmodi, seu confabulationes inter se in Choro habuerint, a presentiis & Prebendarum, seu Beneficiorum suorum corporibus per unum diem irremissibiliter sint suspensi, aut alias ad arbitrium Decani vel ejus, ad quem spectat eorum correctio, puniantur, qui, si negligentes fuerint: eidem pene se noverint subjacere.

C. VII. *Prohibetur Clericis deambulatio per Ecclesiam tempore Divinorum.*

Insuper inhibemus, ne de cetero Canonici, vel Clerici tempore Divinorum per Ecclesiam cum laicis, vel aliis Clericis spaciari, vel deambulare presumant. Quod, si contrarium fecerint, presentiis, & corporibus Prebendarum, seu Beneficiis suis unius diei careant irremissibiliter, & alias ad arbitrium Decani illius Ecclesie, vel ejus, ad quem spectat eorum correctio, puniantur, qui, si in hujusmodi correctione fuerint negligentes, eidem se noverint pene subjacere.

C. VIII. *Carolina mandatur observari.*

Rursum Constitutionem, que Carolina (s) nuncupatur, etiam per Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum MARTINUM Divina Providentia QUINTUM, *in Generali Concilio Constantiensi* approbatam, mandamus ab omnibus observari debere, ipsamque constitutionem in aliis constitutionibus Statutorum Provintialium inserimus, & volumus pro inserta haberi. (t)

C. IX. *Diffidatio, bastiludia, torneamenta, choree, ludus ad taxillos, & concubinatus, Clericis prohibentur.*

Insuper statuimus & ordinamus, ut

(s) quæ vulgariter Karolina nuncupatur.
(t) *Eystettensis Editio hic interserit:* Martinus Episcopus, Servus Servorum, &c. Aliud Statutum Provinciale.

ut Clerici jurisdictionem temporalem non habentes, guerris se non immisceant, nec aliquam Ecclesiasticam, vel secularem personam hostili more diffidant, nisi pro Ecclesia sua; & de Superioris sui licentia speciali, sub pena privationis Beneficiorum suorum: quam, si canonice moniti non destiterint, eos incurrere volumus ipso facto. Eidem etiam pene quoscunque Clericos Beneficiatos publice hastiludentes, vel torneamentantes similiter decernimus subjacere. Nullus etiam Clericus in sacris constitutus, aut Beneficiatus, publice (*u*) corizare, vel ad taxillos ludere presumat, alioquin per Superiorem suum graviter puniatur. Licet alias in Generali Concilio extiterit ordinatum, ut Clerici in Sacris Ordinibus constituti, aut Beneficiati, ab omni libidinis vicio se debeant præcavere, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde valeant ministrare, & circa premissa etiam per Predecessores nostros salubriter sit provisum, cum debita penarum adjectione; hujusmodi tamen penas Clerici concubinarii minime curant formidare. Statuimus igitur & ordinamus, ut Clerici concubinas in sua cohabitatione, vel alibi notorie tenentes, aut nutrientes, omnibus proventibus Beneficiorum suorum per unius anni spatium sint ipso facto privati: & si postmodum Canonice moniti non destiterint, ipsos decernimus ipso facto suis Beneficiis fore privatos. Clerici vero in sacris constituti, non Beneficiati, premissa perpetrantes, si Canonice moniti non destiterint, ipso facto inhabiles reddantur ad Ecclesiastica Beneficia regenda, vel consequenda, donec per Ordinarium cum eis super hoc fuerit dispensatum. Hortamur etiam locorum Ordinarios sub obtestatione Divini Judicii, ut contra quoscunque Clericos de predicto vicio suspectos, diligenter inquirant, & procedant juxta Canonicas Sanctiones, quibus non intendimus in aliquo derogare.

C. X. *Quales debeant esse ordinandi, & quod pro collationibus Ordinum, pro formatis, pro conservatione Ecclesiarum, & confirmationibus nihil exigatur.*

Insuper statuimus, ut nullus deinceps ad Sacros Ordines admittatur, nisi diligenter examinatus, sufficientis scientie, legitime etatis, & honestorum conversationis, & morum, saltem testimonio duorum proborum virorum, aut patentium literarum Prelati, Archi-Presbyteri, vel ruralis Decani fuerit inventus: presertim si ordinanti (*x*) alias sit ignotus, alioquin ordinans a collatione ordinum per unum integrum annum sit suspensus. Volentes & mandantes, quod Episcopi ordines conferentes, vel celebrantes, nihil omnino pro hujusmodi ordinatione ab ordinandis, vel alias exigant, aut exigi permittant: alioquin a collatione ordinum per unum annum integrum similiter sint suspensi, salvis tamen Canonibus contra symoniacos in ordine promulgatis: pro singulis vero *formatis* scribendis, & sigillandis duntaxat unum antiquum tornonsem (*y*) vel ejus verum valorem ad majus pro scriptura & sigillo recipi toleramus. Pro consecratione autem Ecclesiarum, vel aliarum rerum, aut frontis chrismatione, procurationibus a jure permissis, Episcopi sub pena predicta (*z*) omnimode sint contenti. Qui autem Vicarios in Pontificalibus habere voluerint, eis aliunde de statu congruo studeant providere, ne Vicarii hujusmodi occasionem in premissis habeant delinquendi. Et si constiterit alicui Episcoporum, suum in Pontificalibus Vicarium premissa transgredi quovismodo: ipsum a Vicariatu destituat, aut alias taliter puniat, quod aliis cedat in exemplum. Quod si per mensem facere neglexerit, a collatione ordinum etiam per se, vel alium facienda per sex menses noverit se suspensum.

C. XI. *Eligendi ad dignitates, & curas sint & legitime etatis, & latini.*

Preterea statuimus & ordinamus, quod de cetero nullus ad aliquam dignitatem, vel Personatum, seu Parochialem Ecclesiam eligatur, aut instituatur, nisi fuerit legitime etatis, aut sciat latinum competenter legere atque loqui: secus autem facientes ab electione, & institutione Beneficiorum per annum ipso facto sint suspensi, & nihilominus nulla sit electio, vel institutio ipso jure.

C. XII.

(*u*) coreizare (*x*) Ordinandi alias sint ignoti, (*y*) Turonensem
(*z*) amodo

C. XII. *Vacantium Ecclesiarum bona reserventur Successoribus.*

Cum Sacris Canonibus inhibitum sit, ne Capella, Conventus, Collegia, & singulares personæ, bona Ecclesiarum Cathedralium, ac Regularium, ac Collegiatarum vacantium, a Prelatis ipsorum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, que in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris debent Successoribus fideliter reservari: occupent, distrahant, & inter se dividant, surripiant, dilapident, dissipent & consumant: Ipsi tamen in eorum grave dispendium, & jacturam, aut damnum Ecclesiarum penas a jure prolatas minime formidantes a premissis minime abstinent. Volentes ergo circa premissa providere, de Fratrum nostrorum consilio, ultra penas a jure statutas, statuimus, ut Capitula, Conventus, & Collegia, ac singulares persone predictarum Ecclesiarum vacantium bona, a Prelatis ipsarum Ecclesiarum dimissa, vel que vacationis tempore obvenerunt, & per eos occupata, & inter se divisa surrepta, & districta ac dilapidata, futuris Successoribus Ecclesiarum infra unius mensis spatium sub excommunicationis pena, si extant, & facultatem restituendi habeant, alioquin eorum verum valorem realiter, & cum effectu assignent: lapso vero mense si premissa minime curaverint adimplere: extunc authoritate hujus Sacri Concilii Capitula, Conventus, & Collegia Cathedralium, Regularium, & Collegiatarum Ecclesiarum interdicto Ecclesiastico supponimus ipso facto, & singulares hujusmodi Ecclesiarum personas etiam ipso facto, excommunicationis sententia innodamus. Per premissa tamen non intendimus derogare Clericorum Statutis *de Electione*: nec Statutis, aut consuetudinibus Ecclesiarum post decretum: *Quia sepe: de electione T. VI.* legitime introductis.

C. XIII. *Suspenditur effectus penarum absentium ab hoc Provinciali Concilio.*

Quamvis juxta Canonicas Sanctiones absentes, & legitime vocatos ad presens Concilium possemus penas juris incidisse declarare; de Fratrum tamen nostrorum consilio effectum penarum hujusmodi suspendimus per presentes. Exhortantes in Domino singulos nostre provincie Suffraganeos; quatenus in proximo Concilio, Deo dante, per Nos celebrando per se, vel alios sufficienter instructos compareant. Quod si non fecerint, ipsos penas a jure contra tales promulgatas indubie incidisse declarare non omittemus.

C. XIV. *Indicit aliud futurum Capitulum Provinciale.*

Frustra Sanctorum Decreta Canonum antiquis fuissent ordinata temporibus, si eorum executio negligatur. Hinc est, quod Nos CONRADUS, Dei gratia, Archi-Episcopus Moguntinensis, Statuta Romanorum Pontificum, de celebrandis Conciliis diligenter cupimus observari, nostrum Provinciale Concilium in hac civitate nostra Metropolitica per Nos Deo concedente fore celebrandum, incipiendo a Dominica prima post Festum Beati Joannis Baptiste, de anno proxime futuro duximus intimandum, & indicendum, ac intimamus, & indicimus: ad quod conveniendum exnunc sub penis juris singulos nostræ Provintie Suffraganeos, ac alios quoscunque, qui de jure, privilegio, vel consuetudine ad Provinciale Concilium ire tenentur, requirimus, citamus, monemus, & evocamus, nisi ex emergenti causa, utputa, pestilentiæ vel guerre duxerimus locum, vel tempus mutandum, quam loci, vel temporis mutationem, etiam congruo tempore proponimus nostris literis vobis intimare & publicare, statuentes denique pro ulteriori Canonum executione, hoc Sacro approbante Concilio, ut singuli Suffraganei nostre Provincie, sua Synodalia Concilia non omittant celebrare, deputentque personas providas, idoneas, & honestas, que per totum annum simpliciter, & de plano absque ulla jurisdictione investigent, que correctione, vel reformatione sunt digna, & ea fideliter proferant ad Metropolitanum, Suffraganeos, & alios in Concilio subsequenti celebrando, juxta formam (a) *Decretalis: Sicut olim, de accusationibus.*

C. XV.

(a) formam, *omittit Eystettensis editio.*

C. XV. *Mandat Statuta Provincialia prius & nunc edita recipi, legi, & in Ecclesiis reponi.*

Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus CONRADUS, Archi-Episcopus Moguntinensis, Statuta Provincialia per suos Predecessores salubriter edita, & facta ab omnibus sciri mandat, & de novo predictas constitutiones innovat; precipitque singulis Suffraganeis sue Provintie, ut copiam Statutorum Provincialium predictorum infra duos menses a data presentis diei computandos ad se recipiant, & in proximo futuro Concilio per eum Deo dante celebrando, que circa premissa sint reformanda, corrigenda, aut proponenda proponant, nec non Statuta Provincialia in hoc presenti Concilio ordinata similiter ad se recipiant, & in Ecclesiis suis reponi, & fideliter conscribi procurent, ac in suis Synodis ea publicent, & legi faciant.

C. XVI. *Cause prophane ad suum forum remittantur.*

Quoniam nonnulli falcem suam mittunt in messem alienam, causas ad earum jurisdictionem minime spectantes sibi usurpant, & propter hoc diverse guerre, incendia, & innumera mala committuntur. Exhortatur igitur Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus noster Vos Reverendos Patres, Nuntios, atque Oratores, quatenus providere dignemini: ut cause, que de sui natura non sunt in foro Ecclesiastico tractande, ad judices suos remittantur. Quodque provideatis, & providere velitis circa premissa per statuta, & ordinationes rationabilia & rationabiles; cum intentio ejusdem Domini nostri Archi-Episcopi existit similiter circa premissa in sua Diocesi providere.

C. XVII. *Protestatio Promotoris hujus Concilii.*

Protestor preterea ego Joannes (*b*) Munterman, presentis Concilii Promotor, nomine procuratorio (*c*) ejusdem, ac Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Domini CONRADI Archi Episcopi Moguntinensis hic presentis, quod si aliqui (*d*) vota sua in presenti Concilio dederint, quibus hoc a jure, privilegio, vel consuetudine non competit, pro (*e*) prestatione votorum hujusmodi, alicui ex eis jus, possessio, vel quasi vocis dande nullatenus adquiratur.

Conclusio hujus Concilii, pro excommunicatione absentium sine licentia, & rationabili causa.

Sequitur: Omnes absentes sine nostra licentia speciali petita a Nobis, & obtenta, Regulares, & seculares cujuscunque conditionis status, seu eminentie existant, qui seu quorum Predecessores Synodum Domini nostri de consuetudine laudabili hactenus observata frequentare consueverunt, nisi rationabilis causa, sive impedimentum eos excuset, in his scriptis excommunicamus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Finiunt Statuta Provincialia Moguntina, a Dno CONRADO Archi-Episcopo Moguntino, consentientibus suis Comprovincialibus edita, anno Domini MCCCCXXIII.

Ex Codice impresso Hagenoæ anno 1511. *typo Henrici Gran, Cives Hagenav. collato cum codice Eystettensi anno* 1488.

Conradus III. Comes Rhenensis & Sylvestris, Canonicus Metropolitanus, Præpositus Francofurtensis, Rudesheimii in die S. Gereonis eligitur anno 1419. extra Moguntiam, propter tumultuantes cives. Ipso Præsidente facta est Visitatio Archi-Episcopatus Moguntini per Cardinalem Placentinum jussu Martini V. Romani Pontificis, quæ scripta apud aliqua Collegia habetur. Celebravit quoque Synodum Provincialem Moguntiæ anno 1423, cujus Decreta sunt impressa.

Joannes Latomus in Catalogo Archiepisc. Moguntin. edita a Menckenio T. III. Scriptorum rerum Germanicarum.

Anno 1431. *Concilium* Aschaffenburgi ab eodem celebratum fuisse, scribit Cl. Wurdtweinius *in Elencho*, mihi hactenus non visum.

Obiit Conradus anno 1434. 10. Junii. Teste eodem *Latomo.*

(*b*) Muntschman, *habet Editio Eystettensis anni* 1488. (*c*) Promotoris, *eadem Editio.* (*d*) aliquibus, *eadem Editio.* (*e*) per præstationem

Cruciata indicta & Executioni Mandata

Anno Christi MCCCCXXII. Martini V. Papæ V. Sigismundi Reg. rom. XIII.

Post cladem ad Iglaviam acceptam, Zisca Duce contra Exercitum Sigismundi cæsum & devictum, victor Zisca, licet utroque oculo orbatus, in Catholicos & Sacra omnia debacchatus est. Pontifex Divinæ voluntati acquiescens, ut rabidos hæreticos comprimeret, Rigensem Archi-Episcopum, ac Suffraganeos Præsules, ut vires conjungerent ad impios compescendos, est cohortatus. Incitati etiam ad tuendam armis religionem Principes Electores, ex quibus Coloniensem, Moguntinum, & Treverensem Crucis signo insignitos, refert Thomas Walsinghamus *in Henrico V.* Ad solemne porro Colloquium Norimbergam convenere Septem-viri pro expediendis bellicis in Hæreticos consiliis, cui cœtui Sigismundus Romanorum, Hungariæ, ac Bohemiæ Rex, interfuit, & Branda, Cardinalis, Sed. Apost. Legatus, his ad Cæsarem literis instructus, exponens causas, cur bello hæretici impugnandi.

MARTINUS PAPA SIGISMUNDO &c. &c.

QUamvis non dubitemus Serenitatem tuam sponte inflammatam esse ad Bohemiæ Hæresin extinguendam, & ad illud sanctum opus, quod præcipue Tuum est munus, amplioribus exhortationibus non egere; tamen cum sentiamus, Tecum de proximo conventuros Venerabiles Fratres nostros Archi-Episcopos, & dilectos Filios, nobiles Viros, Electores Imperii, & alios Alemanniæ Principes, & in ea vestra congregatione agendum sit de multis magnis & arduis rebus, & potissimum de hac sancta Fidei causa, quæ cæteris major est, & omnibus aliis præponenda: eam Tibi volumus iterum nostris literis commendare, & cordi tuo imprimere, ardenti desiderio stimulati, quod super omnia insidet cordi nostro. Persuasum enim est nobis, quod, si a Te maxime, & a reliquis fidelibus Principibus, & populis Germanicis, in quorum perniciem & confusionem præter Dei & Ecclesiæ suæ injuriam, hæc hæresis intenta est, maturo tempore futuræ æstatis adhibita fuerit cura, & aliquis exercitus ordinatus, ita quod ingrediatur interiora Bohemiæ, facile opprimentur & exterminabuntur hæretici Deo rebelles, & Tibi.

Nam, sicut audivimus, nonnulla oppida vi capta, quædam metu dedita aut voluntate sunt, & fere totus Moraviæ Marchionatus reductus, atque sanatus est, ex quo laudabili principio, si fiat in tempore, quod fieri potest, plena & perfecta victoria subsequetur.

Et propterea Fili Carissime, Te unum maxime in hac causa requirimus, cujus officium est, *armatam* hæresin armis opprimere, sicut aliquando a Christianissimis Imperatoribus, tuis Prædecessoribus factum est.

Etenim, si alterius conditionis surrexisset hæresis in populo Christiano, quæ tantum falsis & sophisticis argumentis labefactare Fidem & Religionem Christianam conaretur, sicut aliquando Patrum nostrorum temporibus visum est: cum sanctis institutis & rationibus veræ doctrinæ, & facili coercitione justitiæ ea tollere posset Ecclesia, nec esset ad Tua, & aliorum arma confugiendum; sed cum hæc abominanda hæresis, quæ non Dei solum legem violat, & Ecclesiæ suæ instituta, sacras ædes diruit, Sacerdotes interficit, ornamenta Ecclesiarum Divino cultui deputata vi rapit, & omnia sacra coinquinat: sed etiam post Divina violata, humana jura confundit, omnemque statum humanum & regimen politicum tollit, & vitam hominum ratione & legibus institutam traducit ad irrationabilem sensualitatem pecudum & licentiam bestialem, in hoc tanto errore vel scelere potius innitatur armis & viribus; Quid aliud facere Nos oportet, qui ad conservandam nostram Religionem & Fidem Christianam in apice Apostolatus a Domino constituti sumus, quam implorare imprimis auxilium sublimitatis Tuæ, & eorum Fidelium, qui armis hanc nefariam pestem possunt superare atque delere, qua-

quales sunt GERMANIÆ Principes & populi, qui sunt huic morbo finitimi & periculo propinquiores? & ideo scribimus de præsenti Principibus iis, quos Tecum existimamus esse in hac Congregatione futura, ut ad extirpationem extremam hujus inquinatissimæ hæresis opportuno tempore cum eorum potentia se paratos exhibeant: quos etiam in hac causa animare auctoritate Tua debes & exemplo, ut intelligant Te suum caput in hac materia ferventem, & velle omnibus viris in hac causa laborare, quæ a Te uno potissimum, cæteris curis & negotiis prætermissis aut dilatis in aliud tempus, suscipienda est ea animi magnitudine, quæ tam sanctæ rei convenit & dignitati Tuæ: Etenim si feceris reliqua omnia ratione, & felicissime consummaveris, nec satisfacies Deo, nec Reipublicæ Christianæ, quæ hujus consummationem victoriæ non abs re a Te uno postulat & expectat, quoniam hoc sibi officium præstare debes, etiamsi in alienis terris offensa esset & turbata Religio Christiana, quæ domi Tuæ violatur simul cum JURE TUO REGIO. Igitur Fili carissime, da operam, ut in Congregatione præfata ante omnia habeatur ratio Expeditionis Bohemiæ, & ad eam ordinandam omnes curas tuas cogitationesque convertas, Tibique persuadeas nihil posse Te facere aut cogitare DEO acceptius, gratius Nobis, gloriosius Tibi, & utilius populo Christiano. Datum Romæ &c.

Raynaldus in Annal. Ecclesiast. ad h. ann. a No. 18. T. XVIII. ex libro brevium.

Designatio præsenti Bello in Bohemia, Militum suppeditandorum ab Electoribus Ecclesiasticis & Sæcularibus, Comitibus, Abbatibus, Dominis, Equitibus, & Civitatibus, inita & scripta Norimbergæ anno MCCCCXXII.

PRINCIPES.

Moguntinus, 50. Hastatos (Gleuen)
Coloniensis, 40. Hastatos.
Palatinus, 50. Hastatos.
Saxo, 20. Sagittarios (Schützen)
Brandenburgensis, 50. Sagittarios.
Archi-Episcopus Magdeburgensis, 30. Hastatos & 10. Sagittarios.
Episcopus Hildesiensis, 5. Hastatos, 5. Sagittarios.
Episcopus Herbipolensis, 15. Hastatos.
Episcopus Babenbergensis, 20. Hastat.
Episc. Eistettensis, 10. Hastat.
Episc. Argentinensis, 10. Hastat.
Episc. Constantiensis, 8. Hastat.
Episc. Basileensis, 2. Hastat.
Episc. Curiensis, 2. Hastat.
Episc. Vesontionensis, 6. Hastat.
Episc. Augustanus, 2. Hastatos.
Episc. Mindensis, 6. Hastat.
Episc. Tullensis, 3. Hastat.
Episc. Wirdunensis, 6. Hastat.
Episc. Lausanensis, 6. Hastat.
Episc. Spirensis, 3. Hastat.
Episc. Wormatiensis, 2. Hastat.
Episc. Verdensis, 2. Hastat. 6. Sagitt.
Episc. Paterbornensis, 8. Hastat. 8. Sagitt.
Episc. Halberstadiensis, 6. Hastat. 6. Sagitt.
Episc. Bremensis, 10. Hastat. 10. Sagitt.
Episc. Ratisbonensis cum Capitulo, & Clero, & Prælatis, 10. Hastat.
Civitas Ratisbonensis, 6. Hastat.
Episcopus Caminensis, 6. Hastatos, 6. Sagittarios.
Episc. Monasteriensis, 10. Hastat.
Omitto hic Duces & Principes sæculares cum suo censu.
Omitto Dominos & Comites Germaniæ inferioris seu Belgii.
Omitto Comites & Dominos in Germania cum sua taxa & censu.

Census Abbatum & Prælatorum.

Abbas de Weissenburg, 2. Hastatos.
Abbas de Selsse, 1. Hastatum.
Abbas Murbacensis, 1. Hastat. 2. Sagitt.
Abbas Einsidlensis, 2. Hastat.
Abbas de Bebinhusin, 3. Hastat.
Abbas de Salmanweiler, 5. Hastat.
Abbas de Albe, 2. Hastat.
Abbas Campidunensis, 2. Hastat.
Abbas de Ochsenhusen, 2. Hastat.
Abbas de Kotzlingen, 1. Hastat.
Abbas de Weingarten, 4. Hastat.
Abbas Fuldensis, 6. Hastat.
Abbas de Peterhusen, 2. Hastat.
Abbas Echlingensis, 2. Hastat.
Abbas de Zwifalde, 2. Hastat.
Abbas S. Georgii, 1. Hastat.

Abbas

Abbas de Yeſene, 2. Haſtatos.
Abbas S. Joannis, 1. Haſtatum.
Abbas S. Blaſii, 1. Haſtat.
Abbas de Kungſcronen, 1. Haſtat.
Abbas de Schuſſenriet, 1. Haſtat.
Omitto Civitatum Germaniæ & Helvetiæ cenſum.
Omitto cenſum Dominorum, qui nummum centeſimum dedere.

Sequuntur Abbates, non Principes, ſic recenſiti.

Abbas Biſſe der weiſe Mon.
Abbas Ringoviæ.
Abbas de Ochſenhuſen.
Ille de Rotten.
Abbas vom Stein.
Abbas Sancti Petri.
Abbas S. Ruperti.
Abbas S. Mariæ.
Abbas de Diſenddis.
Abbas S. Urbani.
Abbas de Sant Eſperg.
Abbas de Rotenkirch.
Abbas de Ottenburen.
Abbas de Marcktaill.

Hæc *prima* Matricula Cleri Germanici cenſi anno MCCCCXXII. in Comitiis Norimbergenſibus ad Milites ſufficiendos Expeditioni Bohemicæ contra Huſſitas, & eorum aſſeclas.

Teutſche Reichs-Abſcheid, erſter Theil, Franckfurt 1747. pag. 117.

NORIMBERGENSIS CONVENTUS

REGIS, EPISCOPORUM, ET PRINCIPUM.

Anno Chriſti MCCCCXXIII. Martini V. Papæ VI. Sigismundi Regis ROM. XIV.

De Bello Hæreticis in Bohemia inferendo per SECUNDAS Suppetias.

SIGISMUNDUS Rex Norimbergam proceſſit, eo conſilio, ut *nova* in Bohemiam adverſus Huſſitas auxilia compararet: neque enim iis tumultuantibus ipſe ſe Regnum tenere poſſe putabat. Die conſtituto Fridericus Babebergenſis, Joannes Würtzeburgenſis, & Joannes Eyſtettenſis Epiſcopi, Albertus Auſtriæ, Chriſtophorus Bavariæ, & Fredericus Saxoniæ Duces. Fridericus, Joannes, & Albertus Marchiones Brandenburgenſes venerunt, acceſſit etiam JULIANUS Cardinalis Legatus a Martino V. PP. miſſus, ac concione advocata Principes omnes ad arma adverſus Huſſitas capienda hortatus eſt, denuntians ſe remiſſionem omnium peccatorum omnibus indulgere, qui rite confeſſi huic ſe militiæ devoviſſent. Quibus vocibus erecti Principes, qui aderant omnes, ut & Archi-Epiſcopus *Moguntinus*, *Colonienſis*, *Treverenſis*, *Suevorum Sodalitas*, quam *Divi Georgii* nominant, & Imperiales civitates ad 40000. Equitum, & totidem ferme Peditum, nomina in illam expeditionem dederunt.

Hoffmannus Annal. Bambergenſ. Lib. V. ex editione Clar. Petri Ludewig.



CON-

CONCILIUM COLONIENSE
PROVINCIALE
Anno Christi MCCCCXXIII. Martini V. Papæ VI. Sigismundi Reg. Rom. XIV.

TITULI STATUTORUM ECCLESIÆ COLONIENSIS EDITORUM A DOMINO THEODERICO, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPO.

THEODORICUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX &c.

I. *Contra fornicarios seu concubinarios Clericos.*

Licet per Sacros Canones Sanctorum Patrum, satis abunde contra notorios fornicarios Presbyteros, similiter & Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, & Beneficiatos, focarias, & concubinas, & mulieres suspectas in domibus suis, & extra domum in Parochia publice habentes, provisum existat: quia tamen succrescente malitia temporis moderni, labes hujusmodi criminis in Ecclesia Dei in tantum inolevit, quod scandala plurima in populo sunt exorta, & verisimiliter exoriri poterunt in futurum, & ex fide dignorum relatione percepimus, quod quidam Ecclesiarum Prælati, & alii, etiam Capitula, ad quos, vel ad quem immediate correctio conjunctim, vel divisim ex Statuto seu consuetudine dignoscitur pertinere, obtentu commodi temporalis, vel ex negligentia, tales in suis ini-

quitatibus sustinuerunt, & sustinent. Ideo hoc Sacro *Provinciali* Concilio approbante, monemus omnes & singulos Ecclesiarum Prælatos, & alios quoscumque nostræ provinciæ, etiam Capitula & Collegia, ad quos, vel ad quem hujusmodi Presbyterorum, Clericorum in Sacris Ordinibus constitutorum, ac Beneficiatorum, & aliorum correctio conjunctim, vel divisim immediate spectare dinoscitur, quatenus intra sex septimanarum spatium post præsentium Statutorum Provincialium publicationem, moneatis in specie, & nominatim sub pœna juris, & aliis maxime formidabilibus, omnes & singulos Prebyteros, & Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, ut intra novem dierum spatium post hujusmodi monitionem eis factam, quorum dierum tres pro primo, tres pro secundo, & reliquos tres pro tertio, & peremptorio termino præfigimus, suas focarias, seu concubinas a se removeant, & ipsas ab eorum cohabitationibus, & a Parochia penitus expellant, ipsas vel alias minime in eorum habitationibus, & Parochia admissuri. Alioqui inobedientes, ab Officiis Divinorum suspendant: & si protervitas hoc eorum exegerit, Beneficiis suis priventur. Et si Prælati, & aliqua etiam Capitula, ad quos correctio præscriptorum immediate conjunctim, vel divisim pertinere dinoscitur, præscriptos concubinarios effectualiter non correxerint, ita quod ipsi præscriptas mulieres a se, & Parochia non removeant cum effectu vel animo, aut alias in eorum habitationes, vel Parochias resumpserint: & præscripti Prælati, & Capitula tales Presbyteros, vel Clericos, Beneficiatos, vel non Beneficiatos in suis iniquitatibus per spatium sex septimanarum sustinuerint, ex tunc volumus, quod correctio talium Presbyterorum, & Clericorum, Beneficiatorum, & non Beneficiatorum, ad Diœcesanos locorum plenarie devolvatur. Et si Diœcesani locorum per sex spatium mensium hujusmodi delicta reliquerint incorrecta, cum ex tunc possint notari de negligentia, volumus & statuimus, quod extunc illorum delictorum, & delinquentium correctio ad Nos libere devolvatur, non obstantibus quibuscunque pactis, consuetudinibus, seu statutis. Inhibemus etiam, ne Beneficiati prædicti filios, aut filias, vel concubinas dotent, aut ditent de Patrimonio CRUCIFIXI, aut talium nuptiis, vel etiam exequiis audeant interesse: & qui contrafecerint, pœna Canonica percellantur.

II. *Contra sæculares interdicentes suis subditis, ne civilia, & necessaria commercia cum Clericis habeant, seu solita obsequia eis exhibeant.*

Item licet per Sacros Canones sit provisum contra obtinentes temporale Dominium, interdicentes suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu Personis Ecclesiasticis quicquam vendant, vel emant aliquid ab eisdem, neque ipsis blada molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, cum talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumantur: quia tamen persæpe Universitates civitatum, oppidorum, villarum, & aliorum locorum, nec non collegia, societates, seu corpora ministeriorum seu officiorum mechanicorum, præscriptis similia, & interdum majora committunt, & contra tales provisum est; ideo statuimus & ordinamus, omnes & singulos ad hoc opem, consilium, auxilium, vel favorem præbentes, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere. Et quia per præmissa providimus Clericis contra laicos, volentes etiam providere laicis contra Clericos, statuimus, quod ipsis laicis de Clericis conquerentibus, ab ipsorum Clericorum judicibus fiat justitia expedita.

III. *Officialis in causis appellationum a Suffraganeis, servabit jura communia.*

Item statuimus, quod Officialis noster Coloniensis, qui fuerit pro tempore, in causis appellationum, quæ ad Curiam nostram ab audientia Suffraganeorum nostrorum, seu eorum Officialium devolventur, seu hactenus sunt devoluta, servent jura communia, & maxime illa, quæ introducta sunt per felicis recordationis Innocentium Papam IV. quæ hodie sunt inserta *Libro sexto Decretalium.* Alioqui ipsum Officialem nostrum ab Officio suspendimus.

IV. *Contra abrogantes pias, & laudabiles consuetudines.*

Item cum præsumptuosa quorumdam Dominorum temporalium, Judicum,

cum, Scabinorum, Consulum, universitatum, civitatum, oppidorum, villarum, & aliorum locorum, nec non collegiorum & aliorum, societatum, seu corporum, ministeriorum, & officiariorum mechanicorum, Rectorumque aliorum locorum, vel communitatum, aut quocunque nomine, vel titulo nominare se præsumunt, seu præsumant in futurum: in nonnullis nostrarum civitatis & Diœcesis, nec non Provinciæ terminis, contra Dei Ecclesiam, suam extendentium potestatem temeritas sic excrevit, quod consuetudines, & observantias vetustas, & laudabiles, pia fidelium devotione introductas, non absque scrupulo hæreticæ pravitatis infringere moliuntur, inhibendo, seu opem, operam, consilium, auxilium, & favorem ad hæc præstando, aut aliis callidis, & occultis machinationibus, seu condictis verbis, aut factis perficiendo, ne tempore exequiarum, ac, in *septimis*, *tricesimis*, & *anniversariis* Parochianorum defunctorum, aut alias quocunque tempore, panes, carnes, vel casei, seu pisces, vinum, vel cerevisia, seu candelæ, vel denarii, aut aliæ res quælibet, prout juxta morem, & consuetudinem prædictam earundem Ecclesiarum, Capellarum, vel Altarium, sub antiquis temporibus obtentum fuit, a Christi fidelibus utriusque sexus hominibus offerantur: ne etiam quis minus, aut aliud, quam certam monetam, aut ejus valorem, aut Petias effractæ monetæ, aut consimile (in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, ac contra constitutiones, & observantias memoratas) offerat temporibus antedictis, cum præmissa in Divinæ Majestatis offensam (a qua Majestate laici præscripti suas merito sibi datas recognoscere deberent potestates) ac Ecclesiarum earundem ac consuetudinum, observantiarum prædictarum grandem perniciem tendere dinoscuntur. Nos igitur hujusmodi ausibus nefariis occurrere cupientes, districtius inhibemus, ne quis in modis præscriptis, vel aliis quibuscunque, dictas consuetudines infringat, aut infringere sive violare procuret, aut talia mandata, vel statuta, & novas consuetudines immo verius corruptelas de novo introducant, nec per se aliosve, quibuscumque machinationibus, condictis verbis, vel factis qualitercunque efficiendo impediant, quominus dictæ, aut quævis aliæ oblationes, Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis quibuscunque juxta vota fidelium libere offerantur: Nec ad prædicta facienda, vel non facienda, dent consilium, auxilium, opem, operam, vel favorem publice, vel occulte.

Insuper districte præcipiendo mandamus, ut in contrarium attentata, si quæ sint, revocent, & revocari procurent cum effectu intra mensem post publicationem hujusmodi nostri statuti. Alioquin in omnes & singulos, in præmissis contrarium facientes, & in his, aut aliquo ipsorum inobedientes & rebelles, excommunicationis sententiam, quam etiam ipsos per jus commune incidisse reputamus, ferimus in his scriptis: a qua, nisi Rectori Ecclesiæ, Capellæ, vel Altaris, cujus oblatio (ut præmittitur) impedita fuerit vel diminuta, de injuriis, damnis, expensis, & interesse, prius integre satisfactum fuerit, nullatenus absolvantur. Volentes, quod universi & singuli Ecclesiarum Rectores, & eorum vices gerentes prædicti, quorum interest, præmissa suis Parochianis singulis mensibus semel publicare non omittant. Et si universitas in præmissis, vel aliquo præmissorum deliquerit, vel contrafecerit, Ecclesiastico supponimus interdicto.

V. *Stationariorum, seu Quæstuariorum Officia solis tantummodo Sacerdotibus concredenda.*

Item statuimus, & inhibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis de Officio quæstionatus Eleemosynarum se intromittant, nisi in Sacris Ordinibus fuerit constitutus. Nec ambonem ad prædicandum populo, aut charitativa postulandum subsidia, aut indulgentias sibi commissas insinuandum, vel aliud, quam in eorum literis Apostolicis, vel Diœcesani Episcopi continetur, exponendum, nisi in Sacerdotio constitutus, ascendere præsumat. Mandantes universis & singulis Diœcesanis nostris Capitulis, & aliis, ad quos talium constitutio dinoscitur pertinere, ne alicui, nisi secundum formam statuti, literas concedant, & extra istam formam concessas, quantocitius revocare procurent.

VI. *Contra deambulantes in Templis sub Officiis Divinis.*

Item ſtatuimus, ne Canonici ac Beneficiati in Eccleſia, vagentur in Choro vel in Eccleſia, aut etiam intra Eccleſiam, vel cœmeterium de loco ad locum, nec ſtando, nec ſedendo inutiliter fabulentur, quamdiu inibi Divina peragun. tur. Sed morate & diſtincte in Choro intendant Divinis, ſub pœnis privationis fructuum ad octo dies.

VII. *In Vicecuratos Eccleſiarum Parochialium non Fratres mendicantes, ſed Presbyteri ſæculares, ſi tamen idonei haberi poterunt, aſſerendi.*

Item ſtatuimus, & ordinamus ſub pœna excommunicationis, quam ferimus in his ſcriptis, ne aliquis Rector, aut perpetuus Vicarius Parochialis Eccleſiæ, ſeu Capellæ, ordinet, conſtituat, vel deputet aliquem Religioſum mendicantem, ad regendum, & gubernandum, ſeu officiandum Eccleſiam ſuam, vel ejus Vicariam ſeu Capellam, aut alias vices ſuas committere talibus præſumat, modo alter idoneus commode haberi poterit, dolo & fraude ſecluſis. Datum, Statutum & ordinatum Coloniæ de conſilio, & in præſentia Venerabilium Virorum Ambaſiatorum, & Nuntiorum Reverendorum Patrum, & Dominorum Suffraganeorum noſtrorum *Leodienſis*, *Trajectenſis*; *Monaſterienſis*, *Mindenſis*, & *Oſnabrugenſis Epiſcoporum*: *ac Capitulorum Eccleſiarum earundem*, qui ad hoc miſſi fuerunt in multitudine copioſa, Anno Domini MCCCCXXIII. die Sabbati, vigeſima menſis Martii, ſub ſigillo noſtro, præſentibus impreſſo in teſtimonium præmiſſorum.

VIII. *Quibus de concubinariis ſuperius mandatum intelligendum?*

THEODORICUS, Dei gratia, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Sacri Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Weſtphaliæ & Angariæ Dux &c. Cum Nos nuper editioni noſtrorum Statutorum Provincialium in ſeſſionibus noſtri Concilii Provincialis ſolenniter publicatorum, auctoritatem, conſenſum, & operam dederimus: jura tamen, & juriſdictiones, aut libertates Suffraganeorum noſtrorum, & Eccleſiarum, aut aliorum quorumcunque Judicum Provinciæ noſtræ, tollere aut lædere, vel eos ad aliquod veriſimiliter impoſſibile, obligare non intendebamus, nec intendimus: Idcirco ad omnem ambiguitatem tollendam, quæ circa ſtatutum, pridem in hoc Sacro Concilio contra concubinarios editum, poſſit ſuboriri, declaramus hoc ſtatutum ad *notorios* concubinarios, concubinas in eorum habitationibus, vel alibi *publice* detinentes, duntaxat extendi debere. Nolumus etiam vigore dicti ſtatuti, Nobis aliquam jurisdictionem acquiri, vel ad Nos devolvi. Carolinam in Generali Concilio Conſtantienſi approbatam, mandamus ab omnibus obſervari; ipſamque aliis conſtitutionibus Statutorum Provincialium volumus inſertam haberi.

IX. *Contra hæreſes præſertim Wiclefficam ſeu Huſſiticam per id tempus ſævientem.*

Hæreſes hæreticorumque Joannis Wicleff, Joannis Huſs, & Hieronymi de Praga doctrinas erroneas anathematizamus, reprobamus, & totaliter condemnamus, aſſerentes cum Concilio Generali Conſtantienſi, quod omnes hujusmodi articuli, aut ſunt piarum aurium offenſivi, aut ſeditioſi, aut ſcandaloſi, vel manifeſte a fide devii, ſeu expeſſam hæreſim continentes, prout in ſententia lata contra dictos hæreticos, & ipſorum perverſa dogmata, plenius continetur. Quapropter univerſos, & ſingulos ſubjectos Nobis in virtute ſanctæ obedientiæ requirimus, & eis præcipiendo mandamus, quatenus in Spiritu virtutis Dei exurgentes, prædictorum hæreticorum ſequaces, aut fautores, aut receptatores; & eorum doctrinam reprobam cum opuſculis memoratis, ubicunque illos ſeu illas contigerit reperiri, diligenter inquiratis; Nobisque Ordinario loci, aut alicui ex Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ad hoc a Sede Apoſtolica deputatis, vel deputandis prodatis, vel reveletis, atque mediante juſtitia (ſi non reſipuerint) exterminari fideliter procuretis. Nos enim omnibus per noſtram Provinciam conſtitutis, conf ſſis & contritis, qui ad hoc operam efficaciter dederint, aut qui in expeditione exercituum contra dictos hæreticos profecti fuerint, de Omnipotentis Dei miſericordia

dia,& Sanctorum, ac Sanctarum nostrorum Patronorum, & Patronarum meritis,aut precibus confisi, XL. dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus : Suffraganeos Provinciæ nostræ in Domino hortantes, ut his nostris indulgentiis similes in suis civitatibus, & Diœcesibus superaddant. Mandantes insuper omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, & eorum Vicariis seu Presbyteris, aliisque Prædicatoribus per Provinciam Coloniensem, quod in singulis sermonibus suis ad populum faciendis, exhortationes faciant speciales ad inducendum populum congruis modis, ut orationes, jejunia, & alia pia opera, omnesque Presbyteri dictæ Provinciæ nostræ, Missarum in solenniis celebrandis, speciales collectas,& Suffragia nostro offerant Salvatori, quatenus Ecclesiæ Sanctæ, & veris Christicolis contra quoscunque persecutores, aut rebelles ejusdem, præsertim fidem impugnantes, largiri dignetur victoriam & triumphum.

X. *Cur singulis feriis sextis circa meridiem campana magna pulsetur, & cur item quotidie mane, & vesperi certorum ictuum pulsatio fiat?*

Item deinceps in singulis civitatum & locorum Provinciæ nostræ principalibus Ecclesiis Collegiatis & Parochialibus, omnibus feriis sextis hora meridiei, vel circa, in memoriam Passionis, & mortis Domini nostri JESU Christi, nostrique Redemptoris, solemniter campana cujuslibet Ecclesiarum magna pulsetur, ad excitandum Christi fideles, ut eadem hora memoriam Passionis Christi, & suæ redemptionis devotius recolant, & per ejus merita, misericordiam Dei pro præmissis,& omni necessitate Ecclesiæ implorent. Similiter quoque approbante hoc Sacro Provinciali Concilio statuimus, ut deinceps in singulis Ecclesiis prædictis omni die circa solis ortum, in memoriam compassionis Gloriosæ Virginis MARIÆ pulsetur tribus vicibus campana magna ipsius Ecclesiæ : & prout hactenus circa occasum solis pro salutatione ejusdem Virginis Gloriosissimæ pulsari consuevit, ad hortandum Christi fideles, ut in laude ipsius Virginis incipientes, eam cum salutatione Angelica venerentur, ut ipsa, quam Filius ejus nihil negans semper honorat, pro Nobis, & omni necessitate nostra apud Dominum intercedat. Nos enim omnibus contritis & confessis, in Provincia nostra constitutis, qui feria sexta tempore pulsûs in memoriam Passionis, & mortis Domini nostri JESU CHRISTI tria PATER NOSTER, & tria AVE MARIA &c. Nec non, qui tempore pulsus, qui singulis diebus fieri debet circa ortum solis, ter salutationem Virginis Angelicam, AVE MARIA flexis genibus oraverit, de Omnipotentis Dei misericordia, & authoritate nostra Metropolitana, & Ordinaria XL. dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis toties quoties hoc fecerint, misericorditer in Domino relaxamus : Suffraganeos Provinciæ nostræ in Domino hortantes, ut his nostris indulgentiis similes in suis civitatibus & Diœcesibus superaddant.

XI. *Compassionis B. Mariæ Festum seu memoria, quando in templis agenda.*

Ad gloriam Sanctæ, & intemeratæ Virginis Dei Genitricis pro miseris peccatoribus Filium suum Crucifixum assidue deprecantis & orantis, cujus laudes etiamsi omnes arenulæ maris in linguas converterentur, depromere nequirent : nec non ad honorem illius angustiæ & doloris, dum Redemptor noster JESUS Christus expansis manibus in ara Crucis pro salute nostra immolatus, matrem suam benedictam dilectissimo discipulo suo Joanni Evangelistæ commendavit, & præsertim ut prophanorum hæreticorum Hussitarum perfidia, qui imagines ad laudem Crucifixi, & Gloriosæ Virginis dedicatas, ausu sacrilego comburere, & devastare minime formidarunt, nec formidant, statuimus, & ordinamus, ut Festum Commemorationis præfatæ Angustiæ, & Doloris B. MARIÆ Virginis, deinceps singulis annis feria sexta post Dominicam JUBILATE, nisi aliquod festum eodem die intervenerit, & ex tunc prima feria sexta proxima subsequenti, in primis Vesperis, Matutinis, aliisque horis, nec non in secundis Vesperis in choro tantum, in omnibus Ecclesiis Provinciæ nostræ subjectis, secundum Notas, & Historiam, & Homiliam de eodem Festo com-

compoſitas ſolenniter celebretur: ut Dominus noſter JESUS Chriſtus velamina de cordibus eorundem hæreticorum auferat, & eoſdem ad Sacroſanctam Fidem Catholicam revocare, & Chriſti fideles ab erroribus, & omni malo per piiſſimam ſuam miſericordiam præſervare & cuſtodire dignetur. Cuicunque autem intereſſenti huic Miſſæ cum devotione, de Omnipotentis Dei miſericordia, & authoritate noſtra Metropolitana & ordinaria, XL. dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: exhortantes Suffraganeos Provinciæ noſtræ in Domino, ut his noſtris indulgentiis ſimiles in ſuis civitatibus & Diœceſibus ſuperaddant.

XII. *Statutorum copia quibus neceſſario habenda.*

Cæterum mandamus omnibus Suffraganeis noſtris, & eorum cuilibet, ut Statutorum in Sacro *Provinciali* Concilio concluſorum & publicatorum copiam ſub forma authentica intra unum menſem immediate ſubſequentem recipiant, & ſuis Synodalibus Conciliis faciant publicari intra tempus a jure ſtatutum, ne quiſpiam de ſibi ſubjectis, de eorum editione prætendere valeat ignorantiam, vel allegare. Et præcipue mandamus Decanis Eccleſiarum noſtrarum civitatis & Diœceſis, ac Chriſtianitatum Decanis, quatenus ea in ſuis Eccleſiis, & Capellis conſervent, & publicent, ac ulterius dent (per copiam) Eccleſiarum Rectoribus Decanatuum eorundem: alioqui juſto impedimento ceſſante, præmiſſa negligentes per excommunicationis ſententiam, tanquam inobedientes, volumus canonice puniri.

Pronuntiatum in Eccleſia noſtra Colonienſi ſub anno a Nativitate Domini MCCCCXXIII. die Jovis, XXII. menſis Aprilis, ſub Sigillo noſtro præſentibus appreſſo in teſtimonium præmiſſorum.

Ex Statutis Eccleſiæ Colonienſis, Typo Quenteliano anno 1554. *unde Harduin Tom. VIII. pag.* 1007.

Meminit hujus Synodi Joannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis Univerſitatis, cum magna laude Theodorici, utpote reformantis mores Clericorum ſuæ Eccleſiæ: *L. De modis uniendi ac reformandi Eccleſiam. Apud Cl. von der Hardt Tom. I. Part. V. pag.* 104.

Cl. Lunig. Specil. Eccleſ. Continuat. P. I. pag. 576.

Cl. Mörckens in vita Theodorici hujus pag. 147. ait illum anno 1418. Conventu Conſtantienſi ſoluto, Conſtitutiones ejuſdem per ſuam Diœceſin publicari, & ab omnibus obſervari præcepiſſe, idque conſtare ſcribit *ex actis Concilii ab eo vulgatis, quæ ego hactenus non vidi.*

CONCILIUM TREVERENSE
PROVINCIALE
Anno Chriſti MCCCCXXIII. Martini V. Papæ VI. Sigismundi Rom. Reg. XIV.
STATUTA VI. Concilii Trevirenſis ſub OTTONE (a) *Archi-Epiſcopo.*

HÆc ſunt Statuta (*b*) per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum OTTONEM, Dei gratia, Sanctæ Treverenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum, Germaniæ & Galliæ Belgicæ Primatem, atque Sacri Imperii per Galliam & Regnum Arelatenſe Archi-Cancellarium, cum ſuis Suffraganeis, videlicet Reverendo in Chriſto Patre, Domino Conrado *Beyher*, Epiſcopo *Metenſi*, per-

(*a*) Otto de Ziegenheim electus fuit Archi-Epiſcopus Treverenſis 13. Octobris anno 1418. Sedit annos XI. Mortuus 13. Februarii anno 1430.

(*b*) Multum utique fructum ab hoc Concilio habuit Otto; non tamen a Metropolitano Capitulo eum, quem ſperaverat. Teſtantur *id Geſta Trevir. Marten. pag.* 447. " Nempe Archi-Epiſcopus ſuam Sponſam Eccleſiam & Capitulum Treverenſe zelo opti-

personaliter præsente, & Reverendo Patre Domino *Henrico*, Episcopo *Tullensi*, per Procuratorem, videlicet Magistrum Ymentum de Tapejo, in legibus Licentiatum, comparente: & Reverendo in Christo Patre, Domino *Ludovico*, Episcopo seu Administratore perpetuo Virdunensi Cardinali in remotis agente, & absente, licet vocato, cæterisque Prælatis, Religiosis & Sæcularibus Provinciæ Treverensis *in Concilio Provinciali*, anno Domini Millesimo, quadringentesimo, vigesimo tertio, XXVI. die Aprilis, in Ecclesia Treverensi celebrato, edita, atque per ipsum Sacrum Concilium approbata & ratificata.

Cap. I. *De Fide Catholica.*

SAnctam Orthodoxam atque Apostolicam Ecclesiam, sanguine victimæ Paschalis dedicatam, unicam æterni Sponsam Regis, ipso Sponso in canticis proclamante: *Una est Columba mea* &c. extra quam non est salus: Per unicam arcam Noe tempore generalis diluvii, extra quam cuncta animantia super terram deleta sunt, designata: pro qua Dominus per Prophetam oravit, dicens: *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Ubi primum pro se tanquam pro Capite, deinde pro unica ejus sponsa oravit, hanc credimus & simpliciter profitemur. In qua secundum cultum Christianæ Religionis a Spiritu Sancto per Sanctos Apostolos Ecclesiæ Primates primitus introductum, Martyrumque constantia roboratum, Confessorum & Virginum exemplis decoratum, per Sanctos Ecclesiæ Doctores plantatum, atque per Romanos Pontifices Christi Vicarios, Petri Successores suis monitis & præceptis traditum & expressum, vivere tenemur. Hunc siquidem Catholicæ Fidei ritum & vere Fidelium cultum, quidam Pseudo-Prophetæ suis falsis dogmatibus & reprobatis doctrinis nitebantur pervertere, his modernis temporibus: inter quos primo Wicleff, demum Husz & Hieronymus hæresiarchæ, Ecclesiam Dei turbarunt. Qui, licet cum suis erroribus & falsis doctrinis cum eis adhærentibus per Ecclesiam sunt damnati, ac in Sacrosancta Generali Constantiensi Synodo, per sententiam reprobati, plures tamen ipsorum errores sequentes reliquerunt, qui ut experientia didicimus, suis lupinis morsibus & caninis latratibus, per se, & certos ipsorum nuntios, per mundum vagantes, suo letifero potu vix numerabilium errorum via quadam Anthichristiana, Dei Ecclesiam nituntur ad exterminium ducere, & veros Christi fideles a via veritatis declinare, & diabolico instinctu in fauces rugientis (*a*) producere. Volentes itaque super grege Dominico Nobis commisso pervigili cura, ut tenemur, vigilare, authoritate hujus Sacri Concilii Provincialis, statuimus: & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam pro nunc prout ex tunc, firmiter in his scriptis, salvis aliis pœnis in jure expressis, mandamus, ne aliquis Clericus, vel laicus scienter perversam dictorum WICLEFF, HUSZ, & HIERONYMII, aut eorum sequentium, qui vulgo *Hussitæ* vocantur, vel quorumcumque, etiam aliorum ab Ecclesia damnatorum, doctrinam acceptet, neque tales, aut eorum defensores, aut receptatores, aut nuncios scienter ad sua hospitia recipiant, auxilium, favorem, vel defensionem administrent, quomodolibet vel assistant. Præcipimus insuper omnibus & singulis Dominis, temporalem jurisdictionem habentibus, ut quam statim tales in suis territoriis adesse noverint, ipsos captivent, & Prælatis suis Superioribus, ad quos spectat talium examen, ad examinandum eosdem præsentent, & quilibet eorum præsentet sub præ-

" optimo & sincero reformare, & ad meliorem statum reducere cupiens; cui Ca-
" nonici Capitulares Treverenses fortiter se opposuerunt & restiterunt. Tandem
" sentiens ipse Dominus & Pater Reverendissimus Otto se non posse solum profi-
" cere in hujusmodi sancto & bono inchoato opere, quendam Legatum Sedis Apo-
" stolicæ HENRICUM, Cardinalem de Anglia, de sanguine Regis Angliæ natum,
" secum Treverim cum multitudine Doctorum Virorum adduxit, sperans, inde
" consequi aliquam bonam reformationem & optatum fructum. Sed, proh dolor!
sator mali seminis corda Canonicorum Trevirensium obcæcavit in tantum, quod ipsi Canonici tam Cardinali, quam Archi-Episcopo præfatis restiterunt, ita quod ambo nihil proficerent; sed absque aliquo optato fructu reformationis recesserunt: permittentes Canonicos ipsos in suis antiquis consuetudinibus vel abusionibus. *Ex Illust. D. Hontheimio.*

(*a*) *forte:* projicere

prædictis pœnis. Inferioribus vero, jurisdictionem non regentibus, sub prædictis pœnis injungimus, ut præfatos sic errores seminantes, sine dilatione Prælatis Superioribus denuntient, si eorum accessum commode habere poterint. Sin autem; judicibus temporalibus manifestare procurent, qui sub pœnis prædictis tales denuntiatos captivent, & ut præfertur, Prælato Superiori ad examinandum eosdem absque mora studeant perscrutari. Hortamur insuper,& omnibus vere fidelibus,& devotis utriusque sexus, & præsertim religiosis injungimus, ut puro corde, & humili spiritu Deum Omnipotentem exorent, ut sua inoblita bonitate, mentes fidelium errorum armis suæ inexpugnabilis potentiæ protegat & defendat.

C. II. *De Horis Canonicis legendis & cantandis.*

Attendentes, quod Clerici Beneficiati, & in Sacris constituti ad immolandum sacrificium laudis, fructum labiorum suorum, videlicet horas Canonicas dicendum, in puritate conscientiæ, & cum devotione, tenentur: quas sæpius, quod dolentes referimus, tam Religiosi, quam sæculares personæ sine advertentia legentes, atque syncopando celeriter discurrentes, ulla disciplina tempore psallendi, servata, taciturnitate,seu silentio prætermisso, & plerumque extranea, prophana, & inhonesta intermiscendo colloquia, horis indebitis pensum suæ servitutis persolvunt. Ne igitur transgressiones hujusmodi invalescant, sacri approbatione Concilii statuimus, ut in Cathedralibus, & Regularibus Monasteriis, & Collegiatis Ecclesiis, Canonici & Religiosi, cæteræque Ecclesiasticæ personæ debitis horis per se, impedimento cessante, non tantum per pueros, devote cum debitis pausis, silentio servato, sine syncopatione, attenta mente, ut chorus tacens, quid alii legant, advertat: singulas horas Canonicas, cæteraque Divina Officia studeant adimplere, qui postquam chorum intraverunt, ab eodem non recedant, nec tempore Divinorum in Ecclesia, præsertim in navi Ecclesiæ, non deambulent, sine rationabili causa. Caveant tamen Clerici, ne in cantando Divinum Officium voces eorum exaltando plus hominibus placere studeant, quam præstare Deo officium intendant. Nam in sacro ministerio, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligitur. Et Cantor Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat. Cæteri vero Pastores, Vicarii, & alii simplices competenti tempore cum debita animadvertentia, & totali verborum expositione horas Canonicas legant, & Divinum Officium nocturnum sive & diurnum studiose celebrent & devote, salvis rationabilibus privilegiis, & statutis quarumcunque Ecclesiarum, præcipientes omnibus, & singulis Ecclesiarum Prælatis, ceterisque, quorum interest, ut omnium negligentia, vel incuria relegatis circa prædicta,vel præmissa reformanda,& eorum singula corrigenda, solicitam curent diligentiam adhibere, non obedientes per censuram Eccesiasticam, aut subtractionem fructuum corrigendo.

C. III. *De Fornicatoribus Clericis, Beneficiatis & Ordinatis.*

Quamvis Divino Præcepto omnes teneantur crimen fornicationis vitare, præcipue tamen Viri Ecclesiastici, Sacerdotes, & Ecclesiarum Prælati, quibus per Prophetam Dominus ait: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum Dominus Deus vester.* Cum enim ipsi dicantur Templum Domini, & debeant esse Sacrarium Spiritus Sancti, indignum est, eos quibuslibet immunditiis servire, ne & istud terribile verbum audiant, quod Dominus per Prophetam dicit: O vos Sacerdotes, qui fallitis nomen meum, & dixistis, in quo fallimus? quibus respondit: offerentes ad Altare meum panes pollutos; *non est mihi voluntas in vobis, & sacrificium non accipiam de manibus vestris*, quia polluti estis, dicit Dominus. Summo ergo opere cavere debent Clerici, & maxime Sacerdotes a cohabitatione mulierum præsertim suspectarum, ne antiqui hostis fraude decipiantur. Quanquam autem contra Clericos in sacris constitutos concubinas notorie secum tenentes, aut alias suspectas mulieres multa sint edita jura nova, sintque plures pœnæ appositæ: multi tamen hujus temporis Clerici dictas pœnas non verentur, sed nefando hujus criminis vitio se contaminant, unde plura scandala oriuntur,& verisimiliter nisi providerint,evenient graviora.

Cu-

Cupientes itaque huic morbo ſalubriter providere, auctoritate hujus Sacri Concilii ſtatuimus & ordinamus, ut nullus Presbyter, vel Clericus in ſacris Ordinibus exiſtens, vel Beneficiatus, concubinam, vel interdictam, vel ſuſpectam mulierem ſecum in domo teneat. Et ſi quis hujusmodi talem perſonam in animæ ſuæ periculum, honoris & ſui ſtatus detrimentum tenuerit, teneat, vel actu detinet, eandem infra duodecim dies a tempore publicationis hujus ſtatuti, quorum quatuor pro primo, quatuor pro ſecundo, & reliquos quatuor dies pro ultimo, & peremptorio termino, & Canonica monitione aſſignàmus, a ſe realiter, & cum effectu amoveat, & dimittat, & de cætero ad ſe eam non admittat, ſeu ad eam accedat, vel cum ea commercium ſuſpectum quomodolibet habeat, ſed neque aliam talem aſſumat, ſub pœna perditionis omnium fructuum ſuorum Beneficiorum unius anni. Quod ſi nec a prædictis deſtiterit, per Superiorem ſuum a Divinis ſuſpendatur, & per alias pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas uſque ad Beneficii, ſeu Beneficiorum ſuorum prævaricationem procedatur: in quo, ſi Prælati, vel Collegia correctionem ſubditorum habentes, poſt menſem negligentes reperti fuerint, extunc talium correctio ad Nos, vel Epiſcopum loci ipſo facto devolvatur.

Inhibemus inſuper prædictis Sacerdotibus & Clericis in Sacris exiſtentibus, ne de ſtipendio CRUCIFIXI ſuos filios vel filias, ſpurios vel concubinas dotent & ditent, neque aliud quid de prædictis bonis legent, & neque filios aut filias infantes in ſuis domibus teneant, aut nutriant, ipſosque filios aut filias ſic foveant in victu & veſtitu, ut omnis occaſio ſcandali vitetur.

C. IV. *De habitu Clericorum.*

Clericalis Ordo debet quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi ſol refulgens lucet, ad decorem domus Dei, in alios ſplendere. Sunt enim Clerici in ſortem Domini electi, & quaſi ſignum ad ſagittam ſunt poſiti. Sicut ergo cæteris dignitate præcedunt, ita decenti habitu, morum honeſtate, vitæ ſanctitate in ſe deberent oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat converſari. Et præcipue Prælati Eccleſiarum, qui ad exemplar, & normam vivendi, cæteris ſunt interpoſiti: qui ſummo ſtudio præcavere debent, ne aliqua inhoneſta committant, unde ſcandalum in ſubditis mentium poſſit generari: quod enim a Prælatis agitur, facile a ſubditis in exemplum trahitur. Unde igitur Clerici diſcant a vetitis abſtinere, auctoritate hujus Sacri Concilii Provincialis ſtatuimus, ut ipſi ſuos actus & mores, ſecundum Decreta Sanctorum Patrum, juris diſpoſitionem, ſalubriaque monita, atque ſtatuta noſtrorum Anteceſſorum dirigant, & ipſa obſervare procurent. Specialiter tamen inhibemus, ne quis Clericorum nefanda juramenta, per corporis membra, aut ſanguinem noſtri Redemptoris, aut alias blaſphemias in Deum aut Sanctos ejus dicere, ullo modo præſumat, ſub pœna amiſſionis omnium fructuum ſuorum Beneficiorum per tres menſes.

Item mandamus, ut Clerici in Sacris & Beneficiati exiſtentes, a ludis illicitis abſtineant, & maxime a ludo taxillorum vel alearum, qui cauſa avaritiæ vel turpis quæſtus fiunt. Officia etiam a jure Clericis prohibita non exerceant: ut officium tabernariorum & ſimilium a jure prohibitorum. Item cum Sacerdotes & Clericos oporteat per decentiam habitus extrinſeci, intrinſecam moris honeſtatem oſtendere, ſtatuimus, ut nullus Clericorum in Sacris exiſtentium, abjecta forma Eccleſiaſticæ honeſtati congruente, alienam formam ſibi prohibitam; in ſuis veſtibus deferre præſumet, ne miles cœleſtis militiæ ſuo habitu, militem armorum ſe oſtendat, ſed in decenti veſte incedat, ſuumque habitum in colore, forma, ſeu figura deferat, prout Sancti Patres ordinarunt, juraque ſub certis pœnis ſanxerunt, & noviſſima Sacri *Conſtantienſis* Concilii Decreta mandaverunt, Anteceſſorumque noſtrorum Statuta ſalutaria ſtatuerunt: tonſuram etiam & coronam quilibet ipſorum decenter portet, juxta ſui Ordinis qualitatem.

C. V. *Ne quæſtores ſine licentia Epiſcopi loci admittantur.*

Ad refrenandum continuos quæſtorum exceſſus, quibus novis excogitatis modis pauperes decipere, & eleemoſynas ab eis extorquere diverſis fallaciis conantur, nunc indulgentias promittendo, nunc vero certas infirmitates, & plagas a Sanctis, ſub quorum nomine eleemoſy-

nas petunt, infligendas comminando, variisque aliis deceptionibus populum simplicem, ad manus eis adjutrices præstandum inducendo: nonnullis etiam eorum se quæstores certorum hospitalium, vel locorum Religiosorum falso mentiendo, simplicibus falsas literas adulterinis sigillis ostendentes, neque in aliqua Ecclesia Nobis subjecta, sine literis nostris, aut Episcopi loci, seu Apostolicis admittantur. Statuimus & ordinamus, ut nullus laicus in quæstorem admittatur. Habentes autem literas Apostolicas non admittantur, nisi prius Nobis, vel Episcopo loci ad examinandum easdem literas se præsentent. Nullus etiam quæstorum qualescunque literas obtineat, ad prædicandum vel aliqua intimandum admittatur, nisi secundum constitutionem Clementinæ constitutionis: *De Pœnitent. & Remiss.* Nullus etiam talium quæstorum ad petendum eleemosynam in aliquo loco recipiatur, nisi prius literas suas Pastori, vel Vicario ejusdem loci præsentet, qui ipsum secundum formam infra scriptam admittat. Quod si aliquis sine literis, vel literis non præsentatis, sub forma quæstorum eleemosynam in Ecclesia vel extra petierit, per Pastorem vel Vicarium ibidem regentem, Nobis, vel Episcopo loci, aut Officiali denuntietur. Ut autem forma dicta Clericis cunctis pateat, ejus tenorem de verbo ad verbum decernimus apponi, quæ talis est: Abusionibus, quas nonnulli eleemosynariorum quæstores in suis apponunt prædicationibus, ut simplices decipiant, & aurum subtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem; cum in animarum cedat periculum & scandalum plurimorum, nam prout Nobis est possibile præcludere cupientes juxta Statutum Concilii Generalis duximus prohibendum districte, ne quæstores aliqui nisi Apostolicas vel Diœcesani Episcopi literas exhibuerint, quomodolibet admittantur, nec permittantur, cum solum (*b*) ipsis competit indulgentias sibi concessas insinuare populo, & charitative postulare subsidia simpliciter ab eodem, & nullatenus ipsi populo prædicare, nec aliquid exponere, quam quod in literis continetur. Supradictas literas quoque Apostolicas Diœcesani Episcopi, ne quid fraudis committi valeat, antequam quæstores admittantur, examinent diligenter. Ad hæc tamen aliqui ex hujusmodi quæstoribus, sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multæ temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum, indulgentias populo suo motu proprio de facto concordant (*c*), super votis dispensant, a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis sibi confitentes, a peccatis absolvunt, & male ablata, authoritate data sibi aliqua pecuniaria quantitate remittunt, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxant, animas tres, vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferunt, de purgatorio, ut asserunt mendaciter, extrahunt, & ad gaudia Paradysi perducunt, Benefactoribus locorum, quorum quæstores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgent, & aliqui ex ipsis eos a pœna & a culpa (uti eorum verbis utamur) absolvunt. Nos abusibus hujusmodi, per quos censura vilescit Ecclesiastica, & clavium Ecclesiæ authoritas deducitur in contemptum, omni modo aboleri volentes, ea per quoscunque quæstores fieri, vel attentari de cætero districtius prohibemus omnia & singula privilegia, siqua super præmissis, vel eorum aliquo sint in aliquibus locis, ordinibus vel personis quæstores hujusmodi, quomodocunque concessa, ne ipsorum prætextu sit eis materia talia ulterius præsumendi, authoritate Apostolica, quantum ad præmissa penitus revocantes. Quæstores autem, qui deinceps in præmissis, vel aliquo præmissorum, deliquerint, vel alias etiam quibuscunque suis privilegiis abusi fuerint, super locorum Episcopos puniri volumus, nullo modo prorsus eisdem quæstoribus in hac parte privilegio suffragante, quod a suis temerariis ausibus, qui ubique, ut communis habet assertio, nimium excreverunt, pœnæ formidine perpensius compescantur.

C. VI. *De Confessoribus.*

Cum, ubi majus fertur periculum, cautius sit agendum, volentes itaque saluti animarum providere, & quibusdam periculis, fraudibus quorundam Confessorum plus lanam quam ovem diligentium, quantum possumus obviare: hortamur omnes & singulos Religiosos, ut sæculares Confessores audientes, ut more periti

(*b*) *aliàs*: per ipsas competat

(*c*) *aliàs*: concedunt

periti medici debitam medelam confessis adhibeant, & salutarem pœnitentiam imponant, & peccati circumstantias, eisdem in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne propter munera, aut spem lucri, pœnitentiam minorem quam expediat, injungant, nec ob aliquam causam duriorem infligant, neque aliquis eorum a confitente ante vel post aliquid exigat, vel extorqueat. Sed nec alicui res oblatas aut ablatas, vel alienas detinentem, nisi restituat, absolvat, nisi sibi fuerit facultas restituendi de eisdem, aut aliis rebus: neque illas res restituendas Confessor recipiat, etiam sub promissione restitutionis faciendæ, nisi forte per alium restitutio ita caute fieri non possit. Item confessor pœnitentiam, vel onus confesso injunctum pro aliqua pecunia, vel munere ad perficiendum in se non recipiat, neque assumat, sub pœna amissionis officii audiendi confessionem usque ad gratiam nostram, vel Ordinarii loci sub quo deliquit: sub simili pœna præcipimus, ut nullus confessor aliquem absolvat, in quem potestatem non habeat, & præsertim ut ne absolvat aliquem in casibus specialiter Episcopo reservatis, nisi ad hoc a suo Superiore commissionem habeat. Nullus etiam Confessorum confessionem audiat in domo sua, vel camera privata, sed in Ecclesia, refectorio, aut ambitu, aut alio loco decente, pœnis sub prædictis. Item simpliciter quorundam Presbyterorum, qui interdum aliis Presbyteris, Curatis vel non Curatis nullam in eos potestatem habentibus confitentur, succurrere cupientes, inhibemus, ne de cætero aliquis Presbyter alicui curato, aut non curato nullam superioritatem in eum habenti, confiteantur (*a*) sine licentia sui Superioris, cum a non suo judice nullus ligari valeat vel absolvi.

Per præmissa tamen hujus Sacri Concilii Statuta nolumus neque intendimus statutis Prædecessorum nostrorum, & maxime statutis per BALDUINUM felicis memoriæ, in Concilio Provinciali editis, & post per eum modificatis, in aliquo contradicere, derogare, seu ea revocare: sed ipsa statuta auctoritate hujus Sacri Concilii approbamus, innovamus & ratificamus, singulisque Nobis subjectis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut eadem statuta observent, eis utantur, & secundum ea vivere non obmittant.

Illustrissimus Hontheimius Tomo II. Historiæ Diplomaticæ Treverensis No. DCCXCIII. pag. 367.

(*a*) *lege:* confiteatur.

Epistola hortatoria CONRADI, Moguntiæ Archi-Episcopi, ad Bellum Hussiticum, requisiti à Cardinali Angliæ, nomine Papæ MARTINI V.

Anno Christi MCCCCXXVII. Martini V. Papæ XI. Sigismundi Reg. Rom. XVIII.

ENCYCLICA, qua CONRADUS suis Suffraganeis communicat litteras Legati Apostolici, ad bellum Hussiticum hortatorias, juxta conclusa dietæ FRANCOFURTENSIS hic insertas.

CONRADUS D. G. SANCTE MOGUNTINE SEDIS ARCHI-EPISCOPUS, SACRI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO EPISCOPO . . . . CONFRATRI, ET AMICO NOSTRO CARISSIMO, GRATUM ET SINCERUM COMPLACENDI ANIMUM, ET CONTRA PULLULANTES HERESES PRO DEFENSIONE FIDEI VIRILITER INSUDARE.

NOveritis, Nos Reverendissimi in Christo Patris, ac Illustris Principis & Domini, D. HEINRICI . . . . . Cardinalis *de Anglia*. . . . Domini nostri Carissimi, infra scripti tenoris litteras Nobis . . . . . exhibitas, cum ea, qua decuit

cuit reverentia recepiſſe . . . . . quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur in hunc modum:

HEINRICUS *miſeratione Divina tit.* S. Euſebii Ss. R. E. *Presbyter Cardinalis*, de Anglia *vulgariter nuncupatus*, *per univerſam Germaniam*, *Ungarie*, *Bohemieque Regna* ; *ac in cauſa Fidei per univerſum orbem Apoſtolice Sedis a latere Legatus*. Venerabili Fratri noſtro, Illuſtri Principi CONRADO Archi-Epiſcopo *Mogunt.* S. R. I. Electori, & per Germaniam Archicancellario, & veſtris Suffraganeis quibuscumque totius Provincie, & Diœceſium veſtrarum. . . . Clero exempto, Religioſis, & alias ſtatus cujuscunque, preeminentie vel conditionis; nec non omnibus & ſingulis Principibus, Nobilibus, Plebeis & popularibus fidelibus... per dictas veſtras Provinciam & Diœceſim ubilibet conſtitutis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam verbum Patris ipſe Dei Filius a celeſtibus ad procliva deſcendens, ut ovem peractam revocaret, in ara crucis profluentiſſime ex immenſa caritate ſuo precioſiſſimo ſanguine effuſo, ſponſam ſuam ſine macula & ruga ſpecioſam, Sanctam Eccleſiam, & Fidem Catholicam miris adornatam prodigiis, ſuis fidelibus omni puritate venerandam commendavit, quam proh dolor & heu! noviſſimis his diebus temeritate diabolica perfidiſſimis, & inhumaniſſimis hereticorum Huſſitarum in *Bohemia* ſevientium morſibus ac inſultibus, in blaſphemiam Omnipotentis Dei, Glorioſeque Virginis Mariæ, & totius celeſtis Jerarchie, atque Chriſtiani politici regiminis everſione conſpicimus multipliciter violatam; & cum populus Chriſtianus colla ſua ſubmittere teneatur, ne Dei & Redemptoris ſui offenſa invaleſcat, ac perfidia dictorum hereticorum amplius incaleſcat, flaminiſque ſui peſtiferi contagioſi morbi vicinas, & finitimas partes ſuccendat; multa, & matura deliberatione, urgenti neceſſitate, & exactiſſima congruentia viſum eſt Nobis, & aliis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus Principibus, Prelatis, Comitibus, & Proceribus, noſtra & verius Apoſtolica auctoritate pridem in *Franckfordia*. . . . . convocatis, & congregatis in multitudine copioſa, & multorum adjutorio tanti ſarcina repudii manu forti, & modis congruis quibuscunque felicius ſupportetur & exterminetur; quo quilibet. . . . Chriſti fidelis pro extirpatione tam dampnate abominationis, juxta in dicta congregatione adviſata & concluſa, quorum copiam ad manus habetis, ſimileſque copias ſingulis veſtris Suffraganeis per vos tranſmitti volumus, infra hinc, & XII. dies ante Dominicam *Reminiſcere* proxime venturam, ſeu ante XVII. diem menſis Februarii partem ſuam effectualiter contribuat, ſub ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſie in vos Archi-Epiſcopum, & Epiſcopos Suffraganeos veſtros; ſubque excommunicatione in ſingulares perſonas alias; & interdicti penis in locum, ſeu loca, quas etiam ferimus in his ſcriptis, dictum ſpacium temporis pro I. II. & III. termino. . . . nec non monitione canonica tenore preſentium prefigentes.

Quilibet etiam Ordinariorum ſub dicta pena, Vos. . . , Venerabilis Frater noſter Archi-Epiſcope; &. . . Epiſcopi, quantum ad Clericos veſtre Spirituali, & laicos veſtre temporali juriſdictionibus ſubjectos, hujuſmodi concordata fideli faciatis. . . . . executioni demandari; & ſi quis, tanquam ſue ſalutis, & fidei negligens, manum vellet ab hoc ſalutifera ſubventione retrahere.

Exhortamur ergo vos omnes, & ſingulos predictos. . . per viſcera miſericordie D. N. J. C. & per aſperſionem precioſiſſimi ſanguinis ejuſdem, ut tamquam Athlete fortes contra dictos hereticos aſſurgere, & oracionis, ac devocionis fervore vos precingere ſtudeatis; quod heretici prefati, errore falſitatis abjecto, viam agnoſcant veritatis; & ut fideles Chriſti ad premiſſa reddantur prompciores, de injuncta Nobis poteſtate cuilibet, qui in propria perſona ad expeditionem contra dictos hereticos iverit, & fideliter decertaverit, aut in eadem deceſſerit expedicione, pleniſſimam peccatorum ſuorum habeat remiſſionem. Qui vero juxta ratam ſibi deputatam, vel amplius ad opus pretactum manum porrexerit adjutricem, centum dies indulgentiarum in Domino impartimur. Ordinariis vero, vel ipſorum Vicariis ad commutandum vota quecumque, & quorumcunque; nec non quoſcunque ſuper male

male acquisitis, dummodo talia ad prædictam expedicionem contribuant, ad absolvendum plenam attribuimus potestatem; sic tamen, quod collectores ad presentem collectam deputati, de talibus male acquisitis jurati ad hoc, signaturam in registrum ipsorum, quemadmodum de aliis contribuendis, prout in articulis, de quibus in presentibus fit mentio, expressum est, facere tenebuntur.

Volumus etiam, quod transumpto harum litterarum, sub sigillo ordinarii Judicis. . . . fides integra adhiberi debeat; appellationis subterfugio in premissis penitus cessante & secluso, mandantes nihilominus, ne aliquis fidelis Christianus Sacrosancte Ecclesie,& lateris Crucifixi. . . . earundem ignorantiam pretendat.

Quod igitur dicte indulgencie ad alliciendos animos fidelium, ad succursum effectualem contra dictos hereticos prestandum, in quibuscunque Ecclesiis majoribus, Collegiatis, Parochialibus, & locis Ecclesiasticis Provincie,& Diœcesis vestrarum. . . . . singulis diebus Festivis intra Missarum. . . . sollempnia, cum major populi affuerit multitudo, in vulgari sermone intelligibiliter proclamentur; quodque de modo,& forma executionis vestre. . . Nos per litteras vestras patentes, harum seriem in se continentes, autentice curetis reddere certiores.

Datum *Franckfordie*. . . VIII. idus Decembris. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. *Martini* Pape *quinti* anno XI.

In cujus rei testimonium presentes nostras litteras sive presens publicum instrumentum, hujusmodi nostrum transumptum in se continentes sive continens, exinde fieri, & per Notarios publicos. . . . subscribi,& publicari mandavimus, nostrique Sigilli appensione jussimus communiri. Datum & actum in castro nostro *Hæste*. . . sub anno Domini MCCCCXXVII. indict. V. die vero Decembris XI. Pontificatus Sanctissimi. . . MARTINI. . . . anno XI. Serenissimo, & Invictissimo Principe, & D. Domino SIGISMUNDO Rom. Rege semper Augusto, ac Ungarie, Bohemie &c. Rege, Domino nostro gracioso feliciter regnante. Presentibus ibidem spectabilibus, & Nobilibus:

Michaele de *Wertheim*, & *Friderico* de *Liningen* juniore, Comitibus. *Diethero* de *Isemburg*, Domino in Budingen Barone.

Honorabilibus:

Hermanno de *Buchenawe* Preposito Ecclesie *S. Johannis* prope *Fuldam*. *Petro Echter*, & *Johanne* de *Cronenburg*, nostre *Mogunt*. Ecclesie Canonicis.

M. *Johanne* de *Swerte* Licentiato in decretis, nostre Sedis Prothonotario. *Wilhelmo* (*a*) Decano. . . *S. Victoris* extra muros *Mogunt*.

Et Strenuis

Johanne Schencken de *Schweinsberg* Milite. *Diethérico Kemmerer*, *Wernero* de *Hartheim*, *aliisque quam pluribus fidedignis testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.*

Ex Tomo IV. Codicis Diplomatici de Gudenus pag. 164.

(*a*) Stratz de Bentheim.

CONVENTUS FRANCOFURTENSIS
Anno Christi MCCCCXXVII. Martini V. Papæ X. Sigismundi Regis ROM. XVII.
Ad conflandum Exercitum contra Hussitas.

Littera per S. R. I. Principes Electores directa universis Principibus Ecclesiasticis & Sæcularibus, per Almaniam constitutis, in causa fidei ad faciendum exercitum contra hæreticos, pro conculcatione eorundem.

ILLUSTRIS PREPOTENS ET MAGNIFICE PRINCEPS, CONSANGUINEE CARISSIME.

NOvit mundus, novit & Sacrum Rom. Imperium, & a vestra non credimus notitia peregrinum, quot & quantis illa perfida gens Wickeffistica, in Bohe-

Bohemie partibus invalescns dampnatorum *Huss* & *Hieronimi* falsis imbuta dogmatibus, & execrabili, ac Deo, & Sancte Romane Ecclesie odibili resperfa heresi Spiritum veritatis abjiciens inconsutilem Salvatoris nostri tunicam morsibus conatur laniare caninis; plasmatori omnium Domino blasphemias, intemerate Virgini & Matri, & Sanctis suis contumelias inferat. Sacrosanctum Euckaristie Sacramentum nostre salutis viaticum, & reliquias Sanctorum venerandas conculcando, pedibus intruncando Crucifixi, illibate Matris Marie, & Sanctorum suorum imagines Monasteria, Ecclesias, & loca Sacra nedum profanando, sed & funditus evertendo; nec tantis omnibus malis contenta, majoribus, humanitatis spreto officio, crudelitatem assumens belluarum, & in populum, Christi Sanguine redemptum velut Rampnus in ligna semens, ignem & ferrum in orthodoxorum convertit viscera, suos impietatis gladios in Christi fidelium sanguine inebriat occisorum, & innocentum servorum JESU Christi, & Virginum velatarum, & Deo Sacratarum carnes laniandas celi volucribus; & terre bestiis derelinquit; quod quidem pregrande inter cuncta mala majus, tanto cum ingentiori dolore referimus, quanto idipsum nostris conspicere oculis, nostrorum exigunt demerita peccatorum, pro cujus pernitiose pestis, & virulente heresis eradicatione & exterminatione, ac eorundem perfidorum hereticorum, Deo & Ecclesie rebellium conculcatione, modis & viis, ex necessitudine congruis, dandis, & inquirendis, Nos ad Illustrissimi Principis & Domini, D. Sigismundi Romanorum, Ungarie, Bohemie &c. Regis Invictissimi, Domini nostri graciosi ammonitionem, & exhortationem, tanquam sui, & S. R. Imp. Principes, Electores, & membra precipua, multos hucusque conventionum celebravimus dies, in quibus Nos, & alii dicti S. R. I. Principes, Ecclesiastici, & seculares, Comites, Barones, Milites, clientes, & civitatum communitates convenimus, multosque labores utinam proficuos pro dictorum hereticorum conculcatione, & ad Sancte Matris Ecclesie gremium reductione gratissimis subivimus mentibus, prout id satis extat liquidum toti orbi, qui tamen nostri labores, licet accurati pro reductione, & potius conculcatione dictorum rebellium, modicum, quod cum merore referimus, profuerunt. Unde, ut tam infecto morbo omnibus pernitioso de die in diem se ferocius, & amplius augmentanti, generalis antidoti salutari remedio occurratur, Nos fidei zelo, & fervore accensi, alii ex Nobis in propriis personis, & alii gravibus negotiis prepediti in nostris Secretariis, & Oratoribus plenissimis nostris suffultis mandatis in hunc locum *Franckfordie* convenimus; ubi cum prefati Domini nostri Romanorum Regis, & aliorum Principum Ambasiatoribus celebribus, matura deliberatione prehabita de hujusmodi materia fidei feliciter promovenda, & dictorum Hussitarum perfidia conculcanda ad Omnipotentis Dei laudem, sueque Genitricis & Virginis Marie, ac Ss. omnium gloriam, S. R. & Apostolice Sedis exaltationem, Katholice Fidei defensionem, & reipublice commodum & salutem, S. Fidei devotione cordialius inflammati, & mentium nostrarum affectione sitibunda, in animorum unitatem aspiramus, & in hoc finaliter resedimus ut fortitudinis accincti robore, & loricam fidei induentes in quatuor finibus ad dictorum hereticorum terras, in virtute Crucifixi, cujus res agitur, quique nostrorum exercituum signifer erit precipuus, Divina disponente providentia, armata movebimus castra nostra. Presertim Nos Principes Electores, & alii Sacri Imperii Principes, Ecclesiastici & seculares, Comites, Barones, & communitates partium *Reni*, *Elsacie*, *Suevie*, *Bavarie*, & *Franckonie* in una; Nos FRIDERICUS Dux *Saxonie* &c. cum aliis Nobis affluentibus, in alia; Principes & communitates *Slesie* in tertia, nec non Illustres Principes Duces *Austrie*, cum Archi-Episcopo *Saltzburgensi*, & ceteris sibi assistentibus, in quarta partibus, insultus bellicos contra præfatos hereticos faciemus, & operam dabimus oportunam, ut tantum malum iniciatum, & periculo adauctum graviori, in suo germine venenoso potenti suffocatione deleatur, ne in exterminativam virulentamque plantam Antichristiane Ecclesie valeat pullulare.

Et

Et cum amice dilecte, hoc fidei negotium suos in caritate fidei combinatos concernat generaliter singulos, & singulariter universos, sitque modo tempus, quo Altissimus sue fidei defensores, & propugnatores pervigiles suis velit indiciis evidentissimis comprobare; idcirco, ne error hic, & scelus manifestum per non resistentiam videatur aliquatenus approbari, amicitiam vestram, quam dicte fidei sacre causa debeat fortius, quam nostra exhortatio inflammare, quamque ejusdem fidei & Katholice Matris Ecclesie precipuam novimus zelatricem, per viscera misericordie Domini nostri, qui hujusmodi negocii sui erit defensator, obsecrando deprecamur, quatenus ut verus Christianus in confessione fidei non deficiens, ad laudem Dei, exaltationem fidei, & utilitatem reipublice, ad talem exercitum JESU Christi vestram armatam, & expeditam militiam, majori quo poteritis numero, dignemini destinare; ita, quod eadem vestra militia in Ss. Petri & Pauli Apostolorum Festo proxime affuturo, bene disposita sit in opido Nurembergensi, aut in Campis prope, ubi Nos eo tunc in propriis personis inveniet, contra præfatos fidei hostes in proximo consistentes, in altissimi virtute bellaturos, & triumphaturos feliciter, Deo dante; pro quo ipsa vestra dilectio ultra laudum preconia, que ob id ab hominibus reportabitis, post hujus vite decursum, corona immarcessibili in orbe stellifero merebitur laureari.

Datum Franckfurdie Dominica *Quasimodo geniti* Anno Domini MCCCCXXVII.

Ex Tomo IV. Codicis Diplomatici Gudenus pag. 158.

Anno MCCCCXXVII. Idea consilii de modo & via Exercitus in Bohemiam ituri, taxandi, coordinandi, regundi. Eam Germanice *Senckenbergius refert* §. 46. una cum matricula Militum a Statibus Imperii suppeditandorum, & executione hujus consilii.

Erster Theil Teutscher Reichs-Abscheide *Francofurti anno* 1747. *a pag.* 120.

Anno MCCCCXXVII. Taxatio vel census nummorum communi bello contra Hussitas in Bohemia pendendorum ab omnibus germanis Principibus, Laicis & Clericis, Comitibus, Dominis, Equitibus, servis, civitatibus in Comitiis Francofurti hoc anno decretus.

Teutscher Reichs-Abscheid Erster Theil *Cl. Senckenbergii pag.* 124. *& seqq. excusus Francofurti anno* 1747.

RIGENSE CONCILIUM

Anno Christi MCCCCXXIX. Martini V. Papæ XII. Sigismundi Reg. Rom. XX.

HENRICUS Archi-Episcopus (*a*) Rigensis ex *Concilio in Metropoli Rigensi coacto* allegavit Romam sedecim viros, qui apud Papam conquererentur de injusta oppressione Ecclesiarum suæ Diœcesis.

Verum iidem capti in itinere a Commendatore arcis Goswin, Equite Ordinis B. M. V. Teutonicorum, qui eosdem manibus & pedibus colligatis præcipitavit in lacum congelatum.

Tomo XII. Concilior. Labbé pag. 405. *Ex quo Dictionarium Conciliorum impressum anno* 1758.

(*a*) Nonnisi anno 1255. Archi-Episcopum Rigensem dictum existimat Grunow apud Petrum de Duisburgo *in Chronico* edito ab *Hartknockio pag.* 124.

Rigensis Archi-Episcopus erat octavus, S. R. I. Princeps ante annum 1561. a quo anno inter Poloniæ Archi-Episcopos numerari consuevit. Ante eum annum habebat septem Suffraganeos. *Revaliensem* in Livonia, *Curiensem* Siegelandensem, ibidem Oiseliensem, Dorpatensem, Culmensem, in Prussia Regali, Sambiensem & Pomesaniensem, post hæresin in Prussia prævalentem.

Sambiensi Diœcesi nunc præest Varmiensis Catholicus Episcopus exemptus. Pomesaniensi suppresso præest Culmensis Catholicus Episcopus, uti & Caminensis in Pomerania regitur a Vladislaviensi Catholico Antistite.

Ita lego in Chorographia Regni Poloniæ, Coloniæ anno 1658. *impressa in* 8vo.

CON-

CONRADUS, Archi-Episc. Moguntinus,

scribit suis Suffraganeis Episcopis, convocando eosdem ad Concilium Provinciale.

Anno Christi MCCCCXXXI. Eugenii IV. Papæ I. Sigismundi Regis Rom. XXI.

CONRADUS, DEI GRATIA, SANCTE MAGUNTINE SEDIS ARCHIEPISCOPUS &c. REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO JOHANNI, EPISCOPO HERBIPOLENSI, AMICO NOSTRO CARISSIMO, GRATUM ET SINCERUM ANIMUM PLACENDI. REVERENDE IN CHRISTO PATER ET AMICE CARISSIME!

NOverit vestra amicitia, lustris duobus jam peractis detestandam heresim *Bohemorum* in medio nostrorum quodammodo consistentem, que, postquam vulgares infecit, tandem universum regnum seduxit, devastavit sancta, & sacras polluit edes; exterminavit Clerum, & omnem celibatum commercio nephando stupravit; omnemque fidei virorem errorum raumate de hominum cordibus arefecit adeo, quod suis non contenta limitibus, in perditionem etiam exteros, & armis, & fraude, trahere moliatur.

Novistis etiam, quanto expensarum profluvio, quantoque insoncium Christianorum sanguine, & crebris rerum incommodis, solercia Prælatorum, & Principum Alemanie, jam tertio illam extirpare satagens, operam dedit; & fatali nutu tandem invalida, frustrato fine secessit. Timetur etenim, ne confortetur adeo illorum temeritas, quod tellurem germanicam aggressura, semen illud pestiferum laribus nostris afferat, & sub melle palliatum venenum incolis nostris efficiat alimentum; nec dubium, quin ipsius uve, quam Patres nostri manducaverunt, acerbitas in nostris amarescat faucibus, & tanta a seculo non audita, fidei sacre ac religioni, & statui Christiano molestiva flagella, inscrutabili Divino permittente judicio, in isto nostro conspicere evo, nostra & populi exigant demerita peccatorum.

Unde amice carissime, expedit, ut filii transgressores, leni paterno correpti verbere clamemus in celum, ac mutuis & devotis in Domino orationibus, & suffragiis concurramus, accuratissimam operam impendentes, quod communicata providentia, alternatoque onere accurrentibus cladibus, & futuris periculis statui Ecclesiastico imminentibus salubriter obvietur, ne plaga hujusmodi in longum torpente propensioris fraudis livore accrescat, sed provisionis debite resarcita munimine, pristine valescentie juvamine integretur.

Offerente se igitur casu, quod in brevi debeat apud *Basileam* Generale Concilium celebrari, ad quod etiam per litteras Reverendissimi Domini Cardinalis *S. Angeli* Apostolice Sedis Legati, & dicto Concilio presidentis, fuimus in proximo solemniter evocati, dignum duximus arbitrandum, interesse precipue Germanice Nationi, que in propriis metis locum Concilii obtinet, & Ecclesiarum honore, & amplitudine potestatis, copiosiorique numero inter ceteras nationes prefulget, gravi consilio, tam res Fidei Katholice, que propter *Bohemos* hereticos titubant, quam generalis communitatis Ecclesiarum Alamanie reformationem, & inordinatorum variorum ad equitatis & juris reductionem querere, universali saluti insistere, & alias ipsarum Ecclesiarum statum omni sollicitudine moderare; que quidem, si in presentiarum, quod absit, segniter tractarentur, magno cum periculo Clericalis nominis, in confusionem perennem penitus jactarentur.

Quare indubie arbitrati, quod sacro disponente Concilio contraria singula paca-

pacabuntur, ut eo ordinacius atque utilius universitati Germanice Nationis salubriter consulatur, vos amicum nostrum carissimum, tamquam *Herbipolensem* Episcopum, auctoritate nostra Metropolitica in Domino requirendo, mandamus, ob zelum Katholice Fidei ac universalis, & presertim Metropolis nostre, & aliarum suffraganearum Ecclesiarum augmentum, ac statum pacificum Ordinis Clericalis, vestra propria in persona, quod multum utile censemus, si aliquamvis commode poteritis, advenire, aut, si vestram amicitiam aliquali corporali extunc forsitan egritudine, quod absit, detineri, seu aliis legitimis impedimentis coram Nobis deducendis prepediri contingeret, vestros celebres oratores & nuntios, pleniori mandato suffultos, ad Nos in opidum nostrum *Aschaffenb.* in diem XII. mensis Novembris proxime affuturam, vestro, ac vestrorum Provinciali consilio de jure, vel consuetudine interesse debentium vice & nomine, dignemini destinare; ubi Nos, dante Domino, personaliter constituti, una vobiscum, ac aliis Reverendis nostris Confratribus & Suffraganeis, quos similiter ad hoc evocavimus, tam spiritualia, quam temporalia incommoda, & gravamina, ac cetera, que statum, & reformationem, tam Metropolis, quam vestre, ac aliarum Ecclesiarum prædictarum, & Ecclesiastici Status conservationem respicere videbuntur, maturo, ut expedit, consilio discutiemus, & etiam colligemus; ut tandem Reverendissimorum Patrum Dominorum *Saltzeburgensis*, *Magdeburgensis*, & *Bremensis* Archi-Episcoporum, amicorum nostrorum carissimorum, post sua, que similiter interea tenebuntur, & hujusmodi nostrum, Provincialia Concilia celebrata, mittendi oratores, & nuntii in quadam conventione *Maguntie*, die XIX. Novembris predicti, una cum Reverendo Patre Domino Archi-Episcopo *Coloniensi*, & Nobis, dante Domino, facienda, juxta hujusmodi nostra, & in suis Provinciis, & Provincialibus Conciliis discussa interim, & collecta, aliqua necessaria, & utilia pro hujusmodi reformatione, reductione, & conservatione speratis, determinare, & concludere valeant, & valeamus; ut ipsorum atque nostri in prelibato Generali Concilio constituti Ambasiatores & Nuncii, in cunctis in eodem Concilio tractandis & gerendis, juxta determinata conclusa, & assumpta huiusmodi, pro dictis reformatione. . . . felicibus pariformiter intenderent, & pro eisdem eo facilius obtinendis accurratius inhererent. Nec velit, deprecamur, ipsa vestra amicitia propter hujusmodi terminum, si vobis videatur brevior, se a dicto nostro Provinciali Concilio absentare, quia non voluimus propter memoratam instantem Generalem Synodum, hujusmodi nostre conventionis terminum congrue prolongare.

Datum Eltevil XXII. die Septembris anno Domini MCCCCXXXI.

Gudenus Tom. IV. Codicis Diplomatici pag. 185.

Anno Christi MCCCCXXXI. Eugenii IV. Papæ I. Sigismundi Reg. Rom. XXI.

Domini Magunt. & Coloniens. Archi-Episcopi

scripserunt Dominis Saltzburgensi, Magdeb. & Bremensi Archi-Episcopis, proponendo narrationem Littere precedentis, ut stat in forma. Concludendo tamen cum clausula subscripta, que sequitur in hunc modum

Amicitiam vestram, quanto studiosius possumus, exhortamur in Domino & rogamus, quatenus ob Zelum Katholice Fidei, & universalis, & presertim Germanice Ecclesie augmentum, ac statum pacificum Ordinis Clericalis ibidem, vestros venerandos Suffraganeos, per se, vel suos nuntios speciales, ad Provincialem Synodum dignemini quantocius poteritis, evocare.

In qua diſcutientes, & maturo conſilio colligentes tam ſpiritualia, quam temporalia incommoda & gravamina, ac cetera, que ſtatum,& reformationem Metropolis, & Suffraganearum Eccleſiarum veſtrarum, quam tocius Germanice Nationis, & Eccleſiaſtici Status conſervationem conſpicere videbuntur. Que tandem, ſi collecta per veſtros Oratores, & Nuntios pleno mandato ſuffultos ad civitatem *Maguntinam*, quam pro taliſmodi congregatione cunctis Metropolibus Alamanie credimus aptius ſituatam, in Dieta, quam prefiximus ad XIX. diem menſis Novembris, referre velitis, & deſtinare: ad quam dietam,& Nos Provincialibus noſtris Synodis interea ſimiliter celebratis conventuri, ſperamus Reverendiſſimos Patres Dominos *Magdeburgenſem*, & *Bremenſem* Archi-Epiſcopos amicos noſtros cariſſimos a Nobis pariformiter deprecatos, per ſuos, & Suffraganeorum ſuorum nuntios ſimililter ad dictum terminum convenire. Et intentionis noſtre fotet, ut veſtri, ac aliorum Archi-Epiſcoporum prefatorum, atque noſtri in memorato Sacro Concilio conſtituti Oratores. . . . in cunctis in eodem Generali Concilio trnctandis & gerendis, juxta determinata concluſa, & aſſumpta in dicta conventione *Maguntina*, pro hujuſmodi reformatione, reductione, & conſervatione ſperatis pariformiter intenderent. Veſtrum in præmiſſis reſponſum amicabile preſtolamur, Nos ad veſtra beneplacita affectione gratiſſima ſemper ultroneos offerentes.

Datum Lanſtein ſub noſtri CONRADI Sigillo, quo & Nos THEODERICUS memoratus propter noſtri Sigilli abſentiam in premiſſis coutimur de preſenti. XXII. die menſis Septembris anno Domini MCCCCXXXI.

Gudenus Tom. IV. Codicis Diplomatici pag. 188.

EUGENIUS Pontifex Archi-Epiſcopum Moguntinum CONRADUM evocat ad Concilium Baſileenſe

Anno Chriſti MCCCCXXXII. Eugenii IV. Papæ II. Sigismundi Reg. Rom. XXII.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI. VENERABILI FRATRI CONRADO, ARCHI-EPISCOPO MAGUNTINO, AC S. R. I. ELECTORI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

HIs que ad ſalutem, pacem & quietem Eccleſiaſtice Reipublice, ac totius populi Chriſtiani, augmentum fidei,& extirpationem hereſum pertinent, totis cordis viſceribus intendentes, Generale Concilium, quod juſtis, & rationabilibus de cauſis a civitate *Baſilienſi* ad civitatem noſtram *Bononienſem* pridem decreveramus transferendum; eiſdem rationibus impedimentiſque magna ex parte ceſſantibus, prout per Fraternitatis tue, ac aliorum S.R.I. Electorum oratores nonnullorumque fide digna relatione nuper informati fuimus; per noſtras certi tenoris litteras, quarum copiam eidem Fraternitati tue preſentibus mittimus intercluſam, in prefata civitate *Baſilienſi*, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu decrevimus celebrandum.

Quam ob rem Venerabilis Frater, cum adhibentes maxime fidem Oratoribus, a te, nec non ceteris Romani Imperii Electoribus ad Nos nuper deſtinatis, affirmantibus Nobis pro tua,ac aliorum Electorum authoritate ſecure omnia, & ex zelo pacis, ac concordie, cui Nos maxime inheremus, ſi Concilium in prefata *Baſilienſi* civitate celebraretur, eſſe proceſſura, prefatum de celebrando *Baſilee* Concilio decretum ſtatuerimus; & pro ſingulari, quam de tua, ac aliorum Electorum erga Eccleſiaſticam Rempublicam, ac ſtatum noſtrum, fidelitate, & devotione in Domino fiduciam obtinemus, Fraternit. tuam una cum ceteris dicti

dicti Romani Imperii Electoribus prefatis, ad tuitionem, custodiam, protectionem, & securitatem prefati Concilii, ut in litteris prefati decreti nostri latius continetur, duxerimus deputandos; hortamur attente in Domino eandem Fraternit. tuam, quatenus visis presentibus, eundi ad prefatam civitatem *Basiliensem* . . . Concilii causa celebrandi, quanto cum majori numero potes de tua Diœcesi ac Provincia Prelatorum, & Doctorum, te quantocius prepares, & disponas, ut saltim infra tres menses, a data prefati decreti nostri computandos, & in adventu Legatorum nostrorum, quos ad. . . ad Concilium intendimus deputare, ibidem constitutus existas. Pergratum autem Nobis fecerit eadem fraternitas tua, quod etiam valde est consonum rationi, ut omnis dissensionis tollatur occasio, si diligenter procuraverit, ne quid ante prefatorum legatorum nostrorum ad prefatam civitatem *Basilee* accessum, preter reductionem, & pacem *Bohemorum* ibidem aliud ulterius pertractetur.

Requirimus preterea, & hortamur in Domino Fraternit. tuam, quatenus diligenter apud ceteros tuos in jure eligendi Imperii collegas velis operari, quod Venerabilis Frater noster RABANUS Archi-Episcopus *Treverensis*, quem indubitatum ejusdem. . . . Ecclesie Presulem esse certum est, & ex cujus quidem Ecclesie titulo jus electionis dependet Imperii, ad possessionem juris ac proprietatem Imperialis electionis, quod maxime est justitie consonum, ac etiam equitati, omni remota exceptione admittatur. Enimvero prefati oratores a te ac ceteris Electoribus ad Nos pridem destinati, quantocius ad te, ac alios redeuntes, plene de singulis advisati Fraternit. tuam plenius informabunt.

Datum *Rome* apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominice MCCCCXXXII. Kal. Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Galhardus.

Venerabili Fratri CONRADO Archi-Episcopo *Maguntino* S. R. I. Electori.

A. de *Florentia*.

Gudenus Tom. IV. Codicis diplomatici pag. 189.

ARGENTINENSE CONCILIUM

Anno Christi MCCCCXXXV. Eugenii IV. Papæ V. Sigismundi Imp. XXV.

SUB BERTHOLDO, EPISCOPO ARGENTINENSI.

CAPITULA CVI.

BERTHOLDUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS ARGENTINENSIS, UNIVERSIS ABBATIBUS, PRÆLATIS, DECANIS, COLLEGIIS, ARCHI-PRESBYTERIS, PLEBANIS, ET OMNI CLERO, ET POPULO CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ ARGENTINENSIS, SALUTEM IN DOMINO JESU CHRISTO.

IN hac Synodo nostra Generali, de Capituli & Prælatorum nostrorum consilio, & assensu celebrata sub anno Domini Millesimo quadringentesimo, tricesimo quinto, 14. Calendas Augusti Statuta Prædecessorum nostrorum, & nostra cum additionibus, & determinationibus eorundem in unum colligentes, eaque vestræ caritati subscripto tenore dirigentes statuimus, & auctoritate Dei Omnipotentis, & nostra ordinaria mandamus, ea firmiter & fideliter observari, inhibentes, ne aliquibus aliis opusculis pro Statutis nostræ Diœcesis, vel processibus generalibus utamini quoquo modo.

I.

In primis statuimus, ut si aliquis Clericus, vel laicus utriusque sexus, cujuscumque status, vel religionis existat, ausus sit præsumptione damnabili publice præ-

prædicare, occulte docere & tenere, quod Sacerdos in mortali peccato existens, non possit conficere Corpus Christi, sive quod ligatus ligare, vel absolvere nequeat suos subditos a peccatis, pro hæretico,& incredulo habeatur. Quorum errorem hujus Sanctæ Synodi approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod sive bonus, sive malus sit minister, per utrumque Deus officium gratiæ confert, non enim quæ sancta sunt, coinquinari possunt, nec ipsa Sacramenta potest hominum malitia profanare; unde qnantumcumque Sacerdos pollutus existat, Divina non potest polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum cogitationum existunt. Licite etiam a quocumque Sacerdote ab Ecclesia tolerando Divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica Sacramenta.

I I.

Sanctissimum Corpus Christi, cujus dignæ venerationi fragilitas humana non sufficit, cum ad infirmos,vel ad mulieres vicinas partui, vel alia de causa extra Corpus Ecclesiæ deportatur, veneratione mandamus solita venerari, videlicet ut Presbyter indutus superpellicio cum stola circa collum illud portet, nisi loci distantia, & temporis qualitas secus exposcat. Clericus vero præcedat cum campanella,& lumine tintinando, & obviantes,donec Sacerdos transeat, genu flectant, & dicant ad minus devote ter orationem Dominicam cum salutatione Virginis Gloriosæ. Nos enim tam Presbytero, quam Clerico deportantibus, & singulis vere pœnitentibus, & confessis genu flectentibus, dummodo, ut dictum est, & genu flectant, & ter orationem Dominicam cum salutatione dicant, decem dies pro vice qualibet de injuncta sibi pœnitentia, auctoritate, qua fungimur, relaxamus. Presbyter vero, qui aliter ipsum, vel occulte portare præsumpserit, præter offensam Divinam pœnam tanto excessui condignam, & salutis propriæ negligentiam poterit formidare.

I I I.

Damnamus quorundam errorem conferentium Ecclesiastica Sacramenta, maxime in extrema unctione, videlicet, quod unus inungit, alter profert verba Sacramenti. Sub pœna igitur suspensionis prohibemus talia de cetero attentari; sed in omni Sacramento unus idemque actum faciat, & verba proferat, quæ desiderant Sacramenta.

I V.

Insuper, qui saltem semel in anno omnia sua solus non confessus fuerit peccata proprio Sacerdoti, & Eucharistiæ receperit Sacramentum, nisi de ejus consilio ad tempus duxerit abstinendum, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura, juxta formam *Concilii Generalis*, quam præcipimus observari, & per Plebanos singulis diebus Dominicis per Quadragesimam suis populis prædicari.

V.

Quia propter Divini Officii continuum exercitium Sacerdotibus continue necessarium est pœnitentiæ Sacramentum; quia propter etiam superiorum absentiam dictis Sacerdotibus confitendi necessitatem contigerit imminere, nec ulla consuetudine potest introduci, quod quis præter sui superioris licentiam confessorem eligere valeat, qui eum possit solvere,vel ligare. Idcirco hac nostra licentia generali omnibus & singulis Sacerdotibus sæcularibus nostræ civitatis,& Diœcesis clementer indulgemus, ut quivis eorum & quotiens, & quem voluerit, valeat eligere confessorem, & unus alium absolvere, vel sibi invicem pœnitentias injungere, casibus Episcopalibus dumtaxat exceptis, valeant salutares. Hoc autem indultum extendi volumus ad Collegiatarum Ecclesiarum Clericos, qui circa confessorum electionem suorum Decanorum debent licentiam obtinere.

V I.

Nonnulli Presbyteri ignari, quanti erroris existat, licite tractare Divina, quæ sicut gloriam digne, præsumpta pœnam promittunt æternam, in eadem Ecclesia seu diversis, nulla necessitate urgente, sed ad solum quæstum, Missas celebrant bis in die; quod sub attestatione tremendi judicii, hac edictali constitutione singulis Presbyteris inhibemus, videlicet ne de cetero plusquam unam Missam, aut in casibus a jure permissis duas

duas una die quisquam cantare, aut legere cum sacrificii celebratione præsumat.

V I I.

Ne autem aliquem contra hanc nostram, & juris prohibitionem casuum prædictorum peccare contingat, casus eosdem sic duximus exprimendos. Licet enim in die Nativitatis Dominicæ Presbytero tres Missas juxta consuetudines Ecclesiæ celebrare, & alio quovis die duas, si funus est, vel si, una Missa celebrata, superveniat aliqua eminentis status persona; puta Princeps Ecclesiasticus, vel etiam sæcularis: hujusmodi autem cautela semper adhibita, ut in communione corporis Missæ post communionem, vini & aquæ perfusio non sumatur, quæ sumpta celebrationem aliam impediret. *JOHANNES.*

V I I I.

Ut animarum periculis occurramus, & Christi fidelium lege Diœcesana Nobis subditorum consulamus saluti, deliberatione præhabita, & cautelosa utilitate subditorum pensata, singulis Sacerdotibus, & ordinum suorum executionem habentibus curas, & regimina Ecclesiarum, seu Capellarum, quibus præsunt, cum potestate clavium ligandi suos subditos, & solvendi præsentis constitutionis auctoritate concessas, & permissas esse volumus, & concedimus ad cautelam, & ad hæc statuimus firmiter præcipiendo, ut in singulis nostræ civitatis & Diœcesis (*a*), quarum Sacerdotes populum regunt, & per exhibitionem Eucharistiæ communicare subditos consueverunt, habeatur de cetero oleum infirmorum, ne propter ejus ibidem carentiam aliquibus ultra deficiat Sacramentum. *JOHANNES.*

I X.

Felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi vestigiis inhærentes; juxta ejusdem Bonifacii constitutionem sive *Statutum sexti Libri*, quod incipit: *Gloriosus Deus*, Sanctæ Synodi approbatione præcipimus, ut singulis annis perpepetuo Beatorum Apostolorum, & Evangelistarum omnium, Sanctorum quoque Gregorii Papæ, Augustini, & Ambrosii Episcoporum, atque Jeronymi, Festa a Clero nostræ civitatis & Diœcesis, cum Officio de Festis per totum duplicibus instituto cum veneratione solenni, & debita peragantur, & ut tam salubre statutum diligentius observetur. *Idem.*

X.

Cum sit ars artium regimen animarum, curandum est, & sollicite providendum, ne imperiti, & insufficientes ad regimen hujusmodi assumantur. Sacræ enim Synodi approbatione statuimns, ut quicumque civitatis, & Diœcesis nostræ de cetero Clericus fuerit ad ordinem Sacerdotii de novo promotus, talis ut instruatur circa curam regiminis animarum, aliis Clericis uno, vel pluribus per exercitium ejusdem regiminis jam perfectis per biennium commoretur in suscepto Sacerdotii ordine ministrando, nec antea liceat curam alienæ Parochiæ regere, nisi id ei ex causa dispensative fuerit a Nobis permissum de gratia speciali. Ceterum Rectores Ecclesiarum talibus Sacerdotibus contra præsens nostrum Statutum Vicarios concedentes, & Ecclesiarum suarum curas committentes, sub eorundem Beneficiorum, quorum curas sic committunt, perceptione præsentis Statuti auctoritate suspensos esse volumus ipso facto, donec a Nobis super hoc restitutionem meruerint obtinere. *JOHANNES.*

X I.

Quoniam, ut ait scriptura, secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri, evidenter apparet, sine confessione vocis propriæ non dimitti peccata. Præcipit enim Dominus in Evangelio mundandis peccatoribus, ut ostenderent se Sacerdotibus. Docens corporali præsentia confitenda fore peccata non per nuntium, nec manifestanda per scriptum. Dixit enim: *Ite, monstrate vos*: non unus pro omnibus, non alium faciatis nuntium, qui pro vobis offerat munus, id est, confessionem sive pœnitentiam peccati; sed quæ per vos peccastis, per vos erubescatis. Idcirco præsenti edicto in perpetuum valituro districtius inhibemus, ne quis civitatis, & Diœcesis nostræ sua peccata confiteri præsumat per nuntium, vel scriptum, vel etiam absolutionis beneficium impetrare, prout quidam Clerici facere consueverunt, dum eis Missarum solemnia, vel

(*a*) *adde*: Ecclesiis

vel alia Divina Officia imminent facienda: nisi forte id exposcat causa rationabilis, quæ legitima fuerit secundum Canonicas Sanctiones; corporalem enim requirit præsentiam forma Sanctæ Ministris Ecclesiæ in absolutione observanda.

X I I.

Pro communi bono, & cultu Divino augmentando, statuimus, ut (*a*) promissarii, seu præbendarii Parochialium Ecclesiarum suis Plebanis, seu Vice-Plebanis reverentiam exhibeant, & Missis, Vesperis, Completoriis, & Matutinis in Festis, quæ cum novem lectionibus peraguntur, superpelliciati intersint, concelebrando eisdem Plebanis, cum per hoc ipsi promissarii ab otiis, & aliis illicitis retrahantur; quod sub pœna ab officio, & sub pœna solutionis denariorum pro qualibet prædictarum horarum neglectu, convertendorum ad magnas candelas ipsius Ecclesiæ, quæ ad elevationem accenduntur, ad quorum solutionem per Vicarium, vel Officialem nostrum ad denuntiationem Plebanorum compelli volumus, firmiter præcipimus observari. Ad quorum etiam coactionem per censuram Ecclesiasticam omnibus Archi-Presbyteris presentibus committimus potestatem. Præterea ut in diebus Dominicis, quibus Festa, & Superioris mandata publicantur, populus ad publicam Missam frequentius conveniat; statuimus, ut promissarii suas Missas in diebus Dominicis post Offertorium Missæ publicæ cantum dicant, ni aliud ex aliqua justa causa de voluntate Plebani procedat. *JOHANNES.*

X I I I.

Clandestina quoque matrimonia sub pœna excommunicationis fieri prohibemus, & per Plebanos prohiberi sub eadem pœna mandamus: sed fiant in facie Ecclesiæ cum bannis, & monitionibus juxta Concilium Generale. *BERTHOLDUS Episcopus.*

X I V.

Piæ memoriæ quondam Domini JOHANNIS Prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, dies Festos, & maxime Dominicos, quibus ab omni opere servili abstinendum est, in ea reverentia, qua jus, & Sanctorum Patrum decreta decernunt, fideliter præcipimus, & per Plebanos præcipi volumus observari. *JOHANNES.*

X V.

Statuimus & ordinamus, quod nullius cujuscumque Altaris Ecclesiæ majoris Presbyter, Præbendarius, vel Capellanus præsumat Missam cum nota, vel aliud Divinum Officium celebrare, antequam in Choro prædicto, in quo Divinum Officium est solemniter celebrandum, a quo etiam, quo ad Divinum Officium aliæ civitatis, & Diœcesis Ecclesiæ regulantur, Matutinum officium sit completum. Et quod nullus eorundem postquam prima in Choro prædicto fuerit inchoata, usque ad finem Missæ majoris, & sextæ, vel nonæ, quæ ipsæ Missæ continuantur, præsumant Missam, vel aliud Divinum Officium celebrare, vel inceptum cum nota aliquatenus terminare. Volentes contra hoc statutum facientes, postquam ad ipsorum notitiam pervenerit, sententiam excommunicanis incidant ipso facto.

X V I.

Præterea, quia frequenter Presbyteros noviter ordinatos, prout fama ad Nos referente pervenit, quis eorum prius ad celebrationem primæ Missæ in Ecclesia nostra admittatur, lites, & quod verendum est dicere; convitia oriuntur, ex quo populus scandalizatur; cum id ex radice avaritiæ procedere videatur, statuimus, & sub præsenti decreto pœna excommunicationis jam latæ sententiæ prohibemus, ne de cetero aliquis ad celebrationem primæ Missæ, qui non sit de civitate Argentinensi oriundus, vel qui non habuerit domicilium in ipsa, vel moram ut incola ibidem traxerit, admittatur, & ne admissus sub pœna prædicta Missam primam in Ecclesia Argentinensi celebraret quoquo modo. Verum quia avaritiæ vitium in religiosis maxime est succidendum: idcirco huic statuto adjicimus, quod de cetero nullus religiosus sub pœna prædicta, quam admittentem, & admissum incurrere volumus ipso facto, ad celebrationem primæ Missæ in Ecclesia nostra Argentinensi (*b*) nullatenus admittatur.

X V I I.

Ad hæc statuimus, & sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ prohibe-

(*a*) *fors*: præmissarii

(*b*) *fors*: ullatenus

hibemus, ne in posterum aliquis Clericus Beneficiatus, vel in Sacris Ordinibus constitutus cujuscumque conditionis, dignitatis, vel status existat, eundo per civitatem Argentinensem cinctus incedat desuper more laico, cultrum deferens in opprobrium mansuetudinis Clericalis, sed in honesto incedat habitu, sicut decet Ordinem Clericalem.

XVIII.

Inhibemus præterea omnibus Prælatis, Canonicis, Presbyteris, Præbendariis, & Capellanis nostræ majoris, & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum civitatis Argentinensis, licet Choris Ecclesiarum non sint adstricti sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ, ne de cetero ipsas Ecclesias sine religione, id est, superpellicio ingredi præsumant, donec in Choris earundem Ecclesiarum Divina peraguntur. *JOHANNES.*

XIX.

Officia Sacristæ sive ad Clericos, sive ad laicos eorum collatio, vel receptio pertineat, gratis & sine datione vel promissione pecuniæ, vel alterius rei temporalis personis idoneis conferantur, quæ velint, & possint idoneum officium hujusmodi adimplere, & de ornamenta Parochiæ conservando præstare idoneam cautionem. Qui etiam Sacristæ ab hujusmodi officio, nisi ex causa rationabili, & coram Ecclesiastico Judice non valeant amoveri. Superpelliciis quoque, & camiseis albis tempore Divinorum utantur; quæ sub excommunicationis pœna præcipimus observari. *FRIDERICUS Episcopus.*

XX.

Eucharistiam, Baptismum, Oleum Sanctum, Chrisma, Corporaliaque, Pallas, & Ornamenta Ecclesiastica præcipimus sub forti, & tuta custodia mundissime observari: ut quanto specialius hoc injungitur, tanto in hoc excedendo periculosa negligentia severius puniatur. *Idem.*

XXI.

Cum Sacri Canones statuerunt alienationes rerum Ecclesiasticarum maxime in manibus laicorum sine debita juris solemnitate fieri non debere: & si secus fieret, quod etiam alienatio non teneat ipso jure, alienationes hujusmodi nihilominus puniendo, monemus & hortamur Prælatos, & alienatores rerum Ecclesiarum quoscumque, ut alienata præter debitam juris solennitatem, ad Monasteria, & Ecclesias suas revocent infra mensem: alioquin si quos tales inveneri- mus, ultionis cautioni subjacebunt.

XXII.

Præterea omnes ementes prædia, vel res immobiles Monasteriorum, vel Ecclesiarum absque auctoritate Superioris, vel præter consensum Capituli, vel Conventus, præter alias juris pœnas hoc Sacro Concilio excommunicationis sententiæ innodamus; contra tales nihilominus procedi debere pro restitutione bonorum hujusmodi per sententias interdicti mandamus.

XXIII.

Insuper Prælatis religiosis, ne aliqua debita sine Capituli, vel Conventus consensu inter Judæos sub usuris recipiant, prohibemus: decernentes ad solutionem hujusmodi Monasteria non teneri, immo sponsores, obligatores, seu fidejussores se pro Prælatis hujusmodi inter Judæos contra prædicta obligantes, nullam habere contra Monasterium, nec contra ipsum Prælatum penitus actionem, ac cautiones super hac factas, sub quibuscumque pœnis carere juribus declaramus. Inhibemus omnibus Judicibus, ne ad instantiam Judæorum juxta hujusmodi cautiones procedant, Notariis quoque & Sigilliferis, ne hujusmodi contractus conscribant vel sigillent, sub pœna privationis officiorum suorum districtissime prohibemus.

XXIV.

Item, quia ex eo, quod calices inter Judæos obligantur, quædam nefandissima per ipsos crucis Christi inimicos dicuntur esse commissa in contumeliam Fidei Christianæ; idcirco ad evitandum periculum tam damnosum, sub pœna excommunicationis inhibemus omnibus nobis subjectis, ne de cetero calices aliquos consecratos Judæis obligare præsumant, vel obligationibus consentiant, aut eas procurent: alioquin contra facientes excommunicationis sententiam, quam in his scriptis proferimus, incurrere volumus ipso facto: & nihilominus talem obligationis contractum decerni-

mus

mus non valere. *FREDERICUS ex Concilio Herbipolensi.*

X X V.

Ementes bona feudalia, quæ ad Ecclesias, seu personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum nomine jure directi Dominii pertinent, ac vendentes, cum ea sine consensu Ecclesiarum & personarum hujusmodi alienare nequeant, Ecclesiarum indemnitatibus providendo, tali volumus & statuimus pœna multari, ut ementes vel alienantes Clerici vel laici, sive sint Religiosi, vel Clerici sæculares, qui sine consensu eorum, qui super hoc requirendi sunt, hujusmodi bona feudalia emerint, vel alienaverint, excommunicationis sententiæ, quam ex nunc proferimus, subjacebunt ipso facto: & bona ipsa, ad quos directum Dominium pertinet, applicentur. *FREDERICUS.*

XXVI.

Prohibemus etiam, ut nullus propter debitum, aut fidejussoriam obligationem singularis personæ alicujus Ecclesiæ Ecclesiastica bona capiat, quæ ad Ecclesiam seu Capitulum Ecclesiæ communiter pertinent; & qui contra fecerint; nisi moniti infra quindenam a die monitionis numerandam restituerint Ecclesiæ vel Capitulo, ad quos pertinent, excommunicationis sententiæ, quam ex nunc proferimus, subjacere volumus ipso facto. *FRIDERICUS de Concilio Herbipolensi.*

XXVII.

Nulli de cetero, qui cum Advocatis Ecclesiarum guerras habent vel retinent, bona Ecclesiarum, quarum ipsi Advocati defensores existunt, prætextu guerræ, quam habent cum eis, subripiant, aut Ecclesias illas, vel villas earum & loca incendio, vel hostilitate devastent, aut homines earum spolient suis: & qui contra fecerint, ipso facto, excommunicationis sententiam, quam in his scriptis proferimus, incurrent, nec absolvi valeant ab eadem, nisi, qui deliquerunt, sufficienter emendent. *Idem in Concilio Herbipolensi.*

XXVIII.

Laicos in nonnullis partibus prætextu fabricæ Ecclesiæ reparandæ per laicos sine consensu Prælatorum, seu Capitulorum Ecclesiarum hujusmodi ad recipiendum oblationes, seu proventus alios concessos fabricæ, deputatos, præsentis constitutionis tenore ejusmodi officio ex nunc esse volumus privatos, & alios laicos, vel Clericos sine prælati Ecclesiarum reparandarum assensu prohibemus in posterum ordinari, cum vituperosum existat, ut laici Prælatis, & Capitulis Ecclesiarum invitis, bona Ecclesiæ ministrent. Et qui contra fecerint, & moniti infra mensem ab hoc officio non cessabunt, excommunicationis sententiæ, quam in his scriptis proferimus, eo ipso esse volumus innodatos. *JOHANNES.*

XXIX.

Sunt nonnulli, qui anno gratiæ pro relaxatione debitorum in functionibus Beneficiorum defunctis Clericis concesso damnabiliter abutuntur, fructus ipsius anni consanguineis suis, vel aliis, quibus voluerint, relinquentes: ex quo provenit duplex injuria, Ecclesiæ scilicet & personæ. Fraudantur etiam per dictum anni spatium servitore, privatur persona succedens in percipiendis fructibus jure suo: quod de cætero fieri prohibentes, Sacro approbante Concilio, statuimus pro relevatione debitorum, quæ aliunde solvi non possint, anno gratiæ Clerici non utantur, vel nisi ipsius anni fructus pro alia pia causa relinquant Ecclesiæ, a qua idem Beneficium habuisse noscuntur, alias in præsentias ipsius Ecclesiæ pro defuncti anniversario convertantur.

XXX.

Inhibemus etiam, & sub pœna excommunicationis & privationis Beneficiorum interdicimus, ne quis Sacerdos, etiam habens Parochiam vel Præbendam de cetero Vicariam aliquam recipiat, & retineat cum hujusmodi Præbenda vel Ecclesia. Si quis etiam contra præsentis inhibitionis tenorem Vicariam hactenus est adeptus, illam resignet, cum illud contrarium sit Canonicæ sanctioni. *Idem ex Concilio Herbipolensi.*

XXXI.

Presbyteris duas recipere Vicarias prohibemus omnino, cum impossibile sit, quod Ecclesiis possint servire duabus; & qui contra fecerint, prima Vicaria ipso facto, & de secunda, quamdiu pri-

primam tenuerit, proventibus fit privatus, quos in utilitates ipfius Ecclefiæ per Nos vel Officialem noftrum, vel loci Archi-Diaconum decernimus convertendos. *Idem.*

XXXII.

Item, fub pœna excommunicationis prohibemus, ne quis aliquem Vicarium ab Ecclefia fua fine caufa fufficienti vel legitima prius cognita, & de qua coram fuo Judice fit convictus, removeat, & fi fecus factum fuerit, id irritum decernimus, & prefumtores animadverfione debita puniendos, nec e converfo Vicarius fine caufa deferat Vicariam. *Idem.*

XXXIII.

Sub pœna excommunicationis prohibemus, ne quis Sacerdotum alium quemquam Vicarium in fua Vicaria fupplantet, maxime pecunia mediante; quod fi fecus a quoquam factum fuerit fub effectu, falvis aliis pœnis juris, ipfum præfumtorem eo ipfo admittere nolumus habitum & ambitum. Quia vero quorundam Rectorum præfumtuofa temeritas in præfentis noftræ inhibitionis elufionem quædam pacta vel juramenta nituntur invenire: idcirco ad eorum malitiam comprimendam, ftatuimus, quod, fi cum Rector Ecclefiam, aut Vicarius Vicariam adepti fuerint, aliqua pacta vel juramenta huic ftatuto derogantia fecerint, neglecta ea pro vanis & irritis habeantur, fed talia promittens vel jurantes pro incautis promiffionibus & temerariis juramentis pœnitentiam agere teneantur. *Idem.*

XXXIV.

Item fub pœna excommunicationis prohibemus Rectoribus, Capellanis, & Vicariis Monafteriorum & Ecclefiarum noftræ civitatis & Diœcefis, ne Quæftores quofcunque in Ecclefiis fuis admittant, nifi noftras fpeciales litteras deferentes, vel ne quibufcumque utentes privilegiis, in locis interdictis ad celebrationem Miffarum admittant, nifi hoc eis committatur de licentia Judicis aut Executoris, qui pofuit interdictum, aut Superioris poteftatem fuper eos habentis. Item ad prædicandum iidem Quæftores non admittantur, fed per Sacerdotes Ecclefiarum & Oratoriorum, a quibus requirunt fubfidium, caufa adventus eorum, & petitio proponatur. Quod fi litteras noftras etiam habuerint, quod per fe poffint proponere facta fua, hoc fimpliciter faciant, abfque cavillationibus & confictis mendaciis, quæ Divinam Majeftatem offendunt. Alioquin per Plebanos impediantur fecure: quæftoribus ipfis, fi contra hoc Plebanos vexare nifi fuerint, in expenfis omnimode condemnandis. *FREDERICUS.*

XXXV.

Quia juris ordo confunditur, fi jus fuum unicuique non fervatur, ftatuimus & ordinamus, ut cum perfonæ Ecclefiafticæ quæcumque Regulares vel fæculares, cujufcumque ordinis vel ftatus exiftant, alterius Ecclefiæ Parochianum per electionem ejufdem Parochiani rite & jufte factam ad fuam Ecclefiam vel cimiterium fufceperint tumulandum, Rectori ejusdem Parochiæ de obventionibus quibufcumque & quomodocumque relictis, & occafione ejusdem funeris provenientibus fecundum Statuta Canonica quartam partem infra quindenam poft ejusdem funeris tumulationem ad requifitionem dicti Rectoris integre perfolvere teneantur. Alioquin falvis aliis juris pœnis, omnes, qui in dicta quarta folvenda in termino prædicto fe negligentes exhibuerint, aut alias ac dictis Rectoribus non concordaverint, per cenfuram Ecclefiafticam præcipimus coerceri.

XXXVI.

Ut Chrifti militia laudibus deputata Divinis, vita, geftu, moribus & habitu a genere difcernatur laicali, diftricte præcipiendo ftatuimus, ut Prælati, Sacerdotes, & alii Clerici noftræ civitatis & Diœcefis, cujufcumque gradus vel conditionis exiftant; veftes deferant, brevitate non culpabiles, aut notabiles ornatu fuperfluo aut colore. Infuper quorundam Clericorum odibilem deteftantes abufum, qui contra Clericalis honoris præeminentiam caligas rubei, gilvi, aut viridis coloris portare præfumunt. Nos id de cetero fieri prohibentes, fub pœna excommunicationis omnes & fingulos Clericos noftræ civitatis & Diœcefis, cujufcumque ftatus, ordinis, aut dignitatis exiftant, qui de cetero tales caligas geftare præfumpferint, vel qui clamy-

clamydes, aut alias suas vestes geminis aurifrigiis, (a) quæ vulgariter bortum dicuntur, nodulis, aut aliis superfluitatibus auri vel argenti ornaverint, & qui hujusmodi tam præsumtuosa non deposuerint, infra proximas octo dies, statuimus propter hoc excommunicationis sententia puniendos. *FREDERICUS Episcopus.*

XXXVII.

Clerici quidam ipsa facti ostensione proprii status honorem obfuscare intendentes, coronam & tonsuram condecentes, quæ principalis decor existunt Ordinis Clericalis, deferre contemnunt. Nos igitur cupientes huic morbo adhibere remedium opportunum, sub pœna excommunicationis præcipimus, ut singuli Clerici nostræ civitatis & Diœcesis coronas & tonsuras deferant condecentes, qui vero contrarium fecerint, cum a quocunque Judice Ecclesiastico vel sæculari quicquam pro eis tanquam pro Clericis fuerit judicandum, quantumcunque vestibus utantur simplicibus, & alia insignia deferant Clericatus: nulla tamen possessione Clericatus fungantur, nec ut Clerici judicentur, nisi per susceptionem Ordinum sufficientibus & idoneis probationibus se vere Clericos esse probent. Coronam autem intelligimus condecentem, quæ debito capitis loco posita, congruam habens latitudinem, cooperta non est crinibus revolutis. *BERTHOLDUS.*

XXXVIII.

Ad hæc cum nonnulli Sacerdotes Divinum agentes Officium comam & crines nutriant nimis longos contra decentiam Sacerdotalem & Sanctorum Patrum Decreta, quæ Clericos tonso capite, & patentibus auribus præripiunt ministrare, statuimus, ut quicumque Sacerdos in Sacerdotali officio ministrans visus fuerit comam nutrire, in tantum, quod auriculam coma nimis excedat, in decem solidis denariorum dandis per Clericos Argentinenses, ad ornamenta chori Ecclesiæ nostræ Argentinæ per Officialem nostrum, si per effectum coram eo committi poterit ad denuntiationem per cu.... Fabricæ, vel cujusvis alterius condemnetur. In Diœcesi vero in Collegiatis Ecclesiis in simili pœna ad usum ruralis Capituli per Archi-Presbyterum condemnetur. Archi-Presbyteris enim, pro illa & alia Clericali decentia, sive vestium, sive crinium arcendi Confratres suos etiam censuram Ecclesiasticam damus, & concedimus præsentibus potestatem: nec volumus aliquos per se stare in Diœcesi Sacerdotes extra Confraternitates, quæ eisdem Archi-Presbyteris non subsint, sed omnes ad ipsorum convocationem convenire per ipsos etiam per censuram hujusmodi arceantur, excommunicatos vero vel suspensos per eos ante denuntiationem ipsi Archi-Presbyteri absolvere possint, postea vero nonnisi per Nos, vel Archi-Diaconum suum, vel Officiales nostros absolvi valebunt. *Idem.*

XXXIX.

Attendentes quantum ex eo, quod Clerici, præsertim Beneficiati civitatis & Diœcesis nostræ vestibus partitis & virgatis utuntur, Ecclesiæ ac in Clero & populo scandalum generetur, & quod qui a paucis Nobilibus incipitur, per plebejorum & salsamentariorum filios trahitur in exemplum: ad tollendam pestem hujusmodi, taliter perpetuo edicto duximus statuendum, ut quicunque Clericus beneficiatus, vel in sacris Ordinibus constitutus, civitatis & Diœcesis nostræ de cetero vestes partitas gestare præsumpserit vel virgatas, si cujusvis Ecclesiæ, aut Ecclesiarum nostræ civitatis & Diœcesis fuerit Canonicus præbendatus, tamdiu fructu præbendæ suæ, & voce Capituli careat, in eisdem Collegiatis Ecclesiis, quousque depositis hujusmodi vestibus, Decano suo cautionem faciat de non utendis vestibus hujusmodi per fidem nomine juramenti; si vero nullius Collegiatæ Ecclesiæ Canonicus fuerit, sed cujusvis Ecclesiæ, vel Ecclesiarum Rector, vel Capellæ, aut alterius Beneficii cujuscumque ad solvendum, tali, postquam super hoc denuntiatus fuerit, decimas, vel quasvis obventiones Ecclesiæ, vel Capellæ, aut alterius Beneficii sui super hujusmodi decimis vel obventionibus audientia (b) præbeatur, sed debitores hujusmodi decimarum ipsas partim ad Fabricam illius Ecclesiæ vel Beneficii, partim pauperibus ejusdem loci, in quo situm est Beneficium, solvere teneantur, quousque Nobis vel Decano majoris Ecclesiæ vice nostra Bene-

(a) aurifrigium: fimbria aurea.

(b) *forte:* non, *addendum.*

Beneficiatus de non utendis veſtibus hujuſmodi caverit ſimiliter per fidem nomine juramenti. Si vero nullum Beneficium habeat, ſi in Sacris conſtitutus Ordinibus, quindecim dierum monitione præmiſſa, ſi hujuſmodi veſtibus de cetero uti præſumpſerit, in excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto. *FREDERICUS.*

XL.

Uſum tabernarum, præterquam in itinere conſtituti, & ne tabernas in domibus ſuis teneant, ludos quoque taxillorum ad hasbardum, & huic ſimilia in locis publicis & inter laicos, omnes & ſinguli Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ noſtræ civitatis & Diœceſis, præſertim in Prælaturis, & in Sacris Ordinibus conſtituti ſibi Sacræ noſtræ Synodi prohibitione ſub pœna excommunicationis noverint interdictos. *FREDERICUS de Concilio Herbipolenſi.*

XLI.

Haſtiludia & torneamenta Clerici, qui ſunt in dignitatibus & perſonatibus, ſeu in Sacris Ordinibus conſtituti hoc edicto perpetuo ſibi noverint interdicta: ita, quod nulla perſona Eccleſiaſtica in dignitate ſeu perſonatu, aut in ſacris Ordinibus conſtituta cum armis ipſam exerceat: & qui contra fecerint, excommunicationis vinculum, quam in his ſcriptis proferimus, incurrere volumus ipſo facto. *Idem.*

XLII.

Deteſtabile etiam vitium concubinatus a Clero exterminare cupientes, hoc edicto perpetuo ſtatuimus prohibendo, ne aliqui Clerici Regulares vel ſæculares huic crimini de cetero ſe involvant. Si qui vero contra hanc noſtram prohibitionem concubinas ad ſuam procurationem ſibi de cetero aſſumſerint, in domo vel extra, ita, quod eorum circa hoc notorius ſit exceſſus, excommunicationi, quam ex nunc proferimus, ſubjaceant ipſo facto. Ad hæc juxta tenorem Provincialis Concilii in Clericis, qui retinendo publice concubinas & famam negligunt, & reverentiam maculant Clericalem, more pii patris, non perſonas, ſed perſonarum vitium deteſtantes, eorum ſaluti ſic duximus providendum, quod qui deinceps retinere præſumſerint publice concubinas, vel novas focarias acquirere, ſuis ſint privati Vicariis & Beneficiis ipſo facto: quas & illi, ad quos collatio pertinet, conferre aliis perſonis idoneis teneantur. *Idem.*

XLIII.

Inſuper omnibus Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque noſtræ civitatis & Diœceſis maxime in Sacris Ordinibus conſtitutis ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne ſe ex Clericis faciendo mercatores notabiles, negotiis ſæcularibus ſe immiſceant, vel negotiationes, aut mercimonia exerceant quoquo modo. *Idem.*

XLIV.

Armorum uſum ab omnibus Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis evitandum: injungentes eiſdem, ne quis ſine inevitabilis neceſſitatis cauſa, aut noſtra licentia ſpeciali arma deferre præſumat, ne contra tranſgreſſores per excommunicationis ſententiam, exigente juſtitia, procedere compellamur, & ne ipſos exuamus privilegio Clericali, quantum ad Canonem de injectione manuum in Clericos violenta. *Idem.*

XLV.

Item prohibemus Clericis quibuscumque, ne in contractibus quos faciunt, ſic ſe obligent vel paciſcantur, ut ſi forſan, quod promittunt, adimpleant, Eccleſiæ ipſorum ſupponantur Eccleſiaſtico interdicto. Quæ pacta decernimus non valere, quia delictum perſonæ non debet in Eccleſiam, vel ſubditos redundare. *Idem.*

XLVI.

Item apoſtatas omnes Monachorum & Monialium quarumcumque Religionum, & Canonicorum Regularium in noſtra civitate, & Diœceſi degentes, manifeſtos, & occulte latitantes, & eos, qui ſcientes tales in Eccleſiis ſuis tenent, & recipiunt, præſentibus excommunicamus, præcipientes omnibus Decanis Conventualibus, Archi-Presbyteris, & Decanis ruralibus, quatenus nomina dictorum apoſtatarum, & Clericos peregrinos in ſuis terminis commorantes, inter quos etiam non ordinati Divina, quantum in eis eſt tanquam veri idololatræ profanant; ſollicite perquirant: quorum nomina in-

fra unius menſis ſpatium Nobis repræſentent. *FREDERICUS ex Concilio Herbipolenſi.*

XLVII.

Ad hæc præſenti decretò in perpetuum valituro decernimus, ut nullus Prælatus, ſeu alia quævis perſona Eccleſiaſtica cujuscumque ſtatus, vel dignitatis exiſtant, hiſtrionicas veſtes de cetero ferre præſumant. Et qui contra fecerint, ſententiam excommunicationis quam ex nunc præferimus, incurrant ipſo facto. *JOHANNES.*

XLVIII.

Omnibus Clericis Nobis ſubjectis Parochiales Eccleſias, nec non etiam Collegiatas officiantibus, in virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, ut ipſi Dominicis, & aliis, quibus Feſta novem lectionum aguntur diebus, intra Eccleſias ſuas horas Canonicas cum nota, vel ſaltem ſine nota ſtudeant canere, vel orare. Quod etiam præcipimus fieri in diebus privatis, quando eis opportunitas id permittit.

XLIX.

Item in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, ne quis inter laicos, & commeſſationes frequenter, vel locum commeſſationis, qui vulgariter dicuntur Trinckſtuben teneat, cum ſicut per experientiam didicimus, Clerici per eorum frequentiam, & communionem ſæpius maculentur.

L.

Item invenimus, quod nonnulli pro Clericis ſe gerentes, cappas ſeu habitum Monachalem deferant: qui tamen nullius approbatæ regulæ habitum ſunt profeſſi, quod de cetero fieri prohibemus. Et generaliter omnes in his ſcriptis præcipimus & monemus, ut infra quindenam a publicatione præſentium numerandam, habitum ſic præſumptum deponant, & in habitu Clericis ſæcularibus ſe conforment, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ſuo, quam in facientes contra hanc noſtram prohibitionem ex nunc prout ex tunc proferimus in his ſcriptis. Et inſuper diſtricte inhibemus, ne aliquis noſtræ civitatis vel Diœceſis Clericos tales præſumptores ad hoſpitium recipiat, quos ab omnibus arctius præcipimus evitari.

L I.

Item ſub pœna ſuſpenſionis ab officio latæ ex nunc in his ſcriptis a Nobis ſententiæ inhibemus, ne aliquis Clericus noſtræ civitatis, & Diœceſis Altare ſuum ad quod intitulatus eſt, per alium officiet, niſi id ei ex cauſa rationabili, & legitima fuerit diſpenſative permiſſum. Quo caſu non per aliquem religioſum, cujuscumque etiam religionis exiſtat, ſed per ſæcularem Clericum officii ſui executionem habentem, ſuppleat vices ſuas ſub pœna prædicta; quam contra facientes incurrere volumus ipſo facto. Hac autem prohibitione volumus comprehendi Sacerdotes Parochias regentes, qui quotiens ingruit neceſſitas executionis officii ſui, religioſos requirunt.

L I I.

Item ſub pœna ſuſpenſionis prædicta de cetero prohibemus, ne aliquis Clericorum in ſua Eccleſia, vel Altari quempiam alienum Sacerdotem de novo promotum ad celebrandum primam ſuam Miſſam pro lucro, vel ſub ſpe lucri ſive colore admittat pacto aliquo præcedente, & ne aliquis Collegiatæ Eccleſiæ cujuscumque ſæcularis vel regularis, aut cujuscumque religionis Sacerdos Miſſam hujusmodi, videlicet primam extra Eccleſiam Collegii ſui, & conventus celebrare præſumat, cum id non videatur ſine avaritiæ nota præſumi.

L I I I.

Item ſpiritualibus Sororibus omnium incluſorum, ac generaliter omnibus aliis perſonis familiariter conductis pro obſequio Monaſteriorum, & locorum Religioſorum cujuscumque ordinis noſtræ civitatis & Diœceſis, qui cum regularem profeſſionem non fecerint; præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ex nunc a Nobis ſententiæ, quam Canonica monitione præmiſſa præſentibus ferimus in rebelles, ut Sacerdotibus, in quorum Parochiis conſiſtunt, ſicut ceteri eorum ſubditi ſubſint, & eis obediant, & intendant, niſi poſt menſem poſt publicationem præſentium, quod ad id non teneantur, legitime doceant coram Nobis.

L I V.

Item ſub pœna ſuſpenſionis ab officio latæ ex nunc in his ſcriptis a Nobis

bis Canonica monitione præmissa sententiæ in contrarium facientes inhibemus, ne aliquis Sacerdos, cujuscumque status vel religionis existat, alterius Sacerdotis subditum sine ipsius licentia recipiat ad confessionem, vel ei Ecclesiastica Sacramenta ministret, nisi necessitas exigat, vel id alicui competat ex privilegio vel indulto, de quo prius dictum fuerit coram Nobis.

L V.

Item sub pœna excommunicationis ex nunc canonica monitione præmissa in his scriptis latæ a Nobis sententiæ inhibemus, ne aliquis Sacerdos nostræ civitatis,& Diœcesis aliquam Missam celebret, Sacerdotalis Præbendæ perpetuæ, quæ non est de nostra auctoritate modo debito instituta, & per nostras litteras approbata.

L V I.

Item omnibus Sacerdotibus Nobis subjectis Parochias regentibus [illegible] virtute sanctæ obedientiæ injungimus firmiter & districte, ut ipsi singulis diebus Dominicis infra Missarum solemnia, dum fiunt sermones ad populum, Symbolum sanctæ Fidei Christianæ populis suis in vulgari prædicent & exponant.

L V I I.

Ad hæc inhibemus, ne in baptizandis infantibus ad levandum de Sacro Fonte plusquam duæ vel tres ad majus admittantur personæ, pro quolibet baptizando: cum sicut experientia docet, periculosa impedimenta multotiens exinde proveniant matrimoniis contrahendis. *BERTHOLDUS.*

L V I I I.

Avaritiæ vitium, quod a compaternitatibus novimus frequentari, exstirpare cupientes, & Monasteriorum indemnitatibus providere, districte inhibemus omnibus Abbatibus, Abbatissis, & quorumvis Monasteriorum Prælatis, ne aliquorum compatres fiant: sed si fierent causa rationabili exigente, tunc, ne aliquid ea de causa tunc, vel postea dent, vel solvant per se, vel per alios, sub pœna excommunicationis districtissime inhibemus. *JOHANNES Argentinensis Episcopus.*

L I X.

Item, quia nonnullæ sunt personæ in Sacris Ordinibus etiam constitutæ, & aliquæ etiam eorum Beneficiatæ officium tabellionatus exercentes, quarum personarum instrumenta, non solum in civilibus, sed etiam in Ecclesiasticis negotiis tanquam publica recipiuntur, licet de earum auctoritate, & de aliis, quæ circa constitutionem tabellionis requiruntur, minime Nobis constet: quod pernitiosum Nobis existit. Nos circa hoc adhibere volentes medelam, statuimis, ut hujusmodi personæ gerentes se pro tabellionibus publicis, pro tabellionibus in civitate & Diœcesi nostra in judicio, vel extra in antea nullatenus admittantur, nec earundem personarum instrumenta tanquam publice recipiantur, nec fides talibus instrumentis adhibeatur, nisi prius de auctoritate ipsarum, & de aliis, quæ circa hoc fuerint necessaria, doctum fuerit legitime coram Nobis: injungentes omnibus subditis nostris sub pœna excommunicationis, quam in omnes ferimus, qui præsenti mandato nostro non paruerint: Canonica tamen monitione præmissa, ut instrumenta earundem personarum tamquam publica non recipiant, nec eis tanquam publicis utantur, nihilominus injungimus personis prædictis pro tabellionibus se gerentibus sub pœna prædicta: ut abstineant ab instrumentorum hujusmodi confectione tamdiu, quousque de earum auctoritate & aliis, ut præmittitur, Nobis facta fuerit plena fides, quibus etiam medio tempore officium tabellionatus interdicimus per præsentes. *FREDERICUS.*

L X.

Quoniam inter crimina Ecclesiastica simoniaca hæresis primum locum obtinet, nos dictam hæresim maxime a personis Ecclesiasticis Regularibus, & sæcularibus extirpare volentes, scripto præsenti excommunicamus omnes, & singulos vendentes Ecclesiastica Sacramenta, videlicet Baptismum, Eucharistiam, Unctionem extremam, Pœnitentiam, ac alia Sacramenta, nec non benedictionem nubentium, & Ecclesiasticam sepulturam. Illos sententia nostra complectentes, qui aliquod prædictorum negligunt impedire, quique super certa re danda, vel facienda cum eis conveniunt, qui ea exposcunt, cum gratis & absque omni pacto dona,& Sacramenta prædicta debeant exhiberi. Nec prætextu alicujus quantumcunque longevæ consuetudinis, immo potius cor-

ruptelæ, antequam impendantur, aliquid exigi, vel pacisci permittimus. Licet eis exhibitis volumus, prout jure cautum est, laudabiles consuetudines observari: similiter excommunicamus omnes & singulos vendentes, & pro eis aliquid dantes vel recipientes, investituras, seu institutiones, præsentationes & concessiones, seu collationes Dignitatum, Officiorum, Rectoriarum, Vicariarum in Monasteriis, Ecclesiis, & quibuscumque aliis nostræ civitatis & Diœcesis Oratoriis & Capellis. Quia vero occasione sigilli sigillationes Archi-Diaconorum, & aliorum Prælatorum in hujusmodi potestatem habentium frequenter excedunt; in Beneficio valoris decem librarum redituum ultra quinque solidos, valoris vero decem marcarum ultra unam libram; valoris viginti ultra duas libras, & sic ascendendo recipi prohibemus: ita quod ultra quinque libras quantumcumque magnum sit Beneficium recipere non præsumant; alioquin contrarium facientes pœna prædicti statuti involvi censemus. Si vero nil vel minus receperint, salubrius judicamus. *Idem.*

L X I.

Interdicimus etiam Judicibus Ecclesiasticis ordinariis, delegatis, arbitris, & compromissariis quibuscumque, ne Dei timore postposito, & legum pœna, ac canonica suspensione non curatis, per sordes vel pactiones illicitas pecunia, vel alia promissione quacumque procurante sententias vel pronuntiationes quascumque sibi in causis commissis dare vel proferre præsumant. Alioquin omnes contra facientes, salvis aliis pœnis a jure statutis, excommunicationis sententiam, quam scripto præsenti proferimus, incurrere volumus ipso facto. *Idem.*

L X I I.

Item, ab omnibus Christi-Fidelibus utriusque sexus, & præcipue personis Ecclesiasticis sortilegia, orationes, perversas incantationes, seu quælibet alia maleficia fieri prohibemus. Si quis vero in prædictis forefactis se reum cognoverit, ab hujusmodi pravo & perverso usu de cætero abstineat cum effectu, & infra octo dies a propriis Sacerdotibus quærant, & recipiant pœnitentiam de commissis: alioquin omnes & singulas personas hujusmodi pravos & perversos actus committentes, & de jam commissis satisfacere negligentes, ac omnes eisdem consentientes, vel etiam auxiliantes, ipso facto excommunicationis sententia, quam in his scriptis proferimus, volumus innodari. *JOHANNES.*

L X I I I.

Quia Patroni Beneficiorum Ecclesiasticorum bona nonnunquam Rectoris defuncti auferre præsumunt, quæ potius occupare volentibus, defensare tenerentur, ne de cetero talia attentare præsumant, districtius inhibemus, ac ipsos Patronos, si secus fecerint, mandaverint, aut factum suo nomine ratum habuerint, suspendimus ipso facto a præsentatione Capellæ, seu cujuslibet alterius Beneficii, cui talem injuriam irrogarunt, & si in tali suspensione perstiterint ultra tempus ad præsentandum definitum: interdicimus, sicut debemus ex jure ad Nos per negligentiam devoluto, Rectorem instituere in eodem. *Idem.*

L X I V.

Item, quia plerumque plures Clerici a diversis Patronis ad Beneficia in discordia præsentantur, ac unus Patronorum Clericum ab altero Patrono præsentatum capit, vulnerat, & occidit, seu alio suo nomine, ipso Patrono hoc mandante suo nomine, factum ratum habente, unde ne tam detestabile vitium in nostra civitate vel Diœcesi ultra sibi locum vendicet, sacræ approbatione Synodi statuimus & ordinamus, qui in præmissis, aut alio ex eis notorie culpabilis repertus fuerit, ipso facto a jure Patronatus perpetuo cadat, si quod sibi competiit, & competere poterat in eodem.

L X V.

Item statuimus, ut si Clericus ad Beneficium Ecclesiasticum in discordia præsentatus suum adversarium captivat, vel vulnerat, aut hoc fieri mandat, vel hoc suo nomine factum ratum habet, ipso facto a jure cadat, si quod sibi competiit, vel competere poterat in Beneficio illo, ad quod extitit præsentatus, salvis pœnis aliis contra tales malefactores & præcipue occisores promulgatis & promulgandis. *Idem.*

L X V I.

Præterea Statutis *Provincialis Concilii* inhærentes, excommunicamus Clericos, Monachos, Canonicos sæculares & regulares universos, qui colligationes, conspirationes, sive confœderationes ullas fecerint, fidei vel juramenti interposita cautione, sive in electionibus faciendis, sive pro aliis quibuscumque negotiis contra Canonicas Sanctiones: cum ex hujusmodi colligationibus suboriantur discordiæ, quæ Ecclesiasticam disciplinam dissolvunt, bona Ecclesiarum dissipant, & pericula pariunt animarum. Volentes ex colligatione, conspiratione, seu confœderatione hujusmodi neminem obligari. Eadem quoque excommunicationis sententia innodamus eos, qui conjurationes, conspirationes, sive confœderationes tales fecerint, vel fieri procuraverint, nisi sine difficultate & dilatione qualibet ab invicem se absolvant. Et quicunque detecti fuerint, confœderationes hujusmodi attentare; si Monachi fuerint, vel Canonici regulares, de suis Monasteriis tamquam membra putrida excludantur. Quia vero conspiratores hujusmodi occasione utilitatis Ecclesiæ suæ vel Monasterii in hujusmodi facinoribus defendere se nituntur, omnes conspirationes hujusmodi, quæ occulte & sine scitu & auctoritate Superioris eorum suæ cognitionis decretum interponentis attentatæ fuerint, sub prohibitione prædicta decernimus comprehendi, cum alias esset verbis lex imposita, & non rebus. *FREDERICUS ex Concilio Herbipolensi.*

L X V I I.

Eos, qui Dei timore postposito Clericos, seu personas Ecclesiasticas occidunt, vulnerant, mutilant, prosternunt, capiunt, aut captos retinere præsumunt & sententiam, quam incurrunt latam a Canone, non verentur, adjectione hujusmodi pœnæ volumus coherceri, videlicet, quod Prælati, & Rectores Parochiarum in locis in quibus captivantes, & captivos detinentes ipsi degunt, & Clerici capiuntur, & captivi tenentur, ipsos captivantes, & captos tenentes excommunicatos denuntient publice singulis diebus Dominicis & Festivis, nisi postquam requisiti fuerint, eos infra octo dies dimiserint, & in locis, ubi capti Clerici, vel personæ Ecclesiasticæ detinentur, tamdiu scientes cessent a Divinis, quamdiu in locis fuerint sic captivi. Quodsi contra fecerint, tamquam eorum maleficiorum participes excommunicatos esse volumus ipso facto. *FREDERICUS ex Concilio Herbipolensi.*

L X V I I I.

Nonnulli, qui se Ecclesiarum asserunt esse advocatos, non solum Ecclesias ipsas, sicut tenentur, ab oppressionibus non defendunt; sed Ecclesiarum suarum bona violenter diripiunt, ac personas ipsarum multipliciter inquietant. Et si advocatus quatuor pluresve filias habeat, quod est tamen intolerabile, omnes se repræsentant in direptione rerum Ecclesiæ, sicque per hoc Ecclesiæ, unde sperant auxilium, frequenter sentiunt detrimentum. Quibus volentes salubri remedio providere, hac edictali constitutione sanximus cunctos Ecclesiarum advocatos infra nostræ civitatis, & Diœcesis terminos constitutos, cujuscumque sint præeminentiæ & status, ejusdem juribus esse debere contentos, quæ ipsis seu eorum Antecessoribus fuerant concessa tempore, quo advocatiam susceperunt, & Ecclesias, quarum advocati existunt, defensare studeant, & manutenere pro posse. Et si plures filii aut hæredes alii uni advocato successerint, solus in quem omnes concordant, aut major pars eorum, habeatur de cetero advocatus. Alioquin si negligentes in defendendo, & manutenendo personas, & jura ipsarum Ecclesiarum fuerint, vel remissi, hujusmodi advocationis officio, eos esse privatos volumus ipso facto. Et si quid ultra debitum ab ipsis Ecclesiis auferre, aut contra hujusmodi constitutionis tenorem venire præsumpserint, nisi infra mensem ipsis Ecclesiis restituerint, quod abstulerunt, vel emendaverint, quod delinquunt, excommunicationis sententiam in eos proferimus in his scriptis, & ad requisitionem personarum Ecclesiæ injuriam passæ excommunicatos denuntiari mandamus. *Idem.*

L X I X.

Spoliatores stratarum, & raptores alios, qui transeuntes per vias, aut stratas publicas viduas, pupillos, peregrinos vel Scholares, aut Clericos ad studium, vel ad

ad curiam Romanam proficifcentes, aut perfonas alias eorum bonis vi fpoliant, ac eorum violentias, quæ perturbationem defideratæ pacis inducunt, volentes de cetero coerceri, præter pœnas, quas eis facratiffimæ leges imponunt, tali volumus noftro feriente correctionis gladio pœna mulctari, ut tam ipfi, quam receptantes eos fcienter, & dantes eis auxilium, vel favorem ipfo facto fint nodo excommunicationis, quam ex nunc proferimus, innodati. *Idem.*

LXX.

Falfarios litterarum, feu Bullæ Summorum Pontificum, monetarum, & litterarum, figillorum noftrorum vel judicum quorumcumque in his fcriptis excommunicantes, eos, qui fcienter receptaverint, aut eis præftiterint, quominus capiantur, auxilium, confilium, vel favorem publicum & occultum, præfentis conftitutionis tenore ipfo facto effe volumus excommunicationis vinculo innodatos. *BERTHOLDUS.*

LXXI.

Begehardos quoque, & Beguinos fe difputationibus & erroribus involventes in vita, & habitu fub fictæ fanctitatis excellentia ab aliis hominibus difcrepantes, quos *Viennenfe Concilium* damnat & reprobat, reprobamus. *Idem.*

LXXII.

Blafphemias, & juramenta præfertim inconfueta a Clero extirpare cupientes, ea fub excommunicationis, fufpenfionis, & pecuniariis, & aliis pœnis per Ordinarios, & Convicarios, & Officiales infligendis, fieri prohibemus. *Idem.*

LXXIII.

Permutationibus Beneficiorum nullum inferiorem Epifcopo poffe impertiri auctoritatem de jure, & tales permutationes factas fine auctoritate Epifcopi carere juribus declaramus: ipfas, fi quæ factæ funt vel fuerunt, caffantes, & irritas nuntiantes. *Idem.*

LXXIV.

Beneficiorum perpetuorum Fundationes, & inftitutiones, quæ de auctoritate Ordinarii fieri debent de jure, in quibuscumque Ecclefiis, vel piis locis fiendas, inftrumentis publicis, & authenticis confcribi ftatuimus, & firmari. Inftrumenta quoque infuper fuper quibuscumque inftitutionibus confecta, vel conficienda omnibus, quorum intereft, oftendi & communicari volumus, & mandamus. *Idem.*

LXXV.

Abufum quarumdam Diœcefis noftræ Ecclefiarum Collegiorum, & Monafteriorum, ne quicquam quam jus utile, & neceffarium eft Ecclefiæ, per majorem, & faniorem partem Capituli, vel Collegii perficiatur, vel figillo Capituli figilletur, nifi omnes de Collegio confentiant, deteftatum per *Lateranenfe Concilium* deteftamur: idem Concilium præcipientes firmiter obfervari. *Idem.*

LXXVI.

Cum membra fine capite nihil agant, ftatuta per quævis Capitula, vel Collegia Ecclefiarum noftrarum Diœcefis fine Prælatorum fuorum confenfu quibufvis arduis, vel ftatum Ecclefiarum tangentibus ordinata, vel quibus in ipfo actu adinftar tutoris auctoritas Epifcopi non acceffit, declaramus, & decernimus non tenere: talia præfentibus irritantes: immo irrita nuntiantes, & de cetero fieri prohibentes. *FREDERICUS.*

LXXVII.

Clauftra monialium omnibus, & maxime Clericis interdicimus: inhibentes fub privatione honoris Abbatiffis, Prioriffis, & Magifteriantibus omnibus Monafteriorum noftræ civitatis & Diœcefis, ne monialium aditum Clericis vel laicis præbeant, nifi ex manifefta, & honorabili caufa, five difpenfatione ipfis in loco congruo & rato loqui habeant de honeftis. *JOHANNES.*

LXXVIII.

Monachi & Moniales quicumque habitum deferant, fecundum quod profeffio eorum exigit congruentem, & de hoc ipforum Prælati, & Prælatæ fic provideant, ne ipfis ex negligentia pœnam debitam infligamus: maxime cum religiofi habitum fuum contra præfentis conftitutionis tenorem illicite deponentes, fententiam Canonis contra tales prolatam incurrant. *FREDERICUS Argentinenfis Epifcopus*

LXXIX.

Præterea cum abdicatio proprietatis, & votum castitatis sic sint annexæ regulæ Monachali, quod contra ea nec Summus Pontifex consueverit dispensare, sub pœnâ privationis dignitatum, & honorum præcipimus Abbatibus, Abbatissis, & Priorissis, vel quocumque alio nomine censeantur, qui Monasteriis, & Collegiis præesse noscuntur, quod infra mensem a publicatione præsentium auferant subditis omnes reditus annuos, quos habent: alioquin si Prælati, & Prælatæ eorum hoc dissimulaverint, eos suis privabimus dignitatibus, aliis ibidem substituendis, qui velint & valeant idem proprietatis vitium extirpare. Item quod quodcumque peculium in claustris, & extra, omnibus Religiosis infra dictum mensem penitus auferatur. Peculium autem dicimus pusillas res in vestibus, & clenodiis, & alias mobiles, quas tenent, & recipiunt præter licentiam rationabilem Prælatorum: quæ omnia & singula undecumque venisse noscantur ad proprietatem solius Monasterii pertinebunt. Quicumque autem inventi fuerint proprietarii, licet in ægritudine pœnituerint, juxta Statuta Canonica morientes non tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ. Sed cum rebus hujusmodi in sterquilinio subterrentur. *Idem.*

LXXX.

Item præcipimus Abbatibus, Abbatissis, & quocumque alio nomine censeantur, qui Monasteriis, & Collegiis præesse noscuntur, sub pœna privationis dignitatum suarum, ut quilibet habeant carcerem bene firmatum infra Monasterii muros ad recipiendum, & præservandum ibidem suos Monachos, & Moniales, & alias personas regulares incorrigibiles & pertinaces. *Idem.*

LXXXI.

Item districte præcipimus omnibus Monachis & Monialibus, ac personis regularibus quibuscumque, ac etiam Clericis sæcularibus in Monasteriis præbendatis nostræ civitatis & Diœcesis, ut Abbatibus, & aliis Prælatis suis obedientiam debitam exhibeant, & mandatis eorum licitis, & honestis pareant reverenter: alioquin a Nobis & nostro Officiali, per excommunicationis sententiam eorum pertinaciam, summaria de hoc cognitione præhabita, decernimus compescendam. *Idem.*

LXXXII.

Item sub pœna suspensionis, & privationis dignitatum inhibemus Abbatibus, Abbatissis, Præpositis, Priorissis, & Prælatis Monachorum, & Monialium nostræ civitatis & Diœcesis, ne in delictis æqualibus inæqualiter punire præsumant suos subditos delinquentes: ut talis correctio, vel pœna nec ex favore, vel odii fomite, sed ex radice caritatis procedere potius videatur. *Idem.*

LXXXIII.

Insuper omnes Personas Regulares, & sæculares cujuscumque ordinis, sexus, vel conditionis existant, quæ seras, vectes, vel hostia claustrorum quorumcumque, aut carceres, & præcipue monialium de cetero violenter infringere præsumpserint scripto præsenti excommunicamus. *Idem.*

LXXXIV.

Item, qui tractant & administrant negotia Monasteriorum, teneantur ad minus bis in anno Abbati, Prælato, Abbatissæ sive Prælatæ strictam computationem facere de receptis pariter & expensis: Prælati quoque, & Prælatæ hujusmodi, quibus administrationem temporalium in Monasteriis committimus, vel commisimus, de receptis & expensis computent diligenter ad minus semel in anno Nobis, vel ei, quem duxerimus, deputandum. *Idem.*

LXXXV.

Item, si qui Monachi, vel Moniales, aut quicumque alio religionis ordine censeantur, in lapsum carnis inciderint, de quo convinci possint, vel locus non sit infitiationi, tales ex hac nostra sententia fructibus Præbendarum suarum ex nunc privamus: insuper loco & voce in electione careant, & ineligibiles in posterum videantur, quousque per Nos, vel Episcopum, qui pro tempore fuerit, & eorum Abbatem & Abbatissam, aut alios Prælatos Monasteriorum post condignam pœnitentiam fuerint restituti, vel etiam restitutæ. *Idem.*

LXXXVI.

Item cum Monachi & Moniales; ac aliæ Perſonæ Regulares non habeant perſonam ſtandi in judicio, nec ſe obligandi habeant aliquam poteſtatem; & ſe tamen obligent de facto frequenter: ne id de cetero faciant, diſtrictius inhibemus, contractus per eos initos decernimus non valere. Si qui vero Officiati vel Officiatæ pro neceſſitate ipſorum opus habuerint contrahendi, non faciant, niſi de Prælatorum ſuorum conſenſu, vel conventuum eorundem. Volentes nihilominus, & præcipimus diſtricte, ut Officiati, & Officiatæ contra formam hujuſmodi contrahentes, & ſe obligantes, officiis ſuis priventur. Contractus etiam ab officiatis Monachis, & Monialibus contra præmiſſa initos, irritos nunciamus. Propterea perſonas hujuſmodi, ſcilicet ſimplices regulares citari, moneri, & alias vexari in judiciis prohibemus, quicquid contra hoc factum fuerit, irritum decernentes: imo non ſolum trahentes eos in judicium, ſed & Judices, Notarios, & Sigilliferos, contra hæc facientes, Monaſterio, cujus perſona vexata fuerit, ad expenſas, & intereſſe decernimus obligari. *BERTHOLDUS.*

LXXXVII. *

Pro reformatione morum in Monaſteriis feminarum noſtræ Diœceſis ad perpetuam memoriam ſui duximus ſtatuendum. In primis omnes receptas in Collegiis Monaſteriorum in *Eſchowe*, in *Sindeſperg*, & Sanctum Johannem juxta Saberniam, & in *Bibelies* Ordinis Sancti Benedicti veras Monachas, & in *Hoenburg*, & in inferiori Monaſterio Ordinis Sancti Auguſtini veras Canonicas Regulares Religioſas dicimus, & declaramus, & habere Ordines per Sedem Apoſtolicam approbatos, hæcque apud eas eſſe & fuiſſe hactenus obſervata, & quod, poſtquam ad annos pubertatis venerint, ad profeſſionem teneantur: & ſi ſtant per tempora juris, tacite cenſeantur profeſſæ, prout de veris Monialibus, & Religioſis in Canonibus eſt decretum: & quod ad ſubſtantialia religionis, ſcilicet obedientiam, & carentiam proprii, & continentiam de neceſſitate ſalutis omnimode teneantur, nec eis liceat ad ſæculum remeare. Et hoc dicimus, ſtatuimus, & declaramus, & prædictis Monaſteriis perpetuo obſervandum. In Monaſteriis vero *Erſcheim* & *Andelache*, quæ in horis Canonicis ſervant Ordinem Sancti Benedicti, & in Monaſterio Sancti Stephani, quod in horis Canonicis ſervat Ordinem Auguſtini, quæ ſe aſſerunt ab eo tempore, cujus contrarii memoria hominum non exiſtant, ſubſtantialia ordinum non obſervaſſe, declarationem hujuſmodi cauſa melioris deliberationis omittimus de præſenti, ſuadentes eis, ſed propter bonum pacis, pro nunc ſub nulla pœna præcipientes, ut ſubſtantialia ordinum ſtudeant obſervare, choreas quoque omnibus dominabus quorumvis Monaſteriorum noſtræ Diœceſis, & ſpecialiter in publico, ſcilicet ſtubis virorum, quæ dicuntur *Trinckſtuben*, & in curiis, & ſolemnitatibus, quæ fiunt pro haſtiludiis, & ſponſalibus, diſtricte inhibemus. Prælata vero in hujuſmodi ſtubis, & curiis manifeſte chorizans deinceps excommunicationis, ſubdita vero ſuſpenſionis per unum menſem a perceptione Præbendæ ſententias eo ipſo incurrant. Præterea variorum zendaliorum, & ſerricorum forraturas prædictorum ſex Monaſteriorum Dominabus, quas profeſſas eſſe decrevimus, omnino interdicimus, in Prælatas eorundem Monaſteriorum hujuſmodi forraturis deinceps utentes, excommunicationis, in ſubditas vero, ſuſpenſionis a perceptione Præbendarum tamdiu, quouſque depoſuerint, & non utendo talibus in manus Prælatæ pro fidei promiſſione caverint, octo dierum monitione præmiſſa, in his ſcriptis ex nunc, ut ex tunc ſententias proferimus. Prælata quoque hujuſmodi ſubditis ſuſpenſis Præbendas miniſtrans, vel in quantum in ſe eſt, miniſtrari permittens, in excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto. Quamvis autem aliquæ perſonæ prædictorum trium Monaſteriorum in *Erſcheim* in *Andelache*, & Sancti Stephani forraturis hujuſmodi uſæ ſint ab antiquo, & ob hoc non utamur contra eas pœnis hujuſmodi de præſenti: ipſis tamen hujuſmodi ſumptuoſæ ſuperbiæ prohibemus abuſum, & maxime Dominabus Sancti Stephani, quibus per Abbatiſſas ſuas, quamvis non ſub pœnis prohibitum hoc invenimus ab antiquo: forraturas zendaliorum non nigri coloris. Item ornatum extra

extra mittentem, qui dicitur *uffum em gebrauijel.* Item appropendicias manicarum, quæ dicuntur *Luffum* excedentes manicas tunicæ inferioris. Item alias vestes de novo parandas, quam nigri vel bruni coloris eisdem Dominabus prædictorum trium Monasteriorum sub pœna excommunicationis præsentibus inhibemus. Egredientes autem monasteria absque Prælatæ licentia, vel Prælatis verbis contumeliosis insultantes, prout plerumque fieri didicimus, per ipsas Prælatas tamdiu a perceptione Præbendarum suspendantur, quousque ad Prælatæ gratiam humiliter venientes hujusmodi reatum emendent. Sententias autem ipsarum Prælatarum hujusmodi suspensionis tam in Clericos, quam in Dominas eis subjectas pro ipsorum culpis & negligentiis latas vel rite ferendas, usque ad satisfactionem condignam faciemus districtius observari. Prælatæ autem, si in convictione hujusmodi excessuum, præsertim in seipsas, & per consequens in ipsarum Monasteriis commissorum fuerint negligentes, suspensæ ab administratione Prælationum poterunt merito formidare. *FRIDERICUS ex Concilio Herbipolensi.*

LXXXVIII.

Quidam crudeles homines dum ad forum Ecclesiasticum, de quibus etiam merito habet cognoscere, ab actoribus evocantur, nullius auctoritatis, qua dicitur: *Qui honorat Missum, mittentem honorat*, immemores existentes, Nuncios Ecclesiasticorum Judicum, citationes & excommunicationes, vel alias judiciales litteras, seu mandata deferentes, verbis opprobriosis, & quandoque diris verberibus, quosdam captivantes, alios interdum suis rebus spoliantes, multipliciter afficiunt, ac perturbant, & impediunt citationem, & mandatorum executionem in non modicam Ecclesiæ libertatis contumeliam & jacturam. Considerantes igitur tales per Statuta *Concilii Herbipolensis* esse excommunicatos, & malitiis hominum non esse aliqualiter indulgendum: ita decrevimus statuendum. Postquam reus, præmissa de hoc summaria cognitione, convictus fuerit Judicis nuntios: litteras, vel mandata judicialia deferentes per se, vel per alium verberasse, spoliasse, vel etiam captivasse, aut actor in causa recognitionis fuerit convictus modo, quo supra, similia per se, vel per alium perpetrasse, uterque, ac omnes alii, quos constiterit nomine & occasione causarum talia præsumsisse, usque ad condignam satisfactionem læso & judicibus exhibendam, excommunicationis sententia percellantur, & eorum terræ, & in quibus degunt, supponantur Ecclesiastico interdicto. *JOHANNES.*

LXXXIX.

Quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem nimiam citari non possunt personaliter, quidam etiam in castris habitant, ita quod nulla potest ad eos citatio pervenire. Idcirco juxta *Concilium Moguntinum* provida & necessaria deliberatione statuimus, ut contra tales citationis edictum tribus diebus Dominicis in Missa publica apud ipsorum Parochialem Ecclesiam, vel si Parochialis Sacerdos justam timoris causam suo juramento ostenderit, in Ecclesia Cathedrali solemniter publicare. Et ex nunc contra hujusmodi, ac si personaliter citati fuerint, procedere, ne ex malitia sua valeant commodum reportare. *FREDERICUS.*

XC.

Generales citationes de cetero fieri prohibemus. Statuimus, ne quis Judex Ecclesiasticus sub generali clausula ita scribat: *quos lator præsentium vobis nominaverit*, prohibentes Sacerdotibus, ne mandata talia exequantur. Nos enim tales citationum & commissionum litteras decernimus esse nullas. *Idem.*

XCI.

Sub pœna excommunicationis omnibus Sacerdotibus & aliis Clericis prohibemus, ne mandata vel citationes quorumcumque Judicum delegatorum, vel subdelegatorum recipiant, vel etiam exequantur, nisi jusso, rescripto authentico, sive jurisdictionis Bulla Papali, vel alio sigillo authentico signato, & cum ex hoc litteris, quæ *vidimus*, appellantur per Officialem civitatis curiæ nostræ sub hæc decretis, & sigillo ejusdem civitatis sigillatis, & eorundem rescripti *vidimus*, ac mandatorum susceptorum a copia sibi retenta. *Idem.*

XCII.

Quia perſonæ Judicibus, quibus auctoritate Sedis Apoſtolicæ cauſæ committi valeant, & loca, in quibus procedere, & ad quæ partes citari debeant, per nova jura ſunt expreſſa & limitata: idcirco omnibus Rectoribus & Sacerdotibus noſtræ civitatis & Diœceſis, ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne ſi quando Judicum delegatorum, vel ſubdelegatorum mandata ſuſceperint, quibus aliquæ perſonæ citari mandantur, vel ſi alias de ipſorum Judicum jurisdictione, vel alia de cauſa antedicta mandata de jure ſubſiſtere valeant, veriſimiliter dubitaverint, illa nullatenus exequantur, ſed ſuper eis Vicarium, vel Officialem noſtrum, qui tempore fuerint, requirant, & de ejus conſilio dictæ executioni ſuperſedeant, aut ſi juſſerint, exequantur. *BERTHOLDUS.*

XCIII.

Proceſſum quondam Domini JOHANNIS Prædeceſſoris noſtri de ſalariis Advocatorum, Procuratorum, & aliarum perſonarum, Curiarum noſtræ, & Archi Diaconorum noſtrorum præcipimus obſervari. *BERTHOLDUS.*

XCIV.

Evitantes Judiciorum Eccleſiaſticorum & ſubditorum noſtrorum curiarum abuſus, ſcilicet, quod frequenter citationes & monitiones ad certos & nominatos dies . . . . primo dies Dominicus infra hebdomadam, qua terminus citationis occurrit, Plebanis præſentantur, & per ipſos diebus privatis publicantur, citatis tunc circa rem ruſticam occupatis, de curialium, & aliorum ſapientum conſilio ſic duximus ſtatuendum, quod nulla deinceps citatio, vel hujuſmodi monitio ad nominatum diem concepta per quemquam Plebanorum, niſi ante diem Dominicum proximum terminum citationis vel monitionis præcedentem, vel ſaltem in ipſo die Dominico ante ſententiam publicæ Miſſæ præſentata fuerit, & poſtea ad minus trium dierum intervallum habuerint, quomodolibet publicetur, Plebanus vero contrarium faciens, qualibet vice pœnam decem ſolidorum ad fabricam Eccleſiæ noſtræ Argentinenſis ſolvendorum incurrat, & nihilominus citato vel monito ad damnum vel expenſas, quas hac occaſione pertulerit, teneantur. Orta autem diſſenſione circa præſentationem litterarum inter portitores & Plebanos, Plebanorum credi volumus juramento. Nullus autem Sigillifer citationes vel monitiones hujuſmodi in ſabbatho, vel quarum data eſſet in ſabbatho, cum terminus ſit in ſcripti hebdomada, ſigillare præſumat. Alioquin ad damna & expenſas teneantur citato. Portitores autem hujuſmodi deferentes citationes vel monitiones ad minus feria ſexta ab Argentina recedant. Qui contra præmiſſa fecerint, factas non tenere decernimus, nec artare citatum. Sententias vero contra præmiſſa latas, contra Plebanos non exequentes hujuſmodi per Nos vetitas citationes & monitiones, aut contra tales citatos vel monitos, ex nunc volumus & decernimus non tenere. Ac Officialem quemlibet contra præmiſſa ſcienter procedentem, & contra quem tam inique proceſſum fuerit, ad expenſas & intereſſe teneri. *Idem.*

XCV.

Quia Procuratores Curiarum pro litterarum executionibus multa ſumentes, portitoribus exequentibus, qui labores & pericula ſuſtinent, avaritia canina nullam vel quaſi minimam tribuunt portionem: ad hæc ut legationes haberi valeant contra morem ſolitum portitores, ſtatuimus & præcipimus, quod eiſdem portitoribus de qualibet littera executioni mandata per eos ad minus unus obulus aſſignetur. Portitor vero minus recipiens vel ſubtractionem portionis ſuæ ſibi factam ſubticens, & Officiali non revelans, pœnam carceris ſuſtinebit. Procurator autem contra hæc excedens, & portionem hujusmodi portitoris ſubtrahens, tamdiu a procuratione, & omnibus conſiſtoriis excludatur, quouſque pro qualibet vice unam libram denariorum Officiali perſolvat, pro media parte ſuis, & pro alia media aliorum curialium uſibus profuturam. *Idem.*

XCVI.

Cum nonnunquam pro concione etiam non communicantium multitudo vexetur: circa hoc ſic duximus ſtatuendum, quod in nulla citatione pluſquam ſex

ſex perſonæ pro communione citentur, nec detur citatio talis, niſi eam impetrans ſe intellexiſſe veraciter citandos, excommunicato in citatione expreſſo communicaſſe prius, notario per fidem nomine juramenti. De quo, ſi de hoc antequam factum fuerit, contentio oriatur, tam impetrans, quam Notarius jurare corporaliter teneantur: alias Judex habeat pro non facto. Citatæ etiam pro concione, ſi Plebano ſuo de non communicando eidem excommunicato ante abſolutionem in caſibus illicitis fidem dederint nomine juramenti, & hoc ſub ſigillo Plebani per nuntium etiam ſimplicem ad terminum etiam citationis tranſmiſerit, & veniendo ad judicium, vel ad Procuratorem mittendo ſint excuſati: ita quod contra eos procedi non debeat, neque poſſit. Citationes autem participantium contra præmiſſa faciendas cum ſubſecutis proceſſibus, ac ſententias contra præmiſſa ferendas decernimus non tenere, nec non vexato contra præmiſſa adverſarium ad expenſas, & intereſſe teneri, cui adverſario ad hæc refundendum procurare impetrans teneatur. *Idem.*

XCVII.

Quia periculoſe interdicta pro penſionibus, & pecuniarum, & debitorum ſummis contra conſtitutionem Bonifacii Papæ octavi, qui hujuſmodi interdicta irritat ipſo jure, proferuntur frequenter. Nos hujuſmodi interdicta omnia pro pecuniariis debitis, cenſibus, vel penſionibus lata vel ferenda, ſive per delegatos Sedis Apoſtolicæ, ſive per quemcumque Officialem, declaramus virtute dictæ conſtitutionis (*a*) populis penitus eſſe nulla. Inhibentes omnibus, & Sacerdotibus, omnique Clero, ne hujuſmodi interdicta de cetero curent, vel in periculum animarum ſuarum obſervent ſententias, & proceſſus in quovis talia non obſervantes, ob hoc latos, vel ferendos irritos decernentes, omneſque hujuſmodi impetrantes interdicta tam adverſariis, quam gravatis Eccleſiis ad expenſas intereſſe teneri. Præmittimus autem, ne Divinum Eccleſiæ ſubtrahatur officium, ut ſi qui debitores hujuſmodi penſionis, & cenſuum Eccleſiarum, & piorum locorum, pro eo, quod non ſolvunt, in excommunicationum, & omnium aggravationum ſententiis, ſervatis juxta morem curiarum debitis intervallis, per tres menſes ſorduerint animo indurato, Judex quoque, & Dominus temporalis hujuſmodi excommunicatum, requiſitus per Judicem Eccleſiaſticum, ut in ſubſidium juriſdictionis Eccleſiaſticæ illum ad redeundum ad Matris Eccleſiæ gremium ſua temporali juriſdictione compellat, qui hujuſmodi ſubditum non curaverit exhibere, contra hujuſmodi Dominos, vel temporales Judices, propter eorum contemptum, & maxime in loco eis ſubjecto, ubi excommunicatus degit, per interdicti ſententias procedatur. *Idem.*

XCVIII.

Ne actus judiciales curiarum deluſorii reddantur, præſertim cum per appellationes, vel alias ad Superioris conſiſtoria deferuntur abuſum ſignaturarum, quæ in ſpatio actorum ſignantur, per quas ipſa acta confunduntur, & quibus ſignaturis alibi non creditur, deteſtantes, ſtatuimus, quod litis conteſtationes, concluſiones, & alii actus principales, non in ſignaturis, ſed in ſpecialibus actis & ſigillatis ponantur, nec Judex recipiat, niſi hujuſmodi actus in proceſſibus inveniat ſigillatos. Quamvis autem prorogationes terminorum, & ſuſpenſiones ſignari valeant in ſpatio: ſignaturas tamen hujuſmodi fieri contra unam partium abſentem tamquam contumacem, altera hoc petente, niſi de ſignatura hujuſmodi ſigillatus judicii oſtendatur receſſus. (*b*) *FREDERICUS.*

XCIX.

Quia quædam in quibuſdam partibus conſuetudo, immo potius corruptela deteſtabilis obſervatur, videlicet, quod tam laicus, quam Clericus in lecto ægritudinis conſtitutus, ultra quinque ſolidos uſualis monetæ, vel aliam ſummam juxta illius loci conſuetudinem limitatum, nec piis locis, quam perſonis Eccleſiaſticis pro animæ ſuæ remedio, & ſalute aliqua poſſit ordinare legata: conſiderantes prædictam conſuetudinem Sacris Canonibus, & ſæcularibus etiam legibus obviare: cum nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſtylus exiſtat; eamdem conſuetudinem Deo odibilem ani-

(*a*) *lege:* Papalis (*b*) *Forte deeſt:* prohibemus.

animabus, & bonis moribus inimicam, auctoritate hujus Sacræ Synodi penitus reprobamus: firmiter statuentes, ut unicuique, quem jura a testamentorum non prohibent factione, in sanitate, vel lecto ægritudinis constituto legandi, disponendi, & ordinandi de bonis suis sibi a Deo collatis circa pia loca, & personas Ecclesiasticas, dummodo suos hæredes contra sanctiones legitimas non prætereat, libera sit facultas: volentes, & præcipientes, ut per universos Prælatos, & Judices Ecclesiasticos omnes Clerici, & laici impedientes defunctorum legata, seu ultimas voluntates per excommunicationis in personas interdicti in loca sententias, octo dierum monitione præmissa, ferendas ab hujusmodi impedimentis desistere compellantur. *BERTHOLDUS.*

C.

Cum nonnulli Clerici executores largarum eleemosynarum, quæ pro anima pauperibus erogari tenentur, hujusmodi distribuenda mendicantibus distribuunt consanguineis, vel amicis, imo quandoque, quod deterius est, usurpare suis usibus non formidant: præsenti decreto statuimus tales executores non liberari, nec eis, quod satisfecerint, concedi; nisi hæc publice distribuant, loci etiam Plebano sciente. Plebani etiam hujusmodi negligentias ad Nos deferant, si Divinam, & nostram velint effugere ultionem. *Idem.*

C I.

Item inhibemus, ne de cetero aliqua Religiosa sæcularisve persona se auctoritate dispensandi, absolvendi, aut alio quovis modo Nobis ratione dignitatis Pontificalis, vel jurisdictionis a jure concessa, & specialiter reservata aliqualiter intromittat, vel eadem auctoritate quovis modo utatur, nisi cui Nos eamdem auctoritatem, sicut opportunitas suaserit, in parte, vel etiam generaliter duxerimus licite committendam, & qui de hoc se ostendat nostris patentibus præmunitum.

CII.

Item indulgentias quibusvis personis Argentinæ concessas, ut in earum domibus possint celebrari Divina, præsentibus revocamus. *Idem.*

CIII.

Jus & consuetudinem Ecclesiæ nostræ Argentinensis ab antiquo servatam scilicet, quod & qualiter decedentes Clerici saltem fertonem legare Episcopo teneantur, inviolabiliter præcipimus observari. *Idem.*

CIV.

Potestatem dispensandi, absolvendi, & si ratio exegerit invitandi, interpretandi, & corrigendi super Statutis Synodalibus præmissis Nobis specialiter reservamus.

C V.

Sigillifero autem curiæ nostræ, ut has nostras constitutiones, & quoslibet notabiles processus nostros in uno libro conscribi faciat, & in curia nostra continue conservari, ut ad illum, cum opus fuerit, habeatur recursus, districte mandamus. *Idem.*

CVI.

Omnibus quoque Abbatibus, Abbatissis, Priorissis, Præpositis, Prioribus, & aliis Collegiatarum nostrarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum Prælatis, omnibus Archi-Presbyteris, ut hujusmodi nostra Statuta in scriptis recipiant infra duos menses, & Archi-Presbyteris suis Confratribus publicent bis in anno, in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna excommunicationis firmiter præcipiendo mandamus.

Martene. Thesauri Anecdotorum Tom. IV. a pag. 529. ad 555.
Ex MS. Bibliothecæ Argentoratensis.

MENTIO SYNODI RATISPONENSIS
ANNI MCCCCXXXV.

CONRADUS Episcopus Feria IV. post Dominicam *Jubilate* Synodum ordinariam celebravit.

Andreas Ratisponensis in Chronico Bavariæ ad annum MCCCCXXXV.

An-

Anno Christi MCCCCXXXVIII. Eugenii IV. Pp. VIII. Regno vacante.

Copia Littere, in qua THEODORICUS, Archi-Episcopus Moguntinus, scribit Suffraganeis deliberate super aliquibus articulis, per Papam & Concilium missis; & quod respondeant.

THEODORICUS, (&c.) GRATAM ET SINCERAM COMPLACENDI VOLUNTATEM, REVERENDE PATER ET AMICE CARISSIME; NEC NON HONORABILES IN CHRISTO NOBIS SINCERE DILECTI.

INter ceteras nostri Pastoralis Officii sollicitudines istam, qua pax, & Ecclesie Sancte Romane unitas, reformationisque tam in capite, quam in membris prosecutio possent conservari, minimam minime reputamus. Quare nisi salubri preveniatur remedio, gravem suboriri veremur scissuram, ultra quam calamo perarare valemus populo Dei dispendiosam.

Sane cum nonnullis defluxis diebus Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus EUGENIUS Papa modernus Nobis, nostrisque S.R.I. Coelectoribus, Sacri *Basiliensis* Concilii ad civitatem *Ferrariensem* ex causis in Bulla Sanctitatis sue expressis Nobis exhibita translationem insinuari, Nosque requiri fecerit, quatenus ad Concilium Ferrariense per Sanctitatem suam indictum, nos duceremus conferendos; porro Inclita Germanie Natio in Sacra Basiliensi Synodo collocata pridie Nobis intimavit, qualiter hujusmodi translatio ad civitatem *Ferrariensem* predictam facta, etiam contra S. Concilii *Basil.* Decreta, dictarum pacis, unitatis & reformationis nimium foret destructiva, ordinarie authoritatis turbativa, & quod severius commemorabant, hujusmodi translatio tanti sit discidii, quod spes totius reformationis jam facte & faciende cessaret, abusus Romane Curie exuberanter succresceret, & consequenter plurima pericula, maximamque ignominiam in Germanie partibus germinarent; Preterea Natio supradicta Nos debita requisivit instantia, quatenus decretata in Sacro *Basiliensi* Concilio super sublatione reservationum, propter quam cuilibet Ordinariorum Beneficia in Diocesi sua vacantia libere incumberet conferre (quibus etiam decretis cautum existit, quod ibi cause debeant tractari, & terminari, ubi originem assumpserunt, quodque non omisso medio ad Papam, sed ad Ordinarium immediatum provocari debeat; quodque ejusmodi Decreta auctoritatem Superiorum conservarent, caritatem in inferioribus corroborarent, & innumeris periculis & abusionibus obviarent) grataneer acceptare, per nostram Metropolim insinuare & publicare, ipsumque Sacrum *Basil.* Concilium manutenere, & favoribus nostris assistere oportunis, usque de ordine & modo, quibus Sanctitati sue dicti Domini nostri, aliisque Prelatis propter annatarum subtractionem competens fieret provisio, avisare dignaremur; prout hec per dicte Nationis venerabilem Oratorem *liberioribus verbis* existunt deducta. Et quis est, qui harum rerum magnitudinem non ponderabit! rem itaque tam grandem, tamque arduam intactam relinquimus, majori & celebriori digestione pertractandam.

Maturo igitur cum nonnullis doctis, devotis, & fidelibus nostris dilectis, ad id signanter evocatis super premissis prehabito consilio, arbitrati eramus expedire, ad vos, aliorumque nostrorum Suffraganeorum, nec non eorundem Capitulorum presentiam atque notitiam, premissa sub compendio perferre; post digestam deliberationem, de harum more rerum, consulta vestra, quid circa premissa agendum, & concludendum finaliter existat, Nobis die subnotato communicanda expetere, & explorare. Et quoniam hanc rem, celerem desiderare expeditionem nemo est, qui non animad-

madvertat; quare, ut antelatum eſt, certum diem, videlicet Dominicum, quo in Ecclesia Dei *Judica* cantatur, proximo quadrageſimali tempore futurum, Venerabilibus, & Nobis dilectis, Decano, & Capitulo Ecclesie noſtre *Maguntine*, Cleroque univerſo civitatis ejuſdem decrevimus indicendum, cum intimatione, quatenus hoc die, cum ceteris ſequentibus diebus Nobiſcum conveniant, & conſtituantur in civitate *Maguntina*, inibi quid circa premiſſa agendum, pertractaturi, & conſulturi. Nec breviorem terminum prefigere conveniebat, pretextu electionis Romanorum Regis, in Ceſarem Deo propicio promovendi, Nobis impeditis.

Quare veſtram exhortamur caritatem, in viſceribus Domini Noſtri JESU Chriſti exorantes, ut ſollicitudo veſtra cum Capitulo, doctis & Clericis Ecclesie veſtre convenire, & que ſuperius expoſita ſunt, & ipſa quomodolibet tangentia mature, & fideliter pertractare; quidve deceat, quidve in his dedeceat, examinare, & demum concludere velit, quod in hac re felicius fuerit amplexandum. Nos die ſuperius commemorato de hujuſmodi veſtris intentionibus pertractatis, deliberatis, & concluſis, in quo etiam finaliter exoptatis reſidere, ad ſuprad. civitatem *Maguntinam* per fideles, & conſtantes veſtre caritatis oratores certificando, dictosque veſtros oratores eatenus deputando, & fulciendo, quatenus ſi aliquid per Nos, alios Suffraganeos noſtros, quibus ſimilia denunciavimus, aut eorum Ambaſiatores, noſtrumque Clerum ſupradictum, tempore & loco predictis foret pertractandum, determinandum, & concludendum circa premiſſa, & ipſorum quodlibet, ob mandati defectum omitti non oporteat; ymmo verius ſine more diſpendio proſequatur, quod Canonicum, honeſtumque, & viſum fuerit expedire pro populo Dei, ad laudem Omnipotentis Clementie, atque Nobis ad complacenciam valde gratam. Super quibus omnibus veſtrum efflagitamus in ſcripto reſponſum.

Datum in Caſtro noſtro *Aſchaffenburg*. XXI. die menſis Februarii. Anno Domini MCCCCXXXVIII.

Ex Tomo IV. Codicis Diplomatici Gudeniani pag. 232.

Anno Chriſti MCCCCXXXVIII. Eugenii IV. Pp. VIII. Alberti II. Reg. I.

MISSIVE Domini Archi-Epiſc. Moguntini ad Auguſtanum, Argentinenſem & Curienſem Epiſcopos cum copiis Appellationis, Proteſtationis & Unionis Inſtrumentorum intercluſis.

GRatam in Chriſto complacendi voluntatem Reverende Pater, Amice cariſſime! ſatis liquide ex ſcriptis noſtris, Veſtre Paternitati dudum de menſe Februarii factis, illiusmodi dira & diſcidii materia, que inter Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & D. N. D. EUGENIUM Papam QUARTUM ex una: nec non Sacroſanctum *Baſilienſe* Concilium, partibus ex altera, ſuſcitata exiſtit, alias proch dolor! plus noto, nato innoteſcere potuit, amaritudinem hoc pretextu animum noſtrum perfulgentem habunde demonſtrantibus, & non immerito; cum hec res Eccleſiaſticum ſtatum veriſimiliter innumeris commovere diſpendiis, & populi ſalutem Chriſtiani impedire conſpiciatur.

Idcirco certum terminum videlicet diem Dominicam, qua in Eccleſia Dei *Judica* decantabatur proxime preterita, veſtre caritati, pariter & aliis noſtris Suffraganeis inſinuavimus, exhortatique fuimus, quatenus hoc die veſtros conſtantes & litteratos viros *in Maguntiam transmitteretis*, inibi cum aliis, dicto die ad hujuſmodi locum evocatis intereſſendum, atque in re tam ardua pertractandum & concludendum, quod neceſſarium foret, & oportunum.

Et

Et quia pluribus aliis ad eundem locum predicto die suos notabiles Oratores mittentibus, vos reperimus, de quo satis miramur, nec venisse, nec misisse, ideo cum his, quorum copia illuc erat, id quod expedierat, pertractatum fuit & conclusum. Ubi inter cetera exhibita hec fuere, que presentibus inferuntur, & per Nos vestre Caritati transmittuntur; que siquidem potissime per nostros Coelectores, super electione Romanorum Regis novissime *Franckfordie* constitutos, digesta fuerunt, fabricata & conclusa. Unde, cum hujusmodi protestationis, & unionis effectus claudere prestolatur quosvis, adherere Nobis, ipsisque Coelectoribus nostris satagentes; sitque Nobis creditum, ea ipsa per nostram etiam Metropolim publicare, & vota eorum, qui scuto *Protestationum*, & *Unionum predictarum* cupierint manuteneri, vigilanter explorare, vobis earundem copiam duximus mittendam, atque insinuandam.

Quocirca vestram deprecamur Caritatem, nec non eandem Metropolitica requirimus auctoritate, quatenus una cum Coelectoribus nostris antefatis, atque Nobis, Vos, vestrumque Clerum universum, vestreque ditioni suppositos status etiam cujuscumque, provisioni nostre hujusmodi subjugare, sub umbra & viribus earum respirare, Nosque, prout antelatum est, de hujusmodi vestra, vestrorumque intentione quantocius certificare velit. In quo Deo obsequium vos arbitramur exhibere, & facietis nobis complacentiam, vicaria exhibitione rependendam.

Datum *Aschaffemburg*. VII. Aprilis, anno Domini MCCCCXXXVIII.

Ex Tomo IV. Codicis Diplomatici Gudeniani pag. 240.

Anno Christi MCCCCXXXVIII. Eugenii IV. Pp. VIII. Alberti II. Regis I.

MISSIVA missa per Dominum Moguntinum ad Religiosos sue Diœcesis, . . . inter Papam & Concilium BASILIENSE.

SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO KARITATEM IN CHRISTO NOBIS SINCERITER DILECTE.

Quanta amaritudine nostre mentis sinceritas nedum propter diversitatem, verum adversitatem nuper inter Sanctissimum Dominum nostrum Papam EUGENIUM QUARTUM ex una, & Sacrum BASILIENSE Concilium, partibus ex altera, subortam commota sit, ipse novit, qui nihil ignorat; cum durante hoc diffidii genere dispendiosum existat succidere lolium, quod frugem Reipublice, Statusque Ecclesiastici impedire assueverat, & quod sitit mundus, universus semen plantare pacis optate.

Quare Nobis cum Reverendis in Christo Patribus, Illustribusque Principibus S.R.I. & nostris Coelectoribus super Romanorum Regis electione, Deo duce, felicibus demandata auspiciis; proxime in *Franckfordia* receptis, pro humanitatum vestrarum debito, quam hujus rei dispendiosa procella merito reddit fluctuantem, potissime, ut cavillationem pertinacium excludere possemus, Nobis providimus quibusdam salubribus *Protestationis*, *Appellationis & Unionis* medelis, quibus siquidem verisimiliter conscientiarum nostrarum puritas in tantis animarum nostrarum angustiis relevamen suscipere valeat & tutelam. Nihil enim ausibus temerariis aggressi sumus, sed ut, cum contrariorum evolaverint effectuum mandata, atque processus, alicujus securitatis aura auram possemus respirare. Quarum quidem Protestationis, Appellationis & Unionis, tunc Decretarum copias tibi presentibus interclusas duximus insinuandas.

In Domino devotionem tuam sinceriter exhortantes, auctoritateque Metropolitica requirentes, quatenus inspectis, atque intellectis hujusmodi Protestatio-

ſtationis, Appellationis, atque Unionis effectibus, cum fiducia in earum robore conquieſcas, nobiſcum concurras, atque juxta omnem vim ac effectum earumdem noſtrarum proviſionum Nobis adhereas, & de tua adheſione, aut voluntate ſcriptis, & Munimentis tuis authenticis Nos edocere, & certificare quantocius cures, Nobis ad complacenciam valde gratam.

Datum *Aſchaffenburg.* die VIII. Menſis Aprilis, anno Domini MCCCCXXXVIII.

Gudenus Tomo IV. Codicis Diplomatici pag. 242.

CONVENTUS FRANCOFORDIENSIS

Anno Chriſti MCCCCXXXVIII. Eugenii IV. Pp. VIII.

Germanicæ Neutralitatis Initium.

CONvenerunt Francofordiæ Electores Imperii poſt mortem SIGISMUNDI Cæſaris ad novum Cæſarem ſubrogandum. Qui cum varia indies edicta Romani Pontificis & Baſileenſium cernerent, communi conſenſu XV. Kal. Aprilis ejuſd. anni MCCCCXXXVIII. ſtatuunt, ſe, Provincialeſq. omnia decreta alterius partis contra alteram partem non ſuſcipere, venerarique & EUGENIUM Pontificem, & Concilium Baſileenſe, velleque uſque ad ſextum menſem deliberare, cujus parti ſit adhærendum. Interea tamen proteſtari, ſe non diſcedere ab obedientia & reverentia Sedis Apoſtolicæ. Prælatos autem Eccleſiarum populos ſibi commiſſos jure ordinario gubernaturos. Hoc principium fuit Neutralitatis Germanicæ, quæ prætextu concordiæ per ſex menſes inſtituta, ſupra ſex annos perduravit, ab Eugenio & Baſileenſibus reprobata. Nemini enim parebant, cum cenſuræ imponebantur.

Auguſtinus Patritius C. LXXIII. apud Natalem Alexandr. Tom. VIII. pag. 542.

FRISINGÆ SYNODUS

Anno Chriſti MCCCCXXXVIII. Eugenii IV. Pp. VIII. Alberti II. Reg. I.

EX EPISCOPI NICODEMI ABSENTIS MANDATO.

AD Laudem & Gloriam Omnipotentis DEI, ſalutem quoque Gregis, Reverendo in Chriſto Patri & Domino, Domino NICODEMO, Epiſcopo Friſingenſi, crediti Nos, *Nicolaus de Gumpenberg* Præpoſitus, *Joannes Grunwalder* Decretorum Doctor, Canonicus, ac ejusdem Reverendi Patris in Spiritualibus Vicarius Generalis, Sacræ SYNODI Epiſcopalis ex commiſſione ſpeciali Nobis per eundem deſuper facta Præſidentes, una cum Venerabilibus Patribus & Dominis, Abbatibus, Præpoſitis, Archi-Diaconis, Decanis, & univerſo Clero Diœceſis Friſingenſis, nobiſcum in hac *Sacra Synodo* conſedentibus, ad correctionem exceſſuum & reformationem morum, diligenti & matura deliberatione præhabita, infraſcriptas Conſtitutiones & Statuta ex cauſis rationabilibus ſolempniter & communiter edidimus, concluſimus, & præſentibus promulgamus, ſub pœnis quoque in eis contentis præcipimus inviolabiliter obſervari, & ut infra continetur, anno bis publicari.

Conſtat Capitulis XXXVI, quæ poſt biennium anno 1440. 2. Septembris in alia Synodo Friſingenſi, infra citanda, fuiſſe contracta, & ad pauciora panda reducta: *ait Meichelbeck.*

Datum & actum *Friſingæ* in Aula Epiſcopali ſub anno a Nativitate Domini M. Quadringenteſimo triceſimo octavo, Indi-

Indictione prima, die vero penultima mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini EUGENII, Divina Providentia Papæ QUARTI, anno octavo. In cujus robur & testimonium præmissorum sigillum Vicariatus Episcopi Ecclesiæ Frisingensis sæpe dictis præsentibus duximus imprimendum.

(L.S.)

Meichelbeck. Historiæ Frisingensis Tom. II. pag. 223.

Afferens hanc Synodum paucis notam fuisse, sed ex coævo Ebersbergensi innotuisse sibi. Vellem hujus Synodi Capita expansa ex codice MS. descripsisset *Meichelbeckius*, uti Synodi anni 1440. Capitula dedit.

CONVENTUS MOGUNTINUS
MENSE MARTIO.
Anno Christi MCCCCXXXIX. Eugenii IV. Papæ IX. Alberti II. Cæsaris II.

FUit hic Conventus ingenti Cardinalium, Episcoporum, & Sacerdotum eo confluentium accursu, & eximiis Principum Legationibus celeberrimus. Aderant ex ordine Septemvirorum tres Archi-Episcopi THEODORICUS Coloniensis, THEODORICUS Moguntinensis, & RABANUS Trevirensis, interque exteros Archi-Episcopus Turonensis. Accessere Episcopi ex Gallia, Hispania & Italia cum Aquilejensi patriarcha. Summa fere rei deliberandæ erat concordia Ecclesiæ: quando satis intelligebat Pontifex Patres Basileæ non tam in hæreses extinguendas, & disciplinam Ecclesiæ reparandam, quam in se deprimendum, exuendumque Pontificia dignitate intentos, omnia consilia agitare. Hinc quantum Pontifex connisus Basileense Concilium dissipare; tantum Basileenses obnixi, ne loco moverentur. Jam vero ubi Moguntiæ ad disceptationem ventum, Theodoricus Agrippinensis Archi-Episcopus, ut qui potentia, generis claritudine & auctoritate facile inter omnes eminebat, prolocutus, pro Patribus Basileæ retinendis, & decretis Basileensis Concilii recipiendis sententiam dixit: quem Theodoricus Moguntinus, & Rabanus Trevirensis Archi-Episcopi secuti.

Interim cum aliis Moguntiam accessit Nicolaus Cusanus, (*) qui sicuti antea Concilio Basileensi obtulerat *tres libros de Concordia Ecclesiæ*; magna a se cura, magnaque ingenii laude elaboratos; ita pro Eugenii Pontificis auctoritate in hoc Conventu Episcoporum, & Principum libere & acerrime peroravit.

At quantum ille in præsenti, cæterique Pontificis Legati, & cum his integriores viri pro Eugenio contenderent, nihil tamen in hoc Moguntino Conventu impetrare licuit. Mansere pertinaces Septemviri: recepta sunt decreta Concilii Basileensis & Germanis imperata: Statutum, retinere Patres Basileæ in Synodo: neque vetitum illis, quominus in jus vocarent ipsum Pontificem.

Schaten. Annal. Paderb. T. II. L. XVI. ex Ænea Sylvii de Gestis Concil. Basileens. & Raynald. Hist. Eccl.

(*) Hercules omnium Eugeniarum partium Nicolaus Cusanus existimatus est, homo & priscarum literarum eruditissimus, & multarum rerum usu perdoctus: hic omne studium suum, omnemque conatum in defensione Eugenii collocavit. *Æneas Sylv.*

Idem Pactum Concordiæ, inter sex Electores contra quodvis a quovis excitandum schisma, initum anno 1439. die S. Martini in Conventu Francofurtensi, refert *Gudenus Tomo IV. Codicis Diplomatici pag.* 249. *No. CXIV. editionis Francofurtensis anni* 1758.

SYNODI SALISBURG. MENTIO

Anno Christi MCCCCXL. Eugenii IV. Papæ X. Friderici III. Regis I.

SUB JOANNE II. (a) ARCHI-EPISCOPO.

JOANNES per Literas sollicitatus ab Principibus Imperii Moguntiæ & Francofurti congregatis, ut Eugenio adhæreret, cæterum Neutralitatem amplecteretur. Iterum per Literas sollicitatus a Congregatis Basileæ, ut Concilio præ Eugenio adhæreret (b) incertus, quo se verteret, constituit evocato suorum Concilio deliberationem suscipere.

Misit etiam Literas ad Academicos Viennenses, oravitque, ut sibi submitterent ad Congregationem, quam ipse facere cogitabat cum suis Episcopis Suffraganeis, ac Ambassiatoribus Principum sæcularium in sua Provincia residentium aliquos Doctores Divini & humani juris ad cogitandum ac deliberandum quid sibi expediat.

Quid in Synodo Salisburgensi statutum, aut quam in sententiam itum fuerit idoneis instrumentis, *non instruimur*, ait Hansizius. (c)

Illud videtur. Patres negotium remisisse ad ulteriorem indaginem. Archi-Episcopus certe ad Fridericum III. Regem tunc Literas dedit, quibus eum orabat, uti rem per viros doctos disceptari curaret, eorumque judicium sibi perscriberet: quum incertum haberet, quo vela verteret, utrum Concilio se applicaret? an potius eorum partibus, qui *Neutrales* vocabantur, accederet?

Rex eodem anno MCCCCXL. Doctores Universitatis Viennensis per Epistolam hortatus est, uti cum Episcopis Passaviensi & Frisingensi certum in locum convenirent; consulerentque in medium, quid in causa Neutralitatis Germanicæ Archi-Episcopo respondendum, quid Concilii dandum esset?

Doctores inito cœtu, quum diu multumque dissererent, ad extremum re infecta discesserunt, propterea, quod Magistri duorum classium Theologiæ videlicet & Artium censerent standum pro Concilio, minimeque ad partem *Neutralium* accedendum. Multi Doctorum sententiam scripto complexi sunt.

Hactenus Hansiz. S. J. Parte II. Germaniæ sacræ pag. 476.

(a) Joannes II. de Reisperger concordi suffragio electus Archi-Episcopus Salisburgensis XXXIX. mense Aprili. Obiit anno 1441. ultima Septembris, constanter adhærens legitimo Papæ Eugenio.

(b) Epistolam Concilii refert *Hansizius Tomo II. Germaniæ sacræ pag.* 475. e MS. Cæsareo.

(c) *Loco citato pag.* 476.

ORATIO SYNODALIS

Anno Christi MCCCCXL. Eugenii IV. Papæ X. Friderici III. Regis I.

Habita ad SYNODUM FRISINGENSEM SUB NICODEMO EPISCOPO,

DE VERBIS EVANGELISTÆ: *Ascendens JESUS in Naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam.*

REverendissime Pater! (a) Sedis hujus Præsul alme, Sacra Frisingensis Synode, singuli quoque Patres in Christo, Abbates Reverendi, Docto-

res

res Egregii, Venerabiles Præpositi, præcolendi Prælati, honorabiles populorum Pastores, cæterique quibuscunque dignitatum, meritorumve insigniti, Domini mei ac Patres præstantissimi. Convenientibus Nobis in unum in nomine Domini, tractaturis de his, quæ ad Dei laudem, & Ecclesiarum opportunitatem pertinent, provisuris, audituris, acturis, & facturis. Dominum & Magistrum nostrum, unigenitum Dei Filium, omni propulsa dubietate, præsentem esse certissime credamus, non enim efficacia carere potest promissionis ejus verbum illud: *Ubicumque duo vel tres in nomine meo congregati fuerint,*(b) *ego ero in medio eorum;* dicente eo: *cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Ad hunc Pratres optimi dirigite mentes, hujus imploremus auxilium, quo sine nullum rite fundatur exordium: quatenus ipse nostram ascendens naviculam, sic regat, ita dirigat, taliter salvet, ut nullis marinis obstantibus turbationibus, Synodalium actuum efficaci exequutione solutis ad portum transfretemus, sed & mihi quæso non sufficienti cogitare aliquid ex me, quasi ex me, Patres colendissimi, gratiam postulantes intervenite: ut & idem Dominus noster JESUS Christus naviculam meam ascendens, defectum meum supplendo, opus quod cœpi, Nobis omnibus ut profit ad salutem, terminare dignetur: quatensin Domino gloriantes, Apostolicum illud eulogium vere dicere valeamus: *Sufficientia nostra ex Deo est.*(c) Quod ut facilius impetremus, thronum gratiæ, Dei Genitricem, Virginem scilicet Mariam fiducialiter adeamus, & ejus Patrocinium mentalibus lacrymis exigentes imploremus, ut ea quasi Navicula mediante, quam JESUS ascendit sua in Incarnatione, Nobis transmittatur, quo promissio illa Divina verificetur, qua dicitur: *Dilata os tuum & ego implebo illud.*(d) Quod ut fiat ipsi offeramus illud Ave supra modum suave: voce suppressa; sed affectu prægrandi dicentes: AVE MARIA GRATIA PLENA.

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit & venit in civitatem suam.

Reverendissime Pater! Sacraque Frisingensis Synode: septuplex Nobis occurrit mystica navicula, qua ascensa Unigenitus Dei Filius transfretavit, & venit in civitatem suam. Est quippe navicula una pretiosa nimis, benedicta scilicet natura Christi, quam Dominus JESUS suam per Incarnationem ascendit, ut ejus officio carnis ad unionem perveniret, quam anima mediante credimus eum assumpsisse (ut testatur hoc Augustinus) unde navicula illa mediante ad carnem veniens transfretavit, & venit in civitatem suam. Est navicula secunda ejusdem Christi innocentissima humanitas, qua mediante ipse conceptus in Virginem velut aliam suam in civitatem veniens transfretavit. Est & tertia navicula Virgo scilicet Maria, quam Dominus JESUS, cum ejus in utero conciperetur, ascendens transfretavit, ut hunc in mundum velut suam ad civitatem veniret. In propria enim venit, & sui eum non receperunt. Hac de navicula accipi potest, quod de muliere forti sapiens cecinerat, cum diceret: *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum.* Est quoque navicula quarta, Crux scilicet Christi gloriosa, quam ipse sua passione ascenderat, & ea mediante transfretavit, & venit in limbum Patrum, civitatem suam, quam tunc fluminis impetus lætificavit. Est insuper navicula quinta, Ecclesia Christi militans, aut quævis fidelium congregatio. Sicut enim mare transeuntibus nulla est salus, nisi in navi: ita mundum illum itinerantes, nisi Ecclesiæ Filii fuerint in fide, spe & charitate, salutem nullam consequentur. Hanc naviculam puto Paulum significasse, cum diceret: *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Est denique navicula sexta, ipsa charitas, per quam Spiritus Sanctus mentem humanam inhabitans, quasi super aquas ferri videtur, nisi etenim humana mens aqua foret, nequaquam scriptura diceret: *Pravum est cor hominis,* &

(a) Orationis hujus habitæ Scriptor & Declamator erat Joannes Kokkius, S. Theologiæ & Artium Liberalium Magister, & Decretorum Doctor, Monachus Tegernseensis. *Meichelbeck pag. 224. Tom. II. Histor. Frisingensis.*
(b) Matthæi XVIII. & XXIV. Capp. (c) II. Corinth. III. (d) Psalmo LXXX.

& inscrutabile, & quis cognoscet illud? Est demum navicula septima pœnitentia Sacramentalis, per quam quasi secundam tabulam post naufragium, Christo per gratiam suam eam ascendente, transtretrantes venimus in civitatem suam, Sanctam scilicet Ecclesiam. Hæc de naviculæ in bono acceptæ enumeratione dicta sufficiant. Posset etiam naviculæ nominatio enumerari per aliquam ipsius acceptionem in malo, de qua ipsius acceptione est etiam illud: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Sed quorsum ista? ad propositum igitur revertentes, omnibus naviculis aliis omissis, quintam duntaxat prosequamur. Sed valde mihi verendum est, ne, dum bona, quæ novi hac de congregatione, in medium produco, in laudando largus plus, quam satis est, adulationis vitio reprehendar. Et rursus, dum vitia detestor, quibus forte congregationis hujus personæ nonnullæ, vel reæ habentur, vel suspectæ: non ut oportet verba modificando (cum lingua in lubrico sit posita) Divini contemptus reus fiam: veritate dicente: *Qui vos spernit me spernit.* Qui enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Occurrit vulgati Proverbii consilium: *Parce lauda parcius vitupera.* Inter utrumque igitur, quantum valeo, medius iter agam. Confido nempe, Sacra Frisingensis Synode, de tui pro me apud Deum, interventus efficacia. Supplebis etiam, non dubito, meos de tua dignatione defectus. Sic itaque tibi commendatus, cœtus colendissime, jam te Dominicam naviculam mihi videor ascendisse. Lætus igitur proficiscar ascendens: *Hoc mare magnum, & spaciosum manibus, operationes facturus in aquis multis.* Ascendam illuc usque ad cœlos, & contemplabor bona tibi collata, cœtus optime: opera Domini visurus, & mirabilia ejus in profundo, dum videlicet, quæ spectant dignitatis ad excellentiam, quæ (quantum ad propositum sufficit) in sex punctis mihi visa sunt contineri: scilicet in institutionis electione, in administrationis authoritate, in excellenti sublimatione, in singulari educatione, in pretiosi commendatione, & in tui luminosa irridatione. Quantum ad primum de electione audi Apostolum de te quid dicat, tuam nempe personam induens, inquit: *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Et Veritas ipsa dicit: *Ego vos elegi de mundo.* De secundo autem, scilicet de Administrationis authoritate Dominus inquit: *Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis.* Tertium autem scilicet excellens sublimatio, sic persuadetur. Officiorum dignitas sumi debet penes suorum actuum dignitatem, & actuum dignitas penes dignitatem objectorum. Sed quod est objectum Sacrosancto Corpore Domini nostri JESU Christi dignius? Quis hujus vitæ exterior actus sublimior, honorabilior, & delectabilior esse potest Sacramenti Dominici corporis confectione, aut contrectatione? unde Beatus Bernardus: *Credimus*, inquit, *quia non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Stupet cœlum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum angelica celsitudo.* Et paulo post. *Hæc est vere cumulata gloria, hæc est vere cœlestis indulgentia, hæc est super excellens gratia, Sacerdotem suis manibus Deum tenere, & aliis dando porrigere.* Hæc ille. De quarto, scilicet de singulari educatione, audi Dominum ad te loquentem, cum in veteri testamento dicit: *Non habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas vestra in medio Filiorum Israel.* Quid enim est aliud victus tuus, Sacra Synode, nisi quod Divina inspiratione homines non tibi, sed Deo obtulerunt, & in præsenti adhuc offerunt? Pro quinto autem, quod est pretiosi commendatio, est advertendum, quod ad pretiosa & chara, sicut sunt thesauri, & cætera similia, homines multum sunt solliciti. Unde quam sint talia eorum æstimatione pretiosa, ex nullo melius, quam ex diligenti cordis appositione ad talia perpendi potest: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Sed Deus ad animam humanam in tantum cor apponit, ut hoc Beatus Job non immerito admirari cogeretur. Unde dicit: *Quid est homo, quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum?* An non thesaurus tibi videtur, pro quo proprio Filio suo non pepercit Deus? pro Nobis enim omnibus tradidit illum. Nihil certe aliud reperies in universo mundo, pro quo mori dignatus sit. Ecce Angelus sicut homo peccavit, sed non Deus redemit eum, sed animam humanam. Illam autem si pretiosam tuæ curæ commisit, hanc certe, si pe-

ſi perierit, tua de manu requiſiturus eſt, dicente eo: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* De ſexto ſcilicet de luminoſa irradiatione Dominum audiamus dicentem: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a patre meo, nota feci vobis. Non autem taliter fecit omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Hæc omnia Beatus Petrus brevi ſermone complexus eſt. *Vos* inquit, *eſtis genus electum* (ecce electio quoad primum) *regale Sacerdotium* (ecce adminiſtratio quoad ſecundum) *gens ſancta* (ecce ſublimatio quoad tertium) *Populus acquiſitionis* (ecce educatio quoad quartum) *ut virtutes ejus annuntietis* (ecce pretioſi commendatio quoad quintum) *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* (Ecce illuminatio quoad ſextum) Age itaque gratias, cœtus optime, ei, qui *omnia ſubjecit ſub pedibus tuis*, te vero nulli. *Deus enim ſtetit in Synagoga Deorum*, id eſt in Synodo Sacerdotum: in medio autem eorum non aliquis Regum terræ, non Angelus, non Archangelus, non Principatus, non Poteſtas, non denique Virtus, aut Dominatio, nec demum de Cherubim, aut Seraphim Spiritus aliquis, ſed Deus ibi dijudicat, ſi hoc modicum eſt tibi, audi quod majus eſt. *An neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quoniam Angelos judicabimus*? eapropter vos Sancti Dei vocabimini ſacris in litteris, non ſolum Principes terræ, ut ibi: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Aut *Principes populorum*, ut ibi: Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Sed ſæpe Angeli, aut apud Malachiam Prophetam, ubi dicitur: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirent de ore ejus: quin Angelus Domini exercituum eſt.* Quod forte adhuc modicum eſſet, niſi etiam nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, tibi communicaſſet: ut videlicet etiam te Deum dignaretur appellare, ut ibi: *Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*: Et ego dixi: *Dii eſtis & filii excelſi omnes.* Unde & Moyſi dictum legimus: *Ego te conſtitui Deum Pharaonis.* Taceo de ſingulari perexcellentique privilegio illo, quo te quaſi Divinæ Majeſtatis aliquali omnipotentia honoravit, ut non ſolo nomine, ſed etiam re ipſa Deus eſſe merearis: cum ſcilicet authoritatem tibi communicavit miraculum illud grande faciendi, ut quoties tu volueris, & quodcumque, de cœlo ad terram, & ad te Deum quaſi trahere poſſis, & queas in Sacramenti, Corporis ſcilicet & Sanguinis Dominici confectione. Perpende, ſi poſſis, an majus ſit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, creare de nihilo, vel panem & vinum in Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU Chriſti tranſubſtantiare? & hanc tamen actionem ſic mirabilem, tantamque virtutem requirentem, tibi utcunque dignatus eſt communicare. Nonne hac actione omnipotenti virtute quadam te dotavit, & præ creaturis aliis, imo præ ipſis ſpiritibus angelicis dignificavit? ſic ecce per te quaſi quandam per navem in mirabili iſta actione, & Sacramenti confectione de cœlorum regno in hanc lachrymarum vallem transfretando, tranſire dignatur velut *De gente in gentem, & de regno ad populum alterum*: ut ſic facta ſis, Sacra Synode, quaſi navis inſtitoris de longe (quia de cœlo) portans panem ſuum (quia Chriſtum in Sacramento Altaris). Hæc ſunt Patres optimi! quæ cœlum aſcendentes perſpeximus: Nunc autem aliquando deſcendemus uſque ad abyſſos, ut videamus mirabilia in profundo, abominationes ſcilicet peſſimas, fornicationes, negligentias, ſcandalaque plurima, & cætera ſimilia. Illic nempe *reptibilia, quorum non eſt numerus*: *animalia puſilla cum magnis.* Illic negociorum ſæcularium naves pertranſibunt. Draco etiam ille, ſuperbiæ ſcilicet Tyrannus, quem Dominus formavit, id eſt formari permiſit, ad illudendum ei, in die ſcilicet retributionis, cum fiet, quod ſcriptum eſt: *Qui ſe exaltat humiliabitur.* Illic videbis *quomodo obſcuratum ſit aurum, mutatus color optimus*, & aurum verſum in ſcoriam. Jam enim *refriguit charitas multorum & abundavit iniquitas*: jam *fides ſine operibus mortua eſt.* Intramus quidem Eccleſias, Miſſas facimus & audimus, de Chriſto loquimur, de Chriſtiano ſeu Clericali nomine gloriamur. Sed quid hæc omnia; Profecto nihil niſi tunica Joſeph, id eſt exterior apparatus: Filium autem, id eſt cordis debitam intentionem fera peſſima devoravit. Non eſt enim veritas non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, furtum & homicidium inundaverunt: & ſanguis ſanguinem tetigit. Jam heu experientia cognoſcimus præſentia eſſe tempora illa periculoſa, quæ olim

olim Apoſtolus prædixit eſſe ventura. *Erunt*, inquit, *homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Quod autem hæc omnia noſtra accidant de culpa tam in Clero, quam in populo, mihi forte dicenti non crederetur. Audiamus ergo magnæ authoritatis virum Chryſoſtomum Salvatoris noſtri in Hieruſalem venientis ingreſſum in templum tractantis. *Hoc erat*, inquit, *boni medici, ut ingreſſus ad infirmam civitatem ſalvandam, primum ad originem paſſionis intenderet.* Nam ſicut de templo omne bonum, ſic & omne malum procedit. Quemadmodum medicus quando primum ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho ejus interrogat, & eum componere feſtinat: quia ſi ſtomachus ſanus fuerit, totum corpus validum erit: ſi autem diſſipatus fuerit, totum corpus infirmum eſt. Ita ſi Sacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret: ſi autem corruptum fuerit, omnium fides marcida. Et paulo poſt: *Vere*, inquit, *quemadmodum cum videris arborem pallentem, foliis marcidam: intelligis, quia aliquam talpam habet ad radicem. Ita cum videris populum indiſciplinatum, & irreligioſum, tunc cognoſce, quia Sacerdotium non eſt ſanum.* Hæc ille. Ecce naves iſtas videmus ad abyſſos deſcendendo, hoc noſtro tempore illic pertranſeuntes. Non utique ſunt illæ, quas Dominus aſcendat, ſed quas confringat & conterat: dicente Pſalmiſta: *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.* Caveamus igitur Patres optimi, ne poſtquam velut navicula Chriſtum aſcendentem ſuam per gratiam accepimus, noſtro vitio in navem Tharſenſem conterendam convertamur: ſed ſatagamus potius, ut nobis mediantibus Chriſtus velut ſua navicula transfretaturus ſuis in membris noſtræ curæ commiſſis, veniat in civitatem ſuam, Hieruſalem ſcilicet ſupernam: Thema noſtrum verificaturus, quod erat.

Aſcendens JESUS in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem ſuam.

CONvenientibus itaque Nobis in unum PP. optimi, navibus illis, quas Tharſenſes diximus, noſtra culpa (ut vidimus) hujus mundi mare magnum tranſeuntibus, in ſpiritu vehementi conterendis eſt inſiſtendum: ut ſic, quod noſtra culpa fuit actum, nobis pœnitentiam agentibus deſtruatur, quod fieri poterit tripliciter: ſcilicet ſatagendo ad debitam ſubditorum correctionem, ædificando per boni operis actionem, & ad finem dirigendo per ſalutiferam ſuaſionem. Primum notatur per ipſius JESU in naviculam aſcenſionem, cum in themate præmittitur, aſcendens JESUS in naviculam. Secundum per Navigationis laborioſam actionem, cum ſubditur: Transfretavit. Tertium per finis gaudioſam adeptionem, ubi concluditur: & venit in civitatem ſuam. Primum eſt ſoliciti Paſtoris. Secundum exemplaris operatoris. Tertium experti ductoris, & confirmatoris. Per primum ſubditi purgantur, per ſecundum illuminantur, per tertium perficiuntur. Pro primo facit, quod dicitur: *Cum autem aſcendiſſet in naviculam, ceſſavit ventus:* quia *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas.* Ecce purgativa correctio, quoad primum. Ad concordandum ſecundum accedat, quod dicitur apud Lucam: *Sedens de Navicula, docebat eos.* Ecce illuminativa operatio quoad ſecundum. Pro tertii conſonantia contendit, quod habetur ibidem, quo dicitur: *Subductis ad terram navibus, relictis omnibus, ſequuti ſunt eum.* Ecce perfectiva ſuaſio quoad tertium. Dixi primo, quod navium contritio, quas non aſcendit Chriſtus, fiat ſatagendo debitam ad ſubditorum correctionem: quæ notatur, cum in themate præmittitur: *Aſcendens JESUS in naviculam.* Eo nempe naviculam aſcendente, & ventis, & mari imperante, ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas; ſic correpto impio, recedit a ſua via mala: dicente Pſalmiſta: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt.* Ceſſant enim tunc impetus paſſionum, & fit tranquillitas & pax in corde ipſius, ut fiat jam templum Domini ſanctum. *In*

pace

pace etenim factus est locus ejus. Hic est effectus soliciti Pastoris & boni, qui animam suam ponit pro ovibus suis, qui intrat in ovile per ostium, non aliunde. Qui quidem ovilis ingressus hic designatur per ascensionem in naviculam. Qui etiam ingressus per ostium fit, si debita fiat intentione, hoc est, ovium ad salutem, ut scilicet Pastoris præsentia ventus cesset tentationum. Econtrario mercenarius & neglector, & qui non intrat in ovile per ostium, sed aliunde, ventos non sedat, sed suscitat. Videt enim lupum venientem, & fugit, quia mercenarius est. Est autem mercenarius (si Beato Gregorio credimus) qui lucris terrenis & commodis inhiat, Prælationis honore gaudet, temporalibus lucris pascitur, impenso ab hominibus honore lætatur. Ille ergo videt lupum venientem & fugit. Lupus autem venit, cum per sævitiam malorum boni tribulantur. Sed utinam nostri temporis mercenarii, non prius fugerent, quam lupum venientem viderent. Qui (pro dolor) ad flatum verbi, ad auræ sonitum, ad solas scilicet Tyranni quaslibet minas fugiunt: aut quomodolibet aliter, rationabili, aut legitima causa non exigente, suis ab ovibus & parochiis se absentant. Fugiunt, inquam, non mutando locum, sed subtrahendo subsidium. Fugiunt, quia injustitiam vident & tacent: relinquentes justitiam, ne perdant pecuniam. Quibus Dominus per Ezechielem (*a*) dicit: *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro domo Domini.* Sed ubi quæso hodie, qui se malis & vitiis viriliter opponat, qui publice peccantes arguat, justitiam defendat, ac faciat? Non sunt (heu) temporibus istis defensores in murum æreum, sed parietes inclinati, & maceriæ depulsæ. Non utique tanta foret malorum audacia, nisi viderent Clericorum timiditatem, & dissolutionem Prælatorum. Sed audi, quisquis es ille, qui derelicta non visitas, dispersa non quæris, contrita non sanas, & quod stat non nutris, qui carnes pinguium comedis, Propheticam exprobrationem. Inquit enim: *O Pastor & Idolum derelinquens gregem.* Et quid quæso est idolum, nisi imago quædam surda & muta, ac ad omne bonum inutilis, & tamen in alto posita rei alicujus speciem gerens, & locum occupans, Divini cultus tolerans exhibitionem: Unde recte Prælatus negligens idolum dicitur: quia vice Dei positus honorem accipit, sed surdus est ad clamorem pauperum miserorum, & mutus ad verbi Dei prædicationem. De quibus Scriptura dicit: *Canes muti non valentes latrare.* Nonne vobis videtur Pastor ille hujusmodi negligentiis suis Dominum sua de navicula non tam verbo, quam facto repellere, ac ipsi dicere: *Domine exi a me, quia peccator ego sum?* Terreat itaque Nos Patres, sententia terribilis, quæ dicit: *Maledictus*, (b) *qui facit opus suum negligenter* (ut dicit una translatio, nostra tamen habet fraudulenter). Surgat itaque, qui dormit, solicite gesturus gregis sibi commissi curam. *Meminerit, quia hora est jam nos de somno surgere.* Et instet oportune importune, arguat, increpet, & obsecret in omni patientia & doctrina. Sed quis sapiens, ut custodiat hæc, & intelligat misericordias Domini. *Vir etenim insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Quia impie agent impii, neque intelligent omnes impii. Porro docti intelligent, docti inquam non solo intellectu illustrati, sed affectu inflammati: qui non tam viderunt, quam gustaverunt, quoniam suavis est Dominus, quem sentiunt suam in naviculam ascendisse. Et tantum de principali primo. Dixi secundo, quod naves Tharsis conteri possint ædificando per boni operis actionem: quæ notatur, cum in themate subditur: *Transfretavit.* Annon bona actio erat, quod JESUS sedens de navicula, docebat eos? Annon hoc faciens, lux in tenebris luxit? Et quia ipsius actio nostra fuit instructio: ideo luceat lux nostra coram hominibus, ut videant nostra bona opera, ut non solo nomine, sed etiam re ipsa simus lux: dicente Domino: *Vos estis lux mundi.* Et ad quid Lux nostra lucere debeat, ostenditur, cum dicitur: *Ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ubi notatur subditorum ædificatio, unde & Dominus nobis hoc expressius significare volens, dicere dignatur: *Vos estis Sal terræ.* Nostra nempe doctrina, & vita bona condiri debent oves nobis subjectæ, ne vitiorum sorde putrescant & fœteant. Pro dolor! Sal illud in multis evanuit hodie,

(*a*) Ezechiel. C. XIII.

(*b*) Jeremiæ C. XLVIII.

die, & adeo eſt infatuatum, ut vel condire, vel a corruptione præſervare nihil queat. Quoniam noſtri temporis Clerici ſunt, heu, affectu crudeles, affatu mendaces, habitu ſæculares, geſtu incompoſiti, victu luxurioſi, actu impii, & ſub vacuo Sanctitatis nomine ſancti nominis derogant diſciplinæ: ita ut jam ſit *Sacerdos ſicut populus.* Laici quippe Clericos videntes ſibi conformes in vanitate, iniquitate, & malitia, audientesque eorum verba malitiæ ad *excuſandas excuſationes in peccatis*, quibus dicunt: homines ſumus ſicut vos non valentes reſiſtere: ſibi putant conſimiliter licere. Porro ſalis infatuationem ex duobus accipimus. Primo ex populi fœtore. Si enim nos, qui ſpirituales ſumus, melius condiremus, melior utique ab eis famæ noſtræ procederet odor. Sed quia malo exemplo noſtro fœtere fecimus odorem noſtrum coram eis, cogimur etiam ſentire fœtorem eorum, & omne malum de nobis audire. Impletum eſt itaque illud Eſaiæ Vaticinium: interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus aſcendet fœtor, & tabeſcent montes a ſanguine eorum. Interfecti quippe projiciuntur, dum a Prælatis de animarum morte nihil curatur, ſed de cadaveribus fœtor aſcendit, & tabeſcunt montes, quando ſubditorum malitia etiam Presbyteros inficit, & confundit Prælatos: ut tam in propria, quam in ipſorum ſalute deficiant. Secundo ſalis infatuationem cognoſcimus ex ejus conculcatione. De ſale namque infatuato Veritas dicit, quod ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Anne conculcatio ſit, quod tam multum repleti ſumus deſpectione. Facti quippe ſumus in Proverbium, & deriſum omni populo, opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis: ut jam fere quilibet horreat Sacerdotium, niſi in quantum quis dives eſſe cupit, aut præbendam pinguem habere deſiderat. Et unde iſta, niſi quia ſal non ſumus: vel ſi ſumus ſal, infatuatum ſumus? Dicit autem Veritas, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Quaſi diceret: in nullo. Vis vere ergo ſalire, cœtus optime, vis condire, vis populum a dicto vitiorum fœtore præſervare, quod ſal non infatuatum ſis, oportet. Operemur igitur bonum ad omnes, dum tempus habemus. Terreat terribilis illa ſententia. Sciant Rectores, quod tot mortibus digni ſint, quot perditionis exempla in ſubditos tranſmittunt. Simus igitur Chriſti bonus odor in omni loco, & jam in ipſa navicula noſtra Chriſti exemplo transfretamus. Et tantum quidem dictum ſit de principali ſecundo. Dixi tertio, quod navium contritio malarum fieri habeat finis directione per ſalutiferam ſuaſionem. Quod notatur, cum in themate concluditur: *Et venit in civitatem ſuam.* Ecce terminus. Unumquodque autem tunc eſt perfectum, cum ſuum attigerit finem. Hinc eſt, quod ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus, ſequuti ſunt eum, conſilium perfectionis exequentes, quo dicitur: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni & ſequere me.* Perfecti itaque eſtote Patres optimi, & jam ipſa perfectionis exequutione alios perficietis. Aperta jam nobis eſſet via dicendi de Epiſcoporum & Religioſorum perfectione, & de utriuſque ſtatus differentia, & officio & lapſu: ſed quoniam ſermonis ad finem properamus, illa tranſimus, in tempus aliud reſervantes. Unum tamen his duobus de ſtatibus ſilentio non prætereamus: quoniam ſi eorum Profeſſores, Pontifices ſcilicet & Religioſi tam re, quam nomine, tam opere, quam verbi profeſſione cultores eſſent in vinea Domini: mala, quæ memoravimus ſupra, procul dubio forent pauciora. Nunc vero, quia Structores ſunt nomine, re vero deſtructores: ideo venerunt ſuper nos mala hæc omnia, ut ſit, ſicut prophetatum eſt: *Venerunt Structores, deſtruentes te.* Nonne ſtructores deſtruunt, quando Evangelicam viam, quæ arcta eſt, latam mentiuntur? cùm peccata gravia, ebrietates, commeſſationes, choreas, adulteria, contentiones, rixas, & cætera hujuſmodi millia prætendunt, imo laudant? Vis audire deſtructores? Quoniam inquit Propheta: *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Exacerbavit Dominum peccator.* Clericos nempe communicantes cum laicis in prædictis criminibus non raro vel negare oportet Scripturam, ſeu pervertere, & fortaſſis errores, aut hæreſes afferre, & Dei veritatem in mendacium commutare, & aliis bonis viris non com-

communicantibus ob hoc detrahere, si non velint tam aperte confundi, & velut desperati reputari. Sunt & alii destructores, qui raptores, usurarios, falsarios, incendiarios, sodomitas, & quantumlibet magnis peccatis immersos, nullam quandoque in eos auctoritatem habentes, pro modica pecunia, vel exiguo prandio, aut solo favore consequendo promptissime absolvunt, levissimas ponentes pœnitentias, & maximas indulgentias: sicque de facilitate veniæ incentivum præbent delinquendi. Contra quos apud Ezechielem dicitur: *Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Quæ quidem verba idem Ezechiel exponens subdit, ut *caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmentum panis: ut interficerent animas, quæ non moriuntur: ut vivificarent animas, quæ non vivunt: mentientes populo meo, credenti mendaciis.* Et infra subditur: *Mœrere fecistis cor justi mendaciter, quoniam ego non contristavi, & confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, & viveret.*

Nescio, quid apertius dicere possem nostrum ad propositum, quam illa Prophetæ verba. Tales non utique sunt Pastores boni, imo nec mercenarii. Sed in vestibus ovium venientes Dominicum ad gregem, intrinsecus latitant lupi rapaces, devorantes plebem Domini, sicut escam panis. Quid putatis ergo de gregibus agitur, si lupi Pastores fiunt? Hæc sunt PP. optimi, quæ in unum convenientes in nomine Domini eradicare debemus. Videamus itaque, ut gratia Dei in nobis vacua non sit, neque in vanum eam accipiamus, negligentias emendemus, scandala vitemus, mala quantum possumus, impediamus: ut sic per hujus mundi mare transfretantes, quilibet ex nobis veniat in civitatem suam, Hierusalem scilicet supernam. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster JESUS CHRISTUS, nostram hanc præsentem naviculam ascensurus. Amen.

R. P. Meichelbeck Hist. Frising. Tom. II. Parte Instrument. pag. 246.

CONCILIUM FRISINGENSE

IN CAUSA ECCLESIASTICARUM CONSTITUTIONUM, TEMPORE NICODEMI, DE SCALA EPISCOPI CELEBRATUM

Anno Christi MCCCCXL. Eugenii IV. Papæ X. Friderici III. Regis I.

TITULI CAPITULORUM.

I. De Clericis peregrinis & ignotis.
II. De Judiciis.
III. De Foro competenti.
IV. De vita & honestate Clericorum.
V. De cohabitatione Clericorum & mulierum.
VI. De Clericis non residentibus in Ecclesiis vel Præbendis.
VII. De Præbendis & Dignitatibus.
VIII. De concessionibus Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.
IX. De rebus Ecclesiæ non alienandis.
X. De Sepulturis.
XI. De Decimis.
XII. De Regularibus & eorum statu.
XIII. De jure Patronatus & Advocatis Ecclesiarum.
XIV. De censibus & exactionibus.
XV. De benedictione salis, & aspersorii diebus Dominicis.
XVI. De celebratione Missarum.
XVII. De Baptismo.

PRÆFATIO.

AD laudem & gloriam Dei Omnipotentis, salutem quoque gregis Nobis crediti. Nos NICODEMUS ejusdem gratia Episcopus Frisingensis, una cum Venerabilibus Fratribus nostris sincere dilectis, Nicolao Præposito, Henrico Decano, totoque Capitulo Ecclesiæ nostræ Frisingensis, nec non Venerabilibus Patribus, Honorabilibusque Nobis in Christo dilectis Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Decanis, ac universo Clero nostræ Diœcesis, Nobis in hac Sacra Synodo assistentibus, ad coercitionem excessuum, reformationemque morum, diligenti ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones, & statuta ex causis rationabilibus solemniter, & communiter edidimus, & præsentibus promulgamus, sub pœnis quoque in eis contentis præcipimus inviolabiliter observari, & ut infra continetur, in anno bis publicari.

CAPITULA.

I.

QUia Pastorali sollicitudini incumbit, subditis providere, ne ab ignotis seducantur, quos nonnunquam percepimus retroactis temporibus abjectos, & quod detestabilius est, facinorosos, inhabiles circa Divina, se ingessisse in animarum pericula, & scandala plurimorum: districte sub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus universis nostræ Diœcesis Prælatis, Decanis, Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, & Vice-Plebanis, ne de cetero aliquem alienæ Diœcesis, seu ignotum etiam peregrinum se pro Presbytero, seu in sacris constituto gerentem, ad ipsorum consortium, Sacramentorum & Sacramentalium administrationem, vel alias ad regimen quoquomodo admittant, nisi desuper literis nostris, aut Vicarii nostri patentibus, aut aliis legitimis documentis fuerint certificati.

II.

Ne quisquam laicus vexetur per inanem citationem laboribus & expensis, statuimus, & præcipimus omnibus Judicibus Ecclesiasticis nostræ Diœcesis, ne laicos quoslibet, ad audiendum sui citent vel evocent, nisi causam citationis exprimant nominatim & expresse, quæ ad forum pertineat Ecclesiasticum de jure vel consuetudine; nec citatum super aliis causis quam in citatorio expressis respondere compellant. Quoniam frustra forent judiciorum strepitus & diffinitiones, si non fierent earundem exsecutiones, statuimus, & sub excommunictionis pœna mandamus omnibus, & singulis nostris subditis, quod tam nostra, quam aliorum nostrorum judicum jussa, præcepta, mandata, sententias, & processus cujuscunque continentiæ aut tenoris, firmiter sibi destinata devote recipiant, & fideliter exsequantur, nuncios eorundem benevole acceptent, ad vindictam vel offensionem nullatenus prodeant; per proprium sigillum, si habuerint, in signum exsecutionis celebratæ literas ipsas una cum subscriptione muniant & consignent, si quis autem contemptor, vel neglector fuerit in aliquo præmissorum, ad præfatam pœnam, & nihilomnus parti læsæ teneatur ad resarciendum expensas, & damna pariter, & interesse, præmissa nostra taxatione, vel judi-

judicum eorundem, a quibus prædicta emanarunt, & hoc quantum in litem fuerit juratum.

I I I.

Quia privilegium fori Ecclesiæ est immediate a jure Divino, quandoquidem nec consensus, nec tolerantia excusare potest; animarum periculis providere volentes, statuimus, & universis Christi fidelibus nostræ Diœcesis districte præcipiendo inhibemus, ne quemquam Clericum, aut personam Ecclesiasticam, Capitulum, aut Collegium quodcunque ad judicium forense trahant: judicibus quoque forensibus, ne quemquam eorumdem coram se experiri cogant. Alioquin tam actor quam judex sententiam excommunicationis ipso facto incurrant. In qua ipsos, & ipsorum Plebanos, dum in scriptis legitime requisiti fuerint, similiter sub eadem excomunicationis pœna volumus illico excommunicatos publice denunciari, numquam ad absolutionis Beneficium admittendos, donec parti læsæ super injuriis, & expensis taliter irrogatis caveant, vel satisfaciant competenter, secundum æstimationem, & declarationem legitimas, coram Nobis, vel Judice Ecclesiæ nostræ rite faciendas. Salva nihilominus exactione pœnarum in constitutionibus aliis super hoc per Sedem Apostolicam, & in Concilio Provinciali promulgatarum.

Inhibemus, & sub pœna excommunicationis interdicimus omnibus Christi Fidelibus, Clericis, & laicis nostræ Diœcesis, ut nullus ipsorum contra dictum Salvatoris, & Sacros Canones sine jussu nostro, aut Vicarii nostri speciali, præter judices Capituli nostri Archidiaconi in Raëttnbuch per Archidiaconum ibidem, de causis matrimonialibus diffiniat, aut agnoscere præsumat. Licet illorum, qui occulte Dei judicio afferunt, lepræ morbo percussi separatio a communione hominum majoribus gradibus Ecclesiæ dumtaxat secundum expertorum modicorum examen sit credita; frequenti tamen querelarum assertione percepimus, plures innocenter separatos, alios separandos toleratos: præsenti statuto sub excommunicationis pœna inhibemus, quod nullus deinceps nostræ Diœcesis Clericus, laicus quocumque modo, vel forma quemquam sua temeritate audeat judicare leprosum, vel ab hominum separare communione. Sed universis & singulis sub nostra Diœcesi degentibus districte præcipimus, quod suborta fama contra quemquam, quod lepræ morbo percussus sit, talem nostræ, aut Vicarii nostri transmittat audientiæ, tamquam ad Sacerdotem Leviticum per Nos, aut Vicarium nostrum amplius examini medicorum subjiciendum pro experimento, an rumori veritas suffragetur: hoc tamen, nisi casus adeo sit indubitatus, quod tergiversatione nequeat occultari, puta, cum infirmus aperte profitetur, quod manus Domini tetigerit eum.

I V.

Quia Clericorum est, in se ipsis implere voluntatem Domini, & lucere per honestam conversationem, qualiter alios oportet in domo Domini conversari, Sacra Synodo approbante statuimus, volumus, & mandamus, universos Clericos nostræ Diœcesis, Præpositum, Beneficiatos, & in sacris constitutos honeste, clericaliter, & devote se exhibere: a crapula, & ebrietate abstinere, mitras caudatas penitus dimittere; cingulos, & monilia auro & argento, vel alio metallo excessive ad modum laicorum splendentia abjicere omnino & vitare: vestes non rubei nec viridis coloris deferre desuber clausas, sic quod superior aliis superemineat; ut inferior nequeat maxime in summitate apparenter videri: biretum capiti superpositum cum caputio humeris imposito portare ipsis in publico deambulantibus, contrafacientes vero, ultra pœnam juris communis, per suspensionem a perceptione fructuum Beneficiorum fabricæ applicandorum, secundum quod protervia meruit & excessus, arctius debere per Nos, aut Vicarium nostrum puniri.

Item inhibemus omnibus Clericis supradictis, ne in publico, vel alibi præsentibus laicis tabernas intrent, nisi in itinere constituti, vel alia ex causa rationabili; nec ludos inhonestos; maxime taxillorum exerceant, nec talibus intersint. Contrafacientes vero pœna juris communis, & ad arbitrium nostrum, aut Vicarii nostri puniri volumus & mandamus.

Item statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus,

mus, ut nullus Clericorum maxime Beneficiatorum, cauponem vel tabernarium hoſpitem ſibi conſtituat continuum in domo habitationis ſuæ: aut potum venalem negotiationis cauſa exponat publice aut vendat. Permittimus tamen domos Prælatis, & Monaſteriis pro hoſpitalitate rationabiliter introducta, & ſecundum permiſſum regulæ & juris communis. Contrafacientes arbitrio noſtro, aut Vicarii noſtri, arctius puniri volentes.

Ne Redemptoris Domini noſtri JESU Chriſti patrimonium inutiliter conſumatur, aut in uſus temporales exquiſitis diabolicis ſuggeſtionibus expendatur, de quo potius pauperum neceſſitatibus eſt ſubveniendum: ſtatuimus, ne Clerici maxime Beneficiati quacumque dignitate præfulgeant, Mimis, Joculatoribus, Hiſtrionibus, Buffonibus, Galliardis, ſeu hominibus artis ludicræ, prætextu nuptiarum, militiæ vel alterius ſimilis cauſæ, quidquam largiantur.

V.

Volumus concubinatum evitari ſub pœnis *Decreti Sacri Generalis Concilii Baſileenſis*: quas pœnas una cum pœnis juris communis contra inobedientes exſequi præcipimus & mandamus. Tenor autem prædicti decreti ſequitur per omnia in hæc verba:

Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu Sancto legitime congregata univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

QUicumque (a) Clericus cujuſcunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, etiamſi Pontificialis, vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt hujus conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur per duos menſes poſt publicationem ejuſdem in Eccleſiis Cathedralibus, quam ipſi Diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium ſuorum Beneficiorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertet. Nec non & hujuſmodi publicum concubinarium, ut primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus Superior admonere teneatur, ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat. Quod ſi non dimiſerit, vel dimiſſam, aut aliam publice reſumpſerit; jubet hæc Sancta Synodus, ut ipſum omnibus ſuis Beneficiis omnino privet; & nihilominus ſi publici concubinarii, uſquequo cum eis per ſuos Superiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem manifeſtamque vitæ emendationem, fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorundam honorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujuſmodi concubinatum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quod ſi hi, ad quos talium coercitio pertinet, eos, ut prædictum eſt, punire neglexerint; eorum Superiores, tam in ipſos de neglectu, quam in illo pro concubinatu modis omnibus digna privatione animadvertant. In Conciliis enim Provincialibus, & Synodalibus adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem a collatione Beneficiorum, vel alia condigna pœna ſeveriter procedant. Et ſi hi, quorum deſtitutio ſpectat ad Summum Pontificem, per Concilia Provincialia, aut ſuos Superiores propter publicum concubinatum comperiantur privatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi Summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia, & inquiſitio in quibuſcumque Capitulis Generalibus, & Provincialibus quoad ſuos ſervetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam; ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, notorius exſiſtit: ſed, & qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, vel infamatam tenet, & per ſuum Superiorem admonitus ipſam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibuſdam regionibus nonnulli juriſdictionem habentes pecuniarios quæſtus a concubinariis percipere non erubeſcunt,

(a) Seſſione XX.

cunt, patiendo eos in tali fœditate sordescere: sub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub pacto omnino compositionis, aut spe alicujus quæstus talia quovis modo tolerent, aut dissimulent: alioquin ultra præmissam negligentiæ pœnam, duplum ejus, quod propterea acceperint restituere ad pios usus omnino teneantur, & compellantur. Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas Prælati modis omnibus curent a suis subditis, etiam per brachii sæcularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere. Qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Jubet insuper hæc Sancta Synodus, ut etiam in prædictis Synodis, & Capitulis hæc constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Injungit præterea omnibus sæcularibus viris, etiam si regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæsito colore Prælatis, qui ratione officii sui adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege Divina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessario evitandum, monet omnes laicos tam uxoratos quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant. Nimis enim reprehensibilis est, qui uxorem habet, & ad aliam mulierem accedit. Qui vero solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat. Pro hujus autem Divini observatione præcepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis tantis remediis cum studio laborent.

V I.

Periculis animarum, quæ cunctis operibus præferuntur, desiderantes occurrere, statuimus, volumus, & sub pœna privationis Beneficii mandamus, ut omnes habentes Ecclesias, quibus animarum cura est annexa, personaliter in eisdem resideant, ut infra hinc, & Festum Sancti Michaelis proxime futurum Nos aut Vicarium nostrum legitime doceant, quare in eisdem personaliter residere non debeant, nec teneantur. Quia Beneficium datur propter officium, statuimus, quod quicumque Canonicus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, aut alterius Collegiatæ nostræ Diœcesis, per se, vel alium officium suum, quod exhibere debet in ordine quocumque secundum consetudinem Ecclesiasticam hactenus observatam, per unam septimanam continuam neglexerit quacumque de causa, vel occasione, decem libros denariorum usualis monetæ ad fabricam ejusdem Ecclesiæ solvere teneatur. Si vero minus quam per unam septimanam neglexerit, eamdem pœnam proportionaliter secundum ratam temporis persolvere teneatur. Si quis vero per secundam septimanam, ut prædicitur, neglexerit, a perceptione fructuum, & reddituum Præbendæ, quam obtinet in Ecclesia, penitus sit suspensus, donec pœnam solverit integraliter superius expressam. Qui autem per tertiam neglexerit septimanam, ad nullum actum Capitularem, nec ad aliquod stipendium Præbendale admittatur, donec de pœna satisfecerit memorata, nec non ad arbitrium nostrum, sicut alias sibi duxerimus adjungendum, puniatur.

V I I.

Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duo, vel tria, sed plura perhibeantur habere Beneficia: de consilio Venerabilium Fratrum, & Patrum nostrorum hoc emendari cupientes: statuimus, & sub pœna privationis Beneficiorum mandamus, ut omnes & singuli Clerici nostræ Diœcesis incompatibilia de jure Beneficia retinentes, Nobis aut Vicario nostro infra hinc, & Festum Sancti Michaelis dispensationes super hoc obtentas indicent, & ostendant. Inhibemus quoque sub eadem pœna, ne quisquam Clericorum plures quam unum teneat Vicarium, nisi evidentis necessitatis causa aliud sibi a Nobis, vel Vicario nostro fuerit indultum.

VIII.

Ne per receptionem Canonicorum Præbendis non vacantibus alienæ mortis votum turpiter ingeratur, statuimus, ut de cetero nullus recipiatur in Canonicum Ecclesiæ nostræ Cathedralis, nec alicujus alterius Collegiatæ nostræ Diœcesis, nisi vacaverit Præbenda, quæ illi, qui assumitur in Canonicum, assignetur: alioquin receptio in contrarium facta nulla sit ipso facto,

facto, nisi facta fuerit de licentia nostra speciali.

I X.

Quia non omnibus liquent Canones contra alienationes rerum Monasteriorum, & Ecclesiarum, jurium prohibitiones publicando, omnino inhibemus omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, & aliis Prælatis, ac Clericis universis tam sæcularibus, quam regularibus, sub pœna privationis administrationum ipsorum, ne de rebus Ecclesiarum vel Monasteriorum suorum alienationes sine licentia legitima faciant perpetuas quocumque titulo, gratuito vel oneroso: nec etiam res temporales insignes, aut notabiles præter juris formam & licentiam, secundum eamdem obtentam (*b*) quocumque alienare præsumant: statuimus, & irrefragabiliter diffinimus, quod in qualibet Parochia Plebanus, assumtis sibi duobus honestioribus subditis suis, quorum quilibet habeat clavem unam, & ipse tertiam, omnia, quæ devotione fidelium ad fabricam Ecclesiæ, luminaria, vel ad alias utilitates fuerint deputata, diligenter colligat & conservet, & his usibus impendat, ad quos sunt deputata. Volumus etiam, quod nec tales sibi adjuncti, nec alii Procuratores Ecclesiarum qualescumque de rebus Ecclesiæ præter scitum Plebani quidquam disponant, ut res ipsa suspicione careat; & non detur occasio subtrahendi res Ecclesiarum. Volumus, & sub excommunicationis pœna præcipimus, quod Plebani & assumpti sibi ad hoc officium seu ministerium exsequendum, loci Decano semel in anno quolibet plenam teneantur reddere rationem. Quem rationes hujusmodi sub eadem pœna tam solicite, quam attente sub his testimoniis, exigere volumus & recipere, atque auctoritate nostra sub memorata pœna inhibere Plebanis & Ecclesiarum Procuratoribus, ne res Ecclesiarum nomine Vaccarum vulgariter *Immer Küe*, vel alias quovis quæsito colore sub specie usuræ mutuent, aut quomodolibet locent.

Statuimus, ut nullus Ecclesiasticus vel sæcularis cujuscumque status vel conditionis fuerit, Ecclesiarum vacantium, aut Clericorum decedentium bona rapiat, dissipet, aut invadat, quocumque quæsito colore. Contra facientes decedens Ecclesiastica careat sepultura: vivens autem cum tota familia sua ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec ablata restituerit universa.

Item simili pœna carentiæ sepulturæ decedentium, & ingressus Ecclesiæ vivorum prohibemus laicis, ne de sepulturis dandis se intromittant, nec campanas, vel ad Divinum cultum deputata contra voluntatem Plebanorum quocumque modo, præsertim ad profana & religioni Ecclesiasticæ adversa contrectent, aut per mansionarios Ecclesiarum pertractari mandent auctorabiliter contra Sacros Canones, nec in Ecclesiis & rebus earumdem quidquam statuant, vel quomodocumque ordinare præsumant.

X.

Insuper præsenti Constitutione duximus inhibendum universis Clericis nostræ Diœcesis, ne suspensos patibulo, decollatos, vel alios qualitercumque per sententiam morti traditos, in torneamentis ludis, publicis spectaculis, aut alias occisos, vel subito defunctos, qui non eodem anno confessi, vel alias in mortalibus peccatis morte præventi fuerint, vel non receperint Eucharistiæ Sacramentum; nisi de consilio Sacerdotis duxerint abstinendum, tradere præsumant Ecclesiasticæ sepulturæ, absque licentia nostra, aut Vicarii nostri super hoc petita diligentius & obtenta: nihilque pro concessione hujusmodi exigatur, neque recipiatur, nisi voluntarie offerant, sed dumtaxat sibi salarium competens solvatur.

X I.

Multi sæcularium interdum in detestationem Cleri temeritate propria decimas, quas omnium Dominus solvi præcepit, servitio suo mancipatis subtrahere non verentur, in animarum suarum grande periculum. Ideoque cunctis Prædicatoribus & Confessoribus, Religiosis & Sæcularibus præcipimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus in prædicationibus & confessionibus subditos suos studiosius moneant, & inducant, quod memores salutis animarum decimas ipsas omnium terræ nascentium sine diminutione integre; personales vero, secundum laudabilem consuetudinem persolvant, si pœnas damnationis æternæ voluerint evitare.

XII.

(*b*) *forte*: quomodocumque

XII.

Quia Religiosos, qui per religionem sponte assumptam Deo dicati sunt, purioris decet honestatis, & vitæ nitore clarere, ut Deo possint salubrius famulari: quapropter præsenti constitutione irrefragabiliter duximus statuendum, ut universi Abbates, Prepositi, Priores, Decani, cæterique Monasteriorum Professi nostræ Diœcesis, monastica & regulari vigeant disciplina: Regulamque eis a Sanctis Patribus institutam, secundum quod sacrorum Statuta Canonum edocent, præsertim tria Ordinis substantialia, videlicet abdicationem proprietatis, obedientiam & continentiam, cærimonialiaque religionis secundum sanctam Regulam, & diffinitiones Sanctorum Patrum diligentius studeant in omnibus observare. Si quis autem prædictorum suæ salutis immemor promissorum exstiterit violator seu neglector, secundum eamdem regulam & diffinitiones Patrum pœna condigna puniatur.

Quoniam nedum in viris, sed etiam in mulieribus Deo devotis vigere debet Religio sancta & vita monastica secundum regulam suæ Professionis, & Patrum sanctorum diffinitiones; immo etiam tanto cautius tenentur Prælati, & alii eis Præfecti vigilare, quanto fragiliores noscuntur: Statuimus, volumus, & mandamus, quod omnes Prælati quorumcunque ordinum mendicantium, & non mendicantium, & alii quicumque Monachi, & non Monachi nostræ Diœcesis, quibus etiam a Deo devotarum mulierum cura est commissa, easdem paterne, pie & solerter secundum suám Regulam, & Patrum diffinitiones ad observantiam Regulæ, & monasticæ vitæ inducant, informent, & compellant juxta officii debitum: diligenter etiam vigilent, ne in receptione alicujus ipsarum quidquam per symoniam exigatur: negligentes vero & non reformantes, cujuscumque religionis fuerint, maxime de ordine Sancti Francisci, qui triplicem regulam sive modum sancte vivendi declaravit, districta animadversione judicii punire non tardabimus. Insuper constitutionem Bonifacii Papæ octavi super clausura Monialium editam, quæ incipit: *Periculoso*, cum effectu exsecutioni demandari volumus & mandamus.

Quia nonnunquam sub specie religionis surgunt sectæ, nec non conventiones pestiferæ juribus inimicæ: præcipimus & mandamus cunctis Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis, quod omnes viros & mulieres infra terminos suarum Parochiarum degentes sub specie religionum non approbatarum, & communium in vita accepta, in communi vita popularium discrepantes requirant, quod infra mensem a sua requisitione ipsos informent, cujus religionis sint, & suæ vitæ ac status approbationem. Quod si non fecerint, ipsos teneant in omni obedientia parochiali, sicut alios Parochianos; & Nobis, & Vicario nostro eosdem nihilominus denunciare non omittant.

XIII.

Quamvis Patroni & Advocati sint in subsidium Ecclesiarum admissi, sæpe tamen hoc tendit ad noxam & oppressionem, ut inde sentiant detrimentum, quod a defensione nascitur institutum: & infra constitutione præsenti sancimus, & volumus, quod tam Patroni, quam Advocati Ecclesiarum, cujuscumque præeminentiæ aut status fuerint, gratia permissa, & antiquis juribus ipsis, & eorum progenitoribus in institutione prima, seu cum ipsi ad Advocatus a principio per eos, ad quos pertinuit, suscipiebantur, deputatis, penitus & omnino stent contenti, & pro posse suo statum, honorem, & res Ecclesiarum requisiti fideliter tueantur, & defendant. Item, si Patronus plures filios aut hæredes dereliquerit, omnes illi succedant in stirpem & in locum defuncti: ac nihil plus exigant, extorqueant, vel recipiant, quam ei debebatur, in cujus locum & jus successerunt, & nihilominus, sicut defunctus, Ecclesiam defendere teneantur. Si quis vero in extorsione, aut receptione juris Advocatiæ modum excesserit memoratum, aut Patronatus occasione, jure suo privetur, & nihilominus sicut raptor, & spoliator Ecclesiæ puniatur.

XIV.

Quamvis res Ecclesiasticæ non ad alium, quam pium usum, in quêm ordinatæ sunt, expendi debeant, salva Sedis Apostolicæ auctoritate; quidam tamen Prælati, & alii Clerici plus timentes terrenam quam Divinam offendere

Majeſtatem, non verentur laicis Eccleſias, quantum in eis eſt, facere tributarias. *Et infra:* Sub excommunicationis pœna inhibemus univerſis Prælatis & Clericis noſtræ Diœceſis, ne novam ſteuram, aut quamvis aliam exactionem laicis ſolvere præſumant, non habita ſuper hoc Superioris ſui licentia ſpeciali & expreſſa.

Item inhibemus omnibus Clericis noſtræ Diœceſis ſub pœna jam dicta, ne aliquis eorum Decano, aut Archidiacono ſine Noſtro, aut Vicarii noſtri mandato collectam & exactionem ſolvere præſumat.

XV.

Cupientes affectum devotionis augumentari, mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, & volumus omnes Sacerdotes, qui Parochiis præſunt, ſingulis diebus Dominicis aquam & ſal benedicere, ac eoſdem una cum toto Clero ad ipſas Eccleſias ſpectante, horis conſuetis ante Miſſarum ſolemnia proceſſionaliter circumire. Ut autem populus ad hujuſmodi proceſſiones invitetur, omnibus pœnitentibus confeſſis, & contritis, ipſam proceſſionem devote ſequentibus, ac illis, qui hujuſmodi proceſſionibus libenter intereſſent, ſed quominus interſint cuſtodia bonorum ſuorum, infirmitate, aut alio legitimo impedimento detinentur, ſub fiducia Divinæ pietatis de theſauro Eccleſiæ quadraginta dies indulgentiarum de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus, & eaſdem indulgentias per Rectores ſupra dictos volumus exhinc publicari.

XVI.

Volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut nullus Divina Miſſarum ſolemnia ſine luminibus celebrare præſumat: nec hoſtiam ante conſecrationem in altum quoquo modo elevare, ne adorando hoſtiam non conſecratam, populum idololatriam committere contingat.

Item Statutum Concilii Provincialis Saltzburgenſis præſentibus noſtris Statutis inſerendum duximus, cujus tenor ſequitur in hæc verba: "Item ſtatuimus, " ut ſi quis Clericus, vel laicus utriuſque " ſexus exiſtat, auſus ſit præſumptione " damnabili publice prædicare, aut oc- " culte docere, credere, & tenere, " quod Sacerdos in mortali peccato ex- " iſtens non poſſit conficere Corpus " Chriſti, ſeu ſic ligatus non poſſit ab- " ſolvere, vel ligare ſuos ſubditos a pec- " catis; pro hæretico, & incredulo ha- " beatur. Quem errorem hujus Sacri Concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus; cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod ſive bonus, ſive malus fuerit Miniſter, per utrumque DEUS effectum gratiæ confert: non enim, quæ ſancta ſunt coinquinari poſſunt, nec ipſa Sacramenta per hominum malitiam profanari. Unde Sacerdos quantumcunque pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctorum contagiorum exſiſtunt. Licite ergo a quocunque Sacerdote ab Eccleſia tolerato, Divina (*c*) miniſteria audiantur, & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramenta. Damnatione ſimili reprobamus quorumdam opinionem erroneam, aſſerentem, Epiſcopum, Presbyterum, ſeu Sacerdotem curatum non poſſe ſolvere Presbyteros fornicarios a fornicationis reatu propter votum caſtitatis: inhibentes, ne quiſquam de cetero prædictam opinionem ſub pœnis prædictis docere, tenere, ac dogmatizare quoquo modo præſumat publice vel occulte, adjicimus quoque, ut nullus in Diœceſi noſtra ad prædicandum ſive annuntiandum Verbum Dei admittatur, niſi miſſus ſit, & de miſſione ſua conſtiterit ſufficienter.

Cupientes, ac volentes Indulgentias de Corpore Chriſti per D. N. Sanctiſſimum EUGENIUM Papam QUARTUM conceſſas publicari, tenorem earundem præſentibus inſeri mandamus, qui ſequitur, & eſt talis:

EUGENIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EXcellentiſſimum Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti Sacramentum, quod appropinquante Paſſionis ejus hora Dominus ipſe ſigno præcipui, quo Nos dilexit, amoris ſalubriter inſtituit, ejuſdem commemorationem Sanctiſſimam jugi mentis exſul-

(*c*) *forte*: myſteria.

ſultatione contemplantes, ad hoc inter ſingulos hujuſmodi mercatos Sanguine Spiritualia diſpenſare munera votis expoſcimus; ut illi condignis aſſurgentes laudibus, ſua frequentia ad ipſius venerationem Sacramenti corda dirigant; & eo quo corporalis habetur præſentia Salvatoris viatico, fructus vitæ complectentes æternæ, cœleſtia conſcendant, ipſum qui Nobis ſe in edulium tribuit perpetuo conſpecturi. Sane dudum piæ memoriæ URBANUS Papa IV. Prædeceſſor noſter, ad orthodoxæ corroborationem, & exaltationem fidei digne, & laudabiliter ſtatuens, ut de tanto Sacramento præter illam, quæ dietim in Eccleſia fieret, annuatim memoria ſolennior, & ſpecialior haberetur: & ad celebrandum ejus tam excelſum tamque glorioſum Feſtum quintam poſt octavas Pentecoſtes feriam deſignans, ac Chriſti fideles quoslibet ad colendum illud donis Spiritualibus animare volens, omnibus vere pœnitentibus confeſſis, qui matutinali officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua etiam illud celebraretur, intereſſent, centum: qui vero Miſſæ totidem, & qui in primis ipſius feſti matutinalibus, veſperis ſimiliter centum: qui autem in ſecundis, totidem; illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii horarum officiis, pro qualibet ipſarum quadraginta: iis autem, qui per octavas ipſius feſti Matutinalibus, Veſperis, Miſſæ, aut prædictarum horarum officiis intereſſent; ſingulis octavarum ipſarum diebus ſimiliter centum. Et ſubſequenter felicis recordationis MARTINUS Papa V. etiam Prædeceſſor noſter fideles eoſdem ad impertiendum pro veneratione Sacramenti hujuſmodi potiora reverentiæ, & devotionis exercitia firmare cupiens, ſingulis ex iis vere pœnitentibus & confeſſis, qui & quoties in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco ipſius aliud pium juxta conſilium bonorum confeſſorum opus fecerint, etiam centum: & qui præmiſſis in Eccleſiis, in quibus illa celebrari contingeret, officiis intereſſent, nec non Epiſcopis, & aliis Prælatis Superioribus, qui dictis officiis libenter intereſſent; ſed quominus eis in ipſis Eccleſiis intereſſe poſſent, pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, & aliis tunc legitime impedimentis, pro matutinali ducentos; reliquarum vero, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii feſti octuaginta: rurſus autem in quibuslibet octavarum diebus pro ſingulis matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ſimiliter centum: nec non reliquarum horarum, officiorum hujusmodi quadraginta, Illis præterea, qui proceſſiones, in quibus ipſum vivificum Sacramentum dicto feſto juxta præfatarum ritus Eccleſiarum deferretur, continuo ſecuti forent; ac quibuslibet in feſto ac octavarum diebus hujuſmodi pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ Miſſas devote celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, nec non aliis in eodem feſto Euchariſtiæ Sacramentum devote ſumentibus, etiam centum ſingulis annis pro feſto vice qualibet eis, qui dum corpus Dominicum communicandis deferretur infirmis, illud cum incenſo luminari præcedendo, vel ſequendo venerarentur, ſimiliter: & qui tunc illud alias devote ſecuti forent, etiam quinquaginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Ac etiam ipſe MARTINUS Prædeceſſor noſter, quod in feſto & diebus octavarum hujuſmodi in terris, & locis Eccleſiaſticis, quavis auctoritate ſuppoſitis interdicto, pulſatis campanis, januis apertis, & alta voce excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis, ut ocius reconciliari ſtuderent, admiſſis; & illis, qui cauſam vel occiſionem hujuſmodi interdicto dediſſent, altari tunc nullatenus appropinquantibus; Miſſæ & officia præmiſſa licite celebrari poſſent, auctoritate Apoſtolica duxit concedendum. Nos vero, quos interim ad ſummi Apoſtolatus apicem Divina clementia provexit, etiam pro frequentiori hujuſmodi veneratione Sacramenti ſummis geſtientes affectibus noſtri partes miniſterii ſalubriter impertiri; nec non relaxationes, & conceſſiones prædictas Apoſtolici robore muniminis ipſorum notioni fidelium committentes, præmiſſis per eundem MARTINUM Prædeceſſorem, ut præfertur, relaxatis diebus alias totidem dies pariformiter ab ipſis fidelibus conſequendos addicimus per præſentes: & inſuper univerſos Patriarchas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, & aliarum Eccleſiarum Prælatos monemus, & hortamur in Domino; & eis per Apoſtolica

ſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, & in remiſſionem peccaminum injungimus, ut per ſe, vel alios eorum ſubditos per ſingulas ſuarum civitatum, & Diœceſis Eccleſias (*d*) in Dominicam feriam, & feſtum pridem proxime præcedente, ſalutaribus ad venerationem potiſſime Sacramenti hujus monitis, & exhortatione præſentium, quorum etiam tenor inter matutinales feſti, nec non dierum octavarum hujuſmodi lectiones recitentur, litterarum continentiam, & effectum publicare, & inſinuare procurent: ut ejuſdem Sacramenti ſuffragante myſterio, ſubditi & fideles ipſi ſpiritualium gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui ſe pro ipſis immolavit hoſtiam, poſt hujus vitæ curſum ad gloriam perducantur æternam. Verum quia difficile foret hujuſmodi literas ſingulis exhiberi, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto manu publica, & ſigillo alicujus Epiſcopalis, vel Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tamquam præfatis, ſi originaliter exhiberent literas, plena fides exhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi originales litere forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datæ Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo triceſimo tertio, VII. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno tertio.

XVII.

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur, maxime in diſtinctione, & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus exſiſtit, his ſcilicet verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant igitur Sacerdotes tam mares, quam fœminas, in neceſſitate debere parvulos baptizare eadem forma in ſuo idiomate, & quod patres, & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt baptizare: & ſi Sacerdotes ſuper hoc diligenter inquirentes debitam formam in baptiſmo invenerint, quod factum eſt, approbent; ſuplentes circa baptizatum, quo ad unctionem olei in pectore, & in ſcapulis, & Chriſmatis in vertice, quod a laicis eſt omiſſum. Si autem in baptizato debitam formam non invenerint obſervatam, non differant pueros baptizare.

XVIII.

Item præcipiendo mandamus, ut ſecundum Conſtitutionem *Lateranenſis Concilii*, Euchariſta, Chriſma, & Oleum Sanctum ſub fideli cuſtodia, & reverentia debita, clavibus adhibitis, conſerventur: ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, & nefanda exercenda. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, ultra juris communis pœnas, in libra ceræ eidem Eccleſiæ ſolvenda, & applicanda puniatur. Et ſi per ejus pigritiam aliquod nefandum inde contigerit, ejuſmodi ſubjaceat ultioni, juxta noſtram, aut Vicarii noſtri ordinationem, & delicti quantitatem. Sacramentum etiam Euchariſtiæ ſingulis menſibus ad minus ſemel renovari præcipimus, aut pluries ſecundum locorum exigentiam, & opportunitatem.

In pleriſque etiam Eccleſiis Mappæ, Palæ, Corporalia, & alia veſtimenta Divino cultui deputata tam inculta, & immunda relinquunt, quod interdum quibuſdam ſunt horrori, contra Statutum Concilii generalis; univerſis Cuſtodibus, Sacriſtis, & Eccleſiarum Rectoribus diſtricte præcipimus; quatenus omnia veſtimenta, ornamenta, ac vaſa ſupradicta per ipſos munda, & nitida conſerventur, corporaliaque pluries infra annum juxta caſus exigentiam per Clericos mundentur. Si quis vero in tranſgreſſione hujuſmodi Statuti culpabilis fuerit, uſque ad condignam ſatisfactionem ab officio ſuſpendatur.

XIX.

Statuimus & præcipimus univerſis Chriſti fidelibus noſtræ Diœceſis, utriuſque ſexus, ne quiſquam eorum clandeſtinis deſponſationibus, aut occultis matrimoniis interſit. Præcipimus inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ univerſis Eccleſiarum Plebanis, quod poſtquam ipſis conſtiterit, procerto & probabili fama, aliquos clandeſtine contraxiſſe, ipſos ſtatim ad publicandum in facie Eccleſiæ, aut jura ſua proſequendum coram judice per ſubtractionem Sacramentorum, extra tamen neceſſitatis articulum cogere non poſtponant.

XX.

(*d*) *forte*: in Dominica feriam & feſtum prædictum *legendum*.

XX.

Districte præcipiendo interdicimus, ne quisquam Sacerdotum pro reconciliatione pœnitentium, aut pro administratione alicujus Sacramenti, vel aliquorum Sacramentalium, paciscatur de sibi danda pecunia, nec aliquo alio æquivalenti pro eodem. Sed volumus dispositis absque dilatione pro tempore, & loco congruis, administrari, & exhiberi secundum ritum Ecclesiæ. Verum quod rationis, & juris explorati exsistit, quod socii passionum sint pariter, & socii consolationum, permittimus expost exigi etiam cum imploratione officii judicis quantitatem in talibus, consuetudine debitam, ad quam laicos hortamur, & quantum de jure est, adstringimus, & compelli volumus.

Item inhibemus sub pœna privationis officii, ne aliquis Sacerdotum quemquam notorie delinquentem accepta pecunia, vel alio commodo temporali pœna condigna corrigere prætermittat.

Item interdicimus, & districte inhibemus, ne quisquam Clericorum, cujuscumque status fuerit, censum de aliquo Beneficio, aut pecuniam, vel emolumentum aliud, ex pacto quocumque quæsito colore augeat, vel quemquam augere compellat. Contrafacientes tam dantes,quam recipientes, duplum quam dederint, vel acceperint Nobis (*e*) remissiblliter solvere teneantur: nihilominus juxta arbitrium nostrum, aut Vicarii nostri arctius punientur.

Item volumus Statutum Concilii Generalis Constantiensis, & constitutionem de symonia editam publicari, ut in fine: quoniam contra transgressores ejusdem districtius, Deo dante, procedemus. Cujus statuti tenor sequitur per omnia in hæc verba:

MARTINUS &c. &c.

Multæ contra symoniacam pravitatem ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes de cætero, ut possumus, attentius providere, Sacro approbante Concilio decernimus, quod ordinati Symoniace ab exsecutione suorum ordinum sint eo ipso suspensi: Electiones autem, Postulationes, Confirmationes, & quævis Provisiones symoniacæ Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque deinceps factæ, nullæ sint ipso jure, nullumque per illos jus cuiquam acquiratur; nec promoti, confirmati, aut provisi faciant fructus suos; sed ad illorum restitutionem, tamquam inique ablatorum percipientes, teneantur. Statuimus insuper, quod dantes, & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi Pontificali, aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.

XXI.

Quamvis Judæi, qui Sanguinis Christi vindictam in se receperunt, ubi servire Christianis, aut se laboribus nutrire parati sunt, benignitate Ecclesiæ misericorditer tolerentur; ipsi tamen gratia tanta, & tolerantia non contenti, orthodoxorum religionis Christianæ facultates usuris exhauriunt, laqueos offensionis inferunt, & petram scandali: in qua defensione, & adjutorio aliquorum culpabilium laicorum detestabilius foventur.

Hinc statuimus districte præcipiendo, quod Judæi in nostra Diœcesi non permittantur fenerari, nec uti famulis Christianis. Nullus quoque Christianus domos ad habitandum eisdem ad exercendum fenus locet: nec permittatur eis communio maxime ad frequentem visitationem Christianorum, præterquam in casibus præmissis, ne eorumdem peccatis involvantur. In die Pentecostes fenestræ & ostia clausa teneantur toto die. In diebus autem lamentationis, & Dominicæ Passionis in publicum minime prodeant: cum salutaris Hostia ad infirmos deputatur, caveant omni diligentia, ne contra Christianam fidem, Beatam Virginem, vel Sanctos alios contumeliosa verba proferant: nec permittantur cum simplicibus disputare de fide; ne callidis sermonibus corda percutiant simplicium. Nullus cum eis edere præsumat, aut balneari, aut medicinas ab eis capere. Si quis vero Judæorum in his culpabilis repertus fuerit, eidem communio Christianorum denegetur. Quod si quis Judæorum, mulierem cognoverit Christianam, pro tanto facinore viginti libras dena-

(*e*) *lege*: irremissibiliter.

denariorum usualis monetæ Domino loci, in quo scelus hoc perpetratum fuerit, irremissibiliter solvere teneatur, ad hoc per captionem rerum, & personæ, nec non aliis opportunis remediis compellendus. Idem si Christianus, quod detestabilius est, propter periculum partus cognoverit Judæam. Et si Judæos satisfacere (a) pœna pecuniaria nequiverit, carcerali custodiæ mancipetur afficiendus, donec scandalum sopiatur. Christianus quoque ad Judæam accedens ultra dictam mulctam, excommunicationis pœnam incurrat, nisi absolutionis Beneficium a Nobis, vel Vicario nostro meruerit obtinere.

XXII.

Usurarum voraginem detestantes, inhibemus omnibus Christianis nostræ Diœcesis, tam Clericis, quam laicis; ne pecunias ad usuras mutuent, aut in impignorationibus ultra sortem aliquid ex pacto recipiant, nec emptiones detestabiles faciant, aut alios quoslibet actus usurarios exerceant. Quod si quis contra fecerit, ultra pœnas juris communis, & Concilii Provincialis Saltzburgensis, subjaceat solutioni decem libras denariorum usualium irremissibiliter solvendarum ad fabricam Ecclesiæ, aut in usus pauperum, juxta nostrum, aut judicantis nostri nominé arbitrium, convertendos; Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna universis Prælatis, Decanis, Plebanis, & cœteris quibuscunque religiosis & sæcularibus, ne aliquem dictis criminibus manifeste reum, satisfactione non præmissa, ad quam tamen eosdem induci volumus, modis possibilibus Ecclesiasticæ tradant sepulturæ.

XXIII.

Volumus, & mandamus Statutum divæ memoriæ GUIDONIS LEGATI DE LATERE per nostram Diœcesim promulgari, & publicari: quo cavetur, quod quicumque Personam Ecclesiasticam vulneraverit enormiter, captivaverit, vel occiderit, ipso facto ea, quæ ab Ecclesia nomine feudi, jure censuali, vel in emphyteusin, aut alias quocumque nomine teneat, perdat penitus, & amittat, in utilitatem Ecclesiæ convertenda. Adjicimus quoque, quod in illa Parochia, in qua Canonicum Ecclesiæ Cathedralis capi contigerit, vel detineri, vel alium in dignitate, vel Personatu, seu Clericatu constitutum, donec liberetur & absolvatur, cessetur generaliter a Divinis, salva satisfactione eidem debita impendenda.

XXIV.

Quia nonnulli Sacerdotes, sæculares, vel religiosi in pœnitentia frena laxare, & extra terminos sibi positos auctoritatem in casibus Superioribus reservatis præsumere ausu temerario referuntur; sub excommunicationis pœna inhibemus, ne quisquam Sacerdotum, regularis, vel sæcularis nostræ Diœcesis, quemcunque sibi confitentem in casibus Sedis Apostolicæ de jure, vel consuetudine *reservatis* absolvere præsumat, nisi habito ejusdem desuper sedis indulto, & mandato speciali; nec etiam in casibus similiter de jure, aut consuetudine Episcopo reservatis absolvere attentet: præsertim excommunicationis majoris vinculo innodatum, hæreticum, Judæum, fautorem alterius eorumdem, laicum prædicatorem, aut auditorem ejus, spoliatorem alicujus dotis Ecclesiasticæ, aut Sacerdotes maxime in agone laborantes, aut temerarium occupatorem bonorum Ecclesiæ, depopulatorem agrorum, vinearum & hortorum, incestuosum, fornicatorem cum sacra moniali, homicidam etiam casualem: publicantem confessionem sibi factam, peccantem contra naturam, aut cum brutis; sacrilegum incantatorem, seu incantatricem præcipue cum Sacramentis, Sacramentalibus, vel ossibus mortuorum: prolis oppressorem, etiam a casu incendiarium, commercia habentem cum Judæis, maxime in usuris; propinantem, ementem, & vendentem venenum, præsertim in machinationem mortis proximi, dæmonem invocantem, cudentem falsam monetam, utentem scienter auro vel argento falso, cogentem Christianum dare ad usuram, blasphemum nominis Christi vel Sanctorum, falsum testem, coeuntem cum Judæa, obligatum ad vagas restitutiones, nec quemquam alium enormibus criminibus irretitum, non habita a Nobis desuper commissione speciali & expressa.

Item volumus sub eadem pœna, omnes Confessores absolvendo uti ad minus istis verbis: *Ego absolvo te a peccatis*

(a) mulcta

tatis tuis, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna, districte præcipiendo, ne quisquam Sacerdotum religiosus, vel sæcularis nostræ Diœcesis non habita desuper Sedis Apostolicæ, aut Nostra, seu Vicarii nostri speciali licentia, se intromittat de distributione rerum male acquisitarum, incertarum & vagarum.

Quia ex pastorali solicitudine incumbit Prælatis, & suorum subditorum vultum intrinsecus agnoscere secundum talentum sibi creditum; Statuimus propterea, volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut omnes Abbates, Præpositi, Decani, Archi-Diaconi nostræ Diœcesis, specialiter non exempti, Nobis aut Vicario; omnes vero Sacerdotes inferiores suis Decanis, Monachi suis Abbatibus vel Præpositis, qui per Præpositos soliti sunt gubernari; sua peccata confiteantur, nisi alicui ipsorum a Superiore nostro, aut Nobis, seu Vicario nostro, de spirituali indulto aliud sit concessum.

Abusionibus quæstorum viam præcludere cupientes, statuimus, volumus, & mandamus, quod hi, qui præsunt Ecclesiis, nullum quarumcumque occasione litterarum petere vel colligere eleemosynam permittant, nisi litteris eorumdem prius diligenter perspectis; & Nostris, aut Vicarii nostri, quibus appareat, quod suæ litteræ sint veræ, ac eorumdem auctoritas adhuc duret, seu non exspiraverit. Quo comperto, nulla portione recepta, exacta vel requisita, ab eodem pro eleemosyna petenda admittatur. Quod, si qui contra fecerint, triplum restituere teneantur ad usus, quibus eleemosynæ sunt deputatæ, remissione colligentium minime profutura. Nec tunc, præter id, quod in literis continetur exhibitis, aliquid proponere populo permittantur. Hortamur præterea universos & singulos nostræ Diœcesis laicos, ne Quæstores, vel Collectores hujusmodi in eleemosynis colligendis quoquo modo perturbent, aut impedire præsumant.

Præcipimus insuper, & mandamus omnibus Prælatis, Rectoribus & Vicariis Ecclesiarum, sub excommunicationis pœna, quod omnes falsos quæstores, qui non exhibebunt per omnia sanas litteras, detineant captivos, ipsosque Nobis, aut Vicario nostro transmittant, vel denuncient, quantocius poterunt, pro demeritis puniendorum, (f) taliter, quod exemplis eorum ceteri similia facere pertimescant.

XXV.

Præcipimus, & in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus omnibus nostræ Diœcesis jurisdictioni Præsidentibus, ne quemquam Clericum vel laicum pro culpa vel contumacia excommunicent, sine scriptis & monitione Canonica non præmissa.

Quoniam juris apices non omnibus innotescunt ad uberiorem Sacerdotum instructionem, & salubrem informationem, qualiter Sacerdotes interdicti tempore se gerere debeant, & habere; præsenti declaramus statuto; quod interdicti tempore tam ab homine, quam a jure prolati, tam sani, quam infirmi sunt ad remedium paterne admittendi, nisi fuerint interdicti, & excommunicati, vel quorum dolo, culpa, consilio, favore, aut auxilio latum exstitit interdictum; quibus tantum viaticum, & baptisma parvulorum conceduntur. Nullus inungatur, vel tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ, præter Clericos, qui servaverunt interdictum; nisi tales sint, qui nominatim excommunicati, interdicti, vel suspensi fuerint. Qui vero Clerici non fuerint, hujusmodi sententiis innodati, sine pulsatione campanarum (g) constantibus quibuscumque solemnitatibus, cum silentio tumuletur. Insuper Sacerdotes populum habentes, sine scrupulo conscientiæ, semel in hebdomada viros, & mulieres possunt ad Ecclesiam convocare, nec non ipsis exponere Verbum Dei: Mulieres post partum non inthronizentur cum solemnitate Psalmi & Orationum: nuptiæ sic non benedicantur: nec aqua benedicta populus solemniter aspergatur. Singulis diebus Missæ in Ecclesiis celebrentur, & alia quævis Divina Officia, sicut prius; submissa tamen voce, januis clausis, omnino quibuslibet excommunicatis, & interdictis, ac omnibus aliis, nisi super hoc privilegium

(f) *forte:* puniendos

(g) *forte:* cessantibus.

gium exhibeant ſpeciale, excluſis: Miniſtris altaris dumtaxat exceptis, campanis non pulſatis: bini & inſimul tres horas Canonicas ſimul legere poſſunt, ita quod foris ſeu extra Eccleſiam nullatenus audiantur. In Feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, ac Aſſumptionis Beatæ Virginis Glorioſæ a veſperis vigiliarum earumdem uſque ad veſperas earumdem Feſtivitatum incluſive, campanæ pulſentur, januis apertis alta voce Divina Officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis; ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujusmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent: nec in illis Feſtivitatibus ſepeliantur corpora mortuorum, neque vivis, & ſanis illis diebus Sacramentum Euchariſtiæ miniſtretur. Præterea inhibemus, ne in Eccleſia non conſecrata, vel a jure, vel ab homine interdicta, vel exſecrata per humanum injurioſum ſanguinem, vel ſemine humano & uxorio polluta, nullatenus Divina celebrentur.

Item Decreta *Sacri Generalis Concilii Baſileenſis* de excommunicatis certo modo non vitandis, de interdictis non leviter ponendis decreta, & per Nationem Germanicam acceptata per Diœceſim noſtram cupientes publicari, tenores eorundem præſentibus noſtris Statutis & Conſtitutionibus duximus inſerendos, quæ ſequuntur per omnia in hunc modum:

" Ad vitandum ſcandala ac multa " pericula, ſubveniendumque " conſcientiis timoratis, ſtatuit hæc *Sancta Synodus*, quod nemo deinceps a " communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, " aut aliis quibuſcumque Divinis, vel " extra, prætextu cujuscumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu " ſuſpenſionis, aut prohibitionis, ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem " vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum " obſervare, niſi ſententia, prohibitio, " ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi fuerit in, vel contra perſonam, Collegium, univerſitatem, Eccleſiam, vel " locum *certum*, a judice publicata, " vel denuntiata *ſpecialiter* & *expreſſe*: " aut ſi aliquem ita notorie ſententiam " excomunicationis conſtiterit incidiſſe, " quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari: " nam a communione illius abſtineri " vult, juxta Canonicas Sanctiones. " Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu " prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari. Quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione ſcandala multa " conſueverunt evenire, ſtatuit hoc " Sancta Synodus, quod nulla civitas, " oppidum, caſtrum, villa aut locus, " Eccleſiaſtico ſupponi poſſit interdicto, " niſi ex cauſa, ſeu culpa ipſorum locorum, aut Dominii, ſeu Rectoris vel " Officialium. Propter culpam autem " ſeu cauſam alterius cujuſcumque privatæ perſonæ, hujusmodi loca interdici nequaquam poſſunt auctoritate " quacumque ordinaria, vel delegata, " niſi talis perſona prius fuerit excommunicata ac denuntiata, ſeu in Eccleſia publicata; ac Domini ſeu Rectores, " vel Officiales ipſorum locorum auctoritate judicis requiſiti, hujusmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, " aut ad ſatisfactionem compulerint: " qua etiam poſt biduum ejecta recedente, vel ſatisfactione, mox Divina reſumi poſſunt, quod etiam in pendentibus locum habeat.

Pridem Reverendiſſimus Pater & Dominus noſter JOANNES Sanctæ Sedis Saltzburgenſis Archi-Epiſcopus Nobis intimare curavit, quod nuper in diæta Moguntinenſi indicta per Illuſtriſſimum Dominum noſtrum, Dominum ALBERTUM Romanorum, Bohemiæ, Hungariæ &c. &c. Regem, Oratores ejusdem Domini Regis, nec non aliqui Sacri Imperii Principes Electores propriis in perſonis, alii vero ac etiam totius Germanicæ Nationis Metropolitani per ſuos Oratores convenientes, inter diverſos tractatus ibidem præ manibus habitos, decreta edita *in Sacra Baſileenſi Synodo*, cum certis tamen reſtrictionibus, modificationibusque temporum qualitatibus, ac dictæ Germanicæ Nationi ac commodis, concorditer acceptarunt. Quapropter Nos hortando requiſivit, quatenus dicta decreta per Diœceſim noſtram

noſtram reverenter publicare, exſequi, & obſervari mandaremus, ſicut præfertur reſtricta, & modificata. Nos vero mandatis Superioribus obedire, veluti tenemur, volentes, dicta decreta, ſicut & præmittitur, acceptata, cum quorumdam ex iis qualificationibus, modificationibus, præſentibus noſtris Statutis duximus quoad ipſorum initia adjungenda: mandantes; quatenus omnes & ſinguli utriusque ſtatus homines noſtræ Diœceſis, quorum intereſt, ea fideliter obſervent ſub pœnis in eiſdem contentis. Et primo decretum per Sacrum *Conſtantienſe Concilium* factum, & per Sacrum *Baſileenſe Concilium* renovatum, de auctoritate & poteſtate Sacrorum Generalium Conciliorum, temporibus & modis eadem convocandi, & celebrandi, quod eſt primæ Seſſionis, & incipit: *Frequens Generalium Conciliorum celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt. &c. &c.* Iterum decretum de electionibus duodecimæ Seſſionis, quod incipit: *Sicut in conſtruenda domo præcipue eſt architectoris cura.* Sed quia lex ſic clare non (g) tendi poteſt, quin aliquam poſſit recipere dubitationem, petitum eſt, quatenus Sacrum Concilium declarare dignetur, quod electiones Pontificum, & Abbatum fiant ſervata forma in hoc decreto tradita; quodque in ceteris inferioribus dignitatibus electivis quibuscumque ſufficiat modus, & forma juramenti in eodem decreto expreſſi. Ceterum ſtatuere dignetur Sacrum Concilium, quod promovendus per Papam ſecundum quamdam clauſulam hujus decreti, quæ incipit: *Niſi ex magna &c. &c.* remittatur conſecrandus, aut benedicendus ad ſuum Superiorem immediatum, ſi forſitan talis promovendus fuerit præſens in Romana Curia: quod tamen nihilominus remittatur, ut hujusmodi ſuo immediato Superiori præſtet debitum juramentum; quodque etiam confirmatio Electionum fiet per immediatum Superiorem, ad quem ſpectat jus confirmandi: & ſi ipſe ſine cauſa rationabili confirmare diſtulerit, ſeu recuſaverit, mediatus Superior adiri poterit. Inſuper quod etiamſi contingat proviſionem per Sacrum Concilium Domino Papæ non fieri, nihilominus electiones ſecundum formam hujus decreti, & ſupra declaratam valeant fieri, & robur obtineant; neque propterea, quod ſibi per Sacrum Concilium proviſum non fuerit, quovis modo valeant impediri. Item Decretum decimæ quintæ Seſſionis, de Conciliis Synodalibus & Provincialibus obſervandis, quod incipit: *Pridem hæc Sancta Synodus &c. &c.* Item decretum decimæ nonæ Seſſionis de Judæis, & Neophytis, quod incipit: *Salvatoris noſtri JESU Chriſti ſequens veſtigia &c. &c.* Item omnia ſaluberrima decreta viceſimæ Seſſionis, quorum primum diſponit de publicis concubinariis, & incipit: *Quicumque Clericus cujuscumque &c. &c.* Secundum: de modo communicandi his, qui dicuntur excommunicati, ſuſpenſi vel interdicti, & incipit: *Ad vitandum ſcandala &c. &c.* Tertium: de modo, & forma ponendi interdictum in loco, & Divina reſumendi, & incipit: *Ut lites citius terminentur &c. &c.* Similiter omnia decreta viceſimæ primæ Seſſionis, quorum primum tollit annatas. Circa hoc tamen dignetur Sacrum Concilium declarare, quod non intendit per hoc decretum prohibere, quando licite exigatur, & ſolvatur, ſi quid tempore receptionis Beneficiati ſolitum ſit ſolvi fabricæ, vel pro ornamentis Eccleſiæ, vel ſimili caſu, ad uſum tamen Divini cultus, & non ad privatum commodum perſonarum convertendum. Secundum decretum viceſimæ primæ Seſſionis diſponit de pacificis Poſſeſſoribus non moleſtandis, & incipit: *Quicumque non violentus.* Tertium docet quomodo Divinum Officium ſit in Eccleſia celebrandum, & incipit: *Si quis Principem ſæculi.* Quartum oſtendit, quo tempore debet quis eſſe in Choro, & incipit: *Qui in Matutinis.* Quintum, qualiter extra Chorum horæ Canonicæ ſunt dicendæ, & incipit: *Quoscumque etiam &c. &c.* Sextum de his, qui tempore Divinorum vagantur per Eccleſiam, & incipit: *Quicumque in Eccleſia.* Septimum, quod tabula pendeat in Choro, & incipit: *Ut cuncta in Domo Dei ordinate &c. &c.* Octavum, quod in Miſſa impleatur Credo, & quod non baſſe legatur Miſſa, & incipit: *Abuſum aliquarum Eccleſiarum.* Nonum, de pignorantibus cultum Divinum, & incipit: *Abuſum etiam illum cultui*

(g) *forte:* tradi.

tui Divino &c. &c. Decimum, de capitulis tempore Missæ non tenendis, & incipit: *Probibet hæc Sancta Synodus.* Undecimum, de spectaculis non faciendis in Ecclesia, & incipit: *Turpem etiam illum &c. &c.* Similiter decretum de numero & qualitate Cardinalium, de quo in vicesima tertia Sessione, & incipit: *Cum Summo Pontifici &c. &c.* Item decretum ejusdem vicesimæ tertiæ Sessionis, de electione cassanda, ex qua turbari posset Ecclesia, & incipit: *Licet dudum hæc Sancta Synodus &c. &c.* Item decretum ejusdem Sessionis, per quod reservationes tolluntur, & incipit: *Et quia multiplices.* Circa hæc tamen dignetur Sacrum Concilium jus commune revocare, quod propter hujusmodi Beneficia in dicto decreto sibi reservata conferat infra spatium unius mensis, alioquin Ordinarii conferre valeant, quodque provisi a Papa infra quatuor menses Ordinariis suam provisionem, sub pœna amissionis juris, insinuare debeant. Item decretum Sessionis ejusdem tollens Clementinam, litteris de Probat. & incipit: *Licet in Apostolicis &c. &c.* Insuper decreta tricesimæ Sessionis de communione Sacramenti Eucharistiæ, & incipit: *Ut lucidius videatur &c. &c.* Item decretum de collationibus Beneficiorum tricesimæ primæ Sessionis, & incipit: *Placuit Divinæ pietati &c. &c.* Cum aliis decretis, de qualificationibus in ordine promovendorum loquentibus. Supplicatur cum Sacro Concilio, ut declarare dignetur, quod vigore horum decretorum non intendit tollere inferioribus Ordinariis tempus Lateranensis Concilii, quodque ante ipsius lapsum non habeat locum præventio.

XXVI.

Quo hæc Statuta non tradantur oblivioni, & ne quisquam ignorantiam valeat allegare, sed ut subditi possint in eis frequentius meditari; sub excommunicationis pœna præcipimus, & injungimus omnibus Abbatibus, Præpositis, Prælatis & Decanis, & transcriptionem prædictorum, & copiam totalem ac plenam habeant, & ea bis in anno de verbo ad verbum Abbates & Præpositi, convocatis omnibus Monachis, & Canonicis Regularibus, & Præpositi seu Decani Cathedralis, & Collegiatarum Ecclesiarum, Canonicis in unum collectis; Decani vero singuli in Conventu, Collegio, seu Capitulo, suis Confratribus omnibus, etiam non curatis, accersitis publicent, & perlegant, aut publicari, & perlegi faciant. In contrarium, contra hujus statuti neglectores seu contemptores inquisitionem habebimus diligentem, pœnas exactissime (*b*) persecuturi.

Forma juramenti soliti per testem Synodalem præstari.

Ego N. juro, quod amodo, & antea quidquam novi & audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & totam Christianitatem in ista Parochia, vel in isto meo Decanatu, (si Decanus jurat) factum sit, aut futurum erit, si in diebus meis evenerit, cum ad meam cognitionem quocumque modo perveniat, si scio, aut indicatum mihi fuerit, Synodalem esse causam, & ad ministerium Episcopi pertinere, quod ego nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam; nullatenus celem Episcopo meo, aut ejus misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocunque me ex hoc interrogaverit. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia; (si Presbyter est, alias sic) & illorum Sanctorum reliquiæ.

Ex Tomi II. Historiæ Frisingensis Parte II. Instrumentali No. CCCXXXVIII. pag. 253. *Auctore Clarissimo Domno Carolo Meichelbeck Benedictino Benedicto Burano. Typis Augustanis anni* 1729.

Cl. Severinus Binius Concilior. Tom. III. Parte II. pag. 1001. & *Harduinus* eandem ediderant. Sed neuter habuit Orationem Synodalem dictam ad Patres in Synodo a *Joanne Kockkio*, Theologiæ & Artium liberalium Magistro, Decretorum Doctore, Monacho Tegernseensi, quam primus edidit *Meichelbeck Tomi II. Part. II. Instrumentaria No. CCCXXXVIII.*

Lunig Spicilegii Ecclesiastici 2. Theil *pag.* 238.

(*b*) *forte:* prosecuturi.

Credentiales Synodi Basileensis ad Jacobum a Sirck, Archi-Episcopum Treverensem, in Conventu Moguntino existentem (a) *Anno* MCCCCXLI. XXV. *Februarii.*

VENERABILI JACOBO, ARCHI-EPISCOPO TREVERENSI, ROMANI IMPERII ELECTORI.

SACROSANCTA SYNODUS BASILIENSIS IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, VENERABILI JACOBO, ARCHI-EPISCOPO TREVIRENSI, ROMANI IMPERII ELECTORI, SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM.

Intelligentes Conventionem Moguntie alias indictam per Carissimum Ecclesie Filium FREDERICUM, Regem Romanorum Illustrem, in presentiarum teneri, plurimosque illuc Principes, ac Prelatos confluere, Teque cum aliis Electoribus Romani Imperii debere interesse, & sperantes conventum hujusmodi pro bono universalis Ecclesie ac conservatione authoritatis Generalium Conciliorum fieri; mittimus ad conventionem ipsam dilectos Ecclesie Filios LUDOVICUM tit. Sancte Cecilie Vice-Cancellarium, qui non solum in hoc Basiliensi, sed in Pisano, & Constantiensi Generalibus Conciliis pro exaltatione fidei, & authoritate universalis Ecclesie conservanda assiduas subiit sollicitudines & labores, cujusque tibi, & constantiam, & probitatem notam esse non dubitamus, & JOHANNEM tit. Sancti Martini in montibus, non solum nobilitate, sed etiam scientiarum, & virtutum splendore conspicuum, Sancte Romane Ecclesie Presbyteros, Cardinales Legatos, ac GUILLELMUM HUGONIS Archi-Diaconum Metens. Legum Doctorem, Oratores nostros; quibus nonnulla commisimus, statum universalis Ecclesie ac totius Religionis Christiane bonum concernentia, cum aliis Oratoribus nostris, illuc per antea missis, devotioni tue referenda. Quapropter te attente hortamur, ut eisdem in dicendis nostro nomine plenam fidem adhibens, in conventione hujusmodi pro authoritare, & honore universalis Ecclesie, & fidei Catholice exaltatione sic labores, quod & tu inde merito commendari debeas, & hec Sancta Synodus fructus ex tuis operibus persentiat in Christiana Religione, quos sperat, optatos. Datum Basilie V. Kal. Martii, anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo.

Illustr. Hontheim. Tom. II. N. DCCCVIII.

(a) De hoc Conventu Moguntino ejusque Actis: vide *Müllers Reichs-Tag Theatrum I. Vorst. Cap. V. pag.* 57. *seqq.* & *Continuation. Historiæ Ecclesiasticæ D. Fleury Tom. XXII. ad annum MCCCCXLI.*

EUGENII Papæ IV. Epistola ad Episcopum Trajectensem, qua nuntiat, quod Ducatum Clivensem ab omni potestate spirituali Archi-Episcopi Coloniensis, & Episc. Monasteriensis, exemerit, dictoque Trajectensi injungit, ut Episcopum titularem deputet, qui Episcopalibus muneribus juxta beneplacitum Ducis fungatur. XVII. *Kalend. Februar. anno* MCCCCXLIV.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI EPISCOPO TRAJECTENSI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PAstoralis Officii desuper Nobis Divina providentia commissi debitum postulat & requirit, ut contra nostrorum & Romanæ Ecclesiæ rebellium teme-

temeritatem, eorum, qui in nostra, & Sedis Apostolicæ obedientiæ devotione, & fide firmi, & immobiles permanserunt, statui & quieti, animarumque saluti salubriter consulamus.

II. Exhibita siquidem Nobis pro parte dilectorum Filiorum, Nobilium Virorum, *ADOLPHI Ducis Clyphensis, & JOANNIS ejus Primogeniti*, petitio continebat, quod, cum tam sæculares, quam Ecclesiasticæ personæ, nec non Collegia, Capitula, Monasteria, Ecclesiæ, & alia loca Ecclesiastica in suis Dominiis, & terris in Coloniensi, & Monasteriensi Diœcesi consistentia, pro eo, quod *Archi-Episcopus Coloniensis* Nobis & Apostolicæ Sedi inobediens, & rebellis existit, & iniquitatis Filius *HENRICUS qui se gerit pro Episcopo Monasteriensi*, damnationis Filio *AMEDEO olim Duci Sabaudiæ, qui se Felicem V. ausu sacrilego nominare præsumit*, & post, & contra processus Apostolicos, contra (ipsum) & adhærentes fautores & sequaces per Nos factos, adhærere præsumpsit; plurima in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineant, & animarum pericula incurrant, cum hæreticis & schismaticis, ac Nobis rebellibus jure ordinario sint subjecta: pro parte dictorum Ducis, & Primogeniti Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum subditorum suorum statui, & saluti providere misericorditer dignaremur.

III. Nos igitur, quibus *pascendi oves Christi* divinitus est tributa potestas, volentes, ne in perditionis baratrum animæ fidelium perducantur, sed potius ab hæreticorum contagione retrahantur, & ne illorum labes corda Christicolarum possit inficere; debito remedio providere: omnia & singula, personas, Collegia, Capitula, Monasteria, Ecclesias, & loca quælibet Ecclesiastica, Dominia, terras, & loca supradicta, donec aliud super hoc duxerimus disponendum; *ab omni jurisdictione*, Potestate, & Superioritate Spirituali Coloniensis Archi-Episcopi, & Episcopi Monasteriensis eximentes & liberantes.

IV. Fraternitati tuæ unum Episcopum, etiam titularem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui in dictis Dominiis, locis & terris, quæ dicti Dux, Primogenitus, & eorum Successores in præfatis Coloniensi, & Monasteriensi Diœcesi ad præsens ubique tenent, & in futurum quomodolibet obtinebunt, Clericos ordinare, & ad omnes Sacros Odines Ecclesiasticos promovere, Chrisma, Oleum Sanctum conficere, ac omnia alia, & singula Pontificalia jura, omnemque Spiritualem jurisdictionem, quæ Archi-Episcopi Colonienses, & Episcopi Monasterienses pro tempore inibi habere, & exercere consueverunt, & consuetudine, vel de jure, tam in visitando, quam corrigendo, reformando, quam alia necessaria pro bono regimine illarum partium Cleri faciendo exercere valeat; nec non contra omnes & singulas Personas sæculares, & Ecclesiasticas cujuscumque Status, Ordinis, Religionis, seu conditionis fuerint, Monasteria quæcumque, Prioratus, Collegia, Universitates quorumcumque ordinum, etiam mendicantium, quæ schismatis labe infecta essent, aut præfato Amedeo quomodolibet adhærerent, seu faverent; ac contra omnes, & singulos non obedientes Nobis & rebelles inquirere & procedere, illasque per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia, appellatione postposita, ac per coercitionem realem & personalem Beneficiorumque suorum quorumlibet (etiamsi Monasteria, Prioratus, & dignitates Conventuales, Personatus, ac Ministrationes, & officia fuerint) privare, & realiter ab eisdem amovere possit; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, nec non excommunicationis & interdicti; aliasque omnes & singulas sententias, censuras & pœnas, quocumque tenore fuerint per ipsos Archi-episcopos, Henricum, & Decanum Sancti Cuniberti Colon. ac quoscunque alios quacunque etiam auctoritate in personas, Monasteria, Prioratus, Collegia, Dignitates, Ecclesias, & Ecclesiastica loca quæcunque præfata latas, & promulgatas, & impopsterum ferendas; auctoritate nostra suspendere, revocare, tollere, & annullare queat, ac cum ipsis personis, quæ sic excommunicatæ se irregularitatis maculam forsan incurrisse putarent, super hujusmodi irregularitate dispensare, & eas habilitare, & in pristinum statum reponere valeat; *Deputandi*, & illum amovendi, aliumque sui loco ponendi, quotiens pro parte dicto-

rum Ducis & Primogeniti, fuerit requisitus, auctoritate præfata tenore præsentium concedimus facultatem.

V. Volentes similiter, & tibi eisdem auctoritate, & tenore concedentes, ut omnia & singula, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, Monasteria, Prioratus, cæteraque *Beneficia Ecclesiastica* quæcumque *in dictis Dominiis*, terris & locis nunc vacantia, & imposterum sive per privationes hujusmodi, seu alias quomodolibet *vacatura* quæcunque, quodcunque, qualiacunque, & cujuscunque valoris fuerint, *quæ in turno sive mense ordinariorum vacare contigerit*, dummodo non sint Sedi Apostolicæ reservata, *personis idoneis per ipsos Ducem, & Primogenitum tibi nominandis* auctoritate præfata *conferre*, & de illis providere, ac personas, quibus hujusmodi Beneficia contuleris, in corporalem possessionem ipsorum Beneficiorum inducere, ac de ipsorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi facere, libere, & licite valeas; constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac Synodalibus, & Provincialibus, Conciliis, Statutis quoque, & consuetudinibus Ecclesiarum, & Monasteriorum prædictorum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, juramentis quoque per personas ipsas præfatis Archi Episcopo & Henrico hactenus forsan præstitis (quæ quoad hoc relaxantes nullius esse decernimus roboris, vel momenti) cæterisque contrariis *non obstantibus* quibuscunque. Per præsentes tamen non intendimus in aliquo juribus Ecclesiæ Coloniensis, quæ prout cæterarum augere cupimus, in aliis quam, ut præmittitur, derogare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo quadragesimo quarto, decimo septimo Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quarto decimo.

POGGIUS.

LX. *Versa pagina*
Jo. Legouph. pro POGGIO.

A. de Magio.

Ditmarus ad Teschenmacher Annal. Juliæ in Codice Diplomat. No. LXXIX. pag. 82.

Leibnitz. Codice Juris gentium in Mantissa No. XXXV. pag. 168.

FRISINGENSIS SYNODUS INDICATA
Anno Christi MCCCCXLIV. Eugenii IV. Pp. XV. Friderici III. Reg. V.
SUB JOANNE III. EPISCOPO FRISINGENSI.

JOANNES GRUNWALDERUS, (*a*) Vicarius olim Episcopi Frisingensis, in Concilio Basiliensi habitus Titulo S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis, defuncto anno 1443. NICODEMO Episcopo Frisingensi, electus fuit Episcopus concordi suffragio Capituli Frisingensis, & 10. Octobris anno 1443. jam a Metropolita Salisburgensi confirmatus, adiit possessionem.

Hic anno 1444. Casparum Tegernseensem Abbatem ad Synodum Diœcesanam in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo & mandando vocavit.

Meichelbeck Tom. I. Histor. Frisingensis pag. 237. *nec plura de hac Synodo habet.*

[*a*] Erat Filius illegitimus Joannis Ducis Bavari, Decretorum Doctor renuntiatus, Parochus ad S. Petrum, Canonicus Frisingæ, Vicarius Nicodemi Antecessoris, demum a Felice V. Antipapa Cardinalis nuncupatus, licet ipse nunquam se Cardinalem dixerit, nec a coævo vocatus fuerit. Obiit anno 1452. Viennæ 2. Decembris.

SYNODUS TORNACENSIS
Anno Christi MCCCCXLV. Eugenii IV. Papæ XV. Friderici III. Reg. VI.
SUB JOANNE CHEVROT EPISCOPO.

Mentio sola : Statuta vide anno MCCCCLXXXI. quo repetita fuere.

JOANNES CHEVROT Episcopatum Tornacensem anno MCCCCXXXIX. adeptus, Duci Burgundiæ a Consiliis erat. Synodum, ut Diœcesi suæ provideret, congregavit XIII. Aprilis anno MCCCCXLV, in qua Statuta Prædecessorum renovavit : quæ repetita vide sis in Synodo Tornacensi anno MCCCLXXXI.

Le Groux Pastor edidit anno 1726. infulis summam Statutorum Synodalium Tornacensium, una cum vitis Episcoporum ejusdem Urbis.

Exauctoratio Jacobi Trevirensis, & Theodorici Coloniensis Archi-Episcoporum per EUGENIUM Papam IV.

ANNO MCCCCXLV. IX. FEBRUARII.

VENERABILI FRATRI EPISCOPO TRAJECTENSI SALUTEM.

NUper iniquitatis filios Theodoricum de Mœrsem (*a*) olim Coloniensem, & Jacobum Sirck Trevirensem Archi-Episcopos tanquam *Hereticos* & *Schismaticos*, Nostrosque & Romanæ Ecclesiæ rebelles, ex justis & urgentibus causis omni dignitate Archi-Episcopali, ac omni cura, regimine & administratione Coloniensis & Trevirensis Ecclesiarum privavimus, & amovimus ab eisdem, ac privatos fore declaràmus, & deinde ad provisionem earundem Ecclesiarum, ne per hujusmodi privationes vacantes dispendia paterentur, paternis & sollicitis studiis intendentes, Coloniensi Ecclesiæ de persona Dilecti Filii ADOLPHI (*b*) Clivensis duximus providendum, ad Ecclesiam vero Trevirensem, Venerabilem Fratrem nostrum *JOANNEM tunc Cameracensem* Episcopum, de Fratrum consilio, authoritate Apostolica transtulimus, ac *Adolphum Coloniensi*, & *Joannem Trevirensi* Ecclesiis præfatis præfecimus in Archi-Episcopos & Pastores; curam, regimen & administrationem Coloniensis & Trevirensis Ecclesiarum ipsis Adolpho & Joanni in Spiritualibus & temporalibus plenarie committendo ; ac mandando dilectis Filiis, Capitulis, Cleris, populis, & universis Vasallis Coloniensis & Trevirensis Ecclesiarum, ac Civitatum & Diœcesium earundem, ut præfatis Archi-Episcopis tanquam eorum Patribus & Pastoribus in omnibus plenarie intenderent, & efficaciter obedirent, ipsosque Archi-Episcopos, quemlibet videlicet eorundem, ad suam Ecclesiam benigne reciperent, ac pro Nostra, & Sedis prædictæ reverentia, debita honorificentia pertractarent, prout in diversis nostris literis exinde confectis plenius continetur &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MCCCCXLV. V. Idus Febr. Pontificatus nostri anno XV. (*c*)

Illust. Hontheim. Historiæ Diplomat. Treverens. Tom. II. N. DCCCXXI.

(*a*) de Mœrsa.

(*b*) Adolphus Clivensis Dux semper a partibus Eugenii IV. stetit: hinc ejus filio Adolpho Mitram Coloniensem detulit Eugenius: sed nullo effectu, obsistentibus Cæsare & Prin-

Principibus Germaniæ: Anno 1447. 5. Februarii utrumque Archi-Episcopum restituit suæ Cathedræ, & priorem sententiam revocavit.

(c) Cum durante Schismate Papali Eugenius IV. hanc depositionem Archi-Episcoporum attentasset, Dietericus Moguntinus, Jacobus Trevirensis, Theodoricus Coloniensis, Ludovicus Palatinus, Fridericus Saxoniæ, & Fridericus Brandenburgicus, Electores Imperii, *Francofurti* convenientes, occultum inter se fœdus percutiunt: nisi Eugenius irritam istam depositionem decerneret, Nationis Germanicæ onera tolleret, & authoritatem Conciliorum, ut ea Constantiæ declarata fuerat, profiteretur, se ipsius depositionem in Basilea factam, probaturos. Gobellinus *in Comment. Pii II. L. I. pag.* 11. Æneas Sylv. *Europæ cap. XXXVII.* Raynaldi *Contin. Annal. Baron. Tom. XVIII. ad annum MCCCCXLVI.* Müller *Reichs-Tag Theatr. P. I. L.* 25. Ubi hæc Electorum unio exstat.

Ill. Hontheim. ibidem.

Litteræ, quibus EUGENIUS Papa IV. omnes Personas Ecclesiasticas & Sæculares DITIONIS CLIVENSIS a Juramentis Archi-Episcopo Coloniensi & Episcopo Monasteriensi præstitis absolvit, & 2do omnes eorum pœnas, sententias, censuras, & banna nullius existere roboris decernit. Dat. Romæ VI. Id. Jul. anno MCCCCXLV.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

COmmissam Nobis cœlitus gregis Domini curam digni in Domino gerere tunc speramus, cum illos, quos per fallacem suæ calliditatis suasionem a debita religionis cultura, & Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientia, & reverentia retraxit minister Sathanæ, & seduxit; ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, & unitatem, ac statum salvationis, & gratiæ piis exhortationibus, reducimus, & salutarium eruditionum amonitionibus revocamus. Sane Nos dudum de notoria *THEODORICI de Muerse pro Archi-Episcopo Coloniensi, & HENRICI ejus Fratris pro Episcopo Monasteriensi se gerentium* adversus Nos, & Sanctam Romanam Ecclesiam rebellione & inobedientia plenissime informati, quæcunque juramenta dictis Theodorico & Henrico per quasvis Ecclesiasticas, vel seculares personas infra terras & Dominia dilectorum Filiorum Nobilium Virorum *ADOLPHI Ducis Clivensis*, & *JOHANNIS ejus Primogeniti* Illustrium, moram trahentes, præstita, per alias nostras relaxamus, ac nullius decrevimus existere roboris & momenti.

II. Cum autem sicut veridicorum relationibus accepimus, nonnulla ex personis ipsis, nec non Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Collegiis, ac locis Ecclesiasticis, secularibus & Regularibus, etiam ultra præmissa juramenta retroactis temporibus cum majori, ac aliis civitatis & Diœcesis Coloniensis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis ac Collegiis, & locis de illis firmiter assistendo, adhærendo, seu cum eis tenendo, & ab eis, ipsorumque statu, ordinationibus, stabilitate seu alias nullatenus recedendo, colligationes & stabilitates, etiam intervenientibus juramentis fecerint, & diversis pactis, etiam juramento vallatis, firmaverint; & propterea ad segregandum se a colligationibus, stabilitatibus, pactis & posterioribus juramentis prædictis, non modicas difficultates ingerat, etiam gravitates: Nos itaque, qui præmissis ex Apostolatus tenemur officio providere; colligationes, stabilitates, pacta, & desuper præstita juramenta prædicta, nec non quæcunque inde secuta, tanquam minus provide & irrationabiliter, ac *contra Sanctam Romanam Ecclesiam*, cujus auctoritas in quolibet juramento censetur excepta, gesta, & facta, quamdiu dicta Ecclesiæ, Capitula Monasteria, & loca in rebellione erga Nos & Apostolicam Sedem perstiterint, pro

pro infectis haberi, nec eos ad ipsorum observantiam teneri quoquo modo volumus & decernimus: per præsentes districtius inhibentes sub Divini obtestatione judicii, quibusvis personis prædictis, ac aliis quibuslibet, ne prætextu dictorum colligationum, pactorum, & juramentorum, quæ dicta rebellione durante irrita, cassa, & manca nuntiamus, contra præsentium litterarum formam ac seriem alicui ex rebellibus Nobis, & dictæ Sedi quomodolibet adhæreant, pareant, vel intendant, vel quicquam audeant attemptare, & insuper omnia & singula, pœnas, sententias, censuras, & banna quacumque dignitate & auctoritate, & Cæsarea, & Regia contra personas Ecclesiasticas, oppida, loca, Dominia, & terras, quæ *ADOLPHUS Dux & JOHANNES Primogenitus præfati* ad præsens ubique tenent, & in futurum quomodolibet tenebunt, lata & ferenda cassamus, irritamus, revocamus, annullamus; ac pro infectis, cassis & irritis haberi & reputari, nulliusque existere roboris decernimus per præsentes: non obstantibus colligationibus, pactis, & desuper præstitis juramentis prædictis, cæterisque contrariis quibuscunque.

III. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, inhibitionis, nuntiationis, irritationis, revocationis, annullationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se sciverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo, quadragesimo quinto, sexto Id Julii, Pontificatus nostri anno quinto decimo.

JA. DE VICENTIA. POGGIUS.
P. DAVIDIS. *A. de Magio.*

Leibnitz. Codice Juris Gentium, in Mantissa pag. 170.

Ditmarus ad Teschenmacheri Annales Juliæ, in Codice Diplomat. No. LXXX. pag. 83.

SYNODUS VRATISLAVIENSIS

Anno Christi MCCCCXLVI. Eugenii IV. Papæ XVI. Friderici III. Regis VII.

Synodalia Statuta Episcopi CONRADI.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

NOS CONRADUS Dei gratia, Episcopus Wratislaviensis, ut animas Nobis commissas lucrifacere valeamus, non omnino nova Statuta, sed vetera reformando: nostras constitutiones, licet non omnes quasdam tamen, quibus plus nostris subditis consulatur, de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, ad decorem nostre, & omnium aliarum Ecclesiarum nostre Diœcesis decrevimus subscriptas constitutiones, constitutionibus Prædecessorum nostrorum annectendas. Ita tamen, quod tam in nostra predicta, quam aliis Ecclesiis dicte nostre Diœcesis habeantur, & singulis annis in Ecclesiis ubilibet legantur, & ab omnibus districtius observentur.

Primo igitur statuimus, ut omnes Clerici coronam & tonsuram habeant congruentem, & quilibet suo ordini competentem comam habeat, barbam non nutriant, nec pelles eminentes circa collum extra vestes ferant. Item indumenta non nimia brevitate, vel longitudine: & in manicis non nimia amplitudine notanda ferant, pannis, etiam rubeis & viridibus, nec virgultis, nec vestibus retroscissis utantur.

Insuper statuimus, quod tabernas omnino divitent: a crapula, & ebrietate se

Conradus, ex Principibus Oelsnicensibus & Glogoviensibus Ducibus, Episcopatum adeptus est Vratislaviensem post resignationem Episcopi Wenceslai, Ducis Lignicensis, factam anno 1417. Sedit annos 30. Mortuus anno 1447.

ſe abſtineant: nec ad equales hauſtus ſe, vel alios incitent, incitando ſe obligent, hoc quidem ſtatutum de viſitatione tabernarum nolumus ad viatores, & ad peregrinos extendi.

Item, ut ad aleas,& ad taxillos non ludant; hujuſmodi ludis interſint, etiam ut plauſus manuum more gentili, vel cantilenas ſeculares cantare non preſumant: quia in uno ore laudes Chriſti, una cum laudibus Jovis non concordant.

Item ut fibulas,vel corrigias auri vel argenti ornatum habentes; aut aliam ſuperfluitatem decoris non ferant: nec annulos, niſi quibus competit, ex officio vel dignitate.

Item ut nullus Clericorum in Sacris Ordinibus conſtitutus ſuſpectas mulieres ſecum habeat, vel eis cohabitet, & preſertim maritatas. Atque quod acceſſus ſuſpectarum mulierum devitent,& ab omni vicio libidinis ſe abſtineant, & continenter vivant ac mundi.

Item ut nullus Sacerdos, Dyaconus, vel Subdyaconus Cirogie, alias Cirologie,artem exerceat, que aduſtionem vel inciſionem inducit. Nec ſententiam ſanguinis dictet, aut proferat, aut ſanguinis vindictam exerceat: nec interſit, ubi exercetur, nec etiam literas dictet, vel ſcribat, pro ſanguinis effuſione deſtinandas, ac omnino ne literas incendiariis dictet vel ſcribat: aut ab ipſis receptet, vel aliquo modo ſibi preſentatas ab eisdem incendiariis exequatur.

Preterea ut Clerici omnino arma non ferant, nec in fraudem aliorum cultellos nimia longitudine notandos: & indecentes non habeant, nec utantur.

Item ut decimas alteri debitas non accipiant, nec de ipſis ſe intromittant. *Inſuper* quod Predicatores Verbi Dei ſive Divini ſuis in prædicationibus ad vulgum proponant, quod nemo a ſolutione decimarum, quicumque, cujuscunque conditionis exſtiterit, ſit emunis vel liber. Nec non occupatores, impeditores violentos, ſeu fraudulentos decimarum detentores: & prohibentes decimas in villis ſuis, vel aliis locis quibuscunque componi: & eos qui quamvis pro certa ſumma pecunie emerunt decimas, ſed non perſolverunt, ſingulis diebus Dominicis a tempore menſis Julii uſque ad medium Auguſti denuntient excommunicatos, & excommunicent: ut in forma Eccleſie conſueta.

Item quod nullus accipiat Eccleſiam, vel aliud Beneficium a manibus laicorum ſub aliqua promiſſione vel pacto, quod non velit uti privilegiis, vel libertatibus ipſis Beneficiis indultis & conceſſis, atque quod damnatam ſimoniacam pravitatem omnino effugient, ſcientes, quod omnes ſimoniaci ſunt interdicti quoad ſe; nec ſalvari poſſunt, niſi renuntient Beneficio per ſimoniam adepto, & ſunt ſuſpenſi a Divinis.

Item quod quilibet Presbiter ad Divinum Officium ſecum habeat Clericum, qui tam diurnum, pariter & nocturnum abſque ſincopatione peragat, & ab intrinſecis collocutionibus vacet, atque quod ſecundum ordinem Eccleſie Cathedralis tam circa ſecreta Miſſe, quam in aliis Officiis ſe conformet.

Item quod in ſingulis Eccleſiis Sacramenta Euchariſtie, Chriſmatis, & Sacre Unctionis ſub fidelis cuſtodie clavibus adhibitis conſerventur: nec non ſingulis quoque annis, Chriſma ab Eccleſia accipiatur Cathedrali, per illos, qui ſunt in ſacris Ordinibus conſtituti. Et quod vetus Chriſma in Eccleſia concremetur.

Item quod poſtquam vinum aceſcit, non ponatur ad conſecrandum. Et ponatur multo plus de vino quam de aqua in ſacrificio conſecrando Atque quod Presbyteri celebrantes omnino conficiant, ne populum idololatrare contingat.

Inſuper Presbyteri Beginas, vel alias mulieres procurari poſtulantes ſingulis ſeptimanis non procurent Euchariſtie Sacramento, niſi conſtiterit, quod confeſſe ſint, & quod devotio requirat hoc earundem.

Item corporalia fiant de tela ſubtili, vaſa totius miniſterii ut palle Altaris, veſtimenta miniſtrorum munda, & nitida conſerventur, & ſpecialiter in ſacculis mundis,& pulchris ponantur: annis ſingulis, & temporibus certis in Eccleſiis laventur.

Preterea ut omnes Eccleſie, que habent fontem baptismalem, ſi nequeunt habere lapideum, habeant ligneum ad offi-

officium Baptiſmi in longitudine competenti. Atque quod ſinguli Sacerdotes Eccleſiarum Parochialium habeant librum penitentionalem, ut ſi quando juſta de cauſa penitentias,& ſatisfactiones peccatori injungant & obtemperent, ſic tamen quod annuntient peccatori, quam gravem penitentiam agere deberet ſecundum Sanctorum Patrum inſtituta, ad hoc, ne apud rudes omnino penitentia vileſcat. Et quod ita ſollicite officium in funeralibus pauperum celebrent, & in penitentiis eis injungendis, ſicut faciunt circa divites & ſublimes.

Inſuper quod Presbyteri tempore baptiſmi ſponte oblata recipiant, ſed penitus nihil extorqueant: ſub pena ſuſpenſionis Eccleſie ab ingreſſu, & quacumque hora portatur puer ad baptiſmum: ſine contradictione baptiſetur. Et ita volumus intelligi de omnibus aliis Sacramentis Eccleſiaſticis Chriſti Fidelibus miniſtrandis.

Item quod in Feſtivitatibus annuntiandis per circulum anni omnes concordent: ne ex diverſitate temporum ſcandalum in populo generetur. Excepta Dedicatione Eccleſie: & Feſto Patroni ipſius Eccleſie. Et ſi feria ſecunda aliquod feſtum occurrerit celebrandum, quod habet vigiliam cum jejunio ſibi annexo, ſabbato precedenti jejunetur.

Preterea quod quilibet Rector Eccleſie Parrochialis ignorans linguam Parrochianorum: provideat ſibi de alio ſufficienti,& ſcienti linguam: ne populus negligatur. Alioquin ſi aliquid exinde mali evenerit graviſſime punietur. *Inſuper* quod ſingulis temporibus quadrageſime nuntient populo, quod quilibet poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit: omnia peccata ſua ſolus ſemel in anno ſuo proprio Sacerdoti confiteatur: reverenter ad minus in Paſcha Corpus Domini noſtri JESU Chriſti ſuſcipiat, niſi forte ex cauſa rationabili, vel conſilio proprii ſui Sacerdotis prohibeatur. Et ſi forte ex propria malitia, vel temeritate abſtinuerit: vivus ab ingreſſu Eccleſie arceatur, donec ſatisfaciat, & mortuus Eccleſiaſtica careat ſepultura.

Item quod quilibet Prædicator Verbi Divini denuntiet excommunicatos omnes & ſingulos, qui affirmant ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale. Et ſuper his omnes Presbyteri & Clerici invigilent diligenter.

Inſuper ſi Sacerdos inſufficiens fuerit peccatori in penitentia injungenda: conſilium requirat a peritiore, tacita omnino perſona peccatoris ſive confitentis: quam ſi alicui expreſſerit aliquo modo, ſine ſpe reſtitutionis deponatur, & in Monaſterio ad peragendum penitentiam recludatur.

Preterea ſtatuimus, quod quilibet Rector Eccleſie Parrochialis prohibeat clandeſtina,& occulta matrimonia fieri; & omnino prohibeat contrahere volentes, niſi primo fuerint denuntiati, & publicati: ut quicumque ſciat aliquod impedimentum legitimum: illud proponat infra terminum certum prefigendum. Termino vero lapſo, ſi nullus apparuerit contradictor, vel non conſtiterit de legitimo impedimento: tunc copulentur in Chriſti nomine contrahentes.

Item ut nullus Clericorum, vel Presbyterorum plures Vicarias habeat: ſed unam tantum,& perpetuam. Atque quod publica officia, & ſordida non aſſumant neque exerceant in domibus laicorum.

Item. Nullus religioſorum cujuſcumque religionis ad Eccleſiam ſecularem deſerviat, vel ſub aliqua occaſione, ſeu pretextu ibi diu moretur. Neque Eccleſiam conducat,vel conveniat ſpectantem ad regimen Presbyteri ſecularis.

Item quod Rectores Eccleſiarum denuntient excommunicatos publice a ſuis Superioribus excommunicatos, & prout ipſis injungitur ab eiſdem ſub pena trium marcarum, ſicut ſtatuit Dominus Archi-Epiſcopus: & iſta pena Sinodalis.

Inſuper quod iidem Rectores,& omnes Sacerdotes prefationes inſtitutas, & non alias in ſuis Miſſis obſervent: prout a Sanctis Patribus eſt inſtitutum.

Item ne pretextu ignorantie in premiſſis omnibus, & ſingulis ſe quiſquam valeat excuſare; Precipimus & mandamus in virtute ſancte obedientie, & ſub pena ſuſpenſionis ab officio, & nihilominus Sinodali injungentes: ut unuſquiſque Archidyaconus,& Archipresbyter noſtre Dioceſis infra unum menſem copiam pre-

presentium statutorum ab Ecclesia nostra recipiant: & eandem consociis sedium suarum tradant, & per ipsos Archipresbyteros postmodum aliis Ecclesiarum Rectoribus sibi subditis infra unum mensem a data sibi copia presentium statutorum computando assignent; ita quod quilibet Rector Ecclesie sive Plebanus constitutiones easdem habeat in Ecclesia sua parieti affixas.

Item non credatur deinceps pronuntiantibus indulgentias concessas, aut concedendas: nisi eis examinatis per Ordinarios: per cujus literas postea de hoc constabit.

Item Confessores in audiendo confessiones, non habeant acceptationem personarum pauperum, & divitum, sed qui primum venient, primo audiantur, nisi necessitas secus suaderet: nec quidquam exigant, aut confessiones quoquomodo prodant.

Item quod nullus plura officiet Altaria, quam officiare possit, presertim quod tot Misse legantur, quod in primeva fundatione sunt expresse, vel de duobus officiantes sunt contenti.

Item quod quilibet Rector Parrochialium Ecclesiarum proprium Sigillum habeat ipsius Ecclesie, quo ad executionem mandatorum consignandam, & quod processus, & mandata diligenter exequantur.

Insuper quod pias voluntates personarum, testamenta atque legata omnino non impediant, etiam quoad Altaria de novo erigenda, vel alia Beneficia de novo creanda.

Item quod Predicatores, tam seculares, quam religiosi discretionem habeant in pronuntiando; ne tacenda proferant, aut proferenda reticescant, unde scandala in populo possint generari: & sibi invicem non contradicant diversa, adversa, & omnino contraria predicantes.

Item quod nulli Sacerdotes, & Parrochialium Ecclesiarum Rectores propriis Beneficiis derelictis, in quibus residere deberent, curam aliarum Ecclesiarum, vel Beneficiorum gratia temporalis lucri sibi usurpent, & si Vicarios constituant, & ministros in Beneficiis alienis, cum vix unum officium adimplere sufficiunt, stipendia sibi vendicent plurimorum: neque quodlibet negotiationis genus exerceant sub censu quocunque contra statuta, & Canonicas Sanctiones. *Insuper* quod nullus duas, vel tres Ecclesias regat. Aut quod duo vel tres unam conveniant, aut conducant.

Insuper quod nullus Rector Parrochialis Ecclesie de sua Ecclesia absque rationabili causa, & absque nostra licentia speciali se absentare presumat, nisi sit Canonicus nostre Ecclesie, qui habeat Ecclesiam Parrochialem, quem quoad residentiam in nostra Ecclesia faciendam volumus supportari, a residentia sue Ecclesie Parrochialis. Illis vero, qui se de suis Ecclesiis, aut aliis Beneficiis residentiam requirentibus absque licentia nostra absentarunt, in virtute sancte obedientie precipimus & mandamus sub pena districtius Sinodali, ut infra sex menses a publicatione presentium computandos ad suas Ecclesias, ut eisdem debita prestent obsequia, revertantur: alioquin infra annum, extunc inchoandum eosdem absentes a perceptione pecuniarum, seu Beneficiorum, vel Ecclesiarum fructuum ipsorum eo ipso volumus penitus fore suspensos: ad quos, si infra aliquod tempus propria temeritate, vel aliquo exquisito colore se ingesserint; illis similiter Ecclesiis sint ipso jure privati. *Insuper* cum juxta Canonicas Sanctiones, una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis: presenti prohibemus edicto, ne de cetero aliquis duas vel plures in nostra Diocesi habeant Ecclesias: nec duo vel plures unam Ecclesiam a nobis etiam abessendi licentia obtinentes, aliquo titulo colorato sibi querant, vel quesitas retinere in hac parte presumpserint attentare pecunias, quas pro Ecclesia hujusmodi conductores Ecclesiarum ipsarum locatoribus dederint, aut dare permiserint, prorsus amittant illas: extunc dandas ad Ecclesie nostre fabricam, dicte nostre Ecclesie, representandas, atque in usus dicte nostre Ecclesie fabrice convertendas.

Preterea statuimus, ut quicumque nostre Diocesis sive laicus, sive Clericus de cetero per annum in excommunicationis sententia per quemcunque Ecclesiasticum Judicem in ipsum rite prolata, contumaciter presumpserit perdurare: ipsorum bona mobilia, que obtinent universa, per Principes & Potestates seculares,

res: ad Noſtri tamen & Eccleſie requiſitionem, debeant confiſcari. Si vero Clericus ſententiam excommunicationis per annum ſuſtinuerit animo pertinaci: fructibus Beneficiorum ſuorum, que in noſtra Dioceſi obtinet, per eundem annum, quo in ſententia perſtiterit, ipſo facto irrecuperabiliter ſit privatus. Quos vero fructus Beneficiorum, ſi forſan conſumpſit illo anno: tunc ſequentis anni redditibus omnino careat, quos pro opere fabrice noſtre Eccleſie decrevimus colligendos: ſola ſuſtentatione ipſi Clerico dumtaxat ad Noſtrum, vel noſtri Succeſſoris arbitrium, de ipſis redditibus ſive fructibus reſervata.

Item, ut omnes Archi-Presbyteri noſtre Dioceſis, & quilibet Sacerdos amodo quolibet anno, aut alias totiens quotiens fuerint vocati, veniant ad *Synodum Epiſcopalem & Dioceſañam*, proxima *Dominica poſt Feſtum S. Hedwigis* annis ſingulis celebrandam, excepto eo anno, quo contingat *Synodum Provincialem* celebrari: & quicunque non venerit, vel ſe legittime non excuſaverit: infra quindenam tempore Synodi celebrande tres marcas argenti ſolvat pro pena, quam ſi infra menſem tunc non ſolverit, ſit ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſie, quouſque ſatisfaciat realiter & cum effectu. Archi-Presbyteri vero ſuos Presbyteros abſentes *a Synodo* Archi-Dyacono debent in ſcriptis annis ſingulis ſub penis predictis preſentare.

Item nullus ex Clericis, Peregrinis, & Advenis, niſi habitis litteris dimiſſorialibus, & receptatoriis admittatur.

Item de interdictis, que per Rectores Eccleſiarum ſervantur: etiam per Religioſos obſerventur.

Item, quod viſitantes infirmos, cum Sacramentis, vel legentes Miſſas non incedant in calopedibus. Et viſitantes infirmos cum Sacramentis, ut prefertur, ſequentibus indulgentias centum dierum a Domino BONIFACIO conceſſas pronuntient.

Item predicent Predicatores Verbi Dei contra uſurarios & captantes indebita lucra: & ſignanter, qui mutuant pecunias ſine authoritate Superiorum, ſine literis cenſus percipiunt, uſura eſt.

Item provideant Viſitatores depu-tandi circa exercentes ſortilegia contra febres ac infirmitates quaſcumque, ſcribentes caracteres, vel figuras, & nomina incognita, vel quaſcumque alias ſuperſtitiones exercentes. Et hec vel ſimilia circa homines & animalia exercentes.

Item ſane didicimus, quod quidam Rectores, ſive Plebani Eccleſiarum noſtre Dioceſis venientes ad ſe curſores, portitores Noſtrorum, Officialis noſtri, & aliorum Judicum noſtre Dioceſis mandatorum: male, & inhoneſte recuſantes hujusmodi mandata exequi, nec non procurantes ipſos fuſtari, mergi, & aliis anguſtiis deordinate tribulari, in vilipendium Nobis, & dictis Judicibus, jurata obedientia omiſſa tractant. Nec non certi ſeculares eisdem ingreſſum civitatum & oppidorum prohibent. Nos hujusmodi iniquitatis & pravitatis errorem ab eis ſemovere volentes tanquam merito, Precipimus in virtute ſancte obedientie, & diſtrictius ſub pena excommunicationis, & decem florenorum Hungarienſium pro Camera noſtra applicandarum omnibus & ſingulis Eccleſiarum noſtre Dioceſis Rectoribus, ſive Plebanis, & eorum vices gerentibus, Altariſtis, & Monaſteriorum Religioſis, quatenus ipſi, & eorum quilibet, quando cum Noſtris, noſtri Officialis, & aliorum Judicum noſtre Dioceſis quibuscunque mandatis in genere vel in ſpecie per curſores, ſeu nuncios noſtros, aut eorum requiſiti fuerint, eosdem benigne acceptent, & acceptos pie tractent, & a quibuſcumque moleſtiis defendant, hujuſmodi noſtri mandata Officialis noſtri, & aliorum Judicum noſtre Dioceſis cum diligentia, omni ſemota contradictione & tedio, fideliter exequantur. Et ſi utique non pateret tutus acceſſus ad loca illa, quibus ipſi excommunicandi ſeu citandi degunt: extunc decernimus, quod proceſſus, ſeu citationes in locis vicinis circumjacentibus, ſine quavis contradictione exequatur ſub penis preſcriptis.

Item ſtatuimus, decernimus, & ordinamus: quod omnes & ſinguli Prelati, ac precipue Archi-Dyaconi & Archi Presbyteri omnium Sedium noſtre Dioceſis, omnes & ſingulos defectus, quorumcumque occupatorum, ſeu detentorum bonorum Eccleſiaſticorum captione aut leſione perſonarum Eccleſiaſticarum coram

ram Nobis, & noſtro Clero in hac Sinodo, aut inpoſterum fienda juxta temporis opportunitatem proponant: publicent & manifeſtent. Cum tamen in denuntiandis iſtis quamplurimum defides, conſideramus, & conſideravimus, ac remiſſos: ut juxta declarationem, & deciſionem hujuſmodi ipſis juſticie complementum reddere valeamus, prout Deo dante, pro poſſe noſtro indubie faciemus.

Item, ne homines Spirituales, & ſeculares noſtræ Diocefis ad aliena loca, ſeu ad alienas Dioceſes vexentur, ad ſumptuſque graves & inutiles, nec non ad periclitationem rerum & corporum, propter viarum & locorum varia diſcrimina deducantur; Statuimus & ordinamus, quod nullus Presbyter curatus, & non curatus, aut Notarius publicus mandata peregrina extra Dioceſim noſtram emanata, ſine mandato noſtro, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus ſpeciali acceptet, ſive executionem eorundem procuret, ſeu in Eccleſiis affigi faciat, ſed portatores hujusmodi mandatorum, & nuncios ad Nos, vel Vicarium noſtrum in Spiritualibus remittat cum effectu ſub pena Sinodali

Item quamvis perfidos Judæos propria culpa perpetue ſervituti ſubmiſit: pietas tamen Chriſtiana eos receptat, & ſuſtinet cohabitationem eorum. Ingrati tamen Nobis eſſe non debent, ut Nobis illam retributionem impendant, quam juxta vulgare proverbium: *Mus in pera: Serpens in gremio: Ignis in ſinu* ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere: Et quamquam ipſi nonnumquam contra fidem Catholicam, deteſtabilia, & inaudita, fideique contraria opera committunt, quibus etiam non competit Chriſti fideles intereſſe, ne indignationem, & plagam Dei Omnipotentis incurrant: Idcirco precipiendo mandamus, ut in poſt nullus Judeus aliquam nutricem, ſeu Familiam Chriſtianam ſibi ſervientem teneat, ſub pena trium marcarum argenti puri; ne filii libere famulentur ancille: cum mors Chriſti Chriſtianos liberos, illos autem illiberos effecit. Nullus autem Chriſtianus ipſis ſerviat: preſertim in domibus ipſorum, quum Judeorum mores & noſtri in nullo concordant, & ne ipſi ob continuam converſationem, & aſſiduam familiaritatem ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam ſimplicium animos inclinarent. Talem ergo familaritatem cum eis habentibus, & eis ſervientibus omnia Eccleſiaſtica interdicantur Sacramenta.

Item quia multi proh dolor! noſtris modernis temporibus Beneficia Eccleſiaſtica aſſumere non formidant, juris ordine non ſervato in ſcandalum multorum, & periculum animarum ſuarum non modicum; Quare ſtatuimus & ordinamus, quod in poſt nullus ſe de aliquo Beneficio quovis modo intromittat; niſi ante Frida ſive proclamatio premittatur, juxta juris communis diſpoſitionem, ſub pena decem florenorum irremiſſibiliter pro Fiſco Camere noſtre pagandorum.

Item ſane didicimus, quod quidam religioſi falcem in meſſem alienam ſepiſſime mittere non formidant, in ſepulturis, confeſſionibus, ac aliis forum Paſtorum verorum concernentibus, in prejudicium & jacturam non modicam verorum Plebanorum & propriorum. *Preterea* ſtatuimus & ordinamus, quod in antea nullus religioſorum cujuſcumque religionis, ſeu ordinis exiſtat, non curatus, aliquod funus ad ſepeliendum recipiat & acceptet, vel exequias peragat, nec ad legendum triceſimos circa ſe aliquem alliciat, aut ad eligendum ſepulturam circa ſe, aut in Monaſterio ſuo, aliquem inducat, ſine ſcitu & voluntate proprii Plebani, ſpecialiter illa intumulandi, ſub pena excommunicationis, & decem florenorum, Fiſco Camere noſtre irremiſſibiliter ſolvendorum.

Item ſtatuimus, quod inquiſitores heretice pravitatis de hereſi diligenter inquirant juxta privilegia ipſis a jure conceſſa: & de aliis criminibus que ad correctionem, ac emendationem ordinariorum pertinere dinoſcuntur, ſe quovis modo intromittere preſumant; ſub pena excommunicationis, & decem florenorum pro Fiſco Camere noſtre irremiſſibiliter aſſignandorum: niſi ad emendandum ſive corrigendum, tales per loci ordinarium fuerint deputati.

Item auribus noſtre audientie inſonuit, qualiter nonnulli noſtre Dioceſis Clerici ſeculares, & religioſi, ſalutis proprie immemores, homines ſexus utriuſque cauſa lucri temporalis ad prophanos idololatrie cultus plurimum induxerunt & indu-

inducunt, ſigna (*b*) fieri ab imaginibus ſuarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, ſive Capellarum ſuarum Eccleſiarum, domorum, ſive locorum, fingendo, afferentes in periculum, & detrimentum animarum Chriſti fidelium non modicum. Quare dictis periculoſis, & enormibus defectibus obviare, eoſdemque exſtirpare, eradicare, & pro poſſibilitate noſtra emendare volentes: prout ex officio Nobis divinitus credito, & conceſſo tenemur & aſtringimur; Statuimus & ordinamus, quod in antea nullus Clericorum, tam ſecularium, quam religioſorum: cujuscumque ſtatus, gradus, dignitatis, ſeu eminentie exiſtant, alicui imagini, ſeu figure ſigna (*b*) aſſcribat, ſeu attribuat. Nec ea in ſermone, vel extra, denuntiare, publicare, ſeu affirmare preſumat ſub pena excommunicationis, & decem florenorum, Fiſco Camere noſtre irremiſſibiliter pagandorum: niſi talia auditis, & deſuper examinatis fideliter teſtibus, ac aliis probationibus legittimis per Nos examinata, ratificata, & approbata fuerint pariter & admiſſa. Alioquin contra facientes, totiens quotiens predicta fecerint, dictis penis volumus ſubjacere.

Item percepimus, quod errores multiplices circa reſignationem Beneficiorum, & permutationem earundem occurrunt, ut puta pravitas ſimoniaca, aliaque diſpoſitioni juris omnino contraria; Quare dictis defectibus obviare, eoſdemque de medio tollere volentes, ſtatuimus, & ordinamus, quod in poſt nullus Clericorum cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, ſeu eminentie exiſtat, aliquod Beneficium Eccleſiaſticum aſſignare, ſeu permutare in manibus Patronorum, ſeu perſonarum ſtatus cujuscumque, quovismodo preſumat, niſi in manibus noſtris, aut Vicarii noſtri Generalis, juramentiſque ipſorum utrorumque de cavenda fraude, vel contractu illicito quocumque premiſſo ſub pena decem florenorum Fiſco Camere noſtre applicandorum, ac irremiſſibiliter perſolvendorum.

Item ſtatuimus, quod caſus Papales & Epiſcopales tradantur ad Synodum.

(*b*) miracula, *intellige:* prodigia.

Sciendum breviter, pro quibus caſibus ac penitentiis ſit penitens ad Epiſcopum remittendus.

Ad cujus rei memoriam evidentem, omiſſis difficultatibus, *dico primo:* Quod Penitentiarum alia eſt publica, alia eſt ſolennis, alia vero privata. Publica eſt, cum alicui injungitur peregrinatio cum baculo cubicali, & pera benedictis, vel aliquo genere veſtis: vel publice penitere, eſt publice coram populo; ſeu pro publico crimine penitentiam agere: ſimilitudinarie tamen poteſt dici publice penitere, ſicut & qui in propria domo penitentiam agit; & ſicut qui propter delictum invitus in Monaſterium detruditur: hanc Sacerdos poteſt injungere, cum non ſit inhibitum, & non imponitur niſi pro gravi crimine. Clericis talis penitentia non eſt injungenda, niſi depoſitis. Solennis penitentia eſt, que fit in *Capite quadrageſimali:* quam omnes penitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt penitentiam, ante fores repreſentent Epiſcopo civitatis: ſacco induti nudis pedibus, vultibus in terram dimiſſis, ſe reos eſſe ipſo etiam habitu, & vultu proteſtantes, & iſta imponitur a ſolo Epiſcopo: & hec penitentia imponitur pro homicidio, pro ſacrilegio, pro inceſtu, & ſimilibus gravibus horrendis caſibus, pro filiorum oppreſſione, & breviter pro omni gravi crimine, totam urbem, vel villam commovente. Hoc autem ſcias, quod omnis ſolennis penitentia eſt publica, ſed non econverſo. Solennis tamen magis continet ſecundum ſolennitatem predictam. Privata autem penitentia eſt, quæ pro occultis peccatis imponitur, que ſunt Presbytero confitenda. Et ab eo eſt penitentia injungenda. Niſi in caſibus, qui ſequuntur: in quibus ſunt confitentes ad Epiſcopum remittendi.

Et primo caſus Epiſcopales ſequuntur.

Primo coiens cum moniali conſecrata, vel virgine: vel non conſecrata, vel mulier cum religioſo.

Item verberans patrem, vel matrem.

Item

Item deflorans virginem vi oppressam vel seductam.

Item machinans in mortem conjugis.

Item abutens Chrismate, vel re sacra.

Item furtum faciens in Ecclesia.

Item Clericus, cujus negligentia furtum commissum fuit in Ecclesia.

Item baptisans proprium puerum sine necessitate.

Item proprium puerum ad baptismum, vel confirmationem tenens sine necessitate.

Item fractor voti.

Item contrahens seu religionem intrans invita uxore post copulam consecutam.

Item confessus se credidisse hereticam pravitatem, quo ad absolutionem a peccato.

Item simoniacus quoad peccatum.

Item excommunicatus celebrans solenniter in Ecclesia, quoad peccatum: sed quoad irregularitatem, ad Papam.

Item Clericus per saltum promotus.

Item ordinatus ab alieno Episcopo sine licentia proprii Episcopi.

Item homicida factus verbo vel consensu, nisi defendendo, vel in fure vim faciente occiso. Homicide autem aliqui mittuntur ab Episcopis ad Sedem Apostolicam propter enormitatem criminis, ad contritionem habendam, non tamen de juris necessitate, sed de Episcoporum providentia & voluntate.

Item coiens in Ecclesia maxime consecrata.

Item coiens cum Judea vel Sarracena.

Item concipiens filium, & non a suo viro, quem vir credens filium suum, instituit eum heredem in prejudicium aliorum.

Item procurans abortum, vel sterilitatem in se vel in alio.

Item contrahens matrimonium cum alio post sponsalia, juramento interposito.

Item scienter celebrans in Ecclesia interdicta, quo ad absolutionem a peccato; sed quoad dispensationem ab irregularitate mittendus est ad Papam.

Item sortilegus.

Item demones invocans pro furto, vel mulieribus, vel quocunque modo.

Item scienter excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, manifestos usurarios, in cimiteriis, aut Ecclesiis, sepelientes: & tales sepelientes etiam ipso facto excommunicati sunt.

Item clandestine, vel contra interdictum Ecclesie matrimonium contrahentes.

Item blasphemator Dei & Sanctorum.

Item oppressor filiorum studiose, violenter vel negligenter.

Item pro sacrilegio.

Item pro incendiis.

Item perjurus, qui precedente juramento postea falsum dicit.

Item sodomite, & omnes, qui fornicantur contra naturam: maxime cum brutis.

Item incestum faciens.

Item fornicans cum ea, quam baptisavit, vel confessionem audivit.

Item usurarius quoad peccatum, & dispensationem.

Item celebrans in Altari non consecrato.

Item sine sacris indumentis.

Item non jejunus.

Item pro ablatorum, subtractorum, illiciteque acquisitorum restitutione, & extendatur dumtaxat ad unum fertonem grossorum, sed infra non fiat remissio.

Etiam diligenter notandum est, quod in necessitatis articulo, in predictis casibus, & aliis, quicumque fuerint, etiam Superioribus reservatis, potest Sacerdos simplex absolvere: premisso tamen, quod necessitatis articulo cessante confitentes ad Superiores, a quibus alias absolvendi fuissent, remittantur.

Insuper diligenter notandum est, quod in casibus, in quibus Episcopus habet potestatem absolvendi, potest etiam is, cui ipse vices suas commiserit, suam jurisdictionem exercere; preterquam in quinque casibus.

Primus est, ubi solennis penitentia est injungenda, ut supra.

Secundus est, qui nec potest absolvi ab excommunicatione in casu, ubi excom-

communicat, nisi ei specialiter committatur.

Tertius ubicumque invenit irregularitatem contractam, tunc debet eum ad Episcopum remittere, ut dispenset cum eo, si potest, vel saltem cum suis literis illum remittat ad Papam.

Quartus incendiariis ante publicationem, secundum quosdam.

Quintus, si sit de consuetudine alicujus diocesis, quod certa crimina Episcopo reservantur. Sed advertendum est, quod Episcopus generaliter delegando vices suas circa penitentiam imponendam, ac similia, non intelligitur tali delegasse potestatem dispensandi, & absolvendi ab excommunicatione, & receptiones juramentorum, & restitutionem in integrum: nisi specialiter exprimatur, cum ad ipsius Episcopi correctionem specialiter spectare videatur. Et tunc ex causa legitima discreto viro, qui sciat rem, circumstantias negociorum, potest committere.

Item notandum est, quandocumque aliqui ad confessionem de criminibus conveniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse, quid sit faciendum circa tales? Consultationi tali taliter respondemus, quod Confessores eorum confessiones recipere debent, & eis de criminibus consilium adhibere. Quia licet non sit hujusmodi vera penitentia, tamen admittenda est eorum confessio, & crebris, & salubribus monitis est penitentia indicenda.

Sequuntur casus Papales antiquorum jurium, in quibus quis a solo Papa absolvitur.

Primus: qui verberat Clericum, hic tamen casus habet in jure exceptiones.

Secundus est de eo, qui incendit vel frangit Ecclesiam, vel locum religiosum, seu cimiterium, qui post denuntiationem non nisi a Papa absolvitur, & idem de quolibet incendario, si denuntietur.

Tertius: Quando Papa aliquem nominatim excommunicat, quem solus Papa absolvit, sic solus participantes absolvit.

Item Presbyter secundas nuptias benedicens, licet non sit excommunicatus, tamen mittendus est ad Sedem Apostolicam, quia est a Beneficio, officioque suspensus.

Item falsificans literas Papales, vel scienter literis Papalibus falsis utens.

Item insequutor Cardinalium, qui incurrit multas & graves penas C. *Felicis* Lib. VI.

Item illi mittuntur ad Sedem Apostolicam, qui occasione sententie excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, latitant, licentia gravandi illos, qui tulerunt eam, vel suis in personis, vel bonis. *De sentent. excommunic. Quecumque* Lib. VI.

Item corpus alicujus defuncti incidentes, vel coquentes pro ossibus transferendis, sunt excommunicati, & a Sede Apostolica absolvendi.

Item Inquisitores hereticorum, odio, vel gratia, amore, vel lucro contra justitiam, vel scientiam, omittentes contra quempiam procedere, vel contra ipsam heresim: alicui imponentes injuste, quod impediat officium suum, sunt excommunicati ipso facto, & a solo Papa absolvendi.

Item Religiosi, qui sine licentia speciali proprii Sacerdotis, scilicet cujus est populus, solennizarent matrimonia, aut ministrarent Sacramenta Eucharistie, vel extreme Unctionis, sunt excommunicati ipso facto, & a solo Papa absolvendi.

Item similiter sunt excommunicati Religiosi, qui excommunicatos a Canone in casibus, a jure non concessis, aut a sententiis per Statuta Provincialia, seu Sinodalia promulgatis aliquem absolverint a pena & a culpa, & a Papa tamen absolvendi.

Item insequutor Episcoporum est excommunicatus, & a solo Papa absolvendus. *Juxta Cle. de Sent. excommunic.*

Item Clerici religiosi inducentes aliquos ad vovendum, jurandum, vel promittendum de eligendo apud eos sepulturam, vel jam electam ulterius non immutent, sunt excomunicati ipso facto, & tamen per Sedem Apostolicam absolvendi.

Item

Item, qui cogunt celebrare aliquem in loco interdicto, vel ad audiendum Divina, vocant excommunicatos vel interdictos.

Item, qui prohibent talibus excommunicatis & interdictis, ne moniti exeant.

Item tales excommunicati vel interdicti, si moniti non exeant, sunt excommunicati ipso facto, & a Sede Apostolica absolvendi.

Item illi etiam, qui ferrum, equos, arma, vel alia necessaria, ad impugnandum Christianos deferunt, seu transmittunt, seu galeas aut naves vendunt, aut in piratis navibus Sarracenorum gubernationem exercent, vel impendunt consilium vel auxilium ad dispendium terre sancte, sunt excommunicati ipso facto, tamen absolvendi per Sedem Apostolicam per Extravagantem CLEMENTIS Quinti, que incipit: *Multa mentis.*

Item sciendum est, quod quicumque curialis, qui facit, vel recipit promissionem, de aliqua re vel utilitate consequendi, vel obtinendi aliquam gratiam aut justiciam apud Sedem Apostolicam, excommunicatus est ipso jure, de quo plenius habetur in Extravaganti BONIFACII, que incipit: *Excommunicamus.*

Sequuntur Canones Penitentiales.

Ut autem Sacerdos circa Penitentias dispensando cautius arbitretur: notandi sunt casus, in quibus per Canones certe pene seu penitentie imponuntur. Nam Canones penitentiales tenetur scire Sacerdos, alias vix in eo nomen Sacerdotis constabit.

Primus Canon dicit: quod si Presbyter fornicationem fecerit, penitentiam decem annorum facere debet, hoc modo: inclusus, sacco indutus, & humi prostratus, misericordiam Dei jugiter implorans, tribus mensibus continuis de vespera in vesperam, pane & aqua utatur, exceptis diebus Dominicis, & precipue festivitatibus, in quibus modico vino pisciculis & leguminibus recreatur. Elapsis sic & finitis tribus mensibus exeat de carcere, non tamen procedat in publicum, ne grex fidelis in eum scandalum patiatur, per hoc apparet, quod loquitur de publico. Post hec reassumptis aliquantulum viribus anno uno & dimidio in pane & aqua peniteat, exceptis Dominicis & aliis precipuis festis: in quibus vino & sagimine, ovis & caseo reficiatur. Finito sic primo anno & dimidio particeps sit sanguinis Domini, & ad apicem & ad Psalmos cum aliis fratribus cantandos admittatur: in Choro tamen ad cornu Altaris non accedat, sed minorum Ordinum tantum officia gerat. Deinde usque ad expletionem septimi anni tres legitimas ferias, videlicet secundam, quartam, & sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui scilicet sunt quinquaginta, in pane & aqua jejunet, tamen secundam feriam uno denario vel uno Psalterio potest redimere: sed si sic septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare, ita tamen, quod in tribus annis subsequentibus omni feria sexta, nulla interveniente misericordia, in pane & aqua jejunet.

Sacerdoti etiam pro quolibet peccato, sive crimine, quod depositionem inducit, est consimilis penitentia injungenda.

Canon secundus dicit, quod Sacerdos cognoscens filiam suam spiritualem, scilicet quam baptizavit, vel confirmari fecit, vel in penitentia audivit, penitentiam duodecim annorum agere debet, & si in publicum prodierit, est deponendus. Episcopus autem, qui talia commiserit, quindecim annis peniteat: Mulier vero religioni tradenda est, rebus suis pauperibus erogatis.

Tertius, si quis contra naturam peccaverit, & est Clericus, deponi debet, vel religioni tradi; si corrigibilis appareat, ad perpetuam penitentiam peragendam. Si laicus, excommunicari, & a cetu fidelium usque ad condignam satisfactionem fieri alienus: & hoc vicium majus est, quam si matrem quis cognosceret.

Quartus, quod Sacerdos, qui interest clamdestinis nuptiis, triennio suspenditur, & si culpa hoc exegerit, gravius puniatur.

Quintus, si quis excommunicatus celebraverit, triennio penitere debet, a vino & carnibus abstinere.

Sextus, si quis votum simplex violaverit, tribus annis penitere debet.

Septimus, quod qui alium injuste accusat ad mortem, quadraginta dies in pane & aqua, per septem vero annos peniteat, si accusatus occisus sit: & si membrum perdidit, per triennium.

Octavus, quod quicumque Filiam Spiritualem, vel commatrem suam cognoscit, per septem annos peniteat, & ei consentientes similiter.

Nonus, quod si quis desponsatam alii duxerit, eam dimittat, & XL. dies per septem annos in pane & aqua peniteat.

Decimus, qui cognoscit duas commatres, vel sorores, sive vivat uxor, sive non: ad minus septem annis peniteat, licet plus deberet.

Undecimus, quod homicida voluntarius sine spe restitutionis deponitur, & septem annis peniteat.

Duodecimus, quod casualis homicida quinque annis peniteat.

Tredecimus, quod si factum fuit propter necessitatem inevitabilem, per duos annos debet penitere, licet, si esset inevitabilis, in nullo imputaretur sibi, quod verum est quoad peccatum, sed quoad cautelam, & innocentiam suam Ecclesie ostendendam, bonum est penitere: sed si quis per insaniam committat homicidium, non imputatur ei, qui vero etiam intuitu discipline incaute percutiendo occidit, deponitur.

Quartus decimus, quod matricida per decem annos peniteat secundum formam satis aspere traditam. Uxoricide autem imponitur major penitentia, talis enim, & qui Dominum occidit, nunquam equitet, nec vehiculo deportetur, quare dixit Hugo, quod majus peccatum est, uxoricidium, quam matricidium, cum gravius puniatur. Alii contra. Sed ideo major penitentia imponitur, quia promptiores sunt homines ad occidendas uxores quam matres.

Quintus decimus, quod perjurus quadraginta diebus in pane & aqua per septem annos peniteat, & semper debet esse in penitentia scilicet interiori.

Sextus decimus. In falsa mensura est triginta dierum in pane & aqua penitentia imponenda.

Septimus decimus. Si quis solenniter penituit, & postea rediit ad vomitum, decem annis peniteat.

Decimus octavus. Qui devotam vel monialem cognoscit, decem annis peniteat, & ipsa similiter penitentiam agat, secundum formam traditam.

Decimus nonus. Qui cantat Missam, & non communicat, annum penitere debet, & interim a celebratione Misse cessare.

Vicesimus. Qui mortuum Clericum involvit in palla Altaris, decem annis & quinque mensibus peniteat: Diaconus vero triennio & dimidio, sive sex mensibus.

Vigesimus primus. Qui committit sacrilegium violando Ecclesiam vel Chrisma, seu Calicem Sacrum pollutis manibus accipit, vel similia committit, annis septem peniteat: in duobus proximis, non intret Ecclesiam, & usque ad quartum non offerat, & tribus diebus in ebdomada a carnibus & vino abstineat jejunando, & alia consideranda sunt, sicut de hoc plenius invenitur in jure.

Vigesimus secundus. Si parentes frangunt sponsalia filiorum, triennio separantur a communione, & filii similiter, si in culpa sint. Sed si filii secundum promissionem factam contraxerint, excusantur uterque quo ad penam Ecclesie intelligas, non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium.

Vigesimus tertius. Qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, quinque annis peniteat.

Vigesimus quartus. Quod maledicus contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, linguam publice relaxans in blasphemiam: debet agere penitentiam per septem ebdomadas.

Vigesimus quintus. In Sacerdote denudante illum, qui confessus est verbo vel signo.

Vigesimus sextus. Qui compulsus conditionaliter perjurat, si liber sit, quadraginta diebus per septem annos peniteat, si servus sit, tribus annis.

Vige-

Vigesimus septimus. Qui perjurat in manibus Episcopi in Ecclesia Sacrata, tribus annis: qui in non consecrata, uno anno peniteat: qui coactus & per ignorantiam, jejunet tribus quadragesimis.

Vigesimus octavus. Qui scienter falsum jurat, vel alium jurare compellit, duodecim annis peniteat.

Vigesimus nonus. Qui in dicendis horis Canonicis, & aliis Officiis Divinis, a consuetudine Metropolitane proprie Ecclesie discrepat, sex mensibus communione privetur, si ex contemptu hoc accidit.

Tricesimus. Episcopus, qui ordinat sine justa causa Clericum invitum, penitus invitum, vel absolute, anno suspenditur.

Tricesimus primus. Episcopus, qui correctionem de venditione ministeriorum dissimulat, duobus mensibus; Sacerdos quatuor: Dyaconi & ceteri ad arbitrium judicis peniteant.

Tricesimus secundus. Sortilegus quadraginta diebus peniteat.

Tricesimus tertius. Qui videt in astrolabio futura, duobus annis peniteat.

Tricesimus quartus. Si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in terram, id est, tabulam terre adherentem, lingua lambatur, & tabula radatur: si non fuerit tabula, locus corrodatur cavando, & Sacerdos quadraginta diebus peniteat. Si super Altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus peniteat: si super lintheum Altaris, & ad aliud stilla pervenerit, septem diebus peniteat, & lintheamina, que tetigerunt stillam tribus vicibus minister abluat calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, vel juxta Altare condatur, scilicet si sine abhominatione sumi non potest.

Tricesimus quintus. Si quis propter ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, si laicus sit, XL. diebus, Clericus autem LXX. diebus, Episcopus nonaginta diebus peniteat: si propter infirmitatem hoc accidat, septem diebus.

Tricesimus sextus. Qui Presbyterum interfecerit, duodecim annis peniteat.

Tricesimus septimus. Qui domum vel aream voluntarie succendit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis peniteat: Canon tamen dicit, quod si ex odio vel pro vindicta hoc fecerit, excommunicari debet, nec absolvatur, quousque satisfecerit. Penitentia autem ponitur, ut Hierosolymam, vel in Hispaniam ad Sanctum Jacobum vadat, in Dei servitio per annum moraturus. Si quis Archi-Episcopus, vel Episcopus hoc relaxarit, damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat. Hodie postquam denuntiati sunt, possunt absolvi citra Sedem Apostolicam.

Tricesimus octavus. Qui communicat ignoranter heretico, uno anno peniteat: qui scienter quinque annis, qui permittit hereticum cantare Missam ignoranter, XL. dies. Si pro reverentia ejus, per annum: si in subversione fidei, tamquam hereticus damnatur.

Tricesimus nonus. Qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem & filiam, vel amicam, vel neptem, septem annis peniteat: si scienter, perpetuo careat conjugio.

Quadragesimus. Qui cum brutis coierit, plus quam per septem annos peniteat. Idem de incestu.

Quadragesimus primus. Patronus, qui res Ecclesie dilapidat, anno peniteat.

Quadragesimus secundus. Qui lustrat domum suam magicis & incantatoribus, quinque annis peniteat.

Quadragesimus tertius. Si mus comedat Corpus Christi, Sacerdos XL. diebus peniteat. Si perdidit, XXX. dies: si incaute dimisit, quamvis nihil nephandi inde acciderit, tribus mensibus ab officio suspendatur.

Quadragesimus quartus. Qui jurat non facere pacem cum proximo suo, uno anno peniteat, & ad pacem redeat.

Quadragesimus quintus. Pro perjurio, adulterio, & homicidio dantur regulariter septem anni. Idem pro fornicatione, licet non ita aspera penitentia injungatur.

Quadragesimus sextus. Qui scienter rebaptisatur, septem annis peniteat, faciendo tres quadragesimas, & feria quarta & sexta in pane & aqua jejunando, si pro vicio heresis hoc fecerit: si autem pro immunditia, id est, pro salute cor-

poris obtinenda, tribus annis peniteat. Cum discretione autem injungatur penitentia, & prescripti Canones moderentur, cum hodie sint arbitrarii. Proviso tamen, quod circa penitentias imponendas in casibus supradictis, prout de jure fieri poterit, hujusmodi penitentie augeantur, & minuantur, pensatis singulis circumstantiis, & habito respectu ad contritionem & lachrymas confitentis. Et sciendum, quod secundum LEONEM Papam nemo desperare debet, dum adhuc est in corpore constitutus, quia nonnunquam, quod diffidentia etatis differtur, consilio maturiori perficitur. *De Penit. Dis. VII. c.* 1. Hoc exemplum habes in latrone, cujus etsi sera fuerit penitentia, perfecta tamen & accelerata fuit indulgentia. Tanta enim posset esse contritio, quod sufficeret ad omnem penam delendam, ita quod talis anima, nec per purgatorium transiret, sed ad patriam convolaret. Verum quidem hoc periculosum, rarum, & incertum est nobis.

Item didicimus: quod quidam Ecclesiarum Rectores, ac Monasteriorum nostre Diocesis tam seculares, quam Religiosi, honestati Clericali, ac cultui Divino minime intendentes, ludos in lutinis, tubis & clamoribus excitare presumunt, populum, plus propter lucrum & vanam gloriam ad audiendum Divina congregatum, in Missis solennibus, aut votivis provocant, quam ad laudem & honorem Dei. Cum vero in Ecclesia non alia, nisi que honestatem & devotionem introducere videantur, exerceri debent; Quare statuimus & ordinamus, quod nullus Ecclesiarum tam secularis, quam religiosus Rector, sive Plebanus, & presertim Monasteriorum & nostre Diocesis inantea quovis modo de talibus Missis votivis, aut solennibus nuncupatis, indiscretis, ac honestati Clericali contrariis, & derogantibus attentare presumat sub pena excommunicationis, & decem florenorum, Fisco Camere nostre irremissibiliter applicandorum.

Item intelleximus, quod plura Altaria, ceteraque Beneficia in nostra Diocesi per negligentiam & incurabilitatem ministrorum succumbunt ac pereunt, & signanter per alienationem ac amissionem monumentorum eorundem, & privilegiorum. Hujusmodi igitur defectibus obviare volentes, ut tenemur, Statuimus & ordinamus, quod inantea nullus Clericorum nostre Diocesis monumenta, incorporationes, privilegia, seu instrumenta Beneficiorum, seu Altarium suorum quovismodo apud se retineat. Sed ea ad sacras edes sub fideli custodia infra unum mensem reponat, & presentare procuret, sub excommunicationis & decem florenorum penis persolvendorum, ac irremissibilter Fisco Camere nostre applicandorum.

Item didicimus, quod Predicatores Verbi Divini nostre Diocesis in Ecclesia publice exorbitare non formidantes: factis secularibus ad forum seculare spectantes se intromittentes & immiscendo: propter quod statuimus, & ordinamus, quod de cetero, & inantea nullus Predicatorum Verbi Divini, emptiones, venditiones domorum, vaccarum ac animalium, ceterarumque rerum quarumcumque denuntiare presumat sub excommunicationis & decem florenorum penis, Fisco Camere nostre persolvendorum.

Sub anno Nativitatis Domini MCCCCXLVI. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini EUGENII Divina Providendia Pape *quarti*, Anno ejus sedecimo. Reverendo in Christo Patri & Domino, Domino CONRADO, Dei Gratia Episcopo Wratislav. Synodum a *Festo Sancti Urbani* usque ad octavam Beati Johannis Baptiste celebrante: Venerabilis Vir Dominus Henricus Roraw, Custos, Canonicus & Officialis Wratislavienf. nec non dicti Reverendi Patris Domini CONRADI Episcopi Wratislav. *Vicarius in Spiritualibus Generalis*, dicteque Synodi Promotor, una cum Scientifico Viro *Magistro Balthasar*, Rectore Scolarum Ecclesie Wratislav. de mandato ejusdem Domini CONRADI Episcopi Wratislav. Generali, presentia statuta pro correctione & morum reformatione, nec non Cleri defectuum, aliqua comportarunt de antiquis eisdem adjungentes. Que omnia Reverendus in Christo Pater & Dominus CONRADUS Episcopus Wratislav. supradictus, una cum Clero sue Diocesis ad Synodum congregato acceptavit, roboravit, & confirmavit, eisque suam ordinariam auctoritatem interponendo pari-

pariter & decretum. Acta ſunt hec anno & Pontificatu predictis. Indictione nona, die Veneris *prima mensis Julii*, hora quaſi primarum, in alba ſtuba Curie Epiſcopalis Wrat. preſentibus ibidem Honorabilibus & diſcretis Viris Dominis Joanne de Wolavia, Plebano apud Sanctam Eliſabeth. Petro Wartinberg Subcuſtode. Joachim Manſionario Majoris. Caſparo Lehener, Manſionario crypte Collegiate Sancte Crucis. Jacobo Baringer, Predicatore Verbi Dei, Beate Marie Magdalene Wratislav. Martino Santberg, Plebano in Stynawia Eccleſiarum, & Johanne Weynrich Notario publico, ac copioſa multitudine Cleri congregata, teſtibus ad premiſſa vocatis pariter, rogatis. Originale in hoc finali loco continebat ſubſcriptiones trium Notariorum publicorum, qui premiſſæ *Synodo* interfuerunt, ipſa ſtatuta conſcripſerunt, & in formam publicam redegerunt, quorum nomina brevitatis intuitu pretermittuntur.

Impreſſa fuit hæc Synodus anno 1512. *Nurembergæ per Hieronymum Holtzel a pag. XXIII. ad XXIV. in 4to.*
Recuſa in codice impreſſo Wratislaviæ anno 1585. *a pag.* 61. *in 4to.*

EUGENII Papæ IV. Conceſſio ad inſtantiam FRIDERICI III. Imperatoris facta, ut Decreta Concilii Baſileenſis ab ALBERTO Rege acceptata, porro in Germania obſerventur uſque ad futuram modificationem.

Anno Chriſti MCCCCXLVI. Eugenii IV. Papæ XVI. Friderici III. Regis VII.

EUGENIUS, EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Ad tranquillitatem & commoda omnium Chriſti-Fidelium, & *præſertim Nationis Germanicæ*, quam Apoſtolica Sedes ſingulari affectione proſequitur, diligenti ſtudio intendentes, ea libenter concedimus, per quæ ipſius Nationis perſonarum quieti & commoditatibus conſulatur.

§. II. Sane *ad inſtantiam Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri FRIDERICI III. Romanor. Regis*, Illuſtris & Venerabilis Fratris noſtri Theodorici Archi-Epiſcopi Moguntin. & dilecti Filii Nobilis Viri Friderici Marchionis Brandenburgenſis per alias noſtras litteras nonnulla *circa Concilium Conſtantienſe*, ejuſque Decreta, nec non *futuri convocationem Concilii* mentem noſtram concernentia declaravimus, prout in ipſis literis plenius continetur. Super aliis autem Decretis Baſileæ editis, & *per claræ memoriæ quondam ALBERTUM Romanorum Regem acceptatis*, ex quorum obſervantia *Natio Germanica præfata ex pluribus gravaminibus dicitur relevari*, contenti ſumus, volumus, ac decernimus, quod omnia & ſingula vigore Decretorum hujusmodi cum ſuis modificationibus acceptatorum, per eos, qui illa acceptarunt, vel acceptantibus in Natione præfata adhæſerunt, uſque in præſentem diem quomodolibet geſta vel acta ſunt, cum omnibus inde ſecutis rata, firma, & inviolabilia perſiſtant; nec in poſterum a quoquam quavis auctoritate caſſari, annullari, aut irritari, quovis modo valeant vel revocari; quodque omnes & ſingulos, qui uſi ſunt illis, ac in vim dictorum Decretorum, a die acceptationis eorundem quicquam conſecuti ſunt, ſecuri ſint & quieti; nec propterea impeti, turbari, aut moleſtari poſſint quomodolibet in futurum.

§. III. Super obſervatione vero & modificatione Decretorum eorundem, cum nonnulli Prælati Nationis præfatæ ex eisdem Decretis gravatos ſe fore conqueſti ſint; *cumque in illis Apoſtolicæ Sedi, quæ multum in ſuis juribus ex ipſis Decretis gravata dignoſcitur, recompenſatio promiſſa ſit*, decrevimus, *Legatum noſtrum cum* ſuffi-

sufficiente potestate ad partes Germaniæ hujusmodi transmittere, qui mediantibus Rege, Archi-Episcopo, & Marchione præfatis, ac aliis ejusdem Nationis Principibus & Prælatis, cum quibus fuerit opus, super observantia & modificatione Decretorum hujusmodi, nec non super provisione, Sedi prædictæ faciendis, tractare poterit, & finaliter concordare.

§. IV. Permittentes interim & indulgentes, quod omnes & singuli, qui præfata Decreta receperunt, vel recipientibus, ut præmissum est, adhæserunt in præfata Natione, illis similiter cum modificationibus, quibus recepta sunt, libere & licite uti possint, quos etiam circa singula præmissa manuteneri & defensari volumus, *donec per Legatum hujusmodi*, ut prædictum est, concordatum fuerit, vel *per Concilium*, quod ad prædictorum Regis, Prælatorum, & Principum exhortationem convocare proponimus, *aliter fuerit ordinatum*; non contraventuri, nec contravenientibus consensuri quovis modo. Speramus autem, & a certo tenemus dictos Regem, Archi-Episcopum, Marchionem, & alios Principes & Prælatos tanquam devotos ipsius Sedis, non passuros medio tempore Romanam Ecclesiam remanere in suis juribus spoliatam.

§. V. Hanc autem concessionem ad eos, qui declarationi, vel obedientiæ per suos Prælatos, vel Superiores Nobis factæ, aut infra sex menses faciendæ se opponerent, nullatenus extendi volumus, vel eis opitulari. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ constitutionis, permissionis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quadringentesimo, quadragesimo sexto, Nonis Februarii, & Pontificatus nostri anno sexto decimo.

Cl. Senckenberg refert ad annum 1447. Teutsches Reichs-Abscheid *Parte I. No. XLVI. pag.* 174. - 177.

EUGENII IV. super diversis indultis, dispensationibus, ac concessionibus datis FRIDERICO III. Imperatori, & Principibus Germaniæ, qui recesserant a neutralitate, & obedientiam ei præstiterant. VII. Id. Febr. anno Incarnationis MCCCCXLVI.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

INter cætera desideria cordis nostri filios quoslibet ad Nostram, & Apostolicæ Sedis obedientiam exoptantes adduci, illa, temporum qualitate pensata, aliquando concedimus, ordinamus, & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquillitati & commodis, remotis dissensionibus & scandalis consulatur, & exinde animarum salutem valeant adipisci. Sane cum propter dissensionem inter Nos & eos, *qui Basileæ sub nomine Generalis Concilii remanserant*, dudum exorta, (a) *nonnulli Principes tam Ecclesiastici quam seculares Nationis Germanicæ, in quadam neutralitate, & animorum suspensione, a die decima septima mensis Martii de anno Millesimo quadringentesimo tricesimo octavo usque in præsentem diem se tenuerint*, ea mente, ut asserunt, ut postmodum unanimi consensu in Nostra, & Sedis Apostolicæ obedientia & reverentia paribus gressibus incedere possent: & Carissimus in Christo Filius noster FRIDERICUS REX ROMANORUM, Illustris, ac Venerabilis Frater noster *THEODERICUS Archi Episcopus Maguntin.* & Dilectus Filius Nobilis

(a) *forte*: exortam.

lis Vir *FRIDERICUS Marchio Brandeburgensis, Sacri Imperii Electores; ac Venerabiles Fratres nostri FRIDERICUS Magdeburgensis, FRIDERICUS Saltzeburgensis, & GERARDUS Bremensis Archi-Episcopi*, ac quidam alii Prælati & Principes dictæ Nationis *Nobis debitam obedientiam per suos Oratores præstiterint*, ac Nos solum JESU CHRISTI Vicarium recognoverint & professi fuerint;

§. II. Nos attentis, quod dictæ neutralitatis, & suspensionis tempore plurima in ipsa natione acta, gesta & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam, & dispositionem super eis Apostolicæ auctoritatis requirunt; præfatorum Regis, Archi-Episcoporum, Marchionis, cæterorumque Prælatorum, & Principum supplicationibus inclinati, omnes & singulos, tam Metropolitanarum, quam Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum, nec non dignitatum, etiam Abbatialium, ac post Pontificales majorum, & in Collegiatis Ecclesiis Principalium, & aliorum Beneficiorum, ac Officiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, etiamsi Ecclesiæ Curatæ, Canonicatus & Præbendæ fuerint; electiones, postulationes, confirmationes, collationes, provisiones, & dispositiones, nec non processus, sententias, aliaque acta judiciaria, auctoritate ordinaria, hujusmodi suspensionis, & neutralitatis tempore factas seu facta, quæ omnia & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata, & grata habentes auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus.

§. III. Volentes, ac etiam statuentes, ut nulli, qui possessione Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi, quacunque, etiam eorum, qui Basileæ post translationem, & dissolutionem Concilii ibidem remanserunt, auctoritate, ea fuerunt assecuti, super hujusmodi Ecclesiis, Dignitatibus, Beneficiis, & Officiis, ac Sententiis & Processibus (etiamsi in Romana Curia vel extra eam lis, cujus statum præsentibus habemus pro expresso, indecisa pendeat, etiamsi super eis, ad ea, vel contra ea fuerit alteri jus quæsitum, seu aliqui se habere prætenderent) ex nunc in antea, in ipsa Curia vel extra eam, Apostolica vel alia quavis auctoritate impeti, aut quomodolibet ex quavis ratione, vel causa molestari possint, sed in suis possessionibus pacifice remaneant.

§. IV. Lites quoque, & causas quascunque super hujusmodi Ecclesiis, dignitatibus, beneficiis, & officiis pendentes (illis duntaxat exceptis, quæ coram ordinariis Judicibus, apud quos juxta formam dictæ suspensionis, & protestationis exinde secutæ, licuit litigare, indecisæ pendent) ad Nos advocantes, auctoritate & scientia prædictis extinguimus, & super eis adversariis eorum perpetuum silentium imponimus; Possessores vero ipsos volumus in suis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Beneficiis, & Officiis pacifice remanere, quibus omnibus ipsas Ecclesias, Monasteria, Dignitates, Beneficia & Officia, quocumque modo vacaverint, auctoritate, & scientia præfatis tenore presentium conferimus, & providemus de eisdem: ac illis, qui *Pallium dictorum, qui Basileæ post nostram translationem sub nomine Generalis Concilii remanserunt, auctoritate, receperunt*, ut illo uti possint, præsentibus, concedimus, & indulgemus. Illis autem, qui non habent, sine difficultate dabimus, & etiam libere concedemus: illis tantum personis exceptis, quæ occasione privationum, propter nostram, aut Basiliensem adhæsionem factarum beneficia detinent, in quibus habeat locum provisio, & dispositio super hiis, quæ contra protestationem facta forent, per præfatum Regem, & Electores Imperii conjunctim, vel divisim promulgata.

§. V. Per hoc autem nulli contendentium super titulo & juribus Ecclesiarum Frisingens. & Osiliens. volumus aliquod præjudicium afferri, aut etiam generari, sed liberum sit unicuique eorum jus suum prosequi justitia mediante.

§. VI. Præterea omnia & singula, quæ dictis suspensione, & protestatione durantibus, in præjudicium, gravamen vel læsionem jurisdictionis, juris vel possessionis Metropolitanorum, Diœcesanorum, Principatuum, Dominiorum, terrarum Regis, & Electorum, ac Archi-Episcoporum prædictorum; nec non alio-

aliorum Episcoporum, Prælatorum, Collegiorum, personarum, seu rerum quarumcunque, contra fœdus protestationis,& suspensionis hujusmodi quomodocunque vergentia, Apostolica vel alia quavis auctoritate concessa, ac in judicio,vel extra obtenta: insuper Ecclesiasticas censuras, mulctas, & pœnas, nec non cujuscunque irregularitatis, & inhabilitatis maculas, tam a jure, quam ab homine propter præmissa quomodolibet promulgatas quoque seu infligendas, quoad Regem, Archi-Episcopos,& Marchionem præfatos, eorumque Dominia, Clericos, subditos,& Vasallos, & ad eos quoque,qui infra sex menses, a dato præsentium computandos, se declaraverint pro Nobis, aut eidem declarationi adhæserint; cassamus, irritamus,& annullamus, nulliusque esse decernimus roboris,vel momenti: omnem irregularitatis, & infamiæ maculam, sive notam, per eos præmissorum occasione contractam penitus abolentes; at eos reabilitantes,& restituentes ad eorum Ecclesias, Beneficia, Officia, dignitates, & honores quæcunque, ac in pristinum statum, & eum, in quo erant ante præmissa, reponentes; nec non illis, qui contra ipsos impetratis, concessis, vel obtentis, seu impetrandis, concedendis, & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamsi eis aut eorum alicui jus quæsitum foret, ex certa scientia de potestatis plenitudine perpetuum silentium imponentes.

§. VII. Insuper quascunque obligationes super *annatis*, *seu communibus*, *& minutis servitiis*, cæterisque juribus, Nobis & Cameræ Apostolicæ,seu Collegio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cæteris que Officialibus debitis, seu quæ deberi dicerentur occasione quarumlibet Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum quorumcunque usque in præsentem diem; remittimus, de nostra liberalitate relaxamus, pariter & donamus, eosque qui in hujusmodi debitis obligati essent, ab omni eorum solutione absolvimus,& etiam liberamus.

§. VIII. Dispensationes præterea quascunque, nisi tales forent, quas hactenus Sedes Apostolica concedere non consuevit, *Indulta quoque, forum conscientiæ respicientia*, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, nec non novas, pro possessoribus, sine præjudicio juris quæsiti, ipsa suspensione durante, vel etiam antea a Nobis, aut ab eis, qui Basileæ sub nomine Concilii reman erunt, aut legatorum suorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, concessas seu concessa, ac omnia inde secuta a die datæ concessionis earundem eadem auctoritate confirmamus, perinde si a Nobis impetrata fuissent.

§. IX. Super sententiis autem in Romana Curia, vel in Basilea, sub nomine Generalis Concilii ante ipsam suspensionem, vel ea durante in causis, in quibus uterque litigantium extraordinario titulo nititur, latis, quæ executioni nondum sunt demandatæ: volumus, statuimus, & ordinamus, quod hujusmodi sententiæ coram judice ordinario tractentur; & quicquid utraque pars vellet producere, pro jure suo coram eo debeat exhibere, qui quidem judex summarie simpliciter,& de plano sola facti veritate inspecta procedens, negotium ipsum unica valeat terminare sententia, a qua nulli partium appellare liceat, aut provocare, aut restitutionem aliquam obtinere: per hoc autem nullatenus præjudicare intendimus eis, qui possessionem dignitatum,etiam Metropolitanarum, Cathedralium,& Abbatialium, seu Beneficiorum quorumcunque,ordinaria, vel alia auctoritate sub eadem Natione obtinentes, durante neutralitate,vel suspensione, prædictorum vigore processuum in Romana Curia, vel in Basilea sub nomine Generalis Concilii obtentorum, aut alias violenter fuerunt spoliati; sed tam spolia, quam jura eorum denuo coram judicibus ordinariis cognoscantur, & fine debito terminentur.

§. X. Insuper omnes, & singulas *præfatæ Nationis*, *aut alterius in ea Beneficia*, *vel Officia obtinentes*, personas Ecclesiasticas & seculares, etiamsi regalis, Archi Episcopalis, Episcopalis, vel alterius Dignitatis fuerint, qui post dissolutionem, sive translationem præfati Concilii per Nos factam, Congregationi Basiliensium sub nomine Generalis Concilii adhæserunt, obediverunt, aut incorporati fue-

fuerunt, qui jam ad nostram obedientiam sunt reversi, vel infra sex menses post declarationem pro Nobis factam redierint, seu declarationi ipsi adhæserint; ab omnibus & singulis juramentis, perjurii reatu, ac aliis censuris & pœnis, si quibus tenerentur, qui incurrissent, inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis, auctoritate præfata absolvimus; & liberamus, ac omnem irregularitatem, inhabilitatis,& infamiæ maculam sive notam exinde quandolibet forsan contractam, abolemus, & in pristinum statum restituimus, & reponimus perinde, ac si talia minime emanassent.

§. XI. Præterea omnes,& singulas personas Nationis præfatæ sive alterius Beneficia in ea vel Officia, sicut præmissum est, obtinentes, quæ sub declaratione hujusmodi pro Nobis facta, vel facienda continebuntur, quæ post hujusmodi Concilii translationem Basileæ remanserunt, aut ipsi congregationi adhæserunt, faverunt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione eorum missi sunt quandoque, aut eis crediderunt, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris, & pœnis in eas per processus nostros, aut alias inflictis, & promulgatis absolvimus; cum his, qui ibidem, seu a provisis ab ipsis, aut eorum authoritate sacros ordines dicto tempore receperant, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant, dispensantes.


§. XII. Volumus insuper, quod singuli Metropolitani nationis ejusdem actu jam Nobis obedientes, vel qui infra sex menses, ut præfertur, Nobis, & Apostolicæ Sedi debitam obedientiam præbuerint; consimiles Bullas sive literas Apostolicas habeant, super quibus petentibus quibuscunque, quoties opus fuerit, sub eorum sigillis transumpta concedere valeant, eisque in judicio, vel extra plena fides, sicut originalibus literis per omnia præbeatur. Super Ecclesiis autem *Trevirensi & Coloniensi*, de quibus in petitionibus Regis, Archi-Episcopi Moguntinensis,& Marchionis præfatorum specialis est positus articulus, per alias nostras literas desuper editas specialiter providimus, prout in eis latius continetur.

§. XIII. Ut autem præmissa eo firmius observentur, pro Nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, pollicemur omnia,& singula supradicta inviolabiliter observare, & contra ea, vel ipsorum aliquod in toto vel in parte, nullo unquam tempore, quicquam innovare, & quod Nobis licere non patimur, eisdem Successoribus indicamus; decernentes ex nunc *irritum* & inane, si secus super his a quoquam quavis *etiam Apostolica auctoritate*, scienter vel ignoranter contigerit attemptari; Quin imo, si adversus præmissa literæ aliquæ, aut mandata ad cujuscumque instantiam, vel etiam, si motu proprio, seu ex certa scienta, etiam cum derogatoriis clausulis, sub quacumque verborum forma a Nobis seu nostra auctoritate ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarent; tales ex nunc pro infectis volumus haberi, quodque is contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent, aut in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur.

§. XIV. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus Apostolicis, & *etiam cum decreto irritante*, quocumque tenore existant, in genere vel in specie, per Nos seu Prædecessores nostros concessis, seu concedendis privilegiis vel indultis, de quibus ac totis tenoribus eorum specialis & expressa,etiam de verbo ad verbum mentio in nostris literis foret facienda; nec non quarumcunque Ecclesiarum statutis & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate roboratis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, voluntatis, statuti, advocationis, extinctionis, impositionis, collationis, provisionis, concessionis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, abolitionis, reabilitationis, restitutionis, repositionis, remissionis, relaxationis, donationis, absolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, dispensationis, pollicitationis, & indicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, *Millesimo*, *quadringentesimo*, *quadragesimo sexto*, septimo Id. Februarii, Pontificatus nostri anno *sexto decimo*.

Cl. Leibnitz Codex Juris Gentium Part. I. pag. 392.
Cl. Senckenburg habet eandem Bullam, sed anno 1447. *cætera paria.*
Teutscher Reichs-Abscheid Erster Theil *No. XLVI. pag.* 174.



LEODIENSIS SYNODUS

Anno Christi MCCCCXLVI. Eugenii IV. Papæ XVI. Friderici III. Reg. VII.

SUB JOANNE HEINSBERGIO, EPISC. LEODIENSI.

JOANNIS Episcopi IIX. (a) *Leodiensis Reformatio Curiæ & Cleri Leodiensis.*

UNIVERSIS PRÆSENTIA STATUTA VISURIS SEU AUDITURIS, JOANNES, DEI GRATIA, EPISCOPUS LEODIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SINCERAM.

QUamvis bonæ memoriæ ADULPHUS, Episcopus Leodiensis, Prædecessor noster, ad extirpandum Officiatorum Curiæ nostræ, nec non curiarum Venerabilium Virorum Præpositi, Capituli, Archidiaconorum nostrorum Leodiensium ipsas curias sequentes abusus & excessus, quædam statuta utilia condiderit: quædam scilicet anno *millesimo tricentesimo tricesimo septimo, mensis Septembris die vicesima octava*, quædam autem eodem anno, sed mensis Octobris die septima; alia quædam anno a Nativitate ejusdem Domini *millesimo tricentesimo XLIII. mensis Julii die nona*, & illa mandaverit sub certis pœnis in eisdem adjectis inviolabiliter observari. Illa tamen usquequaque observata non sunt, unde gravamina sunt addita nostris subditis graviora; ideoque eorundem subditorum incommodis obviare volentes illa statuta, & alia Synodalia per Prædecessores nostros edita, ac per Nos noviter cum aliquibus editionibus innovata, salvis tamen infrascriptis statutis, de dicti nostri Capituli consilio & consensu innovamus, & de novo confirmamus, præcipientes authoritate nostra districtius, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis in illis expressis diligentius ab omnibus observari, quædam autem consideratione venerabilium majoris, & secundariarum Ecclesiarum nostrarum Leodiensium Capitulorum, ac Cleri nostrarum civitatis & Diœcesis Leodiensis de memorati nostri Capituli majoris consilio, & consensu statuentes.

Licentia testandi per Episcopum, vel Officialem confirmata maneat.

Inprimis siquidem statuimus, quod licentia testandi alicui Presbytero, seu Beneficiato per literas sub sigillo Officialatus Curiæ Leodiensis concessa non expiret per recessum, vel decessum illius Episcopi, cujus authoritate concessa fuit, sed perpetuo sit firma & valida.

De Inventario faciendo.

Item, si contingat Sigilliferum vel Officialem foraneum apponere manus ad bona mobilia alicujus Presbyteri, vel alterius Beneficiati ab intestato, seu absque licentia testandi defuncti, conficiatur de illis bonis statim & fideliter inventarium, &

(a) Joannes Heinsbergius, Archi-Diaconus Hasbaniæ, Filius Domini Hinsbergii & Lewenbergii, anno ætatis 23. electus unanimi voto Capituli Leodiensis anno 1419. 15. Junii. Obiit 1459. 15. Kal. Novembr. *Foullon.*

& id, quod exequiis, & debitis solutis supercreverit, cedat dispositioni nostræ, convertentes, prout Nobis visum fuerit expedire.

De vicesimo denario dando pro placet *&* absentia.

Item quod de cætero pro absentia infra Festum Sancti Ægidii per petentes non recipiatur ultra quam vicesimus denarius valoris annui Beneficiorum, deductis realibus oneribus, & ut Beneficii, de quo absens petetur, vero valore notitia a Rectore petentis certior habeatur, volumus notitiam eandem juramento Rectoris & virorum fide dignorum coram illo, a quo petetur absens, vel certo Commissario in hoc Beneficio ad hoc dando, & nullatenus dari deneganda doceri posse & debere, proviso in hoc, quod docto semel Officiali vel Sigillifero Leodiensi modo præmisso, seu Archidiacono, suove Vicario, non arretetur talis docens absque legitima causa, valorem ejusdem secundario deducere vel docere, sed uterque Prælatorum prædictorum sit contentus documento, coram altero ipsorum fideliter facto, nisi fructus hujusmodi Beneficii augmententur, aut diminuantur, quodque pro *Placet* cujuscunque Beneficii curati quanticunque valoris, ultra unum scutum vetus, Beneficii vero non curati ultra quatuor grossos veteres, quales subscribuntur, de cætero non recipiantur quovismodo; volumus tamen & mandamus pro *Placet* ipsorum Beneficiorum minus recipi secundum fructuum tenuitatem.

Nota, quod dantur duo grossi antiqui pro resignationibus. & de valore grossi.

Item *in absentia*, & *placet* etiam conjunctim pro resignationibus, tam per Sigilliferum nostrum, quam Archidiaconos Ecclesiæ nostræ Leodiens. non recipiantur ammodo ultra quam duo grossi antiqui, quorum duodecim valebunt florenum Renensem, & unum dimidium stuferum bonum, quales etiam grossos solvi volumus *in absentia* & *regratiationibus*, & quod nihil quoad absentiam capiatur, sed recipiatur abusive.

Quod non denegetur alicui Canonice &c. residenti in civitate Leodiensi absentia, & quod sint contenti de vicesimo denario ut supra.

Item quia Decani, seu Vicedecani & Capitula secundariarum Ecclesiarum nostrarum Leodiens. hactenus plura onera, vexationes & labores nobiscum, & cum Venerabili Capitulo nostro Leodiensi, pro libertate Ecclesiastica nostra servanda, & pro resisten. injuriarum, expressionum, & gravaminum, quæ proh dolor Clero modo tam infra civitatem, quam extra diversimode, & pluries retroactis temporibus obvenerunt; & indies obveniunt, subire habuerunt, & habent, dum talia vel similia occurrunt, idcirco ipsis Dominicis, Decanis, seu Vicedecanis, & Capitulis secundariarum Ecclesiarum nostrarum Leodiensium prætactarum gratiose indulgendo ordinamus, & statuimus, ut in antea nullus Sigillifer noster pro tempore, aut aliquis Archidiaconorum, sive Vicarius eorundem Decanusve, sive Vicedecanus Christianitatum, seu consiliorum quorumcunque, aut alius Prælatus, quicunque nostrarum civitatis & Diœcecis Leodiensis alicui Canonico præbendato nostrarum Ecclesiarum secundariarum Leodiens. prætactarum, & resident. in eisdem seu aliqua ipsarum, & extra easdem Beneficium & Officium, seu Beneficia, seu Officia nostræ Diœcesis, Curatum, seu non Curatum, aut curata vel non curata obtinentes licentiam abeundi, fructusque, ad Nos, nostram dispositionem, & ad Prælatos prædictos, seu aliquem ipsorum ratione absentiæ hujusmodi spectantes, levantes, & habentes ac facientes, illi vel illis laudabiliter in Divinis deservire deneget: sed concedere debeat, unicuique Canonico residenti, ut præfertur, petenti & competentem taxam, juxta articulum, sive proventum prætactum de vicesimo denario singulis annis infra, & ante Festum beati Lamberti Martyris offerentes, hortantes omnes & singulos Decanos, vel Vicedecanos, & Capitula omnium & singularum Ecclesiarum nostrarum, Collegiatarum extra civitatem Leodiensem, & infra Diœcesin nostram consistentium: ut ipsi & eorum singulis seu favorabiliter in præmissis cum Canonicis resident. in aliqua Ecclesiarum

ſecundariarum noſtrarum prætactarum ſe conformet, & abſen. nulli ipſorum Prælatorum & Canonicorum reſident. illam petenti denegent, ſcituri, quod ſi facere recuſaverint (quod abſit) non gaudebunt, neque fruentur noſtris præſentibus ordinationibus ſeu ſtatutis.

Fructus Beneficiorum ſub ficto colore &c. non arreſtentur.

Item inhibemus, ne de cætero fructus Beneficiorum, in quibus Rectores eorum perſonaliter reſident ſub ficto colore, quaſi ipſi ſint abſentes, aliquatenus arreſtentur, nec etiam eorum Rectores, qui abſentes ſunt cum licentia ſuorum Prælatorum, hujusmodi licentiam dare debent, dummodo Beneficia hujusmodi alias laudabiliter officientur prout debent, quodque ſi forſan ſcienter, vel ignoranter ſecus contigerit attentari, comperta veritate ſummarie judex ſine aliqua difficultate arreſtum tollat, & ſi forſan contra talem Rectorem, vel ejus Procuratorem, aut alium habentem cauſam ab eo occaſione hujusmodi arreſti quomodolibet fuerit poſt contumaciam, vel alias proceſſum ad excommunicationem, ſuſpenſionem, vel interdictum, abſolutio ſibi ſine difficultate impendatur, & pro revocatione arreſti abſque abſolutione hujusmodi, etiam pro eo ſigno ſive pro ſigillo nihil recipiatur, ſed litteræ ſuper hujusmodi revocatione, ſeu abſolutione confectæ gratis per Notarios ad talia deputatos ſignentur, & per eos, ad quos ſpectet, ſigillare, gratis ſigillentur, & inſuper, ſi contingat collectorem fructuum Beneficiorum abſent. & Procuratorem negociorum curiæ propter injuſtum arreſtum, vel injuſtam cenſuram hujusmodi condemnari in expenſis, præcipimus illas ſtatim ſolvi, vel in judicio deponi ad opus illius, cui eædem expenſæ ſic adjudicatæ fuerint.

Nullus Collector fructuum admittetur, niſi juraverit hic inſerta.

Item ſtatuimus, ut nullus Collector fructuum Beneficiorum, quorum Rectores ſine licentia ſunt abſentes, admittantur ad exercendum hujusmodi officium in judicio vel extra, niſi prius juraverit, quod non procurabit aliquos fructus aliorum Beneficiorum, in quibus Rectores eorum perſonaliter reſident, ſub ficto colore prædicto aliquatenus arreſtari, niſi prius illo Rectore debite in propria perſona, vel in loco Beneficii vocato, judex ad arreſtationem hujusmodi ex aliqua rationabili cauſa, quam in hujusmodi decreto exprimi volumus judicialiter decreverit procedendum, & etiam, niſi idem Collector juraverit, quod Beneficiis curatis, vel non curatis, quorum fructus colligere ſibi commiſſum eſt, ſeu committetur, debite & laudabiliter faciat deſerviri: & quod ſolvet jura eorum, & onera etiam realia ſupportabit, & quod ſi bona eorundem propter ſuum defectum diminuantur, ipſe damnum plenarie reſarciet absque fraude.

De arreſtatione fructuum Beneficiorum Rectore abſente.

Item ſtatuimus, quod ſi licentia abeundi præcedit arreſtationem antedictam, Collector fructuum prædictorum pro arreſtatione, ſeu pro literis nihil percipiet, ſi vero licentia hujusmodi arreſtationem ſubſequatur, tunc per hoc volumus arreſtum eſſe ſublatum, & Collector, ſi præſens ſit, vel Subcollector duos dumtaxat groſſos percipiet, alioquin ſi abſens fuerit ad opus ejus; Sigillifero, vel Vicario Archidiaconi, qui arreſtum poſuit pro arreſtatione, & litteris nihil percipiet dummodo tantundem expoſuerit, & arreſtum non fuerit privative poſitum, in promptu ſolvi præcipimus, ſed ſi propter loci diſtantiam plus meruerit, hoc ſit in arbitrio judicis.

Item de *Synodo celebranda*, & de *exceſſibus Synodalibus*, ac excommunicatione, & inſtitutione Procuratorum Fiſcalium, nec non de ſalario & ſcripturis Sententiariorum, articulatorum, copiatorum Notariorum, Procuratorum quorumcunque Fiſcalium Curias noſtras, & aliorum Prælatorum frequentantium, nec non de his, qui cedere volunt bonis propter paupertatem, ſervetur, & fiat, prout in Statutis Synodalibus Curiæ Leodienſis, nec non moderationibus tempore bonæ memoriæ Domini ADULPHI, quondam Epiſcopi Leodienſis, factis, atque prout in pace Tongrenſ. & aliunde ordinatum eſt, & proviſum; ſalvo, quod articulator non debeat contra

unam perſonam ſuper diverſis exceſſibus facere diverſos ſive plures proceſſus, niſi judex ex ſpeciali cauſa decreverit hoc eſſe faciendum, & ſit contentus pro reſponſionibus & juramento ad articulos, ſi in eisdem ſit unicus dumtaxat exceſſus, ſalario, prout de illis proviſum eſt, in ſolutis, & aliis prætactis, & ſi fuerint plures exceſſus in eisdem articulis, ſit contentus recipere & habere, prout judex quantitatem ſcripturarum, reſponſionem ad eosdem decreverit recipiendum fore vel ſolvendum.

Quod excommunicatus per annum arbitrio Judicis plectetur.

Item ſi citatus ex officio ad Curiam noſtram Leodienſ. vel alicujus Archi Diaconorum reſponſurus ſuper exceſſu quocunque fuerit propter ſuam contumaciam excommunicatus, ſtatuimus: ut hujusmodi contumax de cætero ultra ſummam vel valorem ſex groſſorum Turonenſ., ſi vero Presbyter duodecim groſſorum non plectetur pro ſua contumacia, ſi vero quis ad cujuscunque juſtitiam per annum, & amplius excommunicationis ſententiam animo ſuſtinuerit indurato, arbitrio judicis plectetur, & eo mediante cuilibet tali ſua abſolutio gratis ſignetur, & pro duobus groſſis, prout de illis proviſum eſt, ſigilletur, & idem volumus obſervari per quoscunque Judices noſtræ Diœceſis etiam authoritate Apoſtolica fungentes.

Quod non recipiatur ultrá viginti denarios condemnation. pro interlocutoriam vim diffinitivæ habente.

Item ſtatuimus, quod pro ſententia diffinitiva, ſeu interlocutoria negocio finem imponente ſignando & ſigillando non recipiatur ultra viginti denarios condemnationum, vel abſolutionum, pro interlocutoria autem ſignando, aut ſigillando, quæ vim non habet diffinitivæ ſententiæ, non recipiantur ultra duos groſſos.

De numero Procuratorum Fiſcalium, & quales debent eſſe Procuratores fiſcales.

Item circa Procuratores negotiorum ſtatuimus, quod de cætero non ſint in Curia noſtri Officialis, niſi quindecim Procuratores negotiorum Curiæ ejusdem præter collectores, & quod in q alibet Curiarum Præpoſiti, & Archi Diaconorum non ſit niſi unus, & ſint illi probi, diſcreti, & fideles, latinum congrue loqui ſcientes, qui non ſunt Presbyteri, non tabelliones publici, Notariatus officium in aliqua Curiarum prædictarum exercentes, non infames homicidæ, publici adulterii, manifeſti uſurarii, vel laici, & collectores fructuum Beneficiorum vacantium & abſentium, ſed ſint Presbyteri, & bonæ fidei homines.

Item ſtatuimus, quod nullus eorum ſit Sigillifer, Archi-Diaconus, vel Notarius illius Curiæ, cujus ipſe eſt negotiorum Procurator ordinatus: ſed ſint in ſingulis Curiis ſingula officia diſtincta, & ſit unusquiſque contentus ſuo officio.

De litteris abſentium.

Item cum in litteris abſentium ab aliquo Beneficio per Officialem noſtrum, & Archi-Diaconos concedentes, exprimitur perſona illi deſervitura, cum clauſula una, cum alio vel aliis Beneficiis, nolumus, quod talis deſervitor pro licentia hujusmodi quidquam ſolvat, ex quo in hoc caſu eſt ei licentia ad hoc conceſſa.

De Citatione.

Item ſtatuimus, quod nullus de cætero citetur ad Curiam Leodienſem, ſeu Archi-Diaconorum ſuper ſuis exceſſibus reſponſurus, niſi cum citatorio mittantur etiam articuli continentes exceſſus hujusmodi, vel ſaltem, niſi in ipſo citatorio exceſſus taliter ſint expreſſi, quod citatus poſſit plene inſtrui, ſuper quibus ipſe in judicio convenitur.

Nullus incarceretur, niſi convictus de crimine vel confeſſus, ſeu in eo comprehenſus.

Item inhibemus, ne citatus aliquis authoritate ordinaria, vel noſtri conſervatoris Apoſtolici ad civitatem Leodienſem pro cauſa ſua agenda vel deferenda, ac legitime proſequenda veniens, vel inde recedens, aut in ea domicilium fovens, & juri ſtare paratus de cætero capiatur, vel incarceretur, aut incarceratus detineatur: niſi crimen in jure confeſſus, aut in crimine comprehenſus fue-

fuerit, seu de eo convictus, si contingat aliquem talem, vel quemcunque alium in crimine non deprehensum, non convictum detineri, illi dentur articuli celeriter & expedite, quod nisi factum fuerit, volumus, & mandamus ipsum in continenti sub cautione, quam judex decreverit, emitti, & prohibemus, ne aliquis in Diœcesi Leod. Beneficiatus, & in suo Beneficio residens pro quocunque crimine sibi imposito capiatur: vel etiam fructus sui Beneficii arrestentur, nisi, ut præmittitur, convictus, aut saltem desuper prius debite citatus fuerit, ac comparere, & juri stare non curaverit: vel de ejus fuga verisimiliter timeatur, aut crimen hujusmodi executionem in personam requiret.

De Rescriptione Mandatorum.

Item, quod de cætero Executores litterarum monitoriarum, quæ impetrantur super contumacia judicato vel recognito, teneantur judici, qui illas concessit, modum & formam, atque diem, & horam suæ executionis una cum speciali designatione personarum, in quas hujusmodi litteras, scilicet executi rescribere in fine earundem litterarum, vel per transfixam, suamque rescriptionem sigillo proprio & noto, quo uti consueverunt, communire.

De Juribus litterarum proclamatoriarum, & admissorialium.

Item juri communi Prædecessorum nostrorum statutis & ordinationibus innitentes districte prohibemus, ne pro resignatione Beneficiorum per admittentes, pro institutione, & admissione ad Beneficia quidquam recipiatur, etiam quocunque colore quæsito nihilominus tamen pro scripura signo, & sigillo trium proclamationum ante institutionem, seu admissionem fieri consuetarum sex grossi, & pro institutione, seu admissione, scriptura, signo & sigillo duodecim grossi, & pro audientia unus grossus recipi potuerunt, & non ultra: per quæ tamen non intendimus tollere jus quæsitum per antiquitatem temporis Archidiaconis, & Prælatis aliis, habentibus compositionem de octava parte fructuum beneficii, vel officii, tempore admissionis hujusmodi, neque infringere consuetudinem laudabilem Archidiaconorum, & aliorum Prælatorum minus pro præmissis, aut aliquo præmissorum rescribere consuetorum, quam præcipimus in suo statu irrefragibiliter observari.

De Visitationibus, quas Archidiaconi faciunt.

Item circa visitationes, quas Archidiaconi faciunt per se, vel suos Vicarios statuimus, quod ipsi Visitatores in his taliter se habeant, quod nihil contra Canonicas Sanctiones, sive Synodales constitutiones aliquatenus faciant, seu fieri etiam permittant, sed his dumtaxat quæ eis licita sunt, sint contenti, nihil penitus curialitatis, vel procurationis nomine a Provisoribus mensæ Sancti Spiritus, aut fabricæ Altaristis appendiciis non separatis, seu filiabus Ecclesiarum, Capellis, aut etiam Hospitalibus recipientes, & quod, ut melius observetur, volumus, ut Visitatores Apostolica authoritate forsitan committentes ad hoc per eorum adstringi juramenta in Capitulo nostro Leodiensi præstanda, & si secus in aliquo fieri contigerit, volumus hoc Nobis, aut dicto Capitulo nostro majori fideliter, quam citius nunciari, ut quod reparandum fuerit, debite reparetur, & ulterius, quod deinceps visitationes per Procuratores nequaquam admittantur, vel fiant etiam authoritate Apostolica, nisi mandata sive literæ Apostolicæ debite obtinendæ prius per Nos Episcopum præfatum, & nostrum Venerabile Capitulum, aut saltem per ipsum nostrum Capitulum visæ examinatæ, & admissæ fuerint, sufficienter & deliberatæ.

Notarius aut Procurator non exigat aliquid pro juramento, ubi juramentum non est præstitum.

Item si contingat reum de excessu aliquo propter quem fuerit ex officio, vel ad instantiam partis tractus in causam componere ante litis contestationem, vel postquam, antequam in causa sit juratum, nullus Notarius in causa hujusmodi sive Procurator aliquod ab eodem reo suoque Procuratore exigere præsumat ratione alicujus juramenti, quod nondum in ipsa causa præstitum est, videlicet, ut non recipiat Notarius aliquid pro jura-

juramento, quod non fuit in ipſa cauſa præſtitum, nec ſuper articulatis adverſus eum pœnitentiam recipere, vel componere volentem ad jurandum compellat, ſi tamen aliqua de articulis adverſus eum pœnitentiam petens, vel compoſitionem negaverit, intentionis noſtræ eſt, quod reſpondeat medio juramento calumniæ ante pœnitentiam injungendam, vel compoſitionem fiendam.

De Litteris Statutorum.

Item, quia nimis diſcrete quamplures litteras, quæ dicuntur ſtatutorum, & potiſſime per quas mandatur ceſſari a Divinis percipimus a Curia noſtra Leodienſ. emanaſſe, ſtatuimus, quod de cætero litteræ, quæ dicuntur ſtatutorum, & potiſſime per quas mandatur ceſſari a Divinis, dictentur per aliquem, ſeu aliquos noſtræ Curiæ prædictæ expertum ſeu expertos, præſtitum ſeu præſtitos, & ſigneto officialitatis per noſtrum Officialem ſi rationabiles & jure, vel ſtatuto bene fundatæ ſint, in ipſarum capite muniantur, antequam ſigillentur.

Item ſtatuimus, quod ſi canonice intranti, & pacifice poſſidenti biennium authoritate Apoſtolica Legati vel ordinaria Beneficium Eccleſiaſt. quodcunque litem in futurum ſuper eodem Beneficio moveri contingat, fructus ejusdem Beneficii nullatenus ex eo capite, quod Beneficium eſt litigioſum, vel quod occaſione Beneficii lis moveatur, illi ſubtrahantur, vel arreſtentur, ſed eo caſu ipſe illos percipiet, cum ea integritate, qua eos perciperet, ſi ſuper Beneficio hujusmodi vel ejus occaſione lis mota non eſſet, niſi ſubſtractionem vel arreſtationem hujusmodi mediante judicis competenti judiciali decreto ex aliqua rationabili cauſa fieri contingat, volumus autem, quod tali poſſeſſori, cui ſuper ſuo Beneficio lis eſt mota, non denegetur abſentia, ſi ex legitima cauſa ſe voluerit abſentare.

De Foraneis.

Item ſtatuimus, ut nullus de cætero ſit Officialis noſter, ſeu alicujus Archi-Diaconorum prædictorum Officialis foraneus, niſi ſit Presbyter, vel Clericus vitæ laudabilis & honeſtæ converſationis, qui officium hujuſmodi exerceat laudabiliter, & honeſte, & in quolibet conſilio non ſit, niſi unus Officialis foraneus, & unus Archi-Diaconus foraneus conſiliis Bekenſ. propter ſui latitudinem, nec non Tong. Traject. & Sancti Trudonis propter idiomatum diverſitatem dumtaxat exceptis.

De Matrimonio.

Item, quia cognovimus quosdam Clericos, ſeu Officiales foraneos aliquando ſuper matrimoniis, ſeu ſponſalibus contractis partes contra hujusmodi matrimonium, ſeu ſponſalia opponentes concordaſſe, & aliquando compoſitionem cum illis iniiſſe, & pecunias ea de cauſa recepiſſe: ut de cætero periculis animarum obvietur, inhibemus omnibus noſtris ſubditis, ne ſuper oppoſitionibus factis contra matrimonium, ſeu ſponſalia contractum, ſeu contracta concordiam aliquam faciant, ſeu tractent componere, ſeu concordari, ſive tractari procurent, ne etiam aliquis hujusmodi compoſitionibus, concordiis, tractatibus intereſſe præſumat: ſed ſuper hujusmodi matrimoniis ſponſalibus, & oppoſitionibus exſpectetur ſententia judicis competentis.

Item inhibemus, ut litem in aliqua Curiarum prædictarum habentem in civitate Leodienſi ad cauſam ipſam Procuratorem legitime conſtitutum, vel ſubſtitutum aliquis citare, ſeu citari facere præſumat, ad quem actum, ſeu ad aliquos actus dictæ cauſæ, niſi de ſpeciali & expreſſo mandato judicis, ex aliqua rationabili cauſa hoc proceſſerit.

Item etiam inhibemus, ne in aliqua cauſa Notarius aliquis reſponſiones facientes ad poſitiones, ſive teſtes producentes audiat, recipiat, vel examinet extra Curiam noſtram, niſi judex cauſæ illi præſenti vel abſenti Notario hoc expreſſe commiſerit.

Quod nullus poteſt aut debet duabus Eccleſiis deſervire.

Item prohibemus, quod nequaquam uno Presbytero committatur deſervitura duarum Eccleſiarum Parochialium non condependentium abſque evidenti neceſſitate, & ſi contingat ex tali neceſſitate uni Presbytero deſervitura talium duarum Eccleſiarum Parochialium committi, nolumus

lumus tamen, quod talis Presbyter bis celebret in die absque nostra licentia speciali, cum id jure prohibeatur: habentes autem plura Beneficia, & illis simul deservientes, propterea non vexentur, nec quidquam ab eis exigatur, vel recipiatur, dummodo oneri ipsorum possint satisfacere, & satisfaciant cum effectu.

Placet Coadjutorium (a) non expirat per mortem curati.

Item quod Curato residenti in curia sua, & obtento placet Coadjutorium (*a*) si medio tempore decesserit testamento per eum condito de licentia nostra, illud non expiret per mortem dicti Curati, sed durabit usque ad Festum Beati Joannis Baptistæ mortem prædictam immediate subsequens.

Placet deservitorium non expirat per mortem Curati absentis.

Item similiter de Curato absente de nostra, & aliorum Prælatorum licentia, & testamento per eum de eadem licentia nostra condito placet pro deservitore suo obtentum per mortem ejusdem absentis Curati non expiret, sed durabit ut supra.

Item volumus, statuimus, & ordinamus, quod nemini petenti licentiam fructus sui Altaris competentes non habenti, ponentes, & convenientes in augmentum hujusmodi sui Beneficii, vel Altaris per nostrum Officialem, & Sigilliferum, aut Archidiaconos, seu Vicarios suos prædictos denegetur, proviso quod fructus levans in augmentum convertens ipsi Altari faciat debite in Divinis deserviri, & post lapsum temporis sibi ad hoc indulti computum inde reddere teneatur, & *placet deservitorium* sibi in hac parte gratis concedatur.

Item si contingat deinceps aliquem Presbyterum curatum, vel alium quemcunque Beneficiatum propter executionem mandatorum Ecclesiasticorum minas aut metum sustinere, propter quas non audet in Beneficio, aut loco residere, volumus, & mandamus tali Presbytero licentiam abeundi ab hujusmodi suo Beneficio gratis concedi, metu ipso durante, & nihilominus per Judicem a quo mandata emanarunt, sibi de expensis necessariis honestate servata, pro eodem tempore debite provideri.

(*a*) *Non est in impresso anni* 1518. *Antwerp.*

Conjugatus non sit judex, Sigillifer, seu Vicarius.

Item inhibemus, ne de cætero aliquis sit judex, & Sigillifer noster, seu Vicarius, & componens in eadem curia simul & semel, quodque nullus conjugatus sit Officialis, Sigillifer noster, Vicariusque alicujus Archidiaconorum, aut judex alicujus curiarum prædictarum.

De Visitatione Decanorum.

Item inhibemus, ne Decani Christianitatum sub colore visitationis factæ, vel illius remissione recipiant de suis quartis Capellis pecunias annuas, nisi personaliter visitaverint, & cum effectu: & tunc fient contenti quarta illius, quod Archidiaconis pro integræ Ecclesiæ visitatione debetur; idem volumus observari in solutione obsonii, & Cathedratici ipsarum quartarum Capellarum dictis Decanis facienda, & nihilominus resideant ipsi Decani quilibet in suo Concilio, nisi fuerit Officialis, Sigillifer, aut Protonotarius noster, aut locum tenens alterius eorundem, salvisque privilegiis Apostolicis, vel nisi cum eis per Nos, aut nostros Superiores fuerit dispensatum.

Item statuimus, ut iidem Decani rurales in solutionibus absentium, & placet de suis quartis Capellis, ac etiam in proclamatione, & admissionibus ad easdem, & octava parte fructuum sint contenti, & illis utantur sicut Sigillifer & Archidiaconi.

De Deliberatione Sacri Chrismatis.

Item prohibemus, ne Sigillifer noster Leodiensis, aut aliquis alius pro deliberatione Sacri Chrismatis, Olei Sacri, aut olei infirmorum in civitate nostra Leodiensi Decanis Christianitatum nostræ Diœcesis in hebdomada pœnitentiali deliberari solitorum, neque etiam ipsi Decani pro ministratione hujusmodi sacrorum a Fratribus Conciliorum facienda quidquam recipiant vel exigant, contra, vel præter tenorem statutorum Synodalium: sed absque extorsione alicujus pecuniæ sive sub colore expensarum, aut alias

alias quocunque illa expedite deliberent, cum ad hoc ex debito officiorum suorum obligentur.

Item prohibemus, ne hujusmodi Sacramenta detineantur per nostrum Sigilliferum, aut quemcunque alium, neque etiam eorum deliberatio denegetur alicui Decano propter deportationem, aut executionem quorumcunque mandatorum Ecclesiasticorum, absque decreto nostri Officialis speciali.

De Commissionibus causarum.

Item quamquam Archidiaconi, & Decani Christianitatum audire, & cognitionem causarum coram eis intentarum committere valeant, tamen, ut ipsi superiorum eorum jurisdictionem, & authoritatem non defraudent, inhibemus, ne decisionem, & diffinitivam sententiam ipsarum committere præsumant quoquomodo, & similiter inhibemus Officiali curiæ nostræ Leodiensis, ne causas per viam appellationis ad eum devolutas aliquatenus committere præsumat: & causas alias per viam simplicis querelæ coram eo intentatas ultra semel committere præsumat decidendas.

De Juribus præsentationis ad Sacros Ordines.

Item in factis præsentationibus ad Sacros Ordines statuimus & ordinamus, quod pro præsentatione ad quemlibet Sacrum Ordinem non recipiantur. Ultra sex grossi, quales præscribuntur in quarto puncto, signo & sigillo, in universo.

Quod semel in anno Curati rescribant suo Decano.

Item statuimus, quod de cætero rescribens suis temporibus Decano, seu Vicedecano alterius Conciliorum nostræ Diœcesis, prout moris est, debet semel duntaxat in anno, & non amplius rescribere nomina, & cognomina Beneficiorum Curatorum, & non Curatorum, ac officiorum infra Parochiam suam consistentes una cum annuo valore Beneficiorum ac officiorum hujusmodi juxta communem æstimationem, vel prout melius sciverit, ac nominibus, & cognominibus Rectorum eorundem resident. atque absent. ab eisdem, & deservitorum eorundem, & excommunicatorum per annum, & amplius, & talis sic rescribens non debet ex officio citari super ulteriori rescriptione facienda.

Quod Presbyter non citetur super incontinentiis, nisi mulier, cum qua peccavit (a) prius, ad Synodum vocata fuerit.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus Presbyter super incontinentiis citetûr, nisi mulier nominata in citatorio, cum qua dicitur incontinens peccasse, sit primo ad Sanctam Synodum provocata: volumus tamen, quod in eventum, in quem Synodus in loco domicilii ejusdem mulieris non fuerit celebrata, vel talis mulier per dolum, fraudem, sive timorem Statutorum Synodalium sit neglecta, & in Synodo non provocata, & de hoc Procurator Fiscalis inquirere voluerit, hoc licite facere poterit.

Pœna contra violatores præsentium Statutorum.

Item quia parum valent statuta, nisi debitis pœnis vallentur, statuimus & ordinamus, quod omnes Officiales, Sigilliferi, Notarii, Procuratores negotiorum prædictarum curiarum, & Clerici foranei, qui sunt vel erunt, hæc statuta pro posse, & bona fide, quantum in eis erit, observent. Si quis autem Officialis, Sigillifer, aut Notarius, aut Clericus foraneus Officialis nostri, vel Archidiaconorum prædictorum, aut Procurator quicunque, scienter dicta statuta, vel eorum aliqua præsumpserint violare, volumus & ordinamus, quod talis suspendatur ab exercitio officii ad sex menses, & ultra, prout suo judici in ea parte videbitur expedire, & alias arbitrio judicis ejusdem puniatur, prout hoc meruerit protervitas delinquentis.

Pœna contra non habentem præsentia statuta.

Item præcipimus omnibus Judicibus, Sigilliferis, Officialibus, Advocatis, & Procuratoribus negotiorum dictarum curiarum, Clericis foraneis Officialis nostri & Archidiaconorum, nec non Decanis Conciliorum prædictorum, aut vice gerentibus sub pœna excommunica-

[a] *Acta impress.*

nicationis, quod quilibet ipſorum infra menſem poſt præſentem publicationem copiam ſtatutorum ipſorum habeat, ne ſuper illis ignorantiam aliquam valeat allegare, & quod ipſi Decani, & eorum vice gerentes Rectoribus Eccleſiarum ſui Concilii ea publicent, & ipſi Rectores eorum copiam recipiant, quantocius poterunt, & ſi aliquos violatores, ſeu transgreſſores eorundem ſtatutorum, vel aliquos falſarios, vel abuſores litterarum Apoſtolicarum, vel delegatorum judicum, ſeu curiæ Officialis noſtri Capituli, vel Archidiaconorum prædictorum, vel ſuper hoc diffamatum ſciverint, invenerint, vel perceperint, illorum nomina, vel exceſſus Officiali noſtro, prout Statuta Synodalia præcipiunt, denuntient, vel reſcribant; verum quoniam omnia præmiſſa per Nos ordinata, & ſtatuta ſunt dumtaxat propter abuſus rebellorum, & in melius reformando, non intendimus per ea jurisdictionibus noſtris per Nos, & per noſtros Officiales curiæ noſtræ juratos ac Archidiaconorum Eccleſiæ noſtræ Leodienſis, & aliorum Prælatorum in aliquo derogare: ſalvis ſemper ordinationibus, & ſtatutis noſtris ſupra ſcriptis in ſuo robore permanſuris. In quorum omnium teſtimonium ſigillum noſtrum una cum Sigillo noſtri dicti Capituli appoſuimus, & Nos Capitulum Leodienſe prædictum in ſignum conſilii, & conſenſus noſtri ſuper, & in præmiſſis datorum, & ut ſtatuta, & alia præmiſſa robur obtineant perpetuæ firmitatis Sigillum noſtrum una cum ſigillo dicti Reverendi Patris Domini noſtri Epiſcopi Leodienſis prædicti his litteris, ſeu ſtatutis duximus apponendum. Datum anno a Nativitate Domini *Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, menſis Junii die quarta.*

Nota: Prædictæ Reformationes confirmatæ ſunt per Sanct. D. N. NICOLAUM Papam V. anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, XIV. Kal. Novembris, Pontificatus ſui anno V.


Impreſſa eſt hæc Synodus Pariſiis in Chalcographia Jodoci Badii: Antverpiæ expenſis Joannis Vorſterman anno 1518.

Joannes Hinsbergius ex Provinciali Synodo Colonienſi A. 1424. reverſus, Statuta Provincialia vulgavit, Clero Leodienſi conſentiente. *Suffridus Petri in vita. Chapeaville Tom. III.*

Idem Joannes Hinsbergius Synodum anno 1287. a Joanne Flandro Epiſcopo Leodienſi celebratam, conſtantem Cap. XIX. & eo anno a nobis editam Tomo III. *ex Martene*, ſed conſtantem Capitulis XXXIV, qualem Martenus vulgavit, denuo publicavit A. 1445. *Litera Petri impreſſum Leodii.*

Idem Hinsbergius anno 1424. edidit Ordinationes Curiæ ſuæ Epiſcopalis, moderatas præ iis, quas Adolfus de Marka Anteceſſor in Epiſcopatu annis 1337, 1339, 1343. ediderat.

Lunig. Continuatio III. Spicilegii Eccleſiaſtici.



SYNODUS HERBIPOLENSIS
SUB GOTFRIDO (a) EPISCOPO,
Anno Chriſti MCCCCXLVI. Eugenii IV. Pp. XVI. Friderici III. Reg. VII.

In qua renovantur Statuta Provincialia Moguntinorum Archi-Epiſcoporum, præſertim PETRI de anno 1310. & multorum Herbipolenſium Epiſcoporum Statuta inſeruntur:

Puta JOANNIS, MANGOLDI, WOLFRAMI, GOTFRIDI, & ANDREÆ Epiſcoporum Herbipolenſium.

GOTFRIDUS Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia, Epiſcopus Herbipolenſis, univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Scholaſticis, Can-

Cantoribus, Archidiaconis, Custodibus, tam Cathedralis, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialium Ecclesiarum, Capellarum, & Sacrorum Locorum Rectoribus, nec non Presbyteris, & Clericis aliis quibuscunque per, & infra civitatem & Diœcesim nostras Herbipolenses ubilibet constitutis, salutem, & pœnitentium repetitæ lectionis notitiam, & observantiam inconvulsam. Dudum felicis memoriæ JOHANNES (b) Prædecessor noster providenter attendens, & provide cupiens deformatorum reformationi prospicere, utilitati communi prodesse, ac subditorum suorum commoditatibus utiliter consulere; plurimas constitutiones Synodales edidit, in quibus multa utilia, & salubria statuit quasdam juris communis, atque Metropoliticas Constitutiones interferendo noxia sperans per eadem de finibus suæ Diœcesis evellere ... sed hominum proh dolor! succrescente malitia eædem constitutiones, quas moribus hominum voluit approbare, in dissuetudinem & abusum penitus abierunt, ut nemo sit, qui secundum earundem continentiam mores suos componere, aut semitas studeat corrigere, ac si nullius penitus roboris forent sive momenti; Nos vero, qui sicut præfato Prædecessori nostro licet immeriti in Episcopali Officio Domino permittente successimus, sic & in effectus plenitudine in his, quæ Rempublicam, ac subditorum nostrorum utilitatem concernunt, successisse debemus. Quare ipsius utilia, sancta, & justa Statuta in sequenti libello sub debitis titulis fecimus collocari, eaque corroboravimus, ratificavimus, & approbavimus per pœnitentes. Mandantes vobis omnibus, & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ, nec non sub pœnis in eisdem Statutis contentis, ut vos de cætero juxta earundem continentiam regatis, & quilibet vestrum se regat, quæ eas in præsenti continentur libello constitutiones, & nullas alias constitutionibus Synodalibus a quibuscunque Prædecessoribus nostris promulgatis de cætero habituri.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica. Ex Concilio Domini PETRI, Archi-Episcopi Moguntinensis. (anno 1310.)

Capitulum primum in hac Synodo promulgatum.

DE Summa TRINITATE & Fide Catholica nihil aliud est credendum, tenendum, vel docendum, nisi quod Sacrosancta credit, tenet, & docet Romana Ecclesia Mater nostra, ita tamen, quod omnes Prælati articulos fidei principales fideliter suos subditos doceant, laicos simpliciter credere sicut Ecclesia, Clericos vero explicite & distincte.

Ex Concilio Aschaffenburgensi.

Statuimus, ut si quis Clericus vel laicus utriusque sexus, cujuscunque dignitatis, religionis, aut status existat, ausus sit præsumptione damnabile publice predicare, vel occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali existens peccato non possit conficere Corpus Christi, seu sic ligatus non possit ligare vel absolvere suos subditos a peccatis pro heretico seu incredulo habeatur, quem errorem hujus *Sacri Concilii approbatione* damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus. Cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod sive bonus sive malus sit Minister, per utrumque Deus effectum gratie confert. Non enim, que Sancta sunt, coinquinari possunt, nec ipsa Sacramenta possunt hominum malicia prophanari. Unde Sacerdos quantumcunque pollutus existat, Divina non potest polluere Sacramenta, que purgatoria cunctarum cogitationum existunt, licite ergo a quocumque Sacerdote ab Ecclesia tolerato Divina ministeria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica Sacramenta.

De Constitutionibus. JOHANNES Episcopus.

Constitutiones Synodales tam a Nobis, quam Predecessoribus nostris promul-

(a) Gotfridus ex Decano Cathedralis Bambergensis, & Canonico Herbipolensi eligitur Episcopus Herbipolensis A. 1443. erat natus Comes Pincerna de Limburg. Severus Justitiæ cultor, recuperavit titulum Ducis Franconiæ, quem Albertus Brandeburgicus ob possessionem quorundam oppidorum usurpaverat. Obiit anno 1455.

(b) Joannes ab Egloffstein, Prædecessor in Episcopatu Herbipolensi, anno 1409. Synodum celebravit, relatam *pag.* 31. *hoc Tomo IV.*

mulgatas, ab omnibus ſciri, & irrefragabiliter precipimus ſecundum mentem obſervari. Decernentes & volentes, ut poſt publicationem preſentem ignorans ignorabitur, & negligens negligatur. Sub excommunicationis pena ſtatuimus & ordinamus, ut deinceps in ſingulis Capitulis ruralibus noſtre Dioceſis preſidentes dictis Capitulis per ſe, aut alium, aut alios ydoneum, ſeu ydoneos conſtitutiones publicent debite, ac cum integritate infraſcriptas.

Idem. Ut autem Statuta Predeceſſorum noſtrorum cum additionibus & moderationibus noſtris diligentius obſerventur, & obſervari, ac memoriæ commendari valeant, diſtricte precipimus & decernimus ſtatuendo. Quatinus ipſa, que volumus utentium moribus approbari, a quibuslibet Prelatis & Decanis ruralibus recipiantur in ſcriptis in hac noſtra Synodo conſtitutis, Decani vero rurales ſingulis Eccleſiarum Rectoribus & Vicariis eorum copiam faciant infra menſem, que in libris Eccleſiarum redigi ordinent, & inſcribi, in quibus Statuta ipſa lecta & ſepius repetita ſingulorum memorie inculcentur.

De Reſcriptis. Ex Concilio Moguntinenſi.

Cum ſecundum legitimas Sanctiones Preſes Provincie delegatos Principis ad ipſius Preſidis Provinciam declinantes non debeat ex officii debito ſincere amplius facere, quam eorum legatio ſe extendat, Sacro approbante Concilio conſtituimus, ut nullus Plebanus, vel Vicarius, vel quicunque Clericus alter, vel Prelatus citationem vel proceſſum alium a judice delegato Sedis Apoſtolice, vel Subdelegato ſibi directe decitando quemcunque, vel trahendo ultra unam dietam vulgarem notorie computandum a fine Diœceſis partis ree aliquatenus exequatur.

JOHANNES Epiſcopus.

Cum nemo credendus ſit delegatus, niſi commiſſionem & poteſtatem ipſius oſtendat juxta Canonica inſtituta ſub excommunicationis pena precipiendo ſtatuimus & ordinamus, ut nullus deinceps per noſtram civitatem & Dioceſim cujuscunque ſe judicem delegatum ſive ſubdelegatum aſſerentem literas proceſſus, ſeu mandata quomodolibet exequatur, ſeu recipiat, niſi ſibi per verorum non falſorum, non corruptorum, non cancellatorum, aut ſuſpectorum reſcriptorum originalium commiſſionis ſive poteſtatis eorundem, aut ſaltem per noſtrorum Succeſſorum, aut Vicariorum noſtrorum in Spiritualibus literarum viſionis, vidimus communiter nuncupatarum oſtenſionem fides fiat oculata.

De conſuetudine. PETRUS Archi-Epiſcopus.

Conſuetudines, que gravamen Eccleſiis inducere dinoſcuntur, invalidas publicamus, locorum Archi-Diaconis, ut in omnem eventum eis reſiſtant, firmiter injungentes.

Ex Synodo Domini WOLFRAMI, Epiſc. Herbipolenſis.

Nonnulli Sacerdotes ſimplices Sacramentum Confirmationis in mortis articulo preſumunt fidelibus exhibere, quod ab Apoſtolorum tempore fuit ſolum Pontificibus reſervatum ad excuſandas excuſationes in peccatis ſolam conſuetudinem pretendentes. Unde omnibus Presbyteris diſtrictius inhibetur, ne talia de cetero ſua temeritate attemptent, preſertim cum umbra quedam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu.

Item ex eadem Synodo.

Deteſtanda etiam conſuetudo in locis plurimis noſtre civitatis & Dioceſis inolevit, quod uno conjugum ante intronizationem mortuo, alter ſuperſtes cum mortuo juxta feretrum, in quo poſitus eſt, a nonnullis Sacerdotibus, ac ſi ambo venirent, intronizantur, cum igitur juxta Apoſtolum mortuo viro mulier ſit a lege viri ſoluta, talia fieri de cetero prohibemus.

JOHANNES Epiſcopus.

Execrabilis & deteſtandus abuſus noſtrum graviter turbavit auditum, quem in nonnullis Eccleſiis & Monaſteriis noſtre civitatis & Dioceſis comperimus uſque ad hec tempora proch dolor! perduraſſe. Qualiter feſta Sanctorum Johannis Evangeliſte, Stephani Pro-

Protho-Martyris, & Innocentum cum certis diebus ſequentibus, que non immerito ſumma forent devotione celebranda, quaſi in ludibrium ſint converſa. In ipſis namque feſtis & diebus in ipſis Eccleſiis & Monaſteriis Divinus cultus & ordo in cantu, in pulſu, & habitu, diſciplina, & moribus per ea, que tam juri, quam rationi ſunt contraria, religioni diſſona, choro inconvenientia, honeſtati perſonarum incongruentia turpiter immutatur. Conſuetudinem ergo ipſam, quam corruptelam potius & abuſum reputamus hac Sacra Sinodali Conſtitutione reprobamus, vobis in virtute ſanɑte obedientie diſtriɑius inhibentes, ut ab hujuſmodi abuſu de cetero deſiſtatis & ceſſetis, diɑisque feſtis & diebus in cantu, moribus, habitu, diſciplina atque geſtu cum Eccleſia noſtra majori vos conformetis.

De Renuntiatione. PETRUS Archi-Epiſcopus Maguntinenſis.

Nullus Eccleſiam vel Beneficium Eccleſiaſticum dimittere, vel recipere preſumat ſine Superioris ſui auɑoritate, quod ſub pena ſuſpenſionis omnibus firmiter prohibemus.

De etate, & qualitate, & ordine preficiendorum. PET. Archi-Epiſc. Magunt.

Jus commune pene adjeɑione juvamus, diſtriɑiſſime inhibentes, ne aliquis Prelatus, ſeu ejus vices gerens, cujus intereſt inveſtire aliquem minorennem, videlicet qui non attigerit XXV. annum, ad Parrochialem Eccleſiam inveſtire preſumat. Alioquin faɑum ipſum ſit irritum, & Prelatum, ſeu ejus Vicarium hujusmodi inhibitionis temerarium transgreſſorem ex faɑo hujuſmodi ab ejus officio decernimus ſuſpendendum per unum annum proxime ſubſequentem, alias etiam ad arbitrium noſtrum puniendum.

JOHANNES Epiſcopus.

Cum ut in aliquo non obſtante Canonico valeat quis libere in XVIII. ad Subdiaconatus, & in XX. ad Diaconatus, & in XXV. etatis ſue anno ad Presbyteratus ordines promoveri, ut ſtatuit Concilium Viennenſe, diſtriɑius inhibemus, ne quis ad aliquem ordinem prediɑorum in etate ipſa, quam, ut premittitur, requirit ordo non conſtitutus preſumat aſcendere. Alioquin preſumptorem ejusmodi uſque ad etatem ab executione ſuſpendimus ordinis antediɑi.

De Scrutinio in ordine faciendo. PETR. Archi-Ep.

Statuimus ad terrorem malefaɑorum, ut noſtri in Pontificalibus Vicarii, quando volunt & debent ſuis temporibus ordines celebrare, committant expreſſe Examinatoribus Clericorum ordinandorum ſub anathematis interminatione, ut inter cetera perquirenda fideli diligentia perquirant ſub obtentu honoris percipiendi a ſingulis ordinandis, ut patres, avi, & progenitores eorum uſque ad quartam lineam aſcendentem captivaverint, captivatum detinuerint, occiderint, & mutilaverint temere Clericum aliquem in ſacris Ordinibus conſtitutum, & pro Clerico gerentem. Cum autem, quem in aliquo premiſſorum culpabilem per aliquem progenitorum ſuorum uſque ad lineam memoratam invenerint, ſi faɑum hujusmodi ſit notorium non admittantur.

Prelati quoque, vel eorum vices gerentes, quorum intereſt inveſtire, vel inſtituere preſentatos, ante inveſtituram, vel inſtitutionem cum ſumma diligentia de his querant, & quos tales invenerint, nullo modo inſtituant, vel inveſtient ad aliquod Beneficium, vel officium Eccleſiaſticum juxta formam ſtatutorum a Predeceſſoribus noſtris deſuper editorum. Examinatores inſuper, & Prælati, ac eorum vices gerentes, qui ſecus in premiſſis agere preſumpſerint in futurum, ſuſpenſionis ſententia percellantur.

De temporibus ordinationis, & qualitate ordinandorum.

Statuimus, quod nullus ad examinationem, ſive ordinationem aliquam admittatur, niſi recenter ſit confeſſus omnia deliɑa ſua ydoneo Sacerdoti. Ut quia pauci ſunt, qui ſua deliɑa, vel ſequelas intelligant deliɑorum per diſcretum Sacerdotem de hoc valeat inſtrui ordinandus, an ſibi expediat ordinari, vel ob irregularitatis alicujus obtentum ei ſit potius abſtinendum. Item nullus pro-

movendus admittatur ad ordinem, ad titulum Vicarie, nisi sit perpetua Vicaria, a qua possit ad Pastoris, sive Ordinantis placitum amoveri.

JOHANNES Episcopus.

Quoniam nullus nisi Episcopus, ac ejus in Spiritualibus Episcopo in remotis agente Generalis Vicarius, vel sede vacante Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio Spiritualium noscitur pertinere suo subdito, ut in Diocesi ad Clericorum Ordines ascendere valeat aliena, licentiam poterit impertiri, nisi sibi, quod suos Clericos, aut subditos possit, a quo voluerit Episcopo facere ordinari, a Sede Apostolica specialiter sit indultum: secundum Canonicas Sanctiones, ac in perpetuum valitura constitutione sanximus, ut Examinatores ordinandorum nullum quemcunque ordinandum Diocesis aliene religiosum, aut secularem recipiant & admittant, sive Diocesanorum ipsorum literis dimissoriis, aut alias sui Superioris supradicti, de cujus indulto Apostolico prefatis examinatoribus fides fieri debet ante omnia oculata.

De Filiis Presbyterorum.

Nullus illegitime natus ad aliquem sacrum Ordinem, vel Beneficium curam habens animarum sine dispensatione Sedis Apostolice admittatur in aliqua Ecclesia seculari, & tales, qui hactenus sunt admissi, si de eis constiterit per eorum Archidyaconos repellantur. Alioquin scienter contrarium facientes per unum mensem ab ingressu Ecclesie noverint se suspensos.

De cunctis peregrinis. Ex Conc. Fritzlariens. Domini SIFRIDI Episcopi.

Peregrini & ignoti Clerici nullo modo recipiantur ad ordines vel officium, nisi literis Episcoporum suorum commendatitiis, & dimissoriis sint muniti.

De eodem. Statutum JOHAN. Episcop.

Cum plerumque infames consueverunt loca sue relinquere nationis, statuimus, ne Clerici, peregrini, & ignoti per nostram Diocesim de cetero ad officiandum tanquam Vicarii, vel socii in Ecclesiis, vel Capellis aliquatenus admittantur, nisi nostras exhibeant literas, quibus ei officiandi Ecclesias in nostra Diocesi licentiam concedamus. Precipimus & ex nunc omnes Clericos peregrinos, & ignotos literas nostras non habentes super admissione sua a Vicariis Ecclesiarum seu Capellarum, & a societate domestica penitus removeri. Qui autem in utroque, vel altero hujusmodi mandati nostri articulo transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesie, & Divinis per Nos se noverit suspendendum, ac graviori pena, si ejus culpa exigerit, puniendum.

De Officio Archidiaconi. ANDREAS Episcopus Herbipolensis.

Precipitur, quod nullus Archidiaconorum extra civitatem Herbipolensem sine licentia nostra aliquem habeat Officialem, seu causas aliquas nisi valde viles & modicas decidentem. Et quia ubi periculum vertitur cautius est agendum, sub pena excommunicationis specialiter inhibemus, quod nulla causa matrimonialis, in qua consilium peritorum magis, quam in aliis necessarium habeatur extra dictam civitatem, aliqualiter decitatur. Alioquin etiam taliter indicantes suspensos manere volumus, donec de transgressione hujusmodi Nobis emendam fecerint competentem.

JOHANNES Episcopus.

Quoniam nullus omnino Archi-Diaconus, Archi-Presbyter, sive Prepositus, vel Decanus animarum curam sine judicio, vel consensu Episcopi Diocesani alicui tribuendi habet facultatem, ymmo a Sanctis Patribus est statutum animarum cura in solius Episcopi consistit potestate, nec obtentu alicujus consuetudinis debent institutiones utputa, que ad ipsorum non spectant officium, vendicare, neminique liceat sine mandato, vel licentia Episcopi curam perficere animarum. Universis & singulis Archidiaconis nostre Ecclesie, eorumque officiis presentibus, & futuris districtius inhibemus, ne alicui sine nostra licentia curam committere presumant antedictam. Alioquin ipsorum quemlibet excommunicationis sententie eo ipso volumus subjacere.

Idem,

Idem.

Strictiſſime precipimus, & mandamus omnibus & ſingulis Prepoſitis, Archidiaconis,& aliis Prelatis per civitatem, & Dioceſim noſtras ubilibet inſtitutis jurisdictionem Eccleſiaſticam habentibus, ut Officiales ad jurisdictionem ipſam preficere ſtudeant, qui ſint viri bone fame in jure periti, & experti notitiam cauſarum habentes, ſi tales habere valeant. Alioquin viros expertos,& conſcientioſos ac Deum timentes, qui ad minus de conſilio jurisperitorum ſententias tam interlocutorias, quam diffinitivas ferant. Et ordinate abſque illicita extorſione pecuniarum in ſingulis procedant, neque de cauſis ad forum Eccleſiaſticum de jure,vel conſuetudine non ſpectantibus ſe aliquatenus intromittant. Si qui autem Prelati ydeotas exactionatores notorios, concubinarios infames, aut uxoratos, ſeu laicos,aut alios inhabiles ad hujuſmodi officium Officialatus in dictis officiis ſuſtinuerint, quod Officiales iidem ab omni exercitio jurisdictionis ſint eo ipſo ſuſpenſi. Si autem tales, ut premittitur, Officiales a principio forſitan ignoranter aſſumpſerint, poſtquam eos ſciverint eſſe tales, ſub pena predicta dimittere tenebuntur,ſententie vero per Officiales uxoratos, ſeu laicos in cauſis Eccleſiaſticis late ſint ipſo jure nulle. Inſuper eiſdem Archidiaconis diſtrictiſſime inhibemus,ut officium viſitationis per ſe, vel ſuos Officiales exercentes,Parrochias ſive perſonas viſitatas indebitis,ſeu oneroſis procurationibus,ſive exactionibus gravare aliquatenus non preſumant, nec numerum evectionum, ſive perſonarum a ſacris Canonibus inſtitutum excedant, neque ſumptuoſos,ſive ſuperfluos expenſos querant, ſed cum gratiarum actione accipiant, quod honeſte,& competenter illis fuerit miniſtratum, ac in cunctis agendis taliter procedant, ut non que ſua ſunt, ſed que JESU CHRISTI, querere videantur.

De Officio Vicarii. Ex Concilio Fritzlarienſi Domini SIFRIDI Archi-Epiſcopi.

Statuitur, ut Rectores Eccleſiarum ſufficientem aſſignant portionem ipſis Vicariis de bonis Eccleſiarum Parrochialium ſuarum, ut de eis congruam ſuſtentationem habere, & jura Epiſcopalia, & Archidiaconalia perſolvere, ac alia onera incumbentia valeant ſupportare. Alioquin dictum Concilium decrevit dictos Rectores huic ſtatuto non parentes dictis Eccleſiis ſpoliandos. Idem ſtatutum etiam decrevit providere contra maliciam ipſorum Rectorum, ſtatuens, quod ipſi Vicarii mutari non debent paſſim ſingulis annis ad voluntatem ipſorum Rectorum, qui hoc propter turpem queſtum facere ſatagunt. Sed tunc demum cum ipſi Rectores actu Sacerdotes exiſtentes in ipſis Eccleſiis per ſe deſervire volunt, vel alias ipſi Vicarii ex cauſis legittimis ab ipſis Eccleſiis merito ſunt removendi.

Ex Statuto Sinodali Dom. WANGOLDI Epiſc. Herbipolenſis.

Prohibetur etiam, quod nullus habeat plures Vicarios, quia cum Vicarii teneantur perſonaliter Eccleſiis deſervire, alienum eſt ab ordine juris, ut Vicariam quis habeat preter unam. Nec etiam Vicarius Vicarium preſumat ſubſtituere quoquomodo, nam taliter ſubſtitutus non Paſtor, ſed Mercenarius, cujus non ſunt oves proprie, potius eſt cenſendus, qui videns lupum fugit, & dimittit oves, quas lupus rapit miſerabiliter,& diſpergit. Sane cum majoribus honoribus functos inferiores recipere non ſit decens, prohibetur, quod nullus Paſtor, cujuscunque Eccleſie exiſtens ſe de regimine Vicarie aliqualiter intromittat, niſi de noſtra licentia hoc fiat,& cauſa rationabilis id expoſcat.

JOHANNES Epiſcopus Herbipolenſis.

Cum ſit reprehenſioni dignum, ut quis oves proprias alteri earum curam committendo deſerat, & alienas regere preſertim cauſa avaritie preſumat; Idcirco diſtricte inhibemus, ne quis Parrochialem Eccleſiam obtinens alienam, tamquam mercenarius aliquatinus attemptet, niſi ſuper hoc petita, & obtenta noſtra, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus licentia ſpeciali, & nihilominus in literis per Nos, aut ipſum noſtrum Vicarium deſuper concedendis cauſa rationabilis, & manifeſta contineatur, quare ſuam Parrochiam per ſe commode regere non valeat. Contrarium facientes a ſuis officiis decernimus ſuſpendendos.

De

De Officio delegati. Ex Conc. Aschaffenb.

Quia plerumque contingit, quod judices delegati, seu subdelegati, ad quos simplices commissiones sub forma communi diriguntur contra ultra quam patiantur fines rescripti extendentes invocant etiam brachium auxilii secularis. Nos igitur volentes hujusmodi iniquis processibus obviare, presenti declaramus edicto, quod Sacerdotes, & Clerici nostre civitatis, & Diocesis ad observationem, seu publicationem hujusmodi processuum minime teneantur.

De Officio Ordinarii. Ex Synodo Dom. GOTFRIDI Episc. Herbip.

Licet Archi-Episcopus in subditos Suffraganeorum suorum exceptis quibusdam casibus in jure expressis nullam prorsus habeat potestatem, nonnulli tamen vestrum per simplicitatem, & juris ignorantiam consuetudinem onerosam in nostre jurisdictionis & honoris non modicam derogationem, & omnium vestrum grave prejudicium inducere, minus provide presumentes ipsius Domini Archi-Episcopi, & Judicum suorum delegationem passim suscipiunt, precepta exequuntur, & in causis per appellationem ad eos devolutis testimonium ferunt contra Predecessorum nostrorum Statuta super eo in Sinodis, quas celebraverunt, promulgata. Ne igitur ex hujusmodi consuetudine subrepticia quisquam de jurisdictione nostra inposterum sibi contra Statuta Canonum quicquam vendicet vel usurpet, Predecessorum nostrorum in hac parte vestigiis inherere volentes, vobis universis & singulariter singulis mandamus in virtute sancte obedientie, & sub pena excommunicationis late sententie, quatenus deinceps nullus vestrum Domini Archi-Episcopi Maguntinensis, seu Judicum suorum predictorum mandata seu precepta aliqualiter exequatur, seu mandatis & preceptis eorum obediat, vel intendat exceptis dumtaxat casibus infrascriptis.

De Casibus.

Casus sive articuli, in quibus Archi-Episcopus habet jurisdictionem in subditos Suffraganeorum suorum sunt hi: primo cum deviatur in Divinis Officiis a consuetudine Metropolitane Ecclesie, nisi contraria consuetudo, & rationabilis obviet ex adverso. Item si delinquit in ejus Diocesi. Item si habet domicilium in Diocesi sua. Item si causa deferatur ad eum per appellationem. Item cum absolutus ab Archi-Episcopo non vult parere Episcopo, videlicet postquam subditus de injusta excommunicatione de Episcopo suo conquerens fuit ab Archi-Episcopo Canonice absolutus Episcopo super eo, de quo fuit excommunicatus, satisfacere contempserit, extunc Archi-Episcopus potest ipsum subditum Episcopi in pristinas excommunicationis sententias reintrudere. Item si causa criminalis est inter Episcopum, & Clericum suum, tunc causa illa debet deduci in Sinodum, in qua preest Archi-Episcopus. Item si Clericus habet civilem causam contra Episcopum suum. Item quando Canonici absque manifesta, & rationabili causa cessaverunt a Divinis maxime in contemptum Episcopi, tunc Metropolitanus ad querelam ipsius tamquam a Sede Apostolica super hoc delegatus cognita veritate ipsos poterit castigare. Item quando Episcopus est negligens in eo, quod ipse facere debet, hoc est videlicet, quando Metropolitanus constituet yconomos, quos Episcopus neglexerit habere in sua Ecclesia. Yconomus autem dicitur, cui res Ecclesie gubernande mandantur. Item si aliquis conqueratur Superiori de injusta sententia excommunicationis, & appellatur post excommunicationem prestitam cautione de stando mandatis Ecclesie est in optione Superioris, an velit absolvere eum, an remittere eum ad absolvendum ad eum, a quo appellavit, premissa tamen cognitione, quod ex justa causa sit appellatum, & ex vera. Alioquin non transferetur jurisdictio ad Archi-Episcopum, nec ipsum absolvere posset. Si vero non appellavit, sed per simplicem querelam ipsum adivit, debet eum remittere ad inferiorem, ut ipsum absolvat, & si inferior ipsum absolvere nolit, Archi-Episcopus eum absolvat, tamen si periculum esset in mora propter hujusmodi remissionem, statim eum absolvat. Si autem quis proponat post appellationem legitime interpositam, se excommunicatione fuisse innodatum, vel in forma ex-

excommunicationis intolerabilem errorem fuisse patenter expressum in causis istis primo admittitur probatio, ut appareat, an absolvi debeat, an denunciari non ligatus? Si autem in istis casibus absolutio impendi petitur ad cautelam, necesse habeat appellans probare primitus appellatum infra decendium, quamvis adhuc de veritate cause non constet. Item, qui conqueruntur coram Superiore executoris se irrationabiliter excommunicationi, vel interdicto suppositos, & offerunt se ad justiciam de hiis, pro quibus sententiam ipsam acceperunt; Superior periculo imminente, ne in excommunicatione decedat, poterit absolvere non obstante appellatione illius, qui ipsum excommunicavit. Item, si Sede Episcopali vacante, Capitulum in Spiritualibus negligenter & perperam administrat, Archi-Episcopus ob negligentiam & violentiam Capituli, eo vocato, tunc super hoc cognitione premissa visitatorem, seu administratorem eidem Ecclesie licite poterit deputare. Item, cum evidens est Episcopi esse sententiam injustam vel indiscretam. Item cum visitat Provinciam, potest literas remissionis peccaminum concedere. Item cum visitat, potest subditorum Suffraganeorum confessiones audire, absolvere, ac penitentias injungere. Item, cum ad eum defertur questio per consultationem. Item in hiis, que tangunt totam Provinciam communiter. Item quoad congregationem Sacri Concilii Provincialis, & que ibi aguntur, & statuuntur. Item in injuriis notoriis sibi, vel familie sue, vel suis nunciis, cum visitationis exercent officium, irrogatis. Item ratione privilegii sibi a Papa concessi. Item, si inter Episcopum & Capitulum suum fiat contractus aliquis super rebus immobilibus tunc, ne Episcopus potest esse autorisator in re propria. Item, quando Episcopus recusatur tamquam suspectus, vel alia de causa mittit ei partes, & refert totam causam. Item ratione consuetudinis, dummodo rationabiles sint & prescripte.

De Majoritate & Obedientia. Ex Statuto Sinodali Dom. WOLFRAMI, Episc. Herbip.

Nulli Capellani Nobilium in Capellis castrorum Dominorum suorum celebrari debent, nisi antea Episcopo, vel loci Archi-Diacono obedientiam faciant manualem, & ad Synodos, & Capitula venire debent recepturi mandata Ecclesiastica, & denunciaturi suis Dominis, & eorum castrensibus, cum Plebani aliquando hoc facere propter eorum tyrannidem non sunt ausi. Qui autem ante obedientiam hujusmodi factam Capellas officiaverint, suspensi & excommunicati per Ecclesiarum Plebanos tamdiu nuncientur, donec satisfaciant & obediant, ut dictum est.

Precipitur etiam sub pena suspensionis jam late sententie, ut si quando predam sive spolium spiritualium personarum, seu etiam Ecclesiasticam personam captivam ad aliquem locum adduci contigerit, Sacerdotes & Capellani eorundem locorum, postquam hoc sciverint, nullo alio super eo expectato mandato a Divinis cessabunt.

Ex Sinodo Domini WOLFRAMI, Episc. Herbipol.

Quia ex Statuto Concilii Provincialis Maguntinensis edito & promulgato contra spoliatores rerum & personarum Ecclesiasticarum, quod incipit: *Sacro etiam approbante Concilio* &c. In tit. *De major. & obedient.* posito, Ecclesiasticis personis civitatis & Diocesis, ac Provincie Maguntinensis, ut credimus, sufficienter provisum non extitit. De consilio igitur Prelatorum, & Capituli Ecclesie nostre pro utilitate subditorum nostrorum scilicet Ecclesiasticarum personarum eidem statuto duximus auctoritate ordinaria annectendum, quod non solum in locis civitatis & Diocesis nostre, ad que dictum spolium deducetur, verum etiam in illis locis, in quibus res Ecclesiasticarum personarum absque mandato Judicis Ecclesiastici competentis occupari, arrestari, detineri, aut afferri, seu distrahi domos, vel earum, sive quecunque edificia demoliri contigerit, in eisdem locis cessetur sub pena in eodem Concilio Provinciali expressa ab officiis Divinorum.

JOHANNES Episcopus.

Quia per inobedientiam Protoplastus Dei gratia fuit privatus, & a Paradiso dejectus: hoc quidem heremite, seu alias

alias in silvis, seu locis solitariis habitantes minime advertentes Plebanis suis, intra quorum Parochiarum limites commorantur, obedientie debitum subtrahunt, & ab eis negligunt recipere Ecclesiastica Sacramenta, non curantes a quocunque Sacerdote religioso vel seculari hujusmodi Sacramenta recipere, ipsos forte nequeunte solvere & ligare. Unde volentes huic errori seu negligentie salubriter obviare, statuendo decernimus, ut homines eosdem sic in incerto vagantes, quos acephalos reputamus ad subjectionem & obedientiam debitam Plebanis suis inposterum exhibendam, hujus auctoritate statuti censura Ecclesiastica compellantur.

JOHANNES Episcopus.

Superstitiosam quarundam personarum invidiam compescere cupientes, qui more Cham dilectione filiali rejecta, & paternali pietate conculcata, non solum in Capitulis & Conventionibus pro tractatibus capitularibus congregati, Prelatis suis & Superioribus reverentiam debitam subtrahunt, verum etiam ad invicem nonnunquam in verba probrosa, & contumeliosa prorumpunt, ex quibus negotia, propter que tractanda convenerant, plerumque remanere indiscussa cernuntur in Ecclesiarum dispendium, & gravamen, hinc nostro imperpetuum valituro edicto statuimus & ordinamus, ut in singulis Capitulis & Conventibus servetur reverentia & morum gravitas, ita quod nullus in alterum verbis aut factis probrosis, aut contumeliosis prorumpat, Decanis nihilominus, & aliis dictis Capitulis presidentibus sub excommunicationis pena late sententie districte injungentes, ut hiis, qui contra edictum prohibitionis nostre hujusmodi venerint, per unius mensis spatium sine spe venie fructus suarum subtrahant prebendarum. A quibus ipsos per dicti temporis spacium suspensos manere volumus & decernimus eo ipso.

Idem.

In virtute sancte obedientie precipimus universis & singulis Presbyteris, & Clericis ruralibus civitatis nostre & Diocesis, quatinus quotiens ipsos per suos Decanos & Camerarios, aut alios, ad quos hoc pertinuerit ab antiquo ad Capitula, sive convocationes pro insinuatione & publicatione processuum, sive mandatorum nostrorum Successorum, quam nostrorum, ac etiam ArchiDiaconorum convocari contigerit, totiens ipsi ad Capitula & convocationes hujusmodi studeant convenire, nisi ex rationabili causa se de absentia poterint excusare, in quo casu alium ydoneum Presbyterum loco sui ad Capitula & Conventiones dirigant antedicta.

De Postulando. JOHANNES Episcopus.

Advocati causarum, cum causam dirigendam susceperunt, libellum sive petitionem, positiones & articulos, exceptiones & defensiones ordinent, aut ordinata examinent, & in eis antequam coram judice producantur, se subscribant. Alioquin pro libellis, petitionibus, articulis, exceptionibus & defensionibus ipsis, ut prefertur per Advocatum non subscriptis, parti victrici judex cause pro expensis nihil taxet.

De Procuratoribus. Ex Statuto WOLFRAMI Episc. Herbipol.

Ubi majus periculum vertitur, ibi procul dubio consultius aut cautius est agendum. Cum itaque experientia magistra rerum efficax manifestat tutele pupillorum, nec non cure adultorum minorum sepe sepius in non modica, ymmo gravis patrimoniorum sive substantiarum ipsorum minorum suorum parentum industria & laboribus studiosis, ac multis variisque casibus sollicite, ut plurimum conquisitarum dispendia ac detrimenta. Pro utili juris dispositione citra hoc ullatenus non attenta per ipsorum impuberum minorum curatores plerumque suspectos, desides, & remissos absque curiosa providentia ac sollicitudine studiosa illegaliter proch dolor! gubernantur, ita ut ipsi plerique malevoli & maligni non tutores & curatores, sed consumptores sive dilapidatores, ac subtractores appellari potius mererentur. Cum in ipsis revera hujusmodi officiorum nomina rebus seu personis non valeat, licet debeant consonare.

Nos itaque huic morbo, qui communi-

muniter irrepsit infra limites nostrarum civitatum & Diocesis salubriter adhibere medelam, sicque res minorum salvas fore ex nostro officio debito desiderabiliter affectantes, hac constitutione maturo consilio Capituli, Prelatorum, & specialiter Archi-Diaconorum Ecclesie nostre desuper prehabito, decernimus statuendum, ut nulla persona Nobis subjecta Ecclesiastica vel mundana sexus utriusque, cujuscunque gradus, ordinis, conditionis, aut status existat, de tutela, aut cura testimentaria legitima, seu dativa, vel alia qualicunque universali vel particulari bonorum pupillorum, & adultorum minorum deinceps quoquo modo, directe vel indirecte, in toto vel in parte ubilibet se intromittere presumat, nisi prius confecto publice & legitime per eam inventario, id est, descriptis, & conscriptis universis bonis ipsius minoris, immobilibus, mobilibus, ac se moventibus coram Nobis, seu Officiali, vel alio a Nobis, vel eodem Officiali nostro ad hoc specialiter deputando, corporale prestiterit juramentum. Videlicet omnia & singula utilia ipsis pupillis & adultis minoribus facere diligenter, & inutilia pretermittere providenter, ipsorumque personas, & res ad commodum & utilitatem eorum custodire, & salvare utique bona fide, & sua administratione rationem reddere tempore oportuno cum integra residuorum resignatione & restitutione, ac nil alienare de bonis ipsorum minorum, hiis maxime, que servando poterunt conservare absque auctoritate competentis judicis. De cetero volumus etiam, ac ordinamus presentibus statuentes, quod prefati tutores & curatores copiam dicti inventarii totaliter & fideliter transcripti ordinario Episcopo, aut suo Officiali pro tempore existenti per ipsos conservandam, ut tempore exitus, administrationis sue, ejusque rationis reddite qualitas hujusmodi administrationis sue decerni valeat evidenter ante sue administrationis inchoationem, tradat publice, & assignet. Premissa autem in tutelis & curis ipsorum minorum dumtaxat, quorum substantia summa vel valorem centum librarum Hallensium transcendit, volumus & statuimus permanere, & inviolabiliter observari. Si vero substantia & facultates eorum ad centum libras Hallensium, vel ad minus se extendant tunc ea, que premissa sunt quoad juramenti prestationem, & inventarii conscripti assignationem coram Magistratu municipali, vel coram judice seculari Presidente in loco, ubi ipse impubes, vel pubes minor moratur, sive ipsorum facultates consistunt, statuimus fore efficaciter adimplenda. Si quis igitur hujus Statuti transgressor extiterit temerarius, ipsum nisi infra mensem ab hujusmodi transgressionis tempore numerandum resipuerit, id scilicet, quod in hoc Canone seu Statuto continetur exequendo, effectualiter excommunicationis sententiam, quam ex nunc in hujusmodi transgressorem ferimus, per presentes incurrere volumus ipso facto. Salvis nihilominus aliis penis a jure statutis contra tales pro tutoribus & curatoribus perperam se gerentes. Sic quoque, Deo dante, ut firmiter credimus, confidentiusque speramus, hujusmodi tutorum & curatorum, ut plurimum suspectorum malignitas in nostris civitatis & Diocesis saltem presentis pene formidine sibi non inveniet successorem, nec deinde minores Divina suffragante clementia de thesauris & divitiis ad eos ab eorum parentibus delatis in egestatum miserias citra ipsorum vicium de cetero, ut hactenus lamentabiliter contigit, dilabentur, hoc statutum pro utilitate minorum inductum per Plebanos locorum annis singulis pluribus diebus Dominicis in theutonico in ambonibus Ecclesiarum suarum ad populum publicetur.

JOHANNES Episcopus.

Ut calumpniis Procuratorum occurratur, presenti declaramus edicto, ut quicumque se Procuratorem in judiciis Ecclesiasticis nostre civitatis & Diocesis esse allegaverit, aut officio Procuratoris se ingesserit, nisi de ipsius mandato appareat in actis cause, tanquam falsarius per judicem cause judicetur.

De hiis, que vi metusve causa fiunt. Ex Concilio Fritzlariensi Domini GOTFRIDI Archiepisc.

Quia Clerici & Religiosi nonnulli non attendentes, quantum sit obedientie bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum est ariolandi nolle acquiescere, & scelus ydolatrie obedire non

non velle, amiſſionem rerum ſuarum & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi Prelatorum, qui cum proſperitatis tempore multa bona receperint, & laute vixerint de patrimonio Crucifixi, imminente Eccleſie neceſſitatis articulo pro honore illius adverſitates ſuſtinere detractant, qui cum foret ſumme dives ad obediendum Deo Patri pro ſalute noſtra onus ſubiit voluntarie paupertatis. Ex quo propter contemptum clavium Eccleſie nervus Eccleſiaſtice diſcipline diſſolvitur, & animas miſerabiliter periclitari contingit. Sacri hujus Concilii prehabita deliberatione ſtatuimus, ut nulla rerum perditio aut metus corporis, niſi legitime probatus, ſubditi inobedientiam mandatum Prelati exequi non curantis, valeat excuſare, adeo quod ſimilis metus corporis non ſimplici proprio juramento, ſed legitimis coram eo, a quo mandatum ſubditus recepit, oſtenſus fuerit documentis, nihilominus loco cedat, ne notam transgreſſionis incurrere videatur. In his autem, que in non faciendo conſiſtunt, utpote cum mandatur non communicare excommunicatis, non celebrare coram interdictis, ac alia hujusmodi, nullus omnino nec rerum, nec corporum quomodocunque probatus metus excuſet, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia inſurgere Sanctorum auctoritatibus comprobatur.

PETRUS Archiepiſc.

Eos, qui abſolutionem, vel quamcunque revocationem ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis per vim vel metum extorſerint, cum hoc, quod hujuſmodi revocationes ſunt irrite, ſtatuimus & publicamus excommunicationis ſententie ſubjacere.

De Judiciis. Ex Concilio Maguntinenſi Domini WERNHERI Archi-Epiſcopi.

Quidam crudeles homines & perverſi, dum ad forum Eccleſiaſticum in cauſis etiam, de quibus Eccleſia merito habet cognoſcere, ab actoribus evocantur, illius auctoritatis, qua dicitur, *Qui honorat miſſum, mittentem honorat*, immemores exiſtentes, Nuncios Eccleſiaſticorum Judicum citationis, excommunicationis, vel alias judiciales, & jurisdictionis literas deferentes verbis probroſis, & quandoque diris verberibus, quosdam etiam captivantes, alios interdum ſuis rebus temere publice ſpoliantes multipliciter afficiunt & perturbant, & impediunt citationem, & literarum executiones in non modicam Eccleſiaſtice libertatis contumeliam, & jacturam. Conſiderantes igitur maliciis hominum non eſſe aliquatenus indulgendum, hoc ſacro approbante Concilio duximus ſtatuendum, ut reus nuncios acta judicialia deferentes, per ſe, vel per alium verberans, ſpolians, & captivans, lite etiam non conteſtata, auctoritate hujus Concilii habeatur penitus pro convicto. Actor vero in cauſa reconventionis ſimilia perpetrare per ſe, vel per alium non formidans ſuper inſtituta contra reum actione amplius nullatenus audiatur, & inſuper uterque, ac omnes alii, qui nomine & occaſione eorum talia facere preſumpſerint, uſque ad condignam ſatisfactionem leſo & judicibus ſummaria cognitione ſuper hujus forefacto prehabita, precellantur.

JOHANNES Epiſcopus Herbipolenſis.

Cum nonnunquam Judices Eccleſiaſticos noſtre civitatis, & Dioceſis per ſalſum procedere, tam ex officio, quam ad partium inſtantiam conſpeximus, quod ex eo provenire cognovimus, quod nuncii proceſſus judicum eorundem ſigillo executorum in executionis judicium ſigillatos non reportant. Univerſis ergo, & ſingulis judicibus ſupraſcriptis ſub excommunicationis pena diſtricte inhibemus, ne deinceps contra perſonas quascunque ulteriores proceſſus faciant, aut dirigant, niſi priores ſigno executionis, ut premittitur, viderint debite ſigillatos.

Huic adjicimus noſtre ſanctioni, quod quilibet Eccleſie Parochialis Rector ſigillum proprium debet habere infra menſem pro proceſſibus ipſis ſigillandis & ſignandis ſub pena antedicta.

Idem.

Preterea cum nullus officium duorum in judicio valeat exercere juxta Canonica inſtituta, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne quis judicum Nobis ſubjecto-

jectorum de cetero per se ipsum acta cause coram ipso pendente conscribere presumat. Alioquin actis hujusmodi in judiciis, & extra fidem aliquam minime declaramus fore adhibendam.

De foro competenti. Ex Concilio Aschaffenburgensi.

Preterea nullus Ecclesiasticam Personam in criminali causa, vel civili questione, nec aliquem etiam laicum pro rebus, & possessionibus Ecclesiarum sine Personali jure, quod vulgo **Leybgeding** dicitur, quis earundem Ecclesiarum possessiones, vel bona possideat, sive alio quocunque titulo trahere presumat in judicium seculare.

Ex eodem.

Huic adjicimus sanctioni prioris statuta Concilii sectantes, ne Prelati, vel quicunque Judices Ecclesiastici de causis, quas laici habent ad invicem se nullatenus intromittant, nisi tales cause sint, quas ad forum Ecclesiasticum non sit dubium pertinere, ne ex hoc seculare judicium, quod esset valde incongruum, enervetur.

JOHANNES Episcopus.

Quoniam ex constitutione supra posita dubitationes insurgunt videlicet, que cause ad Ecclesiasticum forum debeant pertinere, nonnullos casus ejusmodi presenti duximus annotandos sanctioni, ne Judices, tam Ecclesiastici, quam seculares per ipsorum ignorantiam se valeant quempiam excusare. In primis videlicet omnes invasores Ecclesiasticarum rerum, seu religiosorum locorum sub Ecclesiastico judicio conveniuntur. Item cause rusticorum, vel servorum Ecclesie. Item cause publice penitentium. Item cause pupillorum, viduarum, & miserabilium personarum. Item cause peregrinorum. Item quando judex secularis justitiam reddere negligit. Item in crimine sacrilegii, usurarum, heresis, symonie, excommunicationis, adulterii, matrimonii, dotis super decimis. Item causa Nativitatis, Beneficialis Jurispatronatus, rapine. Item ratione pacti, & voti fracti. Item ratione juramenti, vel fidei dationis. Item quando pars aliqua fuerit Ecclesiastica, sive reus fuerit, sive actor, etiam super re prophana causa coram Judice Ecclesiastico terminari.

JOHANNES Episcopus.

Universis Judicibus Nobis subjectis presenti prohibemus edicto, ne Comitem, aut Baronem ministerialem Ecclesie Herbipolensis ad ipsorum presumant trahere judicia quasimodo, sine nostra licentia speciali. Alioquin judicium ipsum irritum decernimus, & judicem excommunicationis sententia innodatum eoipso.

Idem.

Volumus, statuimus, ac sub pena predicta prohibemus, ne quis Clericus conjugatus, aut bigamus, seu in minoribus non constitutus ordinibus, se de officio judicandi aliquatenus intromittat.

De Jure jurando. Statutum Synodale Domini WOLFRAMI Episcopi Herbipolensis, tractum ex Concilio Domini PETRI Archi-Episcopi Magunt.

Statuitur contra conspiratores, quod Clerici, Monachi, & Canonici universi, qui colligationes, seu confederationes ullas fecerint fidei, vel juramenti cautione interposita suis in electionibus faciendis, pro aliis quibuscunque negotiis, contra Sanctiones Canonicas, excommunicati sunt, nec ex confederatione hujusmodi debet aliquis obligari.

De Vita & honestate Clericorum. Ex Concilio Maguntin. GERHARDI Archi-Episcopi.

Clericis vagabundis est statutum, & prohibetur, quod nullus a Clericis, vel Personis Ecclesiasticis recipi, nec dari quicquam debeat eisdem, cum vitam ducant reprobam & infamem.

Ex eodem.

Statuitur & districte precipitur observari, quod Sacerdotes & campanarii, qui Sacerdotibus ad Altare circa Baptismum, deportationem Olei, & Corporis Domini ad infirmos assistunt, & juxta quod officium eorum requirit, ministrant, super vestimenta sua superpellicia Sacerdotes, & campanarii camisiis albis utantur. Quas quidem camisias campanariorum, & superpellicia Sacerdotum populus cujuslibet

bet Parochie, quando, & quotiens necesse fuerit, de elemosinis, que in Parochiis possunt haberi; alioquin de propriis consumptibus comparabit. Statuitur etiam in Sacerdotes, qui post publicationem hujus statuti superpellicium pro se, & camisiam pro suo campanario non habuerit infra duos menses post eandem publicationem proxime subsequentes, tamdiu cesset ab Officiis Divinorum, donec defectus hujusmodi suppleatur. Precipitur etiam, ne Presbyteri sine ministri suffragio Divina Officia, & maxime Missarum solemnia celebrare presumant, attendentes illud, quod dicitur: *Ve soli, qui non habet, cum ceciderit, sublevantem.*

De eodem, ex eodem.

Contra Clericos militares, qui Clerici scemate derelicto comam nutriunt, & gestantes habitum laicalem coram Prelatis suis, & in Ecclesiis, in quibus habent Beneficia, neque reverenter incedunt, statuitur & precipitur, ut apostantes hujusmodi, si, antequam a suis Prelatis, sive Capitulis evocati, & prius habitis Beneficiis fuerint spoliati, ad suas Ecclesias, sive Prebendas redire voluerint, non aliter admittantur, nisi discipline claustralis carcerem tanto tempore sustineant, quanto a suis Ecclesiis eos constiterit aberrasse, ne minus satisfactionis prolixitas, quam prevaricationis diuturnitas prorogetur.

JOHANNES Episcopus.

Clericus non viator in Sacris Ordinibus constitutus, aut Monachus, vel Canonicus Regularis, si tabernam intraverit sine causa rationabili, & honesta, ubicunque bibens aut comedens, aut in vicino loco servienti taberne, vel alias publico aliquantulam moram trahit, ab officio sit suspensus, donec unum diem in pane & aqua jejunet. Et si ibidem luserit ad aleas, & taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua jejunet. Si in hiis tercio deprehensus consuetudinem non dimittit, aut si suspensus ingresserit se Divinis per sententiam Episcopi Herbipolensis tunc pro tempore existentis privetur Beneficio, si quod habet, si non habet, pro ejusdem arbitrio puniatur.

Item ex Concilio Constantiensi.

Statuimus & ordinamus, quod Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & alii in minoribus ordinibus constituti, omnesque de Clero nostro continue de cetero tonsuram sive coronam deferant Clericalem, habeantque saltem Presbyteri crines longos, ita tamen tonsos, quod patentibus auribus incedant, gradatimque ascendendo Clerici in minoribus ordinibus constituti minorem decentem tamen, Subdiaconi autem consequenter aliqualiter majorem, deinde Diaconi ampliorem, & demum Presbyteri Diaconis latiorem, ampliorem, & majorem habeant, seu portent tonsuram sive coronam, ita quod status, & gradus cuilibet ipsorum in hoc discerni, & perpendi commode possit & valeat, quam sic frequenter ad minus de quatuor septimanis ad quatuor septimanas radi faciant, quod illius rasura cunctis inspicientibus notanter, & evidenter appareat. Et qui premissa facere contempserit, seu neglexerit, pena in Sacris Canonibus contenta puniatur. Insuper inhibemus, ne aliquis Prelatus, seu Clericus Beneficiatus, aut Officium in Ecclesia Dei gerens secularis, vel regularis manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magna, & sumptuosa superfluitate, seu vestes fissas retro, & in lareribus cum foderaturis ultra oram extendentibus cum fissuris deferre, & cum talibus in Ecclesiis cum superpelliciis, aut aliis vestibus ad cultum Dei, & Officium Ecclesiasticum ordinatis, etiam intra Ecclesias ipsas, in quibus Beneficiatus existat, Divinis Officiis interesse presumat. Contrarium vero faciens pro qualibet vice a perceptione fructuum Ecclesiasticorum per mensem noverit se suspensum, fructusque illi Ecclesie applicentur. Mandantes omnibus & singulis Prelatis, & aliis, ad quos spectat, ut hujusmodi penas absque remissione exigant, & fabricis Ecclesiarum applicent. Alioquin Nos ipsorum negligentiam, prout justum fuerit, animadversione condigna puniemus.

De cohabitatione Clericorum, & mulierum.

JOHANNES Episcopus.

Quamvis ad arcendum concubinatus crimen, & de Clero penitus eliminandum summo studio per Sacros Canones Statuta Provincialia, & Sinodalia sit provisum, quia tamen nonnulli hujusmodi pro-

prohibitiones minime curantes, crimen prefatum cum maximo Catholicorum fcandalo & totius Ordinis Clericalis contemptu nimium frequentant: Cui morbo duximus occurrendum, & providendum ftatuentes, & ordinantes, ut deinceps omnes in Sacris Ordinibus exiftentes, vel in inferioribus Beneficiati, feu aliquam religionem profeffi, qui concubinatus feditate fe maculaverint, aut concubinas, feu feminas fufpectas notorie in domo, vel alibi tenuerint, feu nutriverint, vel frequentem moram cum eis fecerint, vel alias qualitercunque habuerint, nifi eas infra menfem a die publicationis prefentium computandum prorfus a fe removerint, & totaliter licentiaverint, fic quod illas, vel alias ulterius minime admittant, penis a Generalibus Conciliis, Sacris Canonibus, Statutis Provincialibus, & Sinodalibus juftitia mediante decernimus animadverfione condigna puniendos, mandantes, & fub oftentatione Divini Judicii injungentes omnibus & fingulis Prelatis, & Decanis ruralibus, ut hoc noftrum Statutum diligenter obfervent, & a fuis fubditis inviolabiliter obfervari faciant. Alioquin Nos ipforum negligentiam, & diffimulationem, prout juftum fuerit, animadverfione condigna puniemus. Si vero quisquam Prelatis, aut Decanis eisdem rebellis fuerit in premiffis; ipfum Nobis, aut noftro in Spiritualibus Vicario Generali infra proximam quindenam, menfem prefatum immediate fequentem Prelatus, aut Decanus ipfe fignificet rebellem.

De Clericis non refidentibus. Ex Conc. Magun. PETRI Archi-Epifcopi.

Statuitur, ut in Cathedralibus, & aliis Collegiatis Ecclefiis Canonici, & alii Beneficiati nullas diftributiones quotidianas, que tantum refidentibus, & qui Divinis interfunt officiis, dari debent, in abfentia participent, exceptis illis, quos infirmitas, feu jufta, & rationabilis corporalis neceffitas, aut evidens utilitas Ecclefie excufaret, contraria confuetudine non obftante. Et qui illas taliter receperint, non faciunt eas fuas, & ad reftitutionem Ecclefie omnino tenebuntur. Idem etiam de diftributionibus pro defunctorum Anniverfariis dandis eft nihilominus obfervandum.

GOTFRIDUS Epifcopus Herbipolenfis.

Volumus & mandamus, ut Ecclefias Parochiales in noftris civitate, & Diocefi obtinentes in ipfis infra novem menfium fpacium a publicatione prefentium computando, quorum tres pro primo, tres pro fecundo, & refiduos tres menfes pro tercio, & peremptorio termino, ac Canonica monitione ipfis omnibus, & cuilibet eorum damus, & affignamus, & prefigimus, perfonalem faciant refidentiam, ac curam ipfarum, & populi per fe ipfos exerceant: culpabiles vero, & inobedientes prout juris fuerit, utique puniemus, licentias autem fine indulto de non refidendo per Nos, aut Vicarium noftrum in Spiritualibus hactenus conceffas, five conceffa prefato termino elapfo tenore prefentium revocamus, penitus, & annullamus. Idem fieri volumus in aliis Beneficiatis Beneficiorum curam animarum non habentium a jure tamen communi ftatuto, aut confuetudine refidentiam perfonalem requirentium.

De Prebendis & Dignitatibus. JOHANNES Epifcopus.

Cum in civitate, & Diocefi noftris Herbipol. diverfi Clerici feculares non ponentes terminum avaricie, nec falutem propriam attendentes onerare fe pluribus Beneficiis incompatibilibus Ecclefiafticis non formident. Nos, qui aliorum indigentiis, & eorum faluti fuccurrere cupimus, & Ecclefiarum neceffitatibus providere: auctoritate prefentis Concilii firmiter, & diftricte precipimus, ut finguli talia plura Beneficia poffidentes, aut recepto ultimo fint contenti, aut infra decem & octo dierum fpacium a publicatione prefentium continue fequentium, quem terminum ipfis pro peremtorio termino affignamus, fecum effe per eum, qui jure hoc facere potuerit, difpenfatum legitimis edoceant documentis. Alioquin Nos juxta formam Canonum contra hos traditam providere curabimus Beneficiis ipfis & perfonis.

Idem.

Grave nimis eft & abfurdum, quod quidam Ecclefiarum Prelati, & alii feculares, & Religiofi, Capitula, & Conventus, cum poffint viros ydoneos ad Ecclefiafti-

ſiaſtica Beneficia, & Ordines Sacros preſentare, aſſumere, & promovere non verentur indignos, rudes, & ignaros, quibus nec morum honeſtas, nec literarum ſcientia, neque etatis maturitas ſuffragantur. Unde quanta exinde Eccleſiis damna proveniant, nemo ſane mentis ignorat; ex hoc enim ſtatus Eccleſiaſticus deformatur, ſalus animarum negligitur, & alia plura mala, & ſcandala exinde ſequuntur. Volentes igitur huic morbo mederi, precipimus, ut pretermiſſis indignis ydonei ad Beneficia Eccleſiaſtica, & ad Ordines Sacros preſententur, qui Deo & Eccleſiis velint, & valeant gratum efficere famulatum. Contrarium vero preſumentes penis a Sacris Canonibus inſtitutis decernimus juſtitia mediante puniendos. Inhibentes ſtrictiſſime Vicario noſtro in Spiritualibus, qui eſt, & qui pro tempore erit, & aliis quibuscunque, ne aliquos ſeculares, vel regulares ad Beneficia Eccleſiaſtica, preſertim quibus cura imminet animarum, admittant, ſeu inveſtiant, vel ad Sacros Ordines promoveant, ſeu promoveri permittant, niſi prius tales de, & ſuper ſcientia, moribus, & etate, ac ceteris de jure neceſſariis diligenter fuerint examinati, & ydonei reperti ſic, quod in omnibus, & per omnia diligens cura adhibeatur, ut digni promoveantur, & indigni repellantur, quum melius eſt paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros. Si enim cecus cecum ducat, ambo in foveam dilabuntur. Et ſi ſecus incaute fuerit preſumptum, non ſolum dejiciendus eſt indigne promotus, verum etiam promovens indignum animadverſione condigna puniendus.

Idem.

Quoniam, ut non ambigimus, ex fonte avaritie illa provenit enormitas, quod nonnulli Monaſteriorum, Eccleſiarum, Conventuum, ac dignitatum Prelati, nec non Abbates, Abbatiſſe, Prepoſiti, Commendatores, Decani, Priores, Prioriſſe & cetere Perſone Eccleſiaſtice exempti & non exempti civitatis & Dioceſis noſtrarum, quibus Parochiales Eccleſie ſunt incorporate, annexe, ſeu unite, & in quibus jus obtinent Patronatus ſeu Rectorum preſentatio pertinet ad eosdem, de proventibus ipſarum Parochialium Eccleſiarum tantum percipiunt annuatim, quod Rectores ipſarum Eccleſiarum non poſſunt de reſiduo ſeu portione eis aſſignata commode ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia eis incumbentia onera ſupportare, ymmo, quod deterius eſt, ad ipſas Eccleſias promoveri, dum vacant, cupientes, non aliter preſentent, ſeu admittant, niſi prius jurent, ſeu promittant, vel alias per literas, ſeu inſtrumenta ſe aſtringant, ſeu obligent, quod de certa portione debeant eſſe contenti, que interdum reperitur tam exigua & modica, quod nedum premiſſa onera ſubire valeant, ſed etiam miſerabiliter ſub tanta laborum, & onerum ſarcina in obprobrium Sacerdotalis dignitatis egere coguntur, propter que ſepius contingit, quod non inveniuntur perſone ydonee, que hujusmodi Eccleſias velint recipere, ſic quod frequenter minus ydoneis conferuntur, ex quibus pericula imminent animarum. Nos volentes ſuper premiſſis, prout Nobis ex noſtro incumbit officio, remedium, quantum Nobis eſt poſſibile, adhibere, & ipſis Vicariis perpetuis onus diei, & eſtus portantibus ſubvenire; in virtute ſancte obedientie & ſub obteſtatione Divini Judicii diſtricte precipimus, & mandamus vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, quatenus infra trium menſium ſpacium a publicatione preſentium numerandum, Vicariis ipſis perpetuis in Eccleſiis inſtitutis, ſive inſtituendis congruas portiones non habentibus, de quibus idem Vicarii congrue ſuſtentari, & Epiſcopalia jura ſolvere, ac alia eis incumbentia onera valeant ſupportare, quibuscunque impedimentis, pactis, ſeu obligationibus, penitus, rejectis, & ſemotis aſſignent, & effectualiter tradant. Quas quidem portiones, ſi forſan infra terminum predictum aſſignare, & cum effectu tradere neglexerint, aut aliquis eorum neglexerit: Nos extunc auctoritate noſtra ordinaria, & etiam Apoſtolica, à Sacris Canonibus Nobis tradita ad hujuſmodi aſſignationem faciendam in Eccleſiis & Vicariis, in quibus oportunum fuerit, prout jus dictabit, & ordo exegerit rationis, juſticia mediante procedemus, & alias negligentias eorum, & cujuslibet ipſorum puniemus, quod ceteris cedet in exemplum. Exemptionibus, & aliis privilegiis non obſtantibus quibuscunque.

De

De Institutionibus. Ex Concilio Fritzlariensi.

Statuimus, ut nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo, vel suo Vicario admittatur, nisi prius juraverit, quod nullam in acceptione Beneficii, ad cujus curam est presentatus, commiserit simoniam, quodque bona ejusdem Beneficii non velit alienare, & alienata pro posse recuperare.

De Concessione Prebende. Ex Concilio Fritzlariensi.

Statuitur, quod nullus in Canonicum eligi debet Beneficio non vacante, nisi justa necessitas, vel utilitas Ecclesie id requirat. Et tunc unus tantum, & non plures assumi debent. Si qui autem contra hoc statutum facere presumpserint, quod factum est, ipso jure non teneat, & Episcopus ad tot Prebendas potestatem habeat, quot persone fuerunt sic assumpte.

Ne sede vacante aliquid innovetur. Ex Concilio Maguntin.

Statuitur, ut quicunque defuncto Episcopo relicta ab eo, aut sede vacante bona Ecclesie occupaverit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat, quam Successor inviolabiliter faciens observari, nullatenus relaxet sine restitutione, & satisfactione condigna de sui Capituli consilio & assensu.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur. Ex Concilio Fritzlariensi.

Cum Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, quidem Ecclesiarum Patroni personis ydoneis pretermissis; tales ad ea presentant, qui portione aliqua debent esse contenti, reliquum suis usibus totaliter applicando. Unde ad hujusmodi malam perniciem extirpandam, statuimus, quod si tales Clerici se de portione debita spoliari videntes, ad suum Episcopum querelam non detulerint, auctoritate hujus Concilii sint ipso jure suspensi. Et nihilominus eisdem Ecclesiis spolientur per Episcopum, & Presbytero ydoneo provideatur de ipsis. Si vero ad Superiorem super hoc detulerint questionem, ipse Patronum per censuram Ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compescat. Adjicientes nihilominus, quod si in hoc pertinax Patronus extiterit, ad presentationem talis Ecclesie de cetero nullatenus admittatur.

De Rebus Ecclesie non alienandis. Ex Synodo Herbipolensi.

Item, quia plures Rectores Ecclesiarum Parochialium simplicitate, ac juris ignorantia, & affectione carnali, quam habent ad suos, seducti, redditus, & fructus Ecclesiarum suarum, ut accepimus, in magna quantitate vendunt, vel alias alienant ad tempus, sub quibusdam coloribus, & figmentis, asserentes, se velle venditionis precium in utilitatem Ecclesiarum convertere, & sic dictum precium convertunt damnabiliter in utilitates consanguineorum, vel aliorum familiarium suorum, ex quo Ecclesie, ut frequenter sustinent detrimenta. Hunc igitur contractum decernimus irritum, & inanem; injungentes etiam Archidiaconis locorum, ut tales Sacerdotes vel Clericos, quos in hoc culpabiles invenerint, corrigant, seu puniant, secundum quod eos in his pro facti qualitate, & quantitate repererint delinquisse, eosque in predictis Ecclesiis indempnes conservant per censuram Ecclesiasticam compellentes.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus. Ex Concilio Viennensi.

Statutum est in Concilio Viennensi, quod religiosi, etiam exempti ad executionem cujuscunque ultime voluntatis deputati, ad cujus executionis officium assumi non possunt, nisi a Superiori suo petita, & obtenta licentia, si etiam Prelationis fungantur officio, locorum Ordinariis debitam reddere, ipsique Ordinarii ab eisdem absque dolo, fraude, seu negligentia de suscepto executionis officio teneantur exigere rationem. Illos quos circa id delinquisse repererint, in aliorum exemplum pena debita quocunque non obstante privilegio punituri.

Ex Concilio Fritzlariensi.

Statuitur, quod Clericus de proventibus anni gratie, vel alias de rebus Ecclesie acquisitis, concubine sue vel filiis ex fornicatione genitis quicquam penitus non relinquat, quod si fecerit, lega-

tum non teneat, & quod taliter est relictum, Ecclesie applicetur.

Ex eodem Concilio.

Ad abolendam de Domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam, seu temeritatem, qua Clerici, qui signum pudicitie deberent ostendere laicis, quibus sunt positi in exemplum, in argumentum sue finalis impudicitie fructus Prebendarum suarum concubinis, vel spuriis suis legant in ultima voluntate, contra quos rigor Ecclesiasticus debet exerceri. Quare sub anathematis vinculo prohibemus, ne de cetero Clerici gratie annis abutentes, cum de rebus Ecclesie nullum possint condere testamentum, fructus Beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis vel concubinis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire presumpserit, in signum sue perditionis Ecclesiastica careat sepultura, & quibus taliter fructus legantur, careant ipso jure, qui autem testamentum tale post mortem defuncti manutenere volunt, & per quorum manus personis illis fructus prebende fuerint ministrati, excommunicationis mucrone percellantur.

Ex Concilio Aschaffenburgensi GERHARDI Archi-Episcopi.

Ad hec, quia quedam in quibusdam partibus consuetudo ymmo corruptela detestabilis observatur, videlicet, quod tam Clericus, quam laicus in lecto egritudinis constitutus ultra quinque solidos usualis monete, vel aliam summam juxta loci illius consuetudinem limitatam, nec piis locis, nec personis Ecclesiasticis pro anime sue remedio & salute aliqua possit ordinare legata. Considerantes predictam consuetudinem sacris Canonibus, & secularibus legibus obviare. Cum omnia jura clamant, quod ultima voluntas & ultimum honoris testamentum immobile perseveret, & nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supreme voluntatis liber stilus existat. Eandem consuetudinem Deo odibilem, animabus & moribus bonis inimicam & nocivam, hujusmodi auctoritate Sacri Concilii penitus reprobamus; firmiter statuentes, ut ubicunque & unicuique, quem jura a testamentorum non prohibent factione, in sanitate, vel in lecto egritudinis constituto, legandi, disponendi, & ordinandi de bonis sibi a Deo collatis circa pia loca & personas Ecclesiasticas, dummodo contra legitimas Sanctiones liberos suos non preter-eat, libera sit facultas. Volentes, & precipientes districte, ut per locorum Episcopos, & ceteros Prelatos jurisdictionem habentes, universi Clerici & laici impedientes defunctorum legata, seu ultimas voluntates, excommunicationis in personas, & interdicti in loca sententias, octo dierum monitione premissa ferendas, ab hujusmodi impedimentis desistere compellantur. Ad quarum executiones & debitas aggravationes procedente tempore faciendas, Episcopi & Prelati, ad quos testamentorum defensio utroque jure suadente dignoscitur pertinere, tam benivolos se exhibeant & paratos, ne hujusmodi negligentia de eorum manibus in die districti judicii requiratur.

JOHANNES Episcopus.

Intelleximus, quod nonnulli tam Religiosi, quam seculares Clerici & laici Divino timore postposito in suarum periculum animarum, pecuniam, res & bona, que per manus eorum ex testamentis decedentium deberent in usus certos presertim pios distribui, seu expendi; aliis usibus applicare non formidant, ac negligentias, dolos, & fraudes quam plures circa hujusmodi executionis officium committunt, quandoque nullatenus, quandoque tardius id, quod eis commissum est, exequendo. Et quod deterius est, pecunias, res, & bona ipsa sibi quandoque usurpant, & in usus proprios convertunt frequenter, etiam pro longe minori pretio, quam alibi commode vendi possunt, ad extinuationem propriam bona ipsa recipiunt & distrahunt. Ita, ut plerique non executores, sed consumptores, sive dilapidatores, seu subtractores appellari potius merentur. Cum igitur ad nostrum spectat officium piis ultimis voluntatibus providere, ut secundum voluntatem defuncti universa procedant: Ideoque contra premissos fraudes, dolos, & negligentias, prout justum fuerit, secundum Sanctiones Canonicas intendimus remediis oportunis providere, prout ad nostrum spectat pastorale officium, & nihilominus ad

doli

doli maculam evitandam, omnisque fraudis tollendam ſuſpicionem diſtrictiſſime precipimus, & in virtute ſancte obedientie mandamus, ut ipſi executores deinceps deputandi, quantocius commode poterint, poſt obitum defuncti de omnibus & ſingulis bonis per ipſum defunctum relictis & inventis, inventarium coram perſonis honeſtis & fide dignis conficiant & conſcribant, ſi noſtram & ſacrorum Canonum ultionem evadere voluerint.

Idem.

Quia ſepe contingit, quod Prelatis, & aliis Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis decedentibus bona ab ipſis dimiſſa, que ſecundum ipſorum ultimam voluntatem ad certos uſus deberent diſtribui, vel ad alios, ſi ab inteſtato decederent, de jure vel conſuetudine devolvi; per utriuſque ſexus homines, Clericos & laicos, regulares & ſeculares, & quandoque etiam per ipſos executores occupantur, ſurripiuntur, dilapidantur, & conſumuntur, in eorum, quorum intereſt, grave diſpendium & jacturam; Nos ipſorum auſus reprimere, ac eorum, quorum intereſt, indempnitatibus precavere volentes: decernimus, ut premiſſa de cetero temeritate propria preſumentes per excommunicationis ſententiam fore compeſcendos, a qua nullatenus abſolvantur, donec plene reſtituerint, quicquid de bonis receperint ſupradictis, & nihilominus decernimus tales aliis juris remediis, ſi hoc exegerit qualitas delicti, juſtitia mediante fore compeſcendos.

Idem.

Item ad aures noſtras per clamoroſam inſinuationem multorum pervenit, quod Patroni Eccleſiarum tam laici, quam Clerici, Advocati, Judices, Precones bona decedentium Clericorum occupant & uſurpant. Volentes ſibi ab inteſtato ſuccedere, & aliquando etiam eorum teſtamenta infringere pro ſue voluntatis arbitrio, non judicio rationis: Quare provide duximus ſtatuendum, ut Patroni Eccleſiarum, & alii ſupradicti de talibus de cetero abſtineant; & niſi abſtinere voluerint, quouſque ſic ablata reſtituant, excommunicationis vinculo innodentur, ac alia pena condigna percellantur.

De Sepulturis. BONIFACIUS Papa octavus, eodem titulo, libro ſexto.

Animarum periculis & ſcandalis, que ex his proveniunt, volentes obviare univerſis Religioſis & ſecularibus Clericis, cujuscunque ſtatus vel conditionis exiſtant, in virtute ſancte obedientie, ac ſub interminatione maledictionis eterne diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias pormittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Nos enim, ſi ſecus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis. Statuentes, ut hi, qui ſic elegerint, neque apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi, ne contra votum juramenti, aut promiſſum hujuſmodi a ſe factum materiam habeant veniendi, poſſint eligere ſepulturam, ſed contradictione quacunque ceſſante ſepeliantur omnino circa illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi alias ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent. Si vero iidem Religioſi, vel Clerici predictos in ſuis Eccleſiis vel cimiteriis preſumpſerint ſepelire; ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum, ſi petantur, quam etiam omnium, que occaſione ſepulture illorum provenerint, quomodolibet ad eosdem infra decendium integraliter faciendam ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſie ipſe, apud quas ſepulti fuerint, nec non cimiteria earundem extunc eo ipſo, & tam diu remaneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium predictorum.

Ex Synodo Epiſcopi Herbipolenſis.

Conſuetudini generali, que eſt optima legum interpres, in civitate & Dioceſi noſtra hactenus inconcuſſe ſervate nos conformare volentes: ſtatuimus, quod funus quodlibet apud alienam Eccleſiam ſepeliendum, prius ad Parochiam deportetur: nam ſicut funeratus a proprio Sacerdote curato, dum viveret, Eccleſiaſtica Sacramenta recepit, ſic eſt congruum & honeſtum, ut habendo Miſſam in propria Eccleſia, ultimum vale recipiat ab eodem.

De Parochiis. Ex Concilio Fritzlariensi.

Sane gravis & clamorosa querela nostris auribus inculcatur, quod nonnulli suis juribus & finibus non contenti Parochianos alienos presumunt recipere temere ad Divina, contra Canonicas Sanctiones, & cum dictorum Parochianorum Judices non existant, nec ligandi, nec solvendi in eos acceperint potestatem, se tamen Judices faciendo in foro spirituali periculose absolvunt, & ligant pro suo libito voluntatis, sicque ipsos, qui proprios spernunt Presbyteros, minime absolutos illud salutiferum nostre peregrinationis viaticum, quod non proficit, nisi prius a criminum labe mundatis, in animarum suarum, & eorum, qui id non dijudicantes indiscrete recipiunt, conferre periculum non verentur. Sicque dicti eorum Sacerdotes, qui curam recipiendo eorum suam pro ipsis animam obligarunt, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes ipsorum non possunt, quod in eis egrotum est sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum, & sic dum curationis necessarie non adhibentur remedia, invalescentibus morbis usque ad interemptionem lesio dilatatur: Unde Sacerdotes nullam possint de sic pereuntibus animabus superno judici reddere rationem. Nos Sanctorum Patrum, qui Ecclesie Sancte Dei, & personis Ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, Statuta considerantes hujus Sacri Concilii approbatione universis Sacerdotibus tam Religiosis, quam Secularibus cujuscunque ordinis, conditionis, sive status existant in civitate, Diocesi, vel Provincia Maguntina degentibus, sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione Sacerdotii prestiterint, ac sub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Episcopum, vel loci Archi-Diaconum, seu ejus super eo Vicarium aliis est commissa, presumat excepta necessitatis causa, que legem non habet, ad confessionem recipere, vel ei aliquod Ecclesiasticum Sacramentum porrigere, nisi petita desuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis; cum certi & indubitati juris existat, talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus, vel ligari. Et ex hoc ordinem Ecclesie per majores & sanctos Patres per Divinam providentiam institutum confundi, quod per universos Plebanos singulis diebus Dominicis & Festivis coram suis plebibus precipimus publicari.

De Decimis. JOHANNES Episc.

Decimas Sacri Canones jubent sine diminutione, & sine expensarum deductione Clericis exolvi. Ideoque mandamus, quatenus ipsas de fructibus statim cum collecti fuerint, & non deductis expensis cum integritate plenaria exolvantur.

Idem.

Licet omnis Christianus ad Missarum solemnia aliquod Deo offerre teneatur, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* In precipuis tamen Dei, & Sanctorum Festivitatibus per anni circulum occurrentibus, quas juxta Ecclesie nostre longevam consuetudinem septem fore censemus: Nativitatis videlicet Domini nostri JESU CHRISTI, Pasche, Penthecostes; Nativitatis Sancte Marie, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, ad Oblationes & Offertoria omnes & singulos nostros subditos in suis Parochialibus Ecclesiis Sacerdotibus suis curatis teneri, presentibus declaramus statuendo, nisi aliud in quibusdam Ecclesiis ex longa consuetudine esset introductum.

De statu Monachorum.

Statutum est in Concilio Viennensi, quod singulis mensibus tam in Monasterio, quam extra, sublata occasione quacunque ad confessionem saltem semel accedant omnes & singuli Monachi. Et in prima Dominica mensis cujuslibet in Monasterio semper communicent, nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Penitentiariis Monasterii non differant intimare, eorumque judicio vel abstineant, vel accedant.

Ex Concilio Maguntinensi.

Statuimus insuper, ut in singulis Monasteriis fenestre perlatorie duplicata habeant ferramenta, ut & Moniales suis Prepositis, & Prelatis in rebus licitis & honestis obediant, nec cuiquam alii preter eorum licentiam sua confiteantur pec-

peccata. Ipsi etiam Prepositi & Prelati claustra Monialium non introeant, nisi summa magna & evidens necessitas exposcat.

De eodem.

Compaternitatem a Monachis, & Monialibus contrahi districtius prohibemus. Statuimus, ut si aliqua claustra monialium ad inopiam tantam devenerunt, quod illi de proventibus Monasterii contentari non possunt, & ab amicis panis, vinum, denarii, vel aliquod hujusmodi transmittantur eisdem, non hoc prius recipiant, quam Magistre, vel Abbatisse id significent, ut de ejus arbitrio, quid de hoc, quod missum est, fieri debeat, statuatur, & labores earum veniant in commune, quod & de Monachis irrefragabiliter volumus observari.

De eodem.

Statuimus etiam, ut juxta Concilium proxime celebratum Monachi, & alii Religiosi quilibet, alterius coloris vestibus, quam ejus ordini congruit, non utantur, sive cotidiane, sive pluviales existant. Monasteria Ordinis Sancti Augustini, & Benedicti juxta observationem sue regule efficacius reformentur. Prohibemus districte, ne quis Abbas vel Abbatissa duas habeant Abbatias, & etiam nulli Monacho vel Moniali duo officia in Monasterio assignentur, nisi Abbatis providentia de assensu Capituli propter evidentem necessitatem Monasterii id duxerit ordinandum.

De eodem.

Nullus Monachus in Abbatem, vel ad aliquod officium, nisi dudum expresse professus fuerit assumatur, & si qui taliter jam assumpti sunt, a suis removeantur officiis, & alii substituantur eisdem. Quod de monialibus etiam decernimus observandum. Hoc priori Concilio in non Professorum odium adjungentes, ut cum juxta decretum Pelagii Abbas sit a Monachis eligendus, nullus omnino non professus, quantacunque temporis diuturnitate ibi duraverit, ad electionem Abbatis aliquatenus admittatur, nec valeat ei suffragari sive de facto sive consuetudine, scilicet, quod una cum ceteris Monachis ad tractatus alios Ecclesie antea sit admissus.

Monachi jam adulti, si post annum probationis in manus Abbatis professionem facere recusaverint, de Monasterio expellantur. Quod etiam de Monialibus observetur.

Nullus Monachus vel Monialis in duobus Monasteriis locum habeat, vel prebendam. Item quicquid Monachus vel Monialis, undecunque provenerit, acquisierit, suis applicare usibus non presumat, sed totum in communes usus Monasterii redigatur.

Idem.

Nullus Monachus vel Monialis proprium quid habeat, & qui proprium habuisse in morte fuerit deprehensus, Ecclesiastica careat sepultura, & si sepultus est, jam exhumetur; si qui vero ipsorum ad mandatum sui Prelati propriis renunciari noluerint, de Monasterio expellentur.

Idem.

Ludus alearum, corearum, scacorum, taxillorum, annullorum, & globorum Monachis, & Monialibus prohibemus districte. Item Abbates & Monachi mantella, & sarchotes non portent, nec pannos de nigro bruneto, sed quanto possunt haberi precio viliori, juxta quod precipit regula eorundem atque Concilium Viennense.

Idem.

Abbates in communi dormiant dormitorio cum suis Monachis, in refectorio communi vescantur, nisi quando justa necessitas propter magnos, & honestos hospites id fieri eosdem compellat, idem de Abbatibus statuimus observandum.

Idem.

Item tam Abbatibus, quam Monachis vulpina pellicia, & de cuniculis prohibemus, sed agninis tantum utantur. Item Monachi calceos strictos, qui scivales dicuntur, non habeant, sed alios sue regule competentes.

Idem.

Item Abbates cappas rotundas ad modum Episcoporum in usu cottidiano non portent, sed cum manicis, ut eorum ordo postulat, & requirit: nec ipsi, nec Monachi, qui quando equitant, mantel-

la deferant ſuper cappas, quas clauſas fore cenſemus.

Idem.

Hoc etiam ſtatutum lucidius declarantes, ſtatuimus, ut tam Monachi, quam Abbates in cappis nigris equitant, & rotundis, vel in habitu uſitato.

Idem.

Inſuper inhibemus diſtricte, ne occaſione qualibet ſeculares perſone domos, vel habitacula ſua faciant juxta Monaſteria Monachorum, quia frequenter & ex hoc contra Monachos ſiniſtra preſumptio eſt exorta, niſi forte alicui perſone omni ſuſpicione carenti id de conſenſu, & auctoritate Dioceſani Epiſcopi permittatur. Abbates vero, qui contra hoc fieri preſumpſerint, gravi ſubjaceant ultioni. Item Abbas nullum Monachum alterius Monaſterii ſine literis dimiſſoriis proprii Abbatis in ſuo Monaſterio recipere, vel tenere preſumat. Item Monachi in refectorio carnibus non utantur, niſi in infirmatorio cum egrotant.

De eodem.

Item quicunque Monachus in lapſum carnis ceciderit, de quo fuerit manifeſtum, ad nullam amplius dignitatem, nec ad aliquod officium Monaſterii aſſumatur, niſi propter manifeſtam emendationem, & honeſtam, ac religioſam converſationem ipſius per Dioceſanum Epiſcopum ſecum fuerit miſericorditer diſpenſatum. Eidem quoque pene ſubjaceat, ſi ſuper hoc infamatus fuerit, nec Canonice potuerit ſe purgare, & in penam ſui criminis de cetero ultimus ſit & in Choro, & in Capitulo, vocem non habeat ad aliquam Monaſterii ordinationem tractandam, niſi poſt emendationem manifeſtam Abbatis providentia, & conſenſu Conventus ipſum duxerint admittendum. Si vero Abbas, vel Monachus in officio conſtitutus in ſimilem lapſum ceciderit, a ſuo ſtatim removeatur officio. Quod circa Prepoſitum fieri volumus, ſi de hoc infamatus fuerit, niſi Canonice ſe expurget, & nihilominus penis illis ſubjaceat, que de ſimplici Monacho ſuperius ſunt expreſſe. Idem de Abbatiſſis, & Monialibus ſtatuimus obſervandum, & hec omnia, que ſtatuta ſunt de Monacho circa continentiam, propriorum abdicationem, & ſimilia, ad Canonicos Regulares volumus extendi, licet quo ad eſum carnium, & quedam alia regule inſerviant laxiori.

De eodem.

Plerique Religioſi, maxime Ordinis Sancti Benedicti, non verentur convivia celebrare, ſeculares etiam perſonas ad ipſa cenobia pro commeſſationibus invitantes, ex quo non ſolum ſcandaliſantur extranei, & confratres, ymmo eorum religio diſſolvitur, & modeſtia monaſtica deformatur. Cum igitur juxta Sacrorum Canonum Statuta, & Venerabilium Conciliorum decreta Monacho non liceat, undecunque pervenit, aliquid, ſuis uſibus propriare privatis, Sacri Concilii approbatione talia de cetero ex quacunque cauſa fieri prohibemus. Si quis autem transgreſſor extiterit, pro qualibet transgreſſione carceralem octo dierum in graviori culpa ſubeat diſciplinam.

Idem.

Preterea, & ſi contra moniales, que de ſuis clauſtris propter aliquos enormes exceſſus, aut animi levitate temere fugientes, & in ſeculo ſeculariter per aliqua temporum ſpacia converſantes, & tandem penitentia ducte ad clauſtra, de quibus fugere preſumpſerint, humiliter redire volunt, certe & varie pene juxta qualitatem, & quantitatem excedentium a Sanctis Patribus ſunt ſtatute. Quidam tamen Abbates & Abbatiſſe, ac ceteris magiſtratus penis in Sacris Canonibus circa ſui ordinis regulam contra hujusmodi profugas perſonas expreſſis non exiſtentes contenti, graviores, & quaſi importabiles penas ipſis in ſui reverſione imponere non verentur, vel quod deterius eſt, eaſdem perſonas quantumcunque humiliter poſtulantes aditum ad ſua clauſtra, ex quibus exiverunt, admittere unanimiter contradicunt. Cum ergo juxta Sacrorum Canonum diverſas auctoritates pene non ampliande, ſed potius ſint reſtringende, & longe ſecurius ſit de miſericordia Deo, quam de crudelitate reddere rationem, Cum etiam Dominus per os Prophete pollicitus ſit dicens: *Peccator in quacunque hora converſus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum ſuarum minime recordabor.* Nos attendentes, quod ubi Paterfamilias largus

gus dispensator extiterit, non decet famulum esse tenacem, ut peccandi via, & occasio personis talibus precludatur, provida deliberatione Concilii hujus decernimus statuendum,& sub pena dispensationis universis Abbatibus, Abbatissis, & ceteris Monasteriis Magistratibus cujuscunque Ordinis,seu conditionis existant, aut quocunque nomine appellentur, injungimus firmiter, & districte, ut suis fratribus & sororibus in apostasie labem ex quacunque causa prolapsis, desiderantibus & appetentibus cum humilitate, & devotione regressum suum (*) misericordie, quam alma Mater Ecclesia nulli petenti claudere constituit, more pii Patrisfamilias, qui filium primo prodigum, & postmodum penitentem paterne recepit, liberaliter studeant aperire, ita quod hujusmodi personas redire ad sua claustra volentes, quantumcunque excessus earum graves fuerint, vel enormes, juxta cujuslibet ordinis disciplinam,sive regulam, & consuetudinem observatam, sine qualibet contradictione recipiant, & admittant. Ita tamen, quod propter earum accessus, nec victus, nec vestitus subtrahatur eisdem, sed alias, sicut prediximus, regulariter puniantur. Alioquin predictam suspensionis sententiam per Ordinarios locorum, seu Officiales eorum in omnes contradictores procedente tempore, juxta quod eorum protervia meruerit, precipimus promulgari.

JOHANNES Episcopus Herbipolensis.

Insuper ad religiosorum reformationem ex officii debito oculorum aciem dirigentes, districte percipimus, & mandamus omnibus, & singulis regularem vitam professis, quatenus secundum regulam, quam professi sunt, ac ordinationes, diffinitiones, & Statuta Sanctorum Patrum vivere studeant. Substantialia, videlicet obedientiam, paupertatem, & continentiam firmissime servare curent, in habitibus & calceamentis ordini suo congruentibus secundum formam Cle. *Ne in agro*, & aliarum constitutionum desuper confectarum se decenter & honeste habeant. Tonsuras etiam deferant largas & latas. Omnesque fratres communiter vivant, & comedant in refectorio, in quo nullus carne vescatur, mense vero non desit lectio. Silentium in oratorio, dormitorio, refectorio, & claustro debite observetur. Rursus mandamus, ut in singulis Monasteriis ydoneus teneatur Magister, qui Monachos sive Novicios in primitivis scientiis instruat diligenter. Ipsis etiam Noviciis fidelis deputetur instructor tam in Divinis Officiis, quam in observantia regulari. Regula etiam in Capitulo ab ipso, qui preest Capitulo, vel alio, cui hoc injunctum fuerit, frequenter legatur, & etiam propter minores vulgariter exponatur. Volumus insuper, ut in singulis Monasteriis numerus Monachorum antiquitus institutus teneatur, si ad hoc sufficiant facultates. Si autem facultates non sufficiant, tot Monachi teneantur, quot de ipsorum Monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria poterint sustentari. Precipimus etiam & mandamus, ut ad portam cujuslibet Monasterii unus portenarius sive janitor providus, & discretus deputetur, ne absque licentia Abbatis, vel alterius Presidentis in Monasterio eodem alicui ingrediendi libertas concedatur, neque mulieres Monasteria virorum aliquatenus intrare permittantur. Hec autem omnia etiam in Monasteriis Monialium quoad articulos Abbatissis & Monialibus congruentibus precipimus observari. Si quis autem in premissis, aut aliquo premissorum temerarius violator extiterit, regulari subjaceat discipline, aliisque penis a sacris Canonibus & Statutis Ordinum inflictis nihilominus veniat gravissime percellendus. Abbates quoque, quibus omnes Monachi reverenter obediant, taliter se regant opere & sermone, ut exemplo vite, verboque doctrine fratres suos instruere possint in bono, & etiam a malo revocare, zelum religionis habentes secundum scientiam,ut delinquentes corrigant, & castigent, obedientes foveant, & confortent, nec extra sua Monasteria domicilium aliqualiter teneant, sed sint & maneant cum fratribus suis in Monasteriis, ac Choro, & Horis Canonicis, prout frequenter poterint, intersint, Missasque ad minus in summis & precipuis festivitatibus per se cantent, vigilem curam, & diligentem sollicitudinem gerentes de omnibus, ut de officio eis commisso dignam Deo possint reddere rationem. Quod si remissi vel negligentes

[*[*lego:* sinum.

tes inventi fuerint secundum regularia instituta, & sacros Canones pena debita decernimus puniendos : cum offensa non solum propria, verum etiam aliena de eorum manibus requiratur. Insuper volumus, & mandamus, ut omnes & singuli Abbates, Abbatisse, & Conventus Nobis subjecti, deinceps per Nos requisiti, de omnibus expositis & receptis per eos Nobis, aut Commissariis nostris ad hoc deputandis, absque dolo, fraude, seu negligentia debitam rationem reddant.

De Religiosis Domibus. Ex Concilio Viennensi.

Cum de quibusdam mulieribus, Beginabus vulgariter nuncupatis, que cum nulli promittant obedientiam, nec prius renuncient, neque profiteantur aliquam regulam approbatam, religiose nequaquam existunt, quanquam habitum, qui Beginarum dicitur, deferant, & adhereant religiosis aliquibus, ad quos specialiter trahitur affectio earundem, Nobis fide digna relatione insinuatum extiterit, quod earum alique quasi perducte in mentis insaniam de summa Trinitate, & Divina essentia disputent, & predicent, ac circa fidei articulos, & Ecclesiastica Sacramenta opiniones Catholice fidei contrarias introducant, & multos super his decipientes simplices in errores diversos inducant, aliaque quam plura pericula animarum parientia, sub quodam velamine sanctitatis faciant, & committant. Nos tam ex his, quam ex aliis de ipsarum opinione sinistra frequenter auditis eas merito suspectas habentes; statum earundem sacro approbante Concilio perpetuo prohibendum duximus, & a Dei Ecclesia penitus abolendum, eisdem, & aliis mulieribus quibuscunque sub pena excommunicationis, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, injungentes expresse, ne statum hujusmodi dudum forte ab ipsis assumptum, quoquomodo sectentur ulterius, vel ipsum aliquatenus de novo assumant. Predictis vero religiosis, per quos eedem mulieres in hujusmodi beginagii statu foveri, & ad ipsum suscipiendum induci dicuntur, sub simili excommunicationis pena, quam eo ipso, qui secus egerint, se noverint incursores, (*a*) districtius inhibemus, ne mulieres aliquas predictum statum, ut predicitur, dudum assumptum sectantes, aut ipsum de novo forsitan assumentes quomodocunque admittant, ipsis super hoc sectando, vel assumendo prebentes ullomodo consilium, auxilium, vel favorem: nullo contra premissa privilegio valituro. Sane per predicta prohibere non intendimus, quin si fuerint fideles alique mulieres, que promissa continentia, vel etiam non premissa (*) honeste in suis conversantes hospiciis penitentiam agere voluerint, & virtutum Domino in humilitatis spiritu deservire, hoc eisdem liceat, prout ipsis Dominis (*b*) ministrabit.

Ex Concilio Maguntinensi.

Statuitur, quod secta & habitus, nec non conventicula Beghardorum clamantium per plateas & vicos civitatum, oppidorum, & villarum hoc vulgare (*Brot durch Got*) & quelibet alie singularitates a Sancta Dei Ecclesia non recepte, sint penitus reprobati, & mandatur universis Plebanis per civitatem, & Diocesim, ac Provinciam Maguntinensem constitutis, ut eosdem Beghardos publice tribus diebus Dominicis, & Festivis ammoneant, ut hujusmodi singularitatibus derelictis se teneant sicut alii Christiani, & quod non predicent in cavernis, vel aliis locis secretis, & non conveniant cum Beginis se conformantibus eisdem in moribus, habitu, & incessu. Alioquin extra Parochias suas expellant eosdem. Idem etiam de Beginis pestiferis est statutum.

De Capellis Monachorum. Ex Concilio Maguntinensi.

Ad hec cum Religiosi quidem per Fratres sui Ordinis efficiant Ecclesias unitas sibi, & id Fratribus illis sit occasio dissolutionis, quia iidem eo sunt proniores ad lubricum, quo ex religioso titulo se autumant exemptos, ac Prelati eorundem per Ordinarios tales corrigi minime patiantur, sed quasi pro ordinis scandalo evitando ipsos ad domos suas revocant, vel ad alias Parochias mittant illos. Authoritate hujus Sacri Concilii duximus statuendum, ut Religiosorum Ecclesie per Fratres eorum non officientur, sed per Clericos seculares, ut saltem de reliquiis, que de mensa Religiosorum ceciderint, sustentari valeant pauperes Sacerdo-

(*a*) *forte*: incursuros. [*] *forte*: promissa (*b*) *lego*: Dominus

cerdotes, qui in vituperium ordinis Sacerdotalis publica egestate laborant, ita, quod hec sint verissima illa verba Hieronimi dicentis in Canone: mendicat infelix Clericus in plateis.

De Jure Patronatus. Ex Concilio Maguntinensi PETRI Archi-Episcopi.

Statuitur, quod si Clericus, sive laicus Ecclesie Patronus Rectore ejusdem defuncto spoliat dotem, & Ecclesiam, jure presentandi est ea vice privatus, & Superior Ecclesiam illa vice deferri debebit. Statutum est etiam contra Patronos Ecclesiarum, qui bona Clericorum decedentium sibi usurpant contra Statuta Concilii Lugdunensis, ut a jure Patronatus, & presentandi, illa vice cadant penitus ipso facto.

Ex Synodo WOLFRAMI Episcopi Herbipolensis.

Item prohibemus in virtute sancte obedientie, & sub pena suspensionis ab ingressu Ecclesie late sententie, & obtestatione Divini Judicii, ne Sacerdotes, & alie Ecclesiastice persone a Patronis Ecclesiarum ad Ecclesias Parochiales vacantes nomine, & vice alicujus minoris impuberis, vel alterius etatem legitimam non habentis se faciant veris Rectoribus presentari, quia ex isto execrabili abusu, qui irrepsit, proh dolor in nostra civitate & Diocesi, ut accepimus, Ecclesia Dei, & anime fidelium dampnabiliter decipiuntur, preter alia mala, que ex his pullulant, & etiam ipsa Ecclesia inficitur symoniaca pravitate. Qui quidem sic instituti apud laicos Kirchentreger vulgariter nuncupantur, & qui hactenus presentati sic fuerant fraudulenter, eas a se abdicent & resignent, quod eis sub predicta suspensionis ab ingressu Ecclesie pena firmiter precipimus per presentes.

De Censibus. JOHANNES Episcopus.

Cum circa solutionem, & receptionem censuum annuorum infra Dominium Ecclesie nostre temporale diversa sentire diversi consueverunt, ex quo dissensiones, & scandala suborta plerumque dinoscuntur, presentibus sub excommunicationis pena statuimus, volumus, & ordinamus, ut infra dictum Dominium ratione censuum, Ecclesiis, & Monasteriis, aut occasione eorundem singularibus personis debitorum, pro libra Hallen. triginta, & pro libra denariorum sexaginta denarii monete Herbipolensis communiter pro tempore currentis, & non ultra exsolvantur, seu quomodolibet exigantur.

De Consecratione Ecclesie, vel Altaris. Ex Concilio Fritzlariensi.

Ecclesia, aut cimiterium per sanguinis, aut seminis humani effusionem, aut per excommunicati corporis tumulationem violatum, sive pollutum, per alium, quam Episcopum reconciliari non potest: cum ea, que sunt Episcopalis ordinis, non nisi ab Episcopo valeant emendari.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistie, & Divinis Officiis. Statutum ex Synodo WOLFRAMI Episcop. Herbipol.

Ad decorem Domus Domini, & ad cultum Divini Officii inibi ampliandum, & ut Christi fideles ad Divinorum Officiorum frequentiam, ac etiam devotionem salubrius invitentur. Statuimus, & ordinamus, & nihilominus Curatis Sacerdotibus in virtute sancte obedientie injungimus per presentes, quod ipsi de cetero in Ecclesiis suis debitis horis cottidie, pulsato campane ad hoc signo, non in cameris, stubis, aut aliis locis, ut nonnulli ex eis hactenus facere ex accidia consueverunt, saltem Matutinum, & Vespertinum Officium dicant, cum commode fieri poterit, nisi eos quandoque inevitabilis necessitas, seu impedimentum legitimum ab hoc retrahat & excuset, quia ex isto abusu plures libri Ecclesiarum hujusmodi furtim asportantur, ac etiam in locis prohibitis deteriorantur graviter ipsi libri. Alioquin ad solutionem librorum sic perditorum, & deteriatorum juxta modum prehabitum dicti Plebani tenebuntur. Et nihilominus super eo legitime puniatur.

De eadem Synodo.

Item antiquam Ecclesie nostre Matris vestre consuetudinem, que retro temporibus in dissuetudinem negligenter abiit

abiit, innovare volentes, statuimus, ymmo etiam omnibus Clericis civitatis & Diocesis maxime Curatis precipimus in virtute sancte obedientie in his scriptis, ut in ordine,& in Officio Divino, & in Festorum mobilium dierumque celebrium inditione, Dominicalium quoque historiarum impositione, communis septimane, & jejuniorum publicatione, & observatione quoad se, & subditos suos in omnibus ipsi nostre Ecclesie se conforment, quem Divinum Ordinem in scriptis a succentore Ecclesie nostre de cetero imperpetuum singulis annis recipere debebunt. Et similiter diem Sancti Kiliani, & Dedicationis ejusdem Ecclesie solemniter celebrent. Eisdemque diebus in septimana Pentecostes cum plebibus eandem nostram Ecclesiam devote visitent Ecclesiarum Plebani,qui & quorum Predecessores ab antiquis temporibus hoc facere consueverunt. Ipsi quoque Plebani in diebus Patronorum, & Dedicationis Ecclesiarum suarum solemnes ferias una cum plebe sua teneant & observent.

De eadem Synodo.

Item in die Dedicationis Ecclesie nostre, que occurrit in die Columbani, Divinum Officium Plebani locorum Diocesis nostre de Martyribus peragant & observent.

De eadem Synodo.

Item anniversarium Reverendi Domini BRUNONIS quondam Episcopi Herbipolensis, per nostros subditos civitatis,& Diocesis nostre sabbato post diem Beati Urbani, quo feliciter diem extremum clausit peragi precipimus juxta consuetudinem humiliter & devote.

De eadem.

Statuit Concilium Maguntinense inhibendo sub pena suspensionis late sententie, ut nullus Sacerdotum noviciorum illa die, qua celebrare debuerit primam Missam, oblaturus Deo primitias gratie, & salutis sibi collate, aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere, aut id fieri procurare per se,vel per alium nullomodo presumat, sed ad solum Deum dirigat aciem sui cordis remotis vanitatibus, histrionum cursibus, tumultibus,& insolentiis reproborum.

Ex Concilio Viennensi.

Nonnulli Cleri horas Canonicas dicere,seu psallere presumunt transcurrendo, sincopando extranea quidem, & plerumque vana, prophana,& inhonesta intermiscendo colloquia, tarde ad Chorum conveniendo, seu Ecclesiam ipsam absque rationabili causa ante finem officii exeundo, frequenter aves interdum portando, seu portari faciendo, canesque venaticos secum ducendo,ac quasi nihil pretendentes de Clericali militia in corona, vestibus, & tonsura Divina etiam celebrare, aut eis interesse minus devote presumunt. Nonnulli etiam tam Clerici,quam laici presertim in certis Festis, dum in Ecclesia orationi insistere deberent, non verentur in ipsis earumque cimiteriis coreas facere dissolutas, ac etiam interdum canere cantilenas, ac multas insolentias perpetrare, ex quibus Ecclesiarum,& cimiteriorum violationes, inhonesta, variaque delicta, quandoque sequuntur, & Ecclesiasticum plerumque perturbatur officium in Divine Majestatis offensam,& astantium scandalum populorum. In multis insuper Ecclesiis cum vasis,vestimentis,& ceteris ornamentis ad Divinum cultum necessariis indecentibus utique pensatis earumque facultatibus deservitur, que omnia,& singula Viennense Concilium interdicit.

JOHANNES Episcopus.

Districte etiam inhibendo mandamus,ne de cetero in locis non consecratis, vel in Ecclesiis violatis Divina celebrentur, nisi ex nostra permissione, & licentia speciali, & expressa, nec in cimiteriis non consecratis, vel violatis corpora defunctorum sine nostra licentia tumulentur.

Idem.

Item inhibemus, ne Plebani, vel Sacerdotes aliqui excommunicatis a Domino Papa,vel a Nobis, vel aliquo judice ordinario, seu delegato ante obtentum absolutionis Beneficium in Festivis, vel privatis diebus de cetero introitum Ecclesie indulgeant; vel eos recipiant ad Divina, cum ante absolutionem excommunicationis vinculum non possint ad tempus suspendere, nec sine peccato medio tempore possit eis, nisi certis casibus communicari. Qui vero contrari-

um fecerit, ipſo jure ab officio ſit ſuſpenſus.

Idem.

Inſuper diſtricte precipimus, ne ullus Presbyter ſine Scolare ſibi in Miſſa reſpondente Miſſam audeat celebrare.

Idem.

Sacerdos Diaconus in veſte, que polluta eſt nocturna pollutione, ad aram miniſtraturus non accedat.

Idem.

Altaribus cum diſciplina, & timore aſtantes ſigna, & cruces diſtincte, & ſine confuſione peragite.

Idem.

Remiſcente Moyſi Servi Domini, qui hoſtes populi ſui non ferro pugnando, ſed prece orando dejecit, ſtatuimus, ut inter cottidiana ad Miſſas, Matutinum, & Veſperas decantanda ſuffragia Antiph. *Da pacem.* & V. *Fiat pax in virtute.* & Collecta: *Deus a quo ſancta deſideria &c.* Pro pace Clerus provolutus in terram genibus, & erectis in celum cordibus cottidie ſtudeat obſervare: Quatinus Dominus noſter JESUS Chriſtus Rex pacificus ſedatis tribulationibus, & Eccleſiarum perſecutoribus, & invaſoribus humiliatis pacem in populo ſuo multiplicatam intercesſoribus largiatur.

Idem.

Nullus Clericus uno die duas Miſſas decantet, preterquam in die Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti, & neceſſitate, que, ſi eveniat, non ſumat, niſi ſanguinem, ablutionem vero aſtanti porrigat.

Idem.

Firmiter inhibemus, ne mulieres miniſtrare apud Altaria permittantur.

Idem.

Duo Officia ſub uno Canone non dicantur.

Idem.

In Elevatione Domini campana pulſetur, ut in nomine IHESU omni genu flectatur, nec ante pulſetur, quam hec verba dicantur Sacroſancta: *Hoc eſt enim Corpus meum.*

Idem.

Felicis recordationis olim Dominus URBANUS Papa ſextus pio ductus propoſito omnibus vere penitentibus, & confeſſis, Sacroſanctum Euchariſtie Sacramentum, quando ad infirmos portatur, & reportatur devote aſſociantibus centum dies indulgentiarum miſericorditer in Domino relaxavit. Quod in ſermonibus veſtris, quos ad populum vos facere contingerit, Chriſti fidelibus frequentius inſinuare curetis.

Idem.

Glorioſiſſime Virginis Marie Feſtum Viſitationis Sancte recordationis Dominus URBANUS Papa ſextus ſub duplici Officio ſolemniter, ut alia dicte Virginis Feſta ſtatuit per orbem univerſum celebrandum, ac ſuaſit & conſuluit, ut ejusdem Feſti vigilia in obſervatione jejunii ſicut Feſtum Aſſumptionis ejusdem devotius obſervetur. Nos igitur volentes hujusmodi ordinationem ſalutarem debite executioni demandare diſtricte precipimus, & mandamus, & per noſtras civitatem, & Diocesim Feſtum peragatur juxta dicte ordinationis continentiam ſupradictum, ac quod officium & hiſtoria, ſicut tenetur in noſtra Eccleſia, ab omnibus decantetnr.

Idem.

Execrabilis, & deteſtanda aliquorum negligentia noſtrum turbavit auditum, quod in pleriſque Monaſteriis regularibus ad hoc fundatis, & ſufficienter dotatis, hore Canonice, & alia Divina Officia nullatenus, vel ſaltem raro negligenter, incomplete, & inordinate decantentur, ſeu peragantur. Quodque nonnulli Eccleſiarum Miniſtri modeſtia ordinis Clericalis abjecta, non conſiderantes, quod Beneficium datur propter officium, horas Canonicas dicere, ſeu pſallere negligant in Divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Ne igitur transgreſſores invaleſcant hujusmodi, aliisque veniant in exemplum, diſtrictiſſime precipiendo mandamus, ut in omnibus, & ſingulis Eccleſiis Collegiatis, ac Monaſteriis regularibus Virorum & Mulierum Nobis ſubjectorum ad hoc fundatis, & ſufficienter dotatis, ſingulis diebus Officium Divinum diurnum pariter, & noctur-

ctturnum horis debitis solemniter cum nota in spiritu humilitatis devote, rite, ordinate, distincte, & laudabiliter psallantur, & decantentur. Quodque omnes & singuli in Sacris Ordinibus constituti, & etiam in inferioribus de Patrimonio Christi Beneficiati seculares, & Religiosi similiter singulis diebus horas Canonicas convenienter,& debite dicant, & perficiant. In premissis vero, vel aliquo premissorum negligentes, culpabiles, inobedientes, seu rebelles, cujuscunque fuerint status, conditionis, vel dignitatis decernimus per censuram Ecclesiasticam,ac subtractionem redditauum, & proventuum suorum Beneficiorum, ac alias secundum qualitatem delicti graviter puniendos. Et quia Superiorum negligentia, que dum spem impunitatis permittit, multam pestilentiam in subditis nutrire consuevit, idcirco omnibus illis, ad quos id pertinet, districte, & in virtute sancte obedientie districte injungimus & mandamus, ut omni negligentia,& incuria relegata circa reformanda premissa, & eorum singula corrigenda solicitam curet diligentiam adhibere. Alioquin Nos eorum negligentiam prout justum fuerit puniemus. Insuper precipimus, & mandamus, ut in omnibus Collegiis infra civitatem, & Diocesim nostras constitutis singulis diebus perpetuis futuris temporibus finitis terciis, pro salute nostra,& Successorum nostrorum Episcoporum pro tempore existentium legatur Psalmus: *Levavi oculos meos in montes &c.* cum Versu: *Salvum fac servum tuum.* cum collecta: *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus,* &c. Prout in nostra Ecclesia Herbipolensi hactenus fieri est consuetum. Et idem precipimus ab omnibus Clericis horas Canonicas legentes observari.

Idem.

Quanquam a Sacris Canonibus dudum fuerit institutum, ut Rectores Parochialium Ecclesiarum infra unius anni spacium ad Sacerdotium teneantur promoveri, plerique cortici verborum textus juris inherentes Sacerdotalem Ordinem recipiunt, sed officium ordini annexum differunt exercere. Nos igitur attendentes, quod Sacri Canones non verba sed mentem amplectantur, sacra approbante hac Synodo statuimus,& ordinamus, quod Rectores Ecclesiarum Parochialium singuli nostre civitatis, & Diocesis post receptionem sacri Sacerdotii infra unius anni spacium susceptionis ordinis ejusdem immediate subsequentis, hoc Sacerdotale officium cum Missarum celebratione teneantur debite exercere, ipsumque fideliter diebus, quibus vixerit, continuare. Nisi desuper per Nos, aut Successores nostros ex causa, quam Nos, aut Successores nostri duxerimus, aut duxerint, seu saltem ducere debeamus, vel debeant reputare, cum eisdem fuerit dispensatum. Alioquin ipsis Ecclesiis Parochialibus sic susceptis privatos esse volumus eo ipso.

De Baptismo,& ejus effectu. Ex Synodo Fritzlariensi.

Baptismus cum summa reverentia celebretur maxime in distinctione,& prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus consistit his scilicet verbis: *Ego baptiso te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant etiam Sacerdotes, tam mares, quam feminas in necessitate parvulos baptisare eadem forma in suo ydiomate, & quod patres & matres infantes proprios, si summa necessitas exigat, poterunt baptisare. Et si Sacerdotes super hoc diligentius inquirentes debitam formam servatam in baptismate invenerint, quod factum est, approbent supplentes circa baptisatum, quoad unctionem olei in pectore, & in scapulis, & crismatis in vertice, quod a laicis est obmissum. Si autem in baptismate debitam formam non invenerint observatam, non differant pueros baptisare.

JOHANNES Episcopus.

Doceant Sacerdotes laicos baptisare in necessitate teutunico predictam formam facere,& quomodo puer baptisatus sit a laico requirat Sacerdos ab eo, qui eum baptisavit, si formam servaverit predictam. Quod si non servavit formam predictam, ipse Sacerdos baptiset puerum, & faciet totum officium sicut scriptum est in libris, si autem servaverit laicus predictam formam Sacerdos inungat Oleo Sancto cum Crismate, & dicat illa verba, que dicat in unctione, & non magis faciat circa unctionem pueri. Si autem de baptismo illius dubitetur, tunc

tunc baptiſetur ſub hac forma. *Si es baptiſatus non te rebaptiſo, ſi non es baptiſatus, ego te baptiſo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hec tria fiant, ſicut in libris continentur.

Item de eodem.

Doceant etiam Sacerdotes, quod non ſolum viri ſed etiam mulieres in neceſſitate baptiſare poſſunt, ſi alius non poſſit haberi. Sciant etiam Sacerdotes, quod ſi laicus cum baptiſat, ex ſimplicitate, non cauſa introducendi errorem, dicat. *Ego te baptiſo in nomine Sancti Patris, Sancti Filii, Sancti Spiritus*, quod non eſt rebaptiſandus puer, quia illud apponit, quod neceſſe eſt intelligi. Pater enim Sanctus eſt, unde in Johanne: *Pater Sancte ſerva eos &c.* Filius Sanctus eſt, unde in Luca: *Quod enim ex te naſcitur, Sanctum vocabitur.* Et Spiritus *Sanctus* eſt: unde ibidem *Spiritus Sanctus ſupervenìet in te.* Hoc probat Auguſtinus per hoc, quod dicitur ter Sanctus in Yſaia, & in Apocalipſi. Si quod autem aliud interpoſitum fuerit non eſt baptiſatus. Si autem in fine appoſuerit cauſa devotionis, & ex ſimplicitate, non intendens per hoc baptiſare: & Sancte Marie, & ſancti Johannis, & ſancti Petri, baptiſatus eſt. Si autem intendit per hoc baptiſare, non eſt baptiſatus. Pro baptiſmo nihil exigatur, ſed ſi quid offeratur gratis, accipi poteſt.

De cuſtodia Eucbariſtie. Ex Concilio Maguntinenſi, Fritzlarienſi.

Item ſtatuimus, ut in cunctis Eccleſiis Baptiſmus, Criſma, Oleum, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi. Palle quoque, Altaris vaſa, corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda, & nitida conſerventur, nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, que dedecerent etiam in prophanis. Precipitur ex Statuto WOLFRAMI Epiſcopi Herbipolenſis, quod ſingulis annis Sacerdotes curati in Cena Domini vaſa munda Herbipolim tranſmittant ad recipiendum in eis Criſma, & Oleum Sanctum, que quidem vaſa debent eſſe debitis carracteribus conſignata.

Ex Concilio Viennenſi.

Prohibetur etiam in preſenti Concilio Viennenſi, ne quis de cetero in aulis, aut cameris, aut aliis privatis locis, ſeu domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ad hoc fontes ſpeciales ſunt deputati, aliquos, niſi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi, audeat baptiſare. Quivis autem ſecus attemptare preſumpſerit, aut ſuam in hoc preſentiam exhibuerit, taliter per ſuum Epiſcopum caſtigetur, quod alii attemptare ſimilia non preſumant.

JOHANNES Epiſcopus.

Statuimus preterea, ut ſecundum ſtatuta Canonum Sacerdotes tantum, non alii in extremis laborantes infirmos in viatico, & confeſſione procurent, campanam ſemper ſecum deferentes, ex cujus ſono devotio fidelium excitetur ad tanti reverentiam Sacramenti. Inſuper nullus de cetero Sacerdos in deportatione ſaluberrimi Corporis Domini noſtri Sacramenti, quantumcunque aura mala, via lubrica, vel lutoſa exiſtat, in colopediis ire preſumat.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.
JOHANNES Epiſcopus.

Ne indebita veneratione Sanctorum quiſquam noſtre civitatis, & Dioceſis a noſtra majori Eccleſia valeat deviare, Feſtivitates per anni circulum per populum Nobis ſubditum ſolemniter celebrandas, & que ab olim ipſa noſtra Eccleſia & populus civitatis ſolemniter celebravit, preſentibus duximus annectendas. Mandantes, quatenus Feſtivitates ejusmodi, & nullas alias ſine noſtra ſpeciali auctoritate, & licentia populo veſtro celebrandas aliquatenus de cetero indicatis: Feſtum videlicet Nativitatis Domini noſtri. Sancti Stephani Prothomartyris. Sancti Johannis Apoſtoli & Evangeliſte. Sanctorum Innocentum. Circumciſionis Domini. Epiphanie Domini. Purificationis Sancte Marie. Reſurrectionis Dominice cum tribus diebus ſequentibus. Sancti Georgii Martyris. Sancti Marci Evangeliſte. Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum. Inventionis ſancte

ﬆe Crucis. Aſcenſionis Domini. Penthecoſtes cum tribus diebus ſequentibus. Sanﬆe Trinitatis. Corporis Chriſti. Sanﬆi Viti Martiris. Nativitatis ſanﬆi Johannis Baptiſte. Sanﬆorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Viſitationis Marie Virginis. Sanﬆi Kiliani. Sanﬆe Marie Magdalene. Sanﬆi Jacobi Apoſtoli. Sanﬆi Laurentii Martiris. Aſſumptionis ſanﬆe Marie ;. Nativitatis ſanﬆe Marie, Conceptionis ſanﬆe Marie. Sanﬆi Bartholomei Apoſtoli. Sanﬆi Matthei Apoſtoli. Sanﬆi Michaelis Archangeli. Sanﬆi Burchardi. Sanﬆorum Simonis & Jude Apoſtolorum. Omnium Sanﬆorum. Sanﬆi Martini Epiſcopi. Sanﬆe Eliſabeth Vidue. Sanﬆe Katherine Virginis. Sanﬆi Andree Apoſtoli. Sanﬆi Nicolai Epiſcopi. Sanﬆi Thome. Anniverſarius Dedicationis,& Feſtivitas cujuslibet Eccleſie Patroni. Dies quoque Dominici ſinguli per anni circulum occurrentes.

De Obſervatione Jejuniorum. Ex Concilio Fritzlarienſi.

Adhec etiam prohibemus, ne quis adultus pariter, & diſcretus ordinaria,& ſtatuta jejunia utpote XL. quatuor temporum, & Vigiliarum preſumant infringere, nec hujusmodi neceſſaria propter votiva,& extra ordinaria jejunia violet, cum tale damnum tali lucrum Deus nolit recompenſari. Inherentes priori conſilio pravam quorundam conſuetudinem reprobamus, qui ſextam feriam violant, ſabbato, quarta feria, vel die alia ebdomade jejunantes: hoc decetero fieri Sacri auﬆoritate Concilii firmiter prohibemus.

De Immunitate Eccleſiarum,& Cimiteriorum. BONIFACIUS octavus.

Eos qui temporale Dominium obtinentes ſuis ſubditis, ne Prelatis, aut Clericis, ſeu Perſonis Eccleſiaſticis quicquid vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipſis bladum molent, coquant panem, & alia obſequia exhibere preſumant, aliquando interdicunt, dum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſtice preſumantur, eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

Ex Concilio Maguntinenſi. PETRI Archi-Epiſcopi.

Excommunicamus omnes,qui Deo dicatas Eccleſias auſu ſacrilego prophanantes faciunt immunitiones de ipſis,& ad firmandum eos perfodiunt cimiteria oſſibus mortuorum ejeﬆis: omnes etiam opem, vel operam, conſilium & juvamen preſtantes, excommunicationis ſint ſententia innodati: Eccleſie etiam taliter prophanate, & nihilominus omnia illa loca, in quibus auﬆores, vel opem, auxilium, vel juvamen preſtantes habent domicilia, vel receptacula, ſunt auﬆoritate Concilii Maguntinenſis Eccleſiaſtico ſuppoſita interdiﬆo : & familie eorum ſubtrahi debent Sacramenta, & Eccleſiaſtica ſepultura, donec cum debita ſatisfaﬆione ipſa munitio deſtruatur.

Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant. JOHANNES Epiſcopus.

Quia nonnulli Clerici finem ſue avaritie non ponentes, negotiationes,& mercantias prohibitas, & illicitas, ac uſuras deteſtandas in animarum ſuarum periculum exercere non verentur, penas multiplices a ſacris Canonibus incurrendo : ut igitur vicia tam deteſtabilia, & Clericali ordini contraria, & inimica a Clero noſtro penitus extirpentur. Quum ſecundum Apoſtolum *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, idcirco diſtriﬆe prohibemus omnibus Clericis & Eccleſiaſticis perſonis Nobis ſubjeﬆis, ſecularibus, ac religioſis cujuscunque fuerint dignitatis, ſtatus, aut conditionis, ne vina blada, ſeu alia quecunque mercimonia cauſa negotiandi, ſeu cupiditatis, vel lucri per ſe, vel alios publice, vel occulte quovis queſito colore emant & ulterius vendant, vel aliis negotiationibus ſecularibus illicitis, aut indecentibus, ſeu a Sacris Canonibus prohibitis, vel alias ſuo ordini non congruentibus ſe immiſceant, nec uſuras nephandiſſimas exerceant, neque tabernas teneant, nec eas, vel alia loca ſuſpeﬆa, vel inhoneſta abſque evidenti cauſa publice frequentent, neque cum taxillis, ſeu aleis cauſa lucri ludere preſumant, aut in domo ſua ludere propter queſtum permittant. Contrarium vero facientes tanquam

quam violatores Canonum decernimus animadversione condigna puniendos.

De Sponsalibus, & Matrimonis. Ex Synodo WOLFRAMI Episcopi Herbipolensis.

Statuimus, ut nullus cujuscunque conditionis existat, viros, seu mulieres per vim, coactionem, seu metum, qui potest cadere in constantem virum, matrimonium contrahere cogat aliqualiter, seu compellat presertim, ubi impedimenta legitima obstare noscuntur. Quod si quis contrarium attemptare presumpserit per se, vel per alium, aut alios directe, aut indirecte, eundem presumptorem, aut alios quoscunque sibi ad hoc consilium, auxilium, vel favorem prestantes, excommunicationis sententie ipso facto decernimus subjacere. Nam difficile est, ut bono exitu peragantur, que sunt malo principio inchoata.

De Clandestina desponsatione. Ex Concilio Maguntinensi.

Statuitur, ut matrimonium cum reverentia, & honore in conspectu Ecclesie celebretur. Sic ut cum matrimonium fuerit contrahendum, in Ecclesiis publice per Parochialem Presbyterum tribus diebus Dominicis, & Festivis a se distantibus publice proponatur, ut si quod impedimentum matrimonii contrahendi noverint aliqui, illud infra terminum competentem ab ipso Presbytero prefigendum in facie Ecclesie sine difficultate revelent. Excommunicationis quoque sententia in genere proferatur in omnes hujusmodi impedimentum celantes. Si quis autem non premissa denunciatione clandestina, & interdicta conjugia inire presumpserit etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta illegitima est censenda. Parochialis etiam Sacerdos, si tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis presumpserit interesse, per triduum ab officio suspendatur Quibus quidem Sacerdotibus in virtute sancte obedientie injungimus districtius in his scriptis, ut hoc salutare statutum, & penas, in eo expressas in qualibet quarta parte anni in ambonibus Ecclesiarum suarum duobus diebus Dominicis ad plebem publicent, ne quis per ejus ignorantiam excusare se valeat, ne penas, de quibus predicitur, incurrat.

De Cognatione Spirituali. BONIFACIUS Papa octavus.

Ne dum inter baptisatum, & illum, qui eum suscipit de baptismo, ac inter eundem baptisatum, & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem, ymmo etiam inter suscipiendum patremque baptisati, & matrem cognationem spiritualem in baptimo contrahi jure constat, que cognatio, & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit post contractum. Et eadem, que de suscipiente sunt dicta, sunt etiam de baptisante censenda. Ex confirmationis quoque seu frontis crismatione spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta;

Ex Concilio Maguntinensi. PETRI Archi-Episcopi.

Statuimus, ut unus tantum assumatur Patrinus in Sacramento Baptismatis, & confirmationis, ad impedimenta matrimonii precavenda.

De Consanguinitate, & affinitate. Ex Concilio Viennensi.

Eos, qui Divino timore postposito in suarum periculum animarum scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione Canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non Religiosos, & Moniales, aut Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes excommunicationis sententie decernit *Viennense* Concilium subjacere, precipiens Ecclesiarum Prelatis, ut illos, quos ea constiterit taliter contraxisse excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu a suis faciant subditis nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, & absolutionis habere Beneficium mereantur.

De Simonia. Ex Concilio Aschaffenburgensi.

Statuitur, quod quicunque pro Eucharistia, oleo infirmorum, baptismate parvulorum, chrismate, Oleo sancto, sepultura, aut aliquibus aliis Sacramentis conferendis aliqua de cetero munera quantumcunque modica a suis subditis tanquam debitum exegerit, auctoritate Con-

Concilii *Aschaffenburgensis* est excommunicationis vinculo innodatus, nisi hujusmodi munera sponte, & caritative a Christi fidelibus offerantur.

JOHANNES Episcopus.

Statutum nuper in Sacro CONSTANTIENSI Concilio contra symoniacam pravitatem editum, ne quis ignorantiam pretendere valeat, duximus iterato publicandum.

MARTINUS Episcopus servus servorum Dei. Multe contra symoniacam pravitatem ab olim facte sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes de cetero, quantum possumus attentius providere, Sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati symoniace ab executione suorum ordinum sunt eo ipso suspensi. Electiones autem postulationes, confirmationes, & quevis provisiones symoniace Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque deinceps facte, nulle sint ipso jure, nullumque per illas cuiquam jus acquiratur, nec faciat fructus suos, sed ad illarum restitutionem tanquam inique ablatorum percipientes teneantur. Statuentes insuper, quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi Pontificali, aut Cardinalatus prefulgeant dignitate. Datum Constantie XXI. mensis Marcii anno Domini Millesimo quadrigentesimo decimo octavo, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini MARTINI &c. anno I.

De Judeis. Ex Concilio Maguntinensi.

Statutum est in Concilio Maguntinensi, ut in universis civitatibus, oppidis, castris, & villis, civitatis, Diocesis, & Provincie Maguntinensis Gens Judeorum utriusque sexus infra duos menses post publicationem hujus statuti talia signa & habitum, quibus seu per que sine qualibet ambiguitate a Christiano populo distinguatur sibi eligat, & deferat manifeste. Dignitates quoque seculares, & officia publica, quibus de gente prefata aliquis forte preest, & mancipia Christiana prorsus dimittat. Alioquin cum omnibus locis, ubi Judei dicto statuto obedire nolentes habitare, vel domicilia obtinere noscuntur, in penam Christianorum Potentum tam diu cessetur ab Officiis Divinorum, donec per Potestates, Principes, & Nobiles Christianos, in quorum territoriis predicta gens misera, & perfida conversatur ad observationem premissorum omnium compellatur. Ipsi autem Judei per locorum Diocesanos indirecte per subtractionem communionis fidelium excommunicationis sententia percellantur. Si quis vero de gente prefata in die Parasceve visus fuerit in platea, vel per ostium domus sue prospicere, vel per fenestras, ad quod probandum duorum Christianorum stabitur juramento, is loci Diocesano in marcha argenti pene nomine teneatur. Ad cujus solutionem ad omnes defendentes eum per excommunicationis sententiam compellantur. Et ne quis Christianus hujus statuti ignorantiam valeat allegare, universis Ecclesiarum Rectoribus per Maguntinam civitatem, & provinciam constitutis, in quorum Parochiis Judei morantur, sub pena excommunicationis auctoritate dicti Concilii late sententie precipimus firmiter, ut quilibet in sua Parochia singulis diebus Dominicis singula quatuor tempora immediate sequentibus infra Missarum solennia puplice prefatum statutum lingua materna exponere non obmittat.

JOHANNES Episcopus.

Cum jam dudum Judeis sint prohibita, & interdicta mancipia Christiana, volumus & precipimus, ut Plebani, & alii Rectores Ecclesiarum, ubi sunt domicilia eorum, diebus Dominicis omnes de fide Catholica Judeorum nutrices, & servientes denuncient excommunicatione ligatos. Excommunicatos etiam denuntient omnes alios Christianos, qui apud Judeos pecuniam suam locant, ut a Judeis usuram recipiant, vel ut Judei eandem pecuniam mutuent ad usuram.

Idem.

Si vero Sacramentum Altaris ante domos Judeorum deferri contigerit, ipsi Judei audito sonitu previo intra domos suas se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant. Hoc etiam in quolibet die Parasceve per Prelatos Ecclesie facere, com-

compellantur. Nec presumant de fide Catholica cum simplicibus disputare. Nec filios, aut uxores Judeorum ad viam Christianorum venientium invitos audeant detinere. Nec Christianos in Judaismum alliciant, aut aliquem ausu temerario circumcidant. Nec Christianos infirmos visitent, vel circa ipsos exerceant opera medicine.

De Hereticis. JOHANNES Episcopus.

Volumus insuper, & in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, ut omnes Plebani, & Ecclesiarum Rectores, seu Vicarii nostre Diocesis omnes hereticos, fautores eorum, receptores, & credentes, nec non & defensores ipsorum denuncient quater in anno, scilicet in Nativitate Domini. In die Palmarum. In Penthecoste. Et in Festo omnium Sanctorum excommunicationis sententie subjacere. Et nihilominus eos omnes, cujuscunque status, & conditionis existant tales esse scientes, vel ex veri simili conjectura, vel alias suspicione probabili, si non accusaverint, seu denunciaverint publice, vel non auderent metu persone, vel rerum Plebano, Rectori, seu Vicario loci, vel si ex quacunque causa eis secure denunciare non possent ad nostram hoc noticiam non detulerint: tanquam fautores, & conservatores eorum, quos ex nunc excommunicamus, volumus eisdem temporibus nunciari.

De Raptoribus. Ex Concilio Maguntinensi.

Statuitur, & precipitur sub pena excommunicationis, quam transgressores incurrunt, ut non solum in terminis illius Archidiaconatus, in quo Prelatum, vel Religiosum aliquem, seu Clericum habentem sacros ordines, & pro Clerico se gerentem contigerit, temere captivari; Sed in terminis illius Archidiaconatus, in quo quempiam talium detineri constiterit, ipso facto cessetur ab Officiis Divinorum. Specialiter autem in omnibus locis illis, in quibus captivatores & eorum complices in maleficio, ipsis consilium, auxilium, vel juvamen prestantes domicilium obtinent, & sive de facto, sive jure jurisdictionem exercent, aut ubi habent receptaculum, servetur strictissime Ecclesiasticum interdictum. Ita videlicet, quod corpora mortuorum ad Ecclesiasticam sepulturam nullatenus admittantur. Quin ymmo si per violentiam laicalem in Ecclesiis, vel cimiteriis fuerint tumulata, ibi non relaxetur aliquo modo sententia interdicti, nisi prius ejectis corporibus illis, sic per laicalem violentiam tumulatis. Archidiaconi quoque, & eorum Officiales in aliis locis Diocesis requisiti, predictos sacrilegos ab omnibus suis subditis excommunicatos denunciari faciant publice singulis diebus Dominicis, & Festivis, donec captivatus liber, & indempnis cum satisfactione debita dimittatur.

Ex Concilio Aschaffenburgensi.

Statuitur, ut persona quantumcunque Nobilitate, aut Preeminentia status presulgeat, si Ecclesias, seu Ecclesiastica bona jurisdictionis, vel vasallos earum violenter, aut auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel scienter occupantibus Ecclesias, & Ecclesiastica bona predicta prestare presumat quomodolibet per se, vel alium, vel alios consilium, auxilium, aut favorem, & nisi requisitus infra mensem Ecclesie lese, aut Prelato ipsius damnum illatum emendaverit, ipso facto sit anathematis vinculo innodata. Decentium (a) etiam Clericorum peculium occupare, vel occupatum detinere omnibus laicis sub anathematis pena exnunc prout ex tunc late sententie districtius inhibemus.

JOHANNES Episcopus.

Quoniam Clericidium abhominabilius, & detestabilius, gravius, & perniciosius captione quacunque existere dinóscitur, constitutionem contra Clericorum captivatores superius editam contra Clericorum occisores extendentes; Volumus, & sub excommunicationis pena districtissime precipiendo statuimus, & ordinamus, constitutionem supradictam contra Clericidas antedictos usque ad satisfactionem congruam Deo Nobisque, atque lesis impendendam per omnia inviolabiliter observari.

Idem.

Olim ut infra limites non solum Archidiaconatus illius, infra quem Clericum in

(a) *lego:* decedentium

in ſacris Ordinibus conſtitutum, aut Religioſum aliquem temere capi, ſed etiam Archidiaconatus illius, ubi ipſum detineri conſtiterit, ut ipſo facto ceſſetur a Divinis, ſub excommunicationis late ſententie pena ſtatuit ſacrum *Concilium Maguntinenſe*, ac etiam Statutum *Synodale.* Verum quia Concilium, & Statutum hujusmodi nonnunquam neglectum, & obſervari ab illis, in quorum favorem dinoſcitur inſtitutum, factum eſt, ut ſepe morte conteruntur, velut vaſa teſtea filii Syon incliti, & ſicut ovis ad occiſionem reputantur ab impiis Eccleſie filii & Prelati. Nos igitur multa deliberatione prehabita de conſenſu & aſſenſu Prelatorum, atque Cleri Nobis in hac Sancta Synodo aſſiſtentium, non ſolum Concilium & Statutum ipſa approbamus, verum etiam ipſa innovamus, ac ipſis duximus adjungendum, ut & ipſa ſub ſuis penis, ſententiis, & cenſuris etiam inſtituta forma contra Eccleſiaſticarum rerum ſpoliatores, & Clericorum in morte depredatores per omnia inviolabiliter, poſtquam de captivatione, ſpoliatione, detentione, aut depredatione conſtiterit evidenter a Clero infra limites Archi-Diaconatuum ſupra deſcriptorum, nullo alio mandato deſuper exſpectato, obſerventur. Ac inſuper pro majori Eccleſiaſtice libertatis tutela, dictorumque criminum repulſa, ſub eisdem penis & ſententiis firmiter ſtatuimus, & mandamus, quod in nulla Eccleſia, neque Cathedrali, neque Collegiata, neque etiam Monaſterio aliquo Ordinis Sancti Benedicti, filii, aut nepotes ipſorum, qui Clericum aliquem in ſacris, ut prefertur, conſtitutum, aut Religioſum temere captivaverint, aut captivatum detinuerint vivum aut mortuum, ut prefertur, ſpoliaverint, quovis modo in Canonicos recipiantur, aut in Fratres.

De Uſuris. JOHANNES *Epiſc.*

Quia quidam Clerici, per quos Nomen Domini blaſphematur, ſue avaritie finem non imponentes, uſuram tam in pecunia, quam in aliis rebus exercere non verentur, penas contra uſurarios in Generalibus *Lugdunenſi* & *Viennenſi Conciliis* promulgatas non timentes, ut igitur vitium tam deteſtabile, & Clericali Ordini inimicum per Nos amplius valeat extirpari, univerſos & ſingulos in Clero conſtitutos hoc genus uſurarum exercentes, auctoritate hujus Concilii primo, ſecundo, tercio, & peremptorie requirimus, & monemus, ut infra unius menſis ſpacium a publicatione preſentium in hac Sancta Synodo facta continue ſequens atque currens, omnibus & ſingulis ipſorum creditoribus de uſuris extortis & receptis ab eisdem ſatisfaciant cum effectu, prout ipſorum patiuntur facultates, aut ſuper ipſis amice ſe componant, ac deinceps a deteſtandis uſurarum lucris deſiſtant, atque ceſſent. Alioquin ipſos, & ipſorum quemlibet auctoritate hujus Concilii exnunc excommunicationis vinculo innodamus.

Idem.

Quia crimen uſurarum ita invaluit, ut multi aliis negociis pretermiſſis quaſi licite uſuras exerceant, & qualiter utriusque teſtamenti pagina condempnetur, nequaquam attendunt. Ideoque volumus, prout in *Lateranenſi*, *Viennenſi*, & *Lugdunenſi Conciliis* ſtatutum eſt, ne uſurarii manifeſti Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam. Et qui proprie temeritatis audacia manifeſtorum uſurariorum corpora ſcienter ſepelire preſumpſerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, nulla eis exemptione, vel alio privilegio aliqualiter ſuffragante. Nullus etiam teſtamentis manifeſtorum uſurariorum interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum preſtent ſecundum formam decreti, quamquam de uſuris idoneam cautionem. Teſtamenta autem, niſi premiſſa ſatisfactione, aut preſtita idonea cautione non valeant, ſed ſint ipſo facto irrita.

Inhibemus inſuper, ut nulli Seculares vel Religioſi, cujuscunque fuerint conditionis aut ſtatus, uſurarios ſaltem manifeſtos, vel de uſuraria pravitate publice diffamatos audeant qualitercunque abſolvere, ſed ipſos ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum in Spiritualibus pro abſolutione obtinenda remittant, non obſtante, ſi ipſis, vel alicui ex eis forſan per Nos, aut ipſum Vicarium noſtrum generaliter, vel ſpecialiter ſit indultum, quod

etiam in casibus Nobis reservatis beneficium absolutionis valeant impendere. Contrarium facientes ab ingressu Ecclesie decernimus ipso facto suspensos. Et nihilominus revocamus, & annullamus omnes licentias & indulta quibuscunque personis secularibus vel Religiosis per Nos, aut Vicarium nostrum in Spiritualibus concessas & concessa, ut in casibus Nobis reservatis absolutionis beneficium possint seu valeant impendere qualitercunque.

De crimine falsi. Ex Concilio Fritzlariensi.

Et quia plerique falsarii litteris Apostolicis, & aliorum Prelatorum testimoniis afferunt se munitos, hoc igitur decrevit Sanctum Concilium statuendum, ne tales qualiacunque scripta deferant a Clericis, vel a quibuscunque personis Ecclesiasticis recipiantur in Ecclesiis, vel in domo, nisi prius ipsorum littere per Diocesanum Episcopum, si ejus copia possit haberi: alioquin per Capitulum Ecclesie Cathedralis examinate fuerint diligenter. Et nisi ipsius Episcopi, vel Capituli litteris testimonialibus sint muniti. Et hoc ideo, quia per Sacerdotes simplices non potest de facili litterarum veritas vel falsitas indagari. Sane quecunque persona contra hanc formam tales receperit, ipso jure ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, alia pena nihilominus juxta Superioris arbitrium punienda. Illud quoque presentis auctoritate Concilii huic Capitulo duximus annectendum, ut si tales sine dictis litteris testimonialibus petitiones suas presumpserint promovere, Plebani civitatum & villarum, & alii, ad quos venerint, eos cum rebus eorum per seculare judicium, si alias detinere non possunt, non dubitent occupare, loci Diocesano presentandos.

De Sortilegiis. Ex Concilio Moguntinensi.

Excommunicamus, anathematizamus omnes sortilegos firmiter prohibentes, ne ab alio, quam suo Episcopo, nisi forsitan in mortis articulo, absolvantur. Et hanc excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis & Festivis per Sacerdotes in eorum Ecclesiis & Capellis precipimus publicari.

De Clerico excommunicato ministrante. Ex Concilio Fritzlariensi.

Cum scriptum sit in lege Domini, quod, quicunque non obtemperasset Sacerdotibus, is extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta expiabat contemptum. Et in primitiva Ecclesia inobedientes ejecti de Ecclesia rapido ore demonum trahebantur. Multi nomine Sacerdotes censuram Ecclesie contempnentes excommunicati, vel suspensi a Prelatis suis exigentibus culpis eorum, & immemores, quod Episcopis, & Prelatis clavium celorum sit collata potestas, attemptare sibi interdicta ministeria non verentur, contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere, statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis ab officiis deponantur, & infames, ac detestabiles facti de cetero ad Beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per penitentiam approbatam, & conversationem laudabilem Sedis Apostolice gratiam meruerint obtinere.

De Privilegiis. Ex Concilio Generali.

Quamquam quibusdam regularibus a Sede Apostolica sit concessum, ut his, qui fraternitatem eorum assumpserint, si forte Ecclesie, ad quas pertinent, a Divinis Officiis fuerint interdicte, ipsos quoque mori contigerit, sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti. Quia tamen nonnulli questores elemosinarum eorum regularium privilegia eis a dicta sede sic gratiose concessa minus sane intellecta ad abusum, ut percepimus, pertrahere non verentur, vobis ad obviandum deceptionibus eorundem super eo coguntur (*b*) exprimere declarationem Concilii Generalis, quod illa de his videlicet fratribus intelligit, vel qui adhuc manentes in seculo eorundem ordini sunt oblati, mutato habitu seculari, vel qui eis bona sua dederint inter vivos, retento sibi, quamdiu in hoc seculo vixerint, usu fructu, qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium, vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam, ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum pro duobus, vel tribus dena.

(*b*) *lego:* cogimur.

denariis annuatim sibi collatis dissolvatur, & vilescat Ecclesiastica disciplina.

Ex Synodo WOLFRAMI Episcopi Herbipolensis.

Quia nonnulli Religiosi maxime exempti, subditos nostros presertim Ecclesiasticas personas ad remota loca extra nostram civitatem,& Diocesim ad presentiam conservatorum privilegiorum suorum passim citari procurant contra debitum rationis, ut sic fatigati ipsi citati laboribus, & expensis, ac paupertate oppressi cogantur per indirectum suas causas,& Ecclesiarum suarum derelinquere indefensas,ac liti cedere, quantumcunque defensiones habere legitimas videantur. Statuimus de consilio Prelatorum Ecclesie nostre salubriter pro commodo, & utilitate communi, & singulari dictorum subditorum nostrorum, ut ipsi tales subditi in singulis Ecclesie nostre Archidiaconatibus ad ordinationem, & dispositionem Archidiaconorum locorum suorum illis ibidem sic citatis, ad minus in media parte expensarum faciendarum per eos subveniant pecunia in parata. Quod sue tunc persecutioni, & defensioni valeant efficatius, & comodosius inherere, ad quam quidem ordinationem, & dispositionem intra breve tempus, & salubriter faciendam ipsos Archidiaconos in virtute sancte obedientie stringimus per presentes.

Item ex eadem.

Item omnes & singulas Ecclesiasticas personas seculares & regulares, exemptas, & non exemptas civitatis & Diocesis nostrarum exhortamur in Domino,perpensius,attentiusque monemus, ut excommunicatos majori excommunicatione ab homine, vel a jure notorie in Divinis Officiis vitent, & in locis interdictis civitatis & Diocesis earundem scienter Divinum Officium non celebrent. In hoc ad sui excusationem nullam affectatam ignorantiam, que eos in his non excusat, aliqualiter pretendentes, si sententias excommunicationis, suspensionis, ac penas irregularitatis in Constitutionibus BONIFACII VIII. & CLEMENTIS V. Romanorum Pontificum, nec non processibus quibusdam Domini JOHANNIS Pape XXII. expressas ac latas, in contrarium facientes, voluerint evitare.

Idem ex eadem.

Item injungimus Sacerdotibus Parochialibus in virtute sancte obedientie in his scriptis, ne de ordinibus Mendicantium in Ecclesiis suis, seu cimiteriis quempiam permittant, quantum in eis est, predicationis officium exercere, nisi juxta tenorem Constitutionis BONIFACII, que incipit : *Super Cathedram* &c. innovate hodie per CLEMENTEM Papam V. in *Concilio Viennensi* sub titulo *De Sepulturis*, in Capitulo *Dudum*, & etiam prius per eos nostris literis certificati fuerint, scilicet, quod per Nos post presentem Synodum; ad hujusmodi exercendum officium sint admissi, & quod ante omnia eosdem moneant nostro nomine, ut nihil predicent ad populum sub quocunque etiam quesito colore, quod Romanam & universalem Ecclesiam offendere possit. Et si quempiam dictorum mendicantium terminariorum secus facere in premissis contigerit, ipsum dicti plebani nominatim, vel alias prout melius poterit, prodere suis literis non obmittant. Volumus etiam, quod curati Sacerdotes civitatis & Diocesis nostre eosdem fratres ad dicendum Missas in Ecclesiis suis admittant, dummodo ipsi fratres absque injuria & damno ipsorum curatorum hoc faciant Sacerdotum.

Ex Concilio Viennensi.

Statutum est in Concilio Viennensi, quod excommunicati etiam exempti sint, qui in casibus a jure non permissis defunctos sepeliunt in cimiteriis, vel Ecclesiis tempore interdicti, vel qui scienter sepeliunt excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos.

Item in Constitutionibus BONIFACII VIII. sub titulo : *De sententia excommunicationis L. VI.* statutum est, quod absolutus propter mortis articulum imminentis, vel aliud impedimentum ab eo, a quo alias de jure absolvi non poterat, si cessante impedimento hujusmodi se non presentat, cum commode potest ei, a quo alias absolvi debeat, sententiam incidit eandem.

De

De injuriis. Ex Concilio Aschaffenburgensi.

Statuitur, ut Canonicus, qui sue, vel alterius Ecclesie Canonicum verbis probrosis affecerit manifeste per quartam; si vero convicia manifesta dixerit in Prelatum, per mediam partem anni a tractatu & consortio sui Capituli, nec non a perceptione fructuum sue Prebende penitus sit exclusus. Si quis autem Canonicorum in predictas personas, etiam citra sanguinis effusionem, manus injecerit temere violentas, penas predictas dupliciter patiatur.

Pro vulnere vero hujusmodi personis ab aliquo Canonicorum illato, si etiam nulla membri mutilatio ex tali vulnere fuerit subsecuta, per premissas penas quadrupliciter puniatur, & insuper in utroque casu juxta sui Diocesani arbitrium leso satisfaciat competenter, antequam restitutionis beneficium consequatur. Sed pro temeraria membri mutilatione omni beneficio Ecclesiastico sit ipso jure privatus.

Que omnia & singula circa alios Clericos beneficiatos, si personas Ecclesiasticas predictis modis ledant, seu ledantur ab ipsis, juxta premissam formam & ordinem sub penis eisdem precipitur observari.

De Penitentiis & Remissionibus. Ex Concilio Viennensi.

Cum secundum *Concilium Viennense* ultimo deputandis supplicio negari, si petant, non debeat Penitentie Sacramentum, abusus dampnabilis in quibusdam partibus contra hec inductus, per Viennense Concilium aboletur omnino, & precipitur Justiciariis omnibus, & Dominis temporalibus, ut ab hujusmodi desistant abusu, immo locorum Ordinariis injungitur, ut eos ad hoc, cum primum commode poterunt, diligenter moneant, & si necesse fuerit, Ecclesiastica censura compellere non obmittant.

Ex eodem Concilio.

In Concilio Viennensi districtissime prohibetur, ne eleemosynarum questores aliqui, nisi Apostolicas & Diocesani Episcopi literas exhibuerint, quomodolibet admittantur, nec permittantur, cum solum ipsis competat sibi indulgentias concessas insinuare populo, & caritativa subsidia postulare suppliciter ab eodem: ullatenus ipsi populo predicare, nec aliud exponere, quam quod in literis continebitur supradictis. Literas quoque Apostolicas, & Diocesani Episcopi, ne quid fraudis committi valeat, per easdem, antequam questores ipsos admittant, examinent diligenter. Ad hoc cum aliqui ex hujusmodi questoribus, sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multe temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum indulgentias populo motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent, a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis sibi confitentes absolvant, mala ablata incerta data sibi aliqua pecunie quantitate remittant tertiam, aut quartam partem de penitentiis injunctis, relaxent animas tres vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferunt, de purgatorio, ut asserunt, mendaciter extrahant, & ad gaudia Paradisi perducant, & Benefactoribus locorum, quorum questores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgeant. Et aliqui ex ipsis eos a pena, & a culpa absolvant, abusus hujusmodi penitus aboletur, & ea per quoscunque questores fieri vel attemptari de cetero districtius inhibetur.

Et omnia & singula privilegia, si qua super premissis, vel eorum aliquo sint aliquibus locis, ordinibus, vel personis questorum hujusmodi quoquomodo concessa, auctoritate Apostolica, quantum ad premissa sint penitus revocata. Questores autem, qui deinceps in premissis vel aliquo premissorum deliquerint, vel alias etiam quibuscunque suis privilegiis abusi fuerint, sic per locorum Episcopos puniri eosdem precipitur, nullo prorsus eisdem questoribus in hac parte privilegio suffragante, quod a suis temerariis ausibus, qui ut communis habet assertio, nimium excreverunt, pene formidine perpensius compescantur.

Ex Concilio Fritzlariensi.

In Confessionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita ut a penitente usitata peccata & communia singillatim, inusitata vero

 tamen

tamen per quasdam circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante nescirent, perpetrandi. Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo aut signo, aut aliquo alio modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque omni expressione persone, caute perquirat. Quem, qui peccatum in penitentiali judicio, sibi detectum presumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum penitentiam in artum Monasterium detrudendum. Verum, quia quidam Confessores, & si personam confitentis non exprimant, circumlocutionibus tamen confitentium, & peccati circumstantiis sub quadam generalitate indirecte publicant confitentem. Statuimus igitur, ut nullus Sacerdos expressa religione, conditione, seu statu alicujus peccatum recitet confitentis, immo nec peccati qualitas, locus, seu vicinia perpetrati facinoris specificetur ullo modo, cum ex hujusmodi circumlocutionum judiciis auditoris industria personam interdum eliciat peccatoris, & ex specificatione peccati humana fragilitas ad perpetrandum similia forsitan provocetur.

Ex eodem.

Et quia plerumque infirmus sua confiteri peccata propter multorum presentiam erubescit. Id a Sacerdotibus precipimus districtissime observari, ut prius familiariter, & secrete audiant confessionem ipsius infirmi, si mortis periculum non obstat, & postea ad eum deferant cum devotione, & habitu, & reverentia condecentibus Eucharistiam salutarem.

Ex eodem.

Prohibemus etiam, ne quis Sacerdos ab uno sibi confitente de aliorum peccatis nominibus expressis inquirat. Et ne Missas, quas penitentibus procurandas injunxerit, ipsemet celebrare presumat. Et ne pro vivis fiat aliquod tricenarium, vel annale.

Ex eodem.

Sunt autem tria peccata, que in satisfactionibus injungendis sunt Domino Apostolico reservanda, scilicet in Clericos, vel quoscunque Religiosos injectio manuum violenta, Ecclesiarum, vel religiosorum locorum incendia, & symonia in ordine perpetrata.

Ex eodem.

Quia in penitentiis injungendis quidam casus frequenter emergunt, qui propter Sacerdotum ignorantiam expediri non possunt. Et quia etiam dispensationem Episcopalem requirunt, in illis casibus ad Episcopum, vel suos penitentiarios habeatur recursus, sive occulti fuerint, sive etiam manifesti. Statuitur etiam quod Sacerdotes in satisfactionibus injungendis in religione sedeant, majora Penitentionariis Episcopi reservent: utpote homicidia, sacrilegia, incendia, peccata contra naturam, concubitum personarum conventualium, presertim in sacris ordinibus constitutarum, incestus videlicet cum consanguinea, vel affine, compatre vel conmatre, vel cum ea, que votum castitatis emisit, injectionem manuum in parentes, oppressiones parvulorum per negligentias parentum in igne, vel in aqua natos amittentium, Beneficia (a) perjuria solemnia fidei fractiones votorum transgressores, Symoniam, adulteria, hereses, apostasias, maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ne possint coire, vel qui procurant sterilitatem mulierum, vel aborsum, falsarios, qui sigilla literas, vel monetam falsificant, falsa instrumenta conficientes, falsum testimonium reddentes, blasphematores Dei & Sanctorum, sortilegos, ac majori excommunicatione excommunicatos. In hujusmodi peccatis, vel similibus detentos mittant Sacerdotes ad Episcopos, vel eorum Penitentiarios absolvendos, nec absolvant, preterquam in mortis articulo absque loci Episcopi licentia speciali. Declarantes, quod illi quibus hoc committitur, potestatem illud aliis personis non habeant committendi.

Ex Synodo WOLFRAMI Episcopi Herbipolensis.

Sunt nonnulli Sacerdotes tanta simplicitate seducti, quod in casibus Episcopalibus penitentes ad introducendum dumtaxat in Cena Domini, ad Nos transmittunt credentes, quod ad absolutionem illorum casuum sola introductio sine confessione Nobis, seu Penitentiariis nostris facienda sufficiat tunc eisdem, quorumquidem talium Sacerdotum simplicitatem quoad

a) *Sensus obscurus in Originali.*

quoad hoc valde reprehensibilem judicamus. Statuentes, & mandantes vobis universis,& singulis,ut taliter penitentibus in confessionibus vobis fiendis, specialiter injungatis, ut tales casus antequam introducantur, Nobis seu penitentiariis nostris detegant confitendo, & absolutionis Beneficium consequantur.

Ex eadem.

Quia nonnulli Sacerdotes Curati Diocesis nostre in mittendo Parochianos suos in Cena Domini Herbipolim ad nostram presentiam sunt per omnia desides, & remissi: statuimus, & precipimus eis in virtutute sancte obedientie, ut in omnem eventum ipsos Parochianos ad diem, & locum pretactos transmittere non obmittant.

Ex eadem.

Preterea vobis Sacerdotibus injungimus in virtute sancte obedientie per presentes, ut in principio quadragesime saltem Dominica *Invocavit:* plebes vestras in ambonibus Ecclesiarum moneatis, & omni qua poteritis diligentia inducatis, quod tempestive confessiones suas faciant Sacerdotibus competentibus, ne in conscientia cruentata in Festo Pasche ad Corpus Christi inprovide accedere videantur.

GOTFRIDUS *Episcopus Herbipolensis.*

Elemosinarum questores terminum sue avaritie ponere nescientes, sed ut facultates uno die exhaurire valeant plurimorum, de, & super literis nostris literas quorundam Prelatorum recipiunt,& extorquent *visionis.* Nos sub excommunicationis pena late sententie presenti edicto irrefragabiliter inhibemus, ne deinceps questores quicunque ad petendum elemosinas in Ecclesiis,& locis quibusvis admittantur, neque promoveantur, nisi veras & originales literas nostri, aut Vicarii nostri in Spiritualibus pro tempore existentis sigillorum appensione communitas vobis duxerint ostendendas. Non obstantibus literis visionis, *vidimus*, communiter nuncupatis Prelatorum, & personarum quorumcunque.

Idem.

Item Penitentiarios quoscunque in casibus Episcopalibus in genere, aut in specie per Nos antea deputatos extra civitatem nostram Herbipolensem, sive in scriptis, aut verbo sit factum, prorsus presentibus revocamus. Volentes, quod nostri subditi utriusque sexus in hujusmodi casibus de cetero ad civitatem nostram Herbipolensem veniant ad Nostram, vel Penitentiariorum nostrorum presentiam, quos ibidem deputavimus, vel in posterum duximus deputandos. Nisi literis nostris extra dictam civitatem certis, & ydoneis personis ex causis legitimis aliter duxerimus committendum.

De Sententia excommunicationis. Ex Concilio Viennensi.

Item, quod quicunque laici, vel alie persone Judices Ecclesiasticos pro eo, quod sententias excommunicationis, suspensionis, vel interdicti protulerant, occiderint, ceperint, seu alias in personis, aut bonis suis, vel suorum gravaverint, seu hoc fieri mandaverint, sive eos, quorum sunt occasione prolate, vel easdem sententias observantes sententialiter excommunicatis communicare nolentes ad communicandum compulerint, nisi hujusmodi mandatum ante hoc male factum revocaverint, & satisfaciant de commissis, incurrant excommunicationis sententiam eo facto. Illi etiam excommunicati sunt, qui mandato utuntur, vel alias deliquerint in premissis. Qui si in eadem sententia per duos menses permanserint, extunc non possunt absolvi, nisi per Papam.

Ex eodem.

Statuitur in Concilio *Viennensi*, quod Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare Divina, vel qui per precones faciunt tunc ad illa audienda populum evocari, vel prohibent, ne publice excommunicati, vel interdicti super hoc per illos, qui Missas celebrant, moniti Ecclesias exeant, & ipsi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati sunt, & per Sedem Apostolicam absolvendi.

Ex eodem.

Item Libro VI. statutum est in constitutione BONIFACII VIII. incipiente: *Quum ut intelleximus*, sub tit. *De Immunitate*

tate Ecclesiarum. Quum excommunicati sunt omnes a jure, qui impediunt super causis, que ad forum Ecclesiasticum de jure, vel consuetudine pertinent, a Sede Apostolica literas impetrari, vel super hujusmodi causis coram ordinariis, vel delegatis Judicibus Ecclesiasticis litigari, a quo non possunt absolvi, nisi satisfaciant tam judici, quam parti in his lesis de injuriis, damnis, expensis, & etiam interesse. Item in Concilio Viennensi cavetur, quod religiosi quicunque non debent extra suum ordinem aliquibus personis Clericis, vel laicis Sacramentum Unctionis extreme, vel Eucharistie ministrare, vel matrimonia solemnisare, non habita super his licentia Plebani loci, nec excommunicatos ab homine, vel a jure, nec a pena, nec a culpa quempiam debent absolvere, nisi ostendant se de novo privilegiatos super eo. Quia super his privilegia, si qua habuerint, sunt cassata in Concilio Viennensi, & si secus fecerint, sunt excommunicati in eodem Concilio, & non possunt absolvi, nisi per Papam.

Ex eodem.

Item in eodem Concilio Viennensi statutum est sub pena excommunicationis late sententie, ne fratres Minores in Ecclesiis suis fratres & sorores tertie Regule Sancti Francisci recipiant tempore interdicti, ad Divina, nisi ostendant se de novo esse privilegiatos super eo, quia privilegia, que de hoc habuerint, ante Concilium Viennense sunt ibidem penitus revocata. Premissa omnia & singula notent Plebani diligenter, & in ambonibus Ecclesiarum suarum publicent coram plebe.

BONIFACIUS octavus.

Alma Mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, que suadente subjectorum utilitate postmodum consultius, & rationabilius revocat in meliusve commutat. Sane a nostris fuit dudum Predecessoribus institutum, ut in terris, seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto, nulla, certis casibus & Sacramentis exceptis, Divina Officia celebrentur, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta. Quia vero ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hereses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac aliis sine earum culpa debita servicia subtrahuntur, cum Fratribus nostris super his deliberatione habita diligenti concedimus, quod tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati non tantummodo morientes, sed & viventes tam sani, quam etiam infirmi ad penitentiam, que propter pronitatem, & velocitatem hominum ad peccandum summe necessaria est, licite admittant, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti preterquam in mortis articulo, nolumus ad eandem.

Illis vero, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, prebuerunt consilium, auxilium, vel favorem, nisi de ipso delicto, si sint tales, quod id facere valeant, prius satisfecerint, vel de satisfaciendo ydoneam cautionem dederint, aut si satisfacere nequeunt, vel hujusmodi cautionem prestare juraverint, quod cum poterunt satisfaciant, ad satisfactionem hujusmodi per eum, vel eos, qui ipsam facere debent, & possunt, prestandam dabunt consilium, vel auxilium, & juxta posse suum laborabunt fideliter, non est penitentie officium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quo ad istos, vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt, ubi civitas, vel locus alius, seu universitas interdicti existunt, fienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo injungenda penitentia salutaris. Addicimus preterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Misse celebrentur, & alia dicantur Divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis, & tam Canonici, quam Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones cottidiane illis, qui horis intersint, Canonicis tribuuntur, si ad officia non venerint supradicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto non extante perderent, si Divinis Officiis non adessent. In Festivitatibus vero: Nativitatis Domini, Pasche, & Pentecostes, ac Assumptionis Virginis Gloriose campane pulsentur, & januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur excommunicatis prorsus exclusis. Sed interdictis, qui voluerint interesse admis-

admiſſis, quibus ob reverentiam dictarum ſolennitatum, & ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur prefatis diebus participationem permittimus Divinorum, ſic tamen, quod illi propter quorum acceſſum interdictum hujusmodi eſt prolatum ad altare nullatenus appropinquent. Ceteris que circa obſervationem interdictorum a noſtris ſunt Predeceſſoribus inſtituta in ſuo robore duraturis. Non obſtantibus quibusvis privilegiis quibuscunque Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, Religionibus, ſeu perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus vel regularibus, exemptis & non exemptis, ſub quavis forma & expreſſione verborum ab Apoſtolica Sede conceſſis, que contra tenorem preſentis conſtitutionis nulli volumus ſuffragari: cum quibuslibet tam ſecularibus, quam regularibus ſufficere debeat, ut tempore interdicti modo premiſſo diebus celebrent ſupradictis.

JOHANNES Papa vigeſimus ſecundus.

Provide attendentes, quod ut frequentius, quamvis non ſine cauſa ſine culpa tamen multorum interdicti ſententie proferuntur, quodque ſunt nonnulli Judices nimis prompti ad proferendas easdem etiam in negotiis ſive cauſis, que plus interdum ex cupiditate, quam caritatis radice perſpicuis indiciis procedere arguuntur. Quodque tempore interdicti Divina organa ſuſpenduntur, & laudes & Eccleſiaſtica Sacramenta non miniſtrantur, ut ſolent, tolluntur mortuis, ſeu minuuntur ſuffragia, preſertim per oblationem frequentem hoſtie ſalutaris. Adoleſcentes & parvuli percipientes rarius Sacramenta minus inflammantur & ſolidantur in fide, fidelium devotio tepeſcit, hereſes pullulant, & multiplicantur pericula animarum: preſentis conſtitutionis providemus edicto, ut nulla Provincia, civitas, caſtrum, villa, locus, territorium, vel diſtrictus auctoritate ordinaria vel delegata ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cujusvis monete, vel pecunie quantitate, ſub quacunque occaſione, vel cauſa, ſeu quovis queſito colore pro eo maxime, quod ipſorum Domini Rectores, ſeu Officiales quocunque nomine cenſeantur, aut incole, ſeu habitatores, aut ſingulares perſone ipſorum ſtatutis, vel ſtatuendis, ordinatis, vel ordinandis terminis hujusmodi debitum, ſeu quantitatem non ſolverint hactenus, vel in antea non perſolvant. Nos quoque etiam decernimus irritum & inane, ſi ſecus hactenus extitit attemptatum, vel contigerit attemptari. Illud quoque revocamus omnino non obſtantibus quibuscunque contractibus, obligationibus, pactis, conventionibus, compoſitionibus, ſubmiſſionibus, fidejuſſionibus, conſenſibus, proceſſibus, & ſententiis ſuper hoc habitis, vel habendis, juramentorum, penarum temporalium, vel ſpiritualium, ſeu mulctarum, vel quacunque alia firmitate vallatis. Niſi talis ſuppoſitio interdicti hactenus foret facta, vel in antea fieret de Apoſtolice Sedis licentia ſpeciali, & expreſſa per ipſius Sedis patentes literas apparente.

Ex Concilio Conſtantienſi.

Ad evitandum ſcandala & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis ſtatuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque Divinis, vel extra pretextu cujuscunque ſententie, aut cenſure Eccleſiaſtice, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, aut a jure generaliter promulgate teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare: niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura fuerint in vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum vel certam a Judice publicata, vel denunciata ſpecialiter & expreſſe, aut ſi aliquem ita notorie excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione, aut aliquo juris ſuffragio excuſari. Nam a communione illius abſtineri vult juxta Canonicam Sanctionem. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

Ex Synodo Epiſcopi Herbipolenſis, ex conſtitutis CLEMENTIS, ex frequentibus.

Item monemus & hortamur in Domino ſimili modo Religioſos exemptos, &

& non exemptos civitatis & Diocesis nostre, ut in observantia cessationis a Divinis, seu interdicti Ecclesiastici, quas quandoque de jure communi, vel Provinciali, aut Synodali, seu privilegio, consuetudine, vel statuto, aut alias de mandato Judicum competentium Ecclesie, vel singulares persone consueverunt hactenus observare in civitate nostra Ecclesie nostre Cathedrali, in aliis vero locis matricibus Diocesis nostre, hoc est, Parochialibus Ecclesiis cessantibus a Divinis & interdictis, intra quarum Ecclesiarum limites ipsa Monasteria doctorum Religiosorum sita existunt, non obstantibus suis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, consuetudinibus, & constitutionibus quibuscunque. Que omnia cassata sunt in Concilio Viennensi quoad hoc negotium, si excommunicationis in eodem Concilio latas sententias in facientes contrarium, & irregularitatis maculam deinde sequentis evitare voluerint, se conforment.

De eadem.

Nulli possunt se privilegio Apostolice Sedis tueri, quominus excommunicatos ab homine vel a jure presertim pro violenta manuum injectione in Clericos debeant evitare. Cum hujusmodi injectores violenti pro hujusmodi facto sint a Canone excommunicationis sententia innodati.

De eadem.

Si concubine publice Clericorum Ecclesiastica censura districte notentur, eosdem concubinarios non est dubium sententia excommunicationis majoris involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminosis.

JOHANNES Episcopus.

Ut circa Sacrosanctum Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum per amplius Christiana augeretur devotio, & suorum excresceret retributio meritorum, quo devotius atque frequentius ad ea contingeret Sacramenti hujusmodi insignia venerari, Sanctissime recordationis olim Dominus URBANUS Papa Sextus laudes provide festive venerationis, & gratias summe referens Deitati ad robur & exaltationem Catholice Fidei, constitutionibus felicis recordationis quondam Domini BONIFACII Pape octavi, que incipit: *Alma mater*, in ea parte, qua idem Dominus BONIFACIUS statuerat, quod in Natalis Domini, Pasche, Penthecostes & Assumptionis Beate Marie Festivitatibus in terris ac locis Ecclesiastico suppositis interdicto, campane pulsarentur, & januis apertis alta voce Divina Officia solenniter celebrarentur, ad hujusmodi venerandi Sacramenti festum extendit. Statuens, ut per universum orbem in terris & locis Christi fidelium suppositis ejusmodi interdicti pro tempore in hac celebritate Sacramenti predicti, sicut in prefatis quatuor festis contentis in Bonifaciana constitutione supradicta campane similiter pulsentur, & apertis januis alta voce Divina Officia solenniter celebrentur, excommunicatis tamen prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus nihilominus ob reverentiam tante celebritatis, & ut ex hoc ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum inclinarentur facilius eo die participationem Divinorum indulsit. Sic tamen, quod illi, propter quorum excessum prolatum fuisset interdictum hujusmodi, altari nullatenus appropinquarent.

Idem.

Felicis recordationis olim Dominus BONIFACIUS Papa octavus salubriter duxerat ordinandum, quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis in terris, seu locis Ecclesiastico suppositis interdictio constitutis Misse celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, sicut prius, voce tamen submissa & januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, campanis etiam non pulsatis. Quodque tam Canonici, quam Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones cottidiane illis, qui horis intersint Canonicis tribuuntur, si ad officia non veniunt supradicta, distributiones easdem amittant, sicut interdicto perderent non extante, si Divinis Officiis non adessent: verum quia ex levitate pene supradicte constitutio salubris antedicta in plerisque Ecclesiis & Monasteriis nostre civitatis & Diocesis minime observatur, universis & singulis Ecclesiarum & Monasteriorum Abbatibus, Prioribus & Decanis, eorumque vices obtinentibus in virtute sancte obedientie, & sub excommunicationis pena, quam in ipsos & eorum quemlibet, si non fecerint, pre-

presentibus, quod mandamus Dei nomine ferimus in his scriptis districtissime statuendo precipimus & mandamus. Quatenus universas & singulas suarum Ecclesiarum & Monasteriorum personas per subtractionem fructuum suarum Prebendarum, & alias prout competentius poterunt, dictis officiis tempore interdicti compellant devotius interesse, dictam, & aliam constitutionem ipsius BONIFACII faciant inviolabiliter & plenarie observari.

GOTFRIDUS Episc. Herbipol.

Dudum bone memorie JOHANNES Predecessor noster immediatus ad obviandum gravibus animarum periculis, ac diversis scandalis pro rnformatione Judiciorum Ecclesiasticorum inter cetera provide statuit, ut in judiciis suis, ac aliis Ecclesiasticis judiciis sibi subjectis post processum inhibitionis, communionis, seu litere participantie communiter nominate non immediate ad interdicti Ecclesiastici, vel inhibitionis Ecclesiastice sepulture promulgationem procedatur, sed primo tunc post intervallum quindecim dierum cessatio Divinorum in locis, in quibus excommunicatus ipse aggravatus, & reaggravatus visus fuerit, vel moram traxerit, in forma debita fulminetur, & quindecim diebus ex post, si ipsius excommunicati continuatio exegerit, poterit poni cessatio Divinorum post ipsius recessum ad tres dies, & in tercia quindena ad sex dies, & deinde post quindecim dies ad novem dies. Istisque processibus, & aggravationibus successive fulminatis poterit tunc, demum in casibus a jure permissis procedi cum maturitate ad interdicti Ecclesiastici observantiam, aut Ecclesiastice sepulture inhibitionem, juxta contumacie, & protervitatis exigentiam, processusque aliter emanatos irritavit ipso facto. Volens per premissa adinstar providi medici vulneta languentium primo lenioribus, & his non proficientibus, demum fortioribus medicamentis curare. Verum quidam Parochialium Ecclesiarum Rectores simplices, ac juris ignari, dum cessatio Divinorum in Ecclesiis indicitur, non solum organa suspendunt, sed etiam Sacramenta & Sacramentalia, que a Christifidelibus interdicti tempore subtrahuntur, sibi subditis ministrare recusant, nullam inter Divinorum cessationem, & Ecclesiasticum interdictum differentiam ponentes. Quidam vero interdicti tempore prohibita faciunt, & concessis nesciunt gaudere. Ex quibus pericula causantur animabus, ac talis modi Rectores in irregularitatis aliquando prolabuntur maculam. Nos ex Pastoralis nostri officii debito, quantum possibile est premissa remediare cupientes, volumus & ordinamus, ut propter cessationem Divinorum, quotcunque etiam dierum per Nos, aut Judices Nobis subjectos indictam nulli Sacramenta, ac Sacramentalia, sive sepultura Ecclesiastica absque tamen solemnitate aliquatenus denegentur, sed dumtaxat organa suspendantur, officia tamen Divina januis clausis submissa voce, & absque campanarum pulsu celebrentur. Sed propter interdictum Ecclesiasticum in civitatem, oppidum, Parochiam, castrum, aut villam ab homine jure, aut statuto, prolatum non solum organa suspendantur, sed etiam Sacramenta, & Sacramentalia, ac sepultura Ecclesiastica denegantur infrascriptis salvis. Permittitur etiam eodem interdicto durante propter more periculum exhiberi baptismus, & confirmatio tam pueris, quam adultis. Crisma die Cene conficitur. Matrimonium contrahitur, sed in facie Ecclesie non solemnizatur.

Tam sani, quam infirmi ad penitentiam, & confessionem admittuntur, excommunicatis, & causam interdicti prestantibus exceptis, qui tamen cum certis modificationibus juxta Capitulum: *Alma*, aliquando ad confessionem admittuntur.

Viaticum infirmis, & sanis ad mortem damnatis non denegatur, sed etiam eisdem patenter aliis etiam Christi Fidelibus presentibus porrigitur. Clerici decedentes, qui interdictum observaverunt in cimiterio absque campanarum pulsu, ac omnibus cessantibus solemnitatibus tumulentur. Singulisque diebus in Ecclesiis Misse celebrentur, & alia dicantur Divina sicut prius januis clausis, & campanis non pulsatis. In Festivitatibus Natalis Domini, Pentecostes, Corporis Christi, & Assumptionis Virginis Gloriose Divina Officia alta voce januis apertis, campanisque pulsatis, excommunicatis tamen exclusis a primis Vesperis usque ad secun-

das Vefperas inclufive celebrentur: non in eisdem quinque diebus interdicto durante corpora mortuorum Ecclefiaftice tradantur fepulture, aut Sacramenta alias tempore interdicti miniftrari prohibita aliquatenus miniftrentur. Verbum Dei ut prius, pulfu etiam precedente feminatur interdicto Ecclefiaftico non obftante.

Idem.

Cum in multis, variisque cafibus a jure communi cujus ignorantia non excufat, majoris excommunicationis fententia in excedentes proferatur, ideo fuccincte enumerare curavimus, ut agniti magis evitentur, & de jure veteri funt viginti octo:

Primus. Cum quis injecit manus violentas in Clericum, etiam in minori ordine conftitutum, aut in Monachum, etiam non Clericum, ut puta converfum, aut monialem.

Secundus. Cum quis incidit in herefim jam damnatam.

Tercius. Cum quis defendit hereticum.

Quartus. Cum quis dicit Romanum Ecclefiam non effe caput aliarum Ecclefiarum.

Quintus. Cum quis poteft defendere Clericum a violenta manuum injectione, & non defendit.

Sextus. Cum quis incarcerat Clericum, & ifte cafus implicatur quafi in primo.

Septimus. Eft contra Confules, Officiales, & ceteros angarios, & fimilia onera Clericis imponentes.

Octavus. Eft contra fuccedentes proximum dictis, nifi infra menfem errorem Predeceflorum fuorum purgaverint.

Nonus. Contra illos, qui ftatuerunt, aut introduxerunt ftatuta, & confuetudines contra libertatem Ecclefiafticam.

Decimus. Contra illos, qui talia Statuta de cetero fecerint.

Undecimus. Contra illos, quia talia ftatuta fcripferint.

Duodecimus. Contra illos, qui talia ftatuta fervare fecerint, licet ea non ftatuerint.

Tredecimus. Contra illos, qui fecundum illa judicaverint.

Quardus decimus. Contra illos, qui judicata confcripferint.

Quintus decimus. Contra incendiarios, & fractores Ecclefiarum, vel locum contiguum Ecclefie infra limites cimiterii. Alii autem aliter violantes bona Ecclefiarum funt excommunicandi per fententiam.

Sedecimus. In eo, qui electus eft in Papam a minori parte quam a duabus partibus Cardinalium fe pro Papa ingerente, & non refipifcit.

Decimus feptimus. Contra illos, qui talem pro Papa tenuerint.

Decimus octavus. Contra falfitantes per fe, vel per alium literas Papales.

Decimus nonus. Contra eum, qui fcienter utitur literis fic falfatis.

Vicefimus. Contra illos, qui arma bellica faciunt infidelibus in prejudicium Ecclefie.

Vicefimus primus. Contra illos, qui in ftudiis generalibus tractant de locando hofpicia Scolarium ante tempus prefinitum.

Vicefimus fecundus. Contra religiofos leges, & medicinam in fcolis audientes.

Vicefimus tercius. Contra Plebanos, Archidiaconos, Presbyteros leges, aut medicinam audientes, nifi infra fpacium duorum menfium deftiterint.

Vicefimus quartus. Contra Sigillarios, & balliftarios, qui his utuntur in libello injufto.

Vicefimus quintus. Cum quis participat in crimine excommunicato.

Vicefimus fextus. Cum quis patticipat fcienter in Divinis cum excommunicato a Romano Pontifice.

Vicefimus feptimus. Contra illos, qui Romanos, aut alios Chriftianos in mare navigantes capiunt, aut fpoliant.

Vicefimus octavus. Contra illos, qui innituntur ordinibus factis a fchismaticis, ac recipientes alienata a fchifmaticis ab Eccleſiis.

De Jure vero fexti libri Decretalium funt triginta duo.

Primus. Contra eos, qui tempore electionis Pape ad conclave eligentium alicui fecrete fcripturam, aut nuncium tranfmit-

mittunt, aut cum aliquo eorum secrete loquuntur.

Secundus. Contra Rectorem, & Officiales civitatis, in qua Summus Pontifex eligi debet, si fraudes committunt, aut diligentiam eis commissam fideliter non faciunt.

Tercius. Contra eos, qui gravaverint aliquam personam Ecclesiasticam, vel ejus consanguineos, vel Ecclesias, seu bona pro eo, quod eum pro quo rogabatur, eligere noluit.

Quartus. Contra usurpantes bona Ecclesiarum vagantium.

Quintus. Contra seminantes discordiam in electionibus Abbatissarum.

Sextus. Contra eos, qui de regimine Urbis Rome se intromittunt, nisi specialis intervenerit Apostolice Sedis licentia, per ipsius sedis literas exprimenda.

Septimus. Contra partem procurantem conservatorem procedere contra formam juris.

Octavus. Contra extorquentem per metum absolutionem.

Nonus. Contra Judicem simulantem se mulierem in testem productam personaliter audire.

Decimus. Contra obedientem Imperatori per Sedem Apostolicam deposito.

Undecimus. Contra compellentes personas Ecclesiasticas ad submissionem bonorum,& jurium ipsarum Ecclesiarum.

Duodecimus. Contra laicos, qui ex contractibus initis super rebus Ecclesiasticis plus sibi usurpant, quam ex natura contractus eis licet.

Tredecimus. Contra Religiosos mendicantes, ementes eis domos ad habitandum de novo.

Quartus decimus. Contra imponentes theolonia, pedagia & guidagia Clericis.

Quintus decimus. Contra eos, qui impediunt super causis, que ad forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine pertinent literas a Sede Apostolica impetrari, vel super ipsis coram Ordinariis vel Delegatis Ecclesiasticis litigari.

Sedecimus. Contra violantes libertatem Clericorum per indirectum.

Decimus septimus. Contra Religiosos temere habitum dimittentes, aut studia litterarum visitantes absque Abbatis licentia.

Decimus octavus. Contra Doctores & Magistros, qui Religiosos habitu suo dimisso Leges vel Physicam audientes scienter docere, aut in Scholis suis presumpserint retinere.

Decimus nonus. Contra tradentes scienter Ecclesiastice sepulture hereticos, aut eorum fautores.

Vicesimus. Contra laicos publice vel privatim disputantes de Fide Catholica, sed iste casus potius est ferende sententie, quam late.

Vicesimus primus. Contra Judices laicos super crimine heresis judicantes, aut captos super eodem crimine liberantes, sive executionem eis adjunctam non exequentes, aut Judicem Ecclesiasticum super eodem crimine procedentem impedientes.

Vicesimus secundus. Contra illos, qui Jacobum & Petrum de Columna pro Cardinalibus tenent.

Vicesimus tertius. Contra eos, qui dictis Jacobo & Petro favorem prebuerunt vel auxilium.

Vicesimus quartus. Contra eos, qui per assassinos aliquem Christianum interfecerint vel mandaverint, quamquam mors non subsequatur, aut tales receptaverint vel defensaverint.

Vicesimus quintus. Contra personas Ecclesiasticas minores Episcopis, qui alienigenas, sive non oriundos de terris suis in eorum terris conducere, domus ad exercendum fenus, vel conductas habere aut alias habitare permittunt, Episcopi vero suspensionis sententiam incurrunt.

Vicesimus sextus. Contra concedentes, aut extendentes repressalias adversus personas Ecclesiasticas.

Vicesimus septimus. Contra insequentes hostiliter aliquem ex Cardinalibus, etiamsi non injecerint manum.

Vicesimus octavus. Contra Rectores & Dominos, qui interfectores Cardinalium animadversione digna non puniunt.

Vicesimus nonus. Contra ledentes directe vel indirecte Ecclesiasticos Judices propter sui jurisdictionis exercitium.

Tricesimus. Contra eum, qui propter mortis periculum fuit absolutus ab excommunicationis sententia ab aliquo, a quo alias absolvi non poterat, si cessante impedimento se non presentat, cum commode potest, ei a quo alias absolvi debebat.

Tricesimus primus. Contra absolutos a Sede Apostolica, vel delegatis ipsius, qui se debent alicujus conspectui pro suscipienda penitentia, aut pro satisfaciendo leso presentare & non faciunt.

Tricesimus secundus. Si quis injicit manus violentas in Novicium, etiam non Clericum, neque Professum.

Ex Clementinis eliciuntur quinquaginta & unus casus, quare a jure excommunicationis sententia promulgatur in excedentes.

Primus contra Possessorem Beneficii, qui in una sententia diffinitiva succubuit, quod per triennium non possedit, si sequestrum per loci Ordinarium fiendum impedit, aut fructus sequestratos occupat.

Secundus contra eos, qui defunctorum corpora in loco interdicto Ecclesiastice tradant sepulture.

Tercius, qui publice excommunicatos,

Quartus, qui nominatim interdictos,

Quintus, qui manifestos usurarios scienter tradunt Ecclesiastice sepulture in loco etiam non interdicto.

Sextus, *Septimus*, *Octavus*, & *Nonus*, contra Religiosos gravantes, vel defraudentes Ecclesias in decimis. *Primo.* Ex eo, cum decimas Ecclesiis debitas sibi absque causa legitima appropriare, seu usurpare presumunt *Secundo*, quando aliorum animalia suis gregibus inmiscent, ut exinde decima non solvatur. *Tercio*, quando animalia emunt,& venditoribus,aut aliis locant, ut decima ex eis non solvatur. *Quarto*, quando de terris quas tradunt aliis excolendas decimas solvere Ecclesiis non permiserunt, aut prohibuerunt.

Decimus. Contra religiosos administrationem non habentes, qui sine licentia speciali suorum Prelatorum ad curias Principum se conferunt, ut suis Prelatis, aut Monasteriis damna inferant.

Undecimus. Contra Monachos, qui intra septa Monasterii sine Abbatis licentia arma tenent.

Duodecimus. Contra impedientes Visitatores Monasteriorum Monialium.

Tredecimus. Contra mulieres sectantes, aut de novo assumentes statum Beginarum.

Decimus quartus. Contra religiosos pro statu Beginarum dantes auxilium, consilium vel favorem.

Quindecimus. Contrahens scienter matrimonium in gradu consanguinitatis,

Decimus sextus. vel in gradu affinitatis prohibito.

Decimus septimus. vel cum moniali.

Decimus octavus. Religiosus contrahens matrimonium,

Decimus nonus. vel monialis,

Vicesimus. aut Clericus in sacris Ordinibus constitutus, excommunicatus est ipso jure.

Vicesimus primus. Inquisitores heretice pravitatis, & substituti a talibus Inquisitoribus, aut ab Episcopo, vel sede vacante a Capitulo ad exercendum officium inquisitionis heretice pravitatis, si ex odio, gratia, vel amore, aut propter lucrum, vel commodum temporale omittunt procedere contra quenquam ubi fuerit procedendum super hujusmodi pravitate.

Vicesimus secundus. Aut hujusmodi pravitatem insonti imponunt.

Vicesimus tercius, aut insontem alio modo vexant super tali crimine, excommunicati sunt, & per solum Papam preterquam in mortis articulo veniunt absolvendi.

Vicesimus quartus. Inquisitores heretice pravitatis,aut Commissarii ab eis, aut Episcopo, vel sede vacante a Capitulo deputati, si pretextu officii inquisitionis illicite pecuniam,aut aliquid aliud extorquent, excommunicati sunt.

Vicesimus quintus. Si prefati Ecclesiarum bona ob delictum Clericorum Fisco etiam Ecclesie scienter applicant, similiter excommunicati sunt.

Vicesimus sextus. Officiales communita-

nitatum facientes ſtatuta ſuper uſuris ſolvendis non repetendis, aut non reſtituendis.

Viceſimus ſeptimus. Aut talia ſcribentes.

Viceſimus octavus. Aut dictantes.

Viceſimus nonus. Vel ſecundum illa judicantes.

Triceſimus. Vel non delentes illa de libris communitatum ſi poſſunt.

Triceſimus primus. Vel illa ſervantes excommunicati ſunt ipſo jure.

Triceſimus Secundus. Religioſi, qui Clericis,aut laicis Sacramentum Unctionis extreme,

Triceſimus tercius. Vel Euchariſtie miniſtrare,

Triceſimus quartus. Aut matrimonia ſolemnizare, non habita ſuper his Presbyteri Parochialis licentia ſpeciali.

Triceſimus quintus, aut qui excommunicatos a Canone preterquam a caſibus a jure expreſſis, vel per Privilegia Sedis Apoſtolice conceſſis eiſdem.

Triceſimus ſextus, vel a ſententiis per ſtatuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis,

Triceſimus ſeptimus, ſeu a pena, & culpa abſolvere quemquam preſumpſerint, excommunicationis incurrunt ſententiam ipſo facto per Sedem duntaxat Apoſtolicam abſolvendi.

Triceſimus octavus. Banniens injurioſe Epiſcopum.

Triceſimus nonus, vel qui hujusmodi bannum fieri mandaverit, aut factum ab aliis ratum habuerit, vel ſocius fuerit in hoc delicto facientis. Aut conſilium in in hoc dederit, aut favorem, ſeu ſcienter defenſaverit eundem bannientem, ipſo jure eſt excommunicatus, a qua excommunicatione nequeat, niſi per Summum Pontificem preterquam in articulo mortis abſolvi.

Quadrageſimus. Religioſi mendicantes, qui domos ad habitandum, vel loca quecunque de novo recipiunt, aut prius recepta mutant vel alienant.

Quadrageſimus primus. Aut retrahunt aliquos a ſolutione decimarum Eccleſiis debitarum.

Quadrageſimus ſecundus. Sibi confitentibus conſcientiam faciant de ſolvendis hujusmodi decimis, alioquin ſcienter obmittentes tam diu ab officio predicationis manent ſuſpenſi, quousque fecerint, ſi commode facere poſſunt, & ſi medio tempore prædicare preſumpſerint, excommunicati ſint ipſo facto.

Quadrageſimus tercius. Religioſi, aut Clerici ſeculares, qui aliquos ad ſovendum jurandum,aut promittendum inducunt, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel electam ulterius non immutent: excommunicati ſunt, & per ſolum Romanum Pontificem preterquam in mortis articulo veniunt abſolvendi.

Quadrageſimus quartus. Religioſi etiam exempti violantes interdictum Eccleſiaſticum, aut Divinorum ceſſationem ſervatam per matricem Eccleſiam loci excommunicati ſunt.

Quadrageſimus quintus. Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare Divina.

Quadrageſimus ſextus, vel qui precones faciunt tunc ad illa audienda populum evocari.

Quadrageſimus ſeptimus. Vel qui prohibent ne publice excommunicati, vel interdicti ſuper hoc per illos, qui Miſſas celebrant,moniti Eccleſias exeant.

Quadrageſimus octavus. Et ipſi nominatim, qui non exeunt excommunicati, & per Papam abſolvendi.

Quadrageſimus nonus. Fratres minores, ſi tempore interdicti recipiunt in ſuis Eccleſiis ad Divina Fratres vel Sorores tercii Ordinis Sancti Franciſci, excomunicati ſunt.

Quinquageſimus. Aſſerens pertinaciter, quod anima rationalis ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani, tamquam hereticus excommunicatus eſt.

Quinquageſimus primus. Pertinaciter aſſerens uſuram non eſſe peccatum, tamquam hereticus excommunicatus eſt.

Hoc quoque ſciendum, quod a jure excommunicati vitandi non ſunt, niſi ſecundum formam Conſtitutionis *Generalis Concilii Conſtantienſis* ſic incipientis: *Ad evitandum ſcandala.*

De verborum ſignificatione. Ex Concilio Maguntino.

In omni ſermone ad communem verbi intelligentiam recurrendum eſt.

De

De Regulis Juris. GOTFRIDUS *Episcopus.*

Sanctorum Patrum Regulis, & presentibus Statutis quivis noster subditus regatur in vita, verbis, & factis, ut sciat & faciat, quod acceptum est Omnipotenti Deo. De cujus misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & preciosorum Martyrum Kyliani, Colonati, atque Tornani, Ecclesie nostre Herbipolensis Patronorum auctoritate & meritis confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui prefatas Constitutiones & Statuta sibi comparaverint, legerint, aut legi audierint, quotiescunque hec fecerint, quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus.

Datum in civitate nostra *Herbipolensi* decima octava Kalendas Octobris, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, quadragesimo sexto.

Ex Libro impresso in Folio Litera Petri sine consule & die, quo continentur Synodi Herbipolenses variæ.

Synodus Basileensis JACOBO *Archi-Episc. Treverico adversus* EUGENIUM *scribit, ut suos Consiliarios ad continuandam Synodum mittat. Anno MCCCCXLVI. V. Decembris.*

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS (a) IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS. VENERABILI JACOBO ARCHI-EPISCOPO TREVIR. ROMANI IMPERII ELECTORI, SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM.

Meminisse te arbitramur, *in Conventione Francoford.* (b) pro pace Ecclesie in Dominica *Invocavit* celebrata omnium Venerabilium Archi-Episcoporum, & Nobilium Ducum, Marchionumque Principum Electorum Imperii communem fuisse sententiam, alteram conventionem pro ipsa Ecclesie pace in eodem loco ad sequentes immediate *Kalend. Septemb.* celebrandam fore, in qua sperabant, omni impedimento cessante negotium ipsius Ecclesie concludere & consummare, obnixius orantes, quatenus labores nostros diutius continuatos adhoc in tam angusto temporis intervallo non pigeret sustinere, mitteremusque nostros Oratores ad ipsam conventionem solemnes, quos, ut instanter petebant, *ad Kalend. Septemb. Francofordiam* destinavimus, redeuntes vero ad Nos ipsi nostri Oratores Dilectissimus Ecclesie Filius Ludovicus tit. S. Cecilie Cardinalis Arelatens. vulgariter nuncupatus Legatus Noster a latere, suique College, Prelati, & Doctores in Divino jure, & humano percelebres, retulerunt, (c) nihil actum esse

(a) Jam ab anno 1435. erat certo Schismaticum Conciliabulum, quotidie numero imminutum, ut nequidem historice Physice repræsentaret Occidentis Universalem Ecclesiam, nedum Orientis.

(b) Francofordiæ & Moguntiæ ita reverebantur Conventum Basileensem, ut in ea acta contra Eugenium Papam improbarent, & Neutralitatem exactam inter Concilium & Papam, quem unicum Eugenium credebant, revererentur, & præ Florentia & Basilea locum tertium eligerent.

(c) *Nil actum esse de conclusione & consummatione negotiorum Ecclesiæ in ipsa Conventione)* Multum econtra actum est in Conventione Francofortana ad Kal. Septemb. hujus anni indicta: scilicet in eadem, ope potissimum atque artibus Æneæ Sylvii, Eugenius pro legitimo Papa fuit agnitus, si generale Concilium convocaret; Decreta priorum Conciliorum confirmaret, gravaminibus Nationis Germanicæ medelam adferret, & Archi-Episcopos Trevirensem ac Coloniensem restitueret. Gobelinus *in Comment. Pii II. L. I. pag.* 12. Nauclerus *Vol. II. Gen. XLIX. pag.* 1073. Müller

esse de conclusione, & consummatione negotiorum Ecclesie in ipsa conventione, sed omnia ad aliam (*d*) conventionem in Dominica *Lætare* Nuremberge celebrandam fuisse delata; quod equo animo audissemus, si eversio fidei, violatio veritatis, justicie contemptus, desertio authoritatis universalis Ecclesie, Generalium Conciliorum ruina, persecutio fidei, simul ipsam dilationem non comitarentur, miserabilisque exitus hujus Sacri Concilii, in quo omnium preteritorum, & futurorum Conciliorum robur & firmamentum est collocatum. Quenam deinceps spes Conciliorum, hoc pereunte, relinquetur in futurum, que preteritorum authoritas, que firmitas fidei, queve securitas cultorum veritatis? sed invasoribus fidei paratur authoritas, impunitas hereticis, oppressionibus occasio, erroribus locus, Religionis Christiane instabilitas, omnibus humanis rebus incertitudo, que nisi confestim Christianitati superventura videremus, hoc a Nobis deserto Concilio, nec ad horam amplius in eo permaneremus, cederemusque innumeris calamitatibus, que Nos incessanter opprimunt supra modum: sed speramus in Deo, cujus causam agimus, quod faciet Nobiscum cum temptatione proventum, nec Generalium Conciliorum authoritatem inter fluctus temptationum perire permittet, que veritatis Fidei Catholice indissolubile est vinculum, totiusque reformationis, & decoris Ecclesie stabilimentum & robur. Quapropter Sancta hec Synodus, que potestatem a Christo immediate accepit, ancoram spei sue firmans in Domino, nil pretermittet possibile per eam fieri ad superventuris malis occurrendum; videt namque hostem fidei, & Christianitatis inimicum olim EUGENIUM non desistere a persecutione veritatis, ac in suis heresibus induratum nil aliud moliri, nisi ruinam hujus Sancte Synodi, ut libere extollens se supra id, quod est Sanctum atque Divinum, scilicet legem Dei & Christi, impune Catholicam Fidem corrumpat, amplius, quam jam temptavit corrumpere, ut catervatim secum animas Christianorum ad infernum deducat. Videt insuper resisti ei non posse, nisi hec Sancta Synodus firmiter perseveret: perseverare non potest, nisi per Patrum continuationem, continuare vero tunc melius potest, si in copioso numero Coadjutores habuerit, haberi possunt melius a nemine, quam a te tuisque Collegis Electoribus, qui pro vestra fide devotioneque, quam ad Ecclesiam geritis, polliciti estis ex singulari Dei dono tam solemniter, quam frequenter, ad exaltationem authoritatis omnium Generalium Sacrorum Conciliorum toto posse conari, & singulariter hujus Sacri Concilii Basiliensis authoritatem seriosius suscipere commendatam. Et animadvertere debet tua devotio, quod si tu, & alii tui Coelectores Imperii, quod Deus avertat, aliquid in favorem olim EUGENII, qui hanc Sanctam Synodum hostiliter continue non desinit impugnare, attemptarent, non esset servare sidem determinatam in magna Constantiensi Synodo, & veritatem, authoritatem, & justiciam Ecclesie Catholice hujus Basiliensis, Constanfis, & aliorum Generalium, ipsam Ecclesiam representantium, nec esset animarum vestrarum salutem conservare, aut procurare, sed totaliter ab his discedere, illaque funditus submergere, & perpetuo sepelire, essetque contra tuum, & aliorum Electorum debitum, & pollicitationem, quam publice Nobis dedistis, que omnia incommoda, tua, tuorumque Coelectorum diligentia, & cura vitari poterunt, si, que tam solemniter promisistis, prosequemini adimplenda. Quare tuam devotionem hortamur, monemus, & requirimus de tuis ad Nos subditis Prelatis, Doctisque Viris Nobiscum laboraturos in vinea Domini mittas, erunt-

ler *Reichs-Tag Theat. Tom. I. cap.* 26. Misit deinde Fridericus Imperat. Æneam & Procopium Rabensteinium ad Romanam Curiam, quibus accessit Joannes de Lysura a Moguntino missus. Hi, postquam Pontifex omnia capita Decreti Francofurtensis probasset, ei obedientiam præstiterunt. Gobelinus *L. citato pag.* 13. Müllerus *L. citato Tom. I. pag.* 346. *seqq.*

(*d*) *Conventionem in Dominica LÆTARE Nurembergæ celebrandam*) Quid in hoc Nurembergensi Conventu de negotio Schismatis frustra actum sit, latius exponit Müller *citat. Tom. I. Capit.* 29.

eruntque primi noviſſimi, & noviſſimi primi in hujus ſancti operis merito & premio, desque operam, quantum ab alto conceſſum tibi erit, ut venientibus, & redeuntibus ſecuritas ſit, ne male continuetur, quod peſſime inceptum eſt pridem in prefato Dilectiſſimo Eccleſie Filio Cardinali Archi Epiſcopo Arelatenſi Legato noſtro de Latere, & Vice-Cancellario, Imperiique Principe, ad Nos cum ſuis Collegis redeunte, & ſub ſalvis conductibus Imperiali, & Venerabilis Roperti Epiſcopi Argentin. in cujus Dominio exceſſus eſt commiſſus, que res tam gravis & enormis eſt, ut ſibi par facta vix, aut nunquam legatur. Speramus tamen in tuo ferventiſſimo zelo juſticie, aliorumque tuorum Collegarum, vos ita in hoc caſu proviſuros, ut de preteritis fiat emenda, & in futuris ſimilia non formidentur: ſuper his autem Dilecto Eccleſie Filio Jacobo de Lyns decretorum Doctore & Cancellario tuo, qui diebus his commoratus Nobiſcum, que oculis vidit, & manibus contrectavit, noſtri ex parte fidem creditivam adhibere velis, tuique auxilii potentiam impartiri, ut hec Sancta Synodus plurimorum Sapientum adjuta conſiliis efficacius intendat ad pacem Eccleſie procurandam, tibique juvanti ad querenda conſilia gaudium ſequatur, donante Deo. Datum Baſilie nonis Decembris, anno Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto.

Illuſt. Hontheim Tom. II. Hiſtor. Pragmat. Trevir. N. DCCCXXII. pag. 406.

CONCILIUM EYSTATTENSE.

Anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo ſeptimo, undecima die Menſis Octobris publicata ſunt hæc STATUTA SYNODALIA, ſeptingentis fere Presbyteris & Clericis in Synodo congregatis,

SUB JOANNE MARTINO.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. AMEN.

JOHANNES, DEI GRATIA, EPISCOPUS EYSTETENSIS, UNIVERSIS SECULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM PRELATIS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CANONICIS, CAPPELLANIS, ALTARISTIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS QUIBUSCUNQUE, BENEFICIATIS, ET NON BENEFICIATIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam juxta Canonum Sanctorumque Patrum Decreta Epiſcopi per ſingulas ordinati provincias ſubjectos ſibi Sacerdotes, & Presbyteros commiſſaſque plebes in ritu Catholice fidei inſtruere. Illis Eccleſiaſticorum Sacramentorum, atque reliqui Divini cultus normam tradere, eradicare vitia, & virtutes plantare jubentur. Recte officii ſui debitum certe legis deſcriptionem, ac bene vivendi regula conſtituta exequuntur, ut exterminatis undique deviis oves Dominice pura conſcientia unanimes habitent in Domo Domini. Namque, ut ait Propheta, Lex Divina diſponens immaculata convertens animas teſtimonium Domini fidele: ſapientiam preſtat parvulis: qua videlicet, ſi quid deforme fuerit, in moribus, aut a Patrum orthodoxorum deviet inſtitutis, ordinante Canonica Lege veluti reipublice medela ab omnibus fiat alienum. Hac igitur ſalubri commonitione permoti Paſtoralis cure regimen, licet

De Falckenſtein inter Eccleſiæ Eichſtadienſis Statuta impreſſa poſt codicem Diplomaticum Nordgavicum *refert pag.* 49. hæc Statuta ad annum 1435.

licet immeriti, suscipientes recensuimus, subjecto Nobis Clero utile quamplurimum fore, si juxta occurrentium temporum necessitatem honestis gubernetur Legibus, quibus veluti expressa forma ad regendum animarum curam, plebiumque sibi commissarum efficiantur Instructores, pravos devitent abusus, & bonis moribus vitam suam studeant adornare. Imitantes itaque novissima *Sacri Basiliensis Concilii* de celebrandis Episcopalibus Synodis dispositionem, de Venerabilis Capituli nostri, Divinique, & humani juris peritorum consilio. Ad laudem Omnipotentis Dei, Gloriosissime Virginis Marie Genitricis ejus; beatorum Petri & Pauli Apostolorum, beatique Willibaldi, egregii Confessoris Patroni nostri, ac omnium Sanctorum, pro felici statu hujus sancte Aureatensis, alias Eystetensis Ecclesie, ac Episcopalis Sedis, totiusque Cleri, & populi ad ipsam pertinentium laudabili incremento infra scripta edidimus Synodalia Statuta, nonnulla in his per bone memorie quondam REYMBOTHONEM, PHILIPPUM, BERTHOLDUM, & ALBERTUM immediatum Predecessores nostros promulgata renovantes, alia, prout Nobis, & memoratis jurisperitis expedire videbatur, adjicimus: quibus tanquam equitati deservientibus extirpari vitia, reflorere honestatem, bonorumque morum, ac Religionis Christiane votivum pervenire succrementum confidimus in Domino. Quapropter vobis omnibus, & singulis supradictis in virtute sancte obedientie firmiter, & districte precipiendo mandamus. Quatenus infrascripta statuta, & constitutiones Synodales per Nos auctoritate nostra ordinaria editas, & edita, quas etiam tanquam ratas, & approbatas vim legis obtinere volumus, prompto suscipiatis affectu: ac illas de cetero juxta earum tenorem, & continentiam sub penis in eis contentis omnino observare curetis. Alioquin contra transgressores propter Divinam, quam merito formidabunt, ultionem, in supradictis penis, & aliis remediis juris procedemus. Non tamen intendimus jurisdictioni Decani Ecclesie Cathedralis, ad quem sicut ex longeva, & antiqua consuetudine immediata correctio excessuum Clericorum civitatis nostre pertinere dinoscitur, in aliquo derogare.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

A Summo Numine, a quo omnia procedunt, sumentes exordium Catholicam Christi profitemur fidem, ac eam, quam tenendam docet, atque predicat nostra universalis, & Apostolica Ecclesia: firmiter precipientes Nobis subjectis Clero, & populo, ut in vera Religione Christiana ambulantes. Sanctam & Individuam Trinitatem, Patrem, & Filium, Sanctumque Spiritum unum Deum cum sincera adorent cordis puritate. Nec quidquam credant, colant, vel venerentur, quod Romana Ecclesia, aut Patrum orthodoxorum decreta a veritate Catholica censeant alienum, atque refutandum. Propter quod ut fidelium populus vulgaris in ipsa Christiana fide rectius vivat, ac plenius instruatur, precipimus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, & aliis, qui predicationis exercent officium, quod tam in sermonibus, quam confessionum auditionibus circa hoc specialiter sint attenti, ne, quod absit, error in fide exurgat in populo, quodque in singulis Parochialibus Ecclesiis, Dominicalibus, & solennibus Festivitatum predicationibus ipsi populo materna, seu vulgari lingua orationem Dominicam, que incipit: *Pater noster*: & *Symbolum Apostolorum* pronuntient.

Contra Hereticos, & Superstitiones.

Hinc universas hereticorum detestamur sectas, quibuscunque censeantur nominibus, presertim novissimorum *Wiclefistarum*, *Hussitarum*, & *Waldensium* errores, omnesque alias vanas, & superstitiosas observantias, quorum juxta Prophetam dicentem: *Odisti observantes vanitates*: Deo odibilis est scientia, incantationes, divinationes, sortilegia, artemque maleficam, & phitonissarum quibus decepti homines putant bona provenire sibi, vel mala posse evitari. Ad hunc quoque perducuntur errorem, quod credant certis verbis, sive ut eorum utamur vocabulo, benedictionibus, aut certis ligaturis, vel observantiis curari posse languores aut pecora, a morsu ferarum conservari. Quod quidem pestiferum genus, cum ut audimus,

mus, nimis commune sit in vulgo, eradicare cupientes statuimus, ut deinceps quicunque Presbyter, aut Clericus talem repererit, cujuscunque sexus, vel conditionis hominem, sive Clericum, sive laicum predictis damnatis erroribus involutum, aut incantationibus demoniacis, vel superstitionibus vanis qualitercunque utentem. Si in penitentiali foro hoc crimen cognoverit, taliter absolvendum ad Nos, vel Penitentiarium nostrum omnino remittat, etiamsi alias pro certis personis, in casibus Episcopalibus absolvendi auctoritatem, quam ad hunc casum nolumus extendi, a Nobis obtinuerit, & nihilominus, siquis infra limites alicujus Parochie de heresi, aut predictis erroribus, vel una superstitione publice infamatus fuerit, Plebanus, sive Rector illius Ecclesie ipsum caritative, & fraterne ammonere debet, ut desistat; quod si non destiterit, teneatur eundem sub pena privationis Beneficii infra unius mensis spatium Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario Generali illico denuntiare, ut in tales punitione condigna animadvertamus.

Contra Blasphemos.

Preterea cum sint nonnulli homines perditi, qui Majestati Dei, & in Sanctos ejus publice blasphemias inferre non vereantur, quam quidem injuriam neque homines ferre decet; statuimus, ut ubicunque tales blasphemi reperiantur, hi ab Ecclesiarum Rectoribus in predicationibus, & confessionibus severius prohibeantur: Ecclesiasticis penitentiis prout facti, & personarum qualitas permittit; quod si sic minime desistant; deferant illos ad Potestates, & Rectores seculares, ibidem gravioribus penis affligendos: super quo volumus omnino, quod Plebani eosdem Rectores, & potestates seculares seriose, & constanter requirant.

De Predicatione Verbi Dei.

Cum Sacerdotes, quibus a Domino predicandi ministerium commissum est, Dominicas oves sibi creditas Verbi Dei Spirituali alimonia pascere, & ut in Preceptis Divinis ambulent, edocere debeant. Idcirco eosdem in suis sermonibus precipimus esse cautos, ne verba proferant inutilia, aut vana, & maxime piarum mentium offensiva, sed potius Scripturam Sacram veteris, seu novi Testamenti, ac precipue Evangelium Christi plane, & intelligibiliter Dominicis, & aliis solennibus diebus populo predicent. Primo textum, prout jacet, vulgariter exponendo subjunctis postillis, vel per membra declarent, veluti plebis capacitati convenire cognoverint. Et quia repetita notitia Mandadorum Dei multum videtur edificare in populo, specialiter ordinamus, ut Rectores Ecclesiarum Parochialium ad minus semel in anno assumant materiam decem preceptorum, & illam una cum correctionibus vitiorum convenienter prosequantur. Inducentes cum summa diligentia populum ad agendum penitentiam pro peccatis commissis, ac propterea singulis annis Dominica prima Quadragesime volumus, quod eidem populo publicent, & pronuntient Constitutionem Generalis Concilii, que incipit: *Omnis utriusque sexus, &c.* & aliis monitis salutaribus eos ad confitendum Sacerdotibus, & se Deo reconciliandum inducant. Caveant autem omnino Predicatores hujusmodi, ne in suis sermonibus utantur scripturis apographis (*a*) sive non autenticis: & siquid forte per ignorantiam proferant, ab Ecclesia, vel a Doctoribus non approbatum: hoc caute studeant revocare, neque ad convitia, vel exprobrationes criminum, vel ad suas particulares causas expediendas in ambonibus quovismodo descendant, ut ubi Dei causa agitur, ibi odia, rixe, sive vindicta non seminentur, quem quidem abusum sub pena suspensionis a Divinis, & interdictionis officii predicationis spatio trium mensium districte prohibemus.

Tenor vero dicte Constitutionis talis est.

Omnis (*b*) utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere: suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eu-

(*a*) *lege:* apocryphis (*b*) Lateranensi Concilio IV. sub Innocentio III. anni 1215.

Euchariſtie Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum. Alioqni & vivens ab ingreſſu Eccleſie arceatur,& moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quisquam ex ignorantie cecitate velamen excuſationis aſſumat. Siquis autem alieno Sacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit peccata confiteri, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote cum aliter illum ipſe non poſſit ſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat prebere conſilium, & cujusmodi remedium adhibere diverſis experimentis utendo, ad ſanandum egrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut ſigno, aut alio quovismodo prodat aliquatenus peccatorem, ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud absque ulla expreſſione perſone caute requirat,quoniam qui peccatum penitentiali judicio ſibi detectum preſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum ad agendum penitentiam perpetuam in arctum Monaſterium detrudendum

De Indictione feriarum.

Inſuper univerſis Sacerdotibus Eccleſias Parochiales regentibus, committimus,& mandamus, ut populum ſibi ſubjectum ad condignam feriarum, & jejuniorum obſervantiam inducant ſub obteſtatione obedientie infra notatos dies juxta conſuetudinem, & obſervantiam noſtrarum civitatis & Diocesis feſtivandos, & jejunandos precipiendo. Hi ergo dies & feſta per anni circulum juxta obſervantiam Eccleſie noſtre feriari ſolenniter & celebrari debebunt.

Primo Feſtum Circumciſionis Domini.
Item Feſta Epiphanie Domini.
Converſionis Sancti Pauli.
Purificationis Beate Virginis.
Sancti Richardi Confeſſoris & Regis.
Sancti Matthie Apoſtoli
Sancte Walburgis, ſi extra Quadrageſimum cadit.
Annuntiationis Beate Virginis.
Item dies Glorioſe Reſurrectionis cum tribus diebus ſequentibus.
Feſtum Armorum Chriſti. Sancti Georgii Martyris.
Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum, ac Beate Walburgis.
Item Feſtum Inventionis Sancte Crucis.
Item dies Aſcenſionis Domini.
Sancti Bonifacii Martyris Archiepiſcopi Moguntini.
Feſtum Penthecoſtes cum tribus ſequentibus.
Feſtum Corporis Chriſti. Sanctorum Viti & Creſcentie.
Nativitatis Sancti Johannis Baptiſte.
Petri & Pauli Apoſtolorum.
Item Feſtum Viſitationis Marie.
Feſtum Sancti Willibaldi Patroni noſtri.
Sancte Margarethe. Beate Marie Magdalene.
Beati Jacobi Apoſtoli Majoris.
Sancti Laurentii Martyris.
Item Feſtum Aſſumptionis Glorioſe Virginis Marie.
Sancti Bartholomei Apoſtoli.
Feſtum Nativitatis Glorioſe Virginis Marie.
Sancti Matthei Apoſtoli & Evangeliſte.
Feſtivitas Sancti Michaelis Archangeli.
Item Feſtum Dedicationis Eccleſie Majoris, decima tertia die Octobris.
Feſtum Sanctorum Simonis & Jude Apoſtolorum.
Feſtivitas omnium Sanctorum.
Sancti Martini Epiſcopi.
Sancte Catharine Virginis & Martyris.
Sancti Andree Apoſtoli.
Sancti Sole Confeſſoris.
Sancti Nicolai Confeſſoris.
Feſtum Conceptionis Virginis Marie
Sancti Wunnibaldi Confeſſoris.

Sancti Thome Apoſtoli.
Item Feſtum Nativitatis Chriſti.
Sancti Stephani Prothomar.
Sancti Johannis Apoſtoli & Evangeliſte.
Sanctorum Innocentum.
Sancti Thome Martyris, Epiſcopi Cantuarienſis.

Hi autem Dies in obſervantia jejunii, & abſtinentie teneri debebunt.

Primo Vigilia Mathie Apoſtoli.
Dies Quadrageſime a die Cinerum uſque ad Vigiliam Paſche incluſive abſtinentie, & parſimonie dicati ſunt, demptis
Diebus Dominicis, quibus tamen a carne, & lacte abſtinere oportet.
Item dies Majoris Litanie, & dies Rogationum ſecundum conſuetudinem hactenus obſervatam exhortatorie pronuntientur.
Item Vigilia Pentecoſtes.
Item dies Quatuor Temporum, videlicet feria quarta, feria ſexta, & dies ſabbati in hebdomada Penthecoſtes.
Item Vigilia Sancti Johannis Baptiſte.
Item Vigilia Petri & Pauli Apoſtolorum.
Item Vigilia Sancti Laurentii.
Item Vigilia Beati Jacobi Apoſtoli.
Item Vigilia Aſſumptionis Beate Marie Virginis.
Item Vigilia Sancti Bartholomei.
Item dies Quatuor Temporum, videlicet feria quarta, feria ſexta, & dies ſabbati immediate ſuccedentes Feſtum Exaltationis S. Crucis.
Item Vigilia Sancti Matthei Apoſtoli & Evangeliſte.
Vigilia Sanctorum Simonis & Jude.
Vigilia omnium Sanctorum.
Vigilia Sancti Andree Apoſtoli.
Item dies Quatuor Temporum, videlicet feria quarta, feria ſexta, & dies ſabbati immediate ſuccedentes Feſtivitatem Sancte Lucie Virginis & Martyris.
Item Vigilia Sancti Thome Apoſtoli.
Item Vigilia Nativitatis Jeſu Chriſti.

Tempora vero, quibus celebrationes, ſive ſolennitates nuptiarum interdicte ſunt, ſubſequuntur, videlicet:

A prima Dominica Adventus Domini, uſque ad octavas Epiphanie. Deinde a Dominica Septuageſime uſque ad octavas Paſche. Poſtea ab hebdomada Rogationum uſque in Dominicam poſt Feſtum Penthecoſtes. Supraſcriptis temporibus a Sacris Canonibus prohibentur nuptie ſolenniter celebrari.

De Examine Sacerdotum.

Quia vero juxta Prophetam Lex Dei ex ore requiritur Sacerdotum, propter quod ſcientia Divine Scripture his neceſſaria eſt. Idcirco Clericos Nobis ſubditos precipimus ſollicitos, & diligentes eſſe circa ſtudium Sacrarum Literarum, ne veluti ceci cum his, quos ducunt, in foveam cadant; cujus rei gratia volumus: quod deinceps non ſolum, quando ad ſacros Ordines admittuntur, ſed etiam dum Eccleſias ſuſcipiunt regendas de ſcientia, & peritia, & aliis, videlicet vita, & honeſta converſatione, & moribus diligenter examinentur.

De Sacramentis Eccleſie.

Hi igitur, qui preſunt cure animarum, que eſt ars artium: ſciant & ponderent ad id ſe deputatos, quod Chriſti fidelibus juxta inſtitutionem, ritum, & ordinationem univerſalis Eccleſie Eccleſiaſtica miniſtrent Sacramenta, & ne quid in his committant erroris, ſive negligentie, ſed curent diligenter debitas obſervare formas verborum, ac unumquodque Sacramentum cum conſuetis ceremoniis (prout inſtitutum dignoſcitur) legitime conferre & miniſtrare.

De Baptiſmo.

Baptiſmus itaque omnium Sacramentorum janua, cujus ſubſtantia in elemento aque conſiſtit, ſuper baptizando aqua effuſa ſub hac verborum forma conferatur: N. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: hoc ſpe-

ſpecialiter obſervato, quod nulli extra Eccleſiam preter caſum neceſſitatis, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo haberi acceſſus, baptizentur, niſi fuerint Regum liberi, aut Principum, quibus in hoc deferatur, prout in *Viennenſi Concilio* deſuper edito continetur. Baptiſterium etiam ſemper teneatur clauſum & ſeratum, cujus claves apud Sacerdotes, & non in manibus laicorum, diligenter reſerventur. Et quia propter parvulorum baptizandorum imbecillitatem compatres ſiſti ſolent, nec ex illorum pluralitate contingat in contrahendis poſtea matrimoniis impedimentum oriri: precipimus diſtricte, ut unus duntaxat in baptismate aſſumatur compater, ſeu patrinus. Quodque in ſolemnizandis hujusmodi matrimoniis Rectores Eccleſiarum diligenter perquirant, de impedimentis, occaſione compaternitatis contractis, prohibentes, ne quis filiam Sacerdotis, qui ipſam baptizavit, ducat aliquatenus in uxorem.

De Sacramento Euchariſtie & Officio Miſſe.

Officium Miſſe, in quo Divinum Euchariſtie Sacramentum conficitur, a Presbyteris cum cordis puritate attente, ac devote precipimus celebrari. Ut quando Miſſas (non cantando) legunt, verba extra Secretam & Canonem alta, & intelligili voce proferant, que poſſint a circumſtantibus audiri. Attendant omnino, ne quid de forma conſecrationis tam panis, quam calicis obmittatur, ſed ut integra verba cum conſecrandi intentione proferant; & preſertim ſuper calicem ante, quam elevetur, incipiendo ibi: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei* &c. compleatur uſque ibi: *Hec quotiescunque.* Caveant etiam quascunque committere in officio Miſſe negligentias. Quod ſi forte per incuriam aquam loco vini in calicem infundi, & conſecrationis verba deſuper proferri contingat, celebrans ipſe, poſtquam hoc ſenſerit, juxta Doctorum Sacre Scripture doctrinam iterato vinum infundere, ac verba conſecrationis calicis ex integro repetere debet ibi incipiendo: Simili modo, & perficiendo uſque ad illud: *Hec quotiescunque* &c. Deinde Sacramentum ſic conſecratum ſumens complendam legat, Miſſamque ad finem perficiat.

De Sacerdotibus exiſtentibus in peccatis. Ex Concilio PHILIPPI, quondam Epiſcopi.

Statuimus, ut ſi aliquis Clericus, ſive laicus utriusque ſexus, cujuscunque dignitatis, religionis, aut preeminentie exiſtat, auſus ſit preſumptione damnabili publice predicare, vel occulte dicere, credere, vel tenere: quod Sacerdos in peccato mortali exiſtens non poſſit conficere corpus Chriſti, ſeu ſic ligatus ſuos ſubditos ſolvere a peccatis, pro heretico & incredulo habeatur. Unde quantumcunque Sacerdos pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, que purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Licite ergo, a quocunque Sacerdote ab Eccleſia tolerato Divina audiantur Myſteria, & illa recipiantur Sacramenta.

De cuſtodia Euchariſtie, & reverentia Sacramentorum.

Ne propter Sacramentorum irreverentiam ira Dei ſæviat in Miniſtros, ſtatuimus, ut Euchariſtia, Chriſma, & Oleum ſanctum ſub diligenti cuſtodia in vaſis mundis, ac nitidis, & lumine continuo ardenti ſerventur, clavibus apud Sacerdotes, & non in manibus campanatorum, & aliarum ſecularium perſonarum ſemper retentis: ad precavendum denique putredinem, & ſumentium horrorem, ipſum Euchariſtie Sacramentum aliquoties in anno, puta, ſingulis menſibus, aut poſt duos ad minus ſecundum locorum exigentiam renovari debebit; cum autem Sacerdos Euchariſtiam, vel Oleum infirmorum ad decumbentem deportaverit, videat, quod ſuperpellicio & ſtola, ſeu orario ſit indutus, ſuperpoſito mundo velamine manifeſte & honeſte ante pectus ſuum, campanella & lumine precedentibus, hec faciat; omnibus etiam vere pœnitentibus & confeſſis, qui ſe Sacerdoti, Euchariſtiam, vel Oleum infirmorum taliter deferenti eundo vel redeundo aſſociaverint, ſi hoc in die fecerint, decem: Si vero de nocte cum lumine proprio vel alieno viginti dies, de injunctis ſibi pœnitentiis preter indulgentias ab aliis conceſſas auctoritate noſtra ordinaria miſericorditer in Domino relaxamus.

De

De eodem, ex Statutis Domini BERTHOLDI.

Cum autem Sacramentum Euchariſtie ſit excellentius ceteris Sacramentis, & tanquam ſolus Deus debeat adorari, tenore preſentium duximus ſtatuendum, ut, cum Sacerdos cum Sacramento Euchariſtie viſitat, & procurat infirmum, ſi totum Sacramentum expenderit, adeo, ut nihil remaneat in conſervatorio, ſeu vaſe,in reditu Sacerdotis extinguatur candela, & nola aliquatenus non pulſetur, ne fideles vas adorando vacuum idololatrie vitium incidant, vel incurrant, ſi vero aliquid ſuperfuerit de hujusmodi Sacramento, Sacerdos per ſemetipſum, vel per Sacerdotem alium, quantumcunque via difficilis fuerit, & extenſa, ad Eccleſiam ipſam referat, & deportet. Alioquin hoc non obſervato preter ultionem Divinam ad arbitrium noſtrum graviſſime ſubjaceat ultioni.

De Sacramento Unctionis extreme.

Unctionis extreme Sacramentum pro infirmorum ſalute inſtitutum debet a Presbyteris cum debitis ceremoniis, & forma conferri, ut dum ſuper egros hec proferunt verba dicentes : *Ungo hos oculos tuos &c.* non putetur hanc ſubſtantialem eſſe formam, ſed alia deprecatoria verba, que ſubjunguntur , videlicet : *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus , quidquid deliquiſti per viſum.* Que ſic repeti debent in ſingulis aliis unctionibus membrorum.

De Matrimonio.

Matrimonii nuptiarumque ſolennitatem merito recommendantes, prohibemus, quecunque matrimonia clandeſtine contrahi; & ne Clerici Nobis ſubjecti taliter contractis interſint, aut quovis modo auctorizent; ſtatuentes, ut, dum aliqui matrimonium contrahere velint , hoc proprio Plebano ſuo inſinuare curent. Idemque in Eccleſia Parochiali infra Miſſarum ſolennia, Dominica, vel alia die Feſtiva publicam proclamationem faciat, nominando perſonas hujuſmodi contrahere volentes, admoneatque Parochianos ſuos, ut ſi quis conſanguinitatis, affinitatis , compaternitatis , vel aliud Canonicum impedimentum inter contrahentes ipſos ſciat,aut noverit, hoc infra octo dierum terminum ad audientiam ſuam deferat , & ſi quidem Plebanus ipſe impedimentum aliquod ex probabili conjectura cognoverit, matrimonium tale nullatenus ſolennizet, quinimo potius expreſſe interdicat , & nihilominus ſi contrahentes ipſi a contractu non reſilirent , hoc ad audientiam noſtram vel Officialis noſtri deferat absque mora. Quod ſi quisquam Sacerdotum noſtrorum matrimonium non premiſſa proclamatione publica , & termino octo dierum non elapſo, veluti ſuperius exprimitur, ſolennizare preſumpſerit , ſciant ſe pœnas juris, videlicet ſuſpenſionis ab officio per triennium ob hoc incurriſſe , ac gravius a Nobis, prout facti qualitas exegerit, puniendos.

De Confeſſionibus audiendis.

In confeſſionibus vero audiendis illam precipue diligentiam Sacerdotes obſervent, ut a confitente peccata uſitata, & communia ſigillatim , inuſitata vero per quasdam circumſtantias caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante neſcierant,perpetrandi; in communiori quoque loco Eccleſie , & ſuſpicione carente ſedeant , Sacerdotes cum confeſſiones audiunt , & in ſpiritu lenitatis audiant , & inſtruant confitentem ut de peccatis, quibus Deum offendit , contritionem habeat, & propoſitum abſtinendi. Imo ſpecialiter inhibemus, ne aliquis Sacerdotum in caſibus Nobis, & Epiſcopis reſervatis , maxime notoriis aliquem preſumat abſolvere in foro pœnitentie , niſi ex ſpeciali commiſſione noſtra, vel Vicarii noſtri vices noſtras in hac parte gerentis. In ſatisfactionibus vero injungendis majora majoribus reſerventur ; in minoribus autem ſecundum quantitatem culpe , & qualitatem delinquentium ſe teneant atque regant , aliaque obſervent , que in conſtitutione ſuperius poſita, que incipit: *Omnis utriusque ſexus &c.* clarius exprimuntur. Sciant inſuper Sacerdotes, quod juxta doctrinam Canonum infirmis languentibus non eſt injungenda pœnitentia, ſed tamen innoteſcenda. Ita quod ſatisfactionis impoſſibilitas Domini noſtri JESU Chriſti paſſione ſuique pretioſi ſanguinis effuſione ſuppleatur.

Inſuper ſtatuimus , & de preſenti decre-

decreto inhibemus omnibus Curatis, & non Curatis nostrarum civitatis & Diœcesis, etiam Religiosis, ne de casibus Episcopalibus Nobis & Episcopis reservatis, quos duximus inferius annotandos, intromittere se audeant, sed ad Nos, seu nostros in hac parte vices gerentes remittantur, decernentes, absolutiones per eos absque speciali commissione nostra, seu Vicarii nostri in casibus hujusmodi, preterquam in mortis articulo factas, viribus penitus carere.

Casus Episcopales.

Remittantur itaque ad Nos, seu vices nostas gerentem rebaptizatus, reconfirmatus, & reordinatus.

Item, qui matrimonium per sponsalia jurata cum alia quoque persona contraxerit.

Item mulier, que antequam certificatur de morte mariti, cum secundo contraxerit.

Item perimens, seu negligens prolem propriam.

Item in se sterilitatem, vel abortum quomodolibet procurans.

Item homicida facto, precepto, consilio, aut auctoritativa exhortatione, seu alio quovis modo.

Item ille, cui solennis pœnitentia fuerit injungenda.

Item quilibet symoniacus. Item usurarius. Item raptor. Item sacrilegus.

Item incendiarius. Item latro.

Item Ecclesiam consecratam Sanguinis vel seminis effusione polluens.

Item quilibet Ecclesie, vel cimiterii, aut Immunitatis, vel Libertatis Ecclesiastice violator.

Item quilibet excommunicatus a Canone, vel a constitutione.

Item quilibet irregularis. Item Sacerdos proditor confessionis.

Item celebrans in Ecclesia interdicta, vel Altari non consecrato, aut mobili sine licentia, aut indumentis non sacris, aut non jejunus.

Item non ordinatus celebrans, vel ministrans in ordine, quem non habet.

Item Sacerdos, cujus culpa, vel negligentia aliquid inhonesti, vel scandali circa Sacramentum evenit.

Item Sacerdos notorius fornicator, aut publicus concubinarius.

Item quilibet dejerans, vel veniens contra suum juramentum.

Item falsarius literarum & monete.

Item quilibet manus violentas injiciens in Presbyterum, Clericum, matrem, aut patrem suum.

Item quilibet conjugatus contrahens matrimonium vivente uxore cum secunda, vel intrans religionem, seu recipiens sacrum Ordinem conjuge invita & econtra.

Item conjux, qui vel que in mortem conjugis effectualiter machinatus, vel machinata fuerit.

Item scienter coiens cum infideli.

Item coiens cum brutis.

Item promotus per alium, quam proprium Episcopum sine licentia.

Item furtive, vel per saltum, vel extra statuta tempora promotus.

Item excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus in ordine suo ministrans, vel qui taliter ligatus aliquem suscepit ordinem.

Item scienter sepeliens aliquod corpus excommunicati in cimiterio, vel etiam non excommunicati tempore interdicti.

Item abutens quomodolibet Sacramentis Ecclesie, ut, puta, hostia, chrismate, vel alia re sacra.

Item quilibet scienter baptizans prolem propriam, vel illam tenens in baptismo, aut confirmatione.

Item omnis hereticus, aut fautor, aut participator heretice pravitatis.

Item quilibet publice criminosus.

Item quilibet coiens cum Sanctimonialibus.

Item omnes clandestine contrahentes.

Forma Absolutionis.

Hanc vero in foro pœnitentiali observare, & tenere debebunt Sacerdotes absolutionis formam, tanquam substantialem & breviorem, ut videlicet premissa oratione deprecatoria: *Misereatur*

tui omnipotens Deus &c. dicant : *Dominus noster Jesus Christus dignetur te absolvere, & ego auctoritate, qua fungor, absolvo te a vinculo excommunicationis minoris, si incidisti, & a peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Ne pro administrandis Sacramentis aliquid exigatur.

Volumus & districte precipiendo prohibemus, ne Sacerdotes pro administrandis Sacramentis, vel pro sepultura fidelium munera, quantumcunque modica exigant, aut extorqueant a suis subditis more contrahentium, ipsis autem Sacerdotibus non interdicimus, ut si subditi eorum post Sacramentorum administrationem a fidelibus introductam nollent observare, quin ad hoc officium nostrum, seu Officialis nostri implorando possint iidem subditi licite coartari, & prout jus dictaverit compelli.

De Cultu Divino peragendo.

Quia Clerici vocati in sortem Domini Divino principaliter mancipantur obsequio debent servitutis sue pensum fideliter, diligenterque persolvere. Quapropter subjectis Nobis Clericis precipimus districte, ut Canonicas horas, reliquumque Divinum Officium, diurnum pariter & nocturnum, juxta ordinationem rubrice Breviarii, quo in nostra Cathedrali utimur Ecclesia per totum anni circulum cantando, & legendo rite & devote perficiant, Constitutiones noviter in Basiliensi Concilio desuper editas imitando. Volumus tamen, quod post singulas horas Canonicas dicantur de Beata Virgine An. ℣. & Collecta. & similiter in tertiis fiat Conclusio cum Collecta de Spiritu Sancto : *Adsit nobis quesumus &c.* prout in antiquis statutis continetur. Itaque ut Clerus noster in Divino cultu pariformiter ambulet, ordinamus, quod deinceps in quolibet Decanatu Rurali unus ad minus habeatur liber rubrice Breviarii apud dictam Ecclesiam Cathedralem usitati, ad quem omnes illius Decanatus Clerici recursum habere possint, neque licitum sit cuiquam ab illo deviare, nisi peculiaria quedam peragerentur Festa in Cathedrali, aut aliis Ecclesiis. Nam ad illorum observantiam reliquas aliter non censemus fore astrictas. Preterea dispositionem juris in Decretali HONORII Pape sequendo quorundam abusivum torporem tollentes, statuimus, quod in qualibet Collegiata Ecclesia singulis diebus, sive Festum, sive simplex feria occurrat, Officium Misse publicum diei illius collegialiter decantetur, nec obmittatur quovis modo propter Officium anniversarium defunctorum. Aliter vero facientes, volumus quotidianis distributionibus unius hebdomade esse privatos, & ad arbitrium nostrum gravius puniendos. Debent autem Clerici in Collegiatis Ecclesiis, & aliis Parochialibus insignibus, etiam Altariste & Capellani, superpelliciati, vel alias sacris induti vestibus Divino Officio reverenter interesse, ut sic a secularibus distincti personis, speciali decore domum studeant ornare Dei, & suorum Fundatorum, seu Patronorum intentionibus juxta eorundem fundationem omnino satisfacere.

De Recordatione Fratrum. Statutum antiquum.

Cum sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, statuimus, & inviolabiliter observari mandamus, ut juxta consuetudinem Cathedralis Ecclesie nostre omnes & singuli cujuslibet Decanatus Confratres annis singulis feria secunda ante Festum Dedicationis ipsius Ecclesie nostre, omnium Confratrum suorum memoriam defunctorum apud aliquem locum ad hoc aptum cum Missa, & Vigiliis, & *Placebo* precedenti nocte celebrent solenniter & devote.

De Regularibus. Statutum Domini ALBERTI.

Quoniam nonnulli Religiosi contra Deum, & suam institutionem multipliciter & notorie excedunt, eorumque Prelati desides & negligentes in observatione regularis discipline, ac correctionis excessuum existunt, eos per viscera misericordie Domini nostri Jesu Christi requirimus, & exhortamur, ut personas regulares sibi subjectas ad observantiam regularum suarum, & statutorum regularium diligentius inducant, moneant, & alliciant; presertim, & prout in decreto Sacri Basiliensis Concilii continetur, ut omnis proprietas ab eis abdicetur, & ne

ne quicquam in receptionem eorum in ingreſſu religionis per ſimoniam exigatur. Et ſi opus fuerit, ſtrictius compellant, ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſint facere rationem, & ſi ultra prevaricatores ordinis ſui fuerint, aut contemptores, ſeu negligentes, vel remiſſi, pro certo ſe noverint, non ſolum de officio deponendos, ſed alio modo ſecundum regulam ſuam caſtigandos, cum offenſa non ſolum propria, verum etiam aliena, ac ſanguis ſubditorum ſuorum de ſuis manibus requiratur.

Ne Monachi regant Parochias.

Statuimus inſuper diſtrictius prohibentes, ne Monachi, aut quicunque alii Religioſi, ſeu Clerici, & Sacerdotes ſeculares cujuſcunque conditionis exiſtant, abſque licentia noſtra ſpeciali, & inſtitutione ac commiſſione regiminis animarum præſumant Parochiales Eccleſias regere, & tenere, alioquin ab ingreſſu Eccleſie, & a Divinis noverint ſe ſuſpenſos, qua ſuſpenſione durante, ſi ſe Divinis ingeſſerint, laqueum irregularitatis non evadent, a quo non niſi per Sedem Apoſtolicam valeant abſolvi.

De vita & honeſtate Clericorum.

Honeſtatem in moribus, veſtiumque decentiam precipimus Clericos nôſtros, prout jura diſponunt, omnino obſervare, cum enim, ut Beatus Petrus Apoſtolus ait: *Sit genus electum regale Sacerdotium, debent ſtatus ſui dignitatem exterioribus habitus converſatione oſtendere:* veſtes itaque longas uſque ad talum deferant, precipue autem, dum Divino in Eccleſiis interſunt Officio, coloribus vero prohibitis, hoc eſt, viridi & rubro non utantur, ſed alias juxta patriæ conſuetudinem taliter incedant; ne cuiquam ſcandalo ſint aut deriſioni, fugiant preterea frequentiam tabernarum, abſtinentes a ludo taxillorum, & alearum quocunque, omniſque inhoneſta converſatio mulierum ſit illis prorſus aliena. Quod ſi quisquam in his exceſſiſſe reperiatur, Nos contra tales ad pœnas juris, & alias pro noſtro arbitrio ſeverius infligendas procedemus.

Contra Concubinarios.

Verum, quia Clericis in Sacris conſtitutis Ordinibus indicta eſt continentia, & concubinatus crimen, quo plurimi involuti ſunt a Lege damnatum & vetitum. Nos conſtitutionem novam de publicis concubinariis in *Sacro Baſilienſi Concilio* editam, in noſtris civitate & Diœceſi locum habere volumus, ut deinceps juxta illius tenorem contra Clericos concubinarios, cujuſcunque ſint ſtatus aut conditionis, diſtricte procedatur.

De Adulteris & Uſurariis.

Ex Statutis Domini WILHELMI, de publicis criminoſis, & pœnitentia injungenda.

Sunt preterea inter ſeculares homines nonnulli, qui ſe damnatis Lege Divina criminibus publice involvunt, quidam enim in adulterio publico commorantur, alii vero uſurarum ſtudent lucris, quorum vita deteſtabilis ſeveritate quoque pœne Eccleſiaſtice emendanda eſt, & idcirco ſtatuimus, ut ſi in aliqua Parochia reperiantur publici adulteri, vel uſurarii, vel alias Eccleſiaſticis delictis irretiti, Plebanus ſeu Rector Eccleſie illius loci debet eosdem primo ſolus, dehinc ſub atteſtatione aliquorum vicinorum fraterne & caritative admonere, ut a peccatis hujusmodi deſiſtant, quod ſi taliter correcti non deſtiterint, teneantur prefati Plebani, ſeu Rectores infra ſpatium menſis ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis illos ad audientiam noſtram, vel Vicarii noſtri deferre, ut hujusmodi publica peccata cenſura Eccleſiaſtica cohibeamus.

De Libertate Eccleſiaſtica.

Eccleſiaſticam cupientes tueri libertatem, ac noſtris temporibus adaugeri, prohibemus diſtrictiſſime ſub pœna ſuſpenſionis a perceptione fructuum Beneficii, ne quiſquam Clericus cujuſcunque ordinis noſtrarum civitatis & Diœceſis cuiquam ſeculari perſone ſub colore protectionis, aut defenſionis abſque noſtra ſpeciali licentia ſe conſtituat cenſualem, veluti a nonnullis factum noſtris eſt auribus intimatum. Quin imo ſiqui ita ſe cenſuales conſtituiſſent, teneantur ſub eadem pœna intra duorum menſium ſpatium liberatos ſe facere & abſolutos. Neque preſumant Clerici ad quecunque ſecularia & vetita judicia vocati in perſonalibus actionibus, vel ſuper rebus Eccleſiarum aut Beneficiorum ibidem coram judice laico, in contemptum privilegii Clericalis quovis modo contendere, quin

imo citati taliter debent absque mora ad Nos, vel nostrum in Spiritualibus Vicarium super hoc habere recursum ad impetrandum remissionis literas vel aliter, prout expedire cognoverimus, eis prodendum. Hoc autem non observantes, sciant se pœnam privationis stipendii prebendalis cujuslibet Beneficii, quod obtinent, ad tempus spatii sex mensium mulctandos incurrisse.

De Captivatoribus Clericorum. Statutum antiquum.

Quia Prelati & Clerus nostre Diœcesis a nonnullis perditionis filiis multipliciter contra libertatem Ecclesiasticam aggravantur, & quia nova contra novos morbos oportet antidota preparari, multa deliberatione prehabita, de consilio & consensu Capituli nostri statuimus, & jam nunc in quoslibet captivatores Clericorum excommunicationis sententiam promulgamus, statuentes, quod si in terminis alicujus Decanatus Prelatum Religiosum aliquem, vel Clericum habentem Sacros Ordines, & pro Clerico se gerentem temere captivari, aut captivum detineri constiterit, ipso facto infra terminos illius Decanatus cesfetur a Divinis, ut sic tam Nobiles, quam Magnates, quam etiam populares cum plebe contra malefactores hujusmodi ex Divinorum carentia provocati assurgant ad liberationem illius, qui ausu sacrilego detinetur captivus, auxilium præstaturi. Specialiter autem in omnibus locis illis, in quibus captivatores, & eorum complices nostre Diœcesis in maleficio ipsis consilium, & auxilium, vel favorem, vel juvamen prestantes domicilium obtinent, & sive de facto, sive de jure jurisdictionem exercent, ac ubi habent receptaculum, observetur districtissime interdictum, ita, quod corpora mortuorum ad Ecclesiasticam sepulturam nullatenus admittantur, quin imo si per violentiam laicalem in Ecclesiis vel cimiteriis fuerint tumulata, ibi non relaxetur aliquo modo sententia interdicti, nisi prius ejectis illis corporibus, sic per laicalem violentiam tumulatis. Durante etiam hujusmodi interdicto, Sacerdotes aliud facere non presumant, nisi quod in diebus Dominicis proposito suis plebibus Verbo Dei, pronuntiatis quoque festivis diebus, qui in ista septimana occurrunt, eos aqua benedicta conspergant, nullum omnino dicatur officium in aperto: hic servetur illa Decretalis: *Alma.* Semel in hebdomada absque signo campanarum clausis ostiis cum suo tamen Ministro pro conficiendo viatico sub silentio Missam dicant, prefatum interdictum juxta modum & formam predictos reverenter, & humiliter servetur; Decani quoque, & eorum Confratres in aliis locis nostre Diœcesis requisiti, predictos sacrilegos ab omnibus suis subditis excommunicatos denunciari faciant publice singulis diebus Dominicis & festivis, quousque ipse captivus, liber & indemnis cum debita satisfactione dimittatur. Quod si detentor Clerici per unum mensem Clericum detinuerit captivatum, & eo dimisso infra annum a tempore captivitatis Clerici computando, satisfactione neglecta non obtinuerit se absolvi, extunc ab omnibus feudis cadat ipso jure, quo a quibuscunque Ecclesiis noscitur obtinere: salvis aliis pœnis contra tales a jure editis, & statutis, hoc adjecto, quod deinceps nullus Clericorum nostrorum concordiam & compositionem cum quocunque captivatore, aut injuriatore suo inire possit, per quam dictis captivatori, seu injuriatori absolutionis beneficium suis expressis expensis procurare, vel obtinere astringatur, ad quem quidem abusum tollendum ex certa scientia statuimus, Clericos in contrarium facientes a perceptione fructuum Beneficiorum suorum suspendendos, nec de cetero unquam in consortium Clericorum nostrarum civitatis & Diœcesis assumendos.

De Spoliantibus Sacerdotes defunctos.

Contra laicos insuper Patronos, seu Advocatos Clericorum, aut quoscunque alios, qui post mortem Pastoris, aut Vicarii ipsum defunctum spoliant rebus per eum relictis, excommunicationis sententiam presentis statuti vigore promulgamus, statuentes, ut Ecclesia, in qua defunctus taliter Clericus fuerit spoliatus, interdicto Ecclesiastico sit supposita ipso facto. Nolumus quoque, ut alius Sacerdos Successorum ipsam ante restitutionem omnium ablatorum, & satisfactionem plenariam, nisi de Nostra, vel Vicarii nostri licentia speciali aliquatenus officiare presumat. Insuper statuimus, sive

sit

ſit Clericus, ſive laicus Patronus, qui defuncto Paſtore, vel Vicario dotem ſpoliaverit, vel Eccleſiam, ſit in pœnam a jure preſentandi ea vice ſuſpenſus, & immediatus Superior Eccleſiam conferat illa vice.

De Prebendis diminutis.

Licet jam dudum jure proviſum ſit, ut Vicariis inſtitutis in Eccleſiis incorporatis talis debeat congrua portio de proventibus illarum aſſignari, de qua honeſte ſuſtentari, jura perſolvere, ac hoſpitalitatem tenere valeant; temporibus tamen noſtri regiminis, recepimus hujus defectus querelas, quod Presbyteri propter inopiam, & Canonice portionis diminutionem cogantur proprias deſerere plebes,& alibi reſidendo ſibi victum querere. Quapropter ne Eccleſie Parochiales debitis defraudentur obſequiis, aut populus in Sacramentorum adminiſtratione negligatur; ſtatuimus diſtricte precipiendo, ut omnes & ſinguli Collatores ſeu Patroni, qui hujusmodi incorporatas poſſident Eccleſias, Vicarios ipſas regentes ad Noſtrum, vel Generalis Vicarii noſtri in Spiritualibus arbitrium ſuper dicta Canonica portione contentos reddant. Alioquin non obſtante promiſſionibus,vel juramentis de non petendo augmentum portionis factis fortaſſe tempore preſentationis, quas etiam preſenti ſtatuto declaramus irritas & inanes, auctoritate noſtra ordinaria juxta locorum, & perſonarum exigentiam ſuperinde curabimus providere; ut vero deinceps in fundandis Beneficiis Eccleſiaſticis ſufficientie dotationis major habeatur certitudo, decernimus, nullum Beneficium de novo confirmandum in noſtris civitate & Dioceſi, niſi redditus aſſignati, ſi ſimplex uſque ad ſummam triginta ſex florenorum de Rheno: vel ſi curatum fuerit Beneficium pro uno Presbytero ad minus quadraginta quinque ſimilium florenorum communi extimatione annuatim ſe extendant.

De Decimis ſolvendis.

Cum decime tributum ſint egentium animarum, quas Dominus in ſignum univerſalis Dominii pro Miniſtris Altaris ſibi retinuit, & Canonice Sanctiones jubeant eas de omnibus fructibus cum integritate perſolvi: Statuimus declarando, quod laici decimas ipſas de agris, pratis, hortis, & arboribus, nec non de omnibus aliis fructibus qualitercunque de terra naſcuntur, Clericis ſeu Parochialibus Eccleſiis, nullis deductis expenſis ſive meſſorum ſit pretium, familie, aut mercenariorum, etiamſi de uno fundo, & uno anno pluribus vicibus creſcant atque proveniant plures fructus, & ſimiliter de animalibus,& aliis licite acquiſitis ſine fraude quilibet tribuant integraliter, & exſolvant. Ad quod faciendum, & abuſum deteſtabilem ruralium tollendum volumus, ut Plebani & Rectores Eccleſiarum in predicationibus publicis, & confeſſionis ſecretis caritative, & perſuaſive populum inducant, declarando, quod ad hujusmodi integralem ſolutionem decimarum ex precepto Eccleſie ſint aſtricti.

De Teſtamentis, & Executionibus Clericorum.

Quia circa Clericorum teſtamenta, & eorum executiones ſepe fraudes committuntur, bonaque relicta per eos ad uſus non deſtinatos, vel alias inutiliter diſpenſantur, Nos, quibus ex officio proviſo circa hec merito incumbit, remedium ponere volentes, ſtatuimus, ut quicumque de executionibus relictorum per Clericos decentes ſe intromittere velit, teneatur infra unius menſis ſpatium de ſua conſtitutione fidei commiſſoria, & executoria ultime voluntatis coram Nobis, vel Vicario noſtro plenam,& idoneam facere fidem, antequam manum apponat ad exequendum, vel relicta bona Clerici defuncti diſpenſandum: Inventarium ſub manu authentica de bonis inventis, & relictis per defunctum omnino conficiat, ac poſt lapſum anni, a tempore mortis teſtatoris computandum, ſimiliter infra unius menſis ſpatium Nobis, aut noſtro Vicario integram de inventis,& diſtributis faciat rationem. Si quis vero aliter, & premiſſis non obſervatis bona cujuſcunque Clerici Nobis ſubditi diſpenſare preſumpſerit, noſtro Fiſco in ſummam quinquaginta florenorum de Rheno condemnatus, mulctandusque exiſtat. Preterea cum frequenter diſſenſiones occurrant inter Clericos noviter promotos ad beneficia, & Executores Defunctorum ſuper diſtribuendis

dis fructibus restantibus per mortem, cui debeant applicari: proinde Nos Canonum Sanctiones imitando ordinamus hujusmodi inter premissos faciendam divisionem: ut de super existentibus fructibus talis assignetur Successoribus in Parochialibus Ecclesiis congrua portio, unde honeste sustentari valeant usque ad novorum fructuum perceptionem quocunque tempore anni Rectorem Parochialis Ecclesie decedere contingat, ne occasione tali populus debito defraudetur obsequio Divino. Quod si forte Executores Defuncti, & Rector Ecclesie noviter institutus in hoc concordare non poterint, teneantur iidem omnimode Nostro, vel Vicarii nostri desuper stare judicio, & quicquid per Nos, aut eundem nostrum Vicarium Decretum fuerit, sub pœna quadraginta Florenorum de Rheno acceptent libere, & exequantur.

De Officio & Juramento Decanorum Ruralium.

Decani Rurales, qui juxta antiquam consuetudinem per Diœcesin nostram constitutam, debent officium suum fideliter exequi, & implere, prout in antiquis statutis continetur. Sic tamen nullus in Decanum ruralem electus ante confirmationem a Nobis, vel Vicario nostro obtentam Decanatus hujusmodi officium presumat quovis modo exercere. Similiter nec possint Decani, vel Camerarii a fratribus deponi, aut alias libere cedere, nisi renuntiationis, cessionis, vel depositionis causa sufficiens coram Nobis, vel Vicario nostro fuerit ostensa & deducta. Debet autem Decanus ruralis taliter in Diœcesi nostra constitutus in principio sue receptionis jurare, vel saltem fide data promittere vice & loco juramenti, quod infra scriptos articulos sine fraude & dolo observabit. Primo, quod Domino Episcopo Eystetensi obediens existat, ejusque mandata, & suorum Judicum reverenter accipiat, atque cum benevolentia pro posse suo efficaciter adimpleat; & juxta officium suum fideliter exequatur. Item, quod Constitutiones Synodales per Episcopos Eystetenses factas, editas, vel approbatas firmiter observet, & ab aliis Confratribus sui Decanatus jubeat inviolabiliter observari, illud etiam observabunt Decani rurales, ut quandocunque juxta consuetudinem antiquam Presbyteri, aut Clerici alicujus Decanatus semel, aut bis in anno conveniunt, eis non concedant recedendi licentiam, nisi coram omnibus illius Decanatus Clericis hec presentia Synodalia Statuta publice lecta fuerint, ut sic per repetitam notitiam ad eorundem observantiam efficacius inducantur. Si quid etiam questionis & difficultatis magne in Clero illo emerserit, & precipue de his, qui concubinatus publici, vel aliis enormibus criminibus, puta heresis, irregularitatis, apostasie, simonie, perjurii notorii, & similibus sunt irretiti, aut alias scandalum grave generant in populo, hoc absque mora infra unius mensis spatium Nostris, vel Vicarii nostri auribus curent intimare, alioquin secus negligenter facientes pœna suspensionis a Divinis, & pecuniaria, videlicet viginti quinque florenorum de Rheno absque remissione mulctabimus.

Quod Parochiales Ecclesias regentes de causis matrimonialibus, & aliis causis non cognoscant, nec eas diffiniant.
Statutum antiquum.

Ad audientiam nostram quoque ex fide dignorum relatione pervenit, quod nonnulli Decani, Camerarii, Rectores, Plebani, & Vicarii nostre Diocesis in gravem jurisdictionis nostre detractionem in suarum periculum animarum de causis matrimonialibus cognoscere, nec non easdem diffinire non verentur, & his, qui de contractibus matrimonialibus coram ipsis accusantur, seu denutiantur, negantibus dictos contractus super ipsorum negativa publice in ambonibus suis corporalia deferunt juramenta, actoribus super his perpetuum silentium imponendo, & jurisdictionem nostram sibi in hac parte usurpando, & insuper sententias excommunicationis majoris in subditos suos auctoritate propria fulminare presumant, nec non personaliter suspensi & excommunicati, ac in presentia publice majori excommunicatione excommunicatorum scienter se Divinis ingerere non erubescant, mandata quoque nostra Vicarii, & Officialis nostri ipsis injuncta vilipendendo executioni mandare non curant. Et quia quilibet Sacerdos in sua con-

confecratione ad Sancta Dei Evangelia tacta jurat, quod fit obediens fuo Epifcopo, ad cujus Parochiam extitit ordinatus. Quapropter univerfis & fingulis Decanis Ruralibus, Camerariis, & aliarum Ecclefiarum Rectoribus Plebanis, Viceplebanis, & Vicariis per totam noftram Diœcefin conftitutis fub pœna fufpenfionis ab ingreffu Ecclefie diftrictiffime ftatuendo prohibemus, & fub preftitis in ipforum confecratione juramentis eos feriofe requirimus, & in Domino exhortamur, ne de caufis matrimonialibus ufurarum, decimarum, nec non de omnibus aliis caufis, & queftionibus Clericorum, feu laicorum, que judicialem indaginem expofcunt: & quia de jure, aut confuetudine ad forum noftrum Ecclefiafticum pertinere dignofcuntur, audiant, vel diffiniant, fed eas audiendas ad Officialem noftrum, qui pro tunc fuerit, adhibita diligentia transmittant; fententias etiam excommuncationis majoris in fubditos fuos fulminare fub dicta pœna omnino prohibemus, fufpenfi quoque perfonaliter excommunicati per Nos, vel Officialem noftrum, qui pro tempore fuerit, in contemptum clavium Ecclefie fe Divinis ingerere non pretendant. Alioquin ipfo facto a jure, & fecundum Canonicas Sanctiones irregularitatem fe noverint incurriffe, a qua non nifi per Summum Pontificem, feu ejus Pœnitentiarium abfolutionis Beneficium poterit obtinere. In excommunicatorum infuper prefentia temere, & fcienter celebrare ullomodo non prefumant. Alioquin poft primam celebrationem ab ingreffu Ecclefie ipfo jure noverint fe fufpenfos, & fi fuerint fufpenfi, & a dicta fententia fufpenfionis per Nos non fuerint abfoluti, fecundo fe Divinis ingefferint, laqueum irregularitatis ipfo facto fimiliter a jure non evitabunt. Vobis etiam firmiter damus in mandatis in virtute fancte obedientie firmiter precipiendo, ut mandata noftra, & ab Officiali noftro vobis injuncta per vos executioni debite mandentur. Alioquin quicunque ea temere abfque caufa rationabili coram Nobis propofita exequi neglexerit, ab ingreffu Ecclefie noverit fe fore per Nos fufpenfum. Contra transgreffores nihilominus in premiffis, feu aliquo premifforum preter penas juris pretactas ad privationem Beneficiorum fuorum, juftitia mediante, procedemus.

De Queftionariis & Literis extraneorum Judicum.

Ad obviandum etiam malitiis queftionariorum, qui fepe per immoderatam Indulgentiarum promulgationem a fidelibus fimplicibus eleemofynas extorquent, & nonnunquam eleemofynarum collectores falfis literis eosdem decipiunt. Difcurrendo turpiter per tabernas, & flagitia perpetrando, prout tempore noftri regiminis experti fumus. Nos ftatuendo prohibemus omnibus & fingulis Clericis, & Presbyteris curatis, & non curatis, ne de cetero quoscunque queftionarios, aut eleemofynarum collectores abfque noftris fpecialibus commendatitiis literis ad predicandum; vel indulgentias promulgandum, five eleemofynas colligendum qualitercunque admittant: quin imo etiamfi literas a Nobis obtinuerint fub nomine alicujus Hofpitalis, Ecclefie, vel Capelle, & laici conjugati cum talibus mittantur, qui collecturam conduxerunt pro certa fumma pecuniarum, eosdem pariformiter repellant, nifi oftendant per autentica documenta, quod Ecclefiarum vel Hofpitalium fint familiares jurati. Idem decernimus obfervandum circa mandata citationum, feu edicta quorumcunque Judicum extraneorum, delegatorum, aut confervatorum: ut nullus ex nobis fubjectis Clericis eadem recipiat, publicet, vel infinuet, nifi pariformiter fuper hujusmodi extraneorum Judicum literis a Nobis, vel Vicario noftro, aut Officiali generali literas, quas vulgo *vidimus*, appellantur, habuerit, quibus intelligat, Nos de premiffis informatos, ut fic fraudibus decipientium fimpliciores viam modis omnibus precindamus.

De Magiftris fabrice Ecclefiarum.

Hi qui pecunias, aut bona Ecclefiarum ad fabricam deputata adminiftrant, five Clerici, five laici exiftant, cum aliena gerant negotia, debent fingulis annis inter Pafcha, & Feftum Afcenfionis Domini, aut alio competenti tempore de omnibus perceptis, & diftributis in prefentia Plebani, feu Rectoris Ecclefie loci, qui pro

pro tempore fuerit, & aliquorum Parochianorum debitam reddere rationem, ut sic bona ad fabricam Ecclesiarum deputata, vel ex eleemosynis fidelium collecta ad necessarios usus, puta edificiorum, ornamentorum, & non alibi omnimodo convertantur. Injungimus insuper prefatis Administratoribus, sive Magistri sint fabrice, aut vocabulo vitrici Ecclesie nuncupentur, quod in suo officio fideles existant veluti Deo, cujus res tractant, reddere rationem habeant: quodque attendant circa Domorum Dei edificationes, & ornamentorum defectus, ut juxta facultatum exigentiam debito semper tempore reparentur; similiter, quod sacre vestes Altarium, & Clericorum munde, ac nitide conserventur, quas etiam precipimus aliquoties in anno pro ipsorum exigentia, & congruitate lavari. Si vero quisquam ex prefatis fabrice Magistris, aut Ecclesie vitricis negligens repertus fuerit, vel singulis annis rationem facere, prout sepius exprimitur, recusaret, hunc debeat, & possit Plebanus, seu Rector Ecclesie, infra cujus limites hoc contingit, per Sacramentorum subtractionem, vel alia Ecclesiastica pœna constringere, & punire, vel ad nostram, vel Vicarii nostri audientiam deferre. In his autem, qui hospitalibus leprosoriis, vel orphanatrophiis presunt, tam circa faciendam rationem, quam in aliis eorum administrationem tangentibus, Statutum *Viennensis Concilii* (*a*) & juris communis dispositionem in nostris civitate & Diœcesi precipimus observari. (*b*)

Sequitur (c) *de Conciliis Provincialibus & Synodalibus celebrandis post annum 1431.*

SAcrosancta Generalis *Synodus Basiliensis* in Spirtu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam representans, ad perpetuam rei memoriam. Pridem hec Sancta Synodus quoddam saluberrimum promulgavit decretum pro stabilitate, & robore Generalium Conciliorum, *quorum frequens celebratio precipua est agri Dominici cultura.* Verum cum ad eandem culturam non dubium sit pertinere Synodos Episcopales, & Concilia Provincialia prout veteres Canones decreverunt frequentari; Ideo eadem Sancta Synodus antiquos, & laudabiles mores nostris cupiens temporibus observari, statuit, atque precipit, Synodum Episcopalem in qualibet Diœcesi post octavas Dominice Resurrectionis, vel alia die secundum consuetudinem Diœceseos ad minus semel in anno; ubi non est consuetudo, bis annuatim celebrari per Diœcesanum propria in persona, nisi Canonico impedimento fuerit impeditus, & tunc per Vicarium ad hoc idoneum, que Synodus saltem triduo, vel biduo duret, vel prout necessarium Episcopo visum fuerit. Prima autem die convenientibus Diœcesano, & omnibus aliis, qui in hujusmodi Synodis interesse tenentur, infra Missarum solennia, vel post Diœcesanus, vel alius ejus nomine Verbum Dei proponat, exhortando omnes ad bonos mores sectandum, abstinendum a vitiis, & ad ea, que pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam, & officia singulorum, presertim ut hi, quibus animarum cura commissa est, diebus Dominicis, & aliis solennibus plebem subjectam doctrinis, & monitis salutaribus instruant; Postea legantur Statuta Provincialia, & Synodalia, & inter alia aliquis compendiosus tractatus docens, quomodo Sacramenta ministrari debeant, & alia utilia pro instructione Sacerdotum. Deinde ipse Diœcesanus de vita & moribus subditorum solerter inquirat, labem simoniace pravitatis, contractus usurarios concubinatum, fornicationem, & alia quevis crimina, & excessus debita correctione cohibeat. Alienationes rerum Ecclesiasticarum a jure prohibitas revocet, abu-

(*a*) Concilium Viennense in Delphinatu Generale vocatur, celebratum anno 1311. & 1312.

(*b*) Inter Statuta Wilhelmi XI. in hac Synodo anni 1447. resuscitata, ex Synodo Eystettensi sub Bertholdo anno 1364. celebrata.

(*c*) Cum Bertholdus Episcopus obierit anno 1365. & Synodus Basiliensis cœperit anno 1431. ad 1438. hinc quæ subjiciuntur Synodo Eystettensi a Bertholdo coactæ anno 1364, adjecta sunt Statutis Eystettensibus a posteriore Episcopo, ex Synodo Basileensi excerpta.

abusus Clericorum & aliorum subjectorum, que circa Divinum Officium, delationem debiti habitus defecerint, in melius reformet, & emendet, & quam multa scandala sepe contingunt ex eo, quod *Constitutio BONIFACII Pape VIII.* que incipit: *Periculoso*, edita super clausura Monialium, non servatur: studeat ipse Diœcesanus, ut omnino juxta ipsius constitutionis tenorem executioni demandetur, nec non ut quicunque Religiosi Diœcesano subjecti regulas, & constitutiones suarum religionum, presertim ut ab eis omnis proprietas abdicetur, inviolabiliter observetur, ne etiam in receptione ipsorum ad religionem quidquam per simoniam exigatur. Precipua autem in ipsa Synodo Episcopi cura sit inquirere, ac debitis remediis occurrere, ne aliquod dogma hereticum, erroneum, aut scandalosum, piarum aurium offensivum, sortilegia, divinationes, incantationes, superstitiones, & quevis diabolica figmenta Diœcesim suam inficiant. Instituantur preterea testes Synodales, viri graves, providi, & honesti, legis Dei zelum habentes juxta Diœcesis latitudinem in numero competenti, aut alii eorum probitatem habentes, ubi alii non sunt ad hoc instituti, qui si Diocesano minus idonei videantur eos amovendo, alios prout ei videbitur expedire, instituat: hi autem in manibus ipsius Diœcesani, vel sui Vicarii jurare teneantur, ut tradit Canon *Episcopus* in Synodo, qui per anni circulum lustrantes ipsam Diœcesin, que corrigenda vel reformanda viderint, his, ad quos talia corrigere, vel reformare pertinet, referant, que nisi correcta, vel reformata jam fuerint, ad Synodum subsequentem proferant, in qua debitis remediis occurratur, sed & preter illa, que a testibus Synodalibus, vel aliis eorum officium exercentibus Diœcesanus audierit. Inquirat & ipse diligenter de cunctis suorum subditorum excessibus, & aliter in delinquentes insurgat correctionis debite disciplina, ut aliis malignari volentibus transeat in exemplum. Celebretur quoque in singulis Provinciis saltem infra biennium a fine Concilii Generalis, & demum ad minus semel de triennio in triennium Provinciale Concilium in loco tuto, in quo tam Archi-Episcopus, quam Suffraganei omnes & alii, qui in hujusmodi Conciliis Provincialibus interesse tenentur, debite vocati intersint; quod si Episcopus Canonico fuerit impedimento detentus, Procuratorem suum destinet non solum ad excusandum, & probandum absentie causas, sed etiam ad ipsius nomine in Concilio interessendum, suscipiendumque, quicquam Concilium duxerit statuendum. Alioquin ipse Episcopus a perceptione medietatis fructuum unius anni sue Ecclesie, qui per personam in ipso Concilio deputandam in ipsius sue Ecclesie fabricam effectualiter convertantur, eo ipso sit suspensus. Alii vero venire negligentes, Concilii arbitrio puniantur, aliis juris pœnis in suo robore duraturis; Concilio autem generali durante, & per sex menses ante, hujusmodi Provincialia Concilia non celebrentur. Porro in hujus inchoatione Concilii ipse Metropolitanus, vel alius ejus nomine infra Missarum solennia, vel post exhortatorium sermonem faciat de iis, que ad statum Ecclesiasticum, & precipue ad Pontificale officium pertinent, seriose memorando, comminandoque singulis, quod juxta Prophete sententiam: si eorum culpa cujusvis anima perierit, illius sanguis de manibus eorum a Deo exigetur. Precipue autem fiat tunc monitio exacta, ut dignis, & bene meritis, quorum vita sufficienti testimonio nota sit, Ordines & Beneficia sine ulla simoniaca labe conferantur. Et super omnia, ut in animarum cura committenda summa diligentia, & matura inquisitio adhibeatur: & ut bona Ecclesiastica nullatenus ad usus illicitos, quin imo ad honorem Dei, Ecclesiarum conservationem, habenda secundum Sacros Canones precipua cura pauperum, & indigentium laudabiliter convertantur. Scientes, quod de his omnibus apud tribunal eterni Judicis usque ad minimum quadrantem rationem reddituri sunt. In quibus quidem Conciliis de corrigendis excessibus moribusque subditorum reformandis, & precipue qualiter Episcopi in conferendis Beneficiis, confirmandis electionibus, ministrandis ordinibus, deputandis confessoribus, predicando ad populum, & puniendo excessus subditorum, observatione que Episcopalium Synodorum, ceterisque ad officium Episcopale, ac jurisdictionem, & administrationem eorum in spiritualibus, & temporalibus quodlibet spe-

ſpectantibus ſe geſſerint; & preſertim ſi a ſimoniaca labe manus innoxias ſervent, diligens inquiſitio ſecundum juris communis diſpoſitionem fiat, ut omnes, qui in premiſſis deliquiſſe comperti fuerint, per ipſum Concilium puniantur, & corrigantur. Simili modo de ipſo Metropolitano circa omnia ſupra dicta diligenter inquiratur, cujus exceſſus, & defectus ipſum Concilium eidem ſpecialiter exprimat, ipſum ammonendo, & obſecrando, ut cum aliorum Pater vocetur, & eſſe debeat, a talibus omnino deſiſtat, & nihilominus inquiſitionem de ipſo habitam in ſcriptis redactam ad Romanum Pontificem, vel alium ejus Superiorem, ſi quem habet, ſine mora ttansmittat, ut ab eo punitionem, & reformationem ſuſcipiat condecentem. Inter cetera, ſi que diſcordie, contentiones, & inimicitie inter quoscunque viguerint, que quietem, & tranquillitatem Provincie poſſent perturbare, curet omni ſtudio Sacrum Concilium illa ſedare, & more piorum Patrum ad pacem concordiamque filiorum vigilanter intendat, & ſi inter Regna, Provincias, ſeu Principatus hujusmodi diſcordias ſuſcitari contigerit, mox Sancti Dei Antiſtites Concilia Provinciarum ſuarum ſimul congregari procurent, & ſibi invicem conſilium, & auxilium impendentes cuncta diſcordiarum fomenta amputare ſtudeant, neque alicujus amore, vel odio pretermittant, ſed ad Deum ſolum, & ſalutem populi mentis oculos erigentes ad ſanctum pacis opus, omni tepiditate ſemota, invigilent. Cogitentur inſuper in Provinciali Concilio, quod immediate Generale Concilium ſequens antecedit, omnia, que in eodem Generali Concilio viſa fuerint proſequenda ad Dei Gloriam, & Provincie commodum, ſalutemque populi Chriſtiani. Ibidemque eligantur in numero competenti, qui ad proximum Generale Concilium nomine totius Provincie debeant proficiſci, quibus per ſubſidium, vel alias provideatur, prout, & de jure, & Concilio Provinciali viſum fuerit expedire: ita tamen, quod illi, qui ultra perſonas, ut predictum eſt, deputatas ad ipſum Concilium Generale accedere voluerint, aut eorum Clerus nullatenus propterea graventur. Relegantur in uno quoque Provinciali Concilio, que ſecundum Canonicas Sanctiones in eisdem legi precipiuntur, ut ea & inviolabiliter obſerventur, & transgreſſoribus pœne debite inferantur. Quod ſi Metropolitani, vel Diœceſani predictis terminis in celebrandis Provincialibus, & Epiſcopalibus Synodis, ceſſante legitimo impedimento fuerint negligentes, medietatem omnium fructuum, & obventionum, ratione ſuarum Eccleſiarum ad eos pertinentium fabricæ ipſarum Eccleſiarum applicandam eo ipſo amittant, qui ſi in eadem negligentia per tres proximos menſes perſeveraverint, ab Officiis, & Beneficiis ſint ipſo facto ſuſpenſi, quibus transactis temporibus ſub ante ſcriptis pœnis antiquior in Provincia ordine Epiſcopus ipſius Metropolitani Epiſcopi autem major in dignitate Pontificali in Sacris conſtitutus, niſi ad alios forſan de conſuetudine, vel privilegio pertineat, negligentiam in celebrandis dictis Provincialibus, & Epiſcopalibus Synodis ſupplere teneatur. Jubet inſuper hec Sancta Synodus omnibus Prelatis Religionum, & Ordinum quorumcunque, ad quos celebrare Capitula pertinet, quod illa Statutis temporibus ſub predictis pœnis ſervent, & ſervari faciant, in quibus ſecundum Canonicas Sanctiones, & Religionum Conſtitutiones cum omni ſtudio & diligentia ad veram ſingularum Religionum, & Ordinum reformationem intendant; ita, ut deinceps in ſingulis Monaſteriis juxta proprias regulas, & conſtitutiones debite regularis fiat obſervantia, & precipue ut tria ſubſtantialia vota omnino ſerventur. Per premiſſa autem hec Sancta Synodus non intendit juribus quorumcunque quomodolibet derogare. Datum *Baſilee* in Seſſione publica &c. &c. VI. Kal. Octobris, anno triceſimo ſexto.

De publicis Concubinariis.

Sacroſancta Synodus Baſilienſis (a) *in Spiritu Sancto legitime congregata, Univerſalem Eccleſiam repreſentans, ad perpetuam rei memoriam.*

Quicunque Clericus, cujuscunque ſtatus, conditionis, dignitatis etiamſi Pontificalis, vel alterius preeminentie exiſtat, qui

(a) Seſſione XX. anni 1435. 23. Januarii cum jam Pontificia auctoritate diſſolutum eſſet Conciliabulum Baſileenſe.

qui post hujus constitutionis notitiam, quam habere presumatur per duos menses post publicationem ejusdem in Ecclesiis Cathedralibus, quam ipsi Diœcesani omnino facere teneantur, postquam eadem constitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium suorum Beneficiorum trium mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat; nec non & hujusmodi publicum concubinarium, ut primum talem esse innotuerit, mox suus Superior monere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat, quod si non dimiserit, vel dimissam, aut aliam publice resumpserit: jubet hec Sancta Synodus, ut ipsum suis omnibus Beneficiis omnino privet. Et nihilominus hi publici concubinarii usque quo cum eis per suos Superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vite emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, vel officiorum sint inhabiles, qui, si post dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad predicta prorsus inhabiles existant. Quod si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut predictum est, punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipsos de neglectu, quam in illos de concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant: in Conciliis etiam Provincialibus, & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos etiam per suspensionem a collatione Beneficiorum; vel alia condigna pœna severiter procedatur. Et si hi, quorum destitutio ad Summum Pontificem spectat, per Concilia Provincialia, aut suos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, statim cum processu & inquisitione ipsi Summo Pontifici deferantur: eadem diligentia & inquisitio in quibuscunque Capitulis Generalibus, & Provincialibus quoad suos servetur pœnis aliis contra predictos, & alios non publicos concubinarios statutis in suo robore permansuris. Publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quam nulla possit tergiversatione celare, notorius est; Sed qui mulierem de continentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum Superiorem admonitus ipsam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios questus a concubinariis percipere non erubescunt, patiendo eos, in tali fœditate sordescere; sub pœna maledictionis eterne precipit, ne deinceps sub pacto compositionis, aut spe alicujus questus talia quovis modo tolerent, aut dissimulent, alioquin ultra premissam negligentie pœnam duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere ad pios usus omnino teneantur, & compellantur. Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas Prelati modis omnibus curent a suis subditis, etiam per brachii secularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere: qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Jubet insuper hec Sancta Synodus, ut etiam in predictis Synodis, & Capitulis hec constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Injungit preterea omnibus secularibus viris, etiamsi Regali prefulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum quocunque quesito colore Prelatis, qui ratione officii sui adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessario evitandum, moneant omnes laicos tam uxoratos, quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant: nimis reprehensibilis est, qui uxorem habet, & ad mulierem alienam accedit, qui vero, si solutus est, continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat: pro hujusmodi autem Divini observatione precepti hi, ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni studio laborent.

Sequitur Decretum de excommunicatis vitandis.

Ad vitandum scandala, ac multa pericula, subveniendumque conscientiis timo-

moratis ſtatuit hec Sancta Synodus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra, pretextu cujuscunque ſententie, aut cenſure Eccleſiaſtice, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgate teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujusmodi fuerint in vel contra *perſonam*, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum *certum*, vel *certam* a *Judice publicata*, vel denuntiata *ſpecialiter*, & *expreſſe*, aut ſi aliquem ita notorie excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, que nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari. Nam a communione illius abſtineri vult juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

De Interdictis ſervandis.

Quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueverunt ſcandala evenire, ſtatuit hec Sancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, caſtrum, villa, aut locus Eccleſiaſtico ſupponi poſſint interdicto, niſi ex cauſa, ſeu culpa ipſorum locorum, aut Dominii, ſeu Rectoris, vel Officialium: propter culpam autem ſeu cauſam alterius cujuscunque private perſone hujusmodi loca interdici nequaquam poſſint auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, niſi talis perſona prius fuerit excommunicata, ac denuntiata, ſeu in Eccleſia publicata, ac Domini, ſeu Rectores, vel Officiales ipſorum locorum auctoritate Judicis requiſiti hujusmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint, qua etiam poſt biduum ejecta, recedente, vel ſatisfaciente mox Divina reſumi poſſint, quod etiam in pendentibus locum habeat.

De Cultu Divino.

Quomodo Officium Divinum in Eccleſia ſit celebrandum.

Si quis Principem ſeculi rogaturus, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non precipiti, ſed diſtincta, attentaque mente ſe ipſum, ac verba ſtudet componere: quanto diligentius in ſacro loco omnipotentem oraturus Deum hec omnia facere curabit. Statuit igitur hec Sancta Synodus, ut in cunctis Cathedralibus, ac Collegiatis Eccleſiis horis debitis, ſignis, congrua pulſatione premiſſis Laudes Divine ſingulas horas non curſim, ac feſtinanter, ſed aſiatim & tractim, & cum pauſa decenti preſertim in medio cujuslibet verſiculi Pſalmorum debitam faciendo inter ſolenne & feriale officium differentiam reverenter ab omnibus perſolvantur: Horas Canonicas dicturi cum tunica talari, ac ſuperpelliciis mundis ultra medias tibias longis, vel cappis juxta temporum, ac regionum diverſitatem Eccleſiam ingrediantur, non caputia, ſed almutia & birreta tenentes in capite. Qui cum in Choro fuerint, gravitatem ſervent, quam & locus, & officium exigunt, non inſimul ac cum aliis confabulantes, ſeu colloquentes, aut literas, ſeu ſcripturas alias ibidem legentes, & cum pſallendi gratia ibidem conveniant, muta & clauſa labia tenere non debent, ſed omnes, preſertim qui majori funguntur honore, in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, omnes conſurgant. Cum nominatur glorioſum illud nomen JESUS, in quo omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum hore publice cantantur, legat, vel dicat privatim officium. Quia non ſolum obſequium, quo obnoxius eſt, choro ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debite obſervandis, aliisque ad Divini Officii perſecutionem, ac chori diſciplinam ſpectantibus Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumſpiciens; horum autem transgreſſores illius hore, in qua circa predicta exceſſerint, vel alia majori, prout transgreſſionis quantitas exigit, plectantur pœna.

Item, quo tempore quiſquis in Choro eſſe debet.

Qui in Matutinis ante finem Pſalmi: *Venite exultemus.* In aliis horis ante finem primi Pſalmi: in Miſſa ante ultimum *Kyrie eleyſon*, uſque ad finem Divino Officio non

non interfuerit, nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta a Presidente chori licentia discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur. Salvis Ecclesiarum consuetudinibus, si que forte circa hoc artiores existant. Idem in his observetur, qui a principio usque ad finem in processionibus non permanserint, pro cujus executione deputetur aliquis onus habens, notandi personas singulas statuto tempore non convenientes, juramento astrictus agere fideliter, & nulli parcere. Jubet etiam Sancta Synodus, quod in illis Ecclesiis, in quibus singulis horis certe distributiones statute non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, si opus sit, deputentur, & juxta mensuram laboris plus minusve quisque capiat emolumenti, tollens prorsus abusum illum, quo in una duntaxat hora presens totius diei distributiones usurpat, & illum, quo Prepositi, vel Decani, aut alii Officiales ex hoc solum, quod Officiales sunt, licet actualiter pro utilitate Ecclesie non absint, quotidianas distributiones percipiunt.

Item qualiter Hore Canonice extra Chorum dicende sunt.

Quoscunque etiam alibi Beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet hec Sancta Synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes seu deglutiendo, vel sincopando dictiones, nec colloquia, vel risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati Divinum diurnum, nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis peragant, ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur, ad que se disponere, & preparare debent juxta illud, quod scriptum est: *Ante orationem prepara animam tuam, ne sis quasi, qui temptat Deum.*

De his, qui tempore Divinorum vagantur per Ecclesiam.

Quicunque in Ecclesia Beneficiatus presertim de majoribus Divinorum tempore per Ecclesiam, vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo vagari visus fuerit, non solum illius hore, sed totius diei presentiam ipso facto amittat, qui si semel correctus non destiterit, per mensem distributionibus careat, vel graviori, si pertinacia exegerit, pœne subjaceat, ita, ut tandem desistere cogatur: prohibeatur etiam, ne Divina Officia tumultuose quorumcunque per Ecclesiam discursus impediant, aut perturbent. Regulares, qui in Conventualibus Ecclesiis circa predicta excesserint, gravi pœna Superiorum arbitrio castigentur.

De Tabula pendente in Choro.

Ut cuncta in Domo Dei ordinate procedant, & quilibet sciat, quid sibi agendum imminet, statuatur tabula aliqua continuo pendens in Chóro, in qua, quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, aut majus tempus legendum, vel cantandum sit: qui autem secundum quod descriptus fuerit, facere per se, vel per alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones unius diei amittat.

De his, qui in Missa non complent Credo, vel cantant cantilenas.

Abusum aliquarum Ecclesiarum, in quibus *Credo in unum.* quod est Symbolum, & Confessio Fidei nostre, non complete usque ad finem cantatur, aut Prefatio, seu Oratio Dominica obmittitur, vel in Ecclesia cantilene seculares admiscentur, seu Missa etiam privata sine Ministro preter secretas orationes ita submissa voce dicitur, ut a circumstantibus audiri non possit, abolentes statuimus, ut, qui in his transgressor inventus fuerit, a suo Superiore debite castigetur.

De Pignorantibus Divinum Cultum.

Abusum etiam illum Cultui Divino manifeste derogantem, quo nonnulli Ecclesiarum Canonici contrahentes debita sic se Creditoribus obligant, ut nisi statuto tempore satisfaciant, a Divinis cessetur officiis, abolentes, & obligationem hujusmodi etiamsi jurejurando firmata sit, sic irritam decernentes statuimus, ut qui talem illicitum contractum fecerint, trium mensium fructus ipsi Ecclesie applicandos ipso facto amittant, & quamdiu Divina non resumpserint, nullos ex ipsa Ecclesia proventus recipiant.

De tenentibus Capitula tempore Missæ majoris.

Prohibet hec Sancta Synodus, ut tempore Misse, presertim diebus solennibus Capitula, seu actus Capitulares, aut alii contractus per Canonicos non celebrent, nisi forte urgens & evidens ingruerit necessitas. Qui vero ad talem horam Capitulum indixerit, a distributionibus quotidianis per hebdomadam sit suspensus, neque ipsi Canonici pro illa hora ipsas distributiones lucrentur.

De Spectaculis in Ecclesiis non faciendis.

Turpem illum abusum in quibusdam frequentatum Ecclesiis, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo, & vestibus Pontificalibus more Episcoporum benedicunt, alii, ut Reges ac Duces induti, quod *festum fatuorum, innocentum*, *seu puerorum* in quibusdam Regionibus nuncupatur, alii larvales & theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium & mulierum facientes, homines ad spectacula & cachinationes movent; alii commessationes & convivia ibidem preparant, hec Sancta Synodus detestans statuit, & jubet tam Ordinariis, quam Ecclesiarum Decanis, & Rectoribus sub pœna suspensionis omnium proventuum Ecclesiasticorum trium mensium spatio, ne hec & similia ludibria, neque etiam mercantias, seu negotiationes nundinarum in Ecclesia, que domus orationis esse debet, ac etiam cimiterio exerceri amplius permittatur. Transgressores per Censuram Ecclesiasticam, aliaque juris remedia punire non negligant. Omnes autem consuetudines, statuta, ac privilegia, que his non concordant, circa hec Decreta, nisi forte majores pœnas addicerent, irritas esse hec Sancta Synodus decernit.

Datum in Sessione publica in Ecclesia Majori Basiliensi solemniter celebrata, die Jovis, nona Mensis Junii, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo tricesimo quinto.

Ex impresso codice Eystadii in 4to. extante in Collegii Augustani S. JEsu Bibliotheca Pluteo FL.IV. N. 13. commodato mibi anno 1759. a P. Bonschab S. J.

Item extante in Biblioth. Collegii Herbipolensis S. J. anno 1762. commodato mibi a P. Thoma Grebner.

Anno Christi MCCCCXLVII. Non. Februarii
EUGENII Papæ IV. Concessio, ut Decreta Concilii Basileensis, ab ALBERTO Rege acceptata, porro in Germania observentur, usque ad futuram modificationem Romæ.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

§. I. AD tranquillitatem, & commoda omnium Christi fidelium, & præsertim Nationis Germanicæ, quam Apostolica Sedes singulari affectione prosequitur, diligenti studio intendentes, ea libenter concedimus, per quæ ipsius Nationis personarum quieti, & commoditatibus consulatur.

§. II. Sane *ad instantiam Carissimi in Christo Filii nostri, FRIDERICI, Romani Regis*, Illustris & Venerabilis Fratris nostri, THEODORICI Archi-Episcopi Maguntinensis, ac Dilecti Filii nobilis Viri, FRIDERICI, Marchionis Brandenburgensis, per alias nostras litteras, nonnulla circa Concilium Constantiense, ejusque Decreta, nec non futuri convocationem Concilii, mentem nostram concernentia declaravimus, prout in ipsis litteris plenius continetur. Super aliis autem Decretis, Basileæ editis, & per *claræ memoriæ quondam ALBERTUM Romanum Regem acceptatis*, ex quorum observantia, *Natio Germanica præfata, ex pluribus gravaminibus dicitur relevari;* contenti sumus, volumus, ac decernimus, quod omnia & singula, vigore Decretorum hujusmodi, cum suis modificationibus acceptato-


tatorum, per eos, qui illa acceptarunt, vel acceptantibus in Natione præfata adhæserunt, usque in præsentem diem, quomodolibet gesta, vel acta sunt, cum omnibus inde secutis, rata, firma, & inviolabilia persistant, nec inposterum a quoquam, quavis authoritate cassari, annullari, aut irritari, quovis modo valeant, vel revocari; Quodque omnes, & singuli, qui usi sunt illis, ac in vim dictorum Decretorum, a die acceptationis eorundem, quicquid consecuti sunt, securi sint, & quieti, nec propterea impeti, turbari, aut molestari possint quomodolibet in futurum.

§. III. Super observatione vero, & modificatione decretorum eorundem, cum nonnulli Prælati Nationis præfatæ ex eisdem decretis gravatos se fore conquesti sint, *cumque in illis Apostolicæ Sedi, quæ multum in suis juribus, ex ipsis decretis gravata dignoscitur*, *recompensatio præmissa sit*, decrevimus, *Legatum nostrum cum sufficienti potestate ad partes Germaniæ hujusmodi transmittere*, qui mediantibus Rege, Archi-Episcopo, Marchione præfatis, ac aliis ejusdem Nationis Principibus & Prælatis, cum quibus fuerit opus, super observantia, & modificatione decretorum hujusmodi, nec non super provisione Sedi prædictæ faciendis, tractare poterit, & finaliter concordare.

§. IV. Permittentes interim, & indulgentes, quod omnes & singuli, qui præfata decreta receperunt, vel recipientibus, ut præmissum est, adhæserunt in præfata natione, illis similiter cum modificationibus, quibus recepta sunt, libere, & licite uti possint, quas etiam circa singula præmissa manuteneri, & defensari volumus, donec per Legatum hujusmodi, ut prædictum est, concordatum fuerit, vel per Concilium, quod ad prædictorum Regis, & Prælatorum, & Principum exhortationem convocare proponimus, *aliter fuerit ordinatum*, non contraventuri, nec contravenientibus consensuri quovis modo. Speramus autem, & a certo tenemus dictos Regem, Archi-Episcopum, Marchionem, & alios Principes, & Prælatos tanquam devotos ipsius Sedis non passuros, medio tempore, Romanam Ecclesiam remanere in suis juribus spoliatam.

§. V. Hanc autem concessionem ad eos, qui declarationi, vel obedientiæ per suos Prælatos, vel Superiores Nobis factæ, aut infra sex menses faciendæ, se opponerent, nullatenus extendi volumus, vel eis opitulari. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attemptari. Nulli ergo omnino homini liceat, hanc paginam nostræ constitutionis, permissionis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quadringentesimo, quadragesimo septimo, Nonis Februarii, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

Ex Constitutionum Imperii Cl. Senckenbergii Collectione Germanica, Parte I. pag. 177.



JACOBI Electoris Trevirensis, & aliquot Germaniæ Principum Avisamentum de eo, quod sibi videtur dirimundo Schismati aptissimum, (a) *Anno MCCCCXLVII. Mense Julio.*

Advisata in facto Pacis Ecclesiæ, in quibus Reverendissimus in Christo Pater, & Illustrissimus Princeps Dominus JACOBUS Archi-Episcopus Trevirensis pro se, ac Illustribus Principibus Dominis T. Archi-Episcopo Coloniensi, L. Co-

(a) De his Avisamentis ita ex *Monstreleto* Raynaldus *Contin. Annal. Baron. Tom. XVIII. ad annum MCCCCXLVII. N.* 20. " Mense Julio Trevirensem Archi-Episcopum, " Regis Francorum, Ducis Saxoniæ, & Coloniensis Archi-Episcopi, Electorum Impe-

Comite Palatino Rheni, Duce Bavariæ, & Friderico Duce Saxoniæ ſuis Coeleɑoribus, ſe conformare voluerit Sereniſſimo; & Chriſtianiſſimo Domino Regi Francorum, in modum, qui ſequitur: Primo enim deſiderant ipſa Regia Majeſtas, & præfati Domini quatuor Electores ſui confœderati, quod bona pax, & tranquillitas vigeat inter Viros Eccleſiaſticos ubique per orbem, ex qua ſtatus melius diſponentur, & magna bona univerſæ Chriſtianitatis proveniant, intenduntque efficaciter laborare, quod diviſiones & differentiæ modernis temporibus exiſtentes in Eccleſia Dei primitus ſedentur, & pacificentur, quodque unum Concilium Generale pro bono Eccleſiæ celebretur, in quo magna bona, Deo concedente, procurabuntur; nec non Conciliorum Generalium auctoritas refloreat, & ab omnibus in debita reverentia, & obſervatione habeatur.

Et quoniam hactenus magnæ & pene inextricabiles altercationes intervenerunt inter felicis recordationis EUGENIUM *Papam IV. & Concilium Baſileenſe*, ac eos, qui eidem interfuerunt, variique proceſſus, ſententiæ, cenſuræ, privationes; & pœnæ hinc inde occaſione præmiſſorum emanarunt, & adhuc aliqui in *Baſilea*, aliqui in *Laterano* ſe Concilium habere dicunt. Quibus altercationibus finem expedit imponere, ut citius & convenientius pax in Dei Eccleſia haberi, nec non ad pacatam, & fructuoſam celebrationem *unius Concilii Generalis* perveniri poſſit. Conſiderantes Rex & præfati Principes Electores, quod Catholica univerſalis Eccleſia diffuſa per orbem, & communitas fidelium ut plurimum hujusmodi proceſſus, ſententias, cenſuras, privationes, & pœnas &c. &c. hinc inde emanatas, non recepit, nec ratas habuit, licet jam ad informationem de iis habendam magnum tempus effluxerit; volentes inniti ipſe Rex & prædicti Domini Principes Electores authoritati, & obſervationi *ipſius univerſalis Eccleſiæ*, & eam inſequentes, atque efficere ſatagentes, quæ ejusdem Eccleſiæ paci congruunt, ſicuti pacem ipſam proſequi intereſt Principum, & Prælatorum; viſum eſt diſponendum & ordinandum, firmiterque obſervandum, etiam quantum ad Dominum Ducem Sabaudiæ & Dominia ſua, qui diſpoſitioni & ordinationi Regis ſtare promiſit, atque apud omnes, ubi opus fuerit, proſequendum, quod ſicut communior Eccleſiæ obſervatio huc uſque habuit, præfati proceſſus, ſententiæ, cenſuræ, privationes & pœnæ occaſione præmiſſorum, & omnium ex eis dependentium (eſto etiam, quod in hujusmodi cenſuris, privationibus &c. aliæ cauſæ adderentur) hinc inde emanatæ, & quæcumque mandata, ordinationes, ſeu dicta, conſcripta, aut quomodolibet acta, ſeu geſta in hujusmodi rerum perſequutione, cujuscunque, vel quorumcunque, adverſus quemcunque vel quoscunque, omniscunque ſtatus, gradus, dignitatis, vel conditionis etiamſi Papalis, Cardinalatus, Archi-Epiſcopalis, Epiſcopalis exiſterent, ſeu quocunque nomine etiam Papæ vel Concilii hæc facta ſunt, pro non factis habeantur, quorum omnium tenores hic habeantur pro expreſſis, etiamſi talia ſint, de quibus mentio ſpecialis de verbo ad verbum habenda foret. Eſto etiam, quod talia univerſalem Eccleſiam, & authoritatem Conciliorum univerſalium, aut Sedis Apoſtolicæ concernant quovis modo; omnisque diſſenſio, diviſio, & ſciſſura occaſione horum proveniens penitus auferatur, aut dimittatur, ac ſi nunquam prædicta facta fuiſſent; tractatus pacis, & concordiæ inter præfatum Papam EUGENIUM, & omnes & ſingulos, qui Concilio Baſilienſi interfuerunt, ſeu tanquam eidem Concilio, aut geſtis ejus adhærentes, cum eo, ſeu ipſe cum eis aliquas differentias habuerunt, adviſatus per ipſum Chriſtianiſſimum Dominum Regem Francorum, continuetur & perficiatur. Reſpectu S. D. N. NICOLAI Papæ

" Imperii, tum Ducis Sabaudiæ, & Baſileenſium; atque in iis Cardinalem Arelatenſem, nec non Angliæ & Siciliæ Regum Oratores conveniſſe, ac poſt plura colloquia Amedeum adeundum, ut ad pacem ipſum urgerent, decreviſſe, collatisque cum ipſo & Pſeudo-Cardinalibus ſermonibus, compoſitas concordiæ formulas, quas Angliæ Regis Oratores Pontifici expoſuêre, indignas prorſus reſponſo, ipſumque numquam iis ſe aſſenſurum dixiſſe, *refert idem Monſtreletus.* Uti vero aliquas admiſerit Nicolaus, alias reſpuerit, atque Amedeus Pſeudo-Pontificatu ſe abdicaverit, proximo anno dicetur. *Nota Illmi Hontheimii.*

Papæ V. cui per eosdem, qui Concilio Basilienfi, aut geftis ejus quovis modo adhæferunt, faverunt, aut obediverunt, & per quofcunque alios, qui præfato EUGENIO, aut ipfi S. D. N. Papæ NICOLAO contrariati fuerint, omnis honor, reverentia, & obedientia, eisque per ipfum S. D. Papam NICOLAUM omnis honor & paterna dilectio abfque prædictorum recordatione exhibeatur. Quodque deinceps ab appellatione Concilii Generalis tam in Bafilea, quam in Laterano (quæ appellatio non jam unitati Ecclefiæ de cætero proficeret, fed obeffet) penitus ceffetur, ut fic omni impedimento fublato ad Concilium Generale, ficuti præmittitur, habendum, quod ab omnibus Chriftianis in unanimitate & concordia reputetur, perveniri poffit.

Non tamen intendunt præfati Domini, quod per prædicta, decretis acceptatis cum fuis modificationibus tam in Imperio, quam in Regno Franciæ aliquod intelligatur præjudicium generari.

Item, quod unicuique volenti habere literas fuper prædictis expediantur in forma meliori. Dignum infuper arbitrantur Regia Majeftas & Principes Electores præfati, & ad hoc operam cum effectu impendent, quod Patri Domini Ducis Sabaudiæ fe prædictæ obfervationi communis univerfæ Ecclefiæ diffufæ per orbem conformanti, & promiffionem ejufdem Domini Ducis Filii fui præfato Chriftianiffimo Regi factam, quæ ipfo Patre fciente, & non contradicente, nec prohibente in dubio facta præfumitur, amplectenti cum effectu, atque pro tanto bono pacis Ecclefiæ omnino nomen & titulum Papatus dimittenti, honor exhibeatur, ac ftatum honorabilemque provifionem in Ecclefia habeat, nec non etiam, quod per eum promoti ad dignitates & honores Ecclefiafticos, qui eos acceptarunt, & ad Beneficia quæcunque, qui ipforum Beneficiorum poffeffionem pacificam habent, in fua obedientia eadem affequantur, & obtineant. Et fimiliter de iis, qui fub nomine *Generalis Concilii Bafilienfis* promoti funt in eorum obedientia. Officiariis quoque fuis omnis confolatio poffibilis fiat; qui tam in Romana Curia, quam fub adminiftratione Domini Patris præfati Ducis Sabaudiæ habebuntur recommiffi: aliqua tamen fuper prædictis privationibus & promotionibus, aliquos particulares tangentia, bonum hujus negotii concernentia, intendit Rex aperire & moderare in conclufione hujus concordiæ.

Ultra prædicta fuper loco & tempore futuri Concilii videbatur prædictis Dominis Principibus Electoribus, quod haberet fieri in uno quinque locorum in Almania nominatorum, fed Domino Regi Franciæ propter rationes quamplures videtur, & ifta inftare intendit, quod locus Concilii rebus gerendis accommodus determinetur in fuo Regno. Verumtamen quantum ad tempus, advifatum eft inter ipfum Dominum Regem Francorum & Principes Electores præfatos, quod videtur omnibus ipfis procurandum, ut incipiat illud Concilium *de Kalend. Septemb.* proxime futuris ad annum.

Item inftabit Dominus Rex Francorum, quod S. D. NICOLAUS Papa V. Concilii Conftantienfis Decretum: *FREQUENS*, & alia ejus Decreta, ficut cætera Concilia, Catholicam militantem Ecclefiam repræfentantia, ipforum poteftatem, honorem, & eminentiam, ficut & cæteri Anteceffores fui fufcipiet, amplectetur, & venerabitur.

Item Dominus Rex Francorum, & quilibet fuorum confœderatorum habeat Bullas fuper indictione futuri Concilii, & fufceptione prætacta, fi obtenta fuerit.

Item fi Dominus Sabaudiæ, vel Dominus Pater ejus, feu quicunque eidem adhærentes, iis pacis & concordiæ mediis, de quibus in præfenti cedula continetur, repugnaverint, aut acquiefcere noluerint, feu diftulerint, quod non fperatur, & deinceps contra eos, aut eorum aliquos per S. D. N. NICOLAUM Papam procedatur, non confidant, quod de cætero in pacificandis, quantum ad eos, negotiis Rex, & præfati Principes Electores, quomodolibet fe intromittant; quin immo intendunt omnibus viis & modis juftis, & rationabilibus præbere auxilium & favorem, proceffibus & cenfuris, & excommunicationibus contra tales fiendis, maxime poftquam con-

tenta in præſentibus adviſamentis fuerint per S. D. Papam NICOLAUM concordata.

Item ſupradictis adviſamentis ſupranominatus Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Illuſtriſſimus Princeps Dominus JACOBUS, Archi-Epiſcopus Trevirenſis, pro ſe, nec non Venerabilis Joannes de Linſſi, utriuſque Juris Doctor, pro parte Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Illuſtriſſimi Principis Domini THEODORICI, Archi-Epiſcopi Colonienſis, & Magiſter Henricus Engellard pro parte Illuſtriſſimi & Excelſi Principis Domini FREDERICI, Ducis Saxoniæ, & Sacri Romani Imperii Principum Electorum miſſi Ambaſiatores ad præfatum Chriſtianiſſimum Dominum Regem Francorum pro prædictis Dominis Archi-Epiſcopo Colonienſi, & Duce Saxoniæ in vim literarum credentalium per eos nuperrime exhibitarum præfato Chriſtianiſſimo Domino Regi Francorum ſe conformant, & concurrunt in modum, qui ſequitur: ſcilicet, quod prædictorum adviſamentorum proſequutio fiat diligenter apud Dominum Patrem Domini Ducis Sabaudiæ, & aliis, ubi erit oportunum, ex parte præfati Sereniſſimi & Chriſtianiſſimi Domini noſtri Regis Francorum, concurrentibus in hoc ſecum, & ſe eidem conformantibus præfatis Domino Archi-Epiſcopo Trevirenſi, & Ambaſiatoribus ipſorum duorum Archi-Epiſcopi Colonienſis, & Ducis Saxoniæ, propter multa pericula, quæ intervenire poſſent, ſi pratica & expeditio præmiſſorum protraherentur in longum, dummodo tamen præfatis Dominis Archi-Epiſcopis Trevirenſi & Colonienſi proviſiones neceſſariæ pro eorum, & omnium ſuorum, ut præmittitur, ſecuritate & indemnitate, & literæ deſuper oportunæ S. D. N. NICOLAI ſub motu proprio in forma meliori, ſecundum apunctuata in prædictis cedulis tradantur, & deliberentur. Factum *Bituricis vigeſimo octavo* die Junii, anno Domini *Milleſimo*, *quadringenteſimo*, *quadrageſimo ſeptimo.*

Ill. Hontheim Tom. II. N. DCCCXXIV. pag. 409.

Anno Chriſti MCCCCXLVII. Kal. Aprilis

NICOLAI V. Confirmatio, & prolixior Declaratio ſuper Conventione antecedenti, uti & EUGENII Papæ Concordata, quæ hic certis modis confirmantur.

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

AD Sacram Petri Sedem divina diſpoſitione ſublimati, ſingulis, quæ pro univerſalis Eccleſiæ unione, ac pace, & tranquillitate profutura conſpicimus, Apoſtolicæ providentiæ ſollicitudinem libenter intendimus, & ad felicem illorum proſecutionem, & conſummationem, opem & operam impendimus efficaces.

§. I. Nuper ſiquidem Chariſſimus in Chriſto Filius noſter FRIDERICUS Rex Illuſtris, & nonnulli alii dilecti Filii, Eccleſiaſtici & ſæculares, Principes, inclutæ Nationis Germaniæ ex una; ac Dilectus Filius noſter JOANNES, S. Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apoſtolice Sedis de latere Legatus, per Nos ad dictas partes miſſus, ſufficienti deſuper a Nobis & Sede Apoſtolica auctoritate ſuffultus, ex alia partibus; Romanæ, & dictæ Nationis nominibus (*a*) pro ipſius Eccleſiæ unione, pace, & tranquillitate inter Eccleſiam & Nationem prædictam, perpetuo ſolidandis, & conſervandis, diverſa rationabilia, & utilia, ordinationes, ſtatuta, ac partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa, acceptata, & concordata fecerunt, ut illis, pro firmiori eorum ſubſiſtentia (*b*) robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, nec non

(*a*) Goldaſtus Conſt. Imp. Tom. I. pag. 408. legit: *nomine*, pro *nominibus*.
(*b*) Von Andler legit *Subſtantia* Corp. Conſt. Imp. pag. 494.

non auctoritatem potiorem, & decretum interponere dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui ſtatuta, ordinationes, & concordata prædicta, per nonnullos ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus magnarum maturitatis, authoritatis, & literaturæ viros, diligenter examinari & diſcuti fecimus; eaque rationabilia & ſalubria tam Eccleſiæ, quam Nationi præfatæ fore comperimus; de dictorum, & aliorum Venerabilium Fratrum noſtrorum (c) Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu, Apoſtolica authoritate, & ex certa ſcientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, juxta modum & formam ſubſequentes.

§. III. Placet Nobis ſuper Eccleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque proviſionibus, juris ſcripti reſervationibus, & *Execrabilis*, ac *ad Regimen* conſtitutionibus modificatis, ut ſequitur: Ad regimen Eccleſiæ Generalis, quanquam immeriti, ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod per noſtræ diligentiæ ſtudium, ad quarumlibet Eccleſiarum & Monaſteriorum regimina, & alia Beneficia Eccleſiaſtica, juxta Divinum beneplacitum, & noſtræ intentionis affectum, viri aſſumantur idonei, qui præſint, & proſint committendis eis Eccleſiis, Monaſteriis, & Beneficiis prælibatis. Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus Nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, & etiam Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, & Officia, nec non Canonicatus, Præbendas & Eccleſias, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, vel ſine cura, ſecularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad (d) illa perſonæ conſueverint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, nunc apud Sedem Apoſtolicam, quocunque modo vacantia & in poſterum vacatura; nec non per depoſitionem, vel privationem, ſeu translationem per Nos, ſeu authoritate noſtra factas, & in antea faciendas ubilibet, nec non, ad quæ aliqui in concordia electi ſive poſtulati fuerint, quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renuntiatio, & admiſſa authoritate noſtra extiterit; ſeu quorum electorum, vel poſtulatorum, & in antea eligendorum ſeu poſtulandorum electionem caſſari, ſeu poſtulationem repelli, aut renuntiationem admitti per Nos, aut authoritate noſtra continget, apud Sedem prædictam, vel alibi ubicunque, ac etiam per obitum Cardinalium ejusdem Eccleſiæ Romanæ, aut Vicecancellarii, Camerarii (e) ſeptem Notariorum, Auditoris literarum contradictarum, & Apoſtolici Palatii cauſarum Auditorum, Correctorum, centum & unius ſcriptorum literarum Apoſtolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ ſedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non verorum commenſalium noſtrorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum ſedis ejusdem, in Epitaphio deſcriptorum & etiam quorumcunque Legatorum, ſeu collectorum, ac in terris Romanæ Eccleſiæ Rectorum, ac Theſaurariorum Deputatorum, ſeu miſſorum hactenus, deputandorum aut mittendorum impoſterum nunc vacantia, & in antea vacatura, ubicunque dictos Legatos, vel Collectores, ſeu Rectores & Theſaurarios, antequam ad Romanam curiam adierint (f) ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis a dicta curia ultra duas dietas legales non diſtantibus, jam forſan obierint, vel eos in antea ab hac luce tranſire contigerit; ac etiam ſimili modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, ſeu recreationis, vel alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos, ante-

(c) Goldaſtus & Bullar ponunt *prædictæ Eccleſiæ.*
(d) Andler legit: *in illa.*
(e) (*Aut Officialium dictæ Sedis, quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice Cancellarii, Camerarii.*)
(f) Goldaſtus *redierint* legit, nec non Andler & Bullar.

antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut permittitur (g) non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsan decesserint, vel imposterum eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel imposterum vacatura rursus Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, Decanatus (h), Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, secularia, & regularia, cum cura, vel sine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per Nos, seu authoritate nostra, ad Patriarchalium, Archi-Episcopalium & Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipsis factorum, nunc quocunque modo vacantia, aut imposterum vacatura, nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Ecclesiarum, aut Beneficiorum aliorum per Nos, seu authoritate nostrarum literarum, immediate collatorum, seu conferendorum imposterum, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiet, nunc vacantia & in antea vacatura, plena super præmissis omnibus & singulis, cum Fratribus nostris, collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ, de ipsorum fratrum consilio, authoritate Apostolica reservamus. Decernentes exnunc irritum, & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum per quoscunque, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. IV. Item placet Nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus, etiam immediate non subjectis Ecclesiis & Monasteriis immediate subjectis Sedi Apostolicæ fiant electiones Canonicæ, quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus constitutionis, felicis recordationis NICOLAI Papæ III. quæ incipit: *Cupientes &c.* exspectabimus, & elapso dicto termino, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus Canonicæ fuerint, providebimus, & si Canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & evidenti caussa (k), de dictorum fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, proviso, quod confirmati prædicti, & per Nos (l) provisi, Metropolitanis suis, & aliis præstent debita juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur. Et in Monasteriis dictæ sedi immediate non subjectis, & aliis regularibus Beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel provisione, ad dictam sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione, & provisione hujusmodi ad curiam Romanam venire non tenebuntur. Ipsaque regularia Beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro Monasteriis ad dictam curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & nunc per commissionem ad partes.

§. V. De cæteris vero Dignitatibus & Beneficiis quibuscunque, secularibus & regularibus vacaturis ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus, in Collegiatis Ecclesiis exceptis) de quibus jure ordinario providetur (m) per illos inferiores, ad quos alias pertinet; placet etiam Nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma per Nos, vel authoritate nostra, factam, vel faciendam, non impediamus Nos, quominus de illis, quum vacabunt de *Februarii*, *Aprilis*, *Junii*, *Augusti*, *Octobris & Decembris* mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat, reservatione, aliave quavis dispositione, authoritate nostra factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante Beneficio in *Janu-*

(g) Goldastus ponit *promittitur*. (h) *Decanatus*, omittit Goldastus.
(i) Hæc Constitutio sub tit. *De Electione* legitur.
(k) Goldastus scribit & Bullar c. l. *ac de*. (l) Goldastus c. l. *per eos*.
(m) Goldastus c. l. *provideatur* legit.

Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ sedis reservatis non apparuerit (*n*) infra tres menses, a die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illa (*o*) Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc & non antea, ordinarius, vel alius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio Beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam Nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant, eam acceptandi, tunc quoad dictam sedem a Kalendis *Junii*, proxime futuris, ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

§. VI. Placet similiter Nobis, quod circa provisionem dictæ sedis ordinandam, modus Annatarum hoc modo currat: de Ecclesiis Cathedralibus omnibus & Monasteriis virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis, solvantur de fructibus primi anni, a die vacationis, summæ pecuniarum in (*p*) Camera Apostolica taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur; & si quæ excessive taxatæ sint, retaxentur, & quod provideatur specialiter in gravatis regionibus, secundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur: ad quod petentibus dabimus Commissarios (*q*) in partibus, qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ, pro media parte infra annum a die habitæ possessionis pacificæ, totius vel majoris partis, solvantur (*r*) *& pro alia media parte infra annum sequentem*, & si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvatur, nec debitum hujusmodi in Successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat. De cæteris vero Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis secularibus ac regularibus quibuscunque, quæ authoritate dictæ sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis) solvantur annatæ seu medii fructus, juxta taxam solitam, a tempore possessionis intra annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem non transeat. Sed de Beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur; duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio, de ipsius Nationis consensu contingat immutari.

§. VII. In aliis autem, quæ per felicis recordationis EUGENIUM *Papam IV.* & jam Prædecessorem nostrum, pro dicta natione usque tempus futuri Generalis Concilii, permissa, concessa, indulta & decreta, ac per Nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obvient, ista vice nihil volumus esse immutatum. Et per hoc, quod in concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis literis propter compendiosiorem descriptionem Alamania specialiter appellatur, Natio ipsa censeri non debet a Germanica Natione distincta, seu quomodolibet separata.

§. VIII. Et præterea, quia difficile foret, præsentes literas ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica authoritate decernimus, quod ipsorum transsumpto, Metropolitanorum dictæ Nationis sigillo munito, tanquam præsentibus, si exhiberentur literis, plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentes literæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Et insuper quoque irritum & inane sit, si secus super his a quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigit attentari.

§. IX. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud

(*n*) Goldastus *apparuerint*, pro *apparuerit* scribit.
(*o*) Gold. & Bullar *ille*, pro *illa* legunt.
(*p*) Gold. & Bullar legunt: *in Libris Cameræ Apostolicæ.*
(*q*) Gold. *commissionem* legit, non vero *Commissarios.*
(*r*) *Diversis litteris notarum comma omittitur à NICOLARTI in praxi Benef. pag. 9.*

apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, quadragesimo septimo. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Cl. Senckenberg im Teutschen Reichs-Abschiede *Tomo I.*
In Constitutionum Imperii Collectione Germanica Parte I. pag. 181.

Anno Christi MCCCCXLVII. V. Februarii
Salvatorium EUGENII IV. circa Concessa Germanis.

EUGENIUS EPISCOPUS &c. AD FUTURAM REI MEMORIAM.

DEcet Romani Pontificis prudentiam, quæ per eam juxta qualitatem temporum aguntur, taliter moderari, ut eis Sedi Apostolicæ, aut Romanæ Ecclesiæ nullum præjudicium generetur. Sane cum Carissimus in Christo Filius, FRIDERICUS Rex Romanorum, Illustris ac Venerabilis Frater noster, Archi-Episcopus Moguntinus, & Dilectus Filius FRIDERICUS, Marchio Brandenburgensis, Sacri Imperii Electores, nonnullique alii Nationis Germanicæ Prælati & Principes, quædam petiverint a Nobis fieri, quæ necessitas ipsa, & Ecclesiæ utilitas, ut eos ad nostram, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitatem, & obedientiam alliciamus, Nos concedere quodammodo compellit, Nos ad vitandum omne scandalum & periculum, quod exinde sequi posset, nolentes aliquid dicere, aut confirmare, vel concedere, quod esset contra Sanctorum Patrum doctrinam, vel quod vergeret in præjudicium hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis, quoniam propter imminentem Nobis ægritudinem non valemus, omnia, per eos petita, & per nos concessa, cum ea integritate judicii & consilii examinare, & ponderare, quæ rerum magnitudo & gravitas requirit, tenore præsentium protestamur, quod per quæcumque a Nobis dictis Regi, Archi-Episcopo, Marchioni, Prælatis, Principibus, ac Nationi, responsa, & respondenda, concessa, & concedenda, non intendimus in aliquo derogare doctrinæ Sanctorum Patrum, aut præfatæ Sedis privilegiis & authoritati, habentes pro non responsis, & non concessis, quæcumque talia a Nobis contigerit emanare. Nulli ergo &c. Dat. &c. V. Februar. Anno XVI.

In Constitutionum Cl. Senckenbergii Imperii Collectione Germanica Parte I. pag. 178.

Anno Christi MCCCCXLVII. VII. Idus Februarii
Bulla EUGENII IV. Papæ super diversis Indultis, Dispensationibus, ac Concessionibus, datis FRIDERICO V. Regi Romanorum, & Principibus Germaniæ, qui recesserant a Neutralitate, & obedientiam ei præstiterunt.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

§. I. INter cætera desideria cordis nostri filios quoslibet ad Nostram, & Apostolicæ Sedis obedientiam exoptantes... adduci, illa, temporum qualitate pensata, aliquando concedimus, ordinamus, & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquilitati, & commodis, remotis dissensionibus & scandalis, consulatur, & exinde animarum salutem valeant adipisci. Sane cum propter dissensionem inter Nos, & eos, *qui Basileæ sub nomine Generalis Concilii remanserant*, dudum

dum exortam, *nonnulli Principes tam Ecclesiastici, quam Sæculares Nationis Germanicæ in quadam Neutralitate, & animorum suspensione, a die decima septima mensis Martii, de anno Millesimo, quadringentesimo, tricesimo octavo, usque in præsentem diem se tenuerint*, ea mente, ut asserunt, ut postmodum unanimi consensu in Nostra, & Sedis Apostolicæ obedientia & reverentia, paribus gressibus incedere possent: Et Carissimus in Christo Filius noster *FRIDERICUS*, *Rex Romanorum*, Illustris ac Venerabilis Frater noster *THEODORICUS*, *Archi-Episcopus Maguntinensis*, & dilectus Filius nobilis Vir *FRIDERICUS*, *Marchio Brandenburgensis*, *Sacri Imperii Electores*; ac Venerabiles Fratres nostri, *FRIDERICUS Magdeburgensis*, *FRIDERICUS Saltzeburgensis*, & *GERARDUS Bremensis Archi-Episcopi*, ac quidam alii Prælati, & Principes dictæ Nationis, *Nobis debitam obedientiam per suos Oratores præstiterint*, ac Nos solum JESU CHRISTI Vicarium recognoverint, & professi fuerint.

§. II. Nos attentis, quæ dictæ Neutralitatis, & suspensionis tempore, plurima in ipsa Natione acta, gesta, & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam, & dispensationem super eis Apostolicæ authoritatis requirunt; præfatorum Regis, Archi-Episcoporum, Marchionis, cæterorumque Prælatorum & Principum supplicationibus inclinati, omnes & singulos, tam Metropolitanarum, quam Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum, nec non dignitatum, etiam Abbatialium, ac post Pontificiales majorum, & in Collegiatis Ecclesiis principalium, & aliorum Beneficiorum, ac Officiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, etiamsi Ecclesiæ curatæ, Canonicatus, & Præbendæ fuerint; electiones, postulationes, confirmationes, collationes, provisiones, & dispositiones; nec non processus, sententias, aliaque acta judiciaria, authoritate ordinaria, hujusmodi suspensionis, & neutralitatis tempore, factas, seu facta, quæ omnia & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata & grata habentes, authoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus.

§. III. Volentes ac etiam statuentes, ut nulli, qui in possessione Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi, quacunque etiam eorum, qui Basileæ post translationem & dissolutionem Concilii, ibidem remanserunt, authoritate, ea fuerunt assecuti, super hujusmodi Ecclesiis, Dignitatibus, Beneficiis & Officiis, ac sententiis & processionibus (etiamsi in Romana curia vel extra eam lis, cujus statum præsentibus habemus pro expresso, indecisa pendeat, etiamsi super eis, ad ea, vel contra ea, fuerit alteri jus quæsitum, seu jus aliqui se habere prætenderent) ex nunc in antea, in ipsa curia, vel extra eam, Apostolica, vel alia quavis authoritate impeti, aut quomodolibet, ex quavis ratione, vel causa, molestari possint, sed in suis possessionibus pacifice remaneant.

§. IV. Lites quoque, & causas quascunque, super hujusmodi Ecclesiis, Dignitatibus, Beneficiis, & Officiis pendentes (illis duntaxat exceptis, quæ coram ordinariis Judicibus, apud quos, juxta formam dictæ suspensionis & protestationis, exinde secutæ, licuit litigare, indecisæ pendent) ad Nos advocantes, authoritate & scientia prædictis extinguimus, & super eis, adversariis eorum, perpetuum silentium imponimus; possessores vero ipsos, volumus in suis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Beneciis & Officiis pacifice remanere; quibus omnibus ipsas Ecclesias Monasteria, Dignitates, Beneficia & Officia, quocunque modo vacaverint, authoritate, & scientia præfatis, tenore præsentium conferimus, & providemus de eisdem, ac illis, qui *pallium dictorum, qui Basileæ post nostram translationem, sub nomine Generalis Concilii remanserunt, auctoritate receperunt*, ut illo uti possint, præsentibus concedimus, & indulgemus. Illis autem, qui non habent, sine difficultate, & etiam libere concedemus: Illis tantum personis exceptis, quæ occasione privationum, propter nostram, aut Basileensem adhæsionem factarum Beneficia detinent, in quibus habeat locum provisio, & dispositio super his, quæ contra protestationem facta forent per præfatum Regem, & Electores Imperii, conjunctim, vel divisim promulgata.

§. V.

§. V. Per hoc autem nulli contendentium ſuper titulo & juribus Eccleſiarum Friſing. & Oſilien. volumus aliquod præjudicium afferri, aut etiam generari, ſed liberum ſit unicuique eorum, jus ſuum proſequi, juſtitia mediante.

§. VI. Propterea omnia & ſingula, quæ dictis ſuſpenſione, & proteſtatione durantibus in præjudicium, gravamen, vel læſionem jurisdictionis, juris, vel poſſeſſionis Metropolitanorum, Diœceſanorum, Principatuum, Dominiorum, terrarum, Regis & Electorum, ac Archi-Epiſcoporum prædictorum, nec non aliorum Epiſcoporum, Prælatorum, Collegiorum, Perſonarum, ſeu rerum quarumcunque, contra fœdus proteſtationis & ſuſpenſionis hujusmodi, quomodocunque vergentia, Apoſtolica, vel alia quavis authoritate conceſſa, ac in judicio, vel extra obtenta: Inſuper Eccleſiaſticas cenſuras, mulctas & pœnas, nec non cujuscunque irregularitatis, & inhabilitatis maculas, tam a jure, quam ab homine, propter præmiſſa quomodolibet promulgatas quoque, ſeu infligendas, quoad Regem, Archi-Epiſcopos, & Marchionem præfatos, eorumque Dominia, Clericos, ſubditos, & Vaſallos, & ad eos quoque, qui infra ſex menſes, a dato præſentium computandos, ſe declaraverint pro nobis, aut eidem declarationi adhæſerint; caſſamus, irritamus, & annullamus, nulliusque eſſe decernimus roboris, vel momenti; omnem irregularitatis & infamiæ maculam, ſive notam, per eos, præmiſſorum occaſione contractam, penitus abolentes; at eos reabilitantes, & reſtituentes ad eorum Eccleſias, Beneficia, officia, dignitates, & honores quæcunque, ac in priſtinum ſtatum, & eum, in quo erant ante præmiſſa, reponentes; nec non illis, qui contra ipſos impetratis, conceſſis, vel obtentis, ſeu impetrandis, concedendis, vel obtinendis, quomodolibet niterentur, etiamſi eis, aut eorum alicui jus quæſitum foret, ex certa ſcientia, de poteſtatis plenitudine, perpetuum ſilentium imponentes.

§. VII. Inſuper quascunque obligationes ſuper *annatis*, ſeu *communibus*, & *minutis ſervitiis*, cæterisque juribus, Nobis, & Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Collegio Venerabilium Fratrum noſtrorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, cæterisque Officialibus debitis, ſeu quæ deberi dicerentur, occaſione quarumlibet Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum quorumcunque uſque in præſentem diem, remittimus de noſtra liberalitate relaxamus pariter & donamus, eosque, qui in hujusmodi debitis obligati eſſent, ab omni eorum ſolutione abſolvimus, & etiam liberamus.

§. VIII. *Diſpenſationes* præterea quascunque, niſi tales forent, quas hactenus Sedis Apoſtolica concedere non conſuevit, *indulta quoque forum conſcientiæ reſpicientia*, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, nec non novas pro poſſeſſoribus ſine præjudicio juris quæſiti, ipſa ſuſpenſione durante, vel etiam antea a Nobis, aut ab eis, qui Baſileæ ſub nomine Concilii remanſerunt, aut Legatorum ſuorum, vel alia quavis authoritate obtentas, impetratas, conceſſas, ſeu conceſſa, ac omnia inde ſecuta a die dictæ conceſſionis earundem, eadem authoritate confirmamus, perinde ſi a Nobis impetrata fuiſſent.

§. IX. Super ſententiis autem in Romana curia, vel in Baſilea, ſub nomine Generalis Concilii ante ipſam ſuſpenſionem, vel ea durante, in cauſis, in quibus uterque litigantium extraordinario titulo nititur, latis, quæ executioni nondum ſunt demandatæ; volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quod hujusmodi ſententiæ coram judice ordinario tractentur, & quicquid utraque pars vellet producere, pro jure ſuo, coram eo debeat exhibere, qui quidem judex ſummarie ſimpliciter & de plano, ſola facti veritate inſpecta procedens, negotium ipſum unica valeat terminare ſententia; a qua nulli partium appellare liceat, aut provocare, aut reſtitutionem aliquam obtinere: per hoc autem nullatenus præjudicare intendimus eis, qui poſſeſſionem dignitatum, aut Metropolitanarum, Cathedralium & Abbatialium, ſeu Beneficiorum quorumcunque, ordinaria, vel alia authoritate, ſub eadem natione obtinentes, durante neutralitate, vel ſuſpenſione, prædictorum vigore proceſſuum, in Romana curia, vel in Baſilea ſub no-

nomine Generalis Concilii obtentorum, aut alias violenter fuerint ſpoliati; ſed tam ſpolia, quam jura eorum, denuo coram judicibus ordinariis cognoſcantur, & fine debito terminentur.

§. X. Inſuper omnes, & ſingulas, *præfatæ Nationis, aut alterius in ea beneficia vel officia obtinentes*, perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares, etiamſi Regalis, Archi-Epiſcopalis, Epiſcopalis, vel alterius dignitatis fuerint, qui poſt diſſolutionem, ſive translationem præfati Concilii, per Nos factam, Congregationi Baſilienſium ſub nomine Generalis Concilii adhæſerunt, obediverunt, aut incorporati fuerunt, qui jam ad noſtram obedientiam ſunt reverſi, vel infra ſex menſes, poſt declarationem pro nobis factam, redierint, ſeu declarationi ipſi adhæſerint; ab omnibus & ſingulis juramentis, perjurii reatu, ac aliis cenſuris & pœnis, ſi quibus tenerentur, aut incurriſſent, inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis; authoritate præfata abſolvimus, & liberamus, ac omnem irregularitatem, inhabilitatis, & infamiæ maculam ſive notam, exinde quandolibet forſan contractam abolemus, & in priſtinum ſtatum reſtituimus, & reponimus, perinde, ac ſi talia minime emanaſſent.

§. XI. Præterea omnes & ſingulas perſonas, Nationis præfatæ, ſive alterius Beneficia in ea, vel Officia, ſicut præmiſſum eſt, obtinentes, quæ ſub declaratione hujusmodi, pro nobis facta, vel facienda continebantur, quæ poſt hujusmodi Concilii translationem, Baſileæ remanſerunt, aut ipſi Congregationi adhæſerunt, faverunt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione eorum miſſi ſunt quandoque, aut eis crediderunt; ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliisque cenſuris & pœnis in eas, per proceſſus noſtros, aut alias inflictis, & promulgatis abſolvimus; cum his, qui ibidem, ſeu a proviſis, ab ipſis, aut eorum authoritate, ſacros Ordines dicto tempore receperant, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare valeant, diſpenſantes.

§. XII. Volumus inſuper, quod ſinguli Metropolitani Nationis ejusdem, actu jam nobis obedientes, vel qui infra ſex menſes, ut præfertur, Nobis, & Apoſtolicæ Sedi debitam obedientiam præbuerint, conſimiles Bullas, ſive Litteras Apoſtolicas habeant, ſuper quibus, petentibus quibuscunque, quoties opus fuerit, ſub eorum ſigillis tranſumpta concedere valeant, eisque in judicio, vel extra, plena fides, ſicut originalibus litteris, per omnia præbeatur. Super Eccleſiis autem *Trevirenſi & Colonienſi*, de quibus in petitionibus Regis, Archi-Epiſcopi Maguntinenſis, & Marchionis, præfatorum, ſpecialis eſt poſitus articulus, per alias noſtras literas deſuper editas, ſpecialiter providimus, prout latius in eis continetur.

§. XIII. Ut autem præmiſſa eo firmius obſerventur, pro Nobis & Succeſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, de Venerabilium Fratrum noſtrorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, conſilio & aſſenſu pollicemur, omnia & ſingula ſupra dicta, inviolabiliter obſervare, & contra ea, vel ipſorum aliquod in toto, vel in parte, nullo unquam tempore quicquam innovare, & quod nobis licere non patimur, eisdem Succeſſoribus indicamus; decernentes ex nunc *irritum* & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis etiam *Apoſtolica auctoritate*, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attemptari; quin imo ſi adverſus præmiſſa litteræ aliquæ, aut mandata, ad cujuscumque inſtantiam, vel etiam ſi motu proprio, ſeu ex certa ſcientia, etiam cum derogatoriis clauſulis ſub quacunque verborum forma, a Nobis, ſeu noſtra authoritate, ab alio quovis emanaſſent, ſeu in futurum emanarent, tales ex nunc pro infectis volumus haberi, quodque is, contra quem emanaſſent, aut conceſſæ fuiſſent, aut emanarent, & in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur.

§. XIV. Non obſtantibus quibuscunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, & *etiam cum Decreto irritante*, quocunque tenore exiſtant, in genere vel in ſpecie, per Nos, ſeu Prædeceſſores noſtros conceſſis, ſeu concedendis privilegiis vel indultis, de quibus ac totis tenoribus eorum, ſpecialis & expreſſa etiam de verbo ad verbum mentio in noſtris litteris foret facienda; nec non quarumcunque Eccleſiarum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam jura-

juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque alia firmitate, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrarum confirmationis, voluntatis, ſtatuti, advocationis, extinctionis, impoſitionis, collationis, proviſionis, conceſſionis, caſſationis, irritationis, annullationis, conſtitutionis, abolitionis, reabilitationis, reſtitutionis, repoſitionis, remiſſionis, relaxationis, donationis, abſolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, diſpenſationis, pollicitationis, & indicationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo ſeptimo, ſeptimo Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno ſexto decimo.

Cl. Senckenbergius in Conſtitutionum Imperii Collectione Germanica. Parte I. pag. 174.

Anno Chriſti MCCCCXLVII. Nonis Februar.

EUGENII Papæ IV. Decretum, quo Archi-Epiſcopos JACOBUM Trevirenſem, & THEODORICUM Colonienſem in ſuos Archi-Epiſcopatus reſtituit.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Ad ea, quæ reductionem ſubditorum omnium, pacem & tranquillitattem fidelium ſpectant, dirigentes aciem mentis noſtræ, illa libenter agimus, ut Sedis Apoſtolicæ benignitas latius diffundatur. Sane Chariſſimus Filius in Chriſto FRIDERICUS, Rex Romanorum Illuſter, ac Venerabilis Frater noſter Archi-Epiſcopus Moguntinus, & Dilectus Filius Nobilis Vir FRIDERICUS Marchio Brandeburgenſis, Sacri Imperii Electores, aliique nonnulli Prælati & Principes Nationis Germanicæ pro bono pacis & concordiæ, & ad tollenda ſcandala Nationis præfatæ, Nobis humiliter ſupplicarunt, prout in Capitulo præſentibus de verbo ad verbum inſerto continetur, ſequitur & eſt talis: " Item omnia & ſingula per ipſum Dominum EUGENIUM Papam durante animorum ſuſpenſione prædicta contra & adverſus Reverendiſſimos in Chriſto Patres Dominos JACOBUM Trevirenſem, & THEODORICUM Colonienſem Archi-Epiſcopos, Sacri Romani Imperii Principes Electores, eorumque Eccleſias Jura & Dominia ex cauſa neutralitatis, vel alia quacunque cauſa innovata volentibus ipſis in declaratione pro ipſo Domino Eugenio facienda cum Regia Majeſtate, & aliis Principibus Electoribus concurrere, revocabit, caſſabit, & annullabit, ac eos per ſuas literas cum Eccleſiis, Dominiis, ac juribus hujusmodi in priſtinum ſtatum reponat in forma neceſſaria & opportuna." Nos igitur ſperantes, quod hoc cedet ad ſtatum Eccleſiæ, pacem & tranquillitatem Nationis præfatæ in prædictorum Regis, Archi-Epiſcopi, Marchionis, aliorumque Prælatorum & Principum hoc petentium complacentiam, tenore præſentium promittimus bona fide, quod quando ipſi olim Trevirenſis & Colonienſis Archi-Epiſcopi ad gremium noſtrum & Eccleſiæ venientes cum Regia Serenitate, & aliis Electoribus prædictis in declaratione *pro nobis* facienda, ut præfertur, concurrerint, Nobiſque plenam & debitam obedientiam præbuerint, ac pro vero JESU Chriſti Vicario recognoverint, ipſos ad prædictas Eccleſias abſque ulla exceptione aut oppoſitione reſtituemus, ac in priſtinum ſtatum reponemus, juxta tenorem Capituli ſuperius deſcripti. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum. Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. non. Februar. Pontificatus noſtri ann. XVI. (*a*)

Ill. Hontheim Tom. II. N. DCCCXXIII. pag. 408.

(*a*) Hæc

(a) Hæc restitutio fructus fuit illius agnitionis; & concordiæ, de qua in Nota ad literas Synodi Basiliensis de V. Decemb. anno MCCCCXLVI. actum est. Ipse Æneas Sylvius *de Statu Europæ Cap. LIV.* Prius tamen, inquit, quam obiret (Eugenius IV. qui 23. Februarii anno MCCCCXLVII. defunctus, locum fecit Nicolao V.) Germani, qui postquam duos de Pontifice contendere animadvertunt, *Neutralitate* quadem utentes, utrique recusarunt obedire, destinatis Romam Legatis, inter quos & ego unus eram a Friderico Imperatore missus, obedientiam ei jam jam morituro restituerunt. Ipse vero Theodoricum Coloniensem, & Jacobum Trevirensem Archi-Episcopos, quos Pontificali dignitate privaverat, mutata sententia ad pristinos reduxit honores. *Nota Illmi Hontbemii.*

Anno Christi MCCCCXLVIII.

CONCORDATUM inter NICOLAUM V. & FRIDERICUM III.

IN nomine Domini amen Anno a Nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, die decima septima Mensis Februarii Inter Sanctissimum in Christo Patrem ac Dominum nostrum Dominum Nicolaum Divina Providencia Papam Quintum (a) Apostolicamque Sedem ac Nacionem Alamanicam. Sanctissimi Domini nostri & Sedis eorundem nominibus, per Reverendissimum in Christo Patrem ac Dominum Dominum Johannem Sacro Sancte Romane Ecclesie Cardinalem Legatum ad Nacionem Germanicam de lattere missum plena in ea parte auctoritate & potestate munitum Et pro ipsa Nacione Alamanica per Gloriosissimum Principem ac Dominum nostrum, Dominum Fridericum Romanorum Regem semper Augustum &c. plurimorum Sacri Romani Imperii Electorum aliorumque eiusdem Nacionis tam Ecclesiasticorum quam secularioum (b) Principum consensibus accedentibus conclusa laudata & acceptata sunt concordata subscripta,. Sanctissimus Dominus noster Nicolaus Papa Quintus super provisione Ecclesiarum Beneficiorumque quorumcumque utetur reservacionibus iuris scripti & constitutionibus *Execrabilis* & *ad Regimen* modificatis ut sequitur. Ad Regimen Ecclesie Generalis quamquam immeriti superna disposicione vocati gerimus in nostris desiderys ut debemus, quod per nostre diligencie studium ad quarumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum regimina & alia Beneficia Ecclesiastica iuxta Divinum beneplacitum & nostre intencionis affectum viri assumantur ydonei qui presint & prosint committendis eis Ecclesys Monasterys & Beneficys prelibatis, Premissorum itaque consideracione inducti & suadentibus Nobis alys racionabilibus causis nonnullorum Predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Vestigiis inherentes omnes Patriarchales Archiepiscopales Episcopales Ecclesias Monasteria Prioratus Dignitates Personatus & officia necnon Canonicatus & Prebendas & Ecclesias ceteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura uel sine cura secularia & regularia quecumque & qualiacumque fuerint eciam si ad illa persone consueuerint seu debuerint per electionem seu quemuis alium modum assummi nunc apud Sedem Apostolicam quocumque modo vacancia & imposterum vacatura necnon per deposicionem seu priuacionem seu translacionem per Nos seu auctoritate nostra factas & inantea faciendas vbilibet necnon ad que aliqui in concordia seu discordia electi uel postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulacio repulsa uel per eos facta renunciacio & admissa auctoritate nostra extiterit seu quorum electo-

rum

(a) Nicolaus V. electus anno 1447. 6. Martii, Obiit A. 1455. ante IX. Kal. Aprilis. Hæc Concordata 17. Februarii anni 1448. in Germaniam missa, & publicata fuerunt: an vero acceptata fuerint: alia quæstio. *V. Bartels Dissertat. De Concordatis. Neller Differt. De Concordatis.*

(b) Secularium. *Senckenberg.*

rum uel poſtulatorum & inantea eligendorum uel poſtulandorum eleccionem caſſari ſeu poſtulacionem repelli aut renunciacionem admitti per Nos aut auctoritate noſtra continget (c) apud Sedem predictam uel alibi vbicumque & eciam per obitum Cardinalium eiusdem Eccleſie Romane aut officiatorum dicte Sedis quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt videlicet Vicecancellary Camerary ſeptem Notariorum Auditorum literarum contradictarum & Apoſtolici Pallacy cauſarum Auditorum Correctorum Centum & Vnius Scriptorum literarum Apoſtolicarum & vigintiquatuor penitentiarie preſate ſedis & vigintiquinque Abbreviatorum necnon verorum commenſalium noſtrorum & aliorum vigintiquinque Capellanorum ſedis eiusdem, in ephitaſio (d) deſcriptorum, & eciam quorumcumque Legatorum ſeu collectorum ac in terris Romane Eccleſie Rectorum & Theſaurariorum deputatorum ſeu miſſorum hactenus uel deputandorum aut mittendorum impoſterum (e) vacancia & (f) in ante vacatura ubicumque dictos Legatos uel Collectores ſeu Rectores aut Theſaurarios antequam ad Romanam Curiam redierint ſeu venerint rebus eximi contigerit ab humanis (g) necnon quorumlibet pro quibuscumque negociis ad Romanam Curiam veniencium ſeu eciam recedencium ab eadem, ſi (h) in locis a dicta Curia vltra duas dietas legales non diſtantibus iam forſan obierint vel eos inantea ab hac luce tranſire contigerit eciam ſimili modo quorumcumque curialium peregrinacionum infirmitatis ſeu recreacionis uel alia quacumque cauſa ad queuis loca ſecedencium ſi eos antequam ad dictam curiam redierint in locis vltra duas dietas ab eadem Curia ut premittitur non remotis dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem iam forſan deceſſerint uel impoſterum eos contigerit de medio ſubmoueri, & (i) nunc per obitum huiusmodi vacancia uel impoſterum vacatura, Rurſus Monaſteria Prioratus & Decanatus Dignitates Perſonatus Adminiſtraciones Officia Canonicatus Prebendas & Eccleſias ceteraque Beneficia Eccleſiaſtica ſecularia & regularia cum cura uel ſine cura quecumque & qualiacumque fuerint eciam ſi ad illa perſone conſueuerint ſeu debuerint per electionem ſeu quemuis alium modum aſſummi que promoti per Nos vel auctoritate noſtra. & (k) Patriarchalium Archi-Epiſcopalium & Epiſcopalium Eccleſiarum necnon Monaſteriorum regimina obtinebant tempore promocionum de ipſis factarum nunc quocumque modo vacancia aut impoſterum vacatura necnon eciam que per aſſecucionem pacificam quorumcumque Prioratuum Perſonatuum Officiorum Canonicatuum Prebendarum Eccleſiarum Beneficiorum aliorum per Nos ſeu auctoritate noſtrarum litterarum immediate collatorum ſeu conferendorum impoſterum preterquam ſi virtute gracie exſpectatiue aſſecucio fiat nunc vacancia & inantea vacatura plena ſuper premiſſis omnibus & ſingulis cum Fratribus noſtris collacione prehabita & matura deliberacione ſecuta (l) ordinariam diſpoſicionem ac proviſionem noſtre de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica reſervamus decernentes exnunc irritum & inane ſi ſecus ſuper premiſſis & quolibet eorum per quoscumque quavis auctoritate ſcienter uel ignoranter contigerit attemptari. (m) Item in Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus eciam Apoſtolice Sedi inmediate non ſubiectis in Monaſteriis Apoſtolice Sedi inmediate ſubjectis fiant electiones Canonice que ad Sedem Apoſtolicam deferantur quas eciam ad tempus conſtitutum in conſtitutione Nicolai *que incipit Cupientes* Papa expectet, quo facto ſi non fuerint preſentate uel ſi preſentate minus Canonice fuerint, Papa provideat Si vero Canonice fuerint Papa eas confirmet

(c) contigerit *Leibnitz.*
(d) in Epitaphio *Senckenberg. Ego:* pittacio.
(e) nunc *addit Senckenberg.*
(f) in antea *Senckenb.*
(g) punctum *Senckenb.*
(h) eos antequam ad dictam Curiam venerint. *interponit Senckenb.*
(i) & etiam nunc *Senckenb. Leibnitz.*
(k) *Senckenb.* ad, *pro*: &.
(l) ordinationi diſpoſitioni ac proviſioni noſtræ de ipſorum fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica reſervamus. *Leibnitz & Senckenb. & videtur melior ſenſus.*
(m) *Apud Senckenb. & Leibnitz. inſertur:* §. 3. Item in Eccleſiis Metropolitanis.
(*) Martinus V. addidere limitationem temporis *ad quinquennium. Nota Leibnitz.*

firmet nisi ex causa racionabili & euidenti & de Fratrum consilio de digniori & vtiliori persona duxerit providendum Prouiso quod confirmati & prouisi per Papam nichilominus Metropolitanis & aliis prestent debita iuramenta & alia ad que de jure tenentur, (*m*) In Monasteriis que non sunt inmediate subjecta Sedi Apostolice necnon in alys Beneficys Regularibus super quibus pro confirmacione seu prouisione non consueuit haberi recursus ad Sedem Apostolicam non teneantur venire electi seu illi quibus providendum est, ad Curiam ad habendum confirmacionem uel prouisionem nec eciam dicta Beneficia Regularia cadant in gracys expectatiuis.

Vbi autem in Monasterys ad Curiam Romanam venire seu mittere consueuerunt Ibi Papa aliter non confirmet uel prouideat quam superius de Cathedralibus Ecclesys est expressum. De Monasteriis Monialium Papa non disponat nisi sint exempta & tunc per commissionem in partibus, de ceteris Dignitatibus & Beneficys quibuscumque secularibus & Regularibus vacaturis (*n*) vltra reservaciones jam dictas maioribus dignitatibus post Pontificiales in Cathedralibus & Principalibus in Collegiatis (*o*) exceptis de quibus iure ordinario provideatur per illos inferiores ad quos alias pertinet (*p*) Idem Sanctissimus Dominus noster per quamcumq; aliam reseruacionem graciam expectativam aut quamuis aliam disposicionem sub quacumque verborum forma per eum aut eius auctoritate factam uel fiendam non impediet quominus de illis cum vacabunt de Mensibus February Aprilis Juny Augusti Octobris & Decembris libere disponatur per illos ad quos collacio prouisio presentacio electio seu alia queuis disposicio pertinebit reseruacionibus alys a (*q*) premissis ac disposicionibus auctoritate eiusdem Domini nostri Pape factis uel faciendis non obstantibus quibuscumque Quociens vero aliquo vacante Beneficio de Mensibus Januarii Martii May July Septembris & Novembris specialiter disposicioni Apostolice Sedis reseruatis non apparuerit infra tres menses a die note vacacionis in loco Beneficy quod alicui de illo Apostolica auctoritate fuerit provisum ex tunc & non antea ordinarius uel alius ad quem illius disposicio pertinebit de illo libere disponat. (*r*) Item ad finem ut hec ordinacio collacionis Beneficiorum non reseruatorum per alternos menses possit per Nacionem publicari & omnes qui ipsa gaudere voluerint tempus congruum habeant eandem acceptandi tunc quo ad Apostolicam Sedem in Kalendis Juny proxime futuris ipsa currere incipiet durabitque deinceps nisi in futuro Concilio de consensu Nacionis aliter fuerit ordinatum. (*s*) Item circa provisionem Apostolice Sedi ordinandam modus annatarum hoc modo currat de Ecclesys Cathedralibus omnibus & Monasterys virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis soluentur pro fructibus primi anni a die vacacionis summe pecuniarum in libris Camere Apostolice taxate que communia seruicia nuncupantur Sique vero excessiue taxate sunt, (*t*) retaxentur, & prouideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium pregrauentur ad quod Sanctissimus Dominus noster petentibus dabit Conmissarios in partibus qui diligenter inquirant & retaxent, Taxe autem predicte pro media parte infra Annum a die habite possessionis pacifice tocius uel maioris partis soluantur & pro media parte alia (*u*) infra

(*m*) §. 4. *Apud Senckenberg & Leibnitz: sed in duobus originalibus exemplaribus hujus Concordati asservatis in Archæo Universitatis Coloniensis de anno* 1418, *ubi similis argumenti §. insertus est, incipiendo:* De cæteris dignitatibus, *usque ad:* Quociens vero aliquo vocante. nullum comma, virgula, punctum interposita sunt; uti nec in toto Concordato ullum comma aut punctum est: quare a Leibnitzio & Senckenbergio insertus §. 5. ante *Idem Sanctissimus Dominus noster*, solis his descriptoribus debetur uti, & commata, puncta, ab his addita.

(*n*) Ecclesiis. *Senckenb.*

(*o*) *In Martini V. Concordatis additur:* nec computantur in turno seu vice eorum. *Leibn.*

(*p*) *Apud Senckenberg & Leibnitz:* Item, *habet Leibnitz pro* Idem.

(*q*) aut promissis, *Leibnitz pro:* a premissis.

(*r*) §. 6. *Leibnitz & Senckenb.*

(*s*) §. 7. *Leibnitzio.*

(*t*) juste relaxentur. *Leibnitz.*

(*u*) alia *omisit Senckenb.*

infra ſequentem ànnum. Et ſi infra annum bis uel pluries vacaverit ſemel tantum ſoluetur nec debitum huiusmodi in Succeſſorem (*x*) in Eccleſia uel Monaſterio tranſeat. De ceteris Dignitatibus Perſonatibus Officiis & Beneficiis ſecularibus quibuscumque & regularibus que auctoritate Sedis Apoſtolice conferentur uel de quibus prouidebitur preterquam vigore expectatiuarum aut cauſa permutacionis ſoluantur annate ſeu medy fructus juxta taxam ſolitam a tempore poſſeſſionis infra annum & debitum huiusmodi in Succeſſorem in Beneficio non tranſeat, de Beneficiis vero que valorem vigintiquatuor florenorum (*y*) de Camera non excedunt nihil ſoluatur, curratque hec obſeruancia deinceps niſi eam ſimiliter in futuro Concilio de conſenſu Nacionis immitari (*z*) contingat (*a*) In aliis autem que felicis recodacionis Dominum *Eugenium Papam Quartum* (*b*) pro Nacione prefata uſque ad tempus futuri Generalis Concilii permiſſa conceſſa indulta atque decreta & per memoratum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Nicolaum confirmata fuere in quantum illa concordie preſenti non obuiant iſta vice nihil extitit inmutatum. (*c*) Voluit eciam memoratus Dominus Legatus quod ſuper concordatis preſentibus ſinguli Metropolitani predicte Nacionis petentibus quibuscumque quantum opus eis videbitur ſub ſuis Sigillis tranſſumpta concedere valeant quodque tranſſumptis eisdem in iudicio & extra ſtetur & adhibeatur tamquam huic originali carte per omnia plena fides, per hoc autem quod in concordatis huiusmodi ſiue quibusuis alys eorum occaſione conficiendis litteris propter competenciorem (*d*) deſcripcionem Alamania ſpecialis appellatur Nacio ipſa cenſeri non debet a Germanica Nacione diſtincta ſeu quomodolibet ſeparata, Ad fidem igitur & robur omnium premiſſorum Nos Fridericus Romanorum Rex & Nos Joannes Cardinalis Legatus ſupradicti cartam preſentem noſtris appenſis mandauimus communiri ſigillis.

AD MANDATUM
DOMINI REGIS
in Conſilio

Pro Copia Originali ſuo, in Archivio Electorali Trevirenſi cum appenſis duobus ſigillis, Friderici Romanorum Regis ſcilicet, & Joannis Cardinalis Legati, adhuc illæſe aſſervato, per omnia congruâ, conſonâ, & collationatâ

(L.S.) *PETRUS DOMINICUS HAACK*, *Archivarius mpp.*

(*x*) ſucceſſionem *Leibnitz & Senckenb.*
(*y*) auri *addit Senckenb. & Leibn.*
(*z*) immutari *Leibn. & Senckenb.*
(*a*) §. 8. *Leibnitz & Senckenb.*
(*b*) Ad Eugenii IV. Concordata data Friderico III. & Principibus Germaniæ cum recederent a Neutralitate anno 1446.
(*c*) §. 9. *Leibn. & Senckenb.*
(*d*) *Leibnitz habet:* compendioſiorem.

§§. & numeri, & commata & puncta, quæ Leibnitz & Senckenberg addiderunt, in nullo originali vero de anno 1448. ſunt: adeoque ad ea non reflectendum.

CONCILIUM MOGUNTINUM

Anno Chriſti MCCCCLI. Nicolai V. Papæ V. Friderici III. Regis XII.

THEODORICI, Archi-Epiſcopi Moguntini, STATUTA SYNODALIA.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus THEODORICUS (*a*) Archi-Epiſcopus Moguntinenſis &c. ſuper propoſitis pridem & aviſatis in *Sacra Provinciali Synodo* ad diem Dominicam poſt feſtum Sancti Martini, de anno Domini *Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo primo*, cum continuatione

tione dierum sequentium per suam Paternitatem Reverendissimam indicta una cum Provincialibus, sive Suffraganeis, & eorundem Procuratoribus deliberavit, ac in modum infra scriptum conclusit.

Primo *Synodus Sancta* acceptat ordinationem, sive decretum *Sacri Basiliensis Generalis Concilii* de Provincialibus & Diœcesanis Conciliis celebrandis editum, ac dudum per vocationem nostram acceptatum, in antea practicari & observari precepit, voluitque, quod quoad Missas, Letanias & Orationes cum cæremoniis per Reverendissimum in Christo Patrem, Dominum NICOLAUM, tituli Sancti Petri ad Vincula Cardinalem, Apostolice Sedis per Alemaniam Legatum, jam observatum de cetero ipsa Provincialia Concilia celebrentur, & observentur, prout & antiquitus solitum est fieri, & consuetum fuit, que & in *Libris Statutorum Provincialium* conscribi vult, & registrari.

Tenor vero Statuti Basiliensis Concilii, de quo supra fit mentio, sequitur, & est talis:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRESENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PRidem hec Sancta Synodus, quod tam saluberrimum promulgavit decretum pro stabilitate & robore Generalium Conciliorum, quorum frequens celebratio precipua est agri Dominici cultura. Verum cum ad eandem culturam non dubium sit pertinere Episcopales Synodos, & Concilia Provincialia prout veteres Canones decreverunt frequentari: Ideo eadem Sancta Synodus antiquos, & laudabiles mores nostris cupiens temporibus observari statuit, atque precipit Synodum Episcopalem in qualibet Diocesi post octavas Dominice Resurrectionis, vel alia die secundum consuetudinem Diocesis ad minus semel in anno: ubi vero est consuetudo; bis annuatim celebrari per Diocesanum propria in persona, nisi canonico impedimento fuerit prepeditus, tunc per Vicarium ydoneum, que Synodus saltem biduo, aut triduo duret, vel prout necessarium Episcopo visum fuerit. Exprimatur autem dies conveniens Diocesano, & omnibus aliis, qui in hujusmodi Synodo interesse tenentur, infra Missarum solennia & post, Diocesanus, vel alius ejus nomine Verbum Dei proponat, exhortando omnes ad bonos mores sectandum, abstinendum a viciis, & ea, que pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam, & officia singulorum, & presertim, ut hi, quibus cura animarum commissa est, diebus Dominicis, & aliis solennitatibus plebem subjectam doctrinis & monitis salutaribus instruant. Postea legantur statuta Synodalia & Provincialia, & inter alia alias *compendiosus tractatus* docens, quomodo Sacramenta ministrare debeant, & alia utilia pro instructione Sacerdotum, deinde ipse Episcopus Diocesanus de vita, & moribus subditorum solerter inquirat labem simoniace pravitatis, contractus usurarios, concubinatum, fornicationem, & alia quevis crimina excessus debita correctione cohibeat. Alienationes rerum Ecclesiasticarum a jure prohibitas revocet. Abusus Clericorum, & aliorum subjectorum, qui circa Divinum Officium delatione debiti habitus defecerint, in melius reformet, & emendet. Et quoniam multa sepe scandala contingunt ex eo, quod constitutio BONIFACII Pape octavi, que incipit: *Periculosa*, edita super claustris monialium non servatur, studeat ipse Diocesanus, ut omnino juxta ipsius constitutionis tenorem executio demandetur, nec non ut quicunque Religiosi Diocesano subjecti regulas, & constitutiones suarum religionum, presertim ut ab eis omnis proprietas abdicetur, & inviolabiliter observent, nec etiam in receptione ipipsorum ad religionem quicquam per simoniacam pravitatem exigatur; precipua autem in ipsa Synodo Episcopi cura sit

(a) Theodoricus Pincerna & Dominus in Erbach, ex Canonico Metropolitico eligitur Archi-Episcopus XLVII. anno D. 1434. die SS. Apostolorum Petri & Pauli, Bingii. Obiit Aschaffenburgi A. 1459. Synodum Moguntiæ celebravit ad prolapsos Cleri & populi mores erigendos, a præsente Legato, Sed. Apostolicæ Cardinali S. Petri ad Vincula, & confirmante. *Serarius L. V. rerum Moguntiæ pag.* 874.

ſit inquirere, ac debitis remediis occurrere, ne aliquod dogma hereticum erroneum, aut ſcandaloſum, aut piarum aurium offenſivum ſortilegia, divinationes, incantationes, ſuperſtitiones, & quevis diabolica figmenta Dioceſim ſuam inficiant. Inſtituantur preterea teſtes Synodales viri graves, providi & honeſti, legis Dei zelum habentes, juxta Dioceſis latitudinem in numero, aut alii eorum poteſtatem habentes, ubi alii non ſint ad hec inſtituti, qui ſi Dioceſano minus ydonei videantur, eos amovendo, alios prout ei videbitur expedire, inſtituat. Hi autem in manibus ipſius Dioceſani, ſeu ſui Vicarii jurare teneantur ut tradit Canon *Epiſcopus* in Synodo, qui per anni curriculum luſtrantes ipſam Dioceſim, que corrigenda, vel reformanda viderint his, ad quos talia corrigere, vel reformare pertinet, referant, que niſi correcta, vel reformata jam fuerint, ad Synodum ſubſequentem proferant, in qua debitis remediis occurratur, ſed & preter illa, que a teſtibus Synodalibus, vel aliis eorum officium exercentibus Dioceſanus audierit, inquirat, & ipſe diligenter de cunctis ſubditorum ſuorum exceſſibus, & taliter in delinquentes inſurgat correctionis debite diſciplina, ut aliis malignari volentibus tranſeat in exemplum. Celebretur quoque in ſingulis Patrociniis infra biennium a fine Concilii Generalis, deinde ad minus ſemel de triennio in triennium Provinciale Concilium in loco tuto. Quod ſi Epiſcopus Canonico fuerit impedimento detentus, Procuratorem ſuum deſtinet non ſolum ad excuſandum, & approbandum abſentie cauſas, ſed etiam ipſius nomine in Concilio intereſſendum. Alioquin ipſe Epiſcopus a perceptione medietatis fructuum unius anni ſue Eccleſie, qui per perſonam ipſo in Concilio deputandam in ipſius Eccleſie ſue fabricam effectualiter convertantur, eo ipſo ſit ſuſpenſus. Alii vero venire negligentes Concilii arbitrio puniantur, aliis penis juris in ſuo robore duraturis. Concilio autem Generali durante, & per ſex menſes ante, hujusmodi Provincialia Concilia non celebrentur. Porro in hujusmodi inchoatione Concilii Provincialis ipſe Metropolitanus, vel alius ejus nomine infra Miſſarum ſolennia, vel poſt exhortatorium ſermonem faciat ea, que ad Eccleſiaſticum Statutum, & precipue ad Pontificale Officium pertinent, ſerioſe memorando comminandoque ſingulis juxta Prophete ſententiam, *ſi eorum culpa cujusvis anima perierit, ipſius ſanguis de manibus eorum a Domino exigetur.* Precipue autem tunc fiat monitio exacta ut dignis, & bene meritis, quorum vita teſtimonio ſufficienti munita ſit, Ordines, & Beneficia ſine ulla labe ſimoniaca conferantur. Et ſuper omnia, ut in animarum cura committenda ſumma diligenter, & matura inquiſitio adhibeatur. Et ut bona Eccleſiaſtica nullatenus ad uſus illicitos, quinimo ad honorem Dei, Eccleſiarum conſervationem habendo ſecundum Sacros Canones precipuam curam pauperum, & indigentium laudabiliter convertantur, ſcientes, quod de his omnibus apud Tribunal eterni Judicis uſque ad minimum quadrantem rationem reddituri ſunt; In quibus quidem Conciliis de corrigendis exceſſibus moribusque ſubditorum reformandis, & precipue qualiter Epiſcopi in conferendis Beneficiis, confirmandis electionibus, miniſtrandis ordinibus deputandis Confeſſoribus, predicando ad populum, & puniendo exceſſus ſubditorum, obſervationeque Epiſcopalium Synodorum, ceterisque ad Officium Epiſcopale, ac jurisdictionem eorum in Spiritualibus, & temporalibus quomodolibet ſpectantibus ſe geſſerint, & preſertim, an a ſimoniaca labe manus innoxias ſervent, ut omnes, qui in premiſſis deliquiſſe comperti fuerint, per ipſum Concilium corrigantur, & puniantur. Simili modo de ipſo Metropolitano circa omnia predicta diligenter inquiratur, cujus exceſſus, & defectus ipſum Concilium eidem ſpecialiter exprimat ipſum admonendo, & obſecrando, ut cum pater vocetur, & eſſe debeat, a talibus omnino deſiſtat, & nihilominus inquiſitionem de ipſo habitam, & in ſcriptis redactam ad Romanum Pontificem, vel alium ejus Superiorem, ſiquem habet, ſine mora tranſmittat, ut ab ipſo punitionem, & reformationem ſuſcipiat condecentem. Inter cetera, que diſcordie, contentiones, inimicitie inter quascunque viguerint, que quietem, & tranquillitatem provincie poſſunt perturbare, curet omni ſtudio Sacrum Concili-

um illa ſedare, & more piorum Patrum ad pacem concordiamque Filiorum vigilanter intendat. Et ſi inter Regna Provincias, ſeu Principatus hujusmodi diſcordias ſuſcitari contigerit, mox Sancti Dei Antiſtites Concilia Provinciarum ſuarum ſimul congregati procurent, & ſibi invicem Concilium, & auxilium impendentes contra diſcordiarum fomenta amputare ſtudeant, neque hoc alicujus amore, vel odio pretermittent. Sed ad Deum ſolum, & ſalutem populi mentis oculos dirigentes, ad hoc ſanctum pacis opus, omni tepiditate ſemota, invigilent. Cogitentur inſuper in Provinciali Synodo, que immediate Concilium Generale ſubſequens antecedit omnia, que in eodem Generali Concilio viſa fuerint, proſequenda, ad Dei Gloriam,& Provincie commodum,ſalutemque populi Chriſtiani ibidem eligantur in numero competenti, qui ad proximum Generale Concilium vice totius provincie debeant proficiſci, quibus per ſubſidium, vel alias provideatur, prout de jure,& Concilio Provincialium viſum fuerit expedire. Ita, quod illi, qui ultra perſonas, ut predictum eſt, deputatas, ad ipſum Concilium Generale accedere voluerint, aut eorum Clerum nullatenus propterea graventur. Relegantur in unoquoque Provinciali Concilio, que ſecundum Canonicas Sanctiones in ejusdem legi precipiuntur, ut ea violabiliter obſerventur, & transgreſſoribus pene debite inferantur, quod ſi Metropolitani, aut Dioceſanii predictis terminis in celebrandis Provincialibus,& Epiſcopalibus Synodis ceſſante legitimo impedimento negligentes fuerint, medietatem omnium fructuum, & bonorum obvenientium ratione ſuarum Eccleſiarum ad eos pertinentium fabrice ipſarum Eccleſiarum applicandam eo ipſo admittant, qui ſi in eadem negligentia per tres proximos menſes perſeveraverint, ab Officiis,& Beneficiis ſint ipſo facto ſuſpenſi, quibus transactis temporibus ſub anteſcriptis penis antiquior in Provincia ordine Epiſcopus ipſius Metropolitani Epiſcopi, aut major in dignitate poſt Pontificalem in Sacris conſtitutis, niſi ad alios forſan de conſuetudine vel privilegio pertineat negligentiam in celebrandis predictis Provincialibus & Epiſcopalibus Synodis ſupplere teneantur. Jubet inſuper hec Sancta Synodus omnibus Prelatis Religionum & Ordinum quorumcumque, ad quos celebrare Capitula pertinet, quod illa ſtatutis temporibus ſupradictis penis ſervent, & ſervari faciant. In quibus ſecundum Canonicas Sanctiones cum omni ſtudio & diligentia ad veram ſingularum Religionum & Ordinum reformationem intendat, ita ut deinceps in ſingulis Monaſteriis juxta proprias regulas & conſtitutiones debite regularis vigeat obſervantia, & precipue vero tria ſubſtantialia profeſſionis vota omnino obſerventur, per premiſſa autem hec Sancta Synodus non intendit juribus quorumcunque quomodolibet derogare. Datum *Baſilee in Seſſione publica* ejusdem Sancte Synodi in Eccleſia majori Baſilienſi ſolenniter celebrata VI. Kal. Decembris, Anno a Nativitate Domini *Milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo tertio.*

Ordinavit etiam Libellum utilem & inſtructivum per Sanctum THOMAM: De articulis Fidei & Sacramentis, *editum, in omnibus tam Provincialibus, quam Diœceſanis Synodis legi, & ſingulis Rectoribus Parochialium Eccleſiarum communicari.*

Inſerit hic ſuæ Synodo Libellum S. THOMÆ *Aquinatis:* De articulis Fidei & Sacramentis Eccleſiæ, *ſcriptum ad Archi-Epiſcopum Panormitanum, cujus initium eſt:* Poſtulavit a me veſtra dilectio, *recenſentur* a PP. Eckharto & Quetif Tom. I. Scriptor. Ord. Prædicator. *pag.* 333: *Inter certa opera S. Thomæ ab antiquiſſimis & coævis Hiſtoriographis enumerata: qui Libellus in multis aliis Synodis Provinciæ Moguntinæ inſertus, Parochis commendatur,* v. g. *Herbipolenſi Synodo anni* 1452. *Extat etiam impreſſus* Tomo XVII. Operum S. Thomæ 5to loco *inter Opuſcula.*

Addidit etiam Sacroſancta Synodus Capitulum: Poſt miſerabilem, *de uſuris illi ſtatuto eſſe annectendum, & inſerendum, & cum eo publicandum,*

Cujus Capituli tenor ſequitur, & eſt talis:

P*Oſt miſerabilem* & contra Judeos: ad remittendas Chriſtianis uſuras per

Principes & Poteſtates compelli precipimus ſeculares, & donec eis remiſerint Chriſti fidelibus tam in mercimoniis, quam in aliis per excommunicationis ſententiam eis jubemus, communionem omnimodam denegari.

De vicio Concubinatus.

Ceterum Sancta Synodus ſtatuit, quod ante omnia locorum Ordinarii deteſtabile concubinatus vicium a Clero extirpent contra notorios concubinarios per penas juris, & in decretis Sacri Baſilienſ. Concilii, & Statutis Provincialibus contentas procedentes, quodque nihilominus hujusmodi concubinarii publici a perceptione fructuum ſuorum Beneficiorum ipſo facto ſint ſuſpenſi. Quinimo ſpecialiter voluit, ne Prelati Capitula, ſive Collegia ſub pena interdicti eisdem taliter in concubinatu perſeverantibus aliquos fructus adminiſtrent, Concubine vero ipſorum, ſi infra triduum requiſite ſe non elongaverint, & abceſſerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Ac nihilominus, ſi in tali peccato perſeveranter deceſſerint, Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Tenor vero Statuti Sacri Baſilienſis Concilii, de quo ſupra ſit mentio, ſequitur, & eſt talis:

SACROSANCTA SYNODUS GENERALIS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CELEBRATA; UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRESENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUicunque Clericus, cujuscunque ſtatus, religionis, conditionis, dignitatis, etiamſi Pontificalis, vel alterius preeminentie exiſtat, qui poſt hujus conſtitutionis noticiam, quam habere preſumatur per duos menſes poſt publicationem ejusdem in Eccleſiis Cathedralibus, quam ipſi Dioceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad eorum noticiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium Beneficiorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat, nec non & hujusmodi publicum concubinarium ut primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat, quod ſi non dimiſerit, vel dimiſſam, aut aliam publice reſumpſerit; jubet inſuper hec Sancta Synodus, ut ipſum ſuis omnibus Beneficiis omnino privet. Et nihilominus hi publici concubinarii uſque quo cum eis per ſuos Superiores poſt ipſarum dimiſſionem, manifeſtamque vite emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad predicta prorſus inhabiles exiſtant, quod ſi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut predictum eſt, punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipſos de neglectu, quam illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam Provincialibus, & Synodalibus adverſus tales punire negligentes; vel de hoc crimine diffamatos etiam per ſuſpenſionem a collatione Beneficiorum, vel alia condigna pena ſeveriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad Summum Pontificem ſpectat, per Concilia Provincialia, aut Superiores ſuos propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni; ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi Summo Pontifici deferantur, eadem diligentia & inquiſitio in quibuscunque Capitulis Generalibus & Provincialibus, quoad ſuos ſervetur penis aliis contra predictos, & alios non publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, que nulla poſſit tergiverſatione celari, notorius eſt. Sed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & infamatam tenet, & per ſuum Superiorem admonitus ipſam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam Regionibus nonnulli jurisdictionem Eccleſiaſticam habentes, pecu-

pecuniarios queſtus a concubinariis recipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali feditate ſordeſcere, ſub pena maledictionis eterne precepit, ne deinceps ſub pacto, compoſitione, aut ſpe alicujus queſtus talia quovis modo tolerent, aut diſſimulent. Alioquin ultra premiſſam negligentie penam duplum ejus, quod propterea acceperint, reſtituere ad pios uſus omnino teneantur, & compellantur. Ipſas autem concubinas, ſeu mulieres ſuſpectas Prelati modis omnibus curent a ſuis ſubditis etiam per brachii ſecularis auxilium, ſi opus fuerit, penitus arcere. Qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud parentes ſuos cohabitare permittant. Jubet inſuper hec Sancta Synodus, ut etiam in predictis Synodis, & Capitulis hec conſtitutio publicetur, & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligenter. Injungit preterea omnibus ſecularibus viris etiamſi Regali prefulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum quocunque quefito colore Prelatis, qui ratione officii ſui adverſus ſuos ſubditos pro concubinatu procedant, & cum omne fornicationis crimen lege Divina prohibitum ſit, & ſub peccati mortalis pena neceſſario evitandum monet omnes laicos tam uxoratos, quam ſolutos, ut ſimiliter a concubinatu abſtineant. Nimis enim reprehenſibilis eſt, qui uxorem habet, & aliam mulierem accedit. Qui vero ſolutus eſt, qui continere nolit, juxta Apoſtoli conſilium uxorem ducat, pro hujus autem Divini obſervatione precepti hi, ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni ſtudio laborent.

De mercatoribus diebus Feſtivis.

Circa abuſum Preceptis Divinis contrarium quorundam laicorum, qui Chriſtiana Religione neglecta diebus Dominicis & Feſtivis publice mercatum exercent, & lucris, & cupiditatibus non verentur inſiſtere, providens Sancta Synodus mandat omnibus laicorum Ordinariis, ut ſub pœna ſuſpenſionis a perceptione Sacramentorum, etiam privatione Eccleſiaſtice ſepulture per Eccleſias Parochiales ſuarum Diœceſium publice prohibeant. Ne de cetero predictis diebus Dominicis & Feſtivis quodcunque publicum mercatum rerum vendibilium, que ad uſum quotidiani victus neceſſarie non ſunt, quovis modo fiant.

De abuſu Queſtionariorum.

Abuſus queſtionariorum, qui quotidie excreſcunt, volentes reprimere mandat Sancta Synodus, ne admittantur queſtionarii ipſi aliter, quam ſecundum formam juxta diſpoſitionem juris cum literis Diœceſanorum. Et ut via malicie eis precludatur, curent locorum Ordinarii in ſuis literis non ſolum formas juris, ſed etiam indulgentias, quas publicare valeant exprimere, ne quicquam aliud, quam in eisdem literis exprimitur, liceat dictis queſtionariis populo proponere.

De Fraternitatibus novis.

Item Sancta Synodus prohibet, ne de cetero admittantur quecunque nove fraternitates, ex quibus veriſimiliter detrahi poſſet honori, ſeu juribus Eccleſiarum Parochialium, quinimo vult, quod jam factis nullus adhibeatur favor, nec indulgentie eis concedantur.

De Interdictis.

Sancta etiam Synodus acceptat conſtitutionem BONIFACII Pape Octavi, incipientem: *Provide*, que Statutis Provincialibus reperitur adjuncta una cum ordinatione in Sacro Baſilienſi Concilio ſuper modo ponendi interdicta facta, quas quidem conſtitutiones & ordinationes vult, & mandat publicari, ac certa ponenda & tenenda interdicta omnino obſervari.

Tenor vero Statuti, de quo ſupra ſit mentio, ſequitur, & eſt talis:

PRovide attendentes, quod ut frequentius quamvis non ſine culpa tamen multorum interdicti ſententie proferuntur, quodque ſunt nonnulli judices nimis prompti ad proferendas eaſdem etiam in negociis, ſive cauſis, que plus interdum ex cupiditate, quam caritatis radice perſpicuis indiciis procedere

arguuntur, quodque tempore interdicti Divina organa suspenduntur, & laudes nec Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, ut solent, tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia presertim per oblationem frequentem hostie salutaris; adolescentes, & parvuli percipientes rarius Sacramenta minus inflammantur, & solidantur in fide, fidelium devotio tepescit, hereses pullulant, & multiplicantur pericula animarum: presentis constitutionis providemus edicto, ut nulla provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium vel districtus authoritate ordinaria, vel delegata supponatur Ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cujusvis monete, vel pecunie quantitate sub quacunque occasione, vel causa, seu quovis quesito colore pro eo maxime, quod ipsorum Domini Rectores, seu Officiales quocunque nomine censeantur, aut incole, seu habitatores, aut singulares persone ipsorum statutis, vel statuendis, ordinatis, vel ordinandis terminis hujusmodi debitum, seu quantitatem non solverint hactenus, vel in antea non persolvant. Nos enim ex tunc decernimus irritum & inane, si secus hactenus extitit attentatum, vel contigerit attentari, illudque revocamus omnino non obstantibus quibuscunque contractibus, obligationibus, pactis, conventionibus, compositionibus, submissionibus, fidejussionibus, consensibus, processibus & sententiis super hoc habitis, vel habendis, juramentotum penalium, temporalium vel spiritualium, seu multarum, seu quacunque alia firmitate vallatis, nisi talis suppositio interdicti hactenus foret facta, vel in antea fieret de Apostolice Sedis licenria speciali, & expressa per ipsius Sedis patentes literas apparente.

De interdictis non leviter ponendis, ex Concilio Basiliensi.

Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueverunt scandala evenire, statuit hec Sancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa, aut locus Ecclesiastico supponi possint interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut Dominii, seu Rectoris, vel Officialium propter culpam, aut causam alterius cujuscunque private persone: hujusmodi loca nequaquàm interdici possint auctoritate quacunque ordinaria, vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata, & denuntiata, seu in Ecclesia publicata, ac Domini, seu Rectores, vel Officiales ipsorum locorum auctoritate judicis requisiti personam excommunicatam infra biduum cum effectu non ejecerint, aut ad satisfaciendum non compulerint, qua etiam post biduum ejecta recedente, vel satisfaciente mox Divina resumi possint, quod etiam in precedentibus locum habeat.

Sancta etiam Synodus recipit, laudat, & commendat Bullam super deliberationibus in Capitulo Moguntinensi in his presertim, que pretenduntur esse gratiosa, faciendis a Sanctissimo Domino nostro Domino *NICOLAO* Papa quinto emanatam. Vultque hec Sancta Synodus, quod in omnibus aliis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum Provincie Moguntinensis Capitulis, & sub penis in eodem contentis observetur, fietq; executio contra non observantes per Ordinarium loci, vel ejus in Spiritualibus Vicarium, aut alium; cui duxerit id committendum, mandatque hec Sancta Synodus, ut singuli ex observantibus, vel observari volentibus oppositores, & non observantes snb pena suspensionis a Divinis late sententie Diocesano loci denuncient, & nihilominus a majori parte concludatur.

Tenor Bulle, de qua supra fit mentio, sequitur, & est talis:

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

INjunctum Nobis desuper, quo universis orbis restringimur Ecclesiis, Apostolice servitutis officium, sedula Nos perurget instantia illarum jugiter intendere profectibus, & ut elisis ab ejus cujusvis note dispendiis votive directionis ope fruantur, prout expedire conspicimus, salubriter providere. Cum itaque sicut Dilectus Filius noster *Johannes*, Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, nuper Nobis exposuit, in Ecclesia Moguntinensi, quedam detestabilis, & abusiva, si sic dici meretur, consuetudo irrepsit, & invalescit, quod

quod in occurrentibus pro Ecclesie ipsius tractatibus, & negociis ea, que pluribus etiam majori parte agenda, & amplectenda videntur, paucorum etiam duorum, vel unius contradictione plerumque non ex ratione, aut juris tramite, sed pro nudo, levique voluntatis libito prodeunte conclusionem, & executionem habere possunt, sicque negotia ipsa, que tam propter Domini temporalia, quibus Ecclesia ipsa Maguntinensis notabiliter dotata est, quam etiam sinistras temporum conditiones plus solito quotidie multiplicantur, & ingruunt graviora pro eo, quod omnium consensus haberi non potest sepius, vel plus debito periculosius retardantur, aut penitus remanent impedita. Unde Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus varia passa est, & majora non sine scandalorum,& discensionum fomento pati posset dispendia, & etiam detrimenta. Sunt etiam in dicta Ecclesia nonnulli,ut suam presumptionem palliare videantur, & in agendis negociis aliorum conclusionem impedire valeant, negocia ipsa fore gratiosa, cum tamen non sint, pro nutu contendunt, sicque iterum paucorum, aut unius contradictione aliorum vota suspenduntur. Nos igitur attendentes, quod premissa Canonicis Sanctionibus obviant, ut licet illis sufficienter provisum existat, Nos etiam prout ex Pastorali Nobis incumbit officio, animadversione debita providere volentes, ut quos Dei timor,& Canonica instituta a talibus presumptionibus retrahere non possunt saltem Ecclesiastica disciplina coerceat, & compescat. Ex premissis,& aliis rationabilibus causis Nos non immerito moventibus, consuetudinem predictam tanquam Sacris Canonibus contrariam auctoritate Apostolica penitus reprobamus, viribus destituimus, abolemus, districtius inhibentes universis,& singulis ipsius Ecclesie personis sub excommunicationis pena, quam alias ipso facto incurrant, ne quisquam ex ipsis pretextu consuetudinis hujnsmodi de cetero in Capitulo, & Conventibus suis majori parte, quo minus juxta juris communis dispositionem in agendis, & tractandis concludere, & exequi valeant resistere, seu opponere, vel impedire, seu impedientibus assistere, & favere quoquo modo audeat, seu presumat, volentes insuper, & statuentes auctoritate prefata, quod si aliquando super negociis, de quibus agitur, quod sint gratiosa, vel non, in Capitulo predicte Ecclesie altercatio oriatur, discussioni, & determinationi majoris partis in Capitulo stetur, quodque ea, que sic per easdem duas partes, definita fuerint, determinata, & conclusa partis minoris oppositione, seu impedimento non obstante exequantur pena sub predicta, preterea cupientes, ut inhibitio voluntas ordinatio,& alia premissa firmiter,& inviolabiliter observentur Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Moguntinensi, ac ejus in Spiritualibus Vicario, & Officiali Generali per hec scripta mandamus, quatinus ipsi, vel eorum alter per se, vel per alium, seu alios premissa omnia & singula, ubi & quando expedire viderit, auctoritate Apostolica solenniter publicare, ac omnes & singulos, quos excommunicationis sententiam hujusmodi propter premissa incurrisse constiterit tamdiu in dicta Ecclesia, & aliis locis de quibus eis videbitur excommunicatos publice nunciare studeant,& procurent, faciantque ab aliis nunciari, & ut tales ab omnibus artius evitari, donec ipsi excommunicati singuli videlicet eorum,quod contra prohibitionem nostram hujusmodi, & alia premissa deinceps quomodolibet modo venire,vel attentare non debeant, singuli corporaliter prestiterint juramenta, & absolutionis Beneficium a sententia hujusmodi meruerint obtinere. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Pape octavi Predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem,vel Diocesim,nisi in certis exceptis casibus,& in illis ultra unam diœtam a fine sue Diocesis evocetur, seu ne Judices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere presumant,ac de duabus dictis in Concilio Generali,& aliis Apostolicis constitutionibus. Nec non predictis,& aliis Ecclesie predicte statutis, & consuetudinibus juramento, confirmatione, vel quamcunque alia firmitate roboratis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, aut divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi,& excommunicari non possint per li-

teras Apoſtolicas non facientes plenam,& expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre reprobationis, deſtitutionis, abolitionis, inhibitionis, voluntatis & ſtatuti infringere,vel auſu temerario contraire, ſiquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus noverit ſe incurſurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice *Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio*, Kal. Decembr. Pontificatus noſtri anno quarto.

Bulla pro executione Caroline.

Sancta Synodus recipit, laudat, & commendat Bullam per Sanctiſſimum Dominum noſtrum, Dominum NICOLAUM Papam quintum pro executione Caroline, & contra diffidatores conceſſam, & per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem *Auguſten.* impetratam. Sub cujus tranſumpto, quibus in hac Provincia transmiſſa non eſt, transmittetur. Vultque etiam, precipit, atque mandat hec Sancta Synodus, ut Statutis Provincialibus inſeratur, & executio ejuſdem juxta ipſius tenorem omnino fiat.

Tenor vero dicte Caroline, de qua ſupra fit mentio, ſequitur, & eſt talis:

PETRUS, MISERATIONE DIVINA TITULI SANCTI VITALIS, SACROSANCTE ROMANE ECCLESIE PRESBYTER, CARDINALIS, ET EPISCOPUS AUGUSTENN. UNIVERSIS ET SINGULIS, AD QUOS PRESENTES NOSTRE LITERE PERVENERINT, SALUTEM IN DOMINO, ET SUBSCRIPTORUM NOTICIAM INDUBITATAM.

UNiverſitati veſtre notum facimus, quod literas Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini NICOLAI, Divina providentia Pape quinti ejus vera Bulla plumbea in cordula canapi more Romane Curie impenden. bullatas ſalvas, ſanas, & integras, ac omni ſuſpicionis nota carentes mature vidimus, & in evidens teſtimonium exiſtentie, & veritatis earundem hic de verbo ad verbum tranſumpſimus, & tranſumi, & exemplari fecimus, quorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

NICOLAUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHI-EPISCOPIS, ET DILECTIS FILIIS ABBATIBUS, PREPOSITIS, PRIORIBUS EXEMPTIS, ET NON EXEMPTIS, CETERISQUE PERSONIS ECCLESIASTICIS QUIBUSCUNQUE PER ALAMANIAM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

ENormitas nephandi ſceleris, quod per nonnullos maledictionis filios in partibus Alamanie impudenter, ut intelleximus, perpetratur, mentem noſtram taliter perturbavit, quod niſi cum dolore id vobis ſignificare non poſſumus; accepimus ſiquidem, quod ipſi maledictionis & iniquitatis Alumni Prelatos, Sacerdotes, Domini, & alias Eccleſiaſticas perſonas diffidare, ac taliter pertractare, ac eos, & illis adherentes invadere, trucidare, capere, bonis expilare, ac expoliare, ac ſeviſſimis ſuppliciis affligere, & quod omnis Lex Divina & humana deteſtatur, incarcerare non formidant, & cum premiſſa perpetrant, ac ſi glorioſum ac laudabile opus feciſſent, inde ſe jactant, & gloriantur, quapropter ad noſtrum ſpectat officium ſuper his oportune providere. Vobis univerſis & ſingulis in virtute ſancte obedientie diſtricte precipiendo mandamus, & quemlibet veſtrum in viſceribus Domini noſtri JESU CHRISTI hortamur, quatinus contra omnes & ſingulos ſacrilegos predictos cujuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel condicionis fuerint, etiamſi Ducali, Comitali, vel quavis alia mundana dignitate prefulgeant, juxta conſtitutionem per felicis recordationis MARTINUM Papam quintum, Predeceſſorem noſtrum dudum editam, que *Carolina* vocatur, quam vos, & quemlibet veſtrum expeditam habere, & quater in anno ad minus veſtris in Diœceſibus, & in Eccleſiis coram plebe, & populi multitudine in ambonibus publicari volumus, & mandamus, ne prefati ſacrilegi tyranni ignorantiam pretendere valeant, quovis modo auctoritate noſtra procedatis. Non enim leviter credendum eſt, quosvis orthodoxe fidei cultores, precipue eos, qui de nobili genere procreati exiſtunt, in tante deſperationis labem proſilire, ut agni-

agnitis tot penarum censuris, quibus hujusmodi sacrilegum genus hominum innodatur, atque involvitur, aliquo modo talia flagiciosa & enormia crimina velle committere; Inhibeatis nihilominus eadem auctoritate dilectis Filiis nobilibus Viris, Ducibus, Marchionibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus militaribus, Magistris civium, Civibus, Consulibus, Proconsulibus, Communitatibus, & Universitatibus civitatum, oppidorum, castrorum & locorum quorumcunque sub penis & censuris in eadem constitutione contentis, & aliis formidabilibus, prout vobis videbitur, ne dictos sacrilegos quovis modo recipiant, sive admittant, seu eis auxilium vel favorem prestent, aut in Civitatibus, Dominiis, castris, terris, locis, districtibus eorum ditioni subjectis aliquatenus morari permittant recipi, sive hospitari, eis salvum conductum, aut aliam defensionem, sub quacunque forma ullatenus prestando, & quia difficile foret hanc nostre ordinationis & intentionis seriem sub Bulla ad quemlibet vestrum destinare, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod transumpto Bulle hujus nostre ordinationis & intentionis sigillo dilecti filii nostri PETRI, tituli Sancte Romane Ecclesie Presbyteri, Cardinalis Augusten. nuncupati munito, & per duos autenticos Notarios subscripto, illi prorsus fides in judicio vel extra adhibeatur, sicut si illa Bulla nostra cuilibet vestrum mitteremus interclusam.

Sic erga Venerabiles Fratres, & Dilecti Filii pro Ecclesiastica libertate conservanda pugnetis, quod Beato Thome pluribusque aliis Sanctis Martyribus, qui pro hujusmodi libertate tutanda mori non timuerunt, possitis quoad hoc non immerito coequari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Idus Februarii. Pontificatus nostri anno quarto. Quia igitur habita collatione diligenti compertum est, presens nostrum transumptum cum originalibus literis per omnia, & in omnibus concordare, & quod nihil depositum, appositum, seu transsumptum fuerit, neque est, quod sensum earundem literarum Apostolicarum varicaret in aliquo, seu mutaret intellectum. Ideo illis auctoritatem nostram, & decretum interposuimus, & presentibus interponimus. Volentes & statuentes, ut huic nostro transsumpto sicuti literis originalibus antedictis in judiciis, & extra stetur, credatur, & adhibeatur in omnibus plena fides. In quorum omnium, & singulorum fidem robur, & testimonium premissorum presentes literas, sive presens publicum instrumentum hujusmodi nostri transsumptum, & exemplum in se continentes, sive continens inde fieri, & per Notarios pubpublicos infra scriptos curie nostre juratos subscribi & publicari mandamus, nostrique sigilli jussimus, & fecimus appensione communiri.

Datum & actum Auguste Anno a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Indicione quartadecima. Pontificatus dicti Domini nostri Pape anno quinto, die vero Martis tertia decima mensis Aprilis, hora vesperarum, vel quasi in aula nostra Episcopali presentibus ibidem Venerabili Viro Magistro Leonardo in decretis Licentiato, Canonico Majoris Augusten. & Beate Marie Virginis in Fuchtwangen, nostre Diocesis Ecclesjarum Preposito, nostro in Spiritualibus Vicario, & Officiali Generali, Johanne Schott Armigero Castellano nostro in faucibus alpium, Johanne Westersteten Armigero nostre Diocesis, & provido Viro Johanne Laucher, Cancellario nostro testibus ad premissa in testimonium evidens vocatis pariter & rogatis.

Et ego Nicolaus Bermir de Torgaw, Clericus Missinensis Diocesis publicus Sacra Imperiali auctoritate Notarius & curie & Augustenn. scriba juratus, quia predictis transumptioni, collationi, & auctoritatis, ac decreti impositioni omnibusque aliis & singulis, dum sic ut premittitur, agerentur, & fierent una cum Notario publico subscripto, & testibus supra scriptis presens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi, ideoque de mandato supradicti Reverendissimi Patris Domini Cardinalis presens transumptum per alium, me aliis tunc prepedito negociis fideliter scriptum une cum Notario publico infra scripto exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publici iustrumenti formam redegi, signoque, & nomine meis solitis, & consuetis, ac cum rppensione sigilli memorati

ti Domini Cardinalis signavi rogatus, & requisitus in fidem, & testimonium omnium, & singulorum premissorum.

Et Udalricus Rulin de Narve, Clericus Augustensis Diocesis publicus, Sacra Imperiali auctoritate Notarius, causarumque curie Augustensis scriba juratus, quia preinsertarum literarum Apostolicarum transsumptioni, collationi auctoritatis, & decreti interpositioni, omnibusque aliis, & singulis premissis, dum sic, ut premittitur, agerentur, & fierent una cum Notario & testibus suprascriptis presens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi. Ideoque de mandato supradicti Reverendissimi Patris Domini Cardinalis presens transsumptum per alium, me aliis tunc prepedito negociis fideliter scriptum una cum Notario publico prescripto exinde confeci, subscripsi publicavi, & in hanc publici instrumenti formam redegi signoque, & nomine meis solitis, & consuetis signavi, munivi rogatus, & requisitus in fidem, & testimoninm omnium, & singulorum premissorum.

De Reformatione Monasteriorum.

Super vero reformatione Monasteriorum, & Personarum Religiosarum vult omnino Sancta Synodus, quod ordinarii ipsi diligenter invigilent, ac eosdem Religiosos, & eorum Monasteria, tam virorum, quam mulierum ad observantiam vite, regularis & debite clausure, & precipue, ne quis ad Monasteria Monialium extra casus a jure permissos ingrediatur, ipseque Moniales non egrediantur penis & censuris, & remediis juris scripti, & constitutionum Generalium, & provincialium Conciliorum ad auctoritate Apostolica specialiter desuper editorum effectualiter restringant, compellant etiam per depositionem, & privationem privilegiorum incorporationum, & unionum, & inhabilitationem ad dignitates & officia.

De Fratribus mendicantibus presentatis.

Sancta Synodus attendens Apostolicam Sedem Fratribus mendicantibus privilegia, & in edificationem Ecclesie concessisse, & ob hoc in Clementina: *Dudum* fratres presentandos Episcopo, & per eum ad auditionem confessionum admittendos vult esse ydoneos, & probate vite, & quia illi, qui vota solennia non observant, non possunt dici probate vite. Unde cum Episcopos ad quos spectat curam gregis sui habere, admonitos esse convenit, ne alios admittant, quam ut Clementina habet, qualificatos ita, quod eis constet per facti evidentiam, aut testimonio bonorum hominum eos dignos esse, quibus sibi creditas animas absolvendas committant, hunc ad finem, ut fratres ipsi religionis sue observantiam citius adaugeant, aut acceptent. Mandat Synodus, quod quisque Episcopus Fratribus ordinis mendicantium cum omni caritate regularem observantiam persuadeat, offerendo ad hoc omnem gratiam, & benevolentiam cum comminatione, quod nisi infra competens tempus eis per quemlibet Episcopum prefigendum per facti evidentiam regularem vitam secundum professionem suam servare inceperint, & continuaverint, quod tunc post lapsum termini istius eos tales ydoneos minus probate vite ad audiendum confessionem, predicationes, & petitiones, ac alios actus legitimos non admittant. Episcopi etiam non patiantur, fratres in terminis longiores moras trahere, sed operam dent, ut petitione peracta ad suos Conventus redeant, nisi eos in audiendis confessionibus, & predicatione Verbi Dei diutius morari in aliquo loco judicaverint expedire.

De ostensione Eucharistie.

Propter reverentiam Divinissimo Eucharistie Sacramento exhibendam, & ne populi fidelis devotio ex frequenti ejus visione tepescat, ordinat hec Sancta Synodus, quod deinceps ipsum Sacramentum visibiliter in Monasteriis, preterquam in festo Corporis Christi, & per ejus Octavas deferri, & tunc non nisi sub Divino Officio octave ejusdem ostendi debeat, etiam occasione cujuscunque fraternitatis, aut institutionis desuper facte mandans Ordinariis locorum, ut contra Presbyteros, qui in premissis excederet per inflictionem gravium penarum procedant.

De corruptelis & abusionibus Canonicorum.

Sancta etiam Synodus, quia informata est in nonnullis Ecclesiis Provincie Moguntinensis tam Cathedralibus, quam Collegiatis pessimas & juri Divino, & positivo, ac rationi contrarias vigere, & ex corruptela introductas esse consuetudines, presertim in nominando personas ante vacationem Beneficii, & sepe puero sine discretione ante quartum decimum annum; habendo minime respectum ad Ecclesiam, & Dei cultum, sed potius ad carnem, vel aliud commodum, aut spem ex pacto aliquid etiam in Beneficiis pro se, vel suis consequendi, & in exactione pecunie, antequam quis ad possessionem Prebende admittatur, quod utique spem venditionis, & simoniace pravitatis habere dinoscitur, que quidem pecunia, quod pejus est, apud quasdam Ecclesias non in Ecclesiam, sed proprios Canonicorum usus convertitur, quod utique a vitio symoniace pravitatis nunquam excusari potest, in receptione vini bladorum, vel aliarum rerum in excessivis annis expectantie, in quibus, quod horrendum est, neque quotidiane distributiones expectanti tribuuntur, in emancipationem, quam ita appellare solent, doctorum & notabilium personarum cum receptione multarum pecuniarum in admissione ad Capitula eorum, qui latinum congrue fari nesciunt, nec intelligant in eo, quod Canonici suis Decanis in licitis & honestis obedire, & ad Divina ministrare contemnant. Si pro vagabunditate in Ecclesia, vel ante, aut cavillationibus in Choro, vel similibus arguantur non attendant, neque curent, quod ad interessendum Divinis Officiis astringi sub suspensione absentium comprehendi volunt, ac quod in certo parvo tempore sub una lectione, Psalmo, Epistola, Evangelio, vel alio presentias se deservisse contendant, & statim ad secularia negocia vel lascivias revertantur, aut eant, quod etiam tempore Divinorum Vesperorum precipue choreas publicas, stubas, & alias conventiones laicorum visitent, & frequentent, illisque, ac ludis diversis, potationique vinorum apud easdem intersint, & immisceant: habitum & tonsuram statui suo condecentem non deferant, & si quandoque vel parvam coronam deferant, per revolutionem crinium, de qua potius gloriari deberent, abscondunt longos crines, seu comam adeo, ut aures videri nequeant, nutriant, demumque, quod dictu audituque mirabile est, quod per certa anni tempora circa autumnum precipue cum magis gratiarum actioni dum torcularia vino redundant, insistere deberent, a Divinis cessant, & vacantias faciunt, liberique, & ab obedientia pro tali tempore absoluti esse volunt, quando contra Deum & obedientiam prescribere possint: pluraque alia contra Sacros Canones, & Provincialia, Synodaliaque Statuta in Dei offensam, animarum suarum periculum, & scandalorum plurimorum agant, seque pretextu consuetudinum, & observantiarum excusare nitantur, cum non attendant corruptelas potius esse & vetustates errorum, multa denique juramenta illicita a diversis tam tempore electionis, sive collationis Beneficiorum prestantur, ex quibus hi, qui talia recipiunt commoda privata consequi sperant, ac etiam via correctionis debite precluditur, & impediuntur sepe Prelati, ne Ecclesiarum suarum utilitatem possint procurare. Similiter & a Rectoribus Ecclesiarum, sive Vicariis eorundem perpetuis sub solvendis annuis pensionibus hujusmodi juramenta illicita extorquentur, quibus obstantibus propter carentiam necessarii victus Ecclesie ipse divino defraudantur obsequio. Hec itaque Sancta Synodus premissa omnia damnat; mandans omnibus & singulis locorum Ordinariis, ac etiam Prelatis inferioribus, quibus correctio per Statuta Provincialia conceditur, & injungitur, ut non obstan. premissis damnatis, consuetudinibus, & observantiis, ad quarum continuationem neminem quocunque juramento, cum vinculum iniquitatis non sit, astringi declarat, quatenus sub excommunicationis, aliisque statutis expressis & comprehensis penis juxta juris, & dictorum statutorum formam circa premissa invigilent, cassent, corrigant, statuant, ordinent, & emendent, quantoties realiter & cum effectu volens hec Sancta Synodus, ut ubi infra spacium quinque mensium immediate sequentium Diœce-

ſani, ac inferiores Prelati in & circa premiſſa negligentes, & remiſſi fuerint, Superior immediatus, aut futura Provincialis Synodus corrigat, ſtatuat, ordinet & emendet, ac etiam ad declarationem penarum contra & adverſus Ordinarios locorum, & inferiores Prelatos procedat.

Petit igitur prefatus Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus THEODERICUS Archi-Epiſcopus, totàque Provincialis Synodus Moguntinenſis, quatinus Vos Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Domine, Domine *Nicolae* Tituli Petri ad Vincula, Sacro Sancte Ramane Eccleſie Cardinalis, & Apoſtolice Sedis per Alemaniam Legate ſupra ſcriptis, deliberatis, & concluſis robur confirmationis, & approbationis auctoritate Legationis veſtre in forma meliori adjicere dignemini: dantes, & concedentes etiam ſpeciales facultates pro executione in defectum poteſtatis Ordinariorum, cum penarum additionibus, ubi opportunum judicaverit, ut ſperatus reformationis fructus laudabiliter exinde proveniat.

Confirmatio Reverendiſſimi Domini Legati.

Quoniam captas concluſiones per Vos Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum THEODERICUM Archi-Epiſcopum Moguntinenſem conſentientibus Comprovincialibus veſtris legi audivimus, & eas reformationi, quam querimus, judicavimus plurimum profuturas; ipſas, uti petitur, ratas, & gratas habentes, auctoritate Apoſtolica Nobis tradita in Dei nomine confirmamus, & per obedientiam, & ſub penis per Vos ad ſingula Statuta, ubi viſum fuerit adjungendis, precipimus illa obſervari ordinationibus ubilibet per Vos factis hac poteſtate Nobis ad viſitandum, corrigendum, & ſtatuendum, & aliis in Bulla Legationis noſtre contentis ſemper ſalvis, quibus per hanc noſtram confirmationem nequaquam intendimus derogare ſuper his, & earum executione literas decernentes opportunas, reſervantes Sanctiſſimo Domino noſtro Pape ac Nobis legatione duran. poteſtatem addendi, corrigendi, interpretandi, & declarandi, & queque alia faciendi, per que ſancta reformatio, que ſolum quæritur, poterit augeri. Jure Metropolitano Reverendiſſimi Domini Moguntinenſis, & Ordinariorum Provincie ſemper ſalvo. Inſuper ſub ſpe, quod in dictis quinque menſibus, de quibus in fine dictorum concluſorum continetur, effectualis executio eorum per Reverendiſſimum Dominum Moguntinenſem, & Suffraganeos ſuos fieri debeat, ſuſpendimus, & relaxamus omnes, & ſingulas cenſuras, & penas in ordinationibus, & Statutis noſtris ubicunque locorum Provincie Moguntine emanatis poſitas, & comprehenſas quantum ad eos, qui illas, & illa ſimpliciter non aſſumpſerint, aut uti volunt in, & per totam Provinciam Moguntinenſem per dictos quinque Menſes, ita tamen, quod executio dictorum Statutorum Provincialium interim fiat, juxta earundem formam, & tenorem, & ſi illam fieri & obſervari contingeret; volumus dictas cenſuras, & penas noſtras, etiam ex poſt quamdiu obſervaverint, locum habere non debere. Si vero executio non fuerit dictorum Statutorum Provincialium extunc in his, in quibus executio eorundem facta non eſt: volumus penas & cenſuras mandatorum noſtrorum in locis, in quibus publica ſunt; ſibi locum vendicare, ſimiliter in defectum executionis hujusmodi contra alios, quibus hujusmodi mandata noſtra inſinuata non fuerunt, ratione previa proceſſuri.

Poſt premiſſam confirmationem Reverendiſſimus Dominus Legatus publicari fecit Literas Indulgentiarum, quas dedit omnibus Sacerdotibus, qui infra Miſſarum Solennia in principio & in fine in concludendo Collectam ultimam addiderint: Et Famulos tuos N. Papam, & N. Epiſcopum noſtros una cum univerſa Eccleſia Catholica ab omni adverſitate cuſtodi, *quadringenta dierum Indulgentiam pro quolibet die Dominico.*

Item dictus Dominus Legatus ad inſtantiam Reverendiſſimi Domini Moguntinenſis, & Suffraganeorum ſuorum extendit ordinationem & concordiam factas in Synodo Bambergenſi inter Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Mendicantes ad totam Provinciam Moguntinenſem, & decrevit literas cuilibet, qui illa habere voluerit in ſpeciali deſuper concedendas.

Sequi-

Sequitur Litera de Fratribus Mendicantibus & Plebanis, ex Synodo Bambergensi, acceptata pro tota Provincia Moguntina.

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA, TITULI SANCTI PETRI AD VINCULA SACROSANCTE ROMANE ECCLESIE PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICE SEDIS PER ALEMANNIAM LEGATUS; IN DIŒCESANA BAMBERGENSI SYNODO PRESIDENS, UNIVERSIS CHRISTI-FIDELIBUS EJUSDEM DIŒCESIS SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

" QUoniam officio nostro incumbit, ut undique ea, que pacis sunt, diligenti studio promoveamus, maxime autem, quando ad id Apostolice Sedis singularis jussio accedit. Sane ad Sanctissimum Dominum nostrum, Dominum NICOLAUM Papam Quintum delato inter Plebanos & Mendicantes oppidi Nürnbergensis dicte Diœcesis non parvas fore differentias exortas, & Nobis per eundem Sanctissimum Dominum nostrum commisso, ut easdem de medio facere curaremus, atque post intellecto in hac *Bambergensi* Diœcesi in plerisque locis similes querelas esse, quodque scandala plurima in populo ex hoc oriantur, auditis in hac Synodo querelis super hoc & responsionibus per hanc nostram ordinationem de *Synodali consensu* de libertate factam, uti sequitur, providemus. Et quia jam dudum circa publicationem Capituli Concilii Generalis: *Omnis utriusque sexus*, Statutum Synodale de publicando dictum Capitulum: *Omnis utriusque sexus* Concilii Generalis per omnes Dominicas Quadragesime approbantes auctoritate Legationis nostre, qua fungimur, decernimus, quod publicatio illa in dicto oppido Nürnbergensi per Deputatos a Domino Episcopo Bambergensi simpliciter, ut textus jacet, tantum fiat inhibentes super eadem auctoritate, ne quisquam cujuscunque conditionis Ecclesiastice vel secularis infra limites Diœcesis Bambergensis constitutus, exemptus, vel non exemptus quovis modo, directe, vel indirecte, publice, seu occulte quenquam ab observantia jam dicte constitutionis, ac quod ille suo Sacerdoti, a quo Sacramentum Eucharistie recipere tenetur, vel alteri de licentia ejusdem saltem semel in anno non confiteatur, aut ab interessendo Divinis saltem diebus Dominicis, & majoribus Festivitatibus in sua Parochiali Ecclesia, aut a solutione jurium Parochialium retrahere presumat. Quinimo volumus, quod quisquis talia fecerit, etiam cujuscunque ordinis, seu religionis, exemptus vel non exemptus, suspensionis ab ingressu Ecclesie, & perceptione Sacramenti Eucharistie sententiam incurrat, absolutionem (preterquam in mortis articulo) Apostolice Sedi reservantes. Et quia Fratres de ordine Mendicantium modo quo in Clementina *Dudum* ponitur, presentati, & per Episcopum admissi in casibus Episcopis per reservationem Pape, aut Episcopi non prohibitis eis confitentes veraciter absolvunt: pari pœna inhibemus, ne quisquam cujuscunque conditionis fuerit Ecclesiastice vel secularis, exemptus aut non exemptus, potestatem absolvendi eorundem fratrum sic admissorum detrahere directe vel indirecte, publice vel occulte presumat. Quinimo volumus, quod quisquis talia fecerit, suspensionis ab ingressu Ecclesie, & Sacramenti Eucharistie sententiam incurrat, absolutionem preterquam in mortis articulo Apostolice Sedi reservantes, & ad finem, ut populus sciat, qui sint tales admissi, & qui casus prohibiti statuimus, & dicta auctoritate ordinamus, quod Dominus Bambergensis Episcopus omni anno in prima Dominica Quadragesime deinceps per principalia loca sue Diœcesis hanc nostram ordinationem, & fratres admissos per eum, eos ad confessionem audiendos nominatim, ac casus Pape, atque sibi reservatos, & in quibus sibi reservatis auctoritatem dedit absolvendi publicationem populo faciendam, disponere teneatur.

" Prohibemus sub simili suspensionis late sententie pena, ne amplius quisquam ex Fratribus mendicantibus contra Plebanos, aut Plebani quicun-

" cunque contra fratres ipſos predicare " preſumant, ſed qui cauſam querele " habuerit, judicem adeat competentem. " Datum Bamberge in Synodo Dioece- " ſana per Nos ibidem in Eccleſia ma- " jori ſolenniter celebrata die *Lune tertia* " *Maji*, *Anno a Nativitate Domini Mille-* " *ſimo*, *quadringenteſimo*, *quinquageſimo pri-* " *mo.* Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto " Patris & Domini noſtri, Domini NI- " COLAI, Divina providentia Pape " quinti, anno quinto.

Statutum de Queſtoribus de novo adjunctum.

Cum Divinorum Officiorum Rectores in Divinis Officiis, & Parochialibus juribus per elemoſinarum queſtores ſepius perturbentur, ſtatuimus, & ordinamus, ut hujusmodi queſtores vigore literarum auctoritate noſtra ipſis conceſſarum, aut in antea concedendarum. In Feſtivitatibus Domini noſtri JESU Chriſti Paſche, Pentecoſtes, Nativitatis Glorioſe Virginis Marie, Purificationis, Annuntiationis, & Aſſumptionis, nec non Eccleſiarum Parochialium Patrociniis, & ipſarum Dedicationum Anniverſariis deinceps ad ſtationes faciendas, aut elemoſinas ipſis Eccleſiis petendas nequaquam admittantur.

De Indulgentiis Feſti Corporis Chriſti.

Indulgentias Feſti Corporis Chriſti a Papa URBANO, MARTINO, & EUGENIO confirmatas, mandamus Vobis omnibus & ſingulis Plebanis, & Divinorum Rectoribus, quatinus indulgentias infra ſcriptas a tribus Romanis Pontificibus ad augmentum devotionis Chriſti fidelium circa venerationem, & reverentiam Venerabiliſſimi Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti per quod ſalvati, & liberati ſumus intereſſentibus Miſſis, & horis Canonicis in Feſto ipſius Sacramenti, & per octavas ejusdem de theſauris ipſius Eccleſie datas, & conceſſas ſingulis annis publicare in Eccleſiis veſtris die Pentecoſtes, & in octava ejusdem ſubditis veſtris non dimittetis, ne tedium generet prolixitas eas ſummatim inſinuetis: ſumma in primis veſperis a tribus Romanis Pontificibus pretactis, quingenti dies indulgentiarum, & ad completorium ſunt ducenti dies, ſumma in matutinis quingenti dies ſunt, ipſo die ſumma in Miſſa totidem, ſcilicet quingenti dies, ſumma in ſecundis veſperis quingenti dies, ſumma vero ad horas ipſo die Corporis Chriſti, ſcilicet primam, tertiam, ſextam, nonam & completorum ſunt mille dies indulgentiarum, ſed qualibet die per octavas ſunt quingenti dies. Quicunque jejunaverit in profeſto Corporis Chriſti, vel qui opus pium aliud de Concilio ſui Sacerdotis fecerit, habebit etiam ducentos dies, exiſtentes in proceſſione ducentos dies. Qui communicant ducentos dies. Quicunque precedit aut ſequitur Sacramentum, quando portatur infirmis cum incenſo lumine, ducentos dies. Qui vero ſine lumine centum dies. Presbyteri celebrantes Miſſam pro pace, ſeu tranquillitate quotiens per octavas fecerint, toties habebunt ducentos dies indulgentiarum. Quapropter exhortamur ſubditos veſtros, ut confiteantur, & preparent ſe contritos, & confeſſos in remiſſionem peccatorum. Datum Anno Domini *milleſimo*, *quadringenteſimo*, *quinquageſimo primo.*

Cl. Lunig. Spicil. Eccleſiaſtici Contin. II. pag. 68.

Eadem Synodus fuit excuſa Hagenoæ in 4*to. anno* 1512.



CON-

CONCILIUM COLONIENSE PROVINCIALE

Anno Chriſti MCCCCLII. Nicolai V. Papæ VI. Friderici III. Regis XIII.

SUB NICOLAO CUSANO, CARDINALI, LEGATO APOSTOLICO, ET THEODORICO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI.

STATUTA in Provinciali Concilio Colonienſi per Dominum NICOLAUM de CUSA Cardinalem, & Legatum de Latere per Alemaniam, comprobante Archi-Epiſcopo Colonienſi THEODERICO.

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA TIT. S. PETRI AD VINCULA SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, PER ALEMANIAM, ET NONNULLA ALIA REGNA AC PROVINCIAS APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ADſpirante Divinæ pietatis influxu, & vigore Apoſtolici ſpiritus, qui (*teſte Hieronymo*) Petri Cathedram non deſerit, ſe nunc ad paſcendum Dominicum gregem diligenter convertente, actum eſt, quod Sanctiſſimus Dominus noſter, Dominus NICOLAUS Papa Quintus, oculos ad hanc magnam Provinciam Colonienſem attollens, Nos, licet omnium Sacri Collegii Cardinalium minimum, transmiſerit, ut videamus, qualiter vos Fratres, & Filii ſui dilecti, in via Domini proficiatis: hinc DEO gratias agamus, qui nos ad Divina Myſteria ſolicitanda collegit, ut mutuis conſiliis cuncta in melius dirigantur. Et quoniam nunc adeſtis, Vos Reverendiſſime Domine THEODORICE, Archi-Epiſcope Colonienſis, cum Venerabili Capitulo, ac veſtrorum Comprovincialium vices agentibus, Venerabilibusque Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, aliisque religioſis & devotis, doctisque Sacerdotibus & Magiſtris numero copioſo: tempus adeſſe credimus, ut nunc deliberationum communium per plures dies digeſte factarum, fructuoſa definitio ſubſequatur: quæ, ut clarior fiat, præmittendum arbitramur, Nos non velle, per ea, quæ ſtatuemus, Apoſtolicis, aut Legatorum ejus, aut Noſtris antea factis ordinationibus in aliquo detrahere, neque etiam Comprovincialium aut Synodalium Diœceſium Statutis, laudabilibusque conſuetudinibus quibuscunque (quæ per noſtra ſtatim promulganda decreta non corriguntur aut limitantur) derogare, nec etiam auctoritati Apoſtolicæ Sedis, aut ejus Legati, nec Metropolitani, aut ſuorum Coepiſcoporum Comprovincialium, nec juribus, libertatibus, privilegiis, ac exemptionibus præjudicium fieri quovis modo: ſed potius jus uniuscujuslibet, quale habere dinoſcitur, ſalvum eſſe volumus. Ad aliqualem autem Eccleſiaſtici Status reformationem, quouſque Deus majori obſervantiæ commodius tempus conceſſerit, Nos NICOLAUS Cardinalis Legatus &c. ſupradictus huic *Sacro Provinciali Concilio* authoritate Sanctiſſimi Domini noſtri NICOLAI Papæ V. præſidentes, de expreſſo Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri, Domini THEODORICI, Archi-Epiſcopi præſcripti, Nobis conſedentis, ac ſui Venerabilis Capituli, omniumque Comprovincialium conſenſu, univerſaque Synodo concorditer approbante, ſtatuimus, & ordinamus, ut ſequitur:

Inprimis, quod de cætero de triennio in triennium ſervetur Concilium Pro-

Provinciale in ſancta civitate Colonienſi, ſtatim poſt Octavas Dominicæ Reſurrectionis, in forma & ſub pœnis juris communis, cum Litaniis & Solennitatibus nunc adhibitis, ſeu alias congruentibus, videlicet, quod dicatur Miſſa, legantur Litaniæ, & fiat ſermo exhortationis.

Item, quod ſingulis annis in Diœceſibus Suffraganeorum Comprovincialium, ſerventur Concilia Epiſcopalia, ſeu Synodalia per ipſos Suffraganeos, ſeu illos, ad quos de antiqua conſuetudine ſpectat, in quibus corrigenda corrigantur juxta Canonum & Statutorum continentiam.

Inſuper laudamus, & legi mandamus in Synodis Diœceſanorum libellum Sancti Thomæ de Aquino, *De articulis Fidei & Sacramentis Eccleſiæ*, quodque præcipiatur Curatis, ut partem, quæ eſt de Sacramentis, habeant, & ſtudeant diligenter.

Item volumus & mandamus, quod Statuta Provincialia bonæ memoriæ ENGILBERTI, ſeu HENRICI, Archi-Epiſcoporum Colonienſium, cum additionibus aliorum ſubſequentium tam Romanorum, quam Comprovincialium Pontificum, circa tuitionem Eccleſiaſticæ libertatis, & non alias, innoventur, publicentur crebrius, & diſtricte ſerventur.

Item, quod Judæi intra decem menſes, & ab eo tempore in antea per totam Provinciam Colonienſem deferant ſignum, videlicet circulum de filis croceis in veſte extrinſeca ante pectoralia: & hoc quoad maſculos: quodque feminæ deferant duas rigas blavii coloris in peplis, earundem ad inſtar Judæorum in urbe Romana. Et quod nihilominus ſervetur Decretalis: *Poſt miſerabilem*, *extra de Uſuris*. Ad quæ omnino compellantur, tam per Eccleſiaſticam, quam ſecularem poteſtatem.

Item circa ingreſſum ad Beneficia, & Ordines, ac permutationem Beneficiorum, atque reſidentias Curatorum, ſtatuimus jura & ſtatuta Provincialia & Epiſcopalia obſervari, ac in proxima viſitatione, quam fieri mandamus, corrigenda, abſque diſſimulatione corrigi & emendari.

Inſuper ad reformationem moris Eccleſiaſtici Status, ordinamus, & ſtatuimus, quod Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & alii in minoribus ordinibus conſtituti, de cætero tonſuram deferant Clericalem, atque crines longos, & tamen ſic detonſos, quod auribus patentibus incedant, ita quod ſtatus, & gradus cujuslibet eorundem, diſcerni commode poſſint, & valeant. Et quod veſtes deferant competenter longas, decentes & honeſtas, in lateribus clauſas, juxta morem, & conſuetudinem Diœceſium ſeu locorum.

Item ut ſinguli Diœceſani provideant in ſuis Diœceſibus, ne de cætero Dominicis, & Feſtivis diebus ad honorem Dei indictis, mercatus rerum vendibilium, quæ ad uſum quotidiani victus neceſſariæ non exiſtunt, quomodolibet fiat, niſi in caſibus permiſſis a jure, & præſertim juxta determinatronem Sancti Thomæ de Aquino ſupradicti.

Item abuſum quæſtuariorum, qui quotidie excreſcit, reprimendo mandamus & præcipimus, ne de cætero admittantur, niſi juxta formam juris communis, & tenorem Statutorum Synodalium Diœceſium prædictarum.

Item prohibemus, ne de cætero authoritate quacunque erigantur, admittantur, vel confirmentur aliquæ novæ congregationes virorum, aut mulierum, etiam in communi vita vivere adſpirantium, niſi aliquam regulam per Sedem Apoſtolicam approbatam, expreſſe confiteantur, ſeu acceptent. Mandamus præterea talibus congregationibus jam forſan exiſtentibus, niſi ſic qualificatis, omnem favorem ſubtrahi, nec easdem aliquo privilegio, vel indulto de cætero communiri debere, offerentes nihilominus congregationibus qualificatis ſupra tactis favorem, & auxilium.

Item ſtatuimus, ne de cætero quacunque authoritate admittantur aliquæ novæ fraternitates, ex quibus veriſimiliter detrahi poſſit religioni, & juribus Eccleſiarum, quodque nullæ indulgentiæ talibus concedantur.

Item ſtatnimus, quod quicunque Clericus Beneficiatus, vel in Sacris Ordinibus conſtitutus, qui poſt hujusmodi conſtitutionis notitiam (quam habere præ-

præsumatur post duos menses a tempore publicationis, quæ inferius fieri mandatur) fuerit publicus concubinarius in crimine hujusmodi perseverando, a perceptione fructuum Beneficiorum suorum, trium mensium spatio sit ipso facto suspensus. Quos Superior ad quem id alias immediate spectat, ad fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Quodque si Superior, ad quem id spectat, viderit concubinarium illum metu prædictæ suspensionis fructuum non retrahi, tunc antequam ad ulteriores juris pœnas eidem infligendas, procedatur: eundem tamen publicum concubinarium Canonice moneat & aviset, quod nisi intra terminum tunc sibi præfigendum cesset, ad dictas pœnas se processurum. Et nihilominus hi publici concubinarii post hujusmodi suspensionem, ac monitionem, & processum, usquequo cum ipsis per suos Superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem novi tituli quorumcunque Beneficiorum, aut officiorum, Honoris, seu Dignitatis Ecclesiasticorum sint inhabiles. Quod si post dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis, ad prædicta prorsus inhabiles existant, quod si hi, ad quos talium correctio pertinet, ipsos (ut prædictum est) punire neglexerint, eorum Superiores, tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. Publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla posset tergiversatione celari, notorius est: sed qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, ac per Superiorem suum admonitus ipsam cum effectu non dimittit. Clerici vero in Sacris non Beneficiati, ubi Beneficiati caderent in suspensionem fructuum, cadent similiter in suspensionem ab ingressu Ecclesiæ: & contra eos procedatur ad graviores pœnas, etiam mulctas.

Item statuimus, quod nullus Officialis, seu Judex in aliquo loco interdictum Ecclesiasticum ponat simpliciter, vel ad tempus pro pecuniario debito, juxta constitutionem BONIFACII octavi, quæ incipit: *Provide*, &c. nisi pro debito Ecclesiæ, vel Beneficio Ecclesiastico, similiter, nisi in rescripto Apostolico aliud expresse contineatur. In quo siquidem interdicto Ecclesiastico, & cessu a Divinis, volumus jus commune, atque statuta, tam Provincialia, quam Synodalia servari. Nolumus tamen per hoc secludere, quin si Judices seculares, aut Domini temporales in subsidium fuerint requisiti ad compellendum, excommunicatos redire ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, & propter eorum inobedientiam fuerint excommunicati, & in ea excommunicationis sententia per annum rebelliter insorduerint, quod tum adversus ipsos Judices, seu Dominos tales procedi possit ad interdictum Ecclesiasticum, & cessationem a Divinis.

Item pro reformatione Monasteriorum, & Religiosarum personarum, statuimus, atque districtius præcipimus, quod desuper Ordinarii diligenter invigilent, ipsosque Religiosos utriusque sexus, juxta tenorem juris communis, & Statutorum Synodalium suorum, ad observantiam vitæ regularis constringant.

Item attendentes Apostolicam Sedem Fratribus mendicantibus privilegia in ædificationem Ecclesiæ concessisse, & ob hoc in Clem. *Dudum* &c. Fratres præsentandos Episcopo, & per eum ad audientiam confessionis admittendos, vult esse idoneos & probatæ vitæ: & quia Episcopi, ad quos voto solenni spectat curam gregis eorum habere, admonitos esse convenit, ne admittant alios, quam ut Clementina illa habet, qualificatos: ita quod eis constet per facti evidentiam, aut testimonio bonorum hominum, eos dignos esse, quibus sibi creditas animas absolvendi claves committant: Hinc ad finem, ut fratres ipsi religionis suæ observantiam citius adaugeant, seu acceptent, intentionis nostræ existit, quod quisque Episcopus Suffraganeus Fratribus ordinis Mendicantium cum omni caritate regularem observantiam persuadeat, offerendo ad hoc omnem gratiam, & benevolentiam, cum comminatione, quod nisi intra competens tempus eis, per quemlibet Episcopum præfigendum, per facti evidentiam regularem vitam secundum pro-

professionem ipsorum servare inceperint, & continuaverint, quod tunc post lapsum terminum eos tales inidoneos minus probatæ vitæ, ad audientiam confessionum, prædicationes, & petitiones, ac alios actus legitimos non admittat. Episcopi etiam non patiantur, fratres in terminis longiores moras trahere: sed operam dent, ut petitione peracta, ad suos Conventus redeant, nisi eos in audiendis confessionibus, & prædicatione Verbi Dei, diutius morari in aliquo loco debere judicaverit.

Item statuimus & ordinamus, quod Visitationes fiant, prout de jure præcipitur: & si Ordinarii in *Visitationibus* suarum Diœcesium, vel alias reperiant concursum populi ad aliquas imagines, cognoverintque informatione summaria recepta, populum amplius ad dispositionem figuræ talis imaginis, quam salva fide expediat, inclinari, quod tunc imaginem tollant, & alias omnino provideant, ne idololatriam committant. Similiter si HOSTIA transformetur in cruentam carnem, seu in sanguinem apparentem, occultetur penitus, & omnino juxta traditionem juris, nec populo quomodolibet publicetur, seu ostendatur, ne seducatur, & quæstuarius accursus populo prohibeatur.

Item ad majorem honorem Sanctissimi *SACRAMENTI* statuimus, quod deinceps ipsum Sanctissimum *SACRAMENTUM*, nullatenus visibiliter in quibuscunque Monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in Sanctissimo Festo Corporis *CHRISTI* cum suis octavis, & extra hujusmodi Festa cum suis octavis semel in anno in qualibet civitate, aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii, aut alias pro pace, vel alia necessitate imminente, & indispositione rempublicam prægravante: & tunc cum summa reverentia, atque devotione: in præmissis tamen laudabilibus consuetudinibus hujus Metropoliticæ, & Cathedralium Ecclesiarum Suffraganeorum ejusdem, semper salvis.

Item cum natura quotidie novas deproperat edere formas, & omnia subjacent mutationi, reservamus Provinciali Synodo proximæ, & sequenti, liberam & absolutam potestatem superius statuta ordinata, & per Nos præcepta, emendandi, corrigendi, reformandi, & commutandi, prout juxta malitiam, atque qualitatem temporis, & subditorum Provinciæ Coloniensis, videbitur expedire.

Cæterum expresse permittimus Metropolitano, & Ordinariis Provinciæ, & Diœcesium prædictarum, ac unicuique Ordinario, Beneficium absolutionis a pœnis, & censuris quibuscunque, tam in præmissis hujus Sanctæ Synodi, quam aliis Provincialibus, & Synodalibus Statutis, contentis, & comprehensis, exceptis Apostolicæ Sedi de jure reservatis.

Item volumus & mandamus, quod per Ordinarios locorum intra mensem omnia suprascripta, per Diœceses singulorum publicentur. Statuimusque insuper & declaramus, quod omnia prædicta Capitula cum suis pœnis, ligent a tempore publicationis Comprovincialium, intra duos menses immediate sequentes, atque per eos, ad quos spectat, post publicationem in delinquentes executioni demandari.

Item in robur omnium decernimus super his opportunas literas, quas tam Nostro, quam Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Sigillo volumus communiri.

Aliarum verò literarum, de quibus supra fiat mentio, tenores de verbo ad verbum sequuntur, & sunt tales videlicet:

Ut Monasticæ personæ, tam exemptæ, quam non exemptæ, regularem vitam juxta regulam Ordinis, quem professæ sunt, vivant: alioquin sint inhabiles & ineligibiles. &c.

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA TITULI S. PETRI AD VINCULA SACRO-SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, PER ALEMANIAM ET NONNULLA ALIA REGNA, ET PROVINCIAS APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, REVERENDISSIMO AC REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBUS, DOMINIS THEODERICO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, AC UNIVERSIS EPISCOPIS PER PROVINCIAM Co-

Coloniensem constitutis, Salutem in Domino sempiternam.

Quoniam Sanctissimus Dominus noster, Dominus NICOLAUS, Divina providentia Papa Quintus, curam habens, ut universalis Ecclesia sibi commissa, in suis membris per orbem diffusis salubriter gubernetur, Nos ad hanc Coloniensem, quemadmodum & ad nonnullas alias Alemanicæ Nationis Provincias, pro communi animarum salute procuranda, transmisit, plurimas ad id oportunas nobis tribuens facultates: Nos considerantes ad honorem Dei, animarum ipsarum salutem, ac populi Christiani gratam consolationem tendere, si omni studio & diligentia procuraverimus, quod personæ religiosæ quamcunque regulam per Sedem Apostolicam approbatam, tacite vel expresse professæ, secundum regulam hujusmodi religionis suæ vivant, & DEO Altissimo reddant vota sua: considerantes etiam, quomodo ob hanc causam eisdem Religiosis personis, ut in observantia regulari Omnipotenti DEO eo liberius & quietius servire possint & debeant, ab Apostolica Sede plurima privilegia & indulta multa concessa, pluresque Parochiales Ecclesiæ cum earum fructibus, redditibus, & proventibus illis unitæ, & incorporatæ existunt: quarum quidem religiosarum personarum nonnullæ tantis ingratæ beneficiis, salutem suam miserabiliter negligentes, dictarum religionum suarum regulas & statuta observare non curant: quin immo temerarie contradicunt, in grave animarum suarum periculum & scandalum religionum. Quapropter nisi mores illi pravos & dissolutam vitam abjecerint, ac ad cor redierint, opera priorum Patrum, in quorum locum successerant, devote adimplendo, privilegia ac indulta, atque Ecclesias prædictas juste merentur amittere, quorum si in pertinacia, seu incorrigibiles perseverare præsumpserint, nequaquam poterunt esse digni. Hinc est, quod Nos authoritate Apostolica, qua in hac parte fungimur, omnibus & singulis personis religiosis Monasteriorum quorumcunque tam virorum, quam mulierum, per civitatem, Diœcesin & Provinciam Coloniensem ubilibet constitutis, exemptis, & non exemptis, sub pœna amissionis & revocationis omnium & singulorum privilegiorum, indultorum, & unionum prædictorum, eis, & eorum Monasteriis quacunque etiam Apostolica authoritate concessorum & factorum, districte præcipiendo mandamus, quatenus intra unum annum a die datæ præsentium computandum, regularem vitam juxta regulas & statuta Ordinis, quem (ut præmittitur) professæ sunt, effectualiter observare incipiant, & sic inceptam, fideliter continuare studeant, ut tenentur. Eadem quoque authoritate ordinamus, decernimus, & declaramus, omnes & singulas personas religiosas prædictas, per civitatem, Diœcesin, & Provinciam Coloniensem ubilibet constitutas, quæ intra dictum annum regularis vitæ observantiam animo continuandi effectualiter non inceperint, post lapsum ejusdem anni, in antea ad quamcunque dignitatem fore inhabiles, ac ineligibiles, quodque post lapsum duorum annorum, a data præsentium numerandorum, nulla talium personarum religiosarum, nisi prius saltem per annum integrum immediate præcedentem, regularem tenuerit observantiam, ad quamcunque dignitatem eligibilis existat. Mandantes insuper Vobis Reverendissimo ac Reverendis Patribus Dominis, Archi-Episcopo, & Episcopis præfatis, ac omnibus aliis & singulis, ad quos de jure, consuetudine, vel privilegio electionum & personarum, ac Monasteriorum præfatorum confirmatio pertinet, ne contra ordinationem, decretum, ac declarationem nostras hujusmodi veniendo, ullam electionem de persona (ut præfertur) inhabili pro tempore factam quovis modo confirmetis, seu confirmare attentetis, sive præsumant.

Quod si secus feceritis, aut fecerint, confirmationes easdem simili authoritate Apostolica ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc decernimus irritas & inanes, nulliusque existere roboris vel momenti. Et si forsan intra ipsum primum annum a data præsentium computandum, casus vacationis alicujus dignitatis occurrerit, ad quam persona eligeretur, quæ in observantia regulari sui ordinis antea non stetisset per annum, aut vitam regularem hujus-

modi nondum incepiſſet ſervare, circa illam confirmator agere poterit, prout de juris communis diſpoſitione fuerit faciendum.

Ut igitur hæc noſtra ſancta ordinatio, & charitativa admonitio, ad omnium, quorum intereſt, intererit, vel in futurum intereſſe poterit, publicam deducatur notitiam, Vobis Reverendiſſimo Patri Domino Archi-Epiſcopo, ac etiam Epiſcopis præfatis firmiter præcipimus & mandamus, quatenus has noſtras literas, & in eis contenta, per veſtras Provinciam & Diœceſes, & ubicunque opus eſſe judicaveritis, intra unius menſis ſpatium a tempore receptionis præſentium inſinuare, ac publicare curetis, & ea, quantum ad Vos ſpectat, obſervetis, ac ab aliis omnibus, quorum intereſt, faciatis inviolabiliter obſervari.

Datum *Coloniæ* ſub noſtro ſigillo die tertia menſis Martii, Anno a Nativitate Domini *Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo ſecundo*, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, D. NICOLAI, Divina Providentia Papæ quinti, anno quinto.

Authoritate Apoſtolica præcipitur, ut per Provinciam Colonienſem Dominicis diebus ad finem Collectarum Miſſæ oretur nominatim PRO PAPA & ANTISTITE LOCI.

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA TIT. S. PETRI AD VINCULA SACRO-SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, PER ALEMANIAM, ET NONNULLA ALIA REGNA, AC PROVINCIAS APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, UNIVERSIS ET SINGULIS, AD QUORUM NOTITIAM PRÆSENTES LITERÆ PERVENERINT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam dignum eſſe dinoſcitur, ut qui in Sanctorum Patrum veſtigiis, quoad fidem ambulamus, eorundem etiam, quantum ex alto conceditur, ſacras obſervantias imitemur: Apoſtolus autem Paulus, ſciens ſubditorum ſalutem in Deo accepto Præſule plurimum conſervari, præcepit pro Rectoribus & ſublimibus indeſinenter preces effundi: ſic etiam legimus in Apoſtolorum actibus, Eccleſiam ſine intermiſſione pro Beatiſſimo Apoſtolorum Principe Petro oraſſe: unde exſtat conſtitutum, Romani Pontificis nomen inter Sacra debere recitari: Hoc enim Sancti Patres univerſalis Eccleſiæ unitati perutile arbitrati ſunt: verum, ſicut Romanus Pontifex univerſæ Eccleſiæ Catholicæ curam habet, ita in ſolicitudinis partem ſinguli Epiſcopi vocati noſcuntur: Quare etiam convenit, in ſingularum Diœceſibus pro Pontificibus ſingulis orationes effundi: Hoc quidem pro unitatis Eccleſiæ univerſalis, & Diœceſis cujuſcunque conſervatione judicamus convenire: idcirco Sacro Colonienſ. Provinciali Concilio, cui authoritate Sanctiſſimi Domini noſtri, Domini NICOLAI, Divina providentia Papæ quinti, præſidemus, concorditer approbante, ordinamus, quod ex nunc in antea Sacerdos quilibet dictæ Provinciæ ſingulis diebus Dominicis, dum celebraverit, ad finem Collectarum, tam in principio, quam in ultimo Miſſæ adjicere debeat orationem, quæ ſequitur: *Et Famulos tuos N. Papam, & N. Antiſtitem noſtros, una cum univerſa Eccleſia Catholica ab omni adverſitate cuſtodi. Per Dominum &c.* Et ut in Colonienſi Diœceſi Sanctiſſimus Dominus noſter, Dominus NICOLAUS Papa Quintus, ac THEODERICUS nunc Antiſtes, ſic & ipſorum Succeſſores in præſcripta oratione nominandi ſunt. Ut autem omnis Sacerdos ordinationem noſtram hujuſmodi obſervans, ſpiritualis theſauri ſe gaudeat munere refectum, cuilibet Sacerdoti pro qualibet die Dominica, qua dictam orationem Collectis ipſis adjunxerit, ut præfertur, quinquaginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis, authoritate noſtræ Legationis, qua fungimur, miſericorditer in Domino relaxamus. Volumus etiam & præcipimus, ordinationem & conceſſionem noſtras hujuſmodi per totam Colonienſem Diœceſin tam regularibus, quam ſecularibus, exemptis & non exemptis Presbyteris, per Officialem ejusdem diligenter publicari. Datum *Coloniæ* ſub ſigillo noſtro die tertia menſis Mar-

Martii, Anno a Nativitate Domini *Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo secundo*, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini NICOLAI, Divina providentia Papæ quinti, anno quinto.

Statuta CONRADI & SIFRIDI Archi-Episcoporum, de regulari observantia, authoritate Apostolica confirmantur, declarantur, & ad exemptos quorumcunque Ordinum extenduntur.

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA TIT. S. PETRI AD VINCULA SACRO-SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, PER ALEMANIAM, ET NONNULLA ALIA REGNA ET PROVINCIAS APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS.

QUoniam Religiones multum a viis Prædecessorum hoc tempore adeo declinaverunt, quod in plerisque Monasteriis non solum monastica vita, sed & regularum scientia periisse dinoscitur: quæ cum in Statutis Provincialibus CONRADI, & Synodalibus SIFRIDI summarie annotentur, & præcipiantur sub excommunicationis latæ sententiæ pœna observari, sitque per Nos Synodo approbante statutum, religiosas personas reformari debere per Ordinarios secundum juris & Statutorum Synodalium formas: hinc ut in Religiosorum notitiam ordinatio Conciliorum præfatorum Archi-Præsulum deducatur, statuta illa de Religiosis Apostolica authoritate innovamus: quorum tenor ex Synodalibus Decretis *SIFRIDI Capit. VII.* sequitur, & est talis: Statuimus, ut nullus Monachus, aut Monialis claustrum suum exeat, per civitates, villas, vel oppida discurrendo, aut in villa Monasterio adjacente comedendo, nisi ex causa rationabili & urgente: & id tunc fiat cum sui Prælati, vel Prælatæ licentia. Quam licentiam volumus, ut Prælatus, vel Prælata non dent, nisi causa examinata, quæ sit evidens, & non possit sine scandalo denegari. Item in oratorio, refectorio, & dormitorio per Monachos continuum semper silentium observetur. In claustris vero illis horis servent silentium, quibus observantia præcipit regularis. In refectorio omnes comedant, & non carnes, nisi in infirmaria. Una sit omnibus coquina & communis cibus, nisi de licentia Abbatis vel Prioris, & ex causa. Speciales cameras & comestiones ibidem districtius inhibemus. Omnes in communi dormitorio dormiant, nisi debiles fuerint, vel infirmi. Divinum Officium, secundum regulam Beati Benedicti, vel Augustini, & institutiones Sanctorum Patrum, celebrent. Item sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, ut omnes Religiosi, & præcipue Sanctimoniales, habitum, peplum, & velum secundum regulam ferant ubicunque fuerint constituti. Cappas, manicas, tunicas, phalas, indumenta, tabbardos, calceos, vel caligas non ferant, nisi Beati Benedicti, & Beati Augustini regulæ congruentes. Quod propter abusum, qui his temporibus in talibus inolevit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus ab omnibus tam Monachis, quam Monialibus firmiter observari. Propria non habeant, nec pecuniam, nisi cui hoc committitur ratione officii vel administrationis sibi commissæ per Abbatem.

Item officia vel administrationes habentes, contractus non ineant, locationes quarumcunque rerum mobilium, vel immobilium non faciant: mutuum aliquatenus non recipiant a quocunque præter scitum Abbatis & Conventus. Et si contra fecerint, sciant contractum hujusmodi non tenere, & se sententiam excommunicationis contra ipsos in hoc casu a Nobis latam in his scriptis, incurrisse. Et hæc eadem extendi volumus ad Prælatos & Canonicos regulares Præmonstratenses, & alios quoslibet Religiosos. Item Abbatibus & Prioribus districte præcipimus, ut omnia & singula, quæ ad regulam & ordinem pertinent, faciant ab omnibus & singulis inviolabiliter observari cum appositione pœnæ, quæ in regula continetur: rebelles vero, & incorrigibiles ad Nos deferentes, ut ipsorum per Nos rebellio compescatur. Item statuimus, ut secundum statutum Concilii Generalis Domini INNOCENTII Papæ tertii, per Abbates, Priores, Præposi-

positos Ordinis Sancti Benedicti nostræ civitatis & Diœcesis, de triennio in triennium commune Capitulum observetur. Cujus Concilii tenorem volumus, ut singuli habeant, ut sciant, qualiter hujusmodi Capitulum servare teneantur. Et quia hujusmodi statutum est negligenter servatum, licet Dominus CONRADUS, Prædecessor noster antedictus, hoc mandaverit, Nos pœnam adjicimus, & non servantes, excommunicamus in his scriptis. *Usque huc verba Statuti.*

Nos autem pro clariori intellectu ejusdem, volumus excommunicationis pœnas intelligi, in eas personas religiosas ferri, quæ aut communem vitam, aut paupertatem, modo quo supra præcipitur, aut obedientiam, aut stabilitatem in Monasterio, nisi licentia interveniat, aut quæ habitum religionis non deferunt, aut administando sua authoritate contractus faciunt, cujuscunque etiam religionis fuerint. Et quoniam nonnullæ reperiuntur religiones, post constitutionem dictam exortæ & exemptæ, & quæ, licet sint de Provincia Coloniensi, se comprehendi non putant, & periculosam censuram parvipendunt: hinc Nos Apostolica authoritate decernimus, statutum illud in jam dictis per Nos casibus cum sua pœna ad omnes & singulas religiones tam exemptas, quam non exemptas, etiam Cistercienses, ubilibet per Provinciam constitutos extendi: ita tamen, quod non nisi anno revoluto pœna locum sibi vendicet. Præcipimus igitur omnibus religiosis personis, exemptis, & non exemptis, per Provinciam constitutis, ut quanto citius ad reformationem se adaptent, illam recipiant, & continuent. Quod si intra annum non fecerint, eo ipso in pœnam statuti prælibati, & alias juris & regularum suarum pœnas se sciant incidisse. Per hanc tamen annalem pœnæ suspensionem, non credant secum dispensatum, quominus ad votorum suorum observantiam sub pœna peccati mortalis, semper sint adstricti. Datum *Coloniæ* sub nostro sigillo die octavo mensis Martii, anno a Nativitate Domini *Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo secundo*, Pontificatus Sanctissimi in CHRISTO Patris & Domini nostri, Domini NICOLAI, Divina providentia Papæ quinti, anno quinto.

In Statutis Coloniensibus anni 1554. *pag.* 254.

ORDO SYNODI HERBIPOLENSIS
Anno MCCCCLII. celebratæ.

IN Nomine Domini. Amen. Incipit Ordo observatus in Sacra Episcopali Synodo Herbipolensi, de anno a Nativitate ejusdem Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo secundo, die septima mensis Martii, quæ fuit Feria tertia proxima post Dominicam, qua in Ecclesia Dei cantabatur : Reminiscere, *solemniter in Ecclesia Herbipolensi celebrata.*

Inprimis post decantationem Primarum, aliis subsequentibus Horis Canonicis omissis, mox Succentor in Choro Sancti Kiliani Ecclesiæ præfatæ Antiphonam : Veni Sancte Spiritus, *alta voce cantare incepit: qua finita legebatur Versus & Collecta de S. Spiritu.*

Deinde per unum Vicarium Dominicalem Officium Missæ de Festo Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ, adjunctis Collectis in principio & fine de Spiritu Sancto, & die solemniter decantabatur.

Et post Officium Missæ mox duo Vicarii Litaniam Sanctorum cantabant, & Presbyter, qui Missam præfatam celebravit, cum V. *& Collecta de omnibus Sanctis conclusit. Item sub hujusmodi Officio Missæ; Dominus Episcopus, Decani, cæterique Canonici & Vicarii majoris, in Haugis, & novi Monasterii Ecclesiarum, in Choro Sancti Kiliani præfato, non cappis nigris induti, sed superpelliciati, absque permixtione aliarum personarum, in sedibus suis more solito se locaverunt. Aliis vero ad Synodum vocatis, ut puta Abbatibus, Decanis, Præpositis, Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, cæterisque permixtim absque aliqua locatione in superiori parte dicti Chori existentibus. Item ad Offertorium neque Dominus Episcopus, neque cæteræ personæ accedebant propter evitare confusionem, & tumultum. Quibus sic peractis Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus GOTFRIDUS*

Dei gratia, Episcopus Herbipolensis, ac Franciæ Orientalis Dux, & dictæ Sacræ Episcopalis Synodi tunc Præsidens, ad Sedem sibi honorifice cum tapetis dispositam, & ornatam in gradu, quo itur de superiori parte Chori præfati ad partem inferiorem, se locavit; dorsum versus summum Altare vertendo. Et statim expost: *Dominum Anthonium Guntheri, in Decretis Licentiatum, in Promotorem dictæ Sanctæ Synodi elegit, & alta voce eum pro tali nominari, & per medium Johannis Fabri Notarii publici subscripti publicari fecit, qui quidam Promotor officium suum incboans, primo de mandato dicti Domini Episcopi, & Præsidentis omnes personas laicales sub excommunicationis pœna de Choro præfato exire jussit; ex post januis ipsius Chori undique clausis ac custodibus ad eas assignatis, Promotor prædictus ordinem in Sessionibus tribuens, ad latus præfati Reverendi Præsidis dextrum primo, Dominum Vicarium in Pontificalibus, & subsequenter Dominos Sanctorum* Burchardi, Stephani, *&* Jacobi *Scotorum intra & extra muros Herbipolensium Monasteriorum. Abbates: Amerbach, Sluchternensis, Theres, Camberg, Bancz, Ræten, & cæter. Ad latus vero sinistrum in Neivenstat, Murhart, Swarczach, Aurach, Vracv, Steina, & Feylsdorff, Herbipolensis Diœcesis Abbates, non tamen mitratos locavit.*

Item *deinde Dominum Decanum Majoris Ecclesiæ de loco suo consueto ascendere fecit, idem Promotor ad primum stallum in superioribus sedibus versus gradum, quo descenditur ad altare Beatæ Virginis Mariæ, & ad latus ejusdem Decani in mediate Dominum Decanum Ecclesiæ Onolczspacensis locavit, & consequenter seniores Canonicos de Choro Domini Decani gradatim descendendo, in Choro vero Domini Præpositi suo modo fecit, & propter absentiam ipsius Præpositi seniorem Canonicum ad primum stallum in superioribus sedibus versus gradum, quo descenditur ad altare Sancti Petri locavit, & post omnes Canonicos majoris Ecclesiæ in choro Domini Præpositi in superioribus sedibus sedere fecit Decanos in Oringaiv, Moszbach, Smalkaldensis & Rombilt. Ad pedes vero Domini Episcopi in superiori parte gradus Dominos Doctores & Licentiatos ipsius Domini Episcopi Consiliarios locavit. Ad pedes illorum gradatim descendendo duos ipsius Synodi Notarios subscriptos. Et post hos gradus ante pulpitum chori ponebant scamna, in quibus locabantur Præpositi in Heidenfeldt, Trifenstein, Langenczensis Dominorum Abbatum absentium Procuratores, nec non Præpositi in Koburg, castelli Beatæ Virginis Mariæ in Reczbach, & Archi Diaconus Fuldensis, Priores, & Guardiani Ordinum Mendicantium, ex post Decani rurales, Procuratores, & Diffinitores. In aliis vero ordo sedendo non curabatur, sed quilibet sedebat, aut stabat, prout sibi videbatur congruere. Quibus locationibus sic, ut præmittitur, factis Promotor præfatus palam & publice protestabatur, quod* per talis modi locationem nulli jus de novo acquirere, aut quæsitum perdere in sedendo prointenderet. *Ac subsequenter Dominus JOHANNES SCHIMEL-PFENNINGH,* in sacra Pagina Licentiatus, Prædicator in summo, *ex jussu PROMOTORIS locum, in quo legitur Evangelium diebus non festivis, ascendit, ac Verbum Dei proposuit, exortando omnes ad bonos mores sectandum & abstinendum a viciis. Subsequenter Promotor sermone finito eundem locum, in quo Prædicator suam collationem fecit, mox ascendit, ac arengam præmisit hujusmodi sub tenore:*

Præfatio Promotoris ante Synodum.

Reverendi, Venerabiles, Conscriptique Patres & Domini mei, in Sancta hac Synodo ad mandatum Reverendissimi in Christo Patris & Domini nostri communis, Domini GOTFRIDI, hujus inclitæ Herbipolensis Ecclesiæ Præsulis in præsentiarum ex debito præsidentis congregati. Idem Reverendissimus Pater, & Dominus noster communis provida meditatione attendens, quod non ideo felices Episcopi, seu Pontifices quia præsunt. Sed si non præsunt, infelices reputari debere remediis subjectorum, cum vellet, prout ex pastorali tenebatur officio invigilare. Inter cæteras suæ solicitudinis curas id potissime suæ Dominationis specialius admonebat animum. Quod omne vicium tanto scelestius in se crimen habet, quanto qui peccat major habetur. Ita, ut ipso peccato nonnunquam ob multitudinem impune parcitur. Et in Sacerdotibus, qui ad ferendum vasa Domini sanctificati esse jubentur, minime toleratur, cum in eorundem infamiam, si criminosi fuerint, omnium pene linguæ acuantur.

Unde a die, qua nobilis iſta Herbipolenſis Eccleſia ſuam dominationem de ſubdito in Prælatum, de diſcipulo in Magiſtrum, & de filio in Patrem elegit, provida ſolicitudine & mediis, quibus potuit publica Cleri ſui flagitia prona admonitione removere ſtuduit. Licet uſque in præſentem diem modicum & quaſi nihil profecerit. Intuetur enim adhuc claro lumine nonnullos Sacerdotes, filios plorationis æternæ, manu ſacrilega, ac ore polluto, priuſquam manus ſuas per veram pœnitentiam, & totalem dimiſſionem ſuſpectarum mulierum, ad quam caritative variis modis per ſuam Paternitatem ſunt requiſiti, non laviſſe, & tamen altare Domini circuire, Miſſas abſque earundem a ſede elongatione dicere, ac Sacramentum, in quo vita conſiſtit, recipere, & ſuis mortuis membris incorporare, immo, ut verius dicam, incarcerare; aliosque ſuæ etiam ditioni ſubjectos, ad munera ſic avaritiæ oculos apertos habere, ut pro pecunia & commiſſis ovibus tondendis, ſeu verius excoriandis non formidant judicis officium aſſumere, jura confundere, lites ſuſcitare, innocentes diffamare, tranſactiones reſcindere, dilationes concedere, veritatem ſupprimere, fovere mendacium, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, verſutiis concinnare, verbis & clamoribus pauperibus inſidiari, laqueos tendere, benedicta deturpare, prudenter allegata pervertere, ſimulationes nutrire, fœdera rumpere, matrimonia diſſolvere, fornicationes diſſimilare, adulteria & cætera peccata fovere, ac Sacramenta & abſolutiones vendere, non volentes gratis accepta juxta Evangelicam veritatem gratis dare. Ne igitur ſua Paternitas ob remiſſam correptionem digna circa majores objurgationi conſtituatur. Sed ut quilibet Eccleſiaſticus ſuæ Dominationi ſubjectus ex ſua paterna correptione fieri poſſit & dici, Ductor & Doctor vitæ ſpeculum, oculus cæci pœnitentiæ forma, Sanctitatis exemplum, præco Domini, tuba Evangelii, amicus ſponſi, lingua muti, pes aridi, ſal terræ, lumen Franconiæ, Miniſter Altiſſimi, Vicarius Epiſcopi, immo Epiſcopus Domini, Vos Dominos meos & Patres, Prælatos, & Presbyteros pro communi profectu virium & totius provinciæ ad hanc Sanctam Synodum, & in præſentem horam duxit convocandos, ubi Divino Officio primo & deinde Verbi Dei pabulo per oraculum Venerabilis Magiſtri *JOHANNIS SCHIMELPFENNING*, *in ſacra Pagina Licentiati*, laudabiliter Deo gratiis peractis Vos reſici voluit. Et tertio & ultimo meæ parvitati, ut publicarem Statuta noviſſime in *Sancta Provinciali Moguntinenſi Synodo* concluſa, & promulgata injunxit. *Quorum tenor ſequitur in hunc modum:*

Qua arenga finita mox idem Promotor Statuta Provincialia ſubſequentis tenoris alta & intelligibili voce de verbo ad verbum legit & publicavit.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus THEODORICUS, Archi-Epiſcopus Moguntinus &c. ſuper propoſitis pridem & aviſatis in Sacra Provinciali Synodo ad diem Dominicum poſt feſtum Sancti Martini, de anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo primo *cum continuatione dierum ſequentium, per ſuam Paternitatem Reverendiſſimam indicta, una cum Comprovincialibus, ſive Suffraganeis, & eorundem Procuratoribus deliberavit, ac in modum infra ſcriptum concluſit.*

Primo Synodus ipſa acceptat Ordinationem ſive Decretum Sacri Basiliensis Generalis Concilii de Provincialibus & Diœceſanis Conciliis celebrandis editum, ac dudum per Nationem noſtram acceptatum, in antea practicari & obſervari præcipit. Voluitque quod quo ad Miſſas, Letanias, & Orationes cum cæremoniis per Reverendiſſimum in ipſo Patrem & Dominum, Dominum NICOLAUM, titulo *Sancti Petri ad Vincula Cardinalem*, Apoſtolicæ Sedis per Alemaniam Legatum, jam obſervatum de cætero ipſa Provincialia Concilia celebrentur, & obſerventur, prout & antiquitus fieri ſolitum eſt, & conſuetum fuit, quæ & in libris Statutorum Provincialium conſcribi vult, & regiſtrari.

Tenor vero Statuti Sacri Baſilienſis Concilii, de quo ſupra fit mentio, ſequitur, & eſt talis:

SA-

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRESENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" PRidem hæc Sancta Synodus quoddam saluberrimum promulgavit Decretum pro stabilitate & robore Generalium Conciliorum, quorum *frequens celebratio præcipua est agri Dominici cultura.* Verum cum ad eandem culturam non dubium sit pertinere Episcopales Synodos, & Concilia Provincialia, prout veteres Canones decreverunt frequentari. . . . . .

Finis: " Datum Basileæ in Sessione publica ejusdem Sanctæ Synodi, in Ecclesia majori Basiliensi solemniter celebrata VI. Kalendas Decembris, anno a Nativitate Domini *Millesimo, quadringentesimo, tricesimo tercio.*

ACTA POST SYNODUM ANNOR. 1451.- 1452.

Finita Lectione Statutorum præfatorum anni 1452. *Promotor sæpe fatus de mandato Reverendi in Christo Patris, & Domini GODFRIDI Dei gratia Herbipol. Præsulis meritissimi, & dictæ Synodi presidentis, omnes in eadem Synodo constitutos in horam ejusdem diei primam conveniri jussit in loco Capitulari Ecclesiæ majoris Herbipol. ac hora prædicta superveniente tractatum Sancti THOMÆ* de *AQUINO præinsertum Statutis Provincialibus* de articulis fidei, & Ecclesiæ Sacramentis *de verbo ad verbum idem Promotor etiam in Domini Episcopi præsentia, Abbatibus in dextro, & Canonicis majoris Ecclesiæ in sinistro lateribus sibi consedentibus publice legit, & seriatim intimavit. Ex post Tractatu præfato finito de mandato præfati Reverendi Patris ipsius Sacræ Synodi præsentis omnes, & singulos ad eandem Synodum vocatos ad pulsum majoris campane in crastinum ad Chorum Sancti Kiliani Ecclesiæ majoris Herbipol. pro continuatione Synodi convenire jussit, & fecit. Die vero octavo mensis Martii, quæ fuit feria quarta post Dominicam* Reminiscere *anni præmentionati de mane hora primarum post pulsum majoris campanæ, Succentor Antiphon.* Veni sancte Spiritus *cantare incepit, sicut in die præcedenti, & Presbyter pro officio Missæ decantandæ indutus Vers. & Collect.* De Sancto Spiritu *legit, & tandem officium non peculiare, sed* de ipsa feria *decantavit: omissa Sanctorum Letania. Quo finito Dominus Antonius Promotor præfatus post sessionem Domini Episcopi in sua sede facta omnes, & singulos Prælatos, ceterosque, ut die hesterna locati fuerunt, sedere jussit, & authoritate Domini Præsidentis mandavit, & laicos, uti die præcedenti, sub excommunicationis pœna de choro abscedere fecit, tandem januis chori clausis ad locum suum sicut in præcedenti die se convertit, & subsequentem arengam præmisit.*

QUia Reverendi conscriptique Patres, & Domini mei Prælati, Rectores, & Presbyteri in hac Sancta Synodo congregati, expedit Reverendissimo Patri ac Domino nostro communi, Domino GODFRIDO Nobilis hujus Herbypol. Ecclesiæ Episcopo, quatinus sic respiciat in faciem Ecclesiæ suæ, ut arripiat judicium manus ejus hodie, & ventilet cornu Syrie, intonet contra Edom, fulminet contra Bethel, contra idola Egypti, contra pingues Samariæ, contra Sacerdotes Baal, contra Pastores seipsos, & non gregem pascentes, contra Judices & Officiales, qui iniquas condunt leges, contra canes mutos non valentes latrare, contra amphoram Zachariæ, contra vasa Pastoris stulti, contra ambitionem Simonis Magi, contra tyrannidem sæculi, & rebellionem claustri, contra oppressores Sacerdotum, contra denique turbatores Ecclesiæ, & omnes fidei, & morum subversores: sua enim Dominatio ex debito Pastoralis officii tenetur, & deinceps vult, de quo vos certos reddit, se exhibere benignum humilibus, rigidum superbis, misericordem pœnitentibus, inflexibilem obstinatis, Joannem incestuosis, Matthatiam apostatis, Pinees fornicatoribus, Helyam ydololatris, mentientibus Petrum, blasphemantibus Paulum, & negotiantibus Christum, ut sic ædificare, destruere, & evellere ad Domini verbum possit, & reddere sibi plebem perfectam. *Qua-*

Quapropter pro continuatione hujus Sanctæ Synodi statuta subsequentia per me legi mandavit.

Quia collatione finita, quia tædiosum, & fortasse inutile fuisset, omnia, & singula Statuta Provincialia, & Synodalia legi, Promotor certa statuta decem & septem in numero pro ea vice magis accommoda alta & intelligibili voce legit.

Primum statuimus ad terrorem malefactorum *de scrutinio in ordine faciendo. Secundum*, cum sit reprehensione dignum *de Officio Vicarii. Tertium*, nulli Capellani nobilium. *Quartum*, *quia ex statuto Concilii Provincialis. Quintum*, superstitiosam quarundam personarum invidiam, *de majoritate*, *& obedientia. Sextum*, statuitur contra conspiratores *de jure jurando. Septimum*, statuitur, ut quicunque defuncto Episcopo, *ne sede vacante aliquid innovetur. Octavum*, ad abolendam de Domo Domini consuetudinem. *Nonum*, intelleximus, quod nonnulli, *de Testamentis. Decimum*, item quicunque Monachus in lapsum carnis, *de Statu Monachorum. Undecimum*, statuitur, quod Clericus, sive laicus. *Duodecimum*, item prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ, *de Jure Patronatus. Tredecimum*, olim, ut infra limites, *de raptoribus. Quartumdecimum*, statuitur, ut Canonicus, *de injuriis. Quintumdecimum*, ad evitandum scandala, & multa pericula. *Sedecimum*, si concubinæ. *Decimum septimum*, dudum bonæ memoriæ, *de Sententia excommunicationis.*

Quibus Statutis de verbo ad verbum summarium uniuscujusque præmittendo lectis, Promotor ad mandatum Domini Episcopi Præsidentis in hunc, qui sequitur modum, publicavit.

Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus GOTFRIDUS Dei gratia, Episcopus Herbipolen. hujus Sacræ Episcopalis Synodi Præsidens, innovat non solùm jam lecta, sed & omnia Statuta Synodalia per olim bon. mem. *MANGOLDUM*, *GODFRIDUM*, *WOLFRAMUM*, *JOHANNEM*, & *JOHANNEM*, *ac alios Episcopos Herbipol.* nec non per suam Paternitatem in unum volumen redacta, & illa publicari, atque observari, & a quibuslibet Prælatis, ac Ecclesiarum Parochialium Rectoribus civitatis, & Diœcesis Herbipol. infra duorum mensium spatium a die præsenti numerandum in scriptis recipi vult, & mandat.

Ex post dictus Promotor nomine omnium dicto Reverendo Patri subjectorum humiliter supplicavit, ut censuris, & pœnis innodatos occasione statutorum Synodalium pro hac vice absolvere dignaretur. Unde idem Dominus Episcopus deliberatione præhabita more pii Patris per organum Domini Georgii Hoeloch, decretorum Doctoris in hunc, qui sequitur, modum respondit:

Cum præsens annus Jubilæus propter largissimas indulgentias Apostolica authoritate concessas merito annus gratiæ dicatur & sit, ideo Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus GOTFRIDUS, Episcopus Herbipol. gratiam, quam potest suis subditis ad instar Apostolicæ Sedis facere, & exhibere volens omnes, & singulos sibi subjectos a quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententiis, censuris, & quibuslibet aliis pœnis vigore dictorum Synodalium Statutorum generaliter promulgatis, & fulminatis sine tamen præjudicio juris cujuscunque quæsiti absolvit, nec non interdictum Ecclesiasticum, & Divinorum cessum per eadem statuta in quæcunque Monasteria, Ecclesias, Capellas, seu alia loca latum relaxat per præsentes, illis duntaxat, qui publici concubinarii sunt, aut qui bona Ecclesiæ Herbipolens. defuncto Episcopo occupaverunt, exceptis. Nullam etiam per præmissam absolutionem, & relaxationem ad futura delicta, & excessus spem impunitatis tribuere intendit, sed de cætero contra præfata Synodalia statuta delinquentes punire vult juxta excedentium demerita.

Subsequenter contra eleemosynarum quæstores de omnium consensu, ac novum Statutum sub tit. De pœn. & remis. *situandum, dictus Dominus Episcopus publicari fecit.*

Cum Divinorum Officiorum Rectores in Divinis Officiis & Parochialibus juribus per eleemosynarum quæstores sæpius turbentur, statuimus, & ordinamus, ut hujusmodi quæstores vigore litterarum: authoritate nostra ipsis concessarum, aut in antea concedendarum, in festivitati-

tatibus Nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI, Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis glorioſæ Virginis MARIÆ, Purificationis, Annuntiationis, & Aſſumptionis, nec non in Eccleſiarum Parochialium Patrociniis, & ipſarum Dedicationum Anniverſariis, deinceps ad ſtationes faciendas, aut eleemoſynas in ipſis Eccleſiis petendas, nequaquam admittantur.

Tandem contumaciam omnium & ſingulorum abſentium, vocatorum, & præfatæ Synodi intereſſe debentium accuſavit, & eos contumaces reputari, ac proceſſus contra eoſdem in debita forma decerni petivit. Dominus Præſidens legitime vocatos, & abſentes contumaces, prout erant, reputavit, & contra eosdem proceſſus decrevit. Subſequenter futuram Synodum Epiſcopalem de proxime in Eccleſia Cathedrali Herbipolenſi in Feriam tertiam poſt Dominicam, qua in Eccleſia Dei cantabitur Jubilate, *anni Domini Milleſimi, quadringenteſimi, quinquageſimi tertii præfatus Promotor ad juſſum ſæpefati Domini Epiſcopi ſolemniter celebrandam, publice indixit.*

Præterea Synodum ipſam Epiſcopalem ex tunc celebratam Promotor concludi petiit.

Quam Dominus Præſidens pro concluſa habere voluit, & concluſit. Poſtremo ſuper omnibus & ſingulis in hac Sacra Epiſcopali Synodo Herbipolenſi actis, geſtis, publicatis, intimatis, lectis, ſtatutis, ordinatis, & mandatis ſæpefatus Promotor Notarios publicos ſubſcriptos, & eorum quemlibet in meliori forma, qua potuit, & debuit ut ſupra &c. requiſivit. Et tandem benedictionem & licentiam nomine omnium in eadem Synodo exiſtentium humiliter genuflexus, & capite inclinato debita cum inſtantia poſtulavit, quos Reverendus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus GOTFRIDUS Epiſcopus & Præſidens ſæpefatus, benedicens in Chriſti nomine licentiavit.

In quorum evidens teſtimonium præmiſſorum Nos GOTFRIDUS, Dei gratia Epiſcopus, & Præſidens præfatus, hunc libellum omnia & ſingula in dicta Synodo acta, geſta, publicata, intimata, lecta, ſtatuta, ordinata, & mandata in ſe continentem fieri, & per Notarios, & quemlibet eorum infra ſcriptos ſubſcribi, & publicari juſſimus & fecimus. Datum & actum anno, diebus, horis & locis ſupra ſcriptis, *Indictione quinta decima, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri, Domini NICOLAI, digna Dei providentia Papæ QUINTI, anno ejus ſexto, & Nativitatis Domini noſtri JEſu Chriſti* Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo ſecundo. *Præſentibus ibidem Honorabilibus Viris Dominis Richardo de Maſpach majoris, Eckario de Milez in Haugis, & Gregorio Ledenther novi Monaſterii dictarum Eccleſiarum Decanis. Johanne Duwer, & Georgio Hohenloch Decretorum Doctoribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter, & rogatis.*

Et ego Johannes Fabri, Clericus Maguntin. Diœceſ. publicus Imperiali authoritate Notarius, Reverendique in Chriſto Patris & Domini, Domini GOTFRIDI, Epiſcopi Herbipol. nec non officiorum Vicariatus & Officialatus ejusdem, ipſiusque Curiæ Herbipol. Scriba juratus, quia præmiſſis omnibus & ſingulis in dicta Sacra Epiſcopali Synodo actis, geſtis, dictis, publicatis, intimatis, lectis, ſtatutis, ordinatis, & mandatis, & in proximo præcedenti Libello viginti quinque folia cum dimidio continente, per alium (me certis aliis præpedito negotiis) fideliter conſcripto, dum ſic, ut præmittitur, in dicta Synodo fierent, & agerentur una cum teſtibus ſupra, & Connotario meo a tergo ſcriptis, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi. Ideoque de præfati Reverendi Patris & Domini, Domini GOTFRIDI Epiſcopi Herbipol. mandato & juſſu præſentem libellum manu mea propria cum Connotario meo a tergo ſubſcripto, ſubſcripſi publicavi, & in hanc formam publicam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis conſignavi rogatus, & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

(L.S.) JOHANNES FABRI.

Et ego Johannes Moler, Clericus Herbipolenſis Diœceſ. publicus ſacra Imperiali authoritate Notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis in dicta Sancta Synodo Epiſcopali Herbipol. actis, dictis, geſtis, publicatis, lectis, intimatis, ſtatutis, ordinatis, & mandatis, ac in præcedenti

Libello viginti quinque cum dimidio foliorum, per alium, me certis negotiis præpedito, fideliter descripto, dum sic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum testibus & Notario supra scriptis præsens interfui, eaque sic fieri, vidi, & audivi; Ideo præsentem Libellum manu mea propria cum Notario prætacto subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque, nomine, & cognomine meis solitis & consuetis consignavi rogatus, & requisitus in fidem, & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

(L.S.) JOHANNES MOLER.

Clarissimus Lunig Continuatione II. Spicilegii Ecclesiastici a pagina 1048. *ad pag.* 1059.

Ex Libro impresso in Folio Litera Petri sine mentione ulla anni & loci. Credo Wurceburgi impressum, vel Moguntiæ post annum 1470.

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE

Anno Christi MCCCCLII. Nicolai V. Papæ VI. Friderici III. Regis XIII.

ANno MCCCCLII. Feria VI. ante Pentecosten Dominus Cardinalis NICOLAUS DE CUSA, Legatus per Almaniam, venit in Berga, & volens intrare civitatem Magdeburg, multi proscripti & banniti volebant cum eo intrare, quos consulatus recusabat intromittere, & sic processio rediit; tandem tractantes & conventum fuit, quod illi, qui non essent banniti, possent crucem sequi, & *sic in die Pentecostes* de mane solenniter cum processione introductus fuit cum Archi-Episcopo (*a*) in Infula incedens, & *isto die summam celebravit Missam, & convocare fecit Suffraganeos ad Concilium Provinciale celebrandum, & duo tantum comparuerunt, scilicet Brandeburgensis* (b), & *Merseburgensis* (c), *ubi aliqua Decreta statuta fuerunt rationalia & tempori congruentia, quæ post recessum suum toti Clero fuerunt publicata.*

Anonymi Chronicon Magdeburgense apud Meibomium Tom. II. Scriptorum Germaniæ pag. 361.

Quomodo Dominus Cardinalis de CUSA in publica Sessione Magdeburgensi commisit Præpositis, JOHANNI IN NOVO OPERE, & PAULO AD S. MAURITIUM Monasteriorum Ordinis Canonicorum Regularium Visitationem & Reformationem per Provinciam Magdeburgensem & Maguntinam.

CAPITULUM I.

REverendissimus Dominus Cardinalis NICOLAUS *de Cusa*, Apostolicus de latere Legatus, cum ad *Oppidum Hallense* pervenisset, ab omni Clero & populo devotissime fuit susceptus, cujus notitiam tunc primum ipse contraxit. Dein in civitatem Diœcesis Metropolitanam Magdeburgensem descendens, omnes Suffraganeos Episcopos Magdeburgensis Provinciæ ad Synodum, per eum celebrandam, convocavit, cum omnibus suis majoribus Prælatis, & in dignitate constitutis; videlicet *Magdeburgensem Archiepiscopum*, *Merseburgensem*, *Nuenburgensem*, *Misnensem*, *Brandeburgensem*, & *Habelburgensem Episcopos.* Omnibus

(*a*) Fridericus Comes de Beichlingen accessit ad Cathedram anno 1445. Lunæ post Jubilate, mortuus in odore Sanctitatis anno 1464. 11. 9bris. *Lentzen.*
(*b*) Stephanus II. Episcopus Brandenburgensis XII. sedit ab anno 1422. ad 1459. *Lentzen.*
(*c*) Joannes Boso Martispurgi electus anno 1433. obiit 1463. *Naucler.*

bus in Ecclesia Magdeburgensi pariter congregatis, Dominus Cardinalis, Archi-Episcopus, & Episcopi, mitris suis infulati, in circuitu sedebant Sanctuarii, singuli in sedibus suis: & retro eos Domini Abbates, Præpositi, Priores, Guardiani, Decani, cunctique Prælati alicujus dignitatis Ecclesiæ illius Cathedralis in stallis chori sui se collocaverant; reliqui omnes Spirituales, Religiosi, & seculares Presbyteri, in navi chori inter stallos cantorum pariter sederunt. Tunc Dominus Cardinalis, in gradibus Sanctuarii sedens, exorsus est dicens: Reverendissimi, Venerandi, & Venerabiles Patres; Sanctissimus in Christo Pater Dominus noster NICOLAUS *Papa V.* ad Almaniam totam, & ad istam me misit provinciam pro Cleri, & Religiosorum omnium reformatione, eorum *ab erroribus inventis* ad verum statum Christianæ Religionis plenaria reductione. Primo ergo omnium *Ordinem* reformare volumus *Canonicorum Regularium Almi Patris Augustini*; ad quem reformandum assumere volumus *Patrem* a juventute sua in regulari observantia bene institutum, *Dominum Joannem*, Præpositum novi operis, personam nostram designans. Quo audito, pro ejus reverentia surrexi, & super pedes steti. Tunc adjecit: & in socium adjungimus ei *Doctorem Paulum*, Præpositum ad S. Mauritium Hallis sui ordinis. Commisit autem Nobis visitationem, & reformationem *viginti Monasteriorum* nondum tunc reformatorum *per Saxoniam, Thuringiam, & Misniam* ordinis nostri utriusque sexus, formam visitationis, & reformationis eorum in Bulla, sigillo suo firmata, Nobis describens; unum *Provinciale Capitulum* Canonicorum Regularium in Saxonia in Monasterio Novi operis prope Hallas Magdeburgensis Diœcesis singulis annis in Exaltatione S. Crucis mandans celebrari; statuta Canonica, seu constitutiones Capituli Generalis de Windesem, quæ incipiunt: *Quoniam ex præscripto regulæ &c.* per omnia in eodem Capitulo volens observari. Tunc si in eisdem statutis forent aliqua moribus patriæ non congruentia, illa Capitulum illud Provinciale de consilio Domini Mugdeburgensis, authoritate Apostolica, posset immutare. Dedit etiam Nobis plenam authoritatem, omnes & singulos, Visitatores, & Reformatores suos recipientes, ab omnibus sententiis suspensionis, excommunicationis, & interdicti, a jure, vel ab homine generaliter promulgatis, absolvendi, & ab omni irregularitatis, inhabilitatis, & infamiæ macula rehabilitandi, & dispensandi. Dedit etiam alia multa Nobis privilegia, quæ in libris, Nobis desuper datis, sunt expressa hujusmodi sub tenore.

CAPITULUM II.

Bulla Concessionis ejusdem, de verbo ad verbum:

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA TIT. S. PETRI AD VINCULA SACRO-SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS PER ALEMANNIAM LEGATUS, VENERABILIBUS IN CHRISTO NOBIS DILECTIS PATRIBUS, AC RELIGIOSIS PERSONIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRIORIBUS, PRIORISSIS, ORDINIS S. AUGUSTINI CANONICORUM REGULARIUM, PER PROVINCIAM MAGDEBURGENSEM ET MAGUNTINAM, SAXONIAM, ET THURINGIAM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

DIvina pietate Ecclesiam Sanctam misericorditer respiciente actum esse, quis poterit dubitare, quod in hoc tempore Sanctissimus Dominus noster, Dominus NICOLAUS *Papa V.* Pastor vigilantissimus eidem Ecclesiæ præfectus extitit; cujus diligentissima cura ad hoc indesinenter attendit, ut oves sibi creditas in salutis viam dirigere possit, & in Dei charitate unumquemque pro suo debito ardere procuret. Idcirco sua Sanctitas ad sacerrimam vestram religionem oculos attollens, Nobis districte præcepit, atque singulariter dedit in mandatis, ut per singula commissæ Nobis Legationis loca eam sollicitudinem, quantum ex alto conceditur, adhibeamus, quod omnis, siqua exorta videtur, deformitas, a vestra religione Divina, Apostolica visitatione amoveatur, sacraque Religio in sanctis observantiis reviviscat: cumque Nos, permultis etiam aliis occupati negotiis, ad singula vestra loca personaliter accedere non valeamus: per alios nostros Commissarios id ipsum

ipſum explere compellimur, quod noſtra in perſona facere nequimus. Hinc Venerandos in Chriſto Patres, *Johannem* Novi operis, & Paulum S Mauritii intra muros oppidi Hallenſis Monaſteriorum Præpoſitos, de quorum fidei integritate, & optimo zelo ad Dei cultum, & religionis obſervantiam, plurimum annuente Domino ſperamus, Apoſtolica authoritate veſtri ordinis Viſitatores deputamus, eoſque ad vos, & ad ſingula veſtra Monaſteria utriusque ſexus, ad viſitations officium plenarie exercendum, cum omni facultate ad hoc neceſſaria transmittimus. Quibus præcipue dedimus in mandatis, ut ipſi ſolum Deum præ oculis habentes, omni ſiniſtra affectione poſtpoſita, diſpoſitiones, ſtatum, & conditionem omnium, & ſingulorum virorum, tam exemptorum, quam non exemptorum, & perſonarum, & in ipſis, & in ipſorum quolibet degentium, primum a capite incipiendo, dein ad alias perſonas deſcendendo uſque ad ultimam, ſollicite, & diligenter inquirant, & inquiſita debite conſcribant, vel conſcribi faciant; omniaque, & ſingula, quæ a regula, & ſtatutis Capituli de Windeſem, quæ incipiunt: *Quoniam ex præſcripto regulæ &c.* per MARTINUM *Papam V.* approbatis, devia eſſe compererint, emendare procurent. Ubi vero in viſitatione hujusmodi graves exceſſus, & incorrigibiles perſonas eos reperire continget, quod tunc invocato ad hoc auxilio brachii ſecularis, ad extirpationem criminum, & deformitatum omni diligentia adhibita procedant. Volumus etiam, quod omni diligentia hujusmodi Viſitatores invigilent, ut tria ſubſtantialia omnis religionis ſcilicet *paupertas, caſtitas, & obedientia* exactiſſime obſerventur, & uniformitas habitus, ac morum in veſtro ordine, ubique obſervetur; ita quod nemo Canonicorum Regularium ordinis veſtri utriusque ſexus Profeſſus, niſi forte (*a*) redditus foret, quod ad Sacros Ordines promoveri non poſſet, ſine *Roqueto Romano cum manicis*, deinceps incedere præſumat, omnibus diſpenſationibus in contrarium conceſſis, vel ſtatutis quibuscunque non obſtantibus; quæ omnia tenore præſentium irrita fore decernimus. Siqua vero alia in ſtatutis prænarratis forent expreſſa, quæ propter evidentem cauſam merito forent immutanda, illa diſpoſitioni, & ordinationi Patrum ac Definitorum ordinis veſtri, in Capitulo Provinciali in Novo opere partium Saxoniæ, *in Exaltatione S. Crucis*, ſingulis annis congregatorum, reſervamus. Quod quidem Capitulum Provinciale juxta tenorem ſtatutorum præmiſſorum ſingulis annis in tempore præfato, ab omnibus Monaſteriis veſtris prænominatis, ſub pœnis in *Concilio Magdeburgenſi* de Religioſis informandis, præcipimus, & mandamus diligenter obſervari. Unde & volumus, quod prædicti noſtri Commiſſarii, & Viſitatores nonnullas veſtras ordinationes, & ſtatuta, quæ ad Dei honorem animarumque ſalutem veſtrarum, pro reformatione, introductione obſervari mandamus, vobis omnibus, & ſingulis inſinuent & publicent: & ubi vos per obſervantiam regularem gratiæ Dei capaces invenerint, plenariæ indulgentiæ cum injuncta facili pœnitentia participes eſſe faciant: cum poteſtate vos omnes, & ſingulos a quibuscunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis, cenſuris & pœnis, ab homine, vel a jure generaliter promulgatis, ſine præjudicio juris cujuscunque abſolvendi, nec non interdictum, occaſione præmiſſorum ab Eccleſia per Statuta Provincialia, vel Synodalia, aut alia quovis modo in Monaſteria, & Eccléſias veſtras latum, relaxandi, vosque ab omni irregularitatis, inhabilitatis, & infamiæ macula, ſi qua ſitis ligati, Divina celebrando, vel eis ſe ingerendo, aut ordines ſuſcipiendo, vel quam alias qualitercunque, contraxiſtis, vel incurriſtis, diſpenſandi, vel rehabilitandi: vobis etiam, ſi in Monaſteria per ſimoniacam pravitatem ingreſſum fortaſſis habuiſtis, ut remanere poſſitis; data quoque & accepta, Monaſteriis, quibus data reperiuntur, ad uſus communis utilitatis, ut remanere poſſint, authoritate Apoſtolica diſpenſandi, aut, ſi opus fuerit, Abbatibus, Prioribus, vel Prioriſſis, & aliis Præſidentibus hujuſmodi viſitandis, ſi alias hoc eorum merita exegerint, in foro conſcientiæ de novo providendi, fructusque male perceptos miſericorditer remittendi, & deſuper quitandi. Volumus etiam, quod dicti noſtri, uti verius Sedis Apoſtolicæ Viſi-

(*a*) *forte:* creditus.

Viſitatores & Nuncii, & eorum quilibet, gaudere valeat omni ſalvo conductu, libertate, privilegiis, a Sede Apoſtolica, & etiam Regia Majeſtate Nobis quomodolibet conceſſis, ita & taliter, quod dicti Viſitatores, & eorum quilibet, in hujusmodi Viſitationis officio ad quemcunque locum declinantes, a nullo omnino hominum, quacumque etiam præfulgeat dignitate, authoritate, vel poteſtate, invadi, ſpoliari, detineri, incarcerari, vel arreſtari valeat, ac poſſit, etiam ratione quorumcunque debitorum, vel quavis alia occaſione ipſis in hujusmodi viſitationis officio conſtitutis. Cumque ipſi propter dictarum provinciarum latitudinem, Monaſteriorumque in eis multitudinem, ac ipſorum etiam Viſitatorum legitimum, vel ex parte rei familiaris, vel alias occupationem, ad hujusmodi explendum viſitationis officium ſingulis annis occurrere non poſſint; ne ipſos Viſitatores, & viſitandos nimium gravari, vel ipſorum Monaſteriorum viſitationes differri, vel penitus impediri contingat: in proximo Capitulo Provinciali, loco & tempore prænarratis celebrando, *Conviſitatores*, juxta tenorem ſtatutorum præfatorum, ordinari volumus. Inſuper, & ipſis Viſitatoribus cunctis limites, & terminos deputavimus, & deputamus præſentes, videlicet *Diœceſin Magdeburgenſem*, *Mersburgenſem*, *Nuenburgenſem*, *Brandenburgenſem*, *Havelbergenſem*, *Halberſtadienſem*, *Hildeſienſem*, *Verdenſem*, *Saxoniam*, *ac Thuringiam*: & præcipue *Monaſterium regularium in Erfordia* Maguntinenſis Diœceſis, & *Montis S. Georgii* prope Goslariam Hildeſienſis Diœceſis, prætaxatis Viſitatoribus, *Johanni*, & *Paulo* Præpoſitis, præſentium ſub tenore committimus. Vobis omnibus & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Prioriſſis, ſingulisque Perſonis Monaſteriorum citatarum Diœceſium, & locorum prædictorum, exemptis, & non exemptis Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium utriusque ſexus, authoritate Apoſtolica in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis, quam in ſingulares perſonas, & interdicti, quod in loca, & Monaſteria veſtra ferimus in his ſcriptis: diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prænominatos Viſitatores, a Nobis Deputatos, ut Apoſtolicos Viſitatores, & Nuncios, cnm omni reverentia, & obedientia, quibus Apoſtolicæ Sedi aſtringimini, ſuſcipiatis, & ad ipſorum viſitationis officium in omnibus exequendum libere admittatis; omnium illorum Monaſteriorum veſtrorum, ac perſonarum quarumcunque, a capite uſque ad ultimum, diſpoſitionem, & conditionem plenius manifeſtando, omniaque & ſingula, quæ Viſitatores ipſi ſecundum regulam, & ſtatuta prætaxata fieri, & obſervari mandaverint, vel ordinaverint, reverenter acceptetis & diligenter, ut tenemini, obſervare ſtudeatis. Et ſi ſecus feceritis, quod abſit, tunc ſæpe dictis Viſitatoribus per præſentes committimus, & etiam diſtricte præcipimus, ut vos, & quemlibet veſtrum, in præmiſſis inobedientem, cujuscunque conditionis, vel ſtatus fuerit, poſt trium dierum Canonicam monitionem, ultra pœnam ordinis præmiſſam, in excommunicationis, ac Monaſteria inobedientium, in interdicti Eccleſiaſtici pœnas per Nos, ut præfertur, latas, incidiſſe declarent. Abſolutionem vero omnium, & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias incurrerint, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ tantummodo reſervamus. Inſuper volumus, quod ſemper deinceps de triennio in triennium a Capitulo hujusmodi Provinciali, loco & tempore ſæpe dictis celebrando, duo ex Patribus, vel Fratribus notabiliores, ac in regula & ſtatutis experti, ad Capitulum, & Monaſterium in Windeſem ſe transferentes, dum ipſum Generale Capitulum celebrari contingit, mitti debeant, quos volumus per ipſos Priores, & Definitores debere admitti, eum in finem, ut in Ordine veſtro regularis obſervantiæ uniformitas, & bona concordia teneatur, & foveatur. Datum Magdeburgi noſtro ſub Sigillo, die XXVIII. menſis Julii, anno a Nativitate Domini MCCCCLI. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini noſtri, Domini NICOLAI Divina Providentia Papæ V. anno quinto.

Buſchius de Reformatione Monaſteriorum Lib. IV. C. I.
Apud Leibnitium Brunſwicenſia illuſtrantem Tom. II. pag. 956. & ſeqq.

CONCILIUM HERBIPOLENSE
Anno Chrifti MCCCCLIII. Nicolai V. Papæ VII. Friderici III. Regis XIV,

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Ad Sacram Epifcopalem Synodum de anno Domini Millefimo, quadringentefimo, quinquagefimo tertio, *die decima feptima menfis Aprilis, quæ erat feria tertia proxima poft Dominicam, qua in Ecclefia Dei cantabatur* Mifericordia Domini, *in Choro Sancti Kiliani Ecclefiæ Cathedralis Herbipol. celebratam poft Abbates Ordinis Sancti Benedicti, Decanos Collegiatarum Ecclefiarum, ac Decanos rurales, Procuratores, & Diffinitores, omnes & finguli Ecclefiarum Parochialium Rectores Diœcef. Herbipolenf. vocabantur. Et Reverendo in Chrifto Patre & Domino, Domino GOTFRIDO, Dei gratia, Epifcopo Herbipol. ac Franciæ Orientalis Duce, in eadem Synodo Præfidente, poft decantationem folennis Miffæ de Spiritu Sancto cum Antiph.* Veni Sancte Spiritus, *Letania: & Antiph.* Regina cœli, *fua Dominatio per ipfius Synodi Promotorem feffiones & locationes, aliasque folennitates & cæremonias fieri adimplere eo ordine, forma, & modo juffit, & fecit, quibus in* proxima Synodo Herbipol. *celebrata, fuperius defcripta factæ, & adimpletæ fuerunt. Quibus feffionibus & locationibus, ac cæteris cæremoniis, & præfertim laudabili* fermone ad Clerum *facto, debite præmiffis & peractis: tandem ipfius Synodi Promotor locum, in quo legitur Evangelium diebus non feftivis, afcendit, ac præmiffa primitus arenga tandem omnia & fingula* Statuta Provincialia nova, & in proxima Synodo Epifcopali Herbipol. *lecta, & fupra defcripta, uniuscujuscunque Statuti fummarium præmittens, publicavit. Quibus finitis omnes ad hanc Synodum vocatos in horam duodecimam dicti diei, & poft fonitum majoris campanæ ad præfatum Chorum Sancti KILIANI in religione redire juffit. Quibus tandem poft prandium redeuntibus publicata fuerunt* certa Statuta *Provincialia & Epifcopalia nondum anno præterito publicata, omiffo tractatu Sancti Thomæ de Aquino:* De articulis Fidei, & Ecclefiæ Sacramentis, *quem tamen legi per Decanos rurales in Capitulis eorum, Dominus Epifcopus Præfidens præfatus voluit, & mandavit. Præterea proxima die fequenti, videlicet Feria quarta, quæ erat decima octava menfis præfati, poft decantationem Miffæ de Dominica, Promotor dictæ Synodi recitationem Statutorum Provincialium & Synodalium continuavit, ac tandem novum ftatutum de collaudatione & approbatione ipfius Sanctæ Synodi publicavit hujusmodi fub tenore.*

EXORDIUM SYNODI anni 1453.

ET fi dudum Sacrum Provinciale Concilium Maguntinenfe univerfis & fingulis Sacerdotibus tam Religiofis, quam fæcularibus cujuscunque ordinis, conditionis, feu ftatus exiftant, in civitate, Diœcefi, vel Provincia Maguntina degentibus, fub debito juramenti, quod Epifcopo in receptione Sacerdotii præftiterunt, ac fub interminatione Divini judicii, ne quis alienum Parochianum, cujus cura fibi non eft commiffa, neceffitatis duntaxat caufa excepta, quæ legem non habet, ad confeffionem recipere, vel ei aliquod Ecclefiafticum Sacramentum porrigere, nifi petita & defuper obtenta licentia proprii Sacerdotis; provide & diftricte prohibuerit, nihilominus plures Sacerdotes in & apud oppidum Fuldenf. nec non Religiofi de ordinibus Sancti Johannis Hierofolomitanorum, & Beatæ MARIÆ Virginis Teutonicorum alienos Parochianos noftrarum civitatis & diœcefis Herbypol. ad confeffionem recipere, ipfosque etiam in cafibus Nobis tanquam Epifcopo, & quod amplius eft, Apoftolicæ Sedi refervatis, abfolvere nituntur in ipforum, & fic fibi confitentium grande animarum periculum. Nos ad dicti Sacri Provincialis Concilii uberiorem executionem de hujus facræ Epifcopalis Synodi

di approbatione ſtatuimus & ordinamus, ac univerſis & ſingulis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus noſtrarum civitatis & Diœceſis præfatarum in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte mandamus & præcipimus, ut Chriſti fideles ipſorum Parochialium Rectorum curæ creditos, & dictis Sacerdotibus in & apud oppidum Fuldenſ. aut Religioſis de ordine Sancti Johannis Hieroſolimitanorum & Theutonicorum, quoad animarum curam non ſubjectos ſub excommunicationis pœna, & iteratis vicibus publice prohibeant, ne de cætero eosdem Sacerdotes etiam quoscunque in & apud Fuldam, ſeu Religioſos de dictis ordinis Sancti Johannis Hyeroſolimitanorum & Theutonicorum pro confeſſionibus ſuis faciendis extra neceſſitatis articulum adeant, aut ipſis, ſive alteri eorum aliquatenus faciant Confeſſionem Sacramentalem, ut ſaltem per confitentium ſubtractionem præfatus compeſcatur periculoſus abuſus.

Conſequenter legebatur Bulla Indulgentiarum de Feſtivitate Corporis Chriſti hujusmodi tenoris:

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" EXcellentiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti Sacramentum, quod appropinquante Paſſionis ejus hora Dominus ipſe ſigno præcipui, quo nos dilexit, amoris ſalubriter inſtituit, ejusque commorationem ſacratiſſimam jugi mentis exultatione contemplantes, ad hoc inter ſingulos hujusmodi mercatos ſanguine ſpiritualia diſpenſare munera votis expoſcimus, ut illi condignis aſſurgentes laudibus ſua frequentius ad ipſius venerationem Sacramenti corda dirigant, & eo, quo corporalis habetur præſentia Salvatoris, viatico fructus vitæ conplectentes æternæ, cœleſtia conſcendant, ipſum, qui ſe nobis in edulium tribuit, perpetuo conſpecturi. Sane dudum piæ memoriæ URBANUS Papa *Quartus* Prædeceſſor noſter ad orthodoxæ corroborationem, & exaltationem fidei digne & laudabiliter ſtatuens, ut de tanto Sacramento præter illam, quæ dietim in Eccleſia fieret, annuatim ſolennior memoria & ſpecialior haberetur, & ad celebrandum ejus tam excelſum, tamque glorioſum feſtum quintam poſt octavas Pentecoſtes feriam deſignans, ac Chriſti fideles quoslibet ad colendum illud donis ſpiritualibus animare volens, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in matutinali officio feſti ejusdem in Eccleſia, in qua illud celebraretur, intereſſent centum: qui vero Miſſæ, totidem: & qui in primis ipſius feſti Veſperis, centum ſimiliter: qui autem in ſecundis, totidem: Illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii horarum officiis intereſſent ſingulis octavarum ipſarum diebus, ſimiliter centum. Et ſubſequenter felicis recordationis MARTINUS Papa *Quintus* etiam Prædeceſſor noſter, fideles eosdem ad imparcienda pro veneratione Sacramenti hujusmodi potiora reverentiæ & devotionis exercitia firmare cupiens, ſingulis ex eis vere pœnitentibus & confeſſis, qui & quoties in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco illius aliud pium juxta ſuorum conſilia Confeſſorum opus facerent, etiam centum: & qui præmiſſis in Eccleſiis, in quibus illa celebrari contingeret, officiis, intereſſent, nec non Epiſcopis, & aliis Prelatis Superioribus, qui dictis officiis libenter intereſſent, ſed quominus eis in ipſis Eccleſiis intereſſe poſſent, pro ſervandis ſuarum dignitatum juribus, & alias tunc legitime impeditis, pro Matutinali ducentos, & pro Miſſæ officiis totidem, & pro qualibet Veſperarum etiam ducentos: reliquarum vero videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii Feſti octuaginta: Rurſus autem in quibuslibet octavarum diebus pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum ſimiliter centum, nec non reliquarum horarum officiorum hujusmodi quadraginta, illis præterea, qui proceſſiones, in quibus ipſum vivificum Sacramentum dicto feſto juxta præfatarum ritus Eccleſiarum deferretur, continuo ſecuti forent, ac cujuslibet in feſto, & octavarum diebus hujusmodi

" di pro pace & tranquillitate Ecclesiæ " Missas devote celebrantibus, pro singulis ipsarum, nec non aliis in eodem " Festo Eucharistiæ Sacramentum devote sumentibus, etiam centum, singulis " annis profecto vice qualibet eis, qui " dum Corpus Dominicum communicandis deferretur infirmis, illud cum " incenso luminari præcedendo vel sequendo venerarentur, similiter centum: " & qui tunc illud alias devote secuti " forent, quinquaginta dies de injunctis " eis pœnitentiis misericorditer relaxarunt; ac etiam ipse MARTINUS " Prædecessor noster, quod in festo & " diebus octavarum hujusmodi in terris " & locis Ecclesiastico quavis authoritate suppositis interdicto pulsatis campanis, januis apertis, & alta voce excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, ut citius reconciliari studerent " admissis, & illis, qui causam vel occasionem hujusmodi interdicto dedissent, altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missæ & Officia præmissa " licite celebrari possent, auctoritate " Apostolica duxit concedendum. Nos " vero, quos interim ad Summi Apostolatus apicem Divina Clementia provexit, & pro frequentiori hujusmodi " veneratione Sacramenti summis gestientes affectibus, nostri partes ministerii " salubriter impartiri, nec non relaxationes & concessiones prædictas Apostolici robore muniminis ipsorum devotioni Fidelium committentes, premissis per eundem MARTINUM Prædecessorem, ut præfertur, relaxatis " diebus alios totidem dies pariformiter " ab ipsis fidelibus consequendos adjicimus per præsentes. Et insuper " universos Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos monemus, & hortamur in Domino, ac eis per Apostolica " scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, & in " remissionem peccaminum injungimus, " ut per se, vel alias eorum subjectos, " per singulas suarum civitatum, & Diœces. Ecclesias in Dominica Festum " prædictum proxime præcedente salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti hujusmodi monitis, & exhortationibus præsentium, quarum etiam " tenor inter matutinales festi, nec non " dierum octavarum hujusmodi lectiones " recitetur, literarum continentiam, & " effectum publicare, & insinuare procurent, ut ejusdem Sacramenti suffragante misterio subditi, & ipsi fideles " Spiritualium gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui se pro " ipsis immolavit hostiam, post hujus vitæ cursum ad gloriam perducantur æternam. Verum quia difficile foret, hujusmodi literas singulis exhiberi, volumus, & eadem authoritate decernimus, " quod ipsarum transumpto manu publica, & sigillo alicujus Episcopalis, vel " Superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, " tanquam præfatis, si originales exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, " & proinde stetur, ac si originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ.

" Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ " *Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio,* " *VII. Kalendas Junii. Pontificatus nostri* " *anno tertio.*

Subsequenter Dominus Episcopus PRÆSIDENS præfatus omnibus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, sive civitatis, & Diœces. Herbipol. districte injunxit, ut diebus Dominicis populo sibi credito ad textum recitarent, aut recitari procurarent, publice in ambonibus suarum Ecclesiarum Dominicam Orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & decem Præcepta, voluitque ut iidem Rectores post Festum Sancti Michaelis proxime venturum tamdiu sanis extra necessitatis articulum Eucharistiæ denegent Sacramentum, quousque præfatæ orationes una cum decem Præceptis ad literam recitare faciant.

Tandem contumaciam omnium & singulorum absentium, & ad hanc Synodum vocatorum, dictus Promotor accusavit, ac processus contra eosdem decerni, & consequenter ipsam Synodum concludi, humiliter postulavit, & obtinuit.

Ultimo *super omnibus & singulis in hac sacra Episcopali Synodo Herbipol. actis, gestis, publicatis, intimatis, lectis, statutis, ordinatis, & mandatis sæpefatus Promotor Notarium publicum subscriptum, in meliori forma, qua potuit & debuit,*

buit, ut supra &c. requisivit. Et tandem benedictionem & licentiam nomine omnium in eadem Synodo existentium debita cum instantia postulavit, quo Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus GOTFRIDUS, Episcopus & Præsidens sæpefatus, benedicens in Christi nomine licentiavit, cum cantico: Ite in orbem.

Acta sunt hæc anno, diebus, horis, & loco supra scriptis. Indictione prima. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini NICOLAI digna Dei providentia *Papæ V. anno ejus septimo.* Præsentibus ibidem Venerabilibus Viris Dominis Richardo de Maspach, majoris Eckario de Milcz in Haugis, & Gregorio Ledenther, Novi-Monasterii Ecclesiarum Decanis. Johanne Duwer, & Georgio Hœloch, Decretorum Doctoribus, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Johannes Fabri, Clericus Moguntinens. Diœces. publicus Imperiali authoritate Notarius, Reverendique in Christo Patris & Domini, Domini GOTFRIDI, Episcopi Herbipol. & Franciæ Orientalis Ducis, nec non officiorum Vicariatus & Officialatus ejusdem, ipsiusque Curiæ Herbipol. Scriba juratus, quia præmissis omnibus & singulis in dicta sacra Episcopali Synodo actis, gestis, dictis, publicatis, statutis, & dictis, uti in tribus foliis hanc meam scriptionem immediate præcedentibus continentur, dum sic, ut præmittitur, in dicta Synodo fierent, & agerentur una cum testibus supra scriptis præsens interfui, eaque sic fieri & agi, vidi & audivi. Ideoque de præfati Reverendique Patris & Domini, Domini GOTFRIDI Episcopi mandato & jussu manu mea propria subscripsi, publicavi, & in hanc formam publicam redegi. Signoque & nomine meis solitis & consuetis consignavi rogatus, & requisitus in fidem, & testimonium omnium præmissorum.

(L. S.) JOANNES FABRI.

Ex impresso codice in folio Litera Petri, sine nota, anni, & Typographi, probabiliter Herbipoli impresso.

Ex quo forte Cl. Lunig Continuatio II. Spicilegii Ecclesiastici pag. 1059. *ad pag.* 1062.

Gotfridus III. de Limburg fit Episcopus anno MCCCCXLII. Præfuit annis XII. Moritur anno MCCCCLV. in die Palmarum. Hic primus Ducem se scripsit Francorum, qui titulus deinde etiam impressus fuit monetæ, ideo, quia eundem titulum attentabat Albertus Marchio Brandenburgensis, & Achilles Francorum.

Cl. Gropp in Collectione novissima Scriptorum Wurceburgensium pag. 828.

EYSTETTENSE CONCILIUM

SUB JOANNE, EPISCOPO EYSTETTENSI,

Anno Christi MCCCCLIII. Nicolai V. Papæ VII. Friderici III. Regis XIV.

JOHANNES, (*a*) DEI GRATIA, EPISCOPUS EYSTETTENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, VICARIIS, SEU LOCA TENENTE EORUNDEM, PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAS UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

VObis omnibus & singulis, & cuilibet vestrum in virtute sancte obedientie, & sub pœna suspensionis a Divinis districte precipiendo mandamus, quate-

(*a*) Joannes ab Aych, vel de Duba, Magnus Decanus, & Administrator Archi-Episcopatus Pragensis, Præpositus Ecclesiarum S. Nicolai Pragæ, Wissebrodi in Bohemia, & Beatæ Virginis Wetzlariæ, Cancellarius Alberti II. Imperatoris, electus fuit Episcopus Aichstadiensis anno 1445. Creatus a Papa PIO II. Cardinalis anno 1462, mortuus anno 1464.

quatenus infra ſcriptos articulos, quos ad Dei laudem pro bono regimine cure animarum, & ad ſalutem Chriſti fidelium obſervandos, ordinavimus, in veſtris Eccleſiis juxta modum inferius deſcriptum publicetis, obſervetis, ac a veſtris Parochianis faciatis firmiter obſervari.

Primo quidem veridica relatione percepimus, populum vulgarem in plerisque locis diebus Dominicis & Feſtivis raro intereſſe Divino Officio, Miſſe, & Predicationi Verbi Dei, licet juxta ordinationem & ſtatutum Sancte Matris Eccleſie iisdem diebus intereſſe teneantur, ut ibidem de Divinis preceptis, & Evangelicis doctrinis informentur; Nos volentes huic morbo obviare, & animarum ſaluti conſulere; vobis omnibus, & ſingulis committimus, quatenus plebes & parochianos veſtros, qui ad annos diſcretionis pervenerint, admoneatis eoſdem ſub pœna excommunicationis, ut omnes & ſinguli deinceps ſingulis Dominicis & Feſtivis diebus officio Miſſe integre peragendo interſint, & predicationem verbi Dei in Eccleſiis, ubi predicatur, diligenter audiant, faciendo ob reverentiam digniſſimi Euchariſtie Sacrificii genuflexiones in terram, dum Hoſtia ſalutaris per Presbyterum elevatur, nec a Miſſa hujuſmodi ante benedictionem Sacerdotis, & donec ipſa compleatur, quovis modo recedant, aut alias inhoneſte diſcurrant; ſed cum devotione cordis ibidem Deum exorent pro peccatis; alioquin, ſi quis in hoc negligens repertus fuerit aut rebellis, hunc in confeſſionibus ſevere corrigat, & ſi non emendaverit, eidem Sacramenta Eccleſie & ſepulturam Eccleſiaſticam denegetis, niſi legitimo impedimento, aut rationabili cauſa quis excuſetur. Et volumus nihilominus, ut talem, qui tempore predicationis verbi Dei extra Eccleſiam, & in cimiterio ſtare, contra veſtram prohibitionem non formidat, ad auctoritatem Epiſcopalem mittatis. Nosque etiam contra contemptores hujuſmodi ſaluberrimi precepti per excommunicationis inflictionem procedemus. Inſuper populum vobis commiſſum in ſermonibus veſtris curetis ad hoc inducere, ut proceſſionibus, & aliis actibus, ac ceremoniis Eccleſiaſticis devote interſint, laudesque Omnipotenti Deo cum attentione cordis ac morum gravitate ibidem perſolvant.

Secundo, quia fraterna caritas, ſine qua nemo Deo placere poteſt, in cordibus multorum videtur refrigeſcere in tantum, ut nec conſcientias ſuas de damnis proximo illatis arguant. Idcirco vobis precipimus, ut in ſermonibus ad populum, ac in confeſſionibus ſecretis inter homines dilectionem ordinatam ſervandam doceatis, precipue eos arguendo, quod proximis damna in rebus, ut puta, agris, pratis, ortis, cenſibus, decimis, & aliis quibuſcunque inferant, vel eos defraudant, vel ledunt in perſonis, aut bona fama, vel honore, quorum omnium conſcientias deſuper informetis. Quodque tales curent per ſatisfactionem realem, reconciliationem ſive amicabilem compoſitionem leſis ſatisfacere, & ad hoc eos efficaciter inducant.

Tertio. Quia heu! plura conſideramus eſſe in populo publica peccata, inter que precipue eſt adulterium Divina Lege prohibitum, injungimus vobis, ut hujuſmodi publicos adulteros ſimiliter admoneatis, ut de cetero ab hoc damnabili peccato deſiſtant, ipſosque omnes tam viros, quam mulieres, qui taliter & publice in adulterio commorantur, ad Pœnitentiarium noſtrum abſolvendos remittatis, pœnitentias eisdem injungendo, nec ad Communionem ſacram admittatis, niſi de abſolutione ſua a dicto Pœnitentiario ſcripture teſtimonium habueritis. Inſuper quia luxurie crimen nimis excreſcit, velintque nonnulli excuſationes allegare in peccatis, quaſi ſimplex fornicatio peccatum mortale non exiſtat, hoc precipue mandamus in confeſſionibus ſecretis ſeverius arguendum, ut error iſte omnino extirpetur.

Quarto. Licet alias in Statutis noſtris Synodalibus providerimus contra publicos blaſphemos Sanctorum, ac etiam contra damnatiſſimum Idololatrie peccatum, videlicet incantationes & ſortilegia pythonum & pythoniſſarum, quia tamen, quod dolenter dicimus, adhuc a multis eſt in uſu, quapropter diſtrictiſſime vobis precipimus, quatenus Statuta noſtra Synodalia deſuper edita ſumma cum diligentia practicetis, & nihil-

nihilominus in confeffionibus de hujusmodi peccatis diligentem inquifitionem faciatis, & quofcunque inveneritis viros aut mulieres, ad Pœnitentiarium noftrum remittatis, nec quemcunque talem ad Communionem facram admittatis, nifi prius promiffionem fecerit loco juramenti, quod de cetero ab hujusmodi incantationibus, fortilegiis, & aliis fuperftitionibus per Ecclefiam reprobatis defiftere, nec amplius iisdem uti, vel fidem adhibere velit. Et nihilominus, fi qui publici blafphemi per vos reperti forent, vel publice hujufmodi incantationibus, fortilegiis, & aliis fuperftitionibus, ut premittitur, per Ecclefiam reprobatis utantur, vel eisdem fidem adhibeant: volumus, ut eosdem admoneatis, ut illico a blafphemiis incantationibus & fuperftitionibus predictis prorfus abftineant, & defiftant, nec iisdem amplius utantur, vel fidem adhibeant. Et fi qui poft admonitionem veftram contemptores & delinquentes in premiffis fuerint reperti, volumus, ut ipfo facto ab omnibus Ecclefiafticis Sacramentis, & Ecclefiaftica fepultura fint fufpenfi, fuper qua quidem fufpenfione ipfi plebano fine fpeciali licentia Vicarii noftri in Spiritualibus nulla penitus fit attributa facultas difpenfandi.

Quinto. Cum fint nonnulli utriusque fexus homines, qui Sacerdoti in altari exiftenti in faciem profpiciant, ipfumque a devotione fua impediant, & retrahant, feque etiam fuper altaribus appodiant, precipimus vobis, ut Parochianos veftros fuper premiffis fevere corrigatis, ut talia & fimilia deinceps non committantur, ipfofque in diftantia duorum paffuum retro Sacerdotem ftare jubeatis, & quod fe fuper altaribus nequaquam appodiant, alioquin omnes transgreffores, & in hoc delinquentes ad Epifcopalem auctoritatem remittatis.

Sexto. In plerifque Ecclefiis ante Diviniffimum Euchariftie Sacramentum, lumen continuo ardens non habetur, ne igitur propter ipfius irreverentiam ira Dei feviat in miniftros, vobis diftricte precipiendo mandamus, ut in antea perpetuis temporibus lumen continuo ardens ante Euchariftie Sacramentum teneri difponatis. Et fiquidem Ecclefie adeo egeant, quod de fuis facultatibus lumen hujusmodi tenere nequeant, volumus, ut ad hoc opus fpecialem inter Parochianos veftros collecturam fieri difponatis, eofdem ad contributionem hujusmodi feriofius adhortantes. Nosque nihilominus quatenus prædictum lumen continuo ardens in Ecclefiis predictis commodius, & facilius difponi, & procurari queat, literas indulgentiarum ad hoc habendum per Vicarium noftrum in Spiritualibus petentibus gratis dare demandabimus.

Septimo. In nonnullis Ecclefiis civitatis, & Diœcefeos noftrarum inolevit talis confuetudo, que profecto magis corruptela dicitur, quod viri, & mulieres in ftationibus ipfarum Ecclefiarum permixtim ftent, & focienter, cum deceat magis exemplo Marie Virginis Genitricis Salvatoris noftri, & Jofephi Nutricii ejufdem de Templo redeuntium quemlibet fexum in fuo comitatu, feu ordine conftitui, quam utrumque fexum ad extinguendum devotionis ardorem, uti ex hoc naturaliter contingere folet, taliter commifceri. Eapropter mandamus vobis, ut Parochianos veftros ad hoc diligenter admoneatis fub pena fufpenfionis ab Ecclefiafticis Sacramentis, ut infra brevem terminum per vos eifdem ftatuendum cum effectu difponant, quod ftationes hujusmodi in navi, feu corpore Ecclefiarum fint communes, & quod viri a mulieribus dividantur, ita quod in latere dextro verfus meridiem viri, & in finiftro verfus feptentrionem collocentur virgines, & mulieres, five quod in anteriori parte verfus chorum ftent viri, & in pofteriori juxta difpofitionem cujuslibet Ecclefie remaneant mulieres, fervata tamen difcretione, ut honorabilibus, alias honeftioribus perfonis in hujufmodi ftationibus juxta earundem qualitatem debitus femper deferatur honor.

Octavo. Relatione fide dignorum didicimus, quod vitrici quorundam Ecclefiarum cum pecuniis ad earum fabricam pertinentibus ufurarias exerceant pravitates, ad aliosque ufus privatos mutuare, & convertere non formident, debitaque a creditoribus non exigant. Et rationem fecundum formam ftatutorum noftrorum Synodalium facere negligant, quod profecto in grave difpendium ip-

ſarum Eccleſiarum,& periculum animarum ipſorum cedere arbitramur. Quamobrem vobis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus vitricos veſtrarum Eccleſiarum ſub pena ſuſpenſionis ab omnibus Eccleſiaſticis Sacramentis, & carentie Eccleſiaſtice ſepulture admoneatis, ut a tempore publicationis preſentis noſtri mandati ipſis facte, infra triginta dierum terminum rationem de perceptis, & expoſitis, aliisque debitis juxta tenorem ſtatuti noſtri Synodalis ſpecialiter deſuper editi, cum effectu faciant, & nihilominus facta ratione hujusmodi, ut premittitur, volumus, quod ſub pœna predicta eosdem admoneatis, ut infra hinc & feſtum Nativitatis Chriſti proximum futurum omnia & ſingula debita a creditoribus fabrice effectualiter exigant, & requirant, & de ſingulis pecuniis & debitis ad fabricam pertinentibus ante terminum predictum vos certos reddant. Quodque illico in qualibet Eccleſia truncus ſive cippus fiat, ad quem unam clavem plebani, vitrici vero Eccleſiarum aliam habeant, & ſumma cum cuſtodia teneant, reponanturque ibidem ad eundem omnes pecunie Eccleſiarum numerate, nec quovis modo exponantur, niſi pro ipſarum neceſſitatibus, & de conſenſu claves predictas habentium abſque dolo.

Nono. In quibuſdam Eccleſiis Diœceſis noſtre quidam abuſus excrevit, quod plebiſani (*a*) ejusdem pretextu Presbyteros ad perſonaliter cuſtodiendum pecora cogere non erubeſcunt, quod non parum in opprobrium Cleri, & contemptum Chriſtiane religionis tendere cernimus, cum Sacerdotes populum regentes Paſtores cenſeantur animarum, quocirca vobis diſtricte precipiendo mandamus, ne in antea pecora ad ipſorum Parochianorum coactionem, & importunam inſtantiam perſonaliter quovis modo cuſtodiatis, ſeu cuſtodire preſumatis; volumus etiam, ut quamprimum ab ipſis requiſiti fueritis, ad id faciendum a Divinis Officiis ceſſetis, donec ipſi plebiſani ab hujusmodi coactionibus & compulſionibus cum effectu deſiſtant, per hoc tamen nolumus, Presbyteros pecora habentes a ſolutione mercedis paſtoris mercenarii pro ſua rata ſeu portione eſſe excuſatos, vel abſolutos.

Decimo. In Sacra Provinciali Synodo Moguntina noviſſime celebrata inter cetera ſtatuta, quoddam ſtatutum de Judeis, & crucis Chriſti inimicis editum fuit, quod incipit: *Licet olim*, &c. in quo mandatum ſub ceſſatione Divinorum, & ſubtractionis communionis pœnis, quod Judei ſigna deferre debeant, declarando adjicitur, ſignum illud eſſe debere circulum de filis croceis in veſte extrinſeca ante pectus quoad maſculos; & due rige flavei coloris in peplis mulierum conformiter ut in urbe Roma, & quia parum eſſet jura condere, niſi eſſent, qui ea executioni demandarent; quocirca vobis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus mox viſis preſentibus Officiales, regentes, & Parochianos veſtros moneatis, & requiratis, ut infra terminum triginta dierum a tempore publicationis preſentis noſtri mandati omnibus Judeis & crucis Chriſti inimicis eorum ditioni ſubjectis precipiant, & mandent ſub gravibus pœnis, quatenus quilibet eorum circulum de filis croceis in veſte extrinſeca ante pectus quoad maſculos, & duas rigas flavei coloris in peplis mulierum ipſe fœmine, quemadmodum in ipſo ſtatuto Provinciali continetur, conformiter deferant, alioquin tam contra Officiales regentes, & Parochianos veſtros, ut predicitur, lapſo termino ad ſubtractionem Euchariſtie Sacramenti, nec non denegationem Eccleſiaſtice ſepulture, quam contra Judeos predictos ad excluſionem communionis fidelium, ac alias artius, prout ordo juris dictaverit, procedere curabimus juſtitia mediante.

Undecimo. Abuſus quorundam laicorum preceptis Divinis contrarius vehementer excrevit, qui Chriſtiana Religione neglecta diebus Dominicis & Feſtivis publice mercatum exercent, & lucris, & cupiditatibus non verentur inſiſtere, & quia id prefatum Maguntinenſe damnat, & reprobat, quapropter vobis diſtricte precipiendo mandamus, ut ſub pena ſuſpenſionis a perceptione Sacramentorum, & privatione Eccleſiaſtice ſepulture late ſententie per veſtras Parochias publice prohibeatis omnes utriusque ſexus homines in veſtris Parochiis exiſtentes, ne de cetero predictis diebus Dominicis, & Feſtivis quodcunque publicum mercatum, rerum vendibilium, que

(*a*) *forte pro* Plebes, *vel* Parochiani.

que ad usum quotidiani victus non sunt necessarie, infra Missarum,& Divinorum Officiorum solemnia, & potissimum ante prandium quovismodo exerceant, seu exerceri permittant, alioquin contra permittentes, & transgessores ad declarationem dictarum penarum procedere curabimus justitia mediante.

Duodecimo. Ad notitiam vestram deduci voluimus Statutum Synodale novissime per Nos editum, quod disponit de temporibus,quibus celebrationes, sive solennisationes nuptiarum a jure interdictæ sunt, cujus quidem statuti tenor sequitur, & est talis . . *A prima Dominica Adventus Domini usque ad octavas Epiphanie; deinde a Dominica Septuagesime usque ad octavas Pasche: Postea ab ebdomada Rogationum usque in Dominicam post Festum Pentecostes*, suprascriptis temporibus a Sacris Canonibus prohibentur nuptie solenniter celebrari.

Tredecimo. Quod omnibus, qui in casibus reservatis ad auctoritatem Episcopalem remittuntur, adjungatis, ut ab Officialibus, vel Vicariis in Spiritualibus, aut Pœnitentiariis nostris, ad quos eos remittitis, secum cedulas reportent, per quas, qualiter expediti sint, vobis constare possit, nec absque hujusmodi cedulis aliquem talium absolvatis, aut etiam ad communionem Sacram admittatis.

Quatuordecimo. Cum Ecclesiastica censura a nonnullis minus timoratis parvipendatur, ita, quod excommunicati publice denunciati, in dispendium animarum suarum Ecclesias ingredi presumant, & alias communioni fidelium se immisceant, ut prius precipimus vobis; & cuilibet vestrum, ne coram taliter publice denunciatis Divina Officia celebretis. Quinymo tales excommunicatos ab Ecclesiis repellatis; & siquidem ab ingressu Ecclesie desistere nollent, Officiales, & Dominos temporales locorum seriose requiratis, quod hujusmodi rebelles & excommunicatos puniant, & a suis temeritatibus coherceant, alioquin siquis ex vobis hujus precepti nostri contemtor exstiterit, aut neglector, Nos contra talem ad penas juris irregularitatis, & alias procedemus. Datum in Aula nostra Episcopali *Eystettensi*, feria sexta infra octavas Corporis Christi. Anno Domini *millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio*, sub nostri Vicariatus sigilli impressione &c.

Hæc Synodus descripta est ex Libro Synodali Eystettensi, impressa Eystadii anno 1484. *in 4to.*

Renovata fuit hæc Synodus a Successore Episcopo Wilhelmo *de Reichenaw post annum* 1464. *additis XVIII. Capitulis.*

SYNODUS CAMINENSIS

Anno Christi MCCCCLIV. Nicolai V. Papæ VIII. Friderici III. Regis XV.

SUB HENNINGO XXI. EPISCOPO.

vid: infra ... 30

HENNINGUS (a) Episcopus Caminensis Synodum conscripsit in hebdomada post Dominicam *Judica* in Arce Gultzow celebratam, cujus acta plena adhuc supererant anno MDCXXVI. *Cramero* scribente. Compendium dat *De Wujia Cap. XXXVI. Historiæ Episcopatus Caminensis*, ex hac Epistola Synodica: " Ad aures nostras pervenit, quod " non solum minores Clerici, & simplicibus beneficiis Beneficiati, sed, proh " dolor! nonnulli Clericorum Prælati I. " superfluis comessationibus, II. & illicitis confabulationibus insudantes fere, " III. medietatem noctis impendunt, IV " in Divino Officio nocturno vix & raro comparentes, V. & postquam domi oraverint, syncopando Horas Canonicas transcurrunt, quasi nullam " ad Deum haberent intentionem. . . .

Terminariis etiam severe interdixit, ne ulterius in sua Diœcesi terminarent.

Hactenus de Wujia in Hist. Episc. Caminensis, editus a Ludewigio Tom. II, Scriptor. Bambergensium.

 (a) Hen-

(a) Henricus IV. ex Stolpen natus, Canonice electus, & Duci Pomeraniæ præsentatus, receptus, & investitus fuit, gubernavit Ecclesiam Caminensem annos XXVI. Obiit MCCCCLXXII. Anno MCCCCLVI. Dominica post Galli & Lulli initium fecit Universitatis Grypswaldensis in sua Diœcesi sitæ, præsente Alberto de Sidow Suffraganeo suo Gryphis sylva oriundo: præsentibus Principe Wartislao IX. Stettini & Rugiæ Principe, Domino de Zuina, Archi-Diacono Uzenamensi, Friderico Zaibou Præposito in Verchen, Matthia Wedel Archi-Diacono Stolpensi, Hermanno Stupwacht Thesaurario Caminensi, Henrico Buckow Præposito, cum toto Clero, & Nobilibus, & Magistratu.

Privilegium obtinuerat Dux Wartislaus a Calixto III. Papa, & Friderico III. Augusto: Episcopus Caminensis perpetuus Cancellarius, & conservator Universitatis est. *De Wujia habet Bullam Calixtinam pag.* 611.

MOGUNTINA SYNODUS

Anno Christi MCCCCLV. Callisti III. Papæ I. Friderici III. Regis XVI.

SAncta Synodus Provincialis Maguntine Provincie in & ad oppidum Aschofenburg Maguntine Diœcesis, per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum THEODERICUM (a) *Archi-Episcopum Maguntinum* eidem Presidentem, ad diem Sanctorum Viti & Modesti, que erat *quinta decima mensis Junii*, cum continuatione dierum sequentium, de anno Domini *Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo quinto*, ad providendum contra & adversus quedam pernitiosissima dogmata infra Provinciam predictam publice predicata, ex quibus haud dubium plurima suborta sunt scandala; aliaque salubria salutem animarum concernentia statuendo convocata, celebrataque ad infra scripta concorditer, & unanimiter devenit, que & inviolabiliter, & sub penis in eisdem contentis observari vult, precipit, atque mandat. Ad perpetuam rei memoriam.

Quamquam ex Sacris Canonibus Sanctorumque Patrum definitionibus, ac Scripturis sanctis habunde satis, & clare constet, dogma perversum illud quo curiosi, quidam vanitatibus suis dediti, & inflato spiritu se justos putantes cum perversissimi fuerint, asserere ausi sunt, "nullum Sacerdotem in mortali peccato "constitutum alium, sive Clericum, sive "laicum peccato mortali, scilicet irretitum "ab hujusmodi absolvere posse," a fide recta, sanaque doctrina deviare, sitque per bone memorie GERHARDUM Archi-Episcopum Maguntin. in Concilio suo, quodam scilicet in oppido Aschafenburgensi tento damnatum anathematizatum, & penitus reprobatum, eo quod sacre Scripture dicat auctoritas, quod sive bonus, sive malus sit Minister, per utrumque tamen Deus effectum gratie confert, non enim, que facta sunt, coinquinari possunt, prout in eodem Statuto Provinciali latius continetur. Quum tamen nonnulli perversi, prout ex plurimorum fide dignorum testimonio compertum, errorem hunc, qui radicitus sperabatur extinctus, veriti non sunt denuo suscitare, illumque publice predicare, & exemplo quodam materiali de duobus vinctis & ligatis, quorum alter alterum solvere nequit, astruere: dignum duxit hec Sancta Synodus fideli populo, quam pernitiosus & gravis sit error iste, demonstrare, illumque similiter damnare: pariformi namque levitate & errore dici posset, quod Episcopus vel Sacerdos in peccato mortali existens, non ordines conferret, non conficeret, non consecraret, non baptizaret, ex quo consequenter sequeretur omnem collationem Sacramentorum in Ecclesiastica Ierarchia dubiam & incertam esse, nullumque se de certo dicere posse baptizatum, ordinatum, vel absolutum,

(a) Theodoricus Dominus Pincerna de Erbach Archi-Episcopus Moguntinus XLVIII. Elector XXXII. electus anno 1434. in octava Petri & Pauli, obiit anno 1459. Aschaffenburgi.

lutum, cum nullus de lege communi ſciat, an Epiſcopus ordinans, vel Sacerdos conſecrans, baptizans, vel abſolvens in peccato mortali ſit, an non, nemo enim ſcit, *an odio, an amore dignus exiſtat.* (*a*) Unde & hujuſmodi dogma hec Sancta Synodus erroneum & hereticum dicit, & declarat. Nec ſimile illud de materialiter vinctis & ligatis conveniens eſt, cum juxta Canonicas Sanctiones Sacramentorum collatio & exhibitio non in merito eſt Epiſcopi, vel Sacerdotis viſibiliter conferentis, ſed JESU CHRISTI illa inſtituentis, neque Epiſcopus, vel Sacerdos principaliter quicquam agit, ſed columba I. Spiritus Sanctus, cujus operationem Epiſcopi, vel Sacerdotis ab Eccleſia tolerati malicia, dummodo alias rite procedat, non poteſt impedire, vel prophanare. Certum, quoque prophanos illos in articulo, qui premiſſus eſt, aberrantes funiculum errorum aliorum ſe feciſſe, quo utinam ipſi duntaxat precincti, & illum pro ſe feciſſe, trahentes alios in laqueum peccati mortalis non traxiſſent, plurimos ſcandalizaſſent, diverſoſque alios articulos falſos, erroneos, piarum aurium offenſivos aſſeruiſſe, predicaſſe, dogmatizaſſe, ſimili teſtimonio claruit, quod "ſub excommunicationis ſententia non "animam, ſed corpus ſolum liget, ſicque "ad terrorem duntaxat inventa; atque Sa-"cerdos beneficiatus pro aliis, quam pro "ſui beneficii fundatoribus orare, vel offi-"cia Divina peragere, ſic ut eis proſit, "non poſſit, neque debeat. Quamquam "Clericus ſecularis, ſicut Religioſus ha-"bere propria non poſſit, neque habeat. "Et demum, quod fedum eſt, narrare, "quia Sanctimonialis profeſſa, ſi carnis "temptatione, & humana fragilitate victa, "caſtitatem ſervare nollet, majoris culpe "& facilioris venie eſſet ſi cum Religioſo, "quam cum ſeculari delinqueret," dignum ſimiliter duxit hec Sancta Synodus, & illos falſos & erroneos damnare. Excommunicatio namque major non ſolum a communione fidelium, que corpus reſpicit, ſed & a participatione Sacramentorum, Orationum, & Suffragiorum Eccleſie, aliorumque Divinorum & Spiritualium ſeparat, & juxta Apoſtolum tradit aliquem Sathane: quæ quam periculoſa ſint anime, quiſque ſane mentis intelligit. Et quanquam haud dubie terrori plurimum ſit, & eſſe debeat cuilibet Chriſtiano, medicinalis tamen eſt, cum per illam ad hoc tendat Eccleſia, ut erubeſcens & compunctus peccator rebellis, & contemptor mandatorum, & preceptorum Prelatorum Eccleſie interius ſalvus fiat, reſipiſcat, & ſatisfaciat, ſicque ad unitatem Eccleſie, communionemque fidelium redeat, & revertatur. Aſſerere vero, quod Beneficiatus non pro alio, quam ſui beneficii fundatore orare, vel Officia Divina peragere poſſit aut debeat, eſſet omnem Eccleſie Dei ritum, conſuetudinem, & obſervantiam tollere, ſubvertereque, que & in Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis, ac Monaſteriis per divos Romanorum Imperatores, Reges, Principes, Prelatos, & pios homines fundatis permittunt, nedum pro illis, ſed & pro aliis, pro quibus voluerint orare, & Divina Officia peragere, Sacrificiaque offerre, Sanctoſque Patres non recte Canonem Miſſe, ceteraque plura Divina Officia, qui pro vivis, & defunctis, & in generali pro pluribus orare debere nos inſtruunt, inſtituiſſe, quod, quam impium ſit, & quam erroneum, nemo ſane mentis eſt, qui non intelligat. Beatiſſimi preſertim Hieronymi concurrentibus verbis ſic inquientis: Cum igitur pro centum animabus pſalmus, vel Miſſa dicitur, nil minus quam ſi pro quolibet ipſorum diceretur, accipitur. Dicere autem, quod Clericus ſecularis proprium habere non poſſit, eſt cum Wicleff & Huſs dudum cum eorum doctrina damnatis, portionem ponere, contra quem quidem articulum falſum, & erroneum illumque tenentes Huſſitas tot, & tanta in Sacris Conſtantien. & Baſilienſ. Generalibus Synodis dicta, & allegata, ſacre Scripture teſtimonia ſunt, ut opus non ſit illa de preſenti replicare; fedum autem illum ultimum articulum, quem repetere nolumus, erroneum eſſe duo vota caſtitatis concurren. ſacrilegiumque, quod dupliciter hinc inde committetur, limpidiſſime declarant. Unde hec Sancta Synodus omnes, & ſingulos premiſſos articulos, pernitioſos, falſos, erroneos, ſeditioſos, ac piarum aurium offenſivos dicit, declarat, damnat, anathematizat, & penitus reprobat, vult-

(*a*) Eccleſis. IX, I.

vultque, quod contra eos, qui illos asseverare, predicare, & dogmatizare presumpserint, aut presumerent in futurum, tanquam contra, & adversus hereticos, & a recta fide devios, nec non, & contra receptantes, auxiliantes, & defendentes eosdem, aut salvum conductum eis prebentes tanquam contra, & adversus receptores, & defensores hereticorum, & male sentientium de fide per Ordinarios, aut Inquisitores hæretice pravitatis ad executionem penarum adversus tales in jure statutarum procedi possit, procedatur: Sancta Synodus etiam informata, quod in nonnullis civitatibus, & oppidis Provincie Maguntin. Jura Parochialium Ecclesiarum plurimum diminuta sint, & minuantur indies; talisque devotio prout dignum foret, per populum ad illos, & eorum Rectores minime habeatur, ex eo maxime, quod quidam Fratres Ordinum mendicantium non reformati, neque sub observantia debita viventes predicaverint, "quod quilibet Christianus etiam "diebus Dominicis, & festivis quatuor Fe-"stivitatibus, principalibus duntaxat ex-"ceptis, libere possit ire ad audiendum "Missam quo velit, nec obligetur hujus-"modi diebus Dominicis, & Festivis sub "pena peccati mortalis suam Ecclesiam "Parochialem visitare ad audiendum Mis-"sam in eadem, ac quod nullus adstrictus "sit suo Plebano semel in anno confiteri, "vel ab eo licentiam confitendi petere, tanquam si decretalis illa Generalis Concilii: *Omnis utriusque sexus*, quoad hoc penitus abolita sit, & extincta: "quodque men-"dicantium auctoritas pœnitentialis major "sit plebanorum, qui etiam mendicantes, "& si reformati non sint, neque sub & "in observantia vivant, ex eo, quod ap-"probate regule sunt, probate vite cen-"sendi sint, ut ordinarius eos sibi presen-"tatos admittere teneatur, preterea quod "nullus, postquam apud ipsos mendicantes "sepulturam elegerit, plebano suo ad "ultimum vale sit adstrictus:" oportunum judicavit hec Sancta Synodus, & in his antidoto possibili providere, sicque in omnibus servare temperiem, ut sic nec Fratribus mendicantibus in suis indultis eis in vim & vigore Cle. *Dudum* competen. derogetur, aut detrahatur. Rectoresque Parochialium Ecclesiarum in debita reverentia, suisque juribus, & honestis consuetudinibus conserventur, & quam ad hoc plurimum deservire videtur constitutio Synodalis per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum NICOLAUM, tituli Sancti Petri ad Vincula Sancte Romane Ecclesie Presbyterum Cardinalem Brixinensem vulgariter nuncupatum, tunc Apostolice Sedis per Alamaniam Legatum, in Diœcesana Synodo *Bambergensi* facta, & edita, & per eundem Reverendissimum Dominum Legatum in proxime lapsa Provinciali Synodo Maguntie celebrata, ad Provinciam Maguntin. extenta, & per Reverendissimum Dominum THEODERICUM, Archi-Episcopum Maguntinum, Sanctamque Synodum tunc acceptata, ideoque & hec Sancta Synodus illam denuo suscipit, acceptat, & innovat, omnibusque *Suffraganeis Provincie Maguntine* precipit, atque mandat, ut illam debite demandent executioni: cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, *& talis est*:

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA, TITULI SANCTI PETRI AD VINCULA SACROSANCTE ROMANE ECCLESIE PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICE SEDIS PER ALEMANNIAM LEGATUS; IN DIŒCESANA BAMBERGENSI SYNODO PRESIDENS, UNIVERSIS CHRISTI-FIDELIBUS EJUSDEM DIŒCESI, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Quoniam officio nostro incumbit, ut undique ea, que pacis sunt, diligenti studio promoveamus, maxime autem, quando ad id Apostolice Sedis singularis jussio accedit. Sane ad Sanctissimum Dominum nostrum, Dominum NICOLAUM *Papam Quintum* de facto inter Plebanos & mendicantes Fratres oppidi Nurenbergensis dicte Diœcesis non parvas fore differentias exortas, & Nobis per eundem Sanctissimum Dominum nostrum commisso, ut easdem de medio facere curaremus, atque post hoc intellecto *in hac Bambergensi Diœcesi* in plerisque locis similes querelas esse, quodque scandala plurima in populo ex hoc oriantur.

Auditis in hac Synodo querelis super hoc, & responsionibus per hanc nostram ordi-

ordinationem *de Synodali consensu* de libertate factam, uti sequitur, providemus. Et quia jam dudum circa publicationem C. Concilii Generalis (a) *Omnis utriusque sexus: Statutum Synodale* reperimus, tunc consequenter ad illud ipsum tale Statutum Synodale de publicando dictum C. *Omnis utriusque sexus* Concilii Generalis per omnes Dominicas Quadragesime approbantes, auctoritate Legationis nostre, qua fungimur, decernimus, quod publicatio illa *in dicto oppido Nurenbergensi* per deputandos a Domino Episcopo Bambergensi simpliciter, prout textus jacet, tantum fiat. Inhibentes insuper eadem auctoritate, ne quisquam cujuscumque conditionis Ecclesiastice vel secularis infra limites Diœcesis Bambergensis constitutus, exemptus, vel non exemptus quovis modo directe vel indirecte, publice vel occulte quemquam ab observantia illius jam dicte constitutionis, ac quod illi suo Sacerdoti, a quo Sacramentum Eucharistie recipere tenetur, vel alteri de licentia ejusdem saltem semel in anno non confiteatur, aut ab interessendo Divinis saltem diebus Dominicis, & majoribus Festivitatibus in sua Parochiali Ecclesia, aut absolutione jurium Parochialium retrahere presumat. Quinimo volumus, quod quisquis talia fecerit, etiam cujuscumque ordinis, vel religionis exemptus, vel non exemptus, suspensionis ab ingressu Ecclesie, ac perceptione Sacramenti Eucharistie sententiam incurrat, absolutionem, preterquam in mortis articulo Apostolice Sedi reservantes. Et, quia Fratres de ordine Mendicantium modo quo *Clem. Dudum* ponitur, presentati, & per Episcopum admissi in casibus ipsis per reservationem Pape, aut Episcopi non prohibitis eis confitentes, veraciter absolvunt, pari pœna inhibemus, ne quisquam cujuscumque conditionis fuerit, Ecclesiastice vel secularis, exemptus vel non exemptus, presentatis absolvendi eorundem fratrum sic admissorum detrahere directe vel indirecte, publice vel occulte presumat. Quinimmo volumus, quod quiscunque talia fecerit, suspensionis ab ingressu Ecclesie, & perceptionis Sacramenti Eucharistie sententiam incurrat, absolutionem preterquam in mortis articulo Apostolice Sedi reservantes. Et ad finem, ut populus sciat, qui sint tales admissi, & qui casus prohibiti, statuimus: ac dicta auctoritate ordinamus, quod Dominus Episcopus Bambergensis omni anno in prima Dominica Quadragesime deinceps per principalia loca totius sue Diœcesis hanc nostram ordinationem, & fratres per eum admissos ad confessionem audiendum, nominatim ac casus Pape, atque Sibi reservatos, & in quibus sibi reservatis auctoritatem dedit absolvendi, publicationem populo faciendam, disponere teneatur, prohibentes sub simili suspensionis late sententie pœna, ne amplius quisquam ex Mendicantibus contra Plebanos, & Plebani quicunque contra fratres ipsos predicare presumat: sed qui causam querele habuerit, judicem adeat competentem. *Datum Bambergæ in Synodo Diœcesana* (b) *per Nos ibidem in majori Ecclesia solenniter celebrata. Anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo primo, die Lune, tertia mensis Maji. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini NICOLAI, Divina providentia Pape quinti, anno quinto.*

Preterea hec Sancta Synodus innovat constitutionem alias in dicta proxime Maguntie tenta Provinciali Synodo factam, que incipit: *Sacra Synodus intendens, Apostolicam Sedem Fratribus Mendicantibus privilegia in edificationem Ecclesie concessisse. &c.* Vultque, & precipit hec Sancta Synodus, omnibus & singulis Episcopis Provincie Maguntine, & eorum in Spiritualibus Vicariis, quatenus illam debite demandent executioni. Verum etsi per premissa satis evidenter appareat, temerariam & iniquam predictorum articulorum fuisse predicationem, per quam haud dubie constat populum ab observantia constitutionis: *Omnis utriusque sexus*, & ab interessendo Divinis saltem Dominicis & Festivis diebus in sua Parochiali Ecclesia, & absolutione jurium Parochialium retrahi, quia tamen in cordibus plurimorum tantum virus inflixit, ut uno medicamine difficile sanari queat, rati sumus hanc materiam latius, & spe-

(a) Lateranensis anno 1215. Canone 20.
(b) Synodus Bambergæ anno 1451. 3. Maji per Nicolaum Cusanum.

ſpeciali conſtitutione quoad ſubditos Provincie Maguntine diffinire. Quis enim neſciat, niſi qui penitus ignorans ſit, vel eſſe velit, Sanctorum Canonum, Patrumque voluntatem fuiſſe, idque ab origine naſcentis Eccleſie in morem & conſuetudinem deductum eſſe, quod populus diebus Dominicis & Feſtivis ſolennibus Eccleſiam ſuam Parochialem viſitare, & Officium Miſſe ſolennis, quod hora tertiarum fieri conſuevit & debet, in eadem audire, Rectorique ſuo Parochiali, a quo Sacramenta Eccleſiaſtica recipere tenentur, ſemel in anno confiteri, aut ab eodem licentiam confitendi petere ac obtinere, eique de juribus Parochialibus ex longevis conſuetudinibus introductis ſatisfacere debeat, ac teneatur. Quis enim literatorum ignoret, *Cle. Dudum* plures conditiones in Mendicantibus, qui repreſentantur Ordinariis, ut ad confeſſiones audiendas poſſint admitti, & debeant requirere, inter quas hec precipua eſt, ut probate vite ſint juxta textum, qui non de approbata regula, ſed probata vita mentionem facit, qui & non majorem poteſtatem in abſolvendo dat preſentatis & admiſſis, quam curati habeant, cum ſicuti nec illi, ſic nec iſti in caſibus Sedi Apoſtolice aut Epiſcopo reſervatis, niſi ſpeciali ſint deſuper auctoritate fulciti, abſolvere queant. Precipit igitur hec Sancta Synodus, atque mandat, quod quisque Chriſtianus diebus Dominicis & Feſtivis ſolennibus Eccleſiam ſuam Parochialem viſitet, & integrum officium Miſſe etiam cum Predicatione Verbi Dei in eadem audiat ſub pœna peccati mortalis, quam, niſi juſta cauſa excuſet ipſum, incurrat. Declarat preterea, quod Canon Concilii Generalis: *Omnis utrius que ſexus*, nusquam correctus, ſed obſervandus exiſtat. Ita, quod unusquisque Chriſtianus ſuo Sacerdoti, a quo Sacramentum Euchariſtie recipere tenetur, vel alteri de licentia ejusdem ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur, & ſi alibi ſepulturam elegerit, ad ultimum vale, ubi id longeva conſuetudine maxime ſi illa in contradictorio judicio obtenta ſit, introductum extitit, etiamſi quandoque quibusdam non placuerit, ſuis Rectoribus, ſeu Presbyteris Parochialibus teneatur, ita tamen, quod ſi in exigendo Presbyter parochialis exceſſivus eſſe vellet, Ordinarii judicio ſtetur. Per premiſſa tamen non intendit hec Sancta Synodus prejudicare, privilegio Mendicantium eis in, & per *Cle. Dudum* dato, quin volentes ipſis Fratribus mendicantibus Epiſcopo preſentatis, & per ipſum, aut etiam eo ſine cauſa renitente Apoſtolica auctoritate ſecundum formam dicte Cle. admiſſis quoties, toties confiteri, licite & libere hoc poſſint & valeant, ipſique mendicantes hoc modo qualificati, & admiſſi eos in caſibus ſpecialiter Pape & Epiſcopo non reſervatis vere abſolvant.

Innotuit demum huic Sancte Synodo, de quadam deteſtabili abuſione, que adeo invaluit, qua plerique omnes collationes Beneficiorum, ac nominationes ad eadem habentes nullum nominent, ac nulli Beneficia conferant, niſi ex pacto tacito vel expreſſo, aut ipſo facto pro nominationibus, aut collationibus, alii Beneficia dentur, vel in favorem ſuum dimittantur, quod valde damnabile exiſtit, & Sacris Canonibus contrarium. Unde licet, ut premittitur, contra hec tam per Sacros Canones, ac Statuta Provincialia proviſum exiſtat, hec tamen Sancta Synodus ultra penas predictas juris & ſtatutorum, vult, atque declarat dictas nominationes, & collationes ſic factas, & faciendas eſſe ipſo facto nullas, ac pro illa vice Collationes, & Proviſiones dictorum Beneficiorum ad Ordinarium cenſeri devolutas; mandans ſingulorum locorum Ordinariis, ut pro extirpatione dicte abuſionis, ac exceſſus per ſe, & ſuos invigilent: de dictis Beneficiis ſic devolutis, dum & quando caſus, ut premittitur, devolutionis, & vacationis evenerit providendo, celeriter quoque delinquentes juxta Canonum ſtatuta puniendo, & emendando. Inſuper, cum deformitati veſtium Clericorum, ac Viſitatoribus impedimenta preſtantium, ut provideretur aviſatum ſit, hec Sancta Synodus ſtatuit, & mandat, quod nullus hominum cujuscumque ſtatus, aut conditionis exiſtat, Viſitatores per locorum Ordinarios, aut quarumcunque religionum Prelatos deſtinatos in officio viſitationis in antea quovismodo impediant, ſive impedire preſumant, contrarium facientes, ſi Epiſcopi fuerint, eo ipſo ab ingreſſu Eccleſie ſint ſuſpenſi, reliqui vero per ſententiam excom-

communicationis per Superiores percellantur, quodque singuli Ordinarii locorum in suis Diœcesibus super habitu Clericorum ubi per Statuta Synodalia provisum sufficienter non existat, prout de jure, ac loci opportunitate ipsis visum fuerit, celeriter per sua Statuta Synodalia provideant: Postremo cum Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus CALIXTUS Divina Providentia Papa tertius, Bullas super electione sue Sanctitatis ad apicem Summi Pontificatus, ac Sedem Beatissimi Petri Principis Apostolorum, qui Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis extitit, Valentinus vulgariter nuncupatus, Reverendissimo in Christo Patri & Domino, Domino THEODERICO Archi-Episcopo Maguntin. & suis Suffraganeis transmiserit, que in hac Sacra Synodo per Nuncium sue Sanctitatis presentata sunt, in quibus sua Sanctitas desiderat, ut processiones, & orationes pro sua Sanctitate fiant, hec Sancta Synodus statuit atque mandat, ut singuli Episcopi Provincie Moguntine in suis Diœcesibus, ac locis insignibus processiones, & devotiones indicant, & instituant in laudem Dei Omnipotentis, sueque Genitricis, ac totius curie triumphantis, ut Divina clementia sue Sanctitati manum adjutricem porrigat, qua roborata injunctum sibi Sedis Apostolice Officium ad gloriam sui nominis, salutem, & pacem Populi Christani, extirpationem heresum, confusionem, & supplantationem infidelissimi, ac atrocissimi Turci, exaltationem, & dilatationem fidei Christiane, ac Divini cultus augmentum valeat exercere. Conclusum, decretatum, ac datum Aschoffenburg ibidem in loco Capitulari, aulaque estivali Ecclesie Collegiate Sanctorum Petri & Alexandri, die sabbati vicesima prima mensis Junii. *Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo quinto*, sub secreto prefati Domini Archi-Episcopi presentibus appenso.

Descripta hæc Synodus ex Libro Synodorum Eystettensium anno 1484. *impresso Eystadii in 4to.*

WRATISLAVIÆ SYNODUS
Inter Annos MCCCCXLVII. & MCCCCLVI.
Statuta Synodalia Domini PETRI, (a) *Episcopi Wratislaviensis.*

De Majoritate & Obedientia.

QUam grata, quam favorabilis, quam suavis, quam amabilis, quam acceptabilis sit erga matrem affectio filialis: quam vero execrabilis, damnata, scelestissima, sævissima, maledicta, atque pœnalibus exterminanda suppliciis, irreverentia filiorum ad matrem: multis docemur exemplis. Et licet multa filios ad maternæ reverentiæ observationem efficaciter exhortentur: nonnullæ tamen Personæ Ecclesiasticæ, quæ Ecclesiam tanquam matrem, & ejus bona tueri, honorare, & defensare tenentur: dum sibi quietem, & honorificentiam venantur in favorem secularium, matrem suam, unde tuitionem recipiunt, persequuntur: ita ut jam non filii, sed fratres, & Collegæ ipsorum, quibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis:* (*b*) appellari mereantur. Nos itaque hanc insolentiam exterminare affectantes, præsenti statuimus decreto: ut nulla Ecclesiastica Persona, exempta, vel non exempta, cujuscunque status, gradus, aut dignitatis existat, alicui laico cujuscunque præeminentiæ, aut conditionis existat, contra Ecclesias, Ecclesiasticasve Personas, & eorum bona, quominus

(*a*) Petrus de Novack, Juris Consultus, Præpositus major Wratislaviensis Ecclesiæ, dicitur electus fuisse post annum 1447. & 1456. obiisse. *Ita Histoire Ecclesiastique d'Allemagne, imprimée a Bruxelles chez Francois Foppens an.* 1724. *Tom. II. pag.* 168.
(*b*) Joannis VIII, 44.

minus ea libere, & quiete possidere, immunitatibus Ecclesiasticis gaudere valeant: consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, aut quovis quæsito ingenio, aut colore sinistro, legitimis causis non occurrentibus, impendere præsumat, aut condonare. Si quis autem famæ suæ prodigus, & proprii persequutor honoris, contra tam salubre statutum venire præsumpserit, ultra pœnam Synodalem ab ipso irremissibiliter exigendam, excommunicationis sententiam incidat ipso facto: cujus absolutionem Nobis specialiter reservamus.

Volumus etiam, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus; ut omnes Clerici nostræ Diœcesis, tam Nostros, quam Officialis nostri, & aliorum Judicum Ecclesiasticorum nostræ Diœcesis, processus quoscunque, sive mandata, contra quascunque personas, sive ex officio nobili, sive mercenario, edita & decreta, veneranter suscipiant, & debitæ executioni demandent, ut tenentur: nuntios vero, sive tabellarios eorundem mandatorum, consuetis favoribus pertractent: eosque ne per manus sinistras apprehendi, & in eorum agendis impediri, offendi, & periclitari valeant, quomodolibet aut tardari; sub umbra silentii, absque omni dolo, & fraude salvos recedere faciant, & procurent: sub pœna decem florenorum Nobis ad cameram nostram persolvendorum.

Insuper volumus, & mandamus, quatenus nullus nostræ Diœcesis Clericus cujuscunque status, gradus, aut conditionis, mandata peregrina, sine Nostro, aut nostri in Spiritualibus Vicarii mandato, & licentia speciali acceptet, executionem eorundem per se, vel interpositas personas faciat, aut fieri procuret, seu in Ecclesiis suis affigi permittat: sed nuntios dictorum mandatorum, & portatores, ad Nos, vel nostrum in Spiritualibus Vicarium remittat cum effectu; sub pœna Synodali a contra facientibus strictissime exigenda.

De Foro competenti.

Pastoralis solicitudinis studio jugiter invigilare convenit, ne quisquam per vexationes, vel afflictiones indebitas proximum opprimere permittat: sicque justicia ordine debito ministretur, ut & viris dolosis auferatur nocendi licentia, & ne quies, & tranquillitas Rectorum facile perturbetur. Inoleverunt enim hactenus intolerabilium vexationum abusus permulti, dum nimium frequenter, & præsertim a remotis finibus nostræ Diœcesis, interdum in causis prophanis, & mere secularibus interdum in causis feudalibus, interdum propter cessiones imaginarias, & simulatas, interdum in causis non solum alibi in judicium deductis, verum etiam calculo definitivæ sententiæ extinctis, quam plurimum ad nostrum Wratislaviense Consistorium, & Judices Commissarios, nostræ Diœcesis, citari, & evocari consueverunt, atque ita expensis, & laboribus fatigari. Et nonnunquam commodius arbitrantur, vexationem suam gravi damno redimere, quam sic litium subire dispendia, unde jurisdictiones perturbantur, & odia, ac rancores graviter suscitantur: Nos itaque tanti abusus habenas constringere cupientes: insuper statuimus & ordinamus, quatenus deinceps nullus Clericus cujuscunque status, gradus, aut conditionis existat, hujusmodi causas, aut aliquam ipsarum in se suscipere, nec coram quocunque Judice Ecclesiastico nostræ Diœcesis movere, aut suscitare præsumat. Alioquin contrarium facientes ultra condemnationem expensarum, pœnam decem florenorum Hungaricalium: Procurator vero, qui onus procurationis in jam dictis causis assumserit, & in eis, aut aliqua ipsarum postulaverit, aut procuraverit, quinque florenorum pœnam se noverit incurrisse: Nobis ab eisdem, & quolibet ipsorum, ad Cameram nostram irremissibiliter persolvendorum.

De vita & honestate Clericorum.

Quoniam, qui abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias sumere, & in publico portare præsumit, Professoris ordinis illius prærogativa se reddit indignum: hac nostra constitutione sancimus, ut omnes & singuli, tam Religiosi, quam seculares Clerici, curati & non curati, cujuscunque status, ordinis, gradus, aut conditionis existant, aut quacunque splendeant dignitate, juxta suarum dignitatum, statuum, ordinum, & graduum existentiam, habitum proprium, & tonsuram, ac coronam Clericalem, & vestes

veftes mediocritatis, obediendo Canonibus deferant. Virgatis quoque & partitis, aut fcacatis veftibus, fibulas, vel corrigias auri, vel argenti habentes, aut pannos rubei aut viridis coloris, nec non quadraturis in ora veftimenti circumferentialiter, & ad apparentiam confutis non utentur: nifi in præmiffis, aut aliquo præmifforum per rationabilem caufam poterint excufari, ut fic per decentiam habitus extrinfeci, morum intrinfecam valeant oftendere honeftatem. Contrarium facientes, ultra pœnas fufpenfionis & inhabilitatis hujusmodi mandati transgrefforibus, & fignanter Religiofis, a jure communi inflictas, pœnam Synodalem fe noverint incurriffe, Nobis ad Cameram noftram irremiffibiliter perfolvendam.

Volumus etiam, ut a crapula & ebrietate abftineant. Nec tabernatorum aut carnificum officium exerceant. Aut de commerciis, mercantiis, & negotiis quibuscunque, vel officiis fecularibus clericali honeftati non convenientibus fe intromittere audeant. Nec comam aut barbam nutriant. Nec arma offendendi animo deferant: aut tabernas frequentare præfumant. Aleas vero & taxillos penitus non ludant, nec hujusmodi & aliis ludis theatralibus ad vanitatem introductis, aut in forte conftitutis interfint: fed in omni modeftia, honeftate & timore Dei, cum viris timoratis fuas habeant converfationes. Miffas & alia Divina Officia in Ecclefiis fuis devote peragant. Ac in omnibus fic clericaliter vivant; ut vita, doctrina, & exemplo alios ad bene vivendum provocent & inducant: pœnis fub præmiffis, & aliis gravioribus, juxta qualitatem & magnitudinem delicti, a delinquentibus, noftro officio acerrime exigendis.

De cohabitatione Clericorum & Mulierum.

Quoniam id, quod a Prælatis & Clericis quibuscunque agitur, a fubditis facile trahitur in exemplum. Ut igitur Clericorum mores reformare, & incontinentiæ vitium tanquam majus (quia proh pudor communius) eliminare valeamus: hac noftra conftitutione irrefragabiliter ordinamus, quatenus omnes Clerici, cujuscunque ftatus, dignitatis, ordinis, aut conditionis exiftant, concubinas, five focarias, aut alias mulieres quascunque de incontinentia fufpectas, quas fecum in dote, & domibus propriis, aut alienis, tenent, fovent, & habent, rejiciant, & defiftant, ac eas a domibus propriis, & aliorum penitus dimittant: nec eis amplius converfari, aut eas accedere præfumant; ut fic a concubinatus fcelerata fœditate purgati in Domo Domini digne valeant famulari: fub pœna decem florenorum Nobis ad Cameram noftram irremiffibiliter perfolvendorum.

De Inftitutionibus.

Fama referente accepimus, quomodo nonnulli Clerici, maxime peregrini, de quorum Sacerdotio, vita, & moribus nemini conftat, non per verum inftitutionis oftium, fed aliunde tanquam fures & latrones, plures Ecclefias & Beneficia Ecclefiaftica noftræ Diœcefis, cura & regimine animarum, a Nobis, aut noftro in Spiritualibus Vicario non obtenta, intrant, adminiftrationes de manu laici recipiunt, & jam receptas tenent, ficque in veftimentis ovium, lupi rapaces, intrantes ovile, non ut gregem Dominicum folatio reficiant, fed potius ut fuæ aviditatis ingluvie de lana ovium valeant fatiari; feque de confeffionibus, abfolutionibus, & aliis, quæ funt de cura animarum, intromittunt: unde fimplices homines decipiuntur, periclitantur animæ, & perfæpe idololatria, ac multa fceleftiffima fcelera, Divinam Majeftatem offendentia committuntur. Ne igitur tam periculofa calliditas per impunitatis licentiam fortius invalefcat, præfenti conftitutione ftatuimus & ordinamus: quatenus omnes & finguli Archi-Presbyteri in fuis fedibus, omnes Clericos beneficiatos, & præfertim curam habentes animarum, noftra authoritate ad fe evocent, de ipforum Sacerdotio, præfentationibus, inftitutionibus, & præcipue de cura & regimine animarum, informationem fufficientem ab eisdem, & quolibet ipforum recepturi. Et fi quos non Sacerdotes, vel alias injufte vel dolofe in pafturam ovium intraffe repererint, mox detineant, & detineri faciant, Nobis, aut noftro in Spiritualibus Vicario ulterius ad Curiam noftram Wratislavienf, transmittendos: invocato etiam ad hoc, fi opus fue-

fuerit, brachio feculari, quos tanquam animarum feductores ita caftigare curabimus, ut exemplo illorum addifcant cæteri, a talibus verfutiis & actibus fcandalofis abftinere.

De rebus Ecclefiæ non alienandis.

Quoniam nonnulli noftræ Diœcefis, cenfus, & proventus fuorum Beneficiorum in ufus prophanos difpergunt: & dum cenfus fub reemptionis claufula comparati, reemuntur, pecunias capitales ad fe recipiunt, dilapidant, & confumunt. Plures etiam ex pacto iniquitatis, quo Ecclefias, & Beneficia fua intrant, Patronis ipforum indulgent, ut certos cenfus ab eorum Beneficiis diftrahant, & in ufus fuos beneplacitos convertant, in animarum fuarum grave periculum, & Beneficiorum Ecclefiafticorum difpendia, & gravamen, unde plura Beneficia tanquam exhaufta, inania, & evifcerata depereunt, & quafi exulantia a memoria hominum in terram oblivionis relegantur. Nos vero, qui Divinum cultum noftris temporibus diligimus adaugeri, tantæ malitiæ viam præcludere, & tam jacturofis difpendiis occurrere cupientes: infuper ftatuimus, & ordinamus, quatenus tam noftræ majoris, & aliarum Collegiatarum Ecclefiarum Prælati, Canonici, Vicarii, Manfionarii, Altariftæ; necnon Clerici Beneficiati, Curati, & non Curati, univerfi & finguli, per noftram Wratislavienf. Diœcefim ubilibet conftituti, omnia privilegia, fub quocunque tenore verborum, & quacunque authoritate data, indulta, & conceffa, feorfum, & in una charta, nec non omnes & fingulos cenfus, reditus, decimas & proventus, ubi & in quibus villis, vel locis, & quibufcunque rebus, feu decimis confiftant, ad ipfos & eorum Dignitates, Perfonatus, Canonicatus, Præbendas, Officia, & Beneficia curata, & non curata, ad Capellas, five Altaria, in limitibus Ecclefiarum fuarum exiftentes, tam communiter & collegialiter, quam feorfum, & divifim, & fingulariter fpectantes, & fpectantia: nec non libros, calices, ornamenta, & alia clenodia Ecclefiaftica, fimiliter in alia charta figillatim determinata, & juxta originales fundationes, erectiones, inftitutiones, incorporationes, & privilegialium, ac aliarum quarumcunque literarum cenfualium, tam fub hæreditario, quam fub reemptione, & aliis quibufcunque titulis datarum, continentias, & tenores fideliter confcribant: & quilibet feorfum pro fuo intereffe fub propriis expenfis confcribat, & confcribi faciat, & confcripta infra duorum menfium fpatium a die prefentis Synodi continue & immediate fequente, de Præbendis, Dignitatibus, & Beneficiis quibufcunque, in noftra Wratislavienf. & aliis Collegiatis Ecclefiis, Præpofito & Decano, aut in eorum abfentia immediate duobus Prælatis: de Beneficiis vero extra eafdem Collegiatas Ecclefias conftitutis, Archipresbyteris fedium dent, tradant, præfentent: & quilibet eorum det, tradat, & præfentet integre, & cum effectu Nobis quatenus apud noftram Wratislavienf. Ecclefiam, tanquam matrem reponi, & fideliter confervari valeant, ulterius transmittenda; ne per amplius ipfi, aut ipforum aliqui fraudibus in executionem, diffipationem, dilapidationem, & fundamentalem deftructionem privilegiorum, cenfuum, redituum, & aliorum bonorum Ecclefiafticorum machinari: fed potius hæc omnia præmiffa aufcultatione originalium per decreti noftri interpofitionem confervari valeant, & adaugeri; alioquin fpacio duorum menfium decurfo, fi fecus fecerint, ultra pœnam Synodalem, quam contra facientes incurrere volumus ipfo facto ad alias pœnas quantum de jure poterimus procedemus.

Volumus etiam, quatenus ipfi, & quilibet ipforum cenfus, reditus, & proventus, fuis Beneficiis non incorporatos, ac Beneficia quæcunque in noftra Diœcefi de novo erecta, & fundata, nedum per Nos confirmata, infra unius menfis fpacium, a die præfentis Synodi, incorporari, & confirmari difponant cum effectu: ne ex eorum defidiofa negligentia dicta Beneficia non confirmata, & cenfus non incorporatos, tractu temporis aboleri, minui contingat, & fraudari; alioquin fi fecus fecerint, ex tunc dicto termino decurfo, ipfos, & quemlibet ipforum, fpiritualium bonorum laniatores, & deftructores animadverfione condigna caftigare curabimus, cenfura qua convenit Ecclefiaftica mediante.

De

De Testamentis & ultimis Voluntatibus.

Volumus etiam, ut tam nostræ majoris, quam etiam aliarum Ecclesiarum Collegiatarum Prælati, Canonici, Custodes, Subcustodes, Vicarii, Præcentores, Mansionarii, nec non Clerici habentes Beneficia Ecclesiastica, curata & non curata, per nostram Diœcesin ubilibet constituti, omnes & singuli, & singulariter unusquisque de Beneficio suo Ecclesiastico, etiamsi dignitas aut personatus fuerit, dummodo tamen in taxa communi ad valorem annuum decem marcarum, vel ultra se extenderit, unum florenum Hungaricalem: si autem in taxa communi ad quinque marcas, vel ultra non tamen ad decem marcas se extenderit, annuatim unum medium florenum: si vero mansionaria, altare, aut aliud beneficium vel officium fuerit, quod ad quinque marcas in communi taxa se non extendat, unum fertonem in suo testamento testari, donare, & assignare debeat, & teneatur. Alioquin si testator Beneficium, seu Beneficia, Personatus, & Dignitates, si quod, vel quæ habet, tacitus in suo testamento prætererit, extunc dictum testamentum, si sic dici meretur, viribus evacuamus, volentes ipsum intestatum decessisse, atque id nullius esse roboris vel momenti. Si autem intestatus decesserit, extunc de omnibus per eum derelictis pro quolibet Beneficio, quod tempore mortis habuit, vi præsentis nostræ constitutionis, modo quo supra ante omnia debita portio deducatur, & hinc inde Beneficiis suis assignetur: aliis constitutionibus de testamento & ultimis voluntatibus, nec non de peculio Clericorum, tam a jure communi, quam etiam consuetudinibus editis a nostris Prædecessoribus, & a Nobis huc usque tentis, & observatis, semper salvis, & in firmitate duraturis. Insuper mandamus; quatenus omnes & singuli Clerici & laici utriusque sexus, cujuscunque dignitatis, status, gradus, aut conditionis existant, testamenta, & ultimas voluntates, per quascunque personas facta, edita, & ordinata, aut in futurum facienda, edenda, & ordinanda, factas, editas, & ordinatas coram Nobis, aut nostro in hac parte deputato, vel deputando Commissario, infra duorum mensium spacium, a præsentium insinuatione continue, & immediate computando, in medium offerant, & producant: de præmissis testatis, legatis, & assignatis, & eorum fideli executione & dispositione juxta testamentorum, & instrumentorum desuper editorum continentiam & tenorem, integram & sufficientem rationem reddituri, ut tenentur. Alioquin si secus fecerint, extunc dicto termino evoluto, omnia & singula testata, legata, & donata a præmissis testamentariis, censura qua convenit mediante, integre repetere, voluntatem quoque dictorum testamentorum authoritate nostra ordinaria exequi curabimus, & adimplere: dictorum testamentariorum contradictione, negligentia & rebellione non obstantibus, quos nihilominus pro tanta desidia & negligentia castigare non omittemus.

Statuimus etiam pœnis sub præmissis, ut in qualibet Ecclesia post elevationem vivifici Sacramenti Corporis Domini nostri JESU CHRISTI, in summa Missa cantetur Antiphona: *Contere Domine fortitudinem inimicorum Ecclesiæ tuæ* &c. cum Versiculis & Collectis a Nobis desuper institutis: quatenus propitiationis Agnus precibus nostris placatus, omnium adversitatum horrores tranquillet ad pacem sempiternam.

Insuper ordinamus, ut quilibet Sacerdos in nostra Diœcesi constitutus, in omnibus suis Missis istas clausulas in fine ultimæ Collectæ, & in Secreto, ac complenda: *Pacemque tuam*, &c. Et *Famulum tuum Antistitem nostrum, cum omnibus suis commissis*, &c. adjicere, & imponere non omittat pœnis sub præmissis.

Item ordinamus sub jam dicta Synodali pœna, ut in qualibet Ecclesia nostræ Diœcesis, singulis diebus mane & sero pulsetur campana pro pace & unitate Ecclesiæ.

De Sententia Excommunicationis.

Ad vitandum scandala, & multa pericula, quæ evenire solent conscientiis timoratis: statuimus & ordinamus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel perceptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra prætextu cujuscunque sententiæ,

tiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensione, aut prohibitione ab homine, vel a jure generaliter, vel specialiter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare: nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerint, in vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, vel certam, a Judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expresse: aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, qnod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari: nam tunc solum a communione illius abstineri volumus, juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos, in aliquo non intendimus relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

De Clandestina desponsatione.

Insuper mandamus pœnis sub præmissis, quatenus nullus Presbyter in contrahendis matrimoniis aliquas personas copulare præsumat bannis non præmissis: sed prius in Ecclesiis publice coram plebis multitudine tria proponat edicta, ut qui voluerit, & valuerit, legitimum imponat impedimentum. Presbyteri etam medio tempore, tam a partibus copulandis, quam etiam ab aliis de impedimentis diligenter inquirant. Et si nec per impositiontm, nec per investigationem de impedimento constiterit, eos copulare non omittant. Si autem per oppositionem cujuscunque, aut alias contra copulam in facie Ecclesiæ consumandam probabilis apparuerit conjectura, mox contractus interdicatur: nec tunc ad consummandum matrimonium in facie Ecclesiæ admittatur, donec quid fieri debeat, per Nos, aut nostrum Officialem, sint edocti. Certificantes eosdem, quod si secus fecerint, quod tunc contra eosdem ad pœnam Synodalem, ac ad alias pœnas vigorosius procedemus: aliis pœnis, tam in contrahentes, in forma Ecclesiæ, quam etiam copulantes eosdem, semper salvis, & in sui firmitate duraturis: a Nobis nihilominus contra eosdem exequendis.

De Celebratione Missarum.

Quoniam nonnulli Ecclesiarum Rectores magis appetentes otiis effœminari, ac sceleribus, quam fructuosis exerceri laboribus: seminalis operationis exercitatione postposita, adeo otiationis enervantur desidiis, ut vix in Ecclesiis suis infra uniuś hebdomadæ decursum unam Missam: plures etiam Altaristæ (quod deterius est) in suis Beneficiis per integrum anni circulum nullam Missam celebrent, nec ab aliis suo loco disponunt celebrari: unde crescit indevotio in fidelium cordibus, ita ut plures a Beneficiorum fundatione, dotatione, & aliis piis causis retrahantur, & multa incommoda suscitentur. Nos igitur tanti otii sterilitatem, quæ pravæ sobolis solet fœcunditate imprægnari, excutere, ac Clerum nostrum a negligentiæ somno suscitare affectantes, hac nostra Synodali constitutione sancimus, ut quilibet Presbyter curatus in sua Parochiali Ecclesia singulis septimanis tres Missas ad minus, Altarista vero Missam per se, aut alium idoneum Presbyterum, celebrare teneantur, nisi ad plures celebrandas ex fundatione, origine, aut consuetudine sint astricti, sub pœna Synodali, a negligentibus ad Cameram nostram irremissibiliter persolvenda.

Volumus etiam & ordinamus, ut quilibet Clericus in Ecclesia, in qua Beneficiatus existit, singulis Dominicis, & aliis diebus, quibus ex ritu institutionis, & observantiæ Sanctæ Matris Ecclesiæ solennes fieri solent Processiones, ipsis Processionibus decenter habituatus intersit propria in persona: nisi per justam absentiam, aut aliam legitimam causam, ad quam probandam sit adstrictus, digne valeat excusari, sub pœna unius grossi usualis, quam negligentem, desidiosum, sive absentem, toties, quoties, incurrere volumus ipso facto. Prædictam autem pœnam in nostra Wratislaviensi Ecclesia, & in aliis Collegiatis Ecclesiis per Vice-Decanos: in aliis vero non Collegiatis Ecclesiis per Ecclesiarum Rectores exigi volumus & mandamus, ad alias pœnas nihilominus prout pravitas exegerit delinquentium, authoritate ordinaria processuri. Insuper ordinamus sub obedientiæ debito, & pœna Synodali districtius injungenda, quatenus omnes & singuli Clerici nostræ Diœcesis, & præsertim Collegiatarum,

&

& aliarum Ecclesiarum Parochialium Rectores, in Missarum celebrationibus, in jejuniorum & festivitatum observationibus, & aliis Divinis Officiis decantandis, in initio, medio, & fine collectarum, in accentibus Epistolarum, Evangeliorum, Præfationum, & in aliis cæremonialibus, eundem, quem nostra Wratislaviensis Ecclesia tenet ritum, morem, & Divinum ordinem, per Nos præsenti anno institutum, & in profuturum instituendum habeant, publicent, teneant diligenter & observent: seque etiam tanquam membra suo capiti pari vocis consonantia, & consonanti concordia in omnibus coaptent, & conforment: ne ex differentia rituum scissura fidei, aut vacillatio simplicium cordibus immittatur.

De Immunitate Ecclesiarum.

Sacrorum *Canonum* vestigiis adhærere cupientes, statuimus, & sub pœna Synodali firmiter præcipiendo mandamus: ne quis cujuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerit, impetratores litterarum nostrarum, aut Judicum Ecclesiasticorum nostræ Diœcesis, super causis, negotiis, seu quæstionibus, quæ de jure, aut antiqua consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinere noscuntur, ad desistendum, vel in foro sæculari de quæstionibus hujusmodi litigandum, per captionem nunciorum, processuum, & literarum lacerationem, rerum, & bonorum ablationem, modisque aliis quibuscunque compellat, seu compelli faciat, vel procuret: nec per se aliosque impediat, quominus coram Judicibus Ecclesiasticis nostræ Diœcesis, in præmissis causis, aut aliqua ipsarum, possint libere justitiam obtinere. Si quis vero contra præsumpserit, ultra pœnam Synodalem excommunicationi se ipso facto noverit subjacere, cujus absolutionem Nobis specialiter reservamus. Inhibentes nihilominus omnibus tam Religiosis, quam sæcularibus Presbyteris, ne sic delinquentibus, & jurisdictiones Ecclesiasticas perturbantibus, munus absolutionis impendere præsumant, etiamsi authoritatem nostram in absolutione meruerint obtinere, nisi hoc eis specialiter concedatur. Sed eos, & quemlibet ipsos tanquam excommunicatos publice vitare, ac eosdem in suis sermonibus coram plebe singulis diebus Dominicis denuntiare, ad Nos quoque pro absolutionis beneficio obtinendo remittere debeant, & teneantur sub pœna Synodali ab eis postulanda.

Volumus etiam, ut hi, qui faciunt, impediunt, vel procurant per se, vel per alios quoquomodo, ne ad eos possit citatio pervenire: vel quorum domicilia, sive loca non possunt tuto libereve adiri, per citationes januis nostræ majoris Wratislaviensis Ecclesiæ, aut aliarum vicinarum Ecclesiarum affixas citari valeant, & artent hujusmodi citationes post lapsum termini, quem distantia considerata locorum citationibus ipsis apponi convenit competentem, ac si ad eos personaliter pervenissent: ita ut Judex contra talem procedere poterit, tanquam contra contumacem. *Hæc de Statutis Synodalibus Domini PETRI, Episcopi Wratislaviensis.*

Impressa fuere Nurembergæ anno 1512. per Hieronym. Holtzel, expensis Francisci Klose de Wratislavia, recusa Wratislaviæ anno 1585.

Leguntur etiam apud *Lunig. Continuat. II. Spicilegii Eccles. pag.* 1205.

CONCILIUM CONSTANTIENSE

Anno Christi MCCCCLXIII. die S. Galli. Pii II. Pp. VI. Friderici III. Cæs. XXIV.

SUB BURKARDO EPISCOPO.

TITULI.

III. De Renuntiationibus Beneficiorum.
IV. De Temporibus Ordinationum.
V. De Filiis Presbyterorum.
VI. De Clericis peregrinis.
VII. De Majoritate & Obedientia.
VIII. De Judiciis.
IX. De Foro competenti.
Ad idem, sive Capitulum Libri II. cujus tenor scriptus de verbo ad verbum: Ut ecce.
X. De Probationibus.
Ad idem.
XI. De Sententia & re judicata.
XII. De vita & honestate Clericorum.
Ad idem.
XIII. De cohabitatione Clericorum & Mulierum. Rubrica.
Basiliensis Concilii Decretum.
XIV. De Clericis non residentibus.
XV. De Præbendis.
XVI. De Portione competenti.
XVII. De Institutione.
Ad idem in Lateranensi Concilio.
XVIII. De Testamentis & ultimis voluntatibus. Ad idem.
XIX. De Parochiis & Parochianis.
Ad idem.
XX. De Regularibus.
Ad idem.
Ad idem.
XXI. Idem de Monialibus.
XXII. De Lulhardis & Beguttis.
XXIII. De custodia Eucharistiæ & Reverentia Sacrorum.
XXIV. De Sponsalibus & Matrimoniis.
XXV. De Judæis.
Ad idem de Judæis.
XXVI. De Adulteris.
XXVII. De Raptoribus.
XXVIII. De Usuris.
XXIX. De Pœnis.
Ex eadem generali Synodo Basiliensi: Ad evitanda scandala.
Ad idem ex eadem generali Synodo.
Ad idem ex Statuto Henrici Prædecessoris nostri.
XXX. De Magistris.
XXXI. De Pœnitentiis & Remissionibus.
Ad idem. Ad idem. Idem. Idem.

BURCHARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS CONSTANTIENSIS, UNIVERSIS SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM PRÆLATIS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CANONICIS, CAPPELLANIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAM CONSTANTIENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, PRÆSENTIBUS ET FUTURIS SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

AD firmitatem pastoralem licet immeriti disponente Domino assumpti, & in vinea Domini Sabaoth super operarios Paterfamilias constituti, vellemus libenter in residuo dierum nostrorum nostre sollicitudinis sarculo vicia arcere, & virtutes plantare & nutrire, & que bonos dehonestant mores, quantum in Nobis est, reformare. Quoniam autem propter ipsius malitiam nulla lex prodita, etiam quantumcumque perpenso digesta consilio ad humane nature varietatem, & . . . . . ejus dupplicitates videtur sufficere. Ideo novis morbis ingruentibus nova HUMANE salutis antidota preparamus. Nec videtur absurdum, si propter mutationem rerum & temporum varientur statuta hominum. Horum consideratione inducti, plures Constitutiones Synodales felicis recordationis Predecessorum nostrorum in diversis codicibus dispersas, quarum alique in oblivionem transierunt, &, an vim constitutionum habent, a plerisque in dubium vertebatur, & alique propter earum dispendiosam traditionem confusionem inducere videbantur, ad communem Cleri, & subjectorum nostrorum fructum & utilitatem in unam compilationem providimus com-

Burchardus hoc nomine de Randeck, Episcopus Constantiensis, Vir humilis, solicitudinis & tranquillitatis studiosissimus, optimus Oeconomus, teste *Bruschio*. Fit Episcopus Constantiæ anno MCCCCLXXII. Præfuit tribus annis & aliquot mensibus, obiit MCCCCLXXV. At *Strumpfius*, *Hafnerus*, *Bucelinus*, & *Hubnerus* illum jam anno MCCCCLXII. scribunt electum. *Pregizerus in Catalogo Episcoporum Constantiensium pag.* 457. *Sueviæ & Wittenbergiæ sacræ.*

compendiosius redigendas, quibusdam interdum mutatis, & penis adjectis, & superfluis amputatis, & aliquibus novis adjectis, que a jure & Sacris Generalium & Provincialium Conciliorum sanxitis fundamentis equitati deserviunt, & debitam continent honestatem, que per vos, & unumquemque ... auctoritate nostra ordinaria precipimus inviolabiliter custodiri. Volentes & presentibus statuentes auctoritate eadem, ut universi Nobis subjecti hoc tantum volumine seu libello pro Constitutionibus nostris Synodalibus in futurum utantur, quod quidem volumen sub sigillo nostro quilibet Decanus Nobis subditus habere teneatur, per eum, seu ejus vices gerentem in Capitulo rurali Confratribus suis, & aliis, quorum interest, singulis annis, qualibet excusatione cessante, bis ad minus publicandas.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Inprimis igitur omnia & singula in Sacro *Provinciali Concilio Maguntinensi* dudum celebrato per recolende memorie quondam Dominum CONRADUM tunc Archi-Episcopum, & Metropolitanum loci, tam de Fide Catholica, quam veneratione & memoria Passionis Domini nostri JESU CHRISTI, & ipsius Beatissime Matris semperque Virginis MARIE, ac reformatione morum provide statuta & ordinata, que hic volumus haberi pro expressis, devotissime suscipimus, & illa ab omnibus subditis nostris inviolabiliter observari mandamus, indulgentiasque plures, scilicet quadraginta dierum per Civitatem & Diocesim nostras omnibus contritis & confessis, qui juxta mentem eorundem statutorum contra hereses Johannis Wikleff, Johannis Huss, & Hieronymi de Praga damnatorum operam & efficatiam dederint, ac illis, qui memoriam Passionis Domini nostri JESU CHRISTI, seu venerationem Gloriosissime Virginis MARIE deinceps egerint, de DEI Omnipotentis misericordia, auctoritate nostra ordinaria de injuncta eis penitentia elargimur.

Ad idem.

Quamvis a sacris Canonibus & Sanctorum Patrum traditionibus contra manifestos Sanctorum blasphemos, & damnatum, & abhominabile ydololatriæ scelus, videlicet incantationes, superstitiones, & sortilegia phytonum & phytonissarum in locis diversis sufficienter cautum & provisum existat, quia tamen, quod mentis amaritudine referimus, adhuc vicia talia in multis locis Nobis subjectis existunt in usu, quapropter erroribus & periculis exinde indies consurgentibus, quantum in Nobis est, obviare cupientes, districte statuto presenti perpetuo duraturo precipimus, ut contra tales Statuta Canonum desuper edita summa cum diligentia ab universis Nobis subjectis practicentur, & in confessionibus de peccatis hujusmodi solers fiat inquisitio, ut tam mares, quam mulieres talia exercentes, a communione Sacramentorum excludantur, ac pro absolutionibus ad Nos, vel Vicarium nostrum remittantur. Et nihilominus, si qui publici blasphemi reperti fuerint, vel de ejusmodi incantationibus & superstitionibus ab Ecclesia reprobatis se intromiserint, vel eisdem fidem adhibuerint, ut ab his infra breve tempus eis statuendum desistant, volumus moneri sub pena suspensionis a Divinis & Ecclesiastica sepultura, a qua non nisi per Nos, vel Vicarium nostrum, aut nostros Superiores valeant liberari. Hoc etiam statutum nostrum salutiferum, ne quis illius ignorantiam pretendere possit, volumus per regentes curam animarum in Cancellis Ecclesiarum si & quotiens expedire visum fuerit, solemniter publicari.

De Officio Decani Rubrica.

Indemnitatibus Ecclesiarum & Beneficiorum, que frequenter propter eorum longam vacantiam grandia in spiritualibus & temporalibus dispendia patiuntur, occurrere volentes BURCHARDI olim Episcopi Constantiensis, Predecessoris nostri vestigiis inherendo statuimus, ut quilibet Decanus, seu vices horum tenens, singulis annis ad minus bis, scilicet in quibuslibet sex mensibus semel in presentia Confratrum suorum in loco Capitulari congregatorum de omnibus Beneficiis infra Decanatum suum vacantibus, curatis & non curatis, que ultra tempus Collatoribus seu Patronis eorundem a jure statutum vacaverint: nec

non de ipsis Collatoribus & Patronis, ac eorum nominibus diligentius inquirat, Nobis, seu Vicario nostro in Spiritualibus illa cum suorum Patronorum & Collatorum nominibus quamprimum commode possit, sic tamen, quod istud ultra duorum mensium spatium non differat, post inquisitionem hujusmodi in scriptis notificet. Quod si facere obmiserit, penam suspensionis ab officio Divinorum dicto duorum mensium spatio lapso incurrat, quam etiam penam quilibet Confratrum, qui super premissis requisitus ea Decano scienter celaverit, incidat simili modo. Verum quia nonnulli pretextu literarum Apostolicarum, quas se impetrasse mentiuntur, Ecclesiastica Beneficia vacantia propria temeritate in periculum animarum suarum occupare presumunt, ordinamus, ut de cetero quilibet Decanus, seu ejus locum tenens, tam eorum, qui infra suum Decanatum Ecclesiastica Beneficia vigore literarum Apostolicarum assequuntur, quam etiam Beneficiorum & Patronorum eorundem nomina infra mensis spatium a tempore assecutionis hujusmodi computandum, Nobis, vel Vicario nostro rescribat, seu notificet, alioquin similem penam, ut prefertur, dicto mense lapso incurrat, tempus autem a jure datum pro conferendis Beneficiis Patronis Ecclesiasticis sex menses, laicis vero quatuor intelligatur.

Ad Idem.

Præterea statuimus & ordinamus, ut quilibet Decanus, seu ejus locum tenens infra proximos tres menses a publicatione presentium, omnes suos Confratres, ceterosque Presbyteros seculares, & Religiosos infra suum Decanatum Beneficia Ecclesiastica inofficiantes, de quorum titulis, seu induciis sibi non constat, ad ostendendum sibi investituras, aut inducias Beneficiorum suorum moneat, & eos qui infra quindecim dies ammonitionis hujusmodi illas sibi non ostenderint, ab inofficiatione Beneficiorum suorum auctoritate nostra in scriptis cum insercione cause suspensionis suspendat, & de cetero nullum infra suum Decanatum ad inofficiandum aliquod Beneficium Ecclesiasticum, nisi sibi prius ostenderit investituram, aut inducias sigillatas, scienter toleret, & admittat. Quod si quempiam talium literas suas, ut prefertur, sibi non ostendentem, in regimine, & inofficiatione Ecclesiastici Beneficii contra premissa tolerare presumpserit, ipsum, ut supra mandatur, non suspendendo, extunc aliis quindecim diebus elapsis suspensionis sententiam propter hujusmodi negligentiam suam incurrat ipso facto: sit etiam forma suspensionis, quam in scriptis Decani ferant: Quia tu monitus, ut titulum, vel inducias tui Beneficii ostenderes, infra quindecim dierum spatium hujusmodi mandato non paruisti, nec titulum ostendisti; ideo auctoritate mihi concessa te in his scriptis a Divinis suspendo, & suspensum denuntio. Quam formam etiam in aliis censuris infligendis juxta causarum exigentiam volumus observari.

Ad Idem.

Considerantes, quod Decani rurales pro eo constituuntur, ut Clericorum honestatem, & Confratrum utilitatem procurent, excessus eorum referant, mandata nostra, Vicarii, & Officialis nostrorum debite exequantur, & singula, que a Superioribus mandantur, ad notitiam Confratrum suorum deducant: que cum a Decanatibus suis absentes nequeant adimplere, statuimus & ordinamus, ut quilibet Decanus nostre Diocesis teneatur residentiam facere infra suum Decanatum personalem, decernentes, ut absentes a suis Decanatibus Decani, nisi infra mensem proximum a publicatione presentium ad residentiam taliter, se cum effectu receperint, & etiam illi, qui se de cetero a suis Decanatibus absentaverint, animo alibi residendi, seu domicilium extra Decanatum suum constituendi, & fovendi in absentia hujusmodi per unum mensem perstiterint ab hujusmodi suis Decanatibus lapso mensis spatio predicto sint eo ipso privati, moxque Camerarius teneatur Confratres Capitulares pro alterius Decani electione convocare, & alium Decanum cum eisdem eligere. Quod si Camerarius infra quindenam post lapsum dicti mensis spatii facere neglexerit, sit eo ipso ab Officio Divinorum suspensus.

Ad

Ad Idem.

Hac insuper constitutione universis, & singulis Decanis Nobis subjectis precipimus, ut notorios excessus, & presertim illos, quibus Ecclesia scandalisatur quorumcunque infra suum Decanatum Beneficiatorum, seu aliorum Clericorum infra duos menses a tempore notitie sue computandos, Nobis, seu Vicario nostro notificent, & conscribant. Quod si quis facere neglexerit, & hujusmodi statutum executus non fuerit cum effectu propter Omnipotentis Dei misericordiam, quam incurrit, pena condigna, per Nos, aut nostrum Vicarium puniatur, & mulctetur. Sunt autem scandalosi excessus, furtum manifestum, homicidium, fornicatio scandalosa Presbyteri, & adeo notoria, quod nulla potest tergiversatione celari. Item si Clericus literatorie excommunicatus publice, & in forma Ecclesie celebraret, vel ministraret legendo Evangelium, seu Epistolam. Item si Clericus usuram manifeste exerceret. Item si Clericus cujuscunque gradus post monitionem Decani se tabernis, lupanaribus, & actibus illicitis notorie immisceat, & his similes.

Insuper ordinamus, ut nullus in Decanum ruralem nostre Diocesis electus, aut eligendus, nondum confirmatus officium Decani ante confirmationem suam a Nobis, vel Vicario nostro obtinendam, exercere, aut se Decanum nominare, vel scribere, vel pro tali gerere quomodolibet presumat: formam autem juramenti per Decanum quemlibet in sua confirmatione prestandi talem esse volumus juxta ad Nos deductam, & longeve observatam consuetudinem, ut sequitur: Primo videlicet jurabit, quod mandata nostra, Vicarii, & Officialis nostrorum pro tempore existentium reverenter exequatur, ut Nobis, & eisdem fidelis erit, quodque officium, ad quod electus est, fideliter exercebit absque dolo, & fraude. Item quod penes se habeat statuta Synodalia, & illa in anno quater, vel evidenti se dante necessitate, vel impedimento, minus bis Contratibus suis ad intellectum publicabit, eaque inviolabiliter observabit, & ab aliis quantum in eo est, observare faciat dolo, & fraude semotis. Quod insuper excessus Contratrum suorum, prout ad se spectat, corrigere, incorrigibiles vero pro eorum excessibus pro quibus deferendi sunt Nobis, vel Vicario, seu Officiali nostris deferre non tardabit.

Ceterum quamvis ex Predecessorum nostrorum, & etiam nostra concessione diu tolerata, Decanis locorum competat facultas, Ecclesiis per obitum vacantibus ad mensis spatium, a die vacationis earundem computandum, per personas ydoneas providendi in Divinis & animarum cura, nolumus tamen, quod induciis authoritate nostra ordinaria ad Ecclesias ipsas, vel alia Beneficia vacantia concessis exspirantibus, ipsi Decani illis perinde providendi absque nostra, vel Vicarii nostri speciali licentia aliquam habeant facultatem, alioquin si secus per ipsos actum fuerit, decernimus viribus carere.

De Renuntiationibus Beneficiorum.

Universis nostri Episcopatus Ecclesiasticis Personis Beneficiatis districtius prohibemus, ne Beneficia nostrarum civitatis, & Diocesis debeant aliter, quam in manus nostras, seu Vicarii nostri, vel Superioris ad hoc potestatem habentis dimittere, vel resignare, aut illa aliis, nulla super hoc a Nobis, vel Vicario nostro, vel alterius ad hoc potestatem habentis licentia relinquere. Quod si secus actum fuerit, ad hujusmodi resignata, & dimissa Beneficia, per Nos, vel Vicarium nostrum, nisi forte ex causa rationabili tales resignationes auctoritate nostra approbarentur, seu ratificarentur, quisquam nullatenus instituatur.

De temporibus Ordinationum.

Sepe contigit, quod nonnulli Clerici civitatis, & Diocesis nostrarum vinculo excommunicationis astricti, aut apostate, seu irregulares, vel ydiote, aut alias susceptione Sacrorum Ordinum indigni, in remotis partibus per alienos Episcopos quandoque furtive, & quandoque per saltum, & interdum extra statuta tempora, & alias indebite se faciunt contra Statuta Sacrorum Canonum promoveri, & deinde se a Romano Pontifice, vel alias debite promotos mentientes, in Sacris Ordinibus presumunt ministrare; volentes igitur his pro execu-

cutione juris communis juxta posse providere, statuimus, ut nullus civitatis, & Diocesis nostrarum Clericus, absque licentia speciali Nostra, seu Vicarii nostri ad Sacros Ordines promotus, in ordinibus hujusmodi in civitate, & Diocesi nostris ministrare presumat, seu ad executionem ordinum taliter susceptorum per aliquem admittatur, ymo ipsum, & quemlibet ipsorum sic furtive promotorum ab ingressu Eccesie suspendimus, donec, & quousque de ordinibus suis coram Nobis, vel Vicario nostro docuerit, & quod admitti debeat, nostris, seu Vicarii nostri literis patentibus ostendat. Si quis autem hanc constitutionem transgredi, & contra illam in susceptis ordinibus non admissus, ut predicitur, ministrare presumpserit, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, quam etiam extunc per Decanum, & alios Confratres, apud quos tales moram fecerint, ipsos incurrisse denuntiari volumus, & publicari.

De Filiis Presbyterorum.

Sacris disponentibus ordinationibus Filii Sacerdotum in Ecclesiis Patrum ministrare, aut eas, aut alia in eisdem Beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinere, & ipsi, & alii illegitime nati, seu ex illegitimo coitu procreati, sine dispensatione Sedis Apostolice Beneficia curata obtinere prohibentur, & si ex dispensatione hujusmodi unum curatum obtineant, deinde tanto defectu natalium, quem patiuntur, a sede prefata, ut duo, vel plura Beneficia similem curam habentia recipere possint, & retinere valeant, si eis Canonice conferantur, obtineant, tales dispensationes, tanquam per surreptionem obtente nullius penitus sint momenti. Quapropter censentes, parum fore jura condere, nisi executionibus demandentur; Volumus, & statuimus, ut deinceps Sacerdotum Filii in suorum Patrum Ecclesiis in nostris civitate, & Diocesi ministrare, aut eas, seu alia Beneficia in eisdem quomodolibet obtinere non presumant, illaque extunc in antea per ipsos taliter contra juris dispositionem occupata, vacare decernimus, & eorum Collatoribus licentiam talia ydoneis conferendi presentibus assignamus, nisi cum ipsis per Sedem Apostolicam desuper fuerit dispensatum: eisdem Clericorum, & aliorum illegitime natis beneficiatis nostrarum civitatis, & Diocesis, presentibus injungentes, ut infra unius mensis spatium a publicatione presentium, de suis dispensationibus, tam super eo, quod in Ecclesiis Patrum ministrare, succedere, & in eis Beneficia obtinere valeant, quam super defectibus suis, & pro obtinendis uno, vel pluribus beneficiis, a Sede Apostolica obtentis coram Nobis, vel Vicario nostro doceant, ut animarum periculis, & Ecclesiasticis beneficiis debite provideatur. Quod si secus fecerint, contra ipsos secundum ordinationes predictas, prout de jure poterimus, procedemus.

De Clericis peregrinis.

Didicimus, quod in civitate, & Diocesi nostris plures peregrini, de quorum promotione non constat, in Sacris Ordinibus publice ministrent, & curam regant animarum, licet literas commendatitias & dimissoriales suorum Episcoporum nunquam ostendant. Volentes igitur in his providere, statuimus, ut deinceps nullus Clericus peregrinus, sive religiosus, sive secularis existat, ad executionem suorum ordinum infra civitatem, & Diocesim nostras in publico admittatur, nisi per literas nostras, seu Vicarii nostri se admittendum fore prius ostendat. Si quis autem contra hoc statutum per Nos, vel Vicarium nostrum non admissus, scienter ministrare, & de cura animarum se intromittere presumpserit, eo ipso excommunicationis sententiam incidat, quam etiam sententiam taliter delinquentes incurrisse, volumus denuntiari, certificantes quoslibet eorum taliter excommunicatos post hujusmodi denuntiationem celebrantes, suspensionis sententiam a jure in tales promulgatam incurrere, & exinde notam contrahere irregularitatis.

De Majoritate, & Obedientia.

Statuimus, ut unusquisque Decanus, Rector, Plebanus, Viceplebanus, sive Curatus Nobis subjectus, literas nostras, ac Vicarii, & Officialis nostrorum, nostraque, & eorum mandata reverenter ubique infra limites sue Parochie recipiat, & sine dolo ac fraude proxima Dominica die sequenti diligentius exequa-

quatur, nuntiosque literarum nullo modo prodat, sed pro viribus defendat, secus autem faciens, & constito de eo, puniatur. Volumus etiam & statuimus, ut de executione quorumcunque mandatorum, literarum, & processuum a Nobis, seu Vicario, vel Officiali nostris emissorum, dies, mensis, annus, nomen exequentis, & literæ executionis per Rectores, Plebanos, & Vice-Plebanos apponantur, ut sic videlicet executor scribat a tergo mandati ejusdem propria sua manu : *Executum est hoc mandatum per me N. Plebanum in N. anno infra scripto die tali, mensis talis* : ut de hujusmodi executione legitima fides per hoc habeatur. Alioquin si secus actum fuerit, per Officiales nostros gravius puniatur.

Inhibemus quoque, ne quispiam Clericorum Nobis subjectorum cuicunque Congregationi, Capitulo, aut Conventiculo, in quo quidquam in prejudicium status, & honoris Episcoporum Constantiensium, seu jurium Episcopalium tractetur, interesse dando consilium, auxilium, vel favorem, scienter, & dolose presumat, secus autem facientes, nostram incurrant, ultra penam juris, indignationem.

Et propterea considerantes, quod tum Ecclesiasticus Ordo confunditur, cum unicuique honor debitus non observatur, statuimus & ordinamus, quod de Ecclesiis Collegiatis, Conventualibus, seu Capitularibus antique honestates, & consuetudines approbate, debite observentur, & Prelatis eorundem in assurgendo, & aliis prerogativis debita reverentia & obedientia, cum sint calumpnie (*a*) Ecclesiarum earundem, exhibeantur tam a Canonicis, quam aliis Presbyteris simplicibus Ecclesiarum hujusmodi. Quod si quis transgressor hujus statuti repertus fuerit, in fructibus Prebende sue taliter puniatur, ut discat Superioribus honorem & reverentiam condignos impendere, & exhibere.

De Judiciis.

Quia matrimoniales cum dependentibus,& connexis, per eos,qui potestatem iudicandi habent, & Canonum Statuta non ignorant, tractari,& diffiniri debent, statuimus, & in virtute sancte obedientie mandamus, ut deinceps unusquisque Presbyter habens curam animarum, ac subditorum, quorum cohabitatio, vel separata habitatio, vel matrimonia,fama publica, vel veritates erronee (*b*) fuerint. Itaque (*c*) de his an jure subsistere possint, saltem probabile dubium exstiterit, tales postquam hoc sciunt, specifice moneant, ut super his infra duos menses proximos per declarationem decisionis, ut sententiam Judicum super his petant, & aliunde causam hujusmodi usque ad finem, quantum in eis est, prosequantur, alioquin taliter moniti si hec infra eosdem duos menses facere contempserint, Ecclesiastica Sacramenta eis in vita denegentur, & morientes peccata sua non confesse (*d*) careant Ecclesiastica sepultura. Presbyter autem Curatus, qui taliter monendo non processerit,per Nos vel Vicarium nostrum graviter, & condigne puniatur. Inhibemus quoque omnibus, & singulis subditis nostris Clericis, & laicis, cujuscunque status, aut conditionis existant, ne de excommunicatione, cognitione, vel decisione judiciali quarumcunque causarum matrimonialium aliter, quam per modum salubris consilii se intromittant, aut aliarum quarumlibet, de jure, vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum spectantium; secus autem facientes decernimus excommunicationis sententie eo ipso subjacere. Per hoc autem non prohibemus, quominus in causis, ubi transactiones locum habent, in arbitratores, & viros communes compromitti possit, per que discordiarum materie, & questiones celerius valeant terminari; dummodo talia in fraudem non fiant.

De Foro competenti.

Attendentes, quod laici de Ecclesiasticis negotiis intromittere se non debent,omnibus & singulis Ecclesiasticis Personis per civitatem, & Diocesim nostras constitutis interdicimus, ne quisquam laicorum, Clericum ad judicia laicalia, seu secularia dolose trahat, aut Clerici ad talia se trahi consentiant, vel hujusmodi vetita judicia subeant, seu ibidem ali-

(*a*) *forte*: columnæ (*b*) *error videtur in cod. MS.* (*c*) *addendum videtur*: si.
(*d*) *fors*: confessi

aliquatenus reſpondeánt, ſub cauſarum ſuarum ſic motarum, etiamſi in hujusmodi vetitis judiciis pro ipſis indicaretur, proditione & amiſſione: feudalibus tamen cauſis exceptis, quas prout de jure volumus pertractari.

Ad idem ſervetur Capitulum Libri ſecundi, *cujus tenor ſequitur de verbo ad verbum, ut ecce.*

Si diligenti, & infra. Aſſeruiſti (*d*) te uſque ad hec tempora tenuiſſe, quod ſit licitum Clerico renunciare ſaltem in temporalibus juri ſuo, & ſibi laicum judicem conſtituere, preſertim, ubi adverſarii voluntas accedit, ac tenere juramentum ſuper hoc interpoſitum reſpondiſti, immemor conſtitutionis, qua cavetur *Pacto privatorum juri publico minime derogari.* Cum igitur jus hoc in Milevitanenſi & Carthaginenſi (*e*) Conciliis ſpecialiter promulgatum ſit: " Ne " Clerici Clericos relicto ſuo Pontifice " ad judicia publica pertrahant: alioquin cauſam perdant, & a communione habeantur extranei; tam Epiſcopi, " quam Diaconi, ſeu quilibet Clerici in " criminali ſeu in civili negotio, ſi de- " relicto judicio Eccleſiaſtico publicis " judiciis ſe purgare voluerint, etiamſi " pro eis lata ſit ſententia, locum ſuum " amittant, & hoc in criminali actione; " in civilibus vero perdant, quod evi- " cerint, ſi locum ſuum maluerint obti- " nere. Manifeſte patet, quod non ſo- " lum inviti, ſed etiam voluntarii pa- " ciſci non poſſunt, ut ſecularia judicia " ſubeant, cum non ſit Beneficium hoc " *Perſonale*, cui renunciari valeat, ſed " potius toti Collegio Eccleſiaſtico pub- " lice ſit indultum, cui privatorum pa- " cto derogari non poteſt. Nec jura- " mentum licite ſervari potuit, quod " contra Canonica Statuta illicitis pactio- " nibus informatur.

Preterea inhibemus, ne de cetero quecunque Eccleſiaſtica perſona civitatis, & Dioceſis noſtrarum Nobis ſubjecta privilegium, auxilium, vel ſubſidium laicale contra Nos, ſive jurisdictionem noſtram ſibi qualitercunque aſſumat, aut invocet, vel ſibi procuret. Contrarium autem facientes eo ipſo excommunicationis ſententie ſubjaceant.

De Probationibus.

Ad obviandum fraudibus quorundam, qui literas de gratia, vel juſtitia a Nobis. vel Vicario noſtro, ſeu Officiali impetratas ſignari obtinent ab eisdem, ſicque ſolo ſigno contenti talibus literis pro ſigillatis utuntur. Attendentes, quod ſigna hujusmodi dumtaxat ſpecificant, quod litere, quibus appoſita ſunt per Sigilliferum noſtrum debeant ſigillari, preſenti conſtitutione decernimus omnes literas taliter impetratas, & in futuro obtinendas, nullius fore roboris, efficacie, vel momenti. Eos etiam, qui deinceps talibus literis pro veris, & efficacibus utentur, ſeu recipientes fraudulenter, excommunicationis ſententia hoc ſtatuto innodamus.

Ad Idem.

Quia ſicut didicimus, ſepe propter defectus probationum, cognationum ſpiritualium pericula conſurgunt animarum, eo quod ad *invicem* matrimonii Sacramento conſtrictis interdum cognationum ſpiritualium obſtant impedimenta, que difficulter, vel aliquando vix, vel non probari poſſunt. Hujusmodi periculis cupientes quo ad Nobis ſubjectos obviare, decernimus, & hoc ſtatuto perpetuo ſervari precipimus, ut Eccleſiarum per civitatem, & Dioceſim noſtras Rectores, Plebani, Viceplebani, & ſinguli Curati in baptiſando pueros ſubditorum ſuorum, levantium, & baptiſati nomina in regiſtro communi, quod in ſua Eccleſia habeant, conſcribant, & teſtes quamplures aſſumant: ſimiliter ſubditos ſuos inducant, & informent, ut deinceps in Confirmatione ſuorum puerorum coram Epiſcopo teſtes requirant diſcretos, & honeſtos, qui de Confirmatione, & tentione coram Epiſcopo, ac nomine tenentis, dum opus fuerit, teſtimonium valeant dare, ut facilius impedimenta hujusmodi, & minoribus laboribus, & expenſis valeant opportuno tempore comprobari.

De

(*d*) Innocentii III. De foro competenti Lib. II. Titulo II. Decretalium.
(*e*) Carthaginenſis Concilii Cap. XV. Tomo I. Concil. German. pag. 201. Africanos inter Canones LXXI. Tomo I. Concil. German. pag. 224.

De Sententia, & re judicata.

Intelleximus, quod interdum Ecclesiarum Curatarum, & Diocesis nostrarum Rectores, seu Plebani cum subditis suis in causis matrimonialibus, tam simplicibus; quam impedimentalibus in curiam nostram Constantiensem, ubi expediri debent, adveniant, & tales sententiis diffinitivis pretendentes sufficere, quod lectioni sententiæ intererant partes jubent sine sententiis, & literis recedere: sepius etiam contigit, quod latis hujusmodi sententiis partes earum suis Plebanis, & aliis asserunt eas aliter latas esse, quam sunt, & deinde secundario curiam nostram visitantes variant depositiones, & contrarias reportant sententias. Et quia aliquando propter temporis diuturnitatem de sententia constare non poterit, ex quo non modica pericula evenerunt animarum, ut experientia sumus edocti: volentes igitur periculis hujusmodi obviare presenti edicto districtius inhibemus, ne de cetero aliquis Ecclesiarum Rector, seu Plebanus premissa quomodolibet faciat, decernentes partibus asserentibus sententias pro matrimonio, vel contra matrimonium latas absque sententiarum literis debite sigillatis credi non debere, & nihilominus easdem asserentes, a Sacramentorum communione excludimus salvo mortis articulo, donec, & quousque sententias hujusmodi scriptas, & debite sigillatas obtineant, Rectores autem, & Plebanos Ecclesiarum, si deinde premissa perpetraverint, aut etiam quamcunque sententiam hujusmodi antequam illam scriptam, aut sigillatam videant, publicare presumpserint, per integrum mensem ab ingressu Ecclesie suspendimus, fructus Ecclesiarum suarum aliis per idem tempus cedentes inofficiantibus easdem, & subditis providentibus reservantes.

De Vita, & honestate Clericorum.

Presenti inviolabiliter duraturo prohibemus edicto, ne de cetero aliquis Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, aut Beneficiatus infra civitatem, & Diocesim nostras vinum sub mensura publice vendere, ministrando fercula, lectisternia, & hospitium ad modum publici hospitis, aut mercationes ad modum laicorum exercere, puta res venales pro lucro captando remissius emere, ut carius vendat, seu alias illicite mercari per se, vel interpositam personam quomodolibet presumat: si quis autem talia facere presumpserit, & ab hujusmodi negotiationibus non resipuerit, lucrum exinde captatum Fisco nostro decernimus applicandum.

Ad Idem.

Quoniam valde iniquum est, & pessimi exempli, ut tempore, quo Divina celebrantur officia, Canonici, & alii Clerici ad Divinum cultum deputati, qui devotissime psalmodie debent intendere, confabulationes aliaque inter se habeant colloquia ad Divinum cultum minime spectantia: statuimus, & ordinamus, ut Canonici & Clerici, qui tempore Divinorum inter se colloquia hujusmodi, seu confabulationes in choro habuerint, a presenciis, & Prebendarum, seu Beneficiorum suorum corporibus per unum diem irremissibiliter sint suspensi; & alias ad arbitrium Decani, aut ejus, ad quem spectat eorum correctio, puniantur. Qui si negligentes fuerint in hujusmodi correctione, eidem se pene noverint subjacere.

Insuper inhibemus, ne de cetero Canonici, vel Clerici tempore Divinorum per Ecclesiam cum laicis, vel aliis Clericis spaciari, vel deambulare presumant. Quod si contrarium fecerint, presenciis, & corporibus Prebendarum, & Beneficiorum suorum unius diei irremissibiliter careant, & alias ad arbitrium Decani, vel ejus, ad quem spectat eorum correctio, puniantur. Qui, si in hujusmodi correctione fuerint negligentes, eidem se pene noverint pari modo subjacere.

Rursus presenti constitutione prout etiam in Provinciali quondam Domini CONRADI Archi-Episcopi Maguntini sanxitum dinoscitur, volumus, precipimus, & ordinamus, ut Clerici nostrarum civitatis, & Diocesis, in civitatibus, & oppidis, presertim in Ecclesiis vestes longas Clericali statui decentes non subductas de vario, aut serico, nisi graduatus, aut Canonicus majoris Ecclesie Constan. vel nobilis existat, deferant, non sericas ab extra, non variatas, aut divisiatas, nec desuper ab extra duplicaturis

ris foderatas, ſed manibus ſtrictis,& alias decentibus utantur, non deferant calceos, ſeu ſotulares inhoneſtos, aut indecentes, non conſuticios extra talum, aut roſtratos, vel longis roſtris protenſos. Itinerantibus ex cauſa brevioribus veſtibus uti liceat, coronam vero, & tonſuram ſuo ſtatui, ordini, aut dignitati convenientes juxta Canonum Sanxiones deferant, nec armati incedant, neque gladios, aut cultellos longos portent, & niſi forte contra civitatem, & loca ſua eos pergere contingat, vel de licentia Superioris propter Perſonarum Eccleſie, & rerum ſuarum defenſionem id faciat.

Hujus autem ſtatuti tranſgreſſores ad unius menſis ſpatium a fructibus Beneficiorum ſuorum noverint ſe ſuſpenſos. Quorum fructuum diſpenſationem arbitrio noſtro reſervamus per premiſſa tamen *Colonienſis* : *ubi* de vita, & honeſtate Clericorum &c. Nec non Sacri Generalis *Conſtan.* & *Baſilien. Conciliorum* ordinationibus, & aliis juribus, que de indecentia veſtium tractant, non intendimus derogare.

Item, ut Clericorum maxime Beneficiatorum vita ſit exemplaris, & accepta univerſis Clericis Beneficiatis in ſacris, & Dioceſi noſtra conſtitutis conſtitutione preſenti diſtrictius inhibemus, ne ludis taxillorum, choreis, haſtiludiis torneamentis, & aliis ſpectaculis publicis, & prohibitis interſint, aut talia exerceant, prout penas condignas in contrafacientes facti exigente qualitate auctoritate noſtra infligendas, voluerint evitare.

Et inſuper excogitatis habituum novitatibus contra decentiam Clericalem obviare volentes, preſenti conſtitutione noſtra ſanximus diſtrictius prohibentes, quod deinceps nullus Clericus Religioſus, vel ſecularis noſtrarum civitatis, & Dioceſis mantellos ab una in toto clauſos, & alia partibus in ſcapula nodatos, & uſque ad fimbriam ſciſſos taliter, quod indumenta, que ſub illis geruntur, videri poſſint, ant veſtes, ſeu tunicas ante, & retro plicis conſutas deferre preſumant, ſed ſinguli veſtibus honeſtati Clericali, & cujuslibet ipſorum ordini congruentibus juxta juris, & *Provincialium*, & *Synodalium Statutorum* diſpoſitiones ſint contenti. Quodque comas non nutriant, ſed crines capitis ante, & retro non nimis longas deferant, prout Canonum, & Statutorum predictorum penas, ac noſtram, ac Canonicam ultionem voluerint evitare.

Simili modo precipimus, & mandamus, ut Clerici Beneficiati noſtrarum civitatis, & Dioceſis temporibus Divinorum Eccleſias in, & ſub quibus Beneficiati exiſtunt, abſque ſuperpelliciis non accedant, vel ſubintrent, contrarium facientes vice qualibet trium dierum ſpatio ſtipendiis ſuis Prebendalibus careant, in uſus fabrice convertendis. Quos etiam Decanis, Rectoribus, plebanis, & aliis in Eccleſiis Superioribus reverentiam debitam impendere volumus ſub noſtri gravi indignatione, & pena ſuperius expreſſa.

De Cobabitatione Clericorum, & mulierum rubrica.

Sancta Generalis Synodus *Baſilienſis* reformationem ſtatus Clericalis intendens inter alia conſtitutionem ſalubrem contra Clericos concubinarios edidit, per locorum Ordinarios publicandam, & exequendam, cujus quidem conſtitutionis ignorantiam ne quis pretendere valeat de Clero noſtro, illam preſentibus inſeri, & in ſtatutis noſtris aliis publicari, & diſtrictius volumus obſervari.

Cujus Tenor ſequitur, & eſt iſte:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRESENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" QUicunque Clericus cujuscunque
" ſtatus, conditionis, religionis,
" dignitatis, ſi etiam Pontifica-
" lis, vel alterius preeminentie exiſtat,
" qui poſt hujus conſtitutionis notitiam,
" quam habere preſumatur per duos
" menſes poſt publicationem ejuſdem in
" Eccleſiis Cathedralibus, quam ipſi
" Dioceſani omnino facere teneantur,
" poſtquam eadem conſtitutio ad eorum
" notitiam pervenerit, fuerit publicus
" concubinarius, a perceptione fructu-
" um omnium Beneficiorum ſuorum
" trium menſium ſpatio ſit ipſo facto
ſuſpen-

ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertet. Nec non & hujusmodi publicum concubinarium, comprimum talis eſſe innotuit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat. Quodſi non dimiſerit, vel dimiſſam, vel aliam publice reaſſumpſerit, vult hec Sancta Sonodus, ut ipſum omnibus ſuis Beneficiis omnino privet, & nihilominus hi publici concubinarii uſquequo cum eis per ſuos Superiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vite emendationem fuerit diſpenſatum ad ſuſceptionem quorumcumque honorum, Dignitatum, Beneficiorum, vel Officiorum inhabiles exiſtant. Qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alterius diſpenſationis ad predicta prorſus inhabilis cenſeatur. Quod ſi hi, ad quos talium correctio pertinet, hos, ut predictum eſt, punire neglexerint, eorum Superiores, tam in ipſos de neglectu, quam in alios de concubinatu modis omnibus digna punitione animi advertant, in Conciliis etiam *Provincialibus* adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos etiam per ſuſpenſionis, ac ablationis Beneficiorum, vel aliam condignam penam ſeveriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad ſummum Pontificem ſpectat, per *Concilia Provincialia*, aut ſuos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur, privatione digni ſtatuti, cum proceſſu inquiſitionis ipſi Summo Pontifici deferantur, eadem diligentia & inquiſitione in quibuscunque Capitulis Generalibus & Provincialibus quoad ſuos ſervetur; penis aliis contra predictos, & alios publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, que nulla poſſet tergiverſatione celari, notorius eſt, ſed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & infamatam tenet, per ſuum Superiorem admonitus, cum ipſam non dimittit. Quia revera de quibusdam Regionibus nonnullam jurisdictionem Eccleſiaſticam habentes, pecuniarios queſtus a concubinariis percipere non erubeſcunt, patientes eos in ſua feditate ſordere: ſub pena maledictionis eterne precipit, ne deinceps ſub pacto compoſitionis, aut alia ſpe alicujus queſtus talia quovis modo tolerent, aut diſſimilent. Alioquin ultra premiſſam penam negligentie duplum ejus, quod propterea acceperint, reſtituere ad pios uſus omnino teneantur, & compellantur. Epiſcopus autem concubinas, ſeu mulieres ſuſpectas predictis modis omnibus curet a ſuis ſubditis, etiam per brachii ſecularis auxilium, ſi opus fuerit, penitus arcere. Quarum concubinarum res, que de bonis preſumantur habere, Eccleſie in fabricam, vel in aliam evidentem ipſius Eccleſie utilitatem per ipſos Prelatos convertantur. Qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres cohabitare non patiantur. Jubet inſuper *hec Sacroſancta Synodus*, ut etiam in predictis Capitulis hec Conſtitutio publicetur, & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligentius. Injungit preterea omnibus ſecularibus viris, etiamſi regali prefulgeant dignitate, ne ullum qualecunque impedimentum quocunque queſito colore Prelatis, qui ratione officii ſui adverſus ſuos ſubditos pro hujusmodi concubinatu procedant, & cum omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum ſit, & ſub pena peccati mortalis neceſſario evitandum, monet omnes laicos tam uxoratos, quam ſolutos, ut ſimiliter a concubinatu abſtineant. Nimis enim reprehenſibilis eſt, qui uxorem habet, & aliam mulierem accedit. Qui vero ſolutus ſe continere nolit juxta Apoſtoli conſilium *uxorem ducat*. Pro hujusmodi autem Divini obſervatione Precepti hi, ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni ſtudio laborent.

De Clericis non reſidentibus.

Cum ad hoc ſint Eccleſiaſtica Beneficia deputata, ut in eis ad ſerviendum

Altiſſimo talés aſſumantur, qui per ſe ipſos volunt, & poſſunt eorum curam exercere, ſtatuimus, ut quilibet infra civitatem & Dioceſim noſtras Beneficiatus cujuscunque ſtatus, ordinis, conditionis extiterit, cujus Beneficium reſidentiam perſonalem vel certum ordinem de jure ſtatuto, vel conſuetudine requirit, in illo infra proximum menſem perſonaliter reſidere incipiat, & abinde quamdiu Beneficium hujusmodi obtinuerit, reſidentiam hujuſmodi faciat, ſeque ad ordinem, quem Beneficii onus ſui requirit, juxta tempora obtineat promoveri, transgreſſores vero hujusmodi ſtatuti noſtri per ſuos Superiores ſervato juris ordine priventur, niſi expreſſam ſuper hoc a Nobis, vel Vicario noſtro licentiam obtinere meruerint.

De Prebendis.

Item ſtatuimus, ut quilibet Religioſus infra Dioceſim noſtram Conſtantienſem curam gerens animarum, titulum hujusmodi Beneficii ſui in proximo Capitulo poſt illius aſſecutionem Decano, vel ejus locum tenenti in preſentia fratrum oſtendat, & ſi alium, quam a Nobis, vel Vicario noſtro impetratum, oſtendet, titulo hujusmodi nulla fides adhibeatur, niſi forte Romanus Pontifex illum ſibi conceſſiſſet, & hoc Noſtris, vel Vicarii noſtri literis appareret declaratum. Si quis vero contra premiſſa per Nos, vel Vicarium noſtrum in Spiritualibus venire preſumpſerit, ultra penam juris communis tamdiu a Divinis ſuſpenſus remaneat, quousque hujusmodi ſtatuto noſtro ſtuduerit cum effectu parere, & obedire.

De portione competenti.

Cum non debeat bovis os ligari triturantibus, (*a*) ſacris jubentibus Canonibus, univerſos & ſingulos Prelatos civitatis & Dioceſis noſtrarum in Domino exhortamur, ut Eccleſiarum Parochialium ipſis, & eorum menſis incorporatarum noſtre Dioceſis Vicariis de Prebendis congruis unde decenter ſuſtentari jura Epiſcopalia & Archi-Diaconalia ſolvere, & alia incumbentia onera ſupportare valeant, prout de jure tenentur provideant, alioquin prout de jure conſtringuntur, eis negligentibus ad Prebendarum hujusmodi deputationem ſervatis ſervandis procedere, non obmittemus requiſiti.

De Inſtitutionibus.

Cum in cunctis ſacris Miniſteriis ſint etatis maturitas, gravitas morum, & literarum ſcientia requirenda, preſenti perpetuo prohibemus ſtatuto, ne deinceps aliquis Sacerdos religioſus vel ſecularis infra civitatem, & Dioceſim noſtras quodcunque Eccleſiaſticum Beneficium cum vel ſine cura, abſque inſtitutione, ſeu inveſtitura, aut induciis, ſeu licentia a Nobis, vel Vicario noſtro, aut alias legitime, ac per literas ſigillatas obtentis, & prius Decano, vel ejus locum tenenti oſtenſis regere, aut quomodolibet inofficiare, ſuo vel alieno nomine preſumat, niſi ipſius Beneficii Rector, ſeu Vicarius, vel Cappellanus perſonaliter in eo reſideat, cujus nomine & conſenſu aliquis ut ſervus in Divinis inibi officiet. Secus autem facientem, cum non ſuos fructus faciat, ipſo jure ad reſidendum Fiſco noſtro de fructibus ſic per eum levatis condemnamus, & Fiſco eidem duximus applicandos. Concedimus tamen, ut Beneficio, poſtquam primo vacare cepit, poſſit loci Decanus per ſe, vel alium, quem duxerit eligendum per primum proximum menſem, & non ultra inducias providere, ſervato tamen moderamine ſuperius de officio Decani expreſſo.

Ad idem.

Cum ad extirpandam quorundam deteſtandam cupiditatem in ſacro LATERANENSI CONCILIO prohibitum ſit, ut nullus diverſas dignitates Eccleſiaſticas, aut Parochiales Eccleſias recipiat, & conſequenter ſtatutum, quod recipiens Beneficium, habens curam animarum annexam, ſi prius tale habebat, ſit eo ipſo jure privatus, & ſi forte illud retinere jure contenderit, etiam alio ſpolietur, immo ſi ultra menſem teneat, ambobus ſit privatus, Apoſtolice tamen Sedis diſpenſatione in his ſalva, & alibi canon vicium cupiditatis hujusmodi redarguens tales in curatis Beneficiis plurales, eo quod ſic retenta ad ipſos non ſpectant *de jure*, rem aſſerit contrectare alienam, & ſic furtum committere quodammo-

(*a*) *forte*: triturantis.

dammodo & rapinam non fine fuorum, & fubditorum animarum periculo gravi. Eapropter ut hujusmodi Canones, & Sacrorum Conciliorum Generalium fanxita debite executioni demandentur locorum Ordinariis per felicis recordationis GREGORII DECIMI in Sacro Generali Concilio eft preceptum, ut fubditos fuos plures dignitates vel Ecclefias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, feu perfonatum, aut dignitatem cum alio Beneficio, cui fimilis cura eft annexa, ad exhibendam difpenfationem auctoritate, qua hujusmodi Ecclefias, perfonatus, aut dignitates Canonice tenere fe afferunt, infra tempus arbitrio Ordinariorum ftatuendum diftricte compellant. Nos itaque animarum periculis obviare, & ad hoc, ut Ecclefiaftica Beneficia Canonice poffideantur, per executionem premifforum cupientes providere, hoc prefenti ftatuto decernimus, ut deinceps a publicatione prefentium, fic ut prefertur, plura curata obtinentes Beneficia, ac plures dignitates & perfonatus, feu perfonatus & dignitatem cum alio beneficio curato de fuis difpenfationibus, quarum auctoritate illa tenere fe pretenderint, nec non titulis fuis ad eadem infra duorum menfium fpatium coram Nobis, vel Vicario noftro in Spiritualibus legitime, & fub penis juris doceant. Alioquin, ne deficientes in titulis & difpenfationibus hujusmodi Canonicis occupando injufte, ipfa Beneficia rem contrectent alienam, & per confequens furtum committant, & anime exinde periclitentur. Ipforum quoque fanguis de noftris manibus requiratur, ad executionem premifforum facrarum conftitutionum contra ipfos dictis menfibus lapfis effectualiter procedemus.

De Teftamentis & ultimis voluntatibus.

Quoniam in quibusdam locis noftrarum civitatis & Diocefis, ut intelleximus, corruptela deteftabilis obfervatur, videlicet, quod tam Clericus, quam laicus in lecto egritudinis conftitutus ultra certam limitatam & expreffam fummam, nec piis locis, neque perfonis Ecclefiafticis pro anime fue remedio & falute aliqua poffit ordinare legata, confiderantes predictam confuetudinem facris Canonibus, ac fecularibus Legibus obviare, cum omnia jura clament, quod ultima voluntas, & ultimum hominis teftamentum immobile perfeveret, & nihil fit, quod hominibus magis debeatur, quam ut fupreme voluntatis liber ftylus exiftat, eandem confuetudinem Deo odibilem, animabus & bonis moribus inimicam, auctoritate hujus falutaris fanctionis penitus reprobamus, firmiter ftatuentes, ut illi, quos jura teftamentorum non prohibent factionem, etiam in fanitate vel lecto egritudinis conftituti legandi, difponendi, & ordinandi de bonis fibi a Deo collatis ad pia loca & perfonas Ecclefiafticas dummodo decenter fuas legitimas fanctiones non pretereat, fit libera facultas, volentes, & precipientes diftricte, ut univerfi Clerici & laici impedientes defunctorum legata, feu ultimas voluntates, per excommunicationis in perfonas, & interdicti in loca fententias monitione Canonica premiffa ferendas ab hujusmodi impedimentis defiftere compellantur.

Ad Idem.

Dolenter audivimus, quod fidelium tam Clericorum, quam laicorum teftamenta, & ultime voluntates maxime pro animarum falute, & ad pios ufus, & tefta ta in fuis debitis executionibus, & ordinationibus interdum perverfis aliquibus negligentiis intervenientibus, & obftantibus in noftris civitate, & Diocefi in locis particularibus impediantur & retardentur. Cum itaque ultima voluntas, feu ultimum hominis teftamentum pro lege fervari debeat, & fupreme hominis rationalis voluntatis liber ftilus exiftat, & noftro incumbat officio Paftorali talibus providere, & teftamenta utroque jure fuadente defendere, univerfis noftre jurisdictioni fubjectis Ecclefiafticis, & fecularibus fub interminatione Divini Judicii, ac excommunicationis fententia, quam in contrarium facientes fex dierum monitione premiffa in his fcriptis ferimus, ne teftamenta, ac ultimas fidelium Ecclefiafticorum, vel fecularium perfonarum, quas jura a teftamentorum factionibus non prohibent, voluntates maxime ad ufus pios, & animarum falutem fe extendentes, earumque executiones debi-

tas impediant, negligant, & retardent, nec teſtamentorum, & cauſarum eorundem, ac ipſorum occaſione pro tempore motarum cognitioni ſe intromittant, ſed ad Nos, & Officiales noſtros ordinariam jurisdictionem cauſarum hujusmodi habentes remittant, diſtrictius inhibemus.

De Parochiis, & Parochianis.

Gravis ad Nos querela perduxit, quod nonnulli ſuis juribus, & finibus non contenti Parochianos alienos preſumant recipere temere ad Divina contra Canonicas Sanctiones, & cum predictorum Parochianorum Judices non exiſtant, nec ligandi, nec ſolvendi in eos receperint poteſtatem, ſe temere Judices faciendo in foro penitentiali periculoſe abſolvunt, & ligant pro ſue libito voluntatis, ſicque ipſos, qui proprios ſpernunt Presbyteros minime abſolutos illud ſalutiferum noſtre peregrinationis viaticum, quod non proficit, niſi prius a criminum labe mundatis in animarum ſuarum, & eorum, qui id non dijudicantes indiſcrete recipiunt, conferre periculum non verentur, (*a*) ſicque dicti eorum Sacerdotes, qui curam recipiendo ſuam pro ipſis animabus obligarunt, dum ſibi taliter ſubtrahunt ſtatum ignorantes ipſorum egrotorum non poſſint, quod in eis eſt ſanare, nec *conſolidare infirmum, nec alligare confractum.* Et ſic dum curationis neceſſarie non adhibentur remedia, invaleſcentibus morbis uſque ad interemptionem leſio dilatatur, unde Sacerdotes nullam poſſint de ſic pereuntibus animabus ſuperno Judici reddere rationem. Noſtrorum Patrum, qui Eccleſie Sancte Dei, & Perſonis Eccleſiaſticis terminos, quos *non licet transgredi* poſuerunt, ſtatuta conſiderantes univerſis Sacerdotibus, tam Religioſis, quam ſecularibus cujuscunque Ordinis, conditionis, vel ſtatus exiſtant in civitate,& Dioceſi noſtris degentibus ſub debito juramenti, quod in receptione ſuorum Ordinum preſtiterunt, ac ſub interminatione Divini Judicii firmiter inhibemus, ne quis *alterius* Parochianum cujus curam per Epiſcopum, vel loci Archidiaconum, ſeu ejus ſuper eo Vicarium commiſſa, aliis exiſtit, preſumat ad confeſſionem recipere excepta neceſſitatis cauſa, que legem non habet, vel ad porrigendum ei Eccleſiaſticum Sacramentum, niſi petita deſuper, & obtenta licentia proprii Sacerdotis, cum certi, & indubitati juris exiſtat, talem a tali crimine abſolvi *non poſſe* aliquatenus, vel ligari, & ex hoc ordine Eccleſie per majores, & Sanctos Patres Divina providentia inſtitutum confundi, quod per univerſos Plebanos ſingulis diebus Dominicis, & Feſtivis coram ſuis plebibus precipimus publicari.

Ad Idem.

Quia veridica relatione intelleximus populum vulgarem in pleriſque locis Nobis ſubjectis diebus Dominicis,& Feſtivis raro intereſſe Divino Officio Miſſe, & predicationi Verbi Dei, licet *juxta ordinationem, & Statutum Sancte Matris Eccleſie* eiſdem diebus intereſſe tenentur, ut ibidem de Divinis Preceptis, & Evangelicis doctrinis informetur: Nos volentes huic morbo obviare, & animarum ſaluti conſulere, preſenti volumus, & ordinamus ſtatuto diſtricte univerſis Presbyteris Curatis noſtre Dioceſis mandantes, & exhortantes, quatenus plebes, & Parochiauos ſuos, qui ad annos pervenerint diſcretionis, hortentur,& amoneant ſub pena excommunicationis, quatenus deinceps ſingulis Dominicis,& Feſtivis diebus officio Miſſe in ipſis Eccleſiis ſuis intereſſe ſtudeant, & predicationem verbi diligenter audiant, niſi legitimo impedimento, aut cauſa rationabili quis excuſetur, nec ab hujusmodi officio ante benedictionem Sacerdotis, donec compleatur, recedant,vel alias inhoneſte diſcurrant,non faciendo ob reverentiam Diviniſſimi Sacramenti genuflectiones in terram dum Hoſtia ſalutaris per Presbyterum elevatur, cum devotioneque cordis Deum exorent pro peccatis, ſi quis vero negligens, & rebellis in his fuerit, hunc in confeſſione ſevere volumus emendari. Et nihilominus talis, qui tempore predicationis Verbi Dei extra Eccleſiam, & in cimiterio ſtare contra prohibitionem hujusmodi non formidaverit ad auctoritatem noſtram Epiſcopalem remittatur, contemptores hujus ſaluberrimi mandati per excommunicationis inflictionem arceantur. Inſuper Presbyteri Curati in ſermonibus ſuis popu-

(*a*) Canon: *Omnis utriusque ſexus*, XXI. Concil. Lateran. anni MCCXV.

populum eis commissum ad hoc inducere curent, ut processionibus & aliis actibus, & ceremoniis Ecclesiasticis intersint devote laudesque Omnipotenti Deo cum attentione cordis, & morum gravitate ibidem persolvant.

De Regularibus.

Quoniam nonnulli Religiosi contra Deum, & suam conscientiam multipliciter excedunt, & eorumque Prelati desides, & negligentes in observatione regularium discipline, ac correctione excessuum existant, eos per viscera misericordie Domini nostri JESU Christi requirimus, & hortamur, ut personas regulares sibi subjectas ad observantiam regule sue, & statutorum regularium diligentius inducant, moneant, & illiciant, & si opus est strictius compellant, ut de officio sibi commisso dignam Deo possint reddere rationem. Quod si ultra ordinis sui prevaricatores fuerint, aut contemptores, seu negligentes, vel remissi; pro certo se noverint non solum ab officio deponendos, sed & alias secundum regulam suam castigandos cum offensa non solum propria, verum etiam aliena, ac sanguis subditorum suorum de suis manibus requiratur. Nos etiam eorundem Prelatorum negligentiam favente Domino supplebimus juxta Canonicas Sanctiones.

Ad Idem.

Periculosum nimium fore considerantes, & scandalosum, quod persone regulares utriusque sexus extra Monasteria sua vagantes in seculo moram trahunt, nonnulle etiam ex ipsis religiosis habitu dimisso apostatare non formidant, excommunicationis, ut sic sententiam incurrendo, suis superioribus rebellando. Cum itaque periculosum sit vagantibus excommunicatis, & apostatis in Divinis participare, volumus, universis Nobis subjectis mandantes, ut omnes, & singulos sic in seculo suis sub districtibus vagantes, & commorantes cujuscunque ordinis, vel conditionis fuerint, moneant, & requirant, ut infra mensis spatium a die publicationis, & requisitionis hujusmodi ad sua Monasteria redeant, & vota Deo reddant suis superioribus juxta ordinem, & regule institutionem obediendo, vel saltem infra eundem terminum coram Nobis, vel Vicario nostro de indultis, si que de contrario habeant, legitime doceant, alioquin contra ipsos per Ecclesiastice censure penas, & prout justum fuerit procedemus.

Ad Idem.

Quamvis contra Monachos, & Moniales de suis claustris propter aliquos enormes excessus, aut animi levitate temere fugientes, & in seculo per tempora vagantes, & conversantes, & tandem penitentia ductos ad claustra sua humiliter redire volentes certe, & varie pene juxta qualitatem, & quantitatem a Sanctis Patribus sint statute. Quidam tamen Abbates, & Magistratus penis in suis regulis contra tales profugos expressis non contenti, graviores, & quasi importabiles penas ipsis in sui reversione imponere non verentur, vel quod deterius est easdem personas quantumcumque humiliter postulantes ad sua claustra, de quibus exiverant, admittere inhumaniter contradicunt. Cum itaque de jure *non sint ampliande pœne*, sed levande, & longe *securius sit de misericordia quam crudelitate rationem reddere*, cum etiam Dominus per os Prophete sit pollicitus sic dicens: *quacunque* (a) *hora peccator conversus fuerit, & ingemuerit omnium iniquitatum suarum amplius non recordabitur.* Nos etiam advertentes, quod ubi Pater familias largus dispensator existit, non decet famulum esse tenacem, ut peccandi materia, occasio talibus precludarur, provida deliberatione statuimus, & presenti statuto decernimus, & ordinamus, ut Monasteriorum Abbates, & Prelati, Abbatisse, Prepositi, Priores, & Magistratus cujuscunque ordinis Nobis subjecti Fratribus, & Sororibus modo premisso a suis Monasteriis profugientibus, aut in Apostasiam ex quacunque causa lapsis desiderantibus, & querentibus cum humilitate, & devotione regressum suum misericordie, quam Mater Ecclesia claudere nulli petenti consuevit more pii Patris familias, qui filium primo prodigum, & postea penitentem (b) paterne suscepit, studeat liberaliter aperire, & tales redire volentes, quantumcunque eorum excessus graves fuerint vel enormes, juxta cujuslibet ordinis disciplinam, sive regulam, & consuetudiuem observatam, sive conditionem recipiant, &

(a) Ezechiel XXXIII, 12.

(b) Lucæ XV, 22.

& admittant, ita tamen, quod propter eorum exceſſus nec victus, neque veſtitus eis ſubtrahatur, ſed alias regulariter puniantur, ut prefertur, prout ipſi Prelati & Magiſtratus ſententiam ſuſpenſionis a Divinis, quam in contra facientes ſex dierum Canonica monitione premiſſa in his ſcriptis ferimus, voluerint evitare.

Idem de Monialibus.

Sacras Apoſtolicas Conſtitutiones debite executioni demandantes hoc noſtro ſtatuto inhibemus, ne Sanctimoniales cujuſcumque ſint ſtatus, religionis, vel ordinis noſtrarum civitatis & Dioceſis, que in ſuis Monaſteriis ſub perpetua clauſura manere jubentur in conſtitutionibus Apoſtolicis antedictis. Ita quod nulle earum religionem tacite vel expreſſe profeſſe quacunque ratione vel cauſa, niſi forte tali morbo evidenti aliquam earum laborare conſtiterit, quod non poſſet cum aliis abſque gravi periculo vel ſcandalo commorari, Monaſteria ipſa egrediendi ſit facultas deinceps abſque licentia Superiorum ſuorum, quam non niſi ex cauſa preexpreſſa, vel inevitabili exigente neceſſitate concedi volumus Monaſteria ſua exeant, prout dictarum conſtitutionum penas, & ultionem Canonicam voluerint evitare. Atque, ut ipſe Sanctimoniales a publicis & mundanis conſpectibus ſeparate Deo liberius ſervire valeant, & laſciviendi oportunitate ſublata corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire, univerſis & ſingulis Eccleſiaſticis & ſecularibus perſonis noſtre juriſdictioni ſubjectis interdicimus, & inhibemus, ne abſque rationabili, & manifeſta cauſa, & ſine Superioris, ad quem pertinet, licentia ſpeciali, ipſa Monaſteria Sanctimonialium ſubintrent ſub ſuſpenſionis in Eccleſiaſticas, & excommunicationis in ſeculares perſonas penis, quas trium dierum monitione previa, contra facientes incidere volumus ipſo jure &c.

De Lulhardis.

Quum plures in Dioceſi noſtra *Lulhardi, & Begutte*, etiam in conjugio exiſtentes in ſeculo manentes ſcapularia deferant, & precipue hi, qui *de tertia Regula* ſe fore aſſerunt, & quia ſcapulare vere & approbate religionis ſignum eſſe dinoſcitur, ſi hujuſmodi ſcapularia deferentes tamquam laicales perſone, prout ſe fore pretendunt a laicis pertractarentur, non modicum ſcandalum generaret. Volumus, & diſtricte univerſis Decanis ruralibus, Eccleſiarum Rectoribus, & Plebanis per civitatem, & Dioceſim noſtras conſtitutis mandamus, ut omnes, & ſingulos utriusque ſexus ſic ſcapulare deferentes moneant, & requirant, ut infra duorum menſium ſpatium a publicatione preſentium qua auctoritate? an ex regula ſuſcepti ordinis? an ex privilegio? ſcapularia hujuſmodi deferant, coram Nobis, vel noſtro Vicario doceant, ut ſcandalis obviare, & animarum ipſarum ſaluti providere valeamus. Alioquin ſi ſecus fecerint, & ut prefertur, non docuerint, lapſis dictis menſibus ad excommunicationis ſententiam, & prout de jure poterimus, contra ipſos procedemus.

Preterea quamvis plures ex eiſdem *Lulhardis* validi ſint, & ad laborem utiles, carius tamen de eleemoſyna vivere, quam ſuarum *manuum* (*c*) *laboribus ſtudeant* manducare ſacra id reprobante ſcriptura, univerſos fideles Nobis ſubjectos in Domino exhortamur, & requirimus, ut tales *Lulbardos validos*, & aptos ad laborem ſuis eleemoſynis paſcere ſe retrahant, ne fautores mali nominentur. Nos enim contra ipſos *Lulhardos* ſi deinceps, qui validi fuerint, eleemoſynam exigere non deſtiterint, cenſura Eccleſiaſtica compeſcere curabimus juſticia mediante.

De Cuſtodia Euchariſtie, & reverentia Sacramentorum.

Ne propter irreverentiam Sacramentorum ira Dei ſeviat in Miniſtros, ſtatuimus, ut Euchariſtia, Chriſma, & Oleum Sanctum ſub diligenti cuſtodia ſervetur. Cum autem Sacerdos Euchariſtiam vel Oleum infirmorum ad decumbentes deportaverit, videat, ut ſuperpellicio, & ſtola, ſeu orario ſit indutus, ſuppoſito mundo velamine, manifeſte & honeſte lumine, ac etiam campanella Euchariſtie Sacramentum precedentibus, hoc faciet, omnibus etiam vere penitentibus & confeſſis, qui Sacerdotem Euchariſtie Sacramentum, vel Oleum infirmorum,

(*c*) Gen. III, 19. Pſal. CXXVII, 2.

morum, ut sic deferentem eundo, vel redeundo associaverint, vel secuti fuerint, & si hoc de die faciunt decem, si vero de nocte cum lumine proprio, vel alieno, viginti dies de injunctis eis penitentiis preter indulgentias alias auctoritate Apostolica concessas auctoritate nostra ordinaria misericorditer in Domino relaxamus.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

Quamvis in *Generali Concilio INNOCENTIUS Papa tertius* sufficienter statuit, ut ne quis Sacerdos clandestinis matrimoniis intersit, inhibens nihilominus, ne talia clandestina matrimonia contrahantur, quia tamen, quod dolenter referimus, predicta clandestina matrimonia sepius contrahuntur, per que tam grandia scandala, quam animarum pericula non modica insurgunt. Predecessorum igitur nostrorum vestigiis inherendo prohibemus de cetero clandedestina matrimonia contrahi juxta constitutionem generalem in *Sacro Generali Concilio editam*, que habetur *in Capitulo finali de clandestinis desponsationibus* infra scriptam, quam in omnibus Parochialibus Ecclesiis precipimus singulis annis per Regentem curam animarum quater publicari. Ne autem constitutio predicta cuiquam sit incognita, eam etiam de verbo ad verbum hic inseri volumus. *Cujus tenor sequitur, ut ecce.* (a)

" Cum inhibitio copule conjugalis " sit in ultimis tribus gradibus revocata, " eam volumus in aliis districte observari, " unde Predecessorum nostrorum vestigiis inherendo *clandestina* matrimonia penitus inhibemus, prohibentes etiam, " ne quis Sacerdos talibus interesse presumat: quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut cum matrimonia in Ecclesiis fuerint contrahenda, per Presbyteros publice proponatur " competenti termino prefinito, ut infra " illum, qui voluerint, aut voluerit legitimum impedimentum apponat. Et, " ipsi Presbyteri etiam nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum " obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur ex- " presse, donec quid fieri deceat super " eo, manifestis constiterit documentis. " Si quis vero hujusmodi clandestina matrimonia inire presumpserit in gradu " prohibito, etiam ignoranter, soboles de " tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum penitus habitura subsidium. Cum illi taliter contrahendo non " expertes scientie, vel saltem affectatores ignorantie videantur, pari modo " proles illegitima censeatur, si ambo " parentes impedimentum scientes legitimum preter commune interdictum, " etiam in conspectu Ecclesie contrahere " presumpserint. Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere " contempserit, aut quilibet alius regularis, qui eis presumpserit interesse, " per triennium ab officio suspendatur, " gravius puniendus, sicut culpe qualitas " postulaverit, sed & his, qui taliter " copulari presumpserint, etiam in gradu " concesso pena condigna injungatur. Si " quis autem ad impediendam legitimam " copulam malitiosum impedimentum objecerit, Canonicam non effugiet ultionem. " Hac constitutione prohibemus, ne quis Sacerdotum civitatis, & Diocesis nostrarum de cetero clandestinis matrimoniis intersit. Quod si secus fecerit, ultra penas Canonicas predictas condigne puniatur. Si autem aliqui ex ipsis subditis matrimonium clandestine contraxerint, mox postquam hoc sciverint, eos moneat, ut matrimonium per eos contractum in facie Ecclesie infra proximum mensem solemnisent, nisi ille mensis infra Dominicam *Invocavit*, & octavam Pentecostes forte incideret, tunc enim infra mensem proximum post octavas Festi Pentecostes matrimonium in facie Ecclesie solemnisare legitimo cessante impedimento teneantur. Et si id facere contempserint, seu eorum Curatus, ut prefertur, ipsos monere non curaverit, tam curatus, quam contrahentes juxta dictam constitutionem, & alias Canonice puniantur.

De Judeis.

Ne Judei de cetero in civitate, & Diocesi nostris nutrices, vel servientes habeant Christianos, districte inhibemus, quia

(a) Concilium Lateranense IV. Generale XIV. anno 1215. Capitulo 51.

quia indignum eſt, quod filii libere filiis famulentur ancille, omnibus ipſorum ſervientibus, & nutricibus precipientes, ut a ſervitiis eorum infra proximum menſem a publicatione preſentium recedant, quos etiam Judei libere dimittere teneantur. Transgreſſores vero hujus ſtatuti animadverſione condigna puniantur. &c.

Ad idem de Judeis.

Quoniam dudum in Sacra *Provinciali* Synodo *Maguntina* (*b*) noviſſime celebrata inter cetera de Judeis, & Crucis Chriſtiane inimicis ſtatutum reperitur, & mandatum ſub ceſſatione Divinorum, & pena ſubtractionis communionis, " quod " Judei ſigna deferre debeant, (*b*) per " que a Chriſtianis diſtingui, & diſcerni " videantur declarando dicit: ſignum hu- " jusmodi tale eſſe debere: circulus vide- " licet de filis croceis in veſte extrinſeca " ante pectus, quo ad mares, & maſcu- " los, & due rige blavii coloris in peplis " mulierum conformiter, ut in Urbe " Romana. " Quod autem parum proſit ſtatuta condere, & eorum executionem negligere: Idcirco conſtitutione preſenti precipimus, & mandamus diſtricte; & univerſis Judeis per civitatem, & Dioceſim noſtras habitantibus ſub penis gravibus expedire viſis mandetur, quatenus hujusmodi ſigna extrinſeca juxta declarationem predictam deferant conformiter, & ad hoc per poteſtatem ſecularem, & Officiales, & Regentes compellantur. Alioquin contra ſecus facientes Officiales, & Regentes ad ſubtractionem Sacramenti Euchariſtie, & contra Judeos ad excluſionem communionis fidelium, & alias prout de jure procedatur.

De Adulteris.

Quedam perſone relicto legitimo thoro non verentur una domo in adulterinis amplexibus manifeſte cohabitare in ſcandalum plurimorum, quorum ſaluti providere volentes omnibus Rectoribus, Plebanis, & Curatis noſtre Dioceſis in virtute ſancte obedientie diſtricte precipiendo mandamus: quatenus omnes, & ſingulos, qui in adulterinis amplexibus inſimul reſidere non verentur, amoveant, requirant, & exhortentur, ut infra quindecim dies abinvicem diſcedant, & ſi mandato hujusmodi obedire contempſerint, & poſt dictos quindecim dies, quod abſit, inſimul cohabitaverint, tales in eorum vita ab Eccleſiaſticis excludantur Sacramentis, & poſt mortem, niſi penitentiam egerint de commiſſis, Eccleſiaſtica careant ſepultura, & nihilominus ad Nos, vel Vicarium noſtrum pro abſolutionis beneficio conſequendo remittantur. Ipſi vero Rectores, Plebani, & Curati, qui eos monere omiſerint, a Nobis, vel Vicario noſtro Canonicam expectare ſe non dubitent ultionem, quibus etiam ſub ſimili comminatione diſtrictius injungimus, ut eorundem rebellium nomina infra alios quindecim dies Nobis vel noſtro Vicario denuntient, ut contra eoſdem ad ulteriores procedere valeamus penas.

De Raptoribus.

Spoliatores ſtratarum, & raptores alios, qui tranſeuntes per vias, & ſtratas publicas viduas, pupillos, & perſonas alias preſertim Eccleſiaſticas eorundem bonis vi ſpoliant, ac eorum violentias, qui perturbationem deſiderande pacis inducunt, tali volumus noſtro feriente gladio correctionis pena mulctari, ut tam ipſi, quam receptanres eos, & ſcienter dantes eis auxilium, vel conſilium ipſo facto ſint anathematis vinculo innodati. Hoc quidem ſtatutum volumus anno quolibet in ſingulis quatuor Feſtivitatibus principalibus, ſi ſermo eodem die ſit, alioquin ſequenti die proxima, dum ſermo fuerit, in quibuslibet Eccleſiis civitate, & Dioceſi noſtris in cancellis publicari.

De Uſuris.

Uſurarios actus Divina, & humana lege ſatis novimus exprobatos, & contra exercentes uſuras noviſſima conſtitutio Concilii *Lugdunenſis* penas ſtatuit exquiſitas, ſed quia queſito novo fenorandi colore nonnulli ſub titulo vendicationis exercent uſuras, qui pecunias mutuant datis induciis, ut ſtatuto die recipiant fruges forte in duplo valore, quos deinde multo ampliori pecunia vendunt. Quidam etiam emendo rem pro certa quantitate venditori dimiſſam ſtatuto termino pro adaucto modo uſurarum quantitate revendunt. His fraudibus obviando prohibe-

(*b*) Concil. Moguntinum anni 1451. ſub Theodorico Archiep.

hibemus, ne quis usurarium absolvat, vel publicum ad Ecclesiasticam recipiat sepulturam, nisi cautione prestita de universis restituendis juxta constitutionem Apostolicam in Conciliis Lugdunensibus factam, que habetur *de Usuris Libro sexto* &c. Quanquam subscriptam, quam in omnibus Parochialibus Ecclesiis precipimus singulis annis per Regentem curam animarum semel videlicet Dominica Quadragesima, qua canitur JUDICA solemniter publicari. Ne autem constitutio predicta cuiquam sit incognita, illam volumus hic de verbo ad verbum inserere, ut ecce. (a)

" Quamquam usurarii manifesti de " usuris, quas receperunt, satisfieri ex- " pressa quantitate, vel distincte in ulti- " ma voluntate mandaverint. Nihilomi- " nus Ecclesiastica sepultura eis denege- " tur, nisi de usuris ipsis fuerit, prout " patiuntur facultates eorum plenarie sa- " tisfactum, vel illis, quibus facienda " est restitutio, si presto sint ipsi, aut " aliis, qui possunt eis acquirere, vel eis " absentibus loci Ordinario, aut ejus " vices gerenti, sive Parochie Rectori (in " qua testator habitat) coram aliquibus " fide dignis de ipsa Parochia (quibus " quidem Ordinario, Vicario, aut Rectori " predicto modo cautionem hujusmodi " eorum nomine liceat presentis constitu- " tionis auctoritate recipere: ita quod " illis perinde actio acquiratur) aut ser- " vo publico, de ipsius Ordinarii manda- " to ydonee de restitutione facienda sit " cautum. " Ceterum si receptarum usurarum quantitas sit manifesta: illam semper in cautione predicta exprimi volumus. Alioquin aliam recipientes cautionem hujusmodi arbitrio moderandam, ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur: & si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem Religiosos, & alios, qui manifestos usurarios contra presentis Sanctionis formam ad Ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam, pene *Lateranensis* Concilii contra usurarios promulgate statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum prestent, ut premittitur cautionem ydoneam. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure, &c.

De Penis.

Sacri Provincialis Concilii antiqui, nec non RUDOLFFI, HEINRICI MART. quorundam Episcoporum Predecessorum nostrorum vestigiis inherendo hac constitutione perpetuo valitura sanximus, ut si in antea quecunque Ecclesiastica, vel secularis persona cujuscunque status, gradus, vel conditionis existat, instigante diabolo infra civitatem, & Diocesim nostras Clericum, & pro Clerico se gerentem interfecerit, vel mutilaverit, aut talem sine licentia Superioris ipsius Clerici captivaverit, aut detinuerit, eo ipso in terris, Ecclesiis, & Parochiis totius Decanatus, in quo hujusmodi delicta commissa, aut Clericus hujusmodi captus fuerit, sed non solum in illo Decanatu, sed etiam in quibuscunque aliis Decanatibus, in quibus quempiam talium detineri constiterit, & in omnibus locis, in quibus interfector, seu mutilator, vel captivator, seu ejus complices ipsi consilium, auxilium, & juvamen prestantes, domicilium, aut Dominium obtinentes, sive de facto, sive de jure jurisdictionem exercuerint, aut obtinuerint, vel moram traxerint, & ad que devenerint. Et quamdiu in eisdem fuerint, & post cujuslibet eorum abinde recessum ad tres dies continuos ipso facto cessetur a Divinis, & servetur strictissime Ecclesiasticum interdictum tamdiu & quousque leso, Nobis, & Ecclesie fuerit de tanto flagitio satisfactum, aut interdictum hujusmodi alias rite fuerit relaxatum. Tales etiam injuriatores tamquam excommunicati eo ipso a singulis arcius evitentur, donec absolutionis beneficium meruerint legitime obtinere. Ne autem hi juxta premissa interdictum servare debentes se valeant per ignorantiam quomodolibet excusare, precipimus, ut Rectores, seu Plebani Ecclesiarum Parochialium, in quorum Parochiis facinora predicta commissa fuerint, statim & infra unius diei spatium Decano, si presens infra Decanatum fuerit. Alio-

(a) Anno 1274. Concilium Lugdunense II. Generale XIV. celebratum sub Gregorio X.

Alioquin Camerario, si Camerarius etiam abesset, viciniori Presbytero curato illius Decanatus præsenti rem gestam referat. Qui Decanus, Camerarius, vicinior Presbyter curatus omnibus ceteris fratribus Decanatus hujusmodi, & etiam Religiosis in eo commorantibus infra biduum proximum hoc idem facinus manifestet, ac interdictum per eos, & in toto Decanatu servandum fore notificet. Quibus super his fidem plenam, sicut nostris literis, volumus adhiberi. Si quis vero Rectorum, seu Plebanorum Ecclesiarum Parochialium, aut Decanorum, vel Camerariorum hoc nostrum preceptum implere contempserit, excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, a qua non possit nisi congrua satisfactione previa liberari: per premissa tamen constitutionibus legalibus & Provincialibus contra sacrilegos predictos editis, & aliis, que de ipsorum penis tractant, non intendimus derogare, sed potius in suo robore volumus permanere. &c.

Ex eadem Generali Synodo.

Insuper eadem Sancta Synodus Generalis BASILIENSIS ad vitandum scandalum, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis statuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum amministratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque sententiis, vel extra cujuscunque sententie, vel censure Ecclesiastice, aut suspensionis, vel prohibitionis ab homine vel jure generaliter promulgate teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum servare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura Ecclesiastica hujusmodi fuerit, vel contra Personam, Collegium, aut Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, vel certam a judice promulgata & denuntiata specialiter & expresse, aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari, non a communione illius abstinere vult juxta Canonicas Sanctiones, per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Ad idem ex eadem Generali Synodo.

Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueverunt scandala evenire, statuit hec Sancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa, aut locus Ecclesiastico possit supponi interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut Domini, seu Rectoris, vel Officialium propter culpam vero, seu causam alterius cujuscumque private persone hujusmodi loca interdici nequaquam possint auctoritate Ordinaria quacunque, vel Delegata, nisi talis persona fuerit prius excommunicata, aut denuntiata, sive in Ecclesia publicata, ac Dominum, seu Rectores, seu Officiales auctoritate judicis requisiti hujusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfactionem compulerint, qua etiam post biduum rejecta recedente, vel satisfaciente mox Divina resumi possint, etiam in precedentibus ipsa Synodus locum habet, & habere vult. &c.

Ad idem, ex Statutis quondam Domini HEINRICI Episcopi, Predecessoris nostri.

Quia hactenus propter Sacri Concilii *Basiliensis* Statuta de interdicto Ecclesiastico Predecessoris nostri statutis per Nos, ut prefertur, acceptatis inserta dubitarunt nonnulli statutum de *Penis* ex Processuum olim HAINRICI, Episcopi Constantiensis, quod incipit: *Sacri Provincialis* esse sublatum, & propterea interdictum hujusmodi intra ejusdem statuti seriem non fore observandum, Nos hujusmodi ambiguitatem tollere volentes, presenti statuto nostro decernimus & declaramus statutum predictum per dicta Sacri Concilii statuta minime fuisse, aut esse sublatum, ne eadem statuta Concilii hujusmodi statutum, quod etiam Provinciale est, & in favorem Ecclesiastice libertatis editum tollere, maxime cum idem Generale Concilium per eadem statuta constitutionibus Legalibus & Provincialibus contra sacrilegos, de quibus statutum loquitur, editis non voluerit, nec velit derogare. Eapropter idem statutum sub penis illius juxta omnem illius tenorem precipimus observari.

De

De Magiſtris.

Experientia docti novimus, quod quondam Verbum Dei in Eccleſiis noſtrarum civitatis & Dioceſis ſeminantes Religioſi, & ſeculares Presbyteri interdum rancore moti contra ſe invicem predicare non verentur in populi ſcandalum, & exemplum pernitioſum. Nos conſiderantes, quod ſicut ex indiscreto ſilentio ſepius error poſt ſe relinquitur: Ita, & incauta locutio ſepe errorem inducit. Idcirco preſenti ſtatuto inhibemus, ne quis predicationem in Monaſteriis, aut Eccleſiis noſtrarum civitatis & Dioceſis, ſive Religioſus, ſive ſecularis exiſtat, de cetero contra alium quicquam in cancellis predicet, ſed ſi errorem, hereſim, vel quid aliud contra alterius jus aliquis ex ipſis predicaverit, id Nobis, vel noſtro in Spiritualibus Vicario referatur. Ne ex hujusmodi contentione publica ſcandala in populo, & pericula conſurgant animarum, ſecus facientes penam gravem, & condignam non evadent.

De Penitentiis, & remiſſionibus.

Quia nonnulli religioſi terminis ſuis non contenti, in predicationem animarum in caſibus Sedi Apoſtolice, & Nobis reſervatis in civitate, & Dioceſi noſtris ſubditos noſtros abſolvere preſumpſerint, licet de hoc nullam receperint poteſtatem, preſenti decreto inhibemus, ne deinceps nudo verbo ipſorum religioſorum aſſerentium ſe talem habere poteſtatem, niſi alias de poteſtate hujusmodi fecerint fidem, legitimis documentis credatur, declarantes abſolutiones eorum in caſibus predictis fore nullas, niſi hoc ſpecifice a Sede Apoſtolica, ſeu a Nobis eis ſit conceſſum &c.

Ad idem.

Ubi periculum majus imminet, ibi procul dubio magis eſt conſulendum. Attendentes itaque, quod manifeſta peccata non ſint occulta correctione purganda. Et quod malum ubi oritur, ibi puniri debet, omnibus Penitentiariis noſtris diſtrictius inhibemus, ne quempiam ſuper peccato publico extra tempus quadrageſimale abſolvere quomodolibet preſumant, aut de quocunque publico crimine ſe intromittant. Volentes, quod publicos peccatores poſtquam caſum publicum fore intellexerint, mox ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum abſolvendos, & deinde inibi puniendos, ubi publice deliquerunt, remittant, ac decernentes abſolutiones per Penitentiarios noſtros ſuper publicis criminibus de cetero fiendas nullius fore roboris, vel momenti, in contrarium conceſſis non obſtantibus quibuscunque.

Ad idem.

Declaramus inſuper, quod Penitentiarii noſtri preſentes, & futuri nullam habeant poteſtatem ſibi ſocios in officio Penitentiarie noſtre aſſumendi, aut vices ſuas alteri committendi, niſi ſpecialiter ad id a Nobis, vel Vicario noſtro habuerint in mandatis.

Idem.

Preterea ordinamus, & preſenti decreto inhibemus, ne quis Penitentiariorum noſtrorum de cetero literas confeſſionis, ſeu confeſſionis teſtimoniales ſibi confitentibus quomodolibet preſumat dare, decernentes literas hujusmodi per eos dandas nullam fidem habere, aut eis fore adhibendum, ſi qui autem literis teſtimonialibus hujuſmodi abſolutionis, ſive in caſibus Epiſcopalibus Nobis reſervatis indiguerint, ſeu alias tales ad ſui cautelam forte pecierint: ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum pro talibus remittantur.

Idem.

Inſuper omnibus Presbyteris curatis, & non curatis noſtrarum civitatis & Dioceſis inhibemus, ne de caſibus Epiſcopalibus Nobis reſervatis, quos duximus inferius annectendos intromittere audeant, ſed ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum omnes infra ſcripti remittantur, decernentes, abſolutionem per eos, abſque ſpeciali conceſſione noſtra, ſeu Vicarii noſtri in caſibus hujusmodi preter quam in mortis articulo factis, viribus penitus carere.

Remittantur itaque ſubſcripti pro abſolutione.

Item rebaptizatus, reconfirmatus, & reordinatus.

Item qui matrimonia poſt ſponſalia jurata cum alia, quam ſponſa contraxerit. &c.

Insuper Statuta predicta apud Notarium hujus Synodi nostre recipi volumus per eum fideliter collationata, & ejus manu per nominis appositionem signata, ac per Sigilliferum tunc nostrum pro eorum robore gratis sigillari.

Lecta & rata sunt hec statuta antedicta in Synodo Episcopali tunc solempniter celebrata in Ecclesia majori Constantiensi, anno Domini *Millesimo, quadringentesimo, sexagesimo tertio*, die crastino festi S. Udalrici, que fuit quinta dies Julii, Indictione undecima.

Ex Codice Chartaceo MS. communicato ab amico vero Constantiæ habitante anno 1760.

Sequebantur in eodem MS. Codice

Dubia a Clero proposita, Episcopo super variis in Synodo præcedente anni 1463. *Resolutionibus una cum Responsionibus Ejusdem Episcopi BURCHARDI, quæ cum Conciliares non sint, hic omittuntur.*

Titulus autem horum dubiorum & avisamentorum hic ponitur, ut intelligat Clerus non denegandam sibi ab Episcopo audientiam, si dubia emergentia in Decretis Synodalibus Episcopo reverenter proponat.

Reverendissimus Pater & Dominus, Dominus BURCHARDUS, Episcopus Constantiensis, de gratia speciali pro salute Cleri sui cuilibet suæ Diœcesis Decano rurali, & in Collegiatis Ecclesiis majori Prælato dat & concedit auctoritatem ordinariam canonice absolvendi quoslibet Clericos in sacris, & sub eisdem Decanatibus & Collegiis constitutos a fornicationis crimine publico & occulto; sic tamen, quod ipsi Prelati & Decani in suis Ecclesiis absolvendos diligenter sub juramenti debito inquirant, si irregularitatem inciderint, ac tales, quos suspensos & irregulares invenerint, pro absolutione & dispensatione salubrius consequenda ad Vicarium ipsius Revmi Præsulis Constantiensis remittant: & quod hujusmodi gratia ad unum mensem integrum a die celebratæ Synodi anni MCCCCLXIII. computandum, & non amplius perduret. . . . .

Post lectionem & publicationem itaque Statutorum prædictorum Clerus deliberatione aliquali præhabita certa movit dubia & dedit avisamenta, petendo sibi super his consuli & provideri, sicque Rmus Pater & Dominus, Dominus Episcopus per peritos Synodi Religiosos & Sæculares desuper consultos ad ea generalia & singula Responsa dedit, ut infra.

Tenor itaque dubiorum & avisamentorum Cleri, de quibus supra fit mentio, sequitur de verbo ad verbum.

Dein subjungitur Responsio ad hujusmodi dubia. In fine

Nomine LINCK CONRADUS
Substitutus mpp.

SYNODUS EYSTETTENSIS

Anno Christi MCCCCLXV. Paulo II. Pp. II. Friderici Cæs. XXVI.

SUB WILHELMO (a) EPISCOPO.

CANONES XVIII.

I. De Hæreticis superstitiosis.
II. De Sacerdotibus existentibus in peccato mortali.
III. De Matrimonio.
IV. Quid dicatur Clam vel Clandestinum.
V. De Confessionibus audiendis.
VI. De publicis criminosis & pœnitentia injungenda.
VII. Ne pro administrandis Sacramentis aliquid exigatur.

VIII.

(a) Guilelmus, Nobilis a Reichenaw, sedit in Cathedra Eystettensi ab anno 1464. usque ad annum 1496. quo obiit.

PRÆFATIO.

WILHELMUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS EYSTETTENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS RECTORIBUS, PLEBANIS, ET VICE-PLEBANIS, ET EORUM LOCA TENENTIBUS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS, CAPELLANIS, CURATIS ET NON CURATIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIN NOSTRAS UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

CUm Pastoralis curæ sit, subjectorum moribus condigno remedio obviare, & corpora, quæ languore carent, arte & modis omnibus præservare; Nos volentes juxta commissæ nobis pastoralis solicitudinis officium Clero & Plebi nostræ Diœcesis paterne consulere, pro Divini Nominis gloria, & amplianda Religione ac virtutibus, retundendaque malitia, de Venerabilis Capituli nostri, Jurisque peritorum consilio ad laudem DEI Omnipotentis, Gloriosissimæ Virginis MARIÆ, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, Beatique Willibaldi egregii Confessoris & Pontificis, Patroni nostri, ac omnium Sanctorum pro felici statu hujus Sanctæ Eystetensis Ecclesiæ, ac Episcopalis Sedis, totiusque Cleri & populi ad ipsam pertinentium. Statuta *quædam Synodalia felicis memoriæ Domini JOHANNIS immediati Prædecessoris nostri*, *Anno Domini Millesimo, quadringentesimo*, *quadragesimo septimo*, in Synodo pro tunc publicata, prout jam pridem similiter ac per Nos actum est, ratificavimus, & nunc præsentibus ratificamus certo moderamine in eisdem observato, prout ex infra scriptis nostris statutis intelligetis. Præterea nova quædam edidimus, quæ omnia vim Legis & Præcepti sub pœnis in eisdem contentis habere, ac districte per vos observari volumus. Alioquin eorundem transgressores præter Divinam ultionem merito formidandam pœnas prædictas, & alia remedia opportuna exspectent. Non tamen interdicimus jurisdictioni Decani Ecclesiæ Cathedralis nostræ, ad quem sicut ex longæva & antiqua consuetudine immediata correctio excessuum Clericorum civitatis nostræ pertinere dinoscitur, in aliquo derogare.

De Hæreticis superstitiosis.

Etsi universas detestamur hæreses, & odimus singulas vanas & superstitiosas sectas & observantias hæreticorum, & Nobis, ac Vicario in Spiritualibus, & Pœnitentiario nostris omnium & singulorum damnatis erroribus involutorum absolutiones per quoddam Statutum Synodale Prædecessorum nostrorum sint reservatæ. Nos tamen considerantes propter ipsius statuti nimiam generalitatem, plerosque Presbyteros sive Confessores ipsum nimis generaliter intelligere, & plures, quam statuti intentio esse possit, ad Sedem Episcopalem pro absolutione mittere. Nos volentes generalitatem restringere, & ipsum statutum declarare, præsentibus dicimus & declaramus eos duntaxat, qui sectas damnatas, ac ea, quæ directe articulis fidei contraria sunt, credunt, vel sequuntur, atque alia superstitiosa pro rebus temporalibus acquirendis, retinendis, vel recuperandis habentes, fidem & spem in illis committunt, ad Sedem Episcopalem remittendos. Nisi forte in levioribus tanta esset consuetudo delinquentis, quæ correctionem facilem non reciperet, ex qua in alia majora lapsus sequi posset amplior, super quo arbitrandum conscientiam Confessoris oneramus.

De Sacerdotibus existentibus in peccatis mortalibus.

Quanquam secundum Sacrorum Canonum declarationes Sacerdotes etiam mortalibus prægravati sceleribus, Divina conficiunt Sacramenta, quæ pollui non possunt. Nulli tamen extra casum a jure expressum in mortali constituto peccato, Divina licet celebrare Mysteria, aut alia quævis conferre Sacramenta, Nos volentes quantum possumus ausum sive temeritatem quorundam Sacerdotum, qui publico maculati concubinatu frequenter & quasi quotidie celebrant, & ministrant Sacramenta, impedire, præsenti constitutione ordinamus, præcipimus, & statuimus, ne aliquis Sacerdos in publico sive notorio laborans concubinatu post unius mensis spatium ab hodie computandum Divina celebret Officia, nisi prius a Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario, aut cui Nos, vel idem Vicarius noster vices nostras in ea parte commiserimus, confessus rite fuerit, absolutus, & ad Nostrum, vel Vicarii nostri mandatum, jussum, & dispositionem concubinam, quam sic publice tenuit, aut tenet, dimiserit, sub pœna carceris, quam volumus contrarium facientes, ipso facto incurrere, ac alias juxta excessus qualitatem graviter puniri.

Et quoniam non est nostræ intentionis, ut hujusmodi publici concubinarii passim, & indifferenter quasi joco occasione confessionalium, aut licentia confitendi a Nobis, vel Vicario nostro datorum, & emanatorum ab eorum talibus excessibus absolvantur, ne facilitas veniæ incitamentum prebeat delinquendi, præsentibus inhibemus ne aliquis Sacerdos nostræ Diœcesis post lapsum unius mensis aliquem talem publicum concubinarium, sive fornicarium occasione talium confessionalium, vel licentia confitendi absolvat, sed potius ad Nos, aut nostrum in Spiritualibus Vicarium remittat. Decernentes irritum, & inane, siquid in contrarium factum, aut attentatum fuerit, nisi forte idem Sacerdos absolvendus Divina, tam necessario celebrare debeat, ut absque gravi scandalo populi vacare non possit, tunc poterit per quemcunque Sacerdotem absolvi; ita tamen, ut ad brevem terminum per eundem confessorem statuendum se Vicario præsentet ad recipiendum pro modo culpæ pœnitentiam salutarem, hortantes nihilominus omnes, & singulos Confessores a talibus publicis concubinariis ex majori auctoritate electos, ut & ipsi circa tales diligenter, & discrete vigilent, ne ipsi sua levitate se aliorum criminum faciant participes, super quibus omnibus cujuscunque conscientiam districte oneramus.

De Matrimonio.

Matrimonia clandestina, ex quibus sæpius visum, & expertum, plurima oriri scandala, & pericula animarum. Dum hi contrahunt, quibus a jure prohibitum est contrahere, prohibere volentes, Nos pœnis juris, nostras adjicientes, statuimus, ut singuli Plebani statim, postquam ad ipsorum notitiam, aliquos in aliquo gradu prohibito, vel legitimum habentes impedimentum, quominus contrahere possint, clam contraxisse pervenerit, eos, qui ita contraxerunt, mox ab ingressu Ecclesiæ, tam diu excludant, quousque iidem contrahentes coram Vicario nostro recepta pœnitentia, & sibi per suas patentes literas; ac alias per Officialem nostrum super hujusmodi impedimento Canonice expediti fuerint remissi, salvis tamen pœnis juris circa eos, qui etiam extra omne impedimentum clam contrahunt, quibus per præsens nostrum statutum in nullo volumus derogari.

Quid dicatur Clam, *vel* Clandestinum.

Et ne vocabulum *Clam*, sive *Clandestinum* multis, & præsertim in hac materia ignotum cuiquam ambiguitatem generet, præsenti constitutione declaramus, id fore, & esse clamdestinum matrimonium ad præsens censendum, quod per verba de præsenti, aut futuro, copula carnali subsecuta contrahitur, priusquam eorum contractus futuri matrimonii per Plebanum ipsorum in loco, vel locis, ubi verisimiliter notitia haberi potest ipsorum contrahentium, & devenerit in cognitionem impedimentorum, fuerit secundum statuta Synodalia, & Ecclesiæ publicatus.

De

De Confessionibus audiendis.

In ministrandis vero, & conferendis Sacramentis illud summopere providendum est, ne, ubi salus expectatur animarum, scandalum generetur, & peccatum nutriatur, propterea præsenti constitutione districte prohibemus, ne quivis Sacerdos cujuscumque mulieris sanæ in stuba, sive camera dotis, vel domus suæ confessionem audiat, sed in communiori loco Ecclesiæ, suspitione carente. Neque pueros extra Ecclesiam baptizent, nisi horum, quibus jura permittunt, nisi forte tempore hyemis propter ingens frigus aliud facere necessitas cogat. Tunc utique tam salubre Sacramentum cum ea reverentia, & disciplina conferatur, ut etiam propter devotionem astantium merito gratia baptizato conferri præsumatur, vel augeri; alioquin contrarium facientes ad arbitrium nostrum graviter puniemus.

De publicis criminosis, & pœnitentia injungenda.

Quoniam secundum Sacros Canones manifesta peccata non sunt occulta correptione corrigenda, præsentibus districte prohibemus, ne de cætero aliquis Confessor aliquem manifestum criminosum occulta pœnitentia puniat, sed manifesta, sive crimina sint levia, sive magna. Nam, quamvis pœnitentiæ sint arbitrariæ, illud tamen in suo genere locum habere certum est, ita, ut circa manifestam pœnitentiam in manifestis, & circa occultam in occultis sit arbitrandum: manifesta etiam occulta pœnitentia corrigere, potius mutare pœnitentiam videtur, quam arbitrari, quod, nedum simplicibus, verum & Episcopis jure prohibitum apparet, nisi forte peccatoris, vel confessi tanta sit resistentia, ut potius se Divinæ correctioni, quam humanæ velit submittere, quem non abjiciendum, sed cum innotescentia periculi, sive discriminis, quibus se ingerit, absolutum jubemus ire dimitti; alioquin hoc non observato, ad arbitrium nostrum gravi subjaceat ultioni.

Ne pro administrandis Sacramentis aliquid exigatur.

Cum nil pro Sacramentis administrandis exigi, vel extorqueri oportet, Nos volentes statutum vetus de non exigendo aliquid pro administrandis Sacramentis manu tenere, districte prohibemus, ne aliquis Plebanorum nostræ Diœcesis, & eorum loca tenentes, ex pacto, vel conventione confessionales denarios inter se, & cooperatorem dividendos conveniant & dividant, sed si Plebanus ipsi socio aliquid libere communicare velit, non prohibemus; socium tamen, vel cooperatorem de his, quæ sibi fideles sponte offerunt, Plebano dandum cogi nolumus, consuetudine quacunque non obstante: quoniam sæpius Plebanos, & Cooperatores propterea desides, & negligentes in audiendis fidelium confessionibus cooperimus. Hortantes nihilominus omnes & singulos Confessores, ne spe alicujus temporalis lucri consequendi propterea festinantius audiant, brevius expediant, quam oportet, scientes, quod si eorum culpa vel negligentia alios negligant, ipsi sibi eorum peccata accumulant; quodsi quisquam in his excessisse reperiatur, Nos contra talem ultra Divinam ultionem, quam incurret, ad graves pœnas pro nostro arbitrio infligendas procedemus.

De vita & honestate Clericorum.

Et quia statutum de honestate Clericorum plurimi adeo vilipendunt, ut nedum in Nostra & communis vulgi præsentia prohibitis utantur vestibus, verum & circa Divina eas minime deponunt, & alias inhoneste contra juris dispositionem incedunt; ut itaque Clericorum mores, & actus eorum in melius reformentur, honeste vivere studeant universi, statuimus, ut omnes & singuli Clerici per civitatem & Diœcesin nostras constituti tonsuram suo ordini, statui, & dignitati convenientem deferant, comam, & crines, sive pilos ultra nodum colli extensas non nutriant, ac rostros calceorum articulum digiti excedentes deponant, alioquin transgressores a distributionibus quotidianis cum corpore Præbendæ per unum mensem noverint se fore suspensos, omnino sub prædicta pœna prohibentes, ne aliquis Sacerdotum coram quocunque sibi ministrante, qui præmissorum transgressor repertus fuerit, & apparet, Divina celebret officia, sed eum tanquam indig-

num astare & ministrare prohibeat, quoniam non credimus, talem absque mortalis peccati culpa posse Sacra celebrare, vel Divinis astare, quia factis Sacris Canonibus pertinaciter contradicit.

De captivitatibus Clericorum.

Verum cum in terminis alicujus Decanatus Religiosi vel Clerici in Sacris constituti captivantur, captivi detinentur; interdictum Ecclesiasticum servari, & a Divinis cessare oportet, dubium, quis captivus dicatur, tollere volentes præsentibus pronunciamus, & declaramus; nedum hunc dici debere captivum, qui detentus vinculis sive carceri mancipatur, sed etiam eum, qui tentus & coactus permisit, sine vel cum pœna ad certum terminum se captivatori, aut alteri nomine & vice ipsius statuere, aut liber dimissus pœnam certam solvere, & debere.

De Præbendis diminutis.

Patroni Beneficiorum cum juris dispositione obligati, Nostris vero & Prædecessorum nostrorum etiam statutis hortati sint, ut ad Beneficia Ecclesiastica sine diminutione personas habiles & idoneas præsentent, nihilominus tamen hujus contrarium fieri, quotidiana docet experientia. Proinde districte prohibemus, ne Vicarius noster in Spiritualibus aliquem ad quodcunque Beneficium investiat, nisi prius coram eo is, qui præsentatus est, vel qui præsentat, sufficienter docuit, aut alias sibi legitime constans beneficium juxta tenorem statuti Synodalis *de Portione Canonica* disponens fore, & esse dotatum, vel provisum, & sic præsentato absque diminutione debita fuerit portio assignata & tradita, nisi is, qui præsentatur, adeo in fructibus Beneficii non ex culpa vel fraude Patroni attenuati, sit contentus, ut nulla sibi contra Nos vel Patronum possit competere querela vel actio.

De Magistris Fabricæ Ecclesiarum.

Statutum de Magistris fabricæ Ecclesiarum in suo robore permanere omnino jubemus, hoc adjicientes & moderantes, ut ratio de perceptis & expositis ab his, a quibus & coram quibus fieri debet, non nisi & semper infra Pascha & Ascensionem fiat. Et a Plebano loci recessus plenus de omnibus perceptis, expositis, remanentibus, & debitis Vicario nostro in scriptis mittatur, quem si forte aliquis vel aliqui mittere impediant, vel impedire nitantur, is, vel ille ab eorum Plebanis ab ingressu Ecclesiæ coerceatur tam diu, quousque a Nobis, aut Vicario nostro aliud habuerit in mandatis, vel facto pareat, vel paruerit, nec ipsi Magistri, vel Procuratores per se, vel cum eorum Plebano alicui sine Nostra, aut Vicarii nostri expressa licentia aliquam pecuniæ summam mutuent, vel accommodent, nisi ipse Plebanus, & Vitrici, sive Magistri fabricæ pro accommodatis vel mutuo datis pecuniis velint esse principales debitores & solutores, quam pecuniam accommodatam vel mutuatam etiam in proxima ex post ratione sub pœna dupli sine contradictione solvere debeant, & teneantur.

De Sententia Excommunicationis.

Ex causis plerisque Nos, nostrique Vicarius in Spiritualibus, & Officialis mandata sub pœna excommunicationis latæ sententiæ emittimus: post accusatam etiam contumaciam trinæ, vel alias sufficientis admonitionis ad reproducta mandata subscribimus, excommunicatum declaramus, excommunicamus, vel suspendimus: ex quibus nulli dubium manet, ex rigore juris tales, contra quos declaratio, vel post contumaciam accusatam excommunicatio, vel suspensio scribitur; excommunicati sive suspensi sunt judicandi, & censendi: quia tamē simplices & juris ignari, quamdiu literæ non expediuntur, sibi de Beneficio absolutionis non provident, putantes se nisi literis expeditis minime ligari; volumus, ut quilibet contumacias accusans, quas primum ex copia notarii facere possit, expediat; contrarium facientes, & literas extradi obmittentes, per Vicarium, & Officialem nostros in pœna duplicis taxæ Banni, & litterarum puniri seriose jubemus.

De Renuntiatione.

Ecclesiasticorum Beneficiorum resignationes, & renuntiationes debite fiant, nullique ad ea, nisi digni, & idonei præsen-

ſententur,& recte conferantur ; ſtatuimus, ut ſicut eorum reſignationes, ſive renuntiationes, niſi in noſtras, aut Vicarii noſtri, aut alterius ad id de jure, vel conſuetudine poteſtatem habentis manus factæ & admiſſæ, quoad Nos nullæ ſunt, ita nulli, qui ad ea vacantia ex reſignatione alia, quam in manus noſtras, aut Vicarii noſtri, aut cui ad hoc Nos, vel idem Vicarius noſter, vel is poteſtatem ad id modo prædicto habens vices commiſerimus, vel commiſerit, facta præſententur, vel conferantur: certificantes omnes, & ſingulos Beneficiatos præſentes, & futuros noſtrarum civitatis & Diœceſis, quod ſi quis Beneficium Eccleſiaſticum ad inſtitutionem noſtram ſpectans, per ſe, vel alium in manus alicujus Patroni Eccleſiaſtici, vel ſæcularis ex quacunque cauſa ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia reſignaverit, quod ipſum Beneficium alteri, cui Nobis placuerit, conferemus, aut alias graviter, prout Nobis expedire videbitur, puniemus, hortantes omnes & ſingulos alios, ad quos de jure, vel conſuetudine beneficiorum ſpectat collatio & inſtitutio, ut & ipſi idem faciant & obſervent.

De Clericis peregrinis.

Cum ſit honeſtati contrarium, & a Sanctorum Patrum inſtitutione alienum ſine conſenſu Epiſcopi Clericos aliarum Diœceſium indifferenter in Eccleſiis inſtituere, præſenti edicto omnibus & ſingulis Presbyteris curatis, & non curatis per Diœceſin noſtram conſtitutis diſtricte prohibemus, ne aliquem alienæ Diœceſeos Presbyterum in Vicarium, Cooperatorem, aut Capellanum in Eccleſia, vel Beneficio ſuo ſine noſtra, aut Vicarii noſtri expreſſa licentia inſtituat, præficiat vel aſſumat, alioquin contrarium facientes ſevere punire non obmittemus.

De Statu Monachorum.

Monachi, quia per villas, & oppida, ſive quaſcunque Eccleſias Parochiales ſinguli de jure communi poni non debent, præcipiendo mandamus omnibus & ſingulis Beneficiatis, & Vicariis Beneficiorum, & Eccleſiarum quarumcunque, ne aliquis Religioſum, ſive Monachum, etiam Canonicum Regularem quemcunque per ſe, & in ſui loco ad quodcunque tempus præficiat vel ponat, neque quemque Miſſas in Eccleſia, vel Capella ſua dicere, vel celebrare permittat ſine noſtra, aut Vicarii noſtri ſpeciali licentia. Prælatum tamen regularem quemcunque, ſi ad aliquem locum diverti contigerit, per ſe, vel Capellanum ſui ordinis, vel ſæcularem celebrare non prohibemus, alioquin aliter facientes pena ſuſpenſionis, aut alia, prout Nobis videbitur, mulctabimus.

De Locationibus Beneficiorum.

Eccleſiarum locationes, niſi ex rationabilibus cauſis, per Rectorem, vel Paſtorem prius Nobis, vel Vicario noſtro expoſitis, fieri omnino prohibemus. Et ut non aliis, quam fide dignis, doctis, & diſcretis, aut Nobis, aut Vicario noſtro præſentatis perſonis, & Presbyteris locentur, ſub pœna decem florenorum diſtricte præcipiendo jubemus.

De Excommunicatis propter violentiam Clericorum.

Sæpe Clerici, & Presbyteri per laicos ſua culpa offenſi, vel violentati, ne ipſorum culpa coram Superioribus appareat, cum laicis ſcandaloſe ſe componunt: & dum laicis abſolutio aliter, quam ordo juris dictat, denegatur, ſcandalizantur; diſtricte mandamus, ne aliquis Clericus in ſacris conſtitutis ſe ſponte ſine noſtra, aut Vicarii noſtri, vel Prælati ſui in ipſum jurisdictionem ordinariam de jure, vel conſuetudine habentis licentia cum offenſore ſuo componat vel concordet. Non prohibemus tamen de modo concordiæ inter ſe convenire, quem tamen Nobis, aut Vicario noſtro, vel Prælato ſuo ante acceptationem idem offenſus exponere teneatur. Qui cum per Nos, Vicarium, vel Prælatum aſſumptus & approbatus fuerit, per offenſum accipi poteſt, ut ſic appareat juſte, ſi offenſor in partibus veniat abſolvendus, aut Sedi Apoſtolicæ relinquendus; horum autem transgreſſores, prout quantitas exigit transgreſſionis pœna plectentur.

De Diſpenſantibus cum exiſtentibus in peccato mortali, ut recipiant Sacramentum.

Quia ad notitiam noſtram pervenit, non-

nonnullos Sacerdotes nostræ Diœceseos curam animarum habentes cum his, quos in casibus Superiori nostro, vel Nobis reservatis absolvere non possunt, dispensare, ut ad sacram Communionem, priusquam ab eis in casibus a jure permissis, aut Superiori nostro, vel Nobis beneficium absolutionis consequuntur, accedant; Nos volentes vetus statutum omnino servari, præsenti decreto sub pœna carceris decem dierum præcipimus, & mandamus, ne aliquis Sacerdotum nostræ Diœceseos de cætero aliquem ad Sacram Communionem admittat, nisi prius per eum in casibus a jure expressis vel Superiori nostro, aut Nobis, vel vices nostras gerenti a peccatis, & Superiori nostro, vel Nobis reservatis sit rite absolutus, & absolutum.... se: alioquin pœna prædicta, vel alia pro nostro arbitrio punire non obmittemus.

Edidimus hanc Synodum ex Libro Synodali impresso Eichstadii in 4to. anno 1484. a pag. XXVI. ad pag. XXIX.

SYNODUS DIOECES. MAGDEBURGENSIS

ANNO CHRISTI MCCCCLXVI.

ITem eodem anno secunda Feria post Lucæ Dominus JOHANNES tenuit Synodum in Ecclesia Magdeburg, . . ubi personaliter interfuit cum tribus Abbatibus & multis Prælatis.

Chronicon Anonymi ad hunc annum. Apud Meibomium Tom. II. Scriptor. Germaniæ.

SYNODUS PATAVIENSIS

ANNO CHRISTI MCCCCLXX.

Constitutiones Synodales Reverendissimi Patris ac Domini, Domini UDALRICI, Episcopi Pataviensis.

CAPITULA LV.

UDALRICUS, (*a*) DEI GRATIA, EPISCOPUS PATAVIENSIS, IMPERIALIS CANCELLARIUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PAstoralis nostri officii debitum, quo Deo permittente præsumus, Nos admonet, quatenus primo super ratione, & cultu Deo omnipotenti debitis jugiter exhibendis, ac Sanctis ejus honoribus impendendis: Secundo super excessibus nostrorum subditorum corrigendis, ac moribus eorum reformandis, *ne eorum sanguis de manibus nostris* in finali judicio *requiratur*, solerter intendamus. Fuissemus denique a primaria nostræ sublimationis ad Episcopalis dignitatis apicem institutione eis intendendo mente devota avidi, impedientibus autem variis mundi, præsertim Diœcesis tam in spiritualibus, quam in temporalibus negotiis inevitabilibus, eis, quibus animo & labore studiis intendere volebamus, nequaquam operam dare poteramus. Arridentibus autem in præsentiarum tempore ac opera opportunis, quæ omisimus, accuratiori volumus supplere solicitudine ac labore; Quare ad præsentes diem & horam nostros in Christo sincere dilectos Confratres, SEYFRIDUM Præpositum, VALENTINUM Decanum, totumque Capitulum, ac singulos Abbates, Præpositos, Officiales, Præ-

(*a*) Odalricus III. de Perillustri Gente Nusdorff, a Capitulo Salisburgensi anno 1451. contra voluntatem Friderici III. Imperatoris, electus unanimi voto Episcopus LIII. Synodum celebravit hoc anno 1470. pro tuenda & conservanda Cleri disciplina. *Ex P. Hansizio.*

Prælatos, Archi-Diaconos, Decanos, Plebanos, Vicarios, Altariſtas, Capellanos, ſociosque Divinorum, inſuper totum Clerum noſtræ Diœceſis convocamus, ad quorum aviſationes & requiſitiones &c. in ſcriptis traditas & aſſignatas, eorumque aſſenſu & conſilio ſubſcripta fecimus, ordinavimus, & concluſimus Statuta, ſeu Conſtitutiones Synodales, volentes, præcipientes, & mandantes diſtricte ſub pœnis obedientiæ, excommunicationis, & aliis inibi contentis ac fulminatis, inviolabiliter obſervari, teneri, ac effectui dari.

I. *De Reverentia Deo & Cultui Divino impendenda.*

Incipientes itaque prius cultum & honorem Dei procurare cupientes, ſtatuimus, volumus, & ordinamus, quatenus ad Eccleſias Dei humilis ſit & devotus ingreſſus, quieta converſatio, Deo inſpicientibus grata, & quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed & ædificet, & reficiat. Convenientes ibidem ad nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, JESU CHRISTI, præcipue dum aguntur Miſſarum ſolemnia, flectant genua cordis, quod vel capitis inclinatione teſtentur. Nullus ibidem ſeditiones excitet, conclamationes, aut inanes converſationes, colloquia, aut fabulas faciat, impetumve committat; ſint ibidem inſuper quæcunque alia, quæ Divinum poſſint turbare Officium, aut oculos Divinæ Majeſtatis offendere, penitus extranea, ne ubi peccatorum venia eſt impetranda, ibi peccatorum detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent igitur in Eccleſiis, earumque cœmiteriis negotiationes præcipue nundinarum, aut fori cujuscunque tumultus.

II.

Inhibemus inſuper, ne pueri noviter baptizati ad altare pro receptione vini ex calice tempore Miſſarum deferantur, aut per celebrantes Miſſas eis vinum ex calice porrigatur, cum ex hoc multi temere credant tales fieri ſcientificos, & malam gerant fidem, qua occaſione pericula animæ oriuntur.

III. *De Pater noſter, Ave Maria, & Veneratione Sanctorum.*

Inſuper committimus ſub pœna obedientiæ omnibus Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Vicariis eorundem, ac Prædicatoribus univerſis, quatenus omni ſermonis tempore, ſignanter diebus Dominicis, *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Symbolum Apoſtolorum*, *decem Præcepta*, ac *formam Baptiſmi* populo ſuo materna lingua ſuis ſubditis diligenter pronuntient, ne ea valeant ignoſcere, vel ignorare: diligenterque alliciant, informent, & inducant, ut diligenter addiſcant, ut Deum valeant etiam ore implorare, & ſalutem animarum ſuarum procurare. Nihilominus eos inducant ad ſuſcipiendum Confirmationis Sacramentum, quod ſalubriter noſcitur a Deo inſtitutum, & effectum facere ſalutarem.

IV. *De Clericis peregrinis.*

Firmiter inhibemus, ne Presbyteri peregrini ignoti, aut extra Diœceſim noſtram ordinati in publico ad Miſſarum ſolemnia celebranda admittantur, niſi per literas teſtimoniales, vel alias Canonice de ipſorum ordinatione Nobis, aut Officialibus noſtris Generalibus prius fiat fides.

V. *De Officio Vicarii.*

Et quia Eccleſiarum Plebani, ſive Rectores, & Prælati Monaſteriorum in Eccleſiis ſibi incorporatis ſuis Rectoribus adeo relinquunt exiguam portionem, quod ea nequaquam poſſunt ſuſtentari: nonnulli vero antiquas augent penſiones, ſive abſentias, quod eorum Vicarii minus rationabiles, ac tolerabiles faciunt excogitatis ingeniis exactiones; ſtatuimus, ut ipſis Vicariis ſufficiens, & honeſta portio de proventibus Eccleſiæ aſſignetur; alioquin ipſi Rectores & Prælati, ſi moniti non aſſignaverint, ſuis poterunt Beneficiis privari. Nullus quoque ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ad curam animarum inſtitutus, Vicariam perpetuam, vel temporalem ſimilis Beneficii aſſumere præſumat.

VI. *De Collectoribus.*

Veridica accipimus relatione, quod hoſpitalia, quibus de gratia permittitur eleemoſyna, in Diœceſi noſtra colligenda

da in tribus diebus Dominicis vel Festivis, tales collectiones permittant per Pedellos,& alios nuntios colligere, vel faciant imponi, qui paciscuntur cum eis pro certa summa danda, sive plus,vel minus colligatur, ex quo sequuntur multæ fraudes. Aliqui enim, ut plus habere valeant,colligunt ostiatim, alii bis imponunt collectam, aliis fraudibus inpræsentiarum, quæ fieri solent, omissis; volumus propterea,quatenus amplius talia hospitalia per suos nuntios literas nostras Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, seu Vicariis eorundem præsentent, qui eas exequantur juxta earum tenorem. Fiat quoque collectio per Magistrum Zeche, vel alium fidum per hujusmodi Rectores aut Vicarios deputandum, quæ collecta sigilletur,& per eos includetur,sicut hactenus est observatum. Nullus ergo amplius ostiatim habeat colligere, nec admitti debet ad colligendum, nisi Officialis, Archi-Diaconus, aut Diaconus literis nostris examinatis, ne fraus committatur, suas insuper hujusmodi collectoribus literas assignet, ut est consuetudo.

VII.

Non sine displicentia percepimus nostros Suffraganeos in ordinatione Clericorum, Ecclesiarum consecratione, & Officiales in literis tradendis ad Suffraganeos, cum examinati sunt, ac eorum Notarios in salariorum expetitione excedere, super quo volumus, ac præsentium constitutionum tenore mandamus, quatenus in antea Domini Suffraganei in præmissis non excedant, sed pia moderatione expensarum, sumptuum, & aliorum onerum præmissa ultra condignum, & æquum minime exigant; Officialis autem in suis literis sicuti citatione simplici sit contentus. Notarius autem de quolibet intitulato duos denarios monetæ currentis; similiter Pedellus, aut Cursor pro suo labore in intromittendo duos recipiat, & amplius non petendo.

VIII. *De eodem.*

Insuper volumus, quod Suffraganei nostri Professi ordinem, habitum suum deferre debeant, sicuti clara juris dispositio existit, & nullum ad quemcunque gradum, nisi aut nostris Officialibus, aut cui commiserimus, fuerint prius præsentati, ordinare præsumant, in quantum nostram voluerint evitare indignationem.

IX. *De officio Ordinarii.*

Insuper Sacerdos Parochialis quilibet plebem suam doceat diligenter, ut cum in celebratione Missarum Hostia levatur salutaris, quilibet devote flectat genua sua, vel saltem se reverenter inclinet; idem faciens, cum eam Presbyter portat ad infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat manifeste, ac honorifice ante pectus cum omni reverentia & honore, semper nola parvula & lumine præcedentibus, nisi locorum repugnet distantia, vel temporis qualitas, quatenus ex hoc fides & devotio apud homines augeatur.

X. *De Majoritate & Obedientia.*

Statuimus præterea, ut nulli Clerici, Nobilium Capellani, in Capellis castrorum Dominorum suorum celebrare præsumant, nisi ante Episcopo, vel loci Archi-Diacono, Officiali generali, aut Decano obedientiam faciant manualem, & quod ad Synodos veniant, Statuta inibi, Capitula, Mandata, & Ordinationes, ibidem instituta & ordinata recepturi, & suis Dominis, ac eorum Castrensibus, secundum quod fuerit opportunum, relaturi; cum frequenter Plebani, aut eorum Vicarii, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere commode non audeant. Quod si secus facere quisquam præsumpserit, per ipsos Episcopum, Archi-Diaconum, Officialem, aut Decanum condigne puniatur.

XI. *De spoliis & captivitate Personarum Ecclesiæ.*

Statuimus etiam sub excommunicationis pœna latæ sententiæ districte præcipientes, ut si quam prædam vel spolium rerum Ecclesiasticarum ad Divinum cultum deputatarum, seu etiam Ecclesiasticam personam captivam ad aliquam civitatem, oppidum, villam, seu castrum adduci contigerit, Sacerdotes & Capellani civitatum, villarum, oppidorum, sive castrorum, postquam sciverint, non exspectato super eo Superiorum mandato abstineant a Divinis interim, quousque dicta

dicta persona captivata, aut res Ecclesiasticæ prælibatæ in præfatis locis detinentur.

XII. *De his, quæ vi vel metus causa fiunt.*

Etiam statuimus, hos, qui absolutionem, vel quamcunque revocationem ab excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis per vim, vel metum extorserint, quamvis hujusmodi absolutiones, & revocationes a jure sint irritæ, excommunicationis sententiæ subjacere. Et quia Clerici, Presbyteri, ac Religiosi nonnulli non attendentes, quantum sit obedire bonum, quod *victimis* (a) *antefertur*, *& quod peccatum est ariolandi nolle acquiescere.*, *& scelus idololatriæ non velle obedire*; rerum suarum, vel corporum vanum videlicet metum, cum Nobis,ac nostris & nostrorum mandatis obedire tenentur, allegantes, quo minus hujusmodi mandata exequantur, ex quo propter contemptum clavium Ecclesiasticæ disciplinæ virtus dissolvitur, Sacræ hujusmodi approbatione Synodi statuimus, ut nulla rerum prædictarum, aut metus corporum, subditorum nostrorum inobedientiam mandata hujusmodi exequi non curantium valeant excusare: & in tantum, quod si metus corporis simplici proprio juramento duntaxat, & non legitimis coram Nobis, vel eo, a quo mandatum subditus receperit, ostensus fuerit documentis, nihilominus cedat loco, in eis autem, quæ in non faciendo consistunt, ut puta, non communicare excommunicatis, vel non celebrare in loco interdicto; & hujusmodi aliis, nec rerum neque corporum,quantuscunque metus prolatus fuerit, excusat. Cum nullo metu debeat peccatum mortale ex inobedientia committere, sicut Sanctorum authoritatibus comprobatur.

XIII. *De Fide Instrumentorum.*

Placuit nostræ Sanctæ Synodo, ut nullus se publicum Notarium asserens in officio tabellionatus aliqualiter admittatur, nec credatur ejus instrumento, nisi coram Nobis, aut nostris Officialibus, vel eorum vicegerentibus de suo officio plenam faciet fidem. Quoniam sæpe ex Notariis incognitis,& imperitis gravia solent pericula evenire.

XIV. *De Vita & Honestate Clericorum.*

Licet Sacri Canones decreverint salubres super victu, habitu, & vita Clericorum constitutiones, nihilominus non vanum credimus, ea in nostris Statutis Synodalibus refricare, quo minus simplices valeant ignorare. Statuimus juxta juris communis dispositiones, ut Clerici officia & commercia sæcularia maxime inhonesta non exerceant; mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant, tabernas prorsus, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti evitent. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentes, & se in officiis Ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter, clausa deferant desuper indumenta, id est, superior vestis eorum sit clausa, nimia brevitate & longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, nec non manicis & sotularibus consuticiis, freno seu pectoralibus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentes non utantur, corrigias auri vel argenti ornatum habentes non ferant, sicut nec annulos, nisi quibus ex officio competit dignitatis. A crapula & ebrietate omnes Clerici abstineant, ac alias se habeant, teneant, ac regant, puta in circumferentiis vestium sericeis diversorum colorum, atque aliis variis coloribus pellium in habitu, & statu, vita, & honestate, ut sacræ disponunt constitutiones. Quod si quicunque Clericorum in sacris Ordinibus constitutus, vel in minoribus Beneficiatus portaverit habitum a sacris canonibus, aut Nobis inhibitum, si monitus fuerit, ultra pœnam inobedientiæ eo ipso amissionem illius habitus incurrat ipso jure. Et ut hæc constitutio nostra nostris effectu temporibus non careat, nostris Archi-Diaconis, Officialibus, & Decanis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus districte, quod per districtam jurisdictionem sibi commissis per se, vel alios, vel alium unica monitione duntaxat præmissa præcipiant, quatenus infra decendium talem habitum deponant, & nullo amplius tempore reassumant, alioquin ipsum habitum eis auferant, etiam violenter, & eum in opus pium convertant de nostro consensu, si habi-

(a) I. Regum XV, 22.

habitus notabilis fuerit æſtimationis. Decet enim Sacerdotes & Clericos in domibus ſuis honeſte converſari, cum Diſcipulorum Chriſti in ſuo officio gerant vices, quatenus aliis ſint bonæ vitæ exemplum. Mandamus pœnis ſupradictis, ut ibidem in domibus ſuis honeſte converſentur, moribus inſiſtant gravibus & decentibus, nullas choreas, aut alia inhoneſta conventicula ſæcularium perſonarum admittant, ſi noſtram voluerint evitare ultionem.

XV. *De Inſtitutionibus.*

Quoniam nonnunquam contingit, quod ad vacantem Prælaturam, aut quodcunque beneficium aut officium Eccleſiaſticum regulare vel ſæculare duo vel plures aſſerunt ſibi jus competere, eliguntur, vel inſtituuntur: & alter, qui minore vel nullo jure utitur, ut eum, cujus pinguius vel majus jus eſt acquiſitum, per potentiam vel tædium fatigare, & exhaurire poſſit, attrahit favorem potentium laicorum, vel Advocatorum, quibus, ut eis aſſiſtant & manuteneant, promiſſiones faciunt de juribus & libertatibus Eccleſiaſticis remittendis, ſeu etiam de pecuniis mutuandis; Nos huic morbo occurrere volentes præſentis ſtatuti remedio ſalutari, hujusmodi promiſſores & potentium laicorum attractores, volumus ipſo jure ſententia excommunicationis innodatos eſſe, & nihilominus eos fore inhabiles, ſive ineligibiles ad hujusmodi beneficia & dignitates. Mutuatores etiam pecuniarum talium in hoc caſu volumus carere actionibus pro mutuo hujusmodi repetendo.

XVI. *De Vacatione Prælaturæ, aut Beneficii.*

Quoniam ſæpius relatione plurimorum didicimus, quod nonnulli nobiles, ac poteſtates ſeculares, & eorum Officiales, cum aliquam contigerit vacare Prælaturam, Beneficium vel officium in noſtra Diœceſi, ſtatim gentes, vel famulos ibidem mittant armorum, aut eorum officiales graves faciunt in ipſis Prælaturis, vel beneficiis expenſas: & quod deterius eſt, nonnunquam hi, ad quos collatio, vel præſentatio ſpectat, futurum Paſtorem compellunt eligere, per abuſum poteſtatis ſecularis, vel potentiæ inordinatæ, quem nihilominus non admittunt ad poſſeſſionem, etiam a Superiore confirmatum, aut conſtitutum, donec de certa pecuniæ quantitate concordet cum eisdem, atque eandem perſolvat. Nos hujusmodi damnandæ ambitionis audaciam reprimere cupientes authoritate hujus Sacræ Synodi ſtatuimus, ut nullus quacunque Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeat dignitate, talia de cætero præſumat, per quæ offenditur Eccleſiaſtica libertas, & Eccleſiæ multipliciter aggravantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, niſi infra menſem a tempore hujusmodi vacationis, aut extorſionis reſtituerit, aut extortum jam promiſſum remiſerit realiter, & cum effectu, ipſum volumus excommunicationis ſententiæ eo facto ſubjacere, a qua nullatenus abſolvatur, donec reſtituat extorta, & reſcindat promiſſa, in quibus etiam nulla eorundem remiſſio ſibi debet locum vendicare.

XVII. *De Pignoribus.*

Ad omnem dubitationem, ſive quæſtionis materiam amputandum ſtatuimus, ut ſi quis prædium ſuum, cui jus attinet Patronatus, cuicunque obligaverit, indiſtincte jus præſentandi apud ipſum obligantem reſideat, cum tale jus æſtimari non poſſit, & contra in ſortem nequeat computari.

XVIII.

Quia omnia jura clamant, quod ultima voluntas, vel ultimum hominis teſtamentum immobile debet perſeverare, & nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſalvus exiſtat; authoritate hujusmodi ſtatuimus, ut, ubicunque jura a teſtamentorum prohibent factione, etiam in ſanitate, vel lecto ægritudinis conſtituto legandi, diſponendi, & ordinandi de bonis ſibi collatis juſta, & ad pia loca Perſonas Eccleſiaſticas, & alias quocunque, dummodo contra legitimas non veniant ſanctiones, libera ſit facultas. Volentes, & præcipientes diſtricte, quod per noſtros ſubditos Judices, univerſi Clerici, & laici impedientes defunctorum legata, ſive ultimas voluntates per excommunicationis, interdicti in loca ſenten-

tentias, quindecim dierum Canonica admonitione præmissa, ferendas ab hujusmodi impedimentis desistere compellantur. Et ad quorum executionem, & debitam aggravationem, si contumacia eorum exegerit, tempore faciendi ipsi judices prælibati, ad quorum officium testamentorum defensio utroque jure suadente dignoscitur pertinere, tam benevolos se exhibeant, & paratos, ne negligentia de eorum manibus in die districti judicii requiratur.

XIX. *De Sepulturis.*

Insuper statuimus, & sub pœna suspensionis præcipimus firmiter, & monemus, ut quilibet Sacerdos nostræ Diœcesis, cujuscunque dignitatis, eminentiæ, status, seu religionis fuerit, infra octo dies, causa legitima cessante, postquam ei de morte Episcopi Pataviensis pro tempore existentis constiterit, per se vel alium Missam pro defunctis dicat in remedium Episcopi memorati.

XX. *De Sepulturis, & præventis, & funeralibus.*

Pridie in Synodo nostra mature deliberatum est, qui præventi in morte dici debeant. Cum autem pro sepultura, tanquam spirituali bono, juxta juris dispositionem nihil exigi debeat, volumus quod pro licentia sepeliendi præventos per eos, qui hujusmodi dare habent licentiam, nihil temporalis exigatur. Sed quia pro beneficio merito fit beneficium; non prohibemus, quin ipsi, qui licentiam hujusmodi dant, bonis mediis sine labe simoniæ, ac alia pravitate, consanguineos, aut propinquos ipsius præventi sepeliendi inducere poterunt, ad dandam eleemosynam pro fabrica Ecclesiæ nostræ Pataviensis, ut unde gratiam receperint, non immerito benevolentiam aut gratitudinem retribuant, ac beneficium recognoscant.

XXI. *Ne pactiones in Spiritualibus fiant.*

Inhærentes deinde vestigiis nostrorum Prædecessorum, quatenus pactiones in spiritualibus non fiant, districtissime inhibemus, ut super defunctorum remediis ante exequias, & sepulturam defuncti nulla pactio, seu conventio intercedat; defuncto autem, sicut convenit, sepulto, quidquid ex testamentis, vel laudabili consuetudine Sacerdoti debetur, vel Ecclesiæ convenit, persolvendum ab hæredibus defuncti, vel ab illis, qui in bonis ipsorum succedunt, petatur & ab eis ad solutionem, si opus fuerit, per Ecclesiasticam censuram compellantur.

XXII. *Ne Religiosi præsertim mendicantes sermonem ante prandium faciant.*

Et quia, nisi unicuique suâ jurisdictio reservetur, Ecclesiasticus ordo confunditur, inhibemus districte, ne religiosi præsertim mendicantes, quicunque ante prandium contra Clement. *dudum de sepulturis*, sermonem faciant ad plebem, nisi specialiter a Nobis, aut alias decenter desuper fuerit privilegiatus: de quo ipsum Plebanum, vel ejus Vicarium, ubi sermo fieri debuerit, volumus fieri certiorem.

XXIII. *Ne Religiosi habitum deponant.*

Cum plerique fratres ordinum mendicantium, ac religiosi aliorum ordinum suæ religionis habitum absque causa rationabili manifeste deserentes, excusationem in peccatis, exceptionis privilegium, de quo minime apparet, in suæ animæ periculum, & plurimorum scandalum allegando, sicque excommunicati a jure exercent sui ordinis officium, Sacra approbante Synodo ordinamus, ut nullus nostrorum subditorum tales ad sui officii executionem admittat, nisi habitum suæ religionis manifeste deferat, sitque laudabilis conversationis, & bone famæ, omnesque tales, cum sint a jure excommunicati, evitent, faciantque ab aliis arctius evitari, in quantum nostram voluerint evitare ultionem.

XXIV. *De Parochis, & alienis Parochianis, & juribus Parochialibus.*

Nos Sanctorum Patrum, qui Ecclesiæ Sanctæ Dei, & Personis Ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes, hujus approbatione Synodi universis Sacerdotibus

tibus, tam religiosis, quam sæcularibus, cujuscunque ordinis, conditionis, sive status existant, in civitate, Diœcesi nostra Pataviensi degentibus sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione Sacerdotii præstiterunt,& sub interminatione Divini Judicii, firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum,vel cujus cura per Nos,vel nostros Officiales, alii est commissa, excepta necessitatis causa, quæ legem non habet, ad confessionem recipere, aut ei aliquod Ecclesiæ Sacramentum porrigere præsumat, non petita desuper & obtenta, aut concessa licentia proprii Sacerdotis. Cum certi,& indubitati juris existat, talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus vel ligari, & ex hoc ordinem Ecclesiæ per Majores,& Sanctos Patres Divina providentia institutum confundi, & perturbari. Et hoc præsens statutum per universos Plebanos, seu eorum Vicegerentes singulis quatuor temporibus, & in præcipuis Festivitatibus coram suis Parochianis præcipimus publicari.

XXV. *De Juribus Parochialibus.*

Iterum interrogatio est facta in nostra Sacra Synodo de his, qui non solvunt jura Parochialia, census, testata,& similia debita ad Ecclesias, & pias causas, an a confessione, an a Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ debeant suspendi? Declaramus, si tales confiteantur se obnoxias,& temerarie, vel sine causa, cum solvere possint, nolle solvere, quia in peccato consistunt, tenendo rem alienam temere, non debent, imo nequeunt absolvi, per consequens, nec communicari. Si vero ex paupertate, vel ob aliam causam rationabilem, quominus solvere possint, aut debeant, proponerent; in tali casu hujusmodi non veniunt repellendi. Videat autem confitens, quam bene in sua conscientia versetur coram Domino Deo, cui omnis conscientia patet, cujus ipse Confessor in hac parte locum tenet, propterea talis bene erit avisandus, ne faciens contra conscientiam ædificet in gehennam.

XXVI. *De Parochis, & Sacerdotibus Curatis.*

Veridica recepimus relatione, quod nonnulli Curati ab Ecclesiis suis se per aliquot dies absentent appropiando civitatibus, negotiorum, vel interdum lasciviæ causa, non attendentes suæ curæ animarum: propterea sæpe inopinati infirmi in agone, aut mulieres prægnantes negliguntur in suarum animarum jacturam. Nos huic morbo providere volentes, ne animæ a Nobis, aut dictis Curatis in novissimo districto judicio requirantur, districte comminando mandamus, quatenus ubi plures sunt Sacerdotes, semper unus apud dotem, & plebem pro infirmis, prægnantibus, & similibus curandis remaneat; si vero unus duntaxat inibi est, per vicinum Sacerdotem,aut alium modum accommodum disponat; ne hujusmodi infirmi, & puerperæ negligantur: secus facientes arctius puniemus,& puniri faciemus.

XXVII. *De Jure Patronatus.*

Ad extirpandam tam detestabilem corruptelam quarundam Ecclesiarum, vel Capellarum, Patronorum, qui Rectoribus earundem defunctis dotem, aut domum & Ecclesiam, vel Capellam rebus mobilibus, & interdum immobilibus in salutis propriæ dispendium, & scandalum plurimorum spoliant: statuimus, ut sive Clericus, vel laicus hoc facere præsumpserit, cujuscunque dignitatis existat, sit a jure præsentandi ea vice suspensus, & Superior immediate ipsam Ecclesiam, vel Capellam conferat: quod si negligens fuerit, iterum Superior eam conferat ipso jure, sitque nihilominus excommunicatus ipso jure, & arctius ab hominibus Christi fidelibus evitetur, donec cum debita satisfactione restituat ablata.

XXVIII. *De Celebratione Missarum.*

Prædecessorum nostrorum docti vestigiis, statuimus, ut nullus Sacerdotum novitiorum illa die, qua primam Missam celebrare voluerit, in exordio publicationis Sanctissimi sui officii oblaturus Deo primitias gratiæ,& salutis sibi collatæ, aliquos ad convivium convocare, aut invitatos habere, vel procurare per se, vel alium ullo modo præsumat, sed ad solum Deum, cujus militiæ est adscriptus, dirigat aciem sui cordis, maxime illa die devotus, curis, & solicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum

minum distrahuntur, debeat esse exutus, vanitatibus remotus, histrionum cursibus, tumultibus & insolentiis improborum, qui etiam venire assolent non vocati, foro liber.

XXIX. *De Baptismo.*

Baptismus cum reverentia summa celebretur, maxime in distinctione, & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus existit, his scilicet verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & quidem simul fiat ablutio, & formæ verborum prolatio, dicente Augustino: *Accedit verbum ad Elementum; & fit Sacramentum.* Et ad talem simultatem sufficit, ut unum eorum incipiatur, antequam alterum finiatur, ita videlicet, ut ablutio non finiatur, antequam forma verborum incipiatur, & e converso: doceantque Sacerdotes, tam mares, quam fœminas in necessitate debere parvulos baptizare: eadem forma proprios infantes, si summa necessitas exigat, poterunt baptizare. Et si Sacerdos super hoc diligenter inquirens debitam formam in baptismo invenerit, quod factum est, approbet, suppleat circa baptizatum, quoad unctionem olei in pectore, & in scapulis, ac chrismate in vertice, quod a laicis est omissum. Si autem in baptizante debitam formam non invenerit observatam, non differat pueros baptizare. Item statuimus, ut in Curatis Ecclesiis Baptismus, Chrisma, Oleum, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis observentur, ne possit ad ea manus temeraria extendi. Pallia quoque, Altare, vasa, corporalia, & vestimenta Ministrorum munda, & in decentia conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis.

XXX. *Iterum de Baptismate.*

In Baptismo credimus observari debere, quod baptizandus post Baptismum debet chrismari, etiam in Baptismo Chrismato. Baptismus quoque debet chrismari in sabbatho Paschæ, ubi habetur novum Chrisma & Pentecoste. Nec debet consuetudo variari in legitimis, & non legitimis natis: cum parentum peccatum non obstet ipsis natis. Et in immersione, vel perfusione servetur consuetudo hucusque introducta. Nec quæri debet de nomine Patris, præsertim, ubi persona possit scandalizari, & peccata occulta pandi.

XXXI. *De Decimis.*

Cum decimæ tam prædiales, quam personales indistincte debeantur, ut authoritates tam veteris, quam novi testamenti, & jura clarissima testantur, quas Dominus Deus sibi in signum universalis Dominii reservat ac retinuit, quarum usum ipse Dominus Deus Clericis concessit, & quia cum male solvuntur, homines in Decimas computantur. Nec Dominus locustas, sive alia nociva fructuum, aut plagas ab eisdem amovet, *tollitque Fiscus, quod non recipit Christus*, ut actu & quotidiano cernimus aspectu, poteruntque homines ad solutionem sive præstationem hujusmodi decimarum primo Ecclesiastica censura compelli, sive coerceri, ut clari juris est. Declaramus omnes & singulos prædia possidentes, ac detinentes ad prædiales Decimas solvendas integre sine fraude & dolo collectis fructibus, expensis seminibus, ac censibus, tributis, salariis, ac impensis minime deductis teneri. Sique in uno agro plures fructus diversis temporibus, etiam eodem anno proveniunt, de singulis solvendas fore ac deberi decimales Parochiæ, ubi sunt sita prædia, personales etiam similiter sint debitæ & solvendæ, secundum quod servat consuetudo Parochiæ, ubi quis recipit Ecclesiastica Sacramenta, nisi aliis speciali jure competere dignoscantur. Præterea liquet de croco, canapo, lino, & similibus fructibus decimas solvendas fore. Insuper nedum majores, sed & minores debentur Ecclesiæ Parochiali, sive ejus Rectori. Sique aliquibus jure competerent speciali, possunt Plebani, & Ecclesiarum Rectores, vel eorum Vicarii ad eas decimas dandum requirere, & nisi de jure hujusmodi informentur, poterunt de jure expetere. De aucis autem, pullisque, ne fiat fraus his, qui percipere habent decimas, si quis uno anno non tot habeat aucas, aut gallinas in numero decem, vel ultra, non tamen viginti, debent hujusmodi aucæ, & gallinæ cum sequenti anno, vel sequentibus computari, & denuo juxta numerum semper decima persolvi, dolo &

&fraude quibuslibet procul motis. Contra non solventes quoscunque adeatur authoritas Judicii & Superiorum.

XXXII. *De Immunitate Privilegiorum Clericalium.*

Et quia privilegia Clericorum & Ecclesiasticæ libertates per multos heu! sæculares etiam potentes minime tenentur, sed multipliciter infringuntur, quatenus eadem & eædem metu pœnæ, si non amore Clericalis ordinis teneantur; volumus, ordinamus, ac inviolabiliter observari mandamus, quatenus Capitula: *Quanquam de Censibus.* & Capit. *Quoniam.* & Cap. ult. *De Immunitate Ecclesiarum.* Lib. 4. ac articuli, qui in cœna Domini de mandato Summorum Pontificum, singulariter Sanctissimi Domini nostri, Domini PAULI II. novissime publicati, quæ infra de verbo ad verbum continentur, imposterum singulis quatuor temporibus, sive Dominico die sequenti in ambone coram populi multitudine, sermonis tempore materna lingua diligenter exponantur, & publicentur; ne homines fortassis horum jurium ignari ignorantiam prætendere valeant, ac sententias inibi inflictas, per ignorantiam júris, quæ non excusat, miserabiliter incurrant. De *Carolina* autem publicanda melius censemus deliberandum.

XXXIII. *De eodem.*

Quia sacræ ædes in honorem DEI Omnipotentis, & Sanctorum ejus ædificatæ, merito sunt a fidelibus honorandæ, quatenus salubrius gratiam nobis obtineant & salutem, statueruntque Summi Pontifices, quod reus criminis fugiens ad Ecclesiam, non est ab ea violenter extrahendus, nec inde donari debet ad mortem, vel aliam pœnam corporalem, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam; super eo tamen, quod inique fecit, est alias legitime puniendus. Nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non præstita: aut si sub spe impunitatis in Ecclesia vel cæmiterio deliquit, quam institutionem volumus arctius sub excommunicatiònis pœna servari.

XXXIV. *Ne commercia in Ecclesiis fiant.*

Dominus noster JESUS CHRISTUS voluit domum suam habere sanctificatam, ab ea expellens vendentes, & ementes, quatenus sæcularia & mundana inibi minime exercerentur. Hoc exemplo permoti districte prohibemus, omnibus & singulis Ecclesiarum Plebanis, aut eorum vicegerentibus, ne institutores lebetarii, aut alii in cœmiteriis & porticibus Ecclesiarum commercia sua vendant, & habeant. Et ne præcones, & alios officiales, sive quoscunque laicos ad proclamandum, intimandum, seu faciendum sua sæcularia negotia, edicta, seu vocationes, & similia in suis Ecclesiis admittant, quod si fecerint, eos arctius puniemus. Si vero iidem præcones, officiales, & laici propria auctoritate contra voluntatem Plebanorum, sive Vicariorum ea fecerint, decernimus eos hac constitutione ab ingressu Ecclesiæ suspensos ipso facto, quod si hac suspensione non obstante ingressi fuerint, debere excommunicari. Item volumus servari & publicari Capit. ult. *De Immunitate Eccles.* quod etiam infra ponitur, & incipit: *Eos, qui.*

XXXV. *De Regularibus & Monachis.*

Volumus itaque & ordinamus, ac districte præcipiendo mandamus, quatenus Abbates, Priores, Præpositi, & alii Prælati Ordinum S. Benedicti, & Augustini Canonicorum Regularium, visitationes, reformationes, Synodos, sive Congregationes faciant & observent in singulis suis punctis, & clausulis Cap. *In singulis*, & Cap. *Sequentes*, de statibus Monachorum disponant, nostro jure ordinario semper salvo. Fiat tamen semper singularis diligentia pro reformatione Monasteriorum Monialium, & clausura eorundem. Juxta Cap. *Periculosa* eo. tit. Lib. 6. reservatoque Nobis imprimis, quatenus Visitatores idoneos ista vice prædictis Monasteriis visitandis, & réformandis possimus, prout volumus, deputare, mox, ut Nobis arriserit opportunitas ac facultas: proviso insuper, quod hujusmodi Abbates, Priores,

res, Præpositi, & alii Prælati Ordinum prædictorum in hujusmodi Visitationibus, Reformationibus, Synodis, Congregationibus, & aliis indictis & contentis taliter se habeant, ut merito a Nobis valeant commendari, scituri, quod si in eisdem, aut eorum aliquo negligentes, aut remissi fuerint, aut aliqui ex subditis præmissorum rebelles, & inobedientes, contra tales, & eorum quemlibet ad pœnas graviores procedemus juxta canonicas sanctiones.

XXXVI. *De Religiosis.*

" PAPA CLEMENS IN CONCILIO " VIENNENSI excommunicat ipso facto " per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendos, qui Clericis, aut laicis " Sacramenta Unctionis extremæ, vel " Eucharistiæ ministrare, Matrimoniave " solemnizare non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali, " aut qui excommunicatos a Canone, " præterquam in mortis articulo in casibus a jure, vel per privilegia Sedis " Apostolicæ concessis, vel a sententiis " per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, seu qui a pœna & " a culpa absolvere præsumpserint, subjungens, quod tales locorum Ordinarii, postquam de hoc eis constiterit, " facere debent publice nunciari. Inhibens insuper eisdem, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, " seu indulgentias pronuntient indiscretas. *Et infra*: ne etiam in casibus Sedi Apostolicæ, ac locorum Ordinariis " reservatis quemquam absolvant, aut " personas Ecclesiasticas ad loca multum " remota conveniant. Ut autem hæc " Decreta inconcusse serventur, mandamus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Ecclesiarum Rectoribus, eorum " Vicariis, ac aliis Presbyteris nostræ " Diœcesis, quatenus præmissa in suis " Ecclesiis ipsos Religiosos facere non " permittant, ac desuper diligenter intendant. Si qui, quos, vel quem invenerint talia facientes, Nobis citius, " & sine mora, aut nostris Officialibus, " Decanis, aut Archi-Diaconis intimare, " & notificare procurent, desuper per " Nos contra eos debite providendi " juxta dicti Sacri Canonis seriem, ac " tenorem; sique alia in derogationem " jurium Parochialium attentare præsumpserint, præsertim in confessionibus audiendis, prædicationibus, candelis benedicendis, & aliis juribus exercendis, avisati curabimus providere " de medio opportuno; sique nonnulli " se a Nobis juxta Clementinam: *Dudum: de Sepulturis.* licentiam impetrasse " dicerent; talibus nisi habita desuper " notitia literarum nostrarum non credatur. Abbates & Præpositi Canonicorum Regularium possunt Monachos " ac Religiosos suos ab excommunicationis sententia inflicta a jure pro violenta manuum injectione in alium " Religiosum, sive inciderint ante, vel " post ingressum Religionis, dummodo " talis excessus non sit enormis, similiter Novitios, & Hospites secum habitantes, cum tunc censeantur monasticæ personæ, absolvere. Secus autem, si injecerint manus hujusmodi " in Clericum sæcularem. Tunc enim " absolvi habebunt ab Episcopo in eo " casu, quo potest alios similiter excommunicatos absolvere. Non autem a " qualibet alia excommunicatione Canonis, nisi in jure videatur expressum. " Succedunt etiam Conventus Religiosorum in administratione spiritualium " & temporalium suo mortuo Prælato.

XXXVII. *De Veneratione Sanctorum.*

Volumus insuper, ut Festa Sanctorum, signanter per vacationem laborum non multiplicentur, sed servetur *Breviarium Ecclesiæ nostræ Pataviensis*, & Festa Sanctorum usitatorum, Festum insuper Annuntiationis Mariæ, ac aliorum Festorum in jejunio currentium, remittimus singulos ad Breviarium memoratum, quod diligenter perlectum dat informationem, quo minus intimatio fieri debeat ad omnes singularitates, si tamen dubium in eis occurrerit, potest fieri recursus tempore suo ad chorum Ecclesiæ nostræ Pataviensis, ubi clare informabuntur. Habeatur insuper Festum secundum Nos *medium*, id est, *omnia laudate. Evangelistarum*, *de quatuor Doctoribus*, juxta Capitulum *Gloriosus*, *de Reliquiis*, & *veneratione Sanctorum.* Lib. 6.

XXXVIII. *Ne in die Sancti Blasii longa Benedictio dicatur.*

Quoniam in benedictione aquarum *Sancti Blasii*, & *Sancti Stephani* vulgariter nuncupata, errationes & idololatriæ, sive fides perversa sæpius per simplices committuntur, placet & suademus, quod hujusmodi benedictiones omittantur. De thurificationibus autem, quæ circa Nativitatem Domini, & similia Festa in domibus frequenter fiunt, & ab antiquis hucusque factæ sunt, toleramus ea intentione, sicuti Antecessores nostri fideles frequentarunt, ac sancta Mater Ecclesia tolerat, & toleravit hucusque. Inhibentes districte sub obedientia pœnæ, ne dictæ benedictiones aquarum amodo fiant, transgredientes denuntiatos pœna debita volumus per suos Judices fieri.

XXXIX. *De reparandis ædificiis, & structuris Monasteriorum.*

Inhærentes statuto in Synodo Pataviensi tempore fœlicis recordationis nomine LEONARDI Prædecessoris nostri facto, mandamus, statuimus, & ordinamus, quod omnes & singuli Abbates, Abbatissæ, Præpositi, Priores & Priorissæ, Ecclesiarum Parochialium Rectores, Altaristæ, & alii Beneficiati Monasteriorum, Prioratuum, Ecclesiarum, & Beneficiorum aliorum in dicta civitate & Diœcesi nostra Pataviensi curias, dotales, domus, & habitationes eorum ad dicta Beneficia spectantes in ædificiis, & structuris necessitatis conservent, & collapsa reforment, quantocyus commode valuerint. Alioquin Visitatores locorum prædictorum mittendi, aut nostri Officiales, authoritate hujus Sanctæ Synodi taxabunt expensas pro reformatione ædificiorum præmissorum necessarias, arrestabuntque, arrestabimus, aut arrestari faciemus fructus, & obventiones Beneficiorum prædictorum, & illos pro reformatione prædictorum impendi facient, aut Nos faciemus contradictione aliqua non obstante.

XL. *De Historiis celebrandis.*

Similiter adhærentes Synodo in nostra civitate hac Pataviæ anno millesimo quadringentesimo tricesimo septimo celebrata declaramus, quod Beneficiati, & Clerici in sacris Ordinibus constituti non arctentur ad omnes historias, quas Cathedralis Ecclesia nostra Pataviensis ex singulorum institutione observat, decantat, aut solemnizat, sed unusquisque satisfacit conformando se Breviario Diœcesis nostræ Pataviensis in dicendis horis Canonicis.

XLI. *De Administratione Sacramentorum, & Veneratione Locorum.*

De administandis Sacramentis conformiter, & quod Sacramentorum locus cum luminaribus provideatur, & quod campanatores, ac moniales claves non habeant ad Sacramenta, committemus visitatoribus expedienda, & isto Synodali statuto eis committimus, quatenus ibi diligenter provideant, & intendant juxta rationem, & Patrum Sanctorum instituta. Similiter de missalibus & agendis fiat.

XLII. *Ne Corpus Christi ad segetes indigne portetur.*

Dudum in nostra Diœcesi inolevit corruptela fortassis primo ex fidelium devotione, quod nonnullis temporibus almum Corpus Christi per campos, & segetes ad diversa loca, etiam ad ignem deportatur: interdum minus devote ibi cavillationes, risus, fabulationes, & otia committuntur, ubi deberet fieri cultus, & honor Divinus: insuper orationes, & cantus devotionis, fiunt potius derisiones, vel irrisiones, & prius enarrata: in pluribus etiam locis leguntur quatuor Evangelia, ad quatuor mundi partes cum suis ceremoniis contra fulgura, & tonitrua. Inde surgit dubietas multum periculosa, ac si Deus non esset ubique præsens, & imploratus, sive invocatus adesset, nisi præmissis adhibitis, itque cultus creaturæ, qui cultus impendi debet Creatori, pluraque alia mala, ex quo non parva surgit idololatria, & incauta fides apud vulgares, & simplices non scientes, hujusmodi suas ceremonias, ac peregrinationes ad laudem, & honorem Dei applicare, sed potius potationi, vel aliis ceremoniis ibidem corpori Divino impensis. Eapropter ne, ubi debemus gratiam impetrare, impetremus iram, vel vindictam, ad tollendum omnem scrupulum, incautam fidem, ac malas intentiones præsenti Synodali Statuto præcipimus & mandamus, quatenus per amplius hujus-

jusmodi deportationes, Processiones, Evangeliorum, sive orationum lectiones, ac alia hujusmodi similia; ubi dedecus Deo, fidei præjudicium, ac animarum periculum possit evenire, minime fiant. Quod si secus factum fuerit, tam Plebanos, quam alios Curatos, quam Plebisanos, & laicos alios debita curabimus pœna ulcisci, ac a nostris Officialibus, & Archi-Diaconis id fieri faciemus. Et tamen pro conservandis fructibus ad victum fidelium, quatenus exinde Deus laudetur, & fideles in vita ad Dei honorem & laudem conserventur, poterunt fieri aliæ devotæ orationes ac implorationes juxta Ecclesiæ Catholicæ morem & instituta.

XLIII. *De Præventis.*

Insuper Synodi immediate prælibatæ morem amplectentes, declaramus apud Plebanos & Ecclesiarum Rectores circa præventorum mortem hunc servari modum: quod si quis Christi fidelis devote circa festa Paschæ Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum percepit, & si dando operam rei licitæ, gratia exempli, si feriata die exerceret piscaturam, amputaret ligna in sylva, vel eundo per pontem casu præcipitaretur, aut alias ex permissione Divina subito dies suos clauderet extremos, quod talis non censeretur præventus. Si vero talis, etiamsi hujusmodi Sacramenta in Pascha suscepisset, daret operam rei illicitæ, ut si daret se ad latrocinia, concitaret seditionem, vel tumultum, sive piscaretur, vel mercaretur die festivo, aut sabbato præter necessitatem a Sanctis Patribus, & ab Ecclesia institutum ex contemptu publice solveret; aut si prostratus ægritudine recusaret Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac sacræ Unctionis Sacramenta suscipere: Et tunc si tali casu præcipitaretur, censetur præventus, & nequaquam ut is, qui ad festa Paschæ negligit recipere prædicta Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ad Ecclesiasticam Sepulturam veniet admittendus, cum tales & similes in peccato publico reperiantur decedere mortali, & inde Ecclesiastica sepultura ipsis in majorem cederet damnorum accumulationem.

XLIV. *De Casibus Episcopalibus, Plebanis, aut eorum Vicariis committendis.*

Cæterum, cum nonnulli sontes sæpius majora reticent peccata, solam notam veniendi ad authoritatem Episcopalem timentes, volumus itaque talibus & similibus salubriter providere. Ex statuto ejusdem Synodi permoti ordinamus, quod Nos, noster Vicarius generalis, aut Officialis Magister fabricæ, aut alius ad hoc deputandus ad omnes personas, quæ sine scandalo, aut alias rationabili causa remitti tempore Quadragesimali non possunt, auctoritatem subdelegabimus, vel supra nominati subdelegabunt; alias vero personas notanter publicos usurarios, concubinarios, adulteros, sacrilegos, sortilegos, incantatores, & incantatrices, dæmonum responsa recipientes, ultimas voluntates non fideliter exequentes, & alios publicanos, & his similes ad Nos, & dictos Superiores decernimus remittendos.

XLV. *De Oblatione.*

Clari juris est, quod Oblationum nomine, quidquid offertur Ecclesiæ quocunque modo vel in Ecclesia, vel extra, vel in Missa, aut exrra; sive in morte, sive in vita, in immobilibus, vel mobilibus, nec est præscriptibile, nisi per alium Clericum, & quod a sæcularibus possideri non debet, restat laicos, qui se asserunt vitricos, seu magistros Zeche, nullum jus sibi a communitate locorum vendicare debere, neque posse. Quinimo omnis administratio ad Pastorem Ecclesiæ pertinere demonstratur. Quicunque igitur laicus hujusmodi oblationes per singularem potestatem, aut sine Pastoris Ecclesiæ voluntate obtinet, procul dubio contra Deum, & Sanctorum Patrum nititur sanctiones. Quinimo & qui accepit, & qui tradit, raptor & sacrilegus judicatur. Vel Rectorem Ecclesiæ Parochialis principalem, aut ejus Rectorem, aut Vicarium ejus, hujusmodi vitricos, aut magistros Zeche, una cum consilio communitatis Ecclesiæ fore eligendos, ita quod iidem contra juris dispositionem nullum jus in Ecclesiæ bonis valeant vendicare. Quapropter presenti decreto statuimus, quod in antea magistri Zeche hujusmodi, sive vitrici per Ple-

Plebanum, ſive Rectorem Eccleſiæ, aut ejus vicegerentes, ac Plebiſanos ejus eligi debent, qui prudenter ac diligenter ſuum officium juxta conſuetudinem conſervatam fabricæ fructus, redditus, & proventus Eccleſiæ colligant, exerceant, ac importent, & ea fideliter cum ſcientia Plebani, ejus Vicarii, & vice gerentis, ubi ſaltem arduum fuerit exponendum, exponant, onera fabricæ ſupportent, ſuperexcreſcentia fideliter conſervent, omnique anno cum ipſi Plebano, Rectori Eccleſiæ, aut ejus Vicario viſum fuerit, rationem fidelem faciant, & quidquid ultra expoſita ſuperfuerit, in unam ciſtam una cum Plebano, Vicario, aut ejus vicegerentibus munitam, una cum privilegiis, & literis ipſius Zeche deponant, quam cum tribus clavibus ſerrent, ſive concludant, quarum unam habeat ipſe Plebanus, Rector Eccleſiæ, vel Vicarius, ſecundam ex Magiſtris Zeche, aut vitricus, & etiam unus fidus ex Parochianis, & quia Plebanus, Rector Eccleſiæ, aut ejus Vicarius de ſuis laboribus merito emolumentum recipit, & de Eccleſiæ ſuæ bonis, cum ejus ſponſus, & Proviſor exiſtat antidotum reportat, ne bovis claudatur os triturantis, tertia pars de hujusmodi oblatis conferatur, & aſſignetur, niſi aliud Canonicum impedimentum obſiſtat, quod decreto, & declarationi noſtræ, noſtrorum Officialium, aut Archi-Diaconorum duximus committendum. Inſuper ad oblationes communes, & ſolitas juxta noſtræ Diœceſis, ac Parochiarum conſuetudinem hucusque introductam decrevimus, ipſos Parochianos, ſeu obligatos, ſi præſtare recuſaverint, & contempſerint, per Eccleſiaſticam cenſuram compellendos.

XLVI. *De Capellanis.*

Veſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum inhærendo de Capellanis in caſtris, civitatibus, oppidis, ſive villis, ſub Parochiis quibuscunque degentibus ſtatuimus, quod hujusmodi Capellani de juribus Parochialibus nullo modo, aut ingenio ſe intromittant, neque de Benedictionibus nubentium, introductionibus mulierum poſt partum, vel nuptiis, collationibus Sacramentorum, Benedictionibus cereorum, Cinerum, Palmarum, & ſolemnis Baptiſmatis, nec prædicent, aut Feſta indicant, ſive Offertoria ſibi uſurpent; neque Parochianos ipſarum Parochiarum, niſi ſibi prædicta deceant, aut competant, vel aliquid eorum de privilegio ſpeciali, de quo facere fidem coram ſuis Plebanis, aut Vicariis debebunt. Si qui autem Capellani contra prædicta fecerint, præcipimus per eorum Archi-Diaconos, aut Decanos debita pœna, quatenus talibus abſtineant, coerceri.

XLVII. *De Pœnitentiis.*

Fuit dudum in *Synodo una Pataviensi*, & noviſſime per Nos cum conſilio, & aſſenſu *noſtræ Synodi pridem celebratæ* inſtitutum, quod publici, & ſcandaloſi peccatores juxta ejuſdem Synodi tenorem deberent ad Nos, Officiales noſtros, aut alios in eo authoritatem habentes remitti ad majorem informationem & paternam correctionem. In præſentiarum nonnulli conqueruntur tales remitti ſine informatione, ac correctione hujusmodi: ſed quia ars artium eſt cura animarum, præcipimus, quod hujusmodi remiſſi in ſuis confeſſionibus, & caſibus remiſſis diligenter audiantur, prompta correctione, & emendatione informentur, & taliter paterne cum eis agatur, quod ovis errans ad ſuum ducatur ovile. Et quanquam pœnitentiæ ſint arbitrariæ juxta Sanctorum Patrum documenta, & peccata gravia, & ſcandaloſa, ſive publica melius, & fructuoſius, ubi crimen peractum eſt, puniantur; non abs re eſt, ſi puniendi taliter ad domum, & ſuum Plebanum, aut ejus vicegerentem remittantur, tunc puniantur juxta ſuperioris, ſi injungit, præceptum: alias juxta peccatorum quantitatem, & confeſſorum qualitatem. Pro literis autem ſtatuimus recipi debere pro quolibet octo denarios, vel ſi ſcriptura plus exigit, juxta laborum qualitatem, ſuper quo eas tradentium conſcientiam oneramus.

XLVIII. *De Confeſſionibus, & literis confeſſionalium.*

Cum pro Sacramentorum adminiſtratione nihil ſit exigendum, ne ſimoniæ labes incurratur, præcipimus, quod ab Officiali noſtro Patavienſi, & Viennenſi, ſeu alio, cui id committitur, pro literis confeſſionalium Plebanis, Rectoribus Eccleſiarum, aut ſuis Vicariis datis ultra com-

communem consuetudinem nil exigatur, nec idem aut alius, cui id committitur, ut præfertur, in specie mandet, aut præcipiat certam quotam a talibus dari ad fabricam Ecclesiæ nostræ Pataviensis. Sed fideliter quemque bonis inducat informationibus & benevolis, ut ad ipsam Ecclesiam, quæ noscitur Mater omnium Ecclesiarum, & hominum totius Diœcesis, ac ab ejus Pastore, sive Episcopo bona Spiritualia irremunerabilia, ad temporalia minime, comparanda recipit, sua temporalia largiatur, quatenus participem se faciat bonorum operum inibi quotidie peractorum, & peragendorum, & indulgentiarum talibus a Summis Pontificibus, Episcopis Pataviensibus, & aliis Patribus concessarum. Volumus insuper, quod sigillum confessionis caute custodiatur. Alias præcipimus tales, ubicunque inquiri poterunt, pœnis juris sine omni velamine excusationis, & gratia puniri, & Nobis denuntiatos utique taliter punire non omittemus.

XLIX. *Qui circa Pascha non confitentur, nec communicant.*

Versum est in dubium, quomodo agendum sit cum illis, qui ex rebellione circa Festum Paschæ non confitentur & communicant, an debeant publice vocari, & quomodo peccata puniri? Mandamus contra tales taliter procedi. Occulti occulte personaliter per Plebanos suos, aut eorum Vicarios, publici vero, & notorii in ambone sermonis tempore primo generaliter; sique non obediunt, denuo publice vocentur, quatenus se ad confessionem, & communionem infra terminum constituendum præparent, confiteantur & communicent. Si adhuc non obedierint, damus cum præsentibus ipsis Plebanis, seu eorum vicegerentibus facultatem, tales juxta Canonem: *Omnis utriusque sexus, De Pœn. & Rem.* ab ingressu Ecclesiæ arcendi, & Christiana sepultura privandi. Si autem hujusmodi pœnam aliquamdiu sustinuerint, neque confiteri, & communicare voluerint, tales præcipimus sine moræ dispendio nostris Officialibus denuntiari, quos tandem simili præcepto volumus per censuram Ecclesiasticam monitione congrua præmissa ad præmissa cogi, & arctari.

L. *De publicis mulieribus, lictoribus, præconibus.*

Quæritur insuper de mulieribus publicis, lictoribus, & præconibus, usurariis, & similibus notoriis, & scandalosis? Supra est statutum, quod tales in generali concessione authoritatis non veniunt, quare merito sunt omittendi; tunc enim eis dabitur forma, & modus tales puniendi.

LI. *De Excommunicatis.*

Prohibemus districte, ne per aliquem subditorum nostrorum Officialem, Decanum, Archi-Diaconum, Plebanum, Vicarium, aut Vicegerentem, detur excommunicatis, aut ab ingressu Ecclesiæ suspensis, licentia ingrediendi Ecclesiam Divinorum tempore, aut communio fidelium, cum excommunicatus semper secum deferat excommunicationem, nisi prius absolutionem obtineat; celebrans etiam coram excommunnicato, an suspensionem ab executione sui officii incurrat, remittimus eundem ad Canonem Concilii Basiliensis, qui est hujusmodi sub tenore ad evitandum scandalum, & ponitur tenor totus.

LII. *Ne Laici bona, & fructus Ecclesiarum sibi usurpent.*

Quoniam ea, quæ Deo dicata sunt, in humanos usus converti non debent: & laicis etiam religiosis super rebus, & personis Ecclesiæ disponendis nulla est attributa Facultas, quos obsequendi arctat necessitas, non authoritas imperandi; hac constitutione mandamus, quatenus laici, cujuscunque sint præeminentiæ, seu authoritatis, sibi fundos, colonos atque fructus, proventus, vel redditus Beneficiorum quorumcunque ne usurpent, nec ea propria authoritate per Sacerdotes, per se eligendos, ac deputandos inofficient, sive aliquid machinationis in detrimentum Beneficiorum, eorumque pertinentium, quocunque ingenio, sive colore quovis modo faciant. Quod si fecerint, ab eo præcipimus Ecclesiastica censura compesci.

LIII. *De Beneficiis manualibus.*

Abusus quotidianus in nostra Diœcesi irrepsit, & dietim pullulat, ac fortius crescit,

crescit, quod nonnulli, tam spirituales, quam sæculares Missas, quas manuales vocant, fundant, erigunt, dotant; ad eas Capellanos ad libitum vocant, recipiunt & applicant, ac eos removent ad suæ libitum voluntatis in non parvum præjudicium, jacturam,& detractionem nostrorum jurium Episcopalium, ac contra juris dispositionem, & ordinem rationis. Huic morbo quotidiano obviare, sicuti nostra Episcopalis authoritas exigit, volentes, hac constitutione districte præcipiendo ordinamus, quatenus in antea hujusmodi fundationes, dotationes, & Capellanorum receptiones, & applicationes minime fiant. Si quisquam suæ animæ salutem procurare volens tales fundationes, aut dotationes facere voluerit, nostra authoritate, & scientia faciat. Alioquin singulos Capellanos, hujusmodi manualia Beneficia recipientes, & inofficiantes, ab ingressu Ecclesiæ volumus esse suspensos ipso facto. Fundata autem sive modo erecta hujusmodi Beneficia eadem pœna nolumus per quemcunque Sacerdotem inofficiari,nisi nostra authoritate impetranda, pœna sub eadem.

LIV. *Ne pacetur de funeribus.*

Item avisatum est, quod Plebanus Sancti Pauli hujus Pataviæ, antequam funera Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ, de peragendis vigiliis, officio, sepultura septimi & tricesimi paciscatur, ac alia hujusmodi gravamina inferat; item contrahentes matrimonia ad celebranda officia compellat, pro eis recipiendo pecunias ex pacto,etiam a valde pauperibus. Insuper Sacerdotes, vel eorum corpora infra civitatem defuncta, extraneos, & intraneos, etiam non Beneficiatos, vel salariatos intra eandem Ecclesiam, imo alibi eligentes sepulturam arctat, & stringit apud se,& suam Ecclesiam sepeliri; Quæ gravamina & alia, si quæ sunt similia, & hactenus contra antiquum morem, sive consuetudinem apud Sanctum Paulum per modernum Plebanum, aut suos Prædecessores introducta, volumus per nostros Venerabiles Fratres, Capitulum nostrum Pataviense, cui idem Plebanus subjectus est, eradicari & amoveri, quantocyus fieri poterit. Quod si factum non fuerit, emendationem nostra authoritate Episcopali adhibebimus salutarem.

LV. *Mandatum Domini Præsulis,ut omnes in scriptis hanc habeant chartulam cum suis tractatulis.*

Conclusio Statutorum.

Omnia præmissa salutaria Statuta præsentibus, quibus nostrum est appositum sigillum, omnibus Abbatibus, Præpositis, Prælatis, Plebanis, Ecclesiarum Rectoribus, Vicariis, Sociis Divinorum, Capellanis, Altaristis, Presbyteris, Notariis, ac omnibus Nobis subditis Clericis in nostra Diœcesi constitutis intimamus, insinuamus, notificamus & publicamns, ac pro publicatis, intimatis, insinuatis, & notificatis habere volumus, transgressoresque puniri juxta pœnas inibi contentas, ac alias, sicuti est juri consonum & rationi. Volumusque, & sub excommunicationis pœna mandamus,quatenus hujusmodi statuta, cum tractatulis inibi colligatis quilibet prædictorum sibi rescribat, aut rescribi faciat, ut secundum ea se possit regulare, & ipsis conformare. Signanter præcipimus ab examinatoribus ad ordines servari, quatenus juxta eorum tenorem, ac seriem ordinandos ad Sacros Ordines examinent, ac in ipsis ignaros non admittant. Quatenus Sancta Mater, Dei Ecclesia de suis filiis literatis, & imbutis gaudere valeat, atque possit, aliter non facturi. Datum Pataviæ. &c.

P. Marcus Hansiz. Germaniæ Sacræ T. I. pag. 553. ad 569. Ex MS. Codice Collegii Canonicorum Regularium in Tyrnstein Hieronymi primus edidit.



WRA-

WRATISLAVIÆ SYNODUS

Anno Christi MCCCCLXXIII. Sixti IV. Pp. III. Friderici III. Reg. XXXIV.

Statuta Synodalia Domini RUDOLPHI (a) Episcopi Wratislaviens. feliciter incipiunt.

AD FUTURAM REI MEMORIAM:

Quanquam Reverendi quondam Patres CONRADUS & PETRUS, Episcopi Wratislavienses suo modo cum diversis cæremoniis *Synodos Episcopales* celebraverint, etiam in Vesperis de sero ante Synodum incipiendo maxime propter locationem Prælatorum, Abbatum videlicet & aliorum; Reverendo tamen Patri, Domino RUDOLPHO Episcopo Wratislaviensi, Apostolicæ Sedis cum potestate Legati de Latere, Legato, qui diversis Generalibus, Nationalibus, Provincialibus, & Diœcesanis Synodis & Conventionibus interfuit, visum fuit sufficere, quod Synodus Episcopalis servaretur, prout sua Paternitas observavit. Quapropter sua Paternitas hujusmodi modum ac vocationem ad primam suæ Paternitatis Synodum, quam emisit: nec non Constitutiones & Ordinationes, quas in Synodis per suam Paternitatem celebratis, fecit, & publicavit, in hunc libellum conscribi, & ad Ecclesias hinc inde distribui fecit, ut suæ Paternitatis Successores, si placeat, hunc modum continuare possint. Inprimis igitur sequitur Forma Citationis per suam Paternitatem emissæ, quæ tamen in futurum necessaria non erit, cum in prima Synodo in fine constituerit, quod futuris temporibus singulis annis absque alia convocatione, Synodus debeat observari, prout infra continetur.

Citatio ad primam Synodum.

RUDOLPHUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE AD INCLYTA BOHEMIÆ, POLONIÆQUE REGNA, DIVERSASQUE PARTES ALMANIÆ LEGATUS &c. VENERABILIBUS VIRIS, DOMINIS, MAJORIS NOSTRÆ WRATISLAVIENSIS, BEATÆ MARIÆ GLOGOVIÆ MAJORIS, OPPOLIENSIS ET LEGNICENSIS ECCLESIARUM COLLEGIATARUM ARCHI-DIACONIS, IN CHRISTO NOBIS SINCERE DILECTIS, SALUTEM IN DOMINO.

AD Regimen nostræ Wratislaviensis Ecclesiæ (licet immeriti) DEO annuente, vocati, etsi juxta Sacrorum Canonum, Statutorumque Provincialium Constitutiones, Synodum in dicta nostra Wratislaviensi Diœcesi, saltem semel in anno, reformandorum morum, ac corrigendorum excessuum subditorum gratia, celebrare, semper cordi Nobis fuerit, votisque hujuscemodi nostris quam libenter, prout dignum fuisset, satisfecissemus: tamen quantis curis gravibus nimis onusti, quot fortunis periculisque interea agitati, ac lacessiti fuerimus, nedum exacti temporis consideratio edocet, ac considerata solerter illius tempestatis discrimina, cum cunctis hujus Patriæ incolis notissima manifestant, nemoque sanæ mentis ignorat. Verum licet hujusce tempestati turbulentæ

(a) Rudolphus de Rudesheim, natus in Rudesheim, Archi-Diœcesis Moguntinæ vico: Ss. Theol. Doctor, Decanus Wormatiensis, Præpositus major Frisingensis; antea Auditor Rotæ Romanæ, subin Episcopus Lavantinus, & Nuntius Papæ in Polonia & Bohemia; pervenit ad Episcopatum Wratislaviensem post annum 1463. Obiit anno 1482. *Histoire Ecclesiastique d'Allemagne a Bruxelles chez Foppens Tomo II. pag.* 169.

lentiæ, nec sic finis ex alto optatus concessus sit, respirareque pauxillum ad præsens vix detur; ne tamen multis crassantibus locus sit exemplo, sanguisque subditorum reformandorum de manibus nostris requiratur, neglecta, ac omissa instaurare, compensare, corrigere, ordinare, reformareque, quoad poterimus, authore Domino, cordi Nobis, ac præsentis est instituti. Habita igitur matura cum Fratribus nostris, videlicet Venerabili Capitulo Ecclesiæ nostræ, deliberatione, Synodum Diœcesanam in eadem Ecclesia nostra decima octava die mensis Octobris proxime futura, celebrandam, universo Clero dictæ nostræ Diœcesis indiximus, ac per præsentes indicimus: quare vobis committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus universos & singulos vestri Archi Diaconatus Prælatos sæculares, aut religiosos, Abbates, Priores, quarumcunque Collegiatarum, ac Conventualium Ecclesiarum Præpositos, Prælatos, Canonicos, Archi-Presbyteros, ac alios quoscunque, qui de jure aut consuetudine Synodo hujusmodi interesse tenentur, uno edicto pro tribus peremptorie evocetis, requiratis, ac eisdem dictam Synodum futuram insinuetis: hujusmodi quoque vocationis edictum, ac Synodi insinuationem in Ecclesia prædicta publice proponentes, ut ad præmissorum, ac cujuslibet eorum noticiam verisimiliter perveniat, ne in præmissis & subnotatis ignorantiam prætendere, seu quomodolibet allegare valeant aliqualem: quos & Nos per præsentes vocamus, ac in virtute sanctæ obedientiæ requirimus, quatenus præfata die XVIII. dicti mensis Octobris, hoc est ipso die, ac festivitate Sancti Lucæ Evangelistæ proxime futura, ac duobus diebus immediate sequentibus, Capitula majoris, & Sanctæ Crucis, Plebani, & omnes Sacerdotes civitatis Wratislaviæ, & suburbiorum ejus, nec non omnes Domini Abbates Monasteriorum totius Diœcesis, propria in persona, ac duo Prælati ex unoquoque Collegio, sive Conventu extra civitatem in Diœcesi, si commode fieri poterit, aut saltem unus Prælatus cum altero Canonico, aut Confratre dicti Collegii, aut Conventus: Archi-Presbyteri vero omnes singularum sedium, cum uno ex Fratribus suæ sedis, ac communibus expensis Fratrum ejusdem sedis, pro dicta Synodo die Sancti Lucæ Evangelistæ solenniter inchoanda, ac celebranda, in habitu ad hoc decenti in dicta nostra Wratislavienti Ecclesia personaliter compareant, pro communi utilitate totius nostræ Diœcesis, Status Ecclesiastici, Ecclesiasticarumve personarum reformatione, ac animarum salute statuendum, ac ordinandum inibi consulturi, statuta demum accepturi: nec inde sine speciali nostra licentia recessuri, sub pœna arbitraria, quam Nos hujusmodi inobedientibus & rebellibus imponemus, & ab eisdem Domino concedente exigemus. Datum Wratislaviæ die ultima mensis Julii, anno Domino MCCCCLXXIII. nostro sub sigillo literam reddet. &c.

Adveniente itaque die Statuta mane pulsatum est ad Synodum tribus vicibus cum campana magna, prout decebat: & Dominus Episcopus præfatus intrans Ecclesiam, inprimis constituit Promotorem Synodi, videlicet Dominum Johannem Hofeman, Licentiatum in Jure Canonico, Ecclesiæ suæ Canonicum, & in Spiritualibus Vicarium: cui commisit, ut Dominos Abbates, Prælatos, Canonicos, Archi-Presbyteros, & alios locaret juxta dignitates eorum, & alias quoad processiones, sessiones, & alia agenda respectum haberet, ut singula honeste procederent: Item proponenda proponeret, & interroganda ab Archi-Presbyteris, & aliis interrogaret, & alia faceret, quæ per Promotorem Synodalem fieri consueverunt. Item deputavit Notarium, videlicet Dominum Arnastum Rudiger, Protho-Notarium Cancellariæ suæ Paternitatis, ut singula in Synodo notanda, & conscribenda notaret, & conscriberet. Deinde intravit sua Paternitas Sacristiam cum Ministris, Archi-Diacono videlicet, & alio Canonico, & quatuor Vicariis, ipsis astantibus ad induendum se in Pontificalibus &c. Medio tempore Dominus Promotor locavit Dominos Abbates, & alios Prælatos, qui in futurum locari debent, prout sequitur: Inprimis in dextro stallo Domini Episcopi servatus est locus Episcopo: post quem, si Suffraganeus, sive Vicarius in Pontificalibus assu-

affuiſſet, locari debuiſſet, & ſi in futurum adeſſet, locari deberet. Conſequenter vero Prælati & Canonici majoris, & poſt illos, ſive ſuperius, ſive inferius, in banccis, prout ſtare potuerunt, Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Ægidii, atque Prælati, & Canonici Eccleſiæ S. Crucis. Item Præceptores, ſive Magiſtri de Corpore Chriſti, & Sancto Matthia, & Præpoſitus S. Spiritus. Ex alio vero latere, vel ſtallo ſiniſtro locati fuerunt Domini Abbates infra ſcripti, qui omnes perſonaliter comparuerunt: Lübben, Beatæ MARIÆ ad Arenam: Sancti Vincentii extra civitatem, ſecundum ordinem ipſorum: in Sagano, in Heinrichaw, in Camentz, in Griſſaw, in Ruda, in Gymelnitz. Et poſt ipſos Prælati & Canonici Eccleſiarum Glogoviæ majoris, Legnicenſis, Niſſenſis, Oppolienſis, Bregenſis, Ratisborienſis, & Glogoviæ ſuperioris: ſive ſuperius, ſive inferius in banccis, prout ſtare potuerunt. Sub Abbatibus vero poſiti fuerunt ſtantes eorum Capellani, tenentes baculos: ante quos Capellanos Abbatum locati fuerunt bancci, ſuper quibus locati fuerunt Prælati, & aliqui, qui ſuperflui fuerunt, qui in ſuperioribus locari non potuerunt. In corpore vero Chori ſederunt Archi-Presbyteri, & eorum Socii, & alii Sacerdotes & Clerici, qui interfuerunt. Promotor vero & Notarius ſederunt infra in bancco apud januam Chori ad latus Epiſcopi. Poſt locationem vero factam, & dicta Tertia, Epiſcopus Pontificalibus indutus cum Miniſtris proceſſit ad altare, & ibi inchoavit Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus.* Qua finita, per Chorum inceptæ & continuatæ fuerunt Litaniæ per duos ad hoc deputatos, proſtratis omnibus, ſive genua flectentibus, & Epiſcopo ſimiliter genibus flexis ſuper Cathedra incumbente, ac mitra depoſita, uſque ad illud: *Ut Domnum Apoſtolicum* &c. quo dicto Epiſcopus ſurrexit cum Miniſtris, & mitra ſupraposita, facie verſa ad Congregationem Synodalem, habens baculum in manu, cantando Letaniam, continuavit illo modo: *Ut Synodum iſtam in tuo nomine congregatam benedicere digneris. Te rogamus &c. Ut Synodum iſtam benedicere & inſpirare digneris. Te rogamus audi nos. Ut Synodum iſtam benedicere, inſpirare, & ſanctificare digneris,* &c. Quibus per Epiſcopum dictis, iterum eo proſtrato, finitæ fuerunt Letaniæ. Quibus finitis Archi-Diaconus clamavit: *Pater noſter.* quo ſub ſilentio dicto, Epiſcopus cum Miniſtris ſurrexit, & ſuprapoſita mitra cum baculo in manu alta voce, quaſi cantando dixit: *Et ne nos inducas in tentationem,* &c. *Memor eſto Domine Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos &c. Nihil proficiat inimicus in nobis, & filius iniquitatis non nocebit nobis. Eſto nobis Domine turris fortitudinis, a facie inimici. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te. Domine Deus virtutum converte nos, & oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum &c.* Oremus: *Adſumus Domine Sancte Spiritus, adſumus peccati quidem immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris: doce nos, quid agamus, quo gradiamur, & oſtende, quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Eſto ſalus & ſuggeſtor, & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre & ejus Filio nomen poſſides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, ut in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat: ſed junge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono. ut ſimus in te unum, & in nullo deviemus a vero, qualiter in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequemur præmia ſempiterna: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Quibus geſtis proceſſio facta eſt per Eccleſiam cum Reſponſorio: *Apparuerunt Apoſtolis* &c. qua completa, incepta, & continuata eſt Miſſa ſolennis de Spiritu Sancto per Epiſcopum cantata: qua finita Epiſcopus exuta caſula, & induta cappa, ſive pluviali cum mitra, portato ante ſe baculo proceſſit ad ſtallum ſuum, & Miniſtri cum luminaribus reverſi ſunt ad Cameram, & eis exutis venerunt ad ſtallos ſuos, ſive loca ſua. Epiſcopo autem conſtituto in ſtallo ſuo, egregius vir, Dominus Andreas Wayner, Canoni-

cus Wratislavienſis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, recepit Benedictionem a ſua Paternitate, & fecit ſolennem ſermonem & exhortationem ad Clerum. Quo finito, Vicarius in Spiritualibus, tanquam Promotor, apportavit librum Statutorum Provincialium, & Synodalium, quorum aliqua illa die lecta fuere, quibus lectis, Dominus Epiſcopus pro iſta vice finem impoſuit, & Benedictionem ſolennem dedit ſubſequentem: *Qui diſperſos Iſerael congregat, ipſe vos hic & ubique cuſtodiat, Amen. Et non ſolum vos cuſtodiat, ſed ovium ſuarum idoneos cuſtodes efficiat. Amen. Ut cum ſummo Paſtore CHRISTO de gregum ſuorum paſtione gaudeatis in cælo. Amen.* Quod ipſe &c. Mandavitque omnibus, ut prandio facto omnes convenirent ad domum Epiſcopalem audituri, quæ ſua Paternitas Reverendiſſima ibi proponere, quærere, & tractare vellet &c. Quibus venientibus, inprimis Dominus Epiſcopus quæſivit de defectibus tam inter Eccleſiaſticos, quam Sæculares exiſtentibus: unde tam Domini Abbates, quam alii de Collegiis, atque Archi-Presbyteri multa contra tyrannos, patronos, & alios laicos, propoſuerunt, & conqueſti fuerunt, & aliqui cedulas obtulerunt, & legi fecerunt, quas Dominus Epiſcopus poſt diverſos tractatus & ſermones ad ſe recepit, ut per Conſtitutiones Synodales de novo fiendas, vel per innovationem antiquarum Conſtitutionum Provincialium vel Synodalium, quantum poſſibile eſſet, remedium poneretur: & ſic facta collatione, Dominus Epiſcopus dimiſit eos, & injunxit, ut die ſequenti iterum in Eccleſia convenirent ad continuandam Synodum. Et ita fuit expedita prima dies.

Secunda vero die Synodi iterum convenientibus, Epiſcopo, Abbatibus, & cæteris, locatisque juxta modum diei præcedentis, Dominus Abbas in Arena, quia infulatus, & tunc Præceſſor pro illo anno ante Dominum Abbatem Sancti Vincentii fecit officium: ſi tamen affuiſſet Suffraganeus, ſive Vicarius in Pontificalibus, ille feciſſet. Et iterum ut die præcedenti incepit Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus.* deinde dictæ ſunt Letaniæ. Sed quia Dominus Epiſcopus fuit præſens in ſtallo ſuo in Pontificalibus, continuavit Letaniam prout heſterno die, dicendo: *Ut Synodum iſtam* &c. ſi vero Epiſcopus non fuiſſet præſens, celebrans ſive faciens officium continuaſſet, & benedixiſſet, prout Pontifex præcedenti die fecit, ſed in fine Verſiculorum ſubjunxit Collectam, videlicet: *Noſtrorum tibi Domine curvantes genua cordium, quæſumus, ut bonum, quod a nobis a te requiritur, exequamur, ſcilicet ut prompta tecum ſolicitudine gradientes, diſcretionis arduæ ſubtile judicium faciamus, ac miſericordiam diligentes clareamus ſtudiis tibi placitæ actionis. Amen.* Quibus factis abſque proceſſione inceptum eſt officium ſolenne de Beata Virgine: quo expedito, & Abbate redeunte ad ſtallum, Dominus Epiſcopus aliqua per ſe dixit de utilitate celebrationis Synodorum, & quod neceſſe ſit, quod magnus fructus inde ſequatur tam inter Eccleſiaſticos, quam ſæculares, qui ſaltem timore denuntiationis eorum male agentium in Synodo, aut formidine pœnæ deſiſtent a prava eorum vita. Et quomodo in aliis Regionibus ſingulis annis bina vice Synodus celebretur, ad quam omnes Beneficiati tam curati, quam non curati, exceptis paucis, qui in Eccleſiis dimittuntur pro populo, convenire tenentur. Sed ſua Paternitas dixit ſe non velle in tantum Clerum gravare, ſed duntaxat ſtatuere, quod ſemel in anno celebretur, ad quam Clerus Civitatis, Abbates, & aliqui de Collegiatis Eccleſiis, & Archi-Presbyteri cum ſuis venire teneantur. Deinde ſua Paternitas fecit iterum per Promotorem legi aliquas Conſtitutiones de vita & honeſtate Clericorum, de tonſura, de veſtibus, contra concubinarios, contra ebrioſos, & exiſtentes ſæpius in tabernis. Poſt hoc dedit ſolennem, illo, ut ſequitur modo: *Dominus mentis & linguæ corporalis & ſpiritualis det nobis incrementa gratiæ Sacerdotalis. Amen. Atque vobis ad dextram conſtitutis participium cæleſtis tribuat Regni, Amen. Quod ipſe præſtare dignetur, qui nos ante conſtitutionem mundi prædeſtinatos, & ante finem ſæculi juſtificatos præſcivit, per infinita ſecula ſeculorum. Amen.*

Poſt prandium vero iterum convenientibus omnibus in curia Epiſcopali in ſtuba ſuperiori, Dominus Epiſcopus commiſit Archi-Presbyteris, ut exactam diligentiam faciant, & inquirant de vita Sacerdotum ſub ſede ſua: & ubi intellexerint

rint aliquem concubinarium, aut lusorem, aut visitantem tabernas, aut ebriosum, &c. quod contra talem procedant, suspendendo a Divinis, & alias prout eis videbitur, ut talis desistat, & si desistere non velit, suus Archi Presbyter ei præfigat terminum comparendi coram Domino Episcopo, vel Vicario suo: & quod ipse Archi-Presbyter suam Paternitatem, aut ipsius Vicarium cum plena informatione de hoc aviset, &c. Item quod Archi-Presbyteri, & omnes alii sub sede, habeant advertentiam, cum quis Sacerdos moritur, ne laici, (maxime Patroni) apponant manum ad bona defuncti, sed quod ipsi se intromittant & faciant, prout infra in statuto desuper facto continetur. Item, quod similiter habeant respectum ad usurarios publicos, ut illis Sacramenta & sepulturam Ecclesiasticam non administrent, nisi restituant per usuram extorta, vel cautionem faciant, quod ipsi si convalescant, aut hæredes eorum, si moriantur, restitutionem certarum faciant: & super incertis, vel inveteratis cum Episcopo componant, prout etiam in constitutione desuper facta continetur.

Tertia vero die fecit officium Abbas ad Sanctum Vincentium, etiam infulatus, cum Antiphona: *Veni Sancte Spiritus.* & Letaniis, ut supra, cum Collecta, post Versiculos, Oremus: *Ad te Domine iterum clamosis vocibus proclamantes unanimiter postulamus, ut respectu gratiæ tuæ solidati præcones virtutis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Amen.* Et quia Episcopus fuit præsens, dixit iterum: *ut Synodum istam.* cum Versiculis & Collecta. Qui si non fuisset præsens, dixisset cantans officium, & cantata fuit Missa solenniter de Sancto Johanne Patrono sine Processione. Post officium Episcopus fecit admonitionem istam: " Precibus itaque Deo præmissis, " Fraternitatem vestram Dilectissimi Filii " cum pia exhortatione admoneo, & " per Divinum nomen obtestor, ut ea, " quæ a Nobis de Deo, & sacris ordinibus, vel moribus, discreta fuerint, cum " omni pietate suscipiatis, & cum summa reverentia perficere studeatis, quatenus superna auxiliante gratia, ea quæ " ad salutem nostram, & Christiani populi Nobis commissi pertinere videntur, diligenter & provide tractemus, " ne oves Domini nostri JESU Christi " Nobis commissæ (licet indigne) ob " nostram pereant negligentiam, pro " quibus in die judicii rationem reddituri " sumus. Deinde vos simili obtestatione " conjuro, vel obsecro, ut nullus vestrum in judicio fratrem suum, aut personam accipiat, aut quolibet favore, " vel munere pulsatus a justo judicio sci- " enter avertatur, aut discedat: sed cum " tota pietate fraternæ dilectionis, & cum " Dei timore libenter vobiscum adhibeatis studium; quatenus per vestram doctrinam, & sacram admonitionem, " peccata, errores, & pravitates filiorum vestrorum, qui ante Nos, vel tempore nostro, instigante diabolo, in " civitate ista, vel Parochiis vestris, perpetrata fuerint, Dei auxiliante misericordia, ad correctionis emendationem, " & bonorum executionem perducere " valeamus, & in extremo judicii die, " non de negligentiis, & culpis a Domino " sicut pigri, & mali servi judicemur: sed " de benefactis, ac recte dispositis præmium æternæ beatitudinis recipere mereamur." Deinde lectæ fuerunt constitutiones Synodales, sive illæ, quæ innovatæ fuerant, quibus factis Episcopus mitratus stans conclusit Synodum cum illa oratione: *Nulla est Domine humanæ conscientiæ virtus, quæ sine offensione possit tuæ voluntatis judicia expedire. Et ideoque imperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni deputata quod perfectiore æquitatis fine concludere præoptamus. Te in nostris principiis occursorem poscimus, te quoque in fine judiciorum nostrorum excessibus adesse precamur, scilicet, ut ignorantiæ parcas, ut errorem indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficatiam largiaris. Et quia conscientia remordente tabescimus, & si qua ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit a justitia declinare: ob hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Concilii celebritate attraximus, condonante te sit remissibile: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatum Concilium, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter & transgressores venia, & confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna.* Deinde benedixit hoc modo: *Omnipotens Dei Filius, qui est initium & finis, complementum nobis tribuat charitatem. Amen. Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire Syno-*

Synodi, absolutos efficiat vos ab omni contagione delicti. Amen. Ut ab omni reatu liberiores effecti absoluti, etiam per donum Sancti Spiritus, felici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illæsi. Amen. Quod ipse. Deinde dictus Episcopus omnibus, qui interfuerunt Synodo, dedit indulgentias pro quolibet die Synodi, authoritate Legationis C. & authoritate Ordinaria XL. dies, in forma Ecclesiæ consueta. Finaliter cantabatur, *Te Deum laudamus.* Et data fuit licentia omnibus ad propria remeandi: Ita tamen, quod unusquisque Archi-Presbyter constitutiones Synodales secum recipiat, & fideliter exequatur, ita ut in furura Synodo de singulis rationem reddere possit.

RUDOLPHI Episcopi Statuta Synodalia in prima Synodo.

INPRIMIS, quod Festum Præsentationis Beatæ Virgnis saltem in Choro, quod usque nunc ab aliquibus duntaxat Ecclesiis servatum est XXI. mensis Novembris, pridie videlicet Festivitatis Beatæ Cæciliæ, per totam Diœcesin servari debeat,& teneri tanquam festum duplex.

Item, quod quando tenentur brevia suffragia, etiam debeant teneri suffragia de Sancto Johanne Evangelista, & de Sancto Vincentio Levita Compatronis, cum Sancto Johanne Baptista in Ecclesia majori Wratislaviensi.

Item, quod in precibus, ubi hactenus dictum est: *Domine salvos fac Principes nostros*, amplius dici, & in libris scribi, vel apponi debeat: *Domine salvum fac Regem, & Principes nostros.*

Item, quod Prædicatores debeant hortari, & informare populum in sermonibus suis, & dum Sacerdos in Missa post memoriam mortuorum dicit: *Nobis* &c. quod alta voce cum concussione pectoris dici debet, quod omnes audientes utriusque sexus similter pectus percutere debeant: pro quo Dominus Episcopus, & Legatus talem dedit indulgentiam, ut quis per talem percussionem pectoris X. dies indulgentiarum in forma Ecclesiæ consequatur, & mereatur. Præterea Dominus Episcopus hortatus est Dominos Abbates tunc præsentes, ut fratres suos in observantia regulari bene instruant, & instituant. Et quod ante omnia tria substantialia regulæ bene observent, quæ voverunt, castitatem, paupertatem, & obedientiam: quæ si bene,& perfecte serventur, veniet, & consequetur omnis honestas, vigilantia,& omne opus perfectum.

Item innovavit omnes constitutiones, tam Generalium, quam Provincialium Conciliorum, atque etiam Episcopalium Synodorum contra Concubinarios: Item contra frequentantes tabernas, & ebriosos Sacerdotes editas, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo omnibus Archi-Presbyteris omnium sedium totius Diœcesis, ut unusquisque Sacerdotes tales in sua sede existentes moneat, & requirat, ut focarias suas a se repellant, & amplius neque in domo, neque extra quovismodo foveant, aut nutriant. Similiter, ut ebriosi, & frequentantes tabernas, a talibus se abstineant, & sobrie vivant,& nequaquam in tabernis sedeant ad potandum, &c. illos autem,qui post acquisitionem,& monitionem hujusmodi a talibus abstinere nolunt, debebit & tenebitur Archi-Presbyter Domino Episcopo, aut suo Vicario in Spiritualibus denunciare, & in scriptis annotare, ut puniantur. Quodsi Archi-Presbyteri in talibus desides vel negligentes reperiantur, poterit Episcopus,vel ejus Vicarius contra tales procedere,& acriter punire.

Item, quod nullus Curatus audeat intronisare homines alienæ Parochiæ, sine speciali consensu, & commissione proprii Plebani.

Item,quod nullus Plebanus, vel ejus locum tenens audeat intronisare volentes contrahere matrimonium, absque trina proclamatione tribus diebus successive in ambone coram populi multitudine, facta ad hoc,ut habentes impedimenta contrahendi publicentur, & ad solennisandum matrimonium impediantur & prohibeantur.

Item, quod nemo audeat intronisare, contrahere volentes, etiamsi proclamationes debitis temporibus factæ sint, tempore a jure interdicto, nisi super hoc habeant indultum ab Episcopo, aut ejus Vicario in Spiritualibus, aut alio Commissario, cui Dominus Episcopus specialem desuper in scriptis dedisset facultatem.

Item

Item, quoniam,ut experientia docuit, & docet, quod laici (maxime Patroni) post mortem Plebanorum, se intromittunt de bonis defunctorum, illa rapiendo, dispergendo, & vane consumendo: interdixit hoc sua Paternitas omnibus & singulis, cujuscunque status, vel conditionis existant sub pœna anathematis; sed voluit sua Paternitas, quod Testamentarii Sacerdotis defuncti, aut si tales non constituisset, neque haberet, Archi-Presbyter, vel viciniores Plebani, sive Sacerdotes, de bonis relictis se intromittant, & singula fideliter conscribant. Et si per laicos impedimentum præstetur, statim declarentur in ambonibus excommunicati, vigore hujus constitutionis Synodalis. Quodsi quis intestatus decesserit, Archi-Presbyter, vel viciniores Sacerdotes, aut Commissarii Domini Episcopi, si qui ibidem, vel prope sint, statim verum inventarium omnium relictorum per ipsum faciant, defunctum honeste sepeliri exequias, septimum, & tricesimum servari procurent: residuum autem Episcopo, aut Vicario ejus in Spiritualibus mittant, sive assignent &c. & de expositis rationem faciant & cætera.

Item innovavit Dominus Episcopus ordinationes, & constitutiones juris, & Statutorum Provincialium contra usurarios publicos & notorios, & præcipue, quod non admittantur ad Ecclesiastica Sacramenta, neque ad sepulturam Ecclesiasticam, nisi desistere velint a receptione hujusmodi usuræ, & restituere male per usuram recepta, vel componere se cum illis, a quibus aliqua per usuram extorserunt, vel eorum hæredibus, si & in quantum ad sanitatem redierint, ac quod filii, vel hæredes promittant, quod si ipsum contingat decedere, quod ipsi velint satisfacere, vel cum eis se componere, a quibus per usuram aliqua extorserunt, aut cum Episcopo, si incertum sit, a quibus usuram receperint, aut si tales non supersint, neque hæredes habeant.

Ultimo instituit, & ordinavit sua R. P. quod in futurum singulis annis semel in anno, videlicet secunda, tertia, & quarta feriis post Dominicam *Jubilate* teneri debeat Synodus, incipiendo in anno Domini *Millesimo quadringentesimo*, *septuagesimo quinto*, absque nova convocatione ipsius Synodi: in qua si Dominus Episcopus pro tempore non possit interesse, Vicarius in Pontificalibus, si quis fuerit, & in ejus defectum Senior ex Abbatibus Monasteriorum Sancti Vincentii, & Beatæ Mariæ Virginis in Arena, qui illo anno præcedit, in Stallo Episcopi sedebit, & cum Prælatis Ecclesiæ majoris, & Vicario in Spiritualibus præsidebit, & facta Synodi diriget & ordinabit.

Et tantum de Synodo prima.

Excusæ hæ Constitutiones Norembergæ anno 1512. per Hieronymum Holtzel litera Petri, recusæ nitidiori charactere Wratislaviæ anno 1585.

Cl. Lunig Continuat. II. Spicileg. Eccles. pag. 1214. tertio recudit hanc Synodum.

WRATISLAVIÆ SYNODUS

Anno Christi MCCCCLXXV. Sixti IV. Papæ V. Friderici III. Imp. XXXVI.

SUB RUDOLPHO EPISCOPO.

ANno Domini *Millesimo*, *quadringentesimo*, *septuagesimo quinto*: Feria secunda post Dominicam *Jubilate*, Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus RUDOLPHUS, Episcopus Wratislaviensis, & adhuc Sedis Apostolicæ cum potestate Legati de Latere Legatus, ex indictione Synodi in alia Synodo facta, *secundam Synodum* in propria persona celebravit: & illos modum, ordinem, & cæremonias servavit per tres dies, prout in præcedenti Synodo servati fuerunt. Constituit autem sua Paternitas in eadem Synodo Promotorem Synodi Venerabilem Virum, Dominum *Martinum Lindener*, De-

cretorum Doctorem, Canonicum Ecclesiæ majoris Wratislaviensis, qui locavit Prælatos, prout supra. Item Notarium Synodi *Michaelem Blorock*, Prothonotarium Cancellariæ suæ Paternitatis. Collationem vero, sive sermonem ad Clerum prima die iterum fecit Honorabilis Dominus Doctor Wayner, Cancellarius Ecclesiæ Wratislaviensis. Qua finita, Promotor accusavit absentium contumaciam, præcipue Abbatum aliquorum, qui per fratres suos, quos ad Synodum miserunt, excusaverunt se; faciendo proponi impedimenta eorum, cur venire non possent, quæ & Dominus Episcopus admisit. Deinde Dominus Episcopus iterum collaudans celebrationem & continuationem Synodi, narravit, quod plures publici usurarii, qui prius sibi de hoc non formata conscientia indifferenter pecunias mutuarunt, & usuram de illis receperunt cum pacto, quod cum vellent, pecuniæ cum usura sibi restitui deberent, & qui nunc propter inhibitionem in præterita Synodo factam, & privationem Ecclesiasticorum Sacramentorum destitissent, & amplius hujusmodi usuram recipere non vellent, sed inscriptiones legitimas sub titulo reemptionis, prout Ecclesia admittit, consentire vellent: & quædam alia sua Paternitas proposuit, per quæ singulos induxit ad bonam voluntatem ad Synodum veniendi, & illi interessendi.

Secunda vero die post lectas Constitutiones Synodales Domini CONRADI bonæ memoriæ, præfatus Dominus Episcopus publicari fecit Conservatoriam a Serenissimo Rege MATTHIA, per Paternitatem suam impetratam, super tuitione, & defensione ipsius Domini Episcopi, & totius Cleri sui, in privilegiis, libertatibus, juribus, & bonis Ecclesiasticiis, prout sequitur in hæc verba:

MATTHIAS, DEI GRATIA, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ &c. REX: MARCHIO MORAVIÆ: LUCEMBURGENSIS ET SILESIÆ DUX, AC MARCHIO LUSATIÆ &c. &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, NOBILIBUS, ET EGREGIIS PRINCIPIBUS, BARONIBUS, ET CUJUSCUNQUE STATUS HOMINIBUS, IN DIŒCESI WRATISLAVIENSI CONSTITUTIS, ET PRÆSERTIM SPECTABILIBUS CAPITANEIS NOSTRIS, TAM IN INFERIORI, QUAM SUPERIORI SILISIA, SALUTEM NOSTRAM REGIAM ET GRATIAM.

NON sine displicentia querelam Reverendi in Christo Patris, Domini RUDOLPHI, Episcopi Wratislaviensis, Principis nostri, & Apostolicæ Sedis Legati accepimus, multos esse in ipsa Diœcesi sua, qui Dei timore posthabito, nec homines reverentes multa in injuriam Ecclesiastici status moliuntur, juraque spiritualia multipliarie defraudare nituntur, contra Sacros Canones & Decreta Ecclesiastica, in præjudicium animarum suarum, & ipsius Episcopi, ac Cleri sui damnum multum grave: & præsertim, quod sint nonnulli, qui villas, allodia, decimas, census, & alia bona, tam mobilia, quam immobilia ipsorum tenent, & violenter spoliant, occupant, & detinent: alii, qui decimas maldratas, fertones Episcopales minime solvunt: alii, qui sacrilegas manus in bona Sacerdotum, qui ab intestato, vel etiam facto testamento decedunt, immittunt: alii, qui sub pallio juris Patronatus Presbyteros in Ecclesiis jam adeptis & possessis simpliciter ejiciunt, vel ad commutandum, cum voluerint, inducunt, & cogunt: alii, qui de testamentis Sacerdotum ipsorum, & legatis ad pias causas, se ingerunt, & ea in proprios usus convertunt, sive sint de bonis eorum mobilibus, sive de censibus sub titulo reemptionis emptis, qui inter mobilia computantur, quamvis alias coram Notario, & testibus rite & legitime facta fuerint. Alii, qui census subditorum suorum, quos viris Ecclesiasticis dare tenentur & deberent, quosve libenter traderent, recipiunt, & subditos ipsos dare, ubi tenentur, prohibent, nullam Ecclesiasticam censuram propterea curantes, modo ipsos, qui talibus censuris involvuntur, potius sustinendo, quam ut de ipsis se exuant admonendo: contra Statuta Provincialia, & Ecclesiasticam libertatem. Alii denique etiam cives in civitatibus, qui census debitos Ecclesiasticis personis denegant, vel magna in parte diminuunt: non admittentes, quod aliquis Ecclesiasticus domum aut alia bona emat: quod si emit, porrigere nolunt. Pluraque alia abusionum, oppressionum, & injuriarum contra ipsos spirituales, genera exercendo. Unde præfatus

fatus Reverendiſſimus Pater, Dominus RUDOLPHUS Epiſcopus Nobis humiliter ſupplicavit, ut de remedio opportuno, ex noſtra Regia clementia providere dignaremur. Nos igitur, qui nullum ſubditorum noſtrorum injuſte opprimi volumus, & præſertim Eccleſiaſticorum, quibus ex data Nobis Divino munere gratia ſingulariter afficimur, & quos ante omnia protegere debemus, & tenemur, talibus ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum harum ſerie firmiter præcipimus, & mandamus, quatenus dum & quotiescunque præſentibus fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, hujusmodi injuriatores, cujuscunque ſtatus aut conditionis exiſtant, ad deſiſtendum a talibus injuriis & oppreſſionibus, & ad ſatisfaciendum pro ablatis, & retardatis, atque ad obſervandum immunitatem Eccleſiaſticam, cogatis. Dictumque Dominum RUDOLPHUM Epiſcopum, & ſuum Clerum, in immunitate Eccleſiaſtica, & ſuis privilegiis manuteneatis, & quilibet veſtrum manuteneat: contrafacientes etiam brachio ſeculari acriter percellendo, gratiæ noſtræ ſub obtentu. Datum in caſtro Rathiborienſi XII. die menſis Martii, anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo quinto. Regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. decimo octavo: Bohemiæ vero ſexto.

Tertia vero die per Promotorem præfatum publicari fecit Conſtitutiones & Ordinationes novas Synodales, ſive innovationes antiquarum Conſtitutionum & Ordinationum Sanctorum Patrum, *quæ ſequuntur, & ſunt tales:*

INprimis ſtatuit, voluit, & ordinavit: quod in qualibet ſede per Archi-Presbyterum, & Seniores eligantur, & conſtituantur aliqui, tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares boni viri, Deum timentes, tanquam teſtes Synodales, qui una cum Archi-Presbytero, vel per ſe ſcrutentur, & inquirant de publicis criminibus, maxime de publicis concubinariis, vel adulteris, de ſortilegis, de Clericis tenentibus vel frequentantibus tabernas, de publicis uſurariis, de perſequentibus Clerum, de rapientibus bona Clericorum, ſive viventium, ſive defunctorum, & his ſimilibus: & illa deferant Archi-Presbytero, ut Archi-Presbyter illa ad Synodum deferre poſſit.

Item inhibuit Clericis, ut non deferant veſtes ante apertas ſine nodis, aut aliis clauſuris, ſub pœna perditionis veſtis, & alia pœna arbitraria, quam Epiſcopus vel Vicarius in Spiritualibus, aut alius Commiſſarius ſuæ Paternitatis, imponere poterit. Voluit etiam, quod Prædicatores verbi Divini contra talem deteſtandum abuſum, & laicos talibus veſtimentis utentes, acriter prædicent: & requirant laicos, ut talibus in antea non utantur. Sartoribus autem ſub pœna privationis Eccleſiaſticorum Sacramentorum, & ſepulturæ inhibeant, ut ultra hujusmodi veſtes non faciant ſine nodis, vel aliis clauſuris: ſed omnino nodos, aut alias clauſuras faciant ſine fraude, ſi vero illi, quibus ſartores nodos, aut alias clauſuras, quibus hujusmodi veſtes claudi poſſint, facient, & illis uti non velint, neque utantur, tales hujusmodi pœnæ, carentiæ Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticorum, ſubjaceant.

Item quia diffidantes Clerum in communi vel particulari, ſecundum diſpoſitionem KAROLINÆ, per Sedem Apoſtolicam, & Sacra Generalia Concilia approbatæ, efficiuntur ipſo facto infames, inteſtabiles, & ad omnes actus honorificos, & legitimos inhabiles: Et quoniam mala voluntas eorum captivandi, & ſpoliandi Clericos per hujusmodi diffidationem apparet, ita quod per eos non ſtet, quin omnia mala, quæ poſſent, Clericis inferrent, & cum voluntate, ac propoſito maleficia metiantur: declaravit ſua reverendiſſima Paternitas, tam authoritate Legationis, quam ordinaria, quod tales diffidantes ex ipſa præſentatione, ſive transmiſſione literarum diffidationum efficiantur ipſo facto excommunicati: ita ut ab omnibus ſcientibus illos diffidaſſe Clerum, tanquam excommunicati denunciari, & vitari debebunt, quodque etiam ad civitates, & oppida, etiam ſub ſalvo conducto admitti non debeant: & ſi admittantur, mox, & in continenti a Divinis ceſſari debeat, tamdiu, & quousque a loco expellantur, aut carceribus mancipentur. Salva nihilomi-

hilominus pœna arbitraria, ipſis tales admittentibus ad civitates, oppida, & alia loca per Epiſcopum, aut ejus in Spiritualibus Vicarium infligenda.

Item cum ſacri liquores cum omni veneratione deferendi ſint, ſtatuit, & ordinavit Dominus Epiſcopus, ut nullus illos audeat deferre, niſi Sacerdos, qui & Stolam conſecratam ſecum habeat, quæ reſervaculum ſacrorum liquorum involvat.

Item, quoniam malus inolevit abuſus, quod Curati, ſive alii Sacerdotes, per Patronos ſuos laicos petere ſolent ab Epiſcopo authoritatem pro ſe, vel ſuis ſubditis, in caſibus Epiſcopalibus.

Item abſentias ab Eccleſiis, ſimiliter & commendas, aut indulta de celebrando in Altaribus portatilibus, præcipue in fortalitiis; voluit dictus Dominus Epiſcopus, quod talia petere volens, per ſe ipſum, aut alium Sacerdotem, vel in ſcriptis petat, & requirat, & omnino deſuper conceſſiones tales ex cancellaria ſuæ Paternitatis recipiat: alioquin hujusmodi conceſſiones habeantur pro non factis. Ita etiam, ut Epiſcopus, vel Vicarius tales utentes hujusmodi aſſertis conceſſionibus, ſuper quibus ſcripturam ſub ſigillo Epiſcopi, vel Vicarii in Spiritualibus non habent, juxta arbitrium punire poſſit. Præterea innovavit ſua Paternitas antiquorum Patrum ordinationes & ſtatuta: quod nemo videlicet audeat erigere nova oratoria ſine conſenſu Epiſcopi & Plebani, in quorum Diœceſi, & limitibus Parochiæ conſiſtunt: quæ ſi aliter erigantur, habeantur pro locis prophanis, ita etiam, ut impune ab omnibus demoliri poſſint. Et celebrans in eodem abſque ſpeciali licentia, & approbatione Epiſcopi, efficiatur irregularis: etiamſi haberet facultatem in portatili in quocunque loco tuto, & honeſto celebrandi.

Item quod nemo audeat celebrare in Eccleſia polluta, aus alias execrata, neque ſepelire in cœmiterio execrato ante reconciliationem, vel ſine ſpeciali licentia, ſive indulto Epiſcopi in ſcriptis deſuper, & ſub ſigillo deſuper dandis. Cæterum cum unusquiſque Sacerdotum, maxime, qui confeſſiones audire debet, ſcire debeat diſcernere inter lepram, & lepram: in virtute ſanctæ obedientiæ mandavit dictus Dominus Epiſcopus, ut unusquiſque Sacerdos confeſſiones audire volens addiſcere atque ſcire debeat caſus per Epiſcopum Wratislavienſ. pro tempore generaliter, vel ſpecialiter ſibi reſervatos, ita ut caſuales, ad habentes poteſtatem abſolvendi remittere poſſit. Voluit etiam, quod Archi-Presbyteri in hoc adhibere debeant diligentiam, ad ſolicitandum omnes, ut ante Quadrageſimam unusquiſque hujusmodi caſus ſciat, alioquin ab audientia confeſſionis repellatur. Præterea quoniam intellexit ſua Paternitas, quod nonnulli impetrantes petitoria, aut alia indulta ſuper quæſtu faciendo ad annum, aut aliud tempus, in eorum literis expreſſatum, lapſo tempore nihilominus indultis hujusmodi, ſive literis petitoriis utantur, quod ulterius fieri ſua Paternitas ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam taliter utentes ipſo facto incurrant, inhibuit. Et nihilominus tales ad reſtitutionem, quæ ſic extorſerunt, pro fabrica Eccleſiæ ſuæ majoris teneantur, & obligati exiſtant. Denique cum ſua Paternitas magnos clamores multorum Curatorum, decimas, fertones, ſive annonas habentium, audivit, quod per piſcinas, quæ quotidie fiunt, & hactenus factæ ſunt, eis in reditibus ſuis plurimum detrahatur, cum tales habentes, & facientes piſcinas, de illis decimam, aut aliud æquivalens dare non velint: declaravit ſua Paternitas, quod omnes illi, qui hujusmodi piſcinas habent, aut facient in futurum, qui aliunde ad ſolutionem decimarum obligati ſunt, decimam, aut aliam quotam ex piſcibus dare tenentur, ac ſi ibi terra culta eſſet. Et quod unusquiſque habens decimas, maldratas, fertones Epiſcopales, aut annonas per cenſuram Eccleſiaſticam, aut privationem Eccleſiaſticorum Sacramentorum hujusmodi decimam, aut aliam quotam condignam extorquere poſſit. Ultimo dictus Dominus Epiſcopus omnibus Prælatis & Canonicis, Collegiatarum Eccleſiarum, nec non Archi-Presbyteris, & ſociis ſuis, quos ſecum habuerunt, & in hujusmodi Synodo interfuerunt, dedit authoritatem confitendi pro ſe, & audiendi, & abſolvendi populum eorum, *uſque ad futuram Synodum.*

nodum. Et quod ipsi omnibus absentibus hujusmodi authoritatem nomine suæ Paternitatis dare possint. Illis tamen duntaxat, qui contribuere sint parati, & contribuant pro expensis, per eos, qui comparuerunt factis, demptis casibus reservatis. Et nihilominus sua Paternitas dedit facultatem Prælatis & Archi-Presbyteris, etiam sub pœna suspensionis a Divinis, compellendi omnes ad contribuendum pro expensis in Synodo per comparentes factis.

Tandem sua Reverendissima Paternitas indixit contributionem generalem, regalem videlicet, pro solvenda, & comportanda summa per Serenissimum Dominum Regem, pro reluitione certorum castrorum a sua Paternitate, & Clero suo expetita, quæ judicio omnium denegari non potuisset: in qua sua Paternitas per deputatos ad hoc constitutos, Capitulo Ecclesiæ majoris, & aliis Capitulis Ecclesiarum Collegiatarum suæ Diœcesis, nec non cuilibet Monasterio specialem quandam instituit, & alias generaliter super residuo Clero, sex grossos de marca beneficii non taxati, imposuit. Et Venerabiles Viros, Dominos, *Georgium Freyberg*, & *Martinum Lindener*, Decretorum Doctorem, Canonicos Ecclesiæ Wratislaviensis in collectores deputavit, quibus & sua Paternitas pollicita est, se de hujusmodi contributione nequaquam velle intromittere, neque de ea sibi quicquam usurpare; sed permittere, quod omnia, quæ provenire poterunt, fideliter sublevent, & in usus deputatos exponant. Cum etiamsi omnia imposita Clero, plene, & integre solvantur, vix medietas summæ per Serenissimum Dominum Regem impositæ, aut parum ultra colligetur, & adhuc residuum manebit in humeris suæ Paternitatis, quod aliunde ex contributione laicorum sibi subjectorum necesse erit extorquere, & ad loca deputata consignare. Finaliter sua Paternitas dedit benedictionem, & indulgentias consuetas.

Et tantum de Synodalibus Statutis Reverendissimi Patris Domini RUDOLPHI Episcopi Wratislaviensis, Apostolicæ Sedis (pro tunc) Legati.

Excusa primum hæc Synodus anno 1512. Nurembergæ in 4to a pag. XLVI. ad XLIX. typo Hieronymi Höltzel & Litera Petri.

Excusa 2do Wratislaviæ anno 1585. in 4to nitidiore charactere.

Cl. Lunigius Continuat. II. Spicilegii Ecclesiast. pag. 1218. tertio eam recudit.

SYNODUS FRISINGENSIS

Anno Christi MCCCCLXXV. Sixti IV. Papæ V. Friderici III. Imp. XXXVI.

SUB SIXTO EPISCOPO. (a)

QUia experientia Magistra didicimus ex eo, quod *Decretum Concilii Generalis* de clandestina desponsatione in nostris civitate & Diœcesi, per abusum in oblivionem venit, & observatum non existit, plures in gradibus consanguinitatis, & affinitatis lege Divina, ac Canonica prohibitis, ac cognatione spirituali conjuncti matrimonia, verius contubernia contrahere non sunt veriti in suarum animarum periculum, & scandalum plurimorum. Nos ex Pastoralis officii debito animarum saluti, quantum in Nobis est, prospicere cupientes, *Sacra Synodo approbante*

(a) Sixtus de Tannberg ex Præposito Isanensi, & Canonico Frisingensi, & Plebano Lauffingano anno 1474. electus Episcopus Frisingensis XLVtus, cedente Joanne Tuelbeckio, a Pontifice confirmatus, a Salisburgensi Avunculo suo consecratus: Obiit anno 1495. 14. Julii. Sedit annos 21, optime meritus de Clero & populo tres Synodos habuit pro Cleri reformatione. Unam hanc *Meichelbeck* servavit, ex quo hæc & reliqua edimus.

probante statuimus, & ordinamus, ut de cetero nulli Sacerdotes clandestinis matrimoniis intersint, sed contrahere volentes publice in Ecclesiis coram Plebis sue multitudine solemniter copulent; ita tamen, quod ante copulationem hujusmodi ad minus una die Dominica, vel Festiva de ambone suarum Ecclesiarum infra missarum solemnia personas contrahere volentes nominent, & adhortentur omnes, ut si aliquis sit, qui inter eos, qui matrimonium contrahere proponunt, impedimentum sciat, quod vel contrahendum impediat, vel etiam dirimat matrimonium jam contractum, publicent, vel denuntient. Et post publicationem in ambone, ut præmittitur, factam, per triduum exspectent, an forsan aliquis comparuerit, qui impedimentum legitimum allegaverit. Et si talis legitimum accusaverit, vel denuntiator veniat, curatus caveat, ne partes copulet, priusquam de allegato impedimento cognitum fuerit. Quod si secus factum fuerit, condigna pena illum punire curabimus. Verum si nullus contradictor apparuerit, post lapsum dicti termini curatus per se, aut suum substitutum, partes libere conjungat, si aliud Canonicum impedimentum illis non obsistat.

Item quia quidam nomine solo, & non re Sacerdotes curati, & illorum Vicarii plus lucris temporalibus, quam animarum saluti intendunt, magis que sua, quam que Dei sunt, querentes, sibi subjectos in remediis, & aliis parochialibus juribus gravant, de sepultura, & aliis Spiritualibus paciscuntur, ac statui suorum in Divinis cooperatorum detrahentes, illos certo pretio minus debito conveniunt: propter quod etiam Presbyteros indoctos, & minus habiles recipere coguntur, & recipiuntur, Nos huic vitio pestifero succurrere cupientes, Sacra Synodo approbante statuimus, volumus, & ordinamus, ut præfati curati, eorumque Vicecurati a predictis in futurum desistant realiter & cum effectu. Ac ipsi Parochialibus juribus secundum antiquam, & laudabilem Ecclesie consuetudinem sint contenti, ac suis in Divinis cooperatoribus debita, & consueta salaria solvant, ac tales in cooperatores recipiant, de quorum vita, & moribus valeant, & possint respondere. Certificantes eos, qui in premissis culpabiles reperti fuerint, quod canonica illis ultio non deerit, illosque condigne punire curabimus.

Preterea intentionis prefati Reverendissimi Patris Domini Presidentis est, ut Decretum Concilii Basiliensis contra concubinarios editum inviolabiliter observetur. Et mandavit monitionem Synodalem fieri XXX. dierum, ut in forma factum existit.

Item voluit Decretum Concilii Generalis, quod habetur in C. *Omnis utriusque sexus*, *De Pen. & Rem.* publicari, cujus tenor sequitur: *Omnis utriusque &c.*

Item testes Synodales deputati sunt, qui juraverunt, nomina testium sequuntur.

Item Visitatores Monasteriorum deputati sunt.

INNOCENTIUS PAPA III. *In Concilio Generali.* (a)

OMnis (*b*) utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter in Pascha Eucharistie Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantie cecitate velamen excusationis assumat.

§. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua peccata confiteri, licentiam prius postulet, vel obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere, vel ligare.

§. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superfundat

(*a*) Lateranensi IV. Generali XII. anno 1215.
(*b*) Canone XX.

dat vinum, & oleum vulneribus fauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat prebere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum egrotum.

§. Caveat autem omnino, ne verbo aut signo, aut quovis alio modo, prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione persone caute requirat, quom, qui peccatum in penitentiali foro sibi detectum presumpserit revelare, non solum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam penitentiam in artum Monasterium detrudendum.

Visitatores Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti deputati sunt.

Venerabiles Patres Domini Abbates in Tegernsee, & Scheyrn, quibus assistet Dominus Presidens per se, aut per suum Vicarium. Et tempus Visitationis fiende commissum est arbitrio Domini Presidentis.

Visitatores Monasteriorum Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium deputati sunt.

Venerabiles Patres, Domini Archi-Diaconus in Raylenpuoch, & Prepositus in Undenstorf, quibus Dominus Presidens per se, vel suum Vicarium assistet. Et tempus visitationis Paternitas sua R. statuet.

Sequuntur nomina Testium Synodalium Deputatorum.

In Decanatu Pämkirchen D. Simon, Plebanus in Saurbach.
In Decanatu Urmperg D. Ulricus Prannth Plebanus in Päng.
In Decanatu Hohenprunn D. Plebanus in Swaben.
In Decanatu Holtzhausn D. Plebanus in Geroltzpach.
Iu Decanatu Ærding D. Plebanus in Reichenkirichen.
In Decanatu inter Aquas D. Plebanus S. Viti Frisingensis.
In Decanatu Tonkirchen D. Paulus, Vicarius in Aufkirichen.
In Decanatu Guntzelhoven D. Plebanus in Ysenwang.
In Decanatu Basserburgk D. Stephanus, Plebanus in Mittpach.
In Decanatu Mosen: D. Johannes, Plebanus in Pfranpach.
In Decanatu Pruck D. Andreas, Plebanus in Mosack.
In Decanatu Kolbach D. Plebanus in Mitterndorff.
In Decanatu Landshut D. Johannes Riederer, Plebanus in Vilslern.
In Decanatu Monacen: D. Leonhardus, Plebanus in Talkirichn.
In Decanatu Newnkirichn: D. Ulricus, Plebanus in Ortlfing.
In Decanatu Zolling D. Plebanus in Artenkirichen.
In Decanatu Volkerstorf.
In Archi Diaconatu Raytenpuech D. Ludovicus, Plebanus in Peytingau.

Isti jurarunt juramentum Testium Synodalium in Statutis contentum.

Item Collegiatas Ecclesias visitabit Dominus Presidens per se, aut alium, quem ad hoc deputabit.

Item Decani rurales infra Pasche & Pentecostes festa proxime futura adjunctis sibi testibus Synodalibus visitabunt Parochias Decanatus sui. Et si necessarium videbitur, Dominus Presidens per aliquem de suis hujusmodi visitationem faciet, adjunctis sibi Decano, & teste Synodali. Et Visitatores recepto juramento a Plebanis, eorum domesticis Capellanis, & ab aliis honestis & gravibus viris Parochiarum querent de infra scriptis.

Primo. De vita, scientia, & moribus regentis Ecclesiam. Et an bene presit domui sue?

Secundo. Quomodo Ecclesia provisa sit circa Sacramenta & reservatoria Sacramentorum?

Tertio. Quomodo provisa sit libris, calicibus, patenis, corporalibus, sacris vestibus, & ornatibus, & an illa munda teneantur? Et si defectus in his sit, an fabrica Ecclesie sufficiat ad illa reparanda? Et an singulis mensibus viaticum pro infirmis denuo consecretur?

Quarto. An Ecclesia sit in debitis? &

& an Rector Ecclesie alienaverit, vel obligaverit ad tempus, vel ad vitam bona Ecclesie? & qualem familiam habeat?

Item, an sit tabernarius, lusor, vel alias mali exempli? & an singulis diebus Dominicis legat Missas, & prædicet populo? & an ad hoc aptos libros habeat? & an sit in debitis? & an Missas fundatas, & alias de jure vel consuetudine debitas cum devotione, & honeste persolvat?

Item videatur liber ipsius, quo utitur in conferendis & administrandis Sacramentis. Et examinetur, si sciat formas Sacramentorum?

Item, si Ecclesia regitur per Vicarium, queratur precipue, si Pastor sibi fructus in toto vel in parte reservaverit? aut Ecclesiam cum omnibus fructibus eidem locaverit? & an excessivum censum solvat? & an gravet subditos in recipiendis remediis, vel aliis juribus Parochialibus? & an Cooperatoribus & Capellanis debitum salarium solvat?

Preterea inquiratur de formatis Vicariorum, sociorum Divinorum, & Capellanorum: & si sint de aliena Diocesi, an sint recepti juxta statutum de Clericis peregrinis.

Item queratur de vitricis Ecclesiarum, an singulis annis rationem reddant Plebano, & communitati Parochie? Et an habeant cistam cum tribus clavibus, in quam pecunias fabrice deponant juxta statutum Provinciale? & si non habeant, ut de his provideant? Et quod lumen assidue circa Corpus Dominicum ardeat?

Item queratur, an in Parochia sint usurarii manifesti, vel aliis publicis criminibus irretiti: & de aliis etiam fiat inquisitio, que videntur reformanda?

In premissis, que possunt commode reformare, reforment, & de per se actis, & reformandis, per totum mensem Junii proxime futurum Domino Præsidenti rationem reddant, & majora ad illius, vel Vicarii ejus notitiam deducant.

Avisati sunt singuli Curati, ut vigore quarumcunque literarum a Domino nostro Episcopo, vel suo Vicario emanatarum non absolvant quoscunque in publicis, ac notoriis criminibus constitutos, sed eosdem cum literis suis clausis ad Vicarium transmittant, seriem, & qualitatem hujusmodi notorii criminis in se continentibus.

Preterea iidem Curati cauti sint, ne occulta crimina in hujusmodi suis literis scribant, ne aliquo modo contingat sigillum confessionis aperiri. Preterea omnes notorie criminosos, quorum excessus totam Parochiam scandalisant, & qui alias publicas penitentias egerunt; nihilominus tanquam canes redierunt ad vomitum, & peccata priora: si non sunt persone nobiles, aut mulieres, ad solennem publicam penitentiam peragendam, quam vulgus *carenam* appellat, mittantur.

Item ordinatum est, ut hi, qui ad ordines sunt promovendi, se juxta Nanneten. Concilii Statutum, quod habetur XXIV. Di. in C. *Quando.* Feria quarta ante ipsam ordinationem se ad civitatem Frisingensem conferant, diebus Jovis & Veneris examen subituri. Et eo tempore in civitate Frisingense in commessationibus, & ebrietatibus abstineant. Religiosi vero, qui de consuetudine admittuntur, & statur presentationi suorum superiorum, concessum est, ut die Veneris se presentent. Dominus etiam Presidens hortatus est singulorum ordinum Prelatos, ne indignos, inhabiles, insufficientes, aut in minoribus annis constitutos presentent, prout Omnipotenti Deo de hoc habent reddere rationem. Et si videbitur expedire, Domini Examinatores, etiam sic Presentatos poterunt examinare, & de moribus, & vita illorum inquirere.

Item, quia Curati negligentes sunt, circa collecturam ad fabricam Ecclesie Frisingensis tempore Quadragesimali, & Adventus Domini, intendit Dominus Presidens contra negligentes, prout de jure & secundum formam statuti procedere.

SIXTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS FRISINGENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, PREPOSITIS, DECANIS KATHEDRALIS, AC COLLEGIATARUM CANONICIS, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, VICARIIS, ALTARISTIS, CAPELLANIS, CETERISQUE

RISQUE PRESBYTERIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAS FRISINGENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUia Spiritus Sancti gratia nobis cooperante Synodum celebramus, nostreque intentionis sit in Nobis subditis vitia exstirpare, virtutes plantare, eosque ad placendum Deo ydoneos Ministros efficere, & cum nihil adeo dedecorare Sacerdotalem dignitatem videamus, sicuti concubinatum manifestum. Quare hac Synodali proclama omnes & singulos manifestos concubinarios nostrarum civitatis & Dioccsis, & eorum quemlibet monemus, & requirimus, ut infra triginta dierum spatium a Dat. presentium computando, quorum triginta dierum decem pro primo, decem pro secundo, & reliquos decem eis, & cuilibet ipsorum pro tertia dilatione, & termino peremptorio assignamus, hujusmodi suas publicas concubinas a se, & sua conversatione realiter, & cum effectu abiciant, & quilibet eorum a se abiciat, neque easdem, aut alias in locum illarum assumant, vel assumat. Alioquin contra eosdem, & eorum quemlibet nominatim procedemus, & procedere mandabimus ad declarationem penarum juris communis, & in Decreto Concilii Basiliensis per Nos recepto, & inter Statuta nostra posito decretarum & statutarum. Datum *Frisingè* die Jovis, decima nona mensis Januarii, sub sigillo Vicariatus, anno Domini &c. LXX. quinto.

R. P. Meichelbeck Hist. Frising. Tom. II. Parte Instrum. pag. 292.

CONCILIUM CONSTANTIENSE
Circa annum Christi MCCCCLXXVI. Sixti IV. Pp. V. Friderici III. Reg. XXXV.
SUB HERMANNO EPISCOPO.

HERMANNUS, (a) DEI ET APOSTOLICE SEDIS GRATIA, EPISCOPUS CONSTANTIENSIS; UNIVERSO CLERO NOSTRO, TAM IN CIVITATE QUAM DIOECESI NOSTRIS, RELIGIOSO ET SECULARI, SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO CARITATEM.

CUm *pridem tempore* celebrate per Nos *Synodi* Episcopalis, nonnulli articuli, seu avisamenta pro parte vestra porrecti, & quatenus super his statuta, ordinationes, & responsiones nostras facere dignaremur, petitum, & seriosius supplicatum existat. Quare petitioni vestre benigne annuentes ad articulos, & avisamenta singulos, & singula, per vos, ut prefertur, porrectos, & porrecta de consilio nostrorum fidelium juris peritorum, & singulariter ad singula respondendum deliberavimus, atque respondemus. Statuentes, & ordinantes, & nostris Synodalibus constitutionibus submissa apponentes, & adicientes, ut sequitur:

I. *Ad Articulum primum*, qui talis est, & fuit tenoris. " Item cum varietas " persolvendi horas Canonicas inducat " aliquo modo errorem, & scandalum, " petimus, ut quivis Archi-Diaconus, " Dominis sui Archi-Diaconatus singulis " annis Divinum dirigat ordinem, ad quem

(a) Hermannus de Lato Landenburgo ex Decano summæ Ædis eligitur Episcopus A. 1475. *judice Bruschio*, vere religiosus, mitis, munificus in pauperes: senio confectus, adlegit Coadjutorem Ludovicum Nobilem a Freiberg, Canonicum: equidem Roma confirmationem quæsivit, sed supplantatus a Coadjutore, ex ejus facti mœrore obiit anno 1477. *Hubnerus* XI. annos sedisse narrat contra plurimos, biennium Sedis assignantes. *Pregizerus in Suevia sacra.*

Synodum Episcopalem a se celebratam dicit hic in Præfatione hujus declarationis Statutorum & Ordinationum, in Synodo editarum. Damus repertas *in codice MS. chartaceo Constantiensi.* Synodi Acta & Canones hactenus non potui nancisci: sed ex declarationibus quadamtenus deteguntur.

" quem recipiendum singuli Sacerdotes " teneantur.

Precipue de Septuagesima, & historiis imponendis Festo Annuntiationis Marie &c. Respondemus; quia petitio illius articuli expeditionem exigit onerosam. Cui nunc aliis prepediti curis vacare, & intendere nequivimus. Ideo primo majori deliberatione, que necessaria erit, hunc articulum, quoad ejus expeditionem Nobis imposterum reservamus.

II. *Ad articulum secundum*, sic sonantem. " Item cum districtus aliquis suppositus est Ecclesiastico interdicto, " ex dispositione statutorum Synodalium, quod hujusmodi relaxatio interdum gratis fiat, salvo salario scriptoris, reservamus tamen Domino actionem contra eum, qui causam, vel occasionem dedit interdicto.

Petitioni, ut licite favorabiliter annuentes statuimus sic fieri, & servari debere.

III. *Super tertio articulo*, qui talis fuit, & est. " Item quod de cetero nullus citetur super objiciendis ad falsam " relationem vilium personarum, que " quemque denuntiant potius ex odii " fomite & livore, quam zelo justitie & " correctionis fraterne, ut est de dispositione juris.

Circa hujusmodi articulum ordinantes, quia in his certa regula tradi non potest, Vicario nostro in Spiritualibus commisimus, ut in his juxta qualitatem personarum, tam deferentium, quam delatarum districtionem, & circumspectionem habeat diligentem & exactam, ut Clerus noster faciliter non vexetur.

IV. *Ad quartum* videlicet. " Item, " quod certa, & determinata taxa servetur circa fornicarios, & prolificatores " non scandalosos, sicut ab antiquo fuit " libra denariorum.

Servari volumus per Vicarium nostrum, ut supra ad tertium articulum ordinavimus.

V. *Ad quintum articulum.* " Item " quanti ex juris dispositione facienda est " inquisitio per Procuratorem Fisci, aut " alium ad hoc deputatum, qui talis " Inquisitor sit persona honesta, & Ecclesiastica, non laicalis in matrimonio " constituta; qui, ut scandalose visum " est, juramenta detulerunt Clericis, " & insontes per eos puniti fuerunt, & " sontes impune evaserunt.

Petitioni annuentes statuimus sic fieri, & servari debere.

VI. *Super sexto articulo.* " Item conqueruntur singuli Rectores & Clerus " universus de questionariis precipuis, " sive Sancti (*b*) Episcopus Sanctorum " *Valentini*, *Anthonii*, *Bernhardi* &c. quomodo multivarie per tales gravenrur, " primum absurda, & piarum aurium offensiva in cancellis verbum Dei evangelisando committunt.

Ordinantes statuimus, ut deinceps non mandetur, questores ad ambones Ecclesiarum admitti debere, nisi alias a Sede Apostolica super hoc fuerint privilegiati. Et servetur *Clementina*: *Abusionibus de pe. & re.*

VII. *Ad septimum.* " Item quod " per amplius denegant persolvere quartam ipsis Rectoribus, cujus contrarium " hactenus observatum fuit.

Volumus a quibuscunque questuariis, tamquam in petitione Ecclesie nostre Constantiensis, quartam partem Rectoribus & Plebanis solvi.

VIII. *Super octavo.* " Item in præcipuis, & majoribus Festivitatibus, & " in Dedicationibus, & Patrociniis Ecclesiarum suas instituunt petitiones non " in modicum gravamen Rectorum, " & ipsarum Ecclesiarum, & quadragesimali tempore in prejudicium petitionis Matricis Ecclesie.

Considerantes licitum esse, ut petitiones hujusmodi Festivitatibus non instituantur, volumus questores deinde dictis diebus, & Festivitatibus a collectione sequestrari, nisi ex Superiori facultate utpote Sedis Apostolice se ad hoc admitti debere docuerint.

IX. *Ad nonum.* " Item quod fieret " statutum, que festa Sanctorum deberent sub banno festivari. Et videtur " Clero, quod aliqua Festa Sanctorum " de cetero non festivantur sub banno.

Quia varietas consuetudinis vix certam

(*b*) *Sensus falsus vel obscurus.*

tam super hoc admittat constitutionem. Ideo presentem articulum nunc pertransimus.

X. *Ad decimum.* " Item quod fieret provisio circa fratres mendicantes, " qui suis in cancellis quandoque incaute loquuntur, offendentes Clerum imo " non verentur ; universitates a Sede " Apostolica approbatas publice offendere , . & authoritati eorum detrahere.

Statuimus & ordinamus , ut Religiosi mendicantes nostræ Diocesis servent Cle. *Dudum*. Et si contra eam indomitis linguis, & indiscrete predicaverint, juxta posse nostrum eos compellemus,& Clero nostro auxilio erimus.

XI. *Super undecimo.* " Item in nonnullis locis Diocesis Constantiensis authoritate Apostolica illuc confluentes , " peccataque confitentes, ut veretur preter ritum Ecclesie, & animarum salutem absolvuntur ab his , qui nec vinum, nec oleum vulneribus sauciatis " infundere sciunt , petitur , ut condigni ; & viri pro hujusmodi exequendis deputentur , prout in jure " cautum est.

Ita fieri debere volumus, atque Divino auxilio ordinamus.

XII. *Ad duodecimum.* " Item quod " Capellani in Divinis Officiis peragendis sint auxilio,& adjutorio suis Superioribus cantando, legendo &c. Non " obstantibus quibuscunque comprehensis in dotationibus suorum Beneficiorum.

Ordinamus,& statuimus Capellanos singulos juxta dotationes , & laudabiles consuetudines,& jus commune ad cooperandum Plebanis astrictos esse.

XIII. *Super tredecimo.* " Item de *Lolbardis,& Begutis* , quantum ad Eucharistie Sacramenti susceptionem servetur juris dispositio , quod in mense " dumtaxat semel illud suscipiant.

Ita fieri, & servari debere volumus.

XIV. *Ad quartum decimum.* Item " conqueritur Clerus, quomodo nobiles ipsius Diocesis minentur ipsis mortem,si exequantur mandata Divina.

Quanquam tempora jam sint periculis plena,tamen juxta posse de his providebimus.

XV. *Ad quintum decimum.* " Item " est Clerus dubius, quis in occultis reservatis Episcopo habeat absolvere, aut " quivis alterius indistincte.

Collectorem petitionis matricis hanc facultatem auctoritate nostra tradere, aut eam a Vicario nostro, qui illam gratis dabit, recipi volumus.

XVI. *Ad decimum sextum.* " Item " desiderant Decani rurales , & Prelati " Collegiatarum Ecclesiarum ; ut facinorosi, vagabundi, seu peregrini Sacerdotes sint (*) pro suis delictis a Decanis ruralibus condigna pena plecti, & " puniri.

Non videtur Nobis petitioni annuendum , sed reservamus talem facultatem apud Nos & nostrum Vicarium , discretionem tamen juxta excessuum qualitatem servari volumus.

XVII. *Ad decimum septimum.* " Item " conqueruntur Religiosi,Prelati & seculares, quod non defendantur , neque " teneantur in suis juribus, & sustineant " suis demeritis non exigentibus diffidationes , aliaque intolerabilia suorum " Monasteriorum, & Ecclesiarum onera, " & nemo sit illis Adjutor, neque Defensor in hujusmodi molestationibus.

Assistentiam, & defensionem eis faciemus Nobis possibiles.

XVIII. *Ad decimum octavum.* " Item " conqueruntur se Prelati gravatos in " hoc, quod Dominus noster Constantiensis provisores faciat certos laicos,& " Clericos, qui non sunt capaces habitus, & professionis Monasteriorum , " quibus diriguntur, dando primas partes ad sua Monasteria.

Statuimus ut de cetero non fiant talia de laicis. & personis inhabilibus.

XIX. *Ad decimum nonum.* " item " cum omnis Monachus subjectus sit Abbati suo tamquam ordinario. Conqueruntur Domini Prelati , quod eorum " subjecti Fratres per Dominum Reverendissimum citentur.

Volumus & statuimus , ut Prelati suos Monachos corrigant, & emendent, absque eo , quod a Nobis, aut nostris Vica-

(*) *Sensus obscurus.*

Vicario, & Officiali citentur. Nisi negligentia Prelatorum aliud suaderet, vel aliquis Monachorum ad querelas aliorum fuerit citatus.

XX. *Ad vicesimum.* " Item conqueruntur Domini Prelati de certis Clericis beneficiatis, quod illi non contenti corpore suarum Prebendarum eos conveniant super competentia quamquam specificato sibi corpore illa sumpserint beneficia.

Volumus servari dispositionem juris, cui non habemus derogare.

Ad ultimum. " Item ut statutum de Judeis servetur, & stricte observari mandetur ex causa urgente.

Ita servari volumus, precipimus, & mandamus.

CONRADUS ARMBROST,
Notarius sp.

Ex Libro MS. Constantia mihi submisso, & communicato.



VESONTIONE CONCILIUM
Anno Christi MCCCCLXXX. Sixti IV. Pp. IX. Friderici III. Reg. XL.
SUB CAROLO (a) DE NOVO CASTRO, ARCHI-EPISCOPO VESONTIONENSI.

I. *Quod Decani rurales debeant comparere in Synodo.*

DEcani Christianitatis (quos rurales vocamus, alii Archi-Presbyteros) compareant in utraque collatione Synodi Vesontionensis cum superpelliciis albis, mundis, & honestis; similiter & Curati, seu eorum Vicarii cum superpelliciis (præsertim in Synodo matutina) diligenterque attendant ad verba sacræ exhortationis, & ad alia, quæ eis dicentur & mandabuntur, nec recedant ab ipsa Synodo absque Nostra, aut Vicarii Generalis nostri licentia.

II. *Qualis debet esse vita Sacerdotis?*

Clerici omnes, qui Christi sunt famuli, sicuti laicos gradu & professione antecedunt, ita scientia, bonorum operum actione, virtute, morum honestate & sanctitate præcellere debent, ut ostendant in semetipsis, qualiter oporteat laicos in Ecclesia Catholica, quæ Domus Dei est, conversari. Vilissimus enim reputandus est, qui alios dignitate & honore præcellit, nisi scientia & sanctitate præstantior sit. Caveant igitur sibi Sacerdotes ab omni luxu profano, fastuoso & carnali tam in vita, quam in cultu, & ab omni specie mali abstineant: decorumque conditionis suæ atque status servent, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne occasionem dent adversario maledicendi. Idem renovatum statutum in Synodo anni MDLXXIII.

III. *Clerici compositione exteriori corporis suæ conditionis dignitatem ostendant.*

Clerici omnes & singuli in habitu & incessu suam professionem, religionem, & statum probent, & ostendant: non quærant in vestimentis aut calceamentis decorem: sed aliorum sui status & ordinis, cum quibus vivunt, bonos & simplices mores observent. Sit eorum etiam incessus ornatus & modestus: non modo festinus, modo tardus, ut gravitate itineris mentis maturitatem ostendant: nam incompositio corporis inæqualitatem mentis indicat.

IV. *Ne arma ferant Clerici.*

Non ferant arma, quorum arma sunt orationes & lacrymæ, & quos vitæ sanctimonia tutos & venerabiles reddere debet.

Repetitum statutum in Synodis Vesontionensibus anni 1573. & 1648.

V.

(a) Carolus de Neuchatel, ante Episcopus Bajocensis & Abbas S. Pauli, Vesontione eligitur Arch.-Episcopus anno 1462. Vesontionensis ordine LXXXV. cum esset annos natus XXI. Obiit anno 1498. *Histoire Ecclesiastique d'Allemagne T. II. pag.* 195.

V. *Clerici caste vivant, & consortia suspectarum mulierum fugiant.*

Clerici caste, continenter & pudice vivant: nam castitas sola est, quæ cum fiducia Deo possit hominum animas præsentare. Non habeant in domibus suis fœminas, quarum vita & conversatio suspecta sit de incontinentia, ut in conspectu Omnipotentis Dei puro ac casto corpore, ac mundo corde ministrare valeant.

VI. *Clerici spectaculis non intersint, nec ea exhibeant.*

Turpibus & obscœnis spectaculis, aut confabulationibus ne intersint: quia *corrumpunt bonos mores* (b) *colloquia prava.* Minus ergo licebit spectacula ipsa exhibere, & histrionum habitu prodire in theatrum, fabulasque recitare scenicas.

VII. *In vel prope Ecclesiam neque nundinæ, neque judicia laicorum habeantur.*

Clerici non patiantur in Ecclesiis, aut cœmiteriis suis choreas fieri, aut negotiationes mercantium & nundinarum, seu etiam judiciorum laicalium strepitus & causas teneri.

Hæc ex Statutis Synodi anni 1480. multis pauca excerpta lego in libello, cui titulus: " Statuta & Decreta Synodalia Bisuntinæ Diœcesis, publicata " ab anno 1480. ad 1707. jussu RR. " D. Francisci Josephi de GRAMMONT " Archi-Episcopi Bisuntini, S. R. I. " Principis. Impressa Vesontione " anno 1707. typis Societatis Typographicæ.

(b) I. ad Corinth. XV, 33.

SYNODUS VESONTIONENSIS

Anno Christi MCCCCLXXXI. Sixti IV. Papæ X. Friderici III. Imp. XLI.

SUB CAROLO DE NEUCHATEL, ARCHI-EPISC. VESONTIONIS.

Duo Statuta sequentia excerpta describo.

I. *Ne permittant Curati Questas in suis Parochiis fieri sine literis Ordinarii.*

CUrati, seu eorum Vicarii non permittant aliquos in suis Ecclesiis quæstus quoscunque facere sine literis nostris, aut nostri Vicarii Generalis. Ne permittant eos verbum Dei prædicare, aut aliud proponere, quam in veris literis Apostolicis, aut in literis nostris sit expressum, nisi tales sint viri literati, & personæ graduatæ notæ, & in literis nostris nominatæ, & diligenter videant datam literarum nostrarum, si sit pro anno, in quo accedunt ad Ecclesias eorum, & si in eis sit aliqua rasura, aut alia suspicio. Si quos autem abusores noverint, illos cum suis literis & bonis capiant, arrestent, & ad Nos ducant fideliter & severe.

Renovatum statutum in Synodo Vesontionensi anni 1647.

II. *Clerici contra Clericos coram Judice sæculari litigare probibentur.*

Excommunicamus omnes Clericos, qui contra Clericum, seu aliam quamcunque Ecclesiasticam personam coram Judice sæculari litigaverint in personalibus actionibus, & eos præcipimus excommunicatos publice nuntiari singulis diebus Dominicis & Festivis.

Hæc duo ex plurimis Synodis ab anno 1480. ad 1717. De anno 1482. asservavit libellus inscriptus: " Statuta, " seu Decreta Synodalia Bisuntinæ " Diœcesis, jussu D. Francisci Josephi de GRAMMONT, Archi-Episc. " Bisuntini, S. R. I. Principis publicata. Excusa Vesontione A. 1707. " Typis Societatis Typographicæ " in 8vo.

FRISINGENSIS SYNODUS
Anno Christi MCCCCLXXX. Sixti IV. Papæ IX. Friderici III. Imp. XL.

Statuta innovata, & de novo edita in Synodo celebrata per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum SIXTUM, Episcopum Ecclesie Frisingensis, Frisinge diebus Mercurii, & Jovis post Dominicam: MISERICORDIAS DOMINI.

De Vita & honestate Clericorum.

QUia Clericorum est in se ipsis implere Domini voluntatem, & lucere per bonam conversationem, qualiter oporteat alios in domo Domini conversari. *Sacra Synodo approbante* statuimus, volumus, ac mandamus universos Clericos nostre Diocesis, presertim beneficiatos, & in sacris constitutos, honeste, Clericaliter, & devote se exhibere, a crapula, & ebrietate abstinere, indumentaque scissis in oris, seu extremitatibus, ab extra superducta, mitras caudatas penitus dimittere; cingulos, & monilia auro & argento, vel alio metallo excessive splendentia, ad modum laicorum, abjicere penitus & vitare. Vestimenta rubei, aut viridis coloris, deferre Clericos omnino prohibemus. Equalibus colliriis in joppulis, tunicis, sive mantellis, ne alterum respectu alterius in circumferentiis eminentius appareat, utantur. Mitram capiti suppositam, capucium deferant Clerici humeris suis reverenter ipsis in publico deambulantibus. Contra facientes vero, ultra penas juris communis per suspensionem proventuum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, fabrice applicandorum secundum quod protervia meruerit, & excessus, artius per Nos, aut Vicarium nostrum puniantur.

Item inhibemus omnibus Clericis supradictis in publico, vel alibi presentibus laicis, tabernas intrare, preterquam in itinere constitutis, vel ex alia causa rationabili. Et omnes ludos inhonestos maxime taxillorum exercere. Contra facientes pena juris communis, vel ad arbitrium nostrum, aut Vicarii nostri puniri volumus & mandamus.

Item statuimus, & in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, ut nullus Clericorum cauponem, vel tabernarium hospitem sibi constituat continuum in domo habitationis sue, aut potum venalem negociacionis causa exponat publice, aut vendat. Permittimus tamen domos Prelatis, & Monasteriis pro hospitalitate racionabiliter introducta, & secundum permissum regule, & juris communis, contra facientes vero arbitrio nostro, aut Vicarii nostri artius puniri volumus, & mandamus. Ut etiam Clericus, qui in Domini sortem assumptus est, Divinis officiosius inhiet ministeriis districte inhibemus, & sub obedientie pena mandamus, ne quivis Clericus cujuscunque dignitatis, religionis, aut secularis existat, venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus exerceat, penis nihilominus juris contra tales promulgatis in suo robore permansuris.

De Continentia Clericorum.

Volumus concubinatum evitari sub penis, & juxta decretum *Sacri Generalis Basiliensis Concilii*, quas penas una cum penis juris contra inobedientes exequi precipi-

Sixtus de Tannberg in Auroltzmünster illustri sanguine ortus, J. V. D., Canonicus Frisingensis, fit anno 1456, Præpositus Isanensis, anno 1458. Cancellarius Joannis Prædecessoris sui, eodem cedente eligitur 1474. Episcopus Frisingensis ordine XLV. Pridie Idus Januarii *Hactenus Meichelbeck Tom. II. pag.* 262.

Synodum narrat h. a. 1480. ab eodem celebratam & typo vulgatam, sed parum diversam a Synodo 1440. *Idem Meichelbeck pag.* 267.

cipimus,& mandamus, cujus decreti tenor sequitur per omnia in hec verba:

SACRO-SANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUicunque Clericus cujuscunque status, conditionis, religionis, dignitatis, etiamsi Pontificalis, vel alterius preeminentie existet, qui per hujus constitutionis noticiam, quam habere presumatur, per duos menses post publicationem ejusdem in Ecclesiis Cathedralibus, quam ipsi Diœcesani omnino facere teneantur, postquam eadem constitutio ad earum notitiam pervenerit, fuit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium suorum Beneficiorum; trium mensium spacio sit ipso facto suspensus, quos suus superior in fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Nec non & hujusmodi publicum concubinarium, ut primum talem esse innotuerit, mox suus Superior admonere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat, quod si non dimiserit, vel dimissam, aut aliam publice resumpserit: jubet hec Sacra Synodus, ut ipsum omnibus suis beneficiis omnino privet. Et nihilominus hi publici concubinarii usquequo cum eis per suos Superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vite emendationem fuerit dispensatum, ad susceptionem, quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum sint inhabiles. Qui si post dispensacionem, recidivo vomitu ad hujusmodi concubinatum redierint sine spe alicujus dispensacionis ad predicta prorsus inhabiles existant. Quod si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut predictum est, punire neglexerint eorum Superiores tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punicione animadvertant. In Conciliis etiam Provincialibus, & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pena severiter procedatur. Etsi hi quorum destitutio ad Summum Pontificem spectat, per Concilia Provincialia, aut suos Superiores, propter publicum concubinatum reperiantur privacione digni, statim cum processu inquisitionis ipsi summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia,& inquisitio in quibuscunque Capitulis Generalibus, & Provincialibus quoad suos servetur, penis aliis contra predictos,& alios non publicos concubinarios statutis in suo robore permansuris; publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, que nulla possit tergiversacione celari, notorius est. Sed qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum Superiorem ammonitus ipsam cum effectu non dimittit; Quia vero in quibusdam religionibus nonnulli jurisdictionem habentes pecuniarios questus a concubinariis percipere non erubescunt, patiendo eos in tali feditate sordescere, sub pena maledictionis eterne precipit, ne deinceps sub pacto, composicione, aut spe alicujus questus, talia quovis modo tolerent, aut dissimulent. Alioquin ultra premissam negligentia penam, duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere ad pios usus omnino teneantur, & compellantur. Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas, Prelati modis omnibus curent a suis subditis, etiam per brachii secularis auxilium, si opus fuerit penitus arcere. Qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Jubet insuper hec Sacra Synodus, ut etiam in predictis Synodis, & Capitulis hec constitucio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Injungit præterea omnibus secularibus viris, etiamsi regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quesito colore Prelatis, qui ratione officii sui adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum sit, & sub pec-

peccati mortalis pena necessario evitandum, monet omnes, tam uxoratos, quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant, nimis enim reprehensibilis est, qui uxorem habet, & aliam mulierem accedit. Qui vero solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat, pro hujus autem Divini observatione precepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni studio laborent.

De Clericis ignotis, & peregrinis.

Quia Pastorali solicitudini incumbit subditis providere, ne ab ignotis seducantur, quos nonnunquam recepimus retroactis temporibus, reprobos, abjectos, & quod detestabilius facinerosos, & inhabiles circa Divina se ingessisse in animarum pericula, & scandalum plurimorum. Districte sub excommunicationis pena precipimus, & mandamus. Universis dicte Diocesis Prelatis, Decanis, & Ecclesiarum Rectoribus, ne de cetero aliquem aliene Diocesis, seu peregrinum se pro Presbytero gerentem, vel in sacris constitutum ad ipsorum consortium, Sacramentorum, & Sacramentalium administrationes, vel alias regimini cure quoque admittant, nisi desuper literis nostris, aut Vicarii nostri patentibus, aut alias legitimis documentis certificati fuerint.

Ne Clerici Joculatoribus, vagis Scholaribus, & similibus Goliardis largiantur.

Ne Redemptoris nostri Crucifixi Patrimonium inutiliter expendatur, & in usus turpes exquisitis diabolicis suasionibus convertatur, de quo est pauperum necessitatibus succurrendum. Statuimus & in virtute sancte obedientie inhibemus, ne Prelati, Religiosi, aut seculares, & Clerici quocunque nomine censeantur, mimis, joculatoribus, hystrionibus, buffonibus, seu hominibus artis lubrice, pretextu nuptiarum, milicie, vel alterius similibus cause quidquam sub quocunque modo, specie, aut forma, nec otium in pecunia numerata largiantur.

Ut Clerici personaliter resideant, nec plura Beneficia habeant.

Animarum periculis, que cunctis opibus preferuntur, desiderantes occurrere, statuimus, volumus, & sub pena privationis beneficii mandamus, ut omnes habentes Ecclesias, quibus cura animarum dinoscitur annexa, personaliter in eisdem resideant. Absentes infra hinc & Festum Purificationis proxime futurum se ad residenciam corporalem recipiant, aut Nos, seu Vicarium nostrum legitime informent, quare in eisdem residere non debeant, & teneantur. Omnes quoque, & singuli compatibilia de jure beneficia retinentes, Nobis, aut nostro Vicario infra eundem terminum dispensationes super hoc obtentas indicent, & ostendant. Inhibemus quoque sub eadem pena, ne quisquam Vicariam teneat preter unam, nisi necessitatis evidentis causa per Nos, aut Vicarum nostrum aliud fuerit concessum, & permissum.

Ut Canonici suis Prebendis deserviant.

Quia beneficium datur propter officium, statuimus, quod quicunque Canonicus Ecclesie Cathedralis, vel alterius Collegiate dicte nostre Diocesis per se, vel per alium officium suum, quod exhibere debet in ordine quocunque secundum consuetudinem Ecclesiarum hactenus observatam per unam septimanam continuam neglexerit, quacunque causa, vel occasione, decem libras denariorum usualis monete ad fabricam ejusdem Ecclesie solvere teneatur. Si vero minus quam per unam septimanam neglexerit, eandem penam proportionabiliter, & secundum ratam temporis persolvere teneatur. Si vero minus, quam per unam septimanam neglexerit, ut predicitur, ab omni stipendio Prebendali Prebende, quam habet in Ecclesia penitus sit suspensus, donec solverit penam integraliter superius expressam. Qui autem tertiam neglexerit septimanam, ad nullum actum Capitularem, nec ad aliquod stipendium Prebendale admittatur, donec de pena satisfecerit memorata. Nec non ad arbitrium nostrum

ſtrum alias puniatur, prout viſum fuerit expedire. Nolumus tamen per hanc noſtram ordinationem ſtatutis,& conſuetudinibus earundem Eccleſiarum, quantum ad penas alias contra tales fulminatas, aliquatenus derogari.

De non recipiendis Canonicis, Prebendis non vacantibus.

Ne per receptionem Canonicorum Prebendis non vacantibus, aliene mortis votum turpiter ingeratur; Statuimus, & inhibemus, ut de cetero nullus recipiatur in Canonicum Eccleſie Cathedralis, nec in aliqua Collegiata dicte Dioceſis, niſi prius vacaverit ſtipendium prebendale, quod illi, qui aſſumitur in Canonicum, aſſignetur. Alioquin receptio in contrarium facta nulla ſit ipſo facto, niſi facta fuerit de licentia noſtra ſpeciali.

De Penitentia.

Quoniam nonnulli Sacerdotes regulares, & ſeculares in penitentia frena laxare, & extra terminos ſibi poſitos, authoritatem in caſibus ſuperioribus reſervatis preſumere auſu temerario referuntur; ſub excommunicationis pena inhibemus: ne quiſque Sacerdotum religioſus, vel ſecularis dicte noſtre Dioceſis quemcunque ſibi confitentem in caſibus Sedi Apoſtolice de jure, vel conſuetudine reſervatis abſolvere preſumat, niſi habita ejuſdem ſedis deſuper indulgentia, & mandato ſpeciali. Nec etiam in caſibus ſimilter de jure, aut conſuetudine Epiſcopo reſervatis, aliquem abſolvere attemptet, preſertim excommunicationis majoris vinculo innodatum, hereticum, judæum, fautores alterius eorundem, laicum predicatorem, aut auditores ejus, ſpoliatorem alicujus dotis, aut Sacerdotis, maxime in agone, aut temerarium occupatorem bonorum Eccleſie, depopulatorem agrorum, vinearum, aut ortorum, inceſtuoſum fornicatorem cum Sanctimoniali, homicidam etiam caſualem, publicantem confeſſionem, peccantem contra naturam, aut cum brutis, ſacrilegum, incantatorem, aut incantatricem, precipue cum Sacramentis, Sacramentalibus vel oſſibus mortuorum, prolis oppreſſorem, etiam a caſu incendiarium, commercia habentem cum Judeis maxime in uſuris, preparantem, propinantem, ementem, aut vendentem venenum, preſertim in machinationem mortis proximi, demonem invocantem, cudentem falſam monetam, utentem ſcienter auro vel argento falſo, cogentem Chriſtianum dare uſuras, blaſphemum Chriſti nominis vel Sanctorum, falſum teſtem, coeuntem cum Judea, obligatum ad vagas reſtitutiones: Nec quenquam alium enormibus criminibus irretitum, non habita deſuper a Nobis, aut Vicario noſtro commiſſione ſpeciali & expreſſa, vagarum etenim rerum diſtributionem fiendam Nobis reſervent, ad nosque legitime deducant, quam, ſi ſecus factum per eosdem fuerit, tantundem fabrice Eccleſie noſtre Friſingenſis, quantum diſtribuere contra noſtram prohibitionem preſumpſerint, ſub excommunicationis pena infra duos menſes immediate ſequentes perſolvant.

Item volumus ſub eadem pena omnes Confeſſores abſolvendo uti ad minus illis verbis: *Ego abſolvo te a peccatis tuis, & reſtituo te Sacramentis Eccleſie, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Inhibemus inſuper ſub dicta excommunicationis pena diſtricte precipiendo: ne quisque Sacerdotum ſecularis, vel religioſus noſtre Dioceſis, non habita deſuper Sedis Apoſtolice, Noſtra, aut Vicarii noſtri licentia ſpeciali, ſe intromittat, de diſtributione rerum male acquiſitarum, incertarum, ſeu vagarum.

De Benedictione ſalis, & aſperſorii Dominicis diebus.

Cupientes affectum devotionis augmentari, mandamus in virtute ſancte obedientie, & volumus, omnes Sacerdotes, qui Parochiis preſunt, ſingulis diebus Dominicis aquam & ſal benedicere, ac eoſdem una cum toto Clero ad ipſas Eccleſias ſpectante, horis conſuetis ante Miſſarum ſolennia Eccleſiam proceſſionaliter circuire. Ut autem populus ad hujusmodi proceſſiones invitetur, omnibus vere penitentibus, confeſſis, & contritis ipſam proceſſionem devote ſequentibus ſub fiducia Divine pietatis de theſauro Eccleſie quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis in Domino miſericorditer relaxamus. Quas quidem indulgentias per Recto-

res supra dictos extunc volumus publicari.

De annali confessione Superiori facienda.

Quia ex pastorali solicitudine incumbit Prelatis, subditorum suorum vultum intrinsecus agnoscere secundum talentum creditum; statuimus preterea, volumus, & in virtute sancte obedientie mandamus, ut omnes Abbates, Prepositi, Decani, Archi-Diaconi nostre Diocesis specialiter non exempti, Nobis, aut Vicario nostro: omnes vero Sacerdotes inferiores suis Decanis, Monachi suis Abbatibus, vel Prepositis, qui per Prepositum soliti sunt gubernari, semel in anno omnia peccata sua confiteantur. Nisi alicui ipsorum de speciali nostro, aut Vicarii nostri indulto aliud fuerit concessum, seu indultum.

De symonia, & ne aliquid pro Sacramentis, & Sacramentalibus exigatur.

Districte precipiendo interdicimus, ne quisque Sacerdotum pro reconciliatione penitentium, aut pro administratione alicujus Sacramenti, vel aliquorum Sacramentalium paciscatur de sibi danda pecunia, vel aliquo alio æquivalenti pro eodem. Sed volumus dispositis absque dilatione pro tempore & loco congruis, eadem administrari & exhiberi secundum ritum Ecclesie. Verum, quia rationis & juris explorati existit, quod socii passionum sint pariter & socii consolationum, permittimus expost exigi, etiam cum imploratione officii judicis, quantitatem in talibus ex consuetudine debitam, ad quam laicos hortamur, & quantum de jure est, astringi, & compelli volumus.

Item inhibemus sub pena privationis officii, ne aliquis Sacerdotum quenquam notorie delinquentem, accepta pecunia, vel alio commodo temporali, pena condigna corrigere pretermittat.

Item interdicimus, & districte inhibemus, ne quisquam Clericorum cujuscunque status fuerit, censum de aliquo Beneficio, aut pecuniam, vel emolumentum aliud, ex pacto, quoquo nomine anticipande pensionis, vel alio quocunque quesito colore augeat, vel aliquem augere compellat. Contrafacientes tam dantes, quam recipientes, duplum, quod dederint, & receperint, Nobis irremissibiliter solvere teneantur, & nihilominus juxta arbitrium nostrum, aut Vicarii nostri artius punientur.

Item volumus Statutum sive Decretum *Generalis Concilii Constantiensis de Symonia* editum publicari, ut in fine, quoniam contra transgressores ejusdem districtius Deo dante procedemus, cujus tenor per omnia sequitur in hec verba:

MARTINUS &c. &c. Multe contra Symoniacam pravitatem ab olim facte sunt Constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes de cetero, ut possumus, attentius providere, Sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati symoniace ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi. Electiones aut postulationes, confirmationes, & quevis provisiones symoniace, Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque deinceps facte, nulle sint ipso jure. Nullumque per illas jus cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati, aut provisi faciant fructus suos. Sed ad illorum restitutionem tanquam inique ablatorum percipientes teneantur. Statuimus insuper, quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi Pontificali aut Cardinalatus prefulgeant dignitate.

De usurariis & eorum penis, nec non preemtionibus.

Usurarum voraginem detestantes inhibemus omnibus Christi fidelibus nostre Diocesis tam Clericis, quam laicis, ne pecunias ad usuras mutuent, aut in impignoratione ultra sortem aliquid ex pacto recipiant, nec preemptiones detestabiles faciant, aut alios quoslibet actus usurarios exerceant. Quod si quis contra fecerit, ultra penas juris communis, & *Concilii Provincialis Saltzeburgensis* subjaceat solutioni decem librarum denariorum usualium, irremissibiliter solvendorum, ad fabricam Ecclesie, aut in usus pauperum juxta nostrum, aut nostro nomine judicantis arbitrium convertendas.

Inhi-

Inhibemus insuper sub excommunicationis pena universis Prelatis, Decanis, Plebanis, & ceteris quibuscunque Religiosis, & Secularibus, ne aliquem dictis criminibus manifeste reum satisfactione non premissa, ad quam tamen eosdem induci volumus modis possibilibus, Ecclesiastice tradant sepulture.

Ne preventi & in enormibus decedentes, aut occisi, Ecclesiastice tradantur sepulture.

Insuper presenti constitutione duximus inhibendum universis Clericis nostre Diœcesis, ne suspensos patibulo, decollatos, vel alias qualitercunque per sententiam morti traditos, in torneamentis, ludis publicis, spectaculis, aut alios occisos vel subito defunctos, qui non eodem anno confessi, vel alias in mortalibus peccatis morte preventi fuerint, vel non receperint Eucharistie Sacramentum, nisi de consilio Sacerdotis duxerint abstinendum, tradere presumant Ecclesiastice sepulture, nisi licentia nostra, aut Vicarii nostri super hoc petita diligentius & obtenta; nihilque pro concessione hujusmodi exigatur, neque recipiatur. Sed duntaxat Notario salarium competens solvatur.

De Eleemosynariis & Questoribus admittendis, vel non.

Abusionibus Questorum viam precludere cupientes, statuimus, volumus, & mandamus, quod hi, qui presunt Ecclesiis, nullum quarumcunque occasione literarum petere, aut colligere eleemosynas permittant, nisi literis eorundem prius diligenter perspectis, & Ordinarii, quibus appareat, quod sue litere sint vere, ac earundem authoritas adhuc duret, seu non exspiraverit, quo comperto nulla portione decerpta, exacta, vel requisita ab eisdem pro eleemosyna petenda admittantur, quod si qui contra fecerint, triplum restituere teneantur ad usus, quibus eleemosyne sunt deputate, remissione colligentium minime profutura. Nec Questores propria in persona quicquam proponere populo permittantur. Sed per Plebanos, seu Rectores Ecclesiarum promoveantur, hortantes preterea universos & singulos nostre Diocesis laicos, ne Questores & collectores hujusmodi in eleemosynis colligendis, quoquomodo perturbent, aut impedire presumant. Precipimus insuper & mandamus omnibus Prelatis, Rectoribus, & Vicariis Ecclesiarum sub excommunicationis pena, quod omnes falsos Questores, qui non exhibent per omnia sanas literas, detineant captivos, ipsosque Nobis, aut Vicario nostro transmittant, seu denuntient, quantocius poterint pro demeritis puniendos, taliter, quod exemplis eorum ceteri similia facere pertimescant.

Ne mendicantes sine testimonio literarum suorum Superiorum, & Episcopi admittantur.

Volumus, statuimus, & mandamus, quod Rectores Ecclesiarum nostre Diocesis, fratres mendicantes nequaquam invitent, vel admittant, nisi de proponendo verbum Dei, & audiendis confession. a suis Superioribus licentiam, & ab Ordinario authoritatem Canonice presentationis, examinationis, & admissionis literis authenticis, & patentibus, eisdem sufficienter patefaciant. Volumus quoque Rectores laicis sub excommunicationis pena inhibere, ne alios fratres mendicantes, quam taliter presentatos, & admissos in confessionibus adeant. Ipsi etiam fratres in decedentium, sive recedentium talium presentatorum, & admissorum locum nullum surrogare, aut substituere quoquomodo debeant, nisi prius sit Ordinario presentatus, & per eundem, ut prefertur, admissus. Insuper volumus, & sub excommunicationis pena mandamus: ne quivis administrationem & curam animarum exercens, religiosos quoscunque, etiamsi literas suorum superiorum, ut extra Monasteria sua morari valeant, eisdem ostendant, admittant, nisi habitibus eorum pro religione sua solitis incedant, seque pro religiosis patenter gerant, & ostendant.

De bonis Fabrice Ecclesie, & ratione de eisdem reddenda.

Statuimus, & irrefragabiliter definimus, quod in qualibet Parochia Plebanus assumptis sibi duobus honestioribus subditis suis, quarum quilibet habeat clavem unam, & ipse tertiam, omniaque devotione fidelium, ac fabricam Eccle-

Ecclesie luminaria, vel ad alias utilitates fuerint deputata, diligenter colligat, & conservet, & his usibus impendat, ad quos sunt deputata. Volumus etiam, quod nec tales sibi adjuncti, nec alii Procuratores Ecclesiarum qualescunque, de rebus Ecclesie preter scitum Plebani quidquam disponant: ut autem res ipsa suspicione careat, & non detur occasio subtrahendi res Ecclesiarum, volumus, & sub excommunicationis pena precipimus, quod Plebanus, & assumpti sibi ad hoc officium, seu ministerium exequendum, loci Decano, semel in anno plenam teneantur facere rationem, quem hujusmodi rationes sub pena eadem, tam solicite, quam attente sub bonis testimoniis exigere volumus, & recipere, atque authoritate ordinaria sub memorata pena inhibere Plebanis, & Ecclesiarum Procuratoribus, ne res Ecclesiarum, nomine vaccarum, vulgariter *Immerkue*, aut alias quovis quesito colore sub specie usure mutuent, & quolibet locent.

Ne vacantes Ecclesie spolientur, & que ablate, eisdem restituantur.

Statuimus, ut nullus Ecclesiasticus, vel secularis cujuscunque status, vel conditionis fuerit, Ecclesiarum vacantium, aut Clericorum decedentium bona rapiat, dissipet, aut invadat, quocunque quesito colore: contra faciens, decedens, Ecclesiastica careat sepultura; vivens autem cum tota familia sua ab ingressu Ecclesie arceatur, donec ablata restituerit universa. Item simili pena, carentia sepulture decedentium, & ingressus Ecclesie vivorum, prohibemus laicis, ne de sepulturis dandis se intromittant, nec campanas, aut alia ad Divinum cultum deputata contra voluntatem Plebanorum, quocunque modo, presertim ad prophana, & religioni Ecclesie adversa contrectent, aut per Mansionarios Ecclesiarum pertractari mandent, authorizabiliter contra Sacros Canones, nec in Ecclesia, & rebus earundem quidquam statuant, aut quecunque ordinare presumant.

Ne Clerici exactiones persolvant.

Quamvis res Ecclesiastice non ad alium quam pium usum, in quem ordinate sunt, expendi debeant, salva Sedis Apostolice authoritate, quidam tamen Prelati, & alii Cleriei plus timentes terrenam, quam Divinam offendere Majestatem, non verentur laicis Ecclesias, quantum in eis est, facere tributarias, & *infra*, sub excommunicationis pena inhibemus universis Prelatis, & Clericis nostre Diocesis, ne novam steuram, aut quamvis aliam exactionem laicis solvere presumant, non habita super hoc licentia superioris speciali, & expressa.

Item inhibemus omnibus Clericis ejusdem Diocesis, sub pena jam dicta, ne aliquis eorum Decano, vel Archidiacono sine mandato nostro, aut nostri Vicarii collectam, aut exactionem solvere presumat.

De Patronis, & Advocatis Ecclesiarum.

Quamvis Patroni, & Advocati sint in subsidium Ecclesiarum admissi, sepe tamen hoc tendit ad noxam, & oppressionem, ut inde sentiant detrimentum, quod ad defensionem noscitur institutum, & *infra*, Constitutione presenti sancimus, & volumus, quod tam Patroni, quam Advocati Ecclesiarum cujuscunque preeminentie, aut status fuerint, gratia permissa, aut antiquis juribus, ipsis & eorum progenitoribus in institutione prima, seu cum ipsi ad advocatias a principio per eos, ad quos pertinuit, suscipiebantur, deputatis penitus, & omnino stent contenti, & pro posse suo statum, honorem, & res Ecclesiarum requisiti fideliter tueantur, & defendant.

Item si Patronus plures filios, aut heredes reliquerit, omnes illi succedant in stirpem, & in locum defuncti, & nihil plus exigant, extorqueant, vel recipiant, quam ei debebatur; in cujus locum, & jus successerunt, & nihilominus sicut defunctus, Ecclesiam defendere teneantur: si quis vero extorsione, aut receptione juris advocatie, modum excesserit memoratum, Patronatus occasione; jure suo privetur, & nihilominus sicut raptor, & spoliator Ecclesie puniatur.

Contra Violatores Ecclesiasticarum Personarum.

Volumus, & mandamus Statutum dive

dive memorie GUIDONIS, de latere Legati, per Diocesin nostram publicari, quo cavetur, quod quicunque personam Ecclesiasticam vulneraverit, captivaverit, vel occiderit, ipso facto, ea, que ab Ecclesia nomine feudi jure censuali, aut in Emphyteusin, aut alias quocunque nomine tenuit, perdat penitus & amittat, in utilitatem Ecclesie convertenda. Adidimusque, quod in illa Parochia, in qua Canonicum Ecclesie Cathedralis capi contigerit, vel detineri, vel alium in dignitate, vel Personatu, seu Clericatu constitutum, donec liberetur & absolvatur, cessetur generaliter a Divinis salva satisfactione eidem debita impendenda.

Ne Clerici citentur ad Judicium Forense.

Quia privilegium fori Ecclesie est immediate a Jure Divino, contra quod nec consensus, nec tolerantia excusare potest, animarum periculis providere volentes, statuimus, & universis Christi Fidelibus dicte Diocesis, districte precipiendo mandamus, ne quemquam Clericum, aut Personam Ecclesiasticam, Capitulum vero, & Collegium quodcunque, ad Judicium Forense trahant: Judicibusque Forensibus, ne quenquam eorundem coram se experiri cogant. Alioquin tam actor, quam Judex sententiam excommunicationis ipso facto incurrant, in qua ipsos, & eorum quemlibet per ipsorum Plebanos cum in scriptis legitime requisiti fuerint, sub eadem excommunicationis pena volumus illico excommunicatos publice denuntiari, nunquam ad absolutionis Beneficium admittendos, donec parti lese super injuriis & expressis taliter irrogatis, caveant, vel satisfaciant competenter, secundum extimationem, & declarationem legitimas coram Ordinario, aut judice Ecclesie nostre *Frisingens.* rite faciendas. Salva nihilominus exactione penarum in constitutionibus aliis super hoc per *Sedem Apostolicam*, & *in Concilio Provinciali* promulgatarum.

Ne Clerici citent laicos, causa non expressa.

Ne quisquam laicus vexetur per inanem citationem laboribus, & expensis; Statuimus, & precipimus universis Judicibus Ecclesiasticis nostre Diocesis, ne laicos quoslibet ad audientiam sui citent, vel evocent, nisi causam citationis nominatim exprimant, & expresse, que ad forum pertineat Ecclesiasticum de jure, vel consuetudine; nec citatum super aliis causis, quam in citatorio expressis respondere compellant.

Ne Judices nostre Diocesis excommunicent sine scriptis.

Precipimus ac in virtute sancte obedientie inhibemus nostre Diocesis juris consultis presiden. ne quenquam Clericum, vel laicum pro culpa, vel contumacia excommunicent sine scriptis, & monitione canonica non premissa.

Ut de causis matrimonialibus nemo, quam Judex Ecclesiasticus diffiniat.

Inhibemus, & sub pena excommunicationis interdicimus omnibus Christi fidelibus Clericis, & laicis nostre Diocesis, ut nullus ipsorum contra dictum Salvatoris, & sacros Canones sine nostro, aut Vicarii nostri jussu, & mandato speciali, preter Judices Capituli Frisingen. & Archidiaconi in *Kaytenbuech* per Archidiaconatum ibidem, de causis matrimonialibus diffiniant, aut cognoscere presumant.

Contra clandestinas desponsationes.

Statuimus, & precipimus universis Christi fidelibus nostre Diocesis utriusque sexus, ne quisquam eorum, clandestinis desponsationibus, aut occultis matrimoniis intersit: precipimus insuper in virtute sancte obedientie universis Ecclesiarum Plebanis, quod postquam ipsis constiterit pro certo, & probabili fama, aliquos clandestine contraxisse, ad jura sua prosequendum coram Ecclesiastico Judice per subtractionem Sacramentorum, extra tamen necessitatis articulum cogere non postponant.

Ut Mandata Judicum exequantur.

Quoniam frustra forent judiciorum strepitus, & diffinitiones, si non fierent eorundem executiones; statuimus, & sub excommunicationis pena mandamus omnibus & singulis nostris subditis, qui tam

tam Noſtra, quam aliorum noſtrorum Judicum, juſſa, precepta, mandata, ſententias, & proceſſus, cujuſcunque continentie aut tenoris fuerint ſibi deſtinata devote recipiant, & fideliter exequantur. Nuntios eorundem benivole acceptent, ad vindictam, vel offenſionem nullatenus prodant, & per proprium ſigillum, ſi habuerint, in ſignum executionis celebrate, literas ipſas una cum ſubſcriptione communiant, & conſignent, ſi quis autem contemptor, vel neglector fuerit in aliquo premiſſorum ad prefatam penam nihilominus parti leſe teneatur ad reſarciendum expenſ. damna, pariter & intereſſe, premiſſa Ordinarii taxa con-vel judicum eorundem, a quibus predicta mandata emanarunt, & hoc quantum fuerit in litem juratum.

De interdicto obſervando.

Quoniam juris apices non omnibus innoteſcunt, ad uberiorem Sacerdotum inſtructionem, & ſalubrem informationem, qualiter Sacerdotes interdicti tempore ſe gerere debeant, & habere, preſenti declaramus ſtatuto, quod interdicti tempore tam ab homine, quam a jure prolati tam ſani, quam infirmi ſunt ad remedium plenarie admittendi, niſi fuerint interdicti, vel excommunicati, vel quorum dolo, culpa, conſilio, favore, aut auxilio, latum extitit interdictum, quibus tantum viaticum & baptisma parvulorum conceduntur. Nullus inungatur, vel tradatur Eccleſiaſtice ſepulture preter Clericos, qui ſervaverunt interdictum, niſi tales ſint, qui nominatim excommunicati, interdicti, vel ſuſpenſi fuerint. Qui vero Clerici non fuerint, hujusmodi ſententiis innodati ſine pulſatione campanarum, ceſſantibus quibuslibet ſolennitatibus, cum ſilentio tumulentur. Inſuper Sacerdotes populum habentes, ſine ſcrupulo conſcientie, ſemel in hebdomada viros & mulieres, poſſunt ad Eccleſias convocare. Nec non ipſis exponere Verbum Dei, mulieres poſt partum non intronizentur cum ſolennitate Pſalmi & Orationum. Nuptie ſic non benedicantur, nec aqua benedicta populus ſolenniter aſpergatur, ſingulis diebus Miſſe in Eccleſiis celebrentur, & alia quevis Divina Officia ſicut prius, ſubmiſſa tantum voce, januis clauſis, omnino quibuslibet excommunicatis & interdictis excluſis, Miniſtris Altaris duntaxat exceptis, & omnibus aliis, niſi ſuper hoc privilegium exhibeant ſpeciale: campanis non pulſatis bini, vel inſimul tres horas Canonicas ſimul legere poſſunt; Ita tamen, quod foris ſeu extra Eccleſiam nullatenus audiantur. In Feſtivitatibus Natalis Domini, Paſche, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beate MARIE Virginis, a Veſperis Vigiliarum earundem uſque ad Veſperam predictorum dierum incluſive, campane pulſentur, aperiantur Eccleſiarum janue, Divina quoque Officia ſolenniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, qui ſi cauſam dederint interdicto, altari nullatenus appropinquent. Nec in illis Feſtivitatibus corpora ſepeliantur mortuorum, neque vivis & ſanis illis diebus Sacramentum Euchariſtie miniſtretur. Preterea inhibemus, ne in Eccleſia non conſecrata vel a jure, aut ab homine interdicta, vel execrata per humanum injurioſum ſanguinem, aut ſemine polluta, nullatenus Divina celebrentur.

Item Decreta *Sacri Generalis Baſilienſis Concilii*, de interdictis non leviter ponendis, de excommunicatis certo modo non vitandis: per Dioceſin noſtram publicari cupientes, tenores eorundem preſentibus noſtris ſtatutis & conſtitutionibus inſerendum duximus, qui ſequuntur per omnia in hunc modum:

QUoniam & indiſcreta interdictorum promulgatione ſcandala multa conſueverunt evenire: Statuit hec ſancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, caſtrum, villa, aut locus Eccleſiaſtico ſupponi poſſint interdicto, niſi ex cauſa ſeu culpa ipſorum locorum, aut Domini, ſeu Rectoris, vel Officialium, propter culpam autem, ſeu cauſam alterius cujuſcunque privatе perſone, hujusmodi loca, interdici nequaquam poſſint, authoritate quacunque Ordinaria, vel delegata, niſi talis perſona prius fuerit excommunicata, ac denuntiata, ſeu in Eccleſia publicata, ac Domini, ſeu Rectores, vel Officiales ipſorum locorum authoritate judicis requiſiti, hujusmodi perſonam excommunicatam infra

infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfactionem non compulerint, quâ etiam post biduum ejecta, recedente, vel satisfaciente mox Divina resumi possint, quod etiam impendentibus locum habeat.

De Excommunicatis certo modo non vitandis.

Ad vitanda scandala, ac multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divis, vel extra, pretextu cujuscunque sententie, aut censure Eccles. seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine, vel a jure generaliter promulgate teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerint, in vel contra personam, Collegium, aut Universitatem, Ecclesiam, vel locum certum a Judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expresse, aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius abstinere vult, juxta Canones sanctos. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Ut decimæ cum integritate persolvantur.

Multi secularium interdum in detestationem Cleri, temeritate propria decimas, quas omnium Dominus solvi precepit, subtrahere non verentur in animarum grande periculum. Cunctis preterea Predicatoribus & Confessoribus, Religiosis & Secularibus precipimus, & in virtute sancte obedientie mandamus, quatenus in predicationibus subditos suos studiosius moneant, & inducant, quod memores salutis animarum, decimas ipsas omnium terre nascentium, sine diminutione integre, personales vero secundum laudabilem consuetudinem persolvant, si penas damnationis eterne voluerint evitare.

De judicio leprosorum.

Licet illorum, qui occulto Dei judicio asseruntur lepre morbo percussi, separatio a communione hominum, majoribus gradibus Ecclesie duntaxat secundum expertorum medicorum examen sit credita, frequenti tamen querulantium assertione recepimus, plures innocenter separatos, alios separandos, toleratos; presenti statuto sub excommunicationis pena inhibemus, quod nullus deinceps dicte Diocesis Clericus vel laicus quocunque modo vel forma quemquam hominem, sua temeritate audeat judicare leprosum, vel ab hominum separare communione, sed universis & singulis sub ditione nostra degentibus, districte precipimus, quod suborta fama contra quemquam, qui lepre morbo percussus sit, talem Ordinarii transmittat audientie, tanquam ad Sacerdotem leviticum per ipsum amplius examini medicorum subjiciendum pro experimento, an rumori veritas suffragetur, hoc tamen nisi sit casus adeo indubitatus, qui per tergiversationem nequeat occultari, puta, cum infirmus aperte profitetur, se manum Domini tetigisse.

De Observantia regulari.

Quia Religiosos, qui per Religionem sponte assumptam Deo dicati sunt, purioris decet honestatis, & vite nitore clarere, ut Deo salubrius possint famulari. Quapropter presenti constitutione irrefragabiliter duximus statuendum, ut universi Abbates, Prepositi, Priores, Decani, ceterique Monasteriorum Professi nostre Diocesis, monastica & regulari vigeant disciplina. Regulamque eis a Sanctis Patribus institutam secundum quod Sacrorum Statuta Canonum edocent, presertim tria Ordinis substantialia, videlicet abdicationem proprietatis, obedientiam, & continentiam, ceremonialiaque religionis, secundum sectam, regulam, & diffinitionem Sanctorum Patrum diligentius studeant in omnibus observare. Si quis autem predictorum sue salutis immemor, premissorum extiterit violator, seu neglector, serio secundum eandem regulam, & diffinitionem Patrum pena condigna puniatur.

De

De Monialibus Deo devotis.

Quoniam nedum in viris, ſed etiam in mulieribus Deo devotis vigere debet religio ſancta, & vita monaſtica ſecundum regulam ſue Profeſſionis, & Sanctorum Patrum diffinitiones, imo tanto cautius tenentur Prelati, & alii eis Prefecti vigilare, quanto fragiliores noſcuntur. Statuimus, volumus, & mandamus, quod omnes Prelati quorumcunque Ordinum mendicantium, & non mendicantium, ac alii quicunque Monachi, & non Monachi noſtre Dioceſis, quibus cura Deo devotarum mulierum eſt commiſſa, easdem paterne, pie, & ſolerter ſecundum ſuam Regulam, & Patrum diffinitiones ad obſervantiam regule & vite monaſtice inducant, informent, & compellant juxta officii debitum: diligenter etiam vigilent, ne in receptione ipſarum ad religionem quidquam per ſymoniam exigatur. Negligentes vero, & non reformantes, cujuscunque religionis fuerint, maxime de ordine Sancti Franciſci, qui triplicem regulam, ſive modum ſancte vivendi declaraverint, diſtricta animadverſione per Ordinarium puniantur, inſuper Conſtitutionem BONIFACII Pape VIII. ſuper clauſura Monialium editam, que incipit: *Periculo*, cum effectu executioni demandari volumus & mandamus.

Contra Inventores Sectarum.

Quia nonnunquam ſub ſpecie religionis ſurgunt ſecte, nec non conventiones peſtifere juribus inimice, precipimus, & mandamus cunctis Eccleſiarum Rectoribus dicte Dioceſis, quod omnes viros & mulieres infra terminos ſuarum Parochiarum degentes, ſub ſpecie religionum non approbatarum, & communium in vita accepta a communi vita populorum diſcrepantes requirant, quod infra menſem a ſua requiſitione ipſos informent, cujus religionis ſint, & ſue vite ac ſtatus approbationem. Quodſi non fecerint, ipſos teneant in omni obedientia Parochiali ſicut alios Parochianos, & Ordinario eoſdem nihilominus denuntiare non obmittant.

De rebus Eccleſiarum non alienandis.

Quia non omnibus liquent Canones, contra alienationes rerum Monaſteriorum, jurium prohibitiones, publicandum omnino inhibemus omnibus Abbatibus, Prioribus, Prepoſitis, ac aliis Prelatis, tam ſecularibus, quam regularibus, ſub pena privationis adminiſtrationum ipſarum, ne de rebus Eccleſiarum ſuarum, vel Monaſteriorum ſuorum alienationes ſine licentia faciant perpetuas, quocunque titulo gratuito, vel oneroſo. Nec etiam res temporales inſignes, aut notabiles preter juris formam, & licentiam ſecundum eandem obtentam quomodocunque alienare preſumant.

De Baptiſmo.

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur; maxime in diſtinctione, & prolatione verborum; in quibus Sacramenti virtus exiſtit, his ſcilicet verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant igitur Sacerdotes, tam mares, quam feminas, in neceſſitate debere parvulos baptizare eadem forma in ſuo idiomate, & quod patres, matres, proprios infantes ſi ſumma neceſſitas exigit, poterunt baptizare, & ſi Sacerdotes ſuper hoc diligenter inquirentes debitam formam in baptiſmo invenerint, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa baptizatum, quo unctione olei in pectore, & ſcapulis, & criſmatis in vertice, quod a laicis eſt obmiſſum. Si autem in baptizato debitam formam non invenerint obſervatam, non differant pueros baptizare.

De Euchariſtia & aliorum Sacramentorum Eccleſie cuſtodia.

Item precipiendo mandamus, ut ſecundum Conſtitutionem *Lateranenſis Concilii* Euchariſtia, Criſma, & Oleum Sanctum ſub fideli cuſtodia, & reverentia debita clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, & nefanda exercenda. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, ultra juris communis penas in libra cere eidem Eccleſie ſolvenda, & applicanda puniatur. Et ſi per ejus pigritiam aliquod nefandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni, juxta noſtram, aut Vicarii noſtri ordinationem, & delicti quantitatem. Sacramentum etiam Euchariſtie ſingulis menſibus ad minus ſemel renovari precipimus, aut plu-

pluries secundum locorum exigentiam, & oportunitatem.

In plerisque etiam Ecclesiis, mappe, palle, corporalia, & alia vestimenta Divino cultui deputata, tam inculta & immunda relinquuntur, quam interdum quibusdam sunt horrori, contra statutum Concilii Generalis: universis Custodibus, Sacristis, & Ecclesiarum Rectoribus, districte precipimus, quatenus omnia vestimenta, & ornamenta, ac vasa supradicta per ipsos munda & nitida conserventur, corporaliaque pluries infra annum, juxta casus exigentiam, per Clericos mundentur. Si quis vero in transgressione hujusmodi statuti culpabilis fuerit, usque ad condignam satisfactionem ab officio suspendatur.

Ex Epistola EUSEBII Pape.

Constituimus, ut Sacrificium Altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare presumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini nostri JESU Christi in sindone linea munda sepultum fuit. Volumus etiam, & in virtute sancte obedientie mandamus, ut nullus Divina Missarum solennia sine luminibus celebrare presumat, nec Hostiam ante Consecrationem in altum quoquo modo elevare, ne adorando Hostiam non consecratam populum idolatriam committere contingat.

Item Statutum *Concilii Provincialis Saltzburgensis* presentibus nostris Statutis duximus inserendum, cujus tenor sequitur in hec verba: "Item statuimus, ut si aliquis Clericus vel laicus utriusque sexus, cujuscunque dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit presumptione damnabili publice predicare, aut occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali peccato existens, non possit conficere corpus Christi, seu sic ligatus non possit solvere vel ligare suos subditos a peccatis, pro heretico & incredulo habeatur. Quem errorem hujus Sacri Concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cum Sacre Scripture dicat authoritas, quod sive bonus, sive malus fuerit Minister, per utrumque Deus effectum gratie confert. Non enim, que Sancta sunt, coinquinari possunt. Nec ipsa Sacramenta propter hominum malitiam prophanari. Unde Sacerdos quantumcunque pollutus existat, Divina non potest polluere Sacramenta, que purgatoria cunctarum contagionum existunt, licite ergo a quocunque Sacerdote ab Ecclesia tolerato Divina Mysteria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica Sacramenta. Damnatione simili reprobamus quorundam opinionem erroneam, asserentem Episcopum Presbyterum, seu Sacerdotem curatum non posse solvere Presbyteros fornicarios a fornicationis reatu propter votum castitatis, inhibentes, ne quisquam de cetero predictam opinionem sub penis predictis docere, tenere, aut dogmatizare quoquomodo presumat, publice vel occulte. Adicimus quoque, ut nullus in Diocesi nostra ad predicandum sive annuntiandum Verbum Dei admittatur, nisi missus sit, & de missione sua constiterit sufficienter.

De Celebratione Missarum, & de Divino Cultu designata in Sess. XXI. Concilii Basil.

Predecessorum nostrorum ducti vestigiis, statuimus inhibentes hujus Sacri approbatione Concilii, ut nullus Sacerdotum novitiorum illa die, qua primam Missam celebrare voluerit in exordio, seu publicatione sanct. sui officii oblaturus, Deo primitias gratie, ac salutis sibi collate aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere, aut procurare per se, vel per alium ullo modo presumat, sed ad solum Deum, cujus militie est adscriptus, dirigat aciem sui cordis, maxime die illa devotus curis & solicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum distrahuntur exutus. Remotis vanitatibus hystrionum, cursibus, tumultibus, & insolentiis reproborum, qui etiam sepe venire assolent, non vocati.

Item vult & mandat Reverendissimus Dominus noster in futurum abusum, quo nonnulli Presbyteri suos subditos sibi confitentes etiam in casibus, quibus non habent potestatem absolvendi, absolutione non obtenta ad communionem admittunt, & post communionem pro absolutione transmittunt penitus aboleri, &

& nullum Christi fidelem absque absolutione in forma Ecclesie solita & consueta admitti.

Item vult & mandat prefatus Reverendissimus Dominus noster, quod de cetero nullus Questorum ad collecturam ab Adventu Domini usque ad octavas Nativitatis Christi, & ab hebdomada prima Quadragesime usque ad octavas Pasche admittatur, sed quilibet Plebanorum, seu Rectores Ecclesiarum unum de Parochia sua fidelem constituat, qui singulis diebus Dominicis & Festivis eleemosynam pro fabrica Ecclesie Frisingensis matricis & majoris petat & requirat, ac collecta fideliter Domino Plebano ejusdem loci presentet, qui Plebanus Decano, & dein Decanus Magistro fabrice Ecclesie Frisingensis prefato sub bono conscientie, & districto examine presentare curent.

Item precipit & mandat prefatus Dominus noster illum abusum, quo nonnulli Plebeji quadam assumpta audacia sibi certos dies aliàs non celebres, contra generalem observantiam Diocesis celebres instituunt, & turpiter a suo toto discrepant, similiter penitus aboleri.

Juramentum Testium Synodalium.

Ego N. juro, quod amodo & in antea, quid novi, audivi, aut postmodum inquisiturus sum contra voluntatem Dei, & rectam Christianitatem, in tali Decanatu & Parochia, ad quas deputatus sum, factum sit, aut futurum erit, si in diebus meis, ad meam devenerit cognitionem quocunque modo pervenerit, sive scivero, aut indicatum mihi fuerit, Synodalem causam esse, & ad ministerium Episcopale pertinere, nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam, ullatenus celem vobis Reverendissimo Patri, aut Vicario Misso, cui hec inquirere jusseritis, quecunque ex hoc interrogatus fuero, sic me Deus adjuvet, & ille Reliquie Sacrosancte.

De clandestina Desponsatione, & publicandis Nuptiis.

Quia experientia magistra didicimus, ex eo, quod Decretum *Concilii Generalis* de clandestina desponsatione in nostris civitate & Diocesi per abusum in oblivionem venit, & observatum non existit, plures in gradibus consanguinitatis & affinitatis Lege Divina, ac Canonica prohibitis, ac cognatione spirituali conjuncti, matrimonia verius contubernia contrahere non sunt veriti, in suarum animarum periculum, ac scandalum plurimorum; Nos ex pastoralis officii debito animarum saluti, quantum in nobis est, prospicere cupientes, Sacra Synodo approbante statuimus & ordinamus, ut de cetero nulli Sacerdotes clandestinis matrimoniis intersint. Sed contrahere volentes publice in Ecclesiis coram plebis sue multitudine, solenniter copulent. Ita tamen, quod ante copulationem hujusmodi ad minus una die Dominica vel Festiva de ambone suarum Ecclesiarum infra Missarum solennia, personas contrahere volentes, nominent, & adhortentur omnes, ut si aliquis sit, qui inter eos, qui matrimonium contrahere proponunt, impedimentum sciat, quod vel contrahendum impediat, vel etiam dirimat matrimonium jam tractatum, publicent, vel denuntient. Et post publicationem in ambone, ut premittitur, factam per triduum expectent, an forsan aliquis comparuerit, qui impedimentum legitimum allegaverit. Et si talis legitimus accusator vel denuntiator veniat, curatus caveat, ne partes copulet, priusquam de allegato impedimento cognitum fuerit, quod si secus factum fuerit, condigna pena illum punire curabimus. Verum si nullus contradictor apparuerit post lapsum dicti termini curatus per se, aut suum substitutum partes ipsas libere conjungat, si aliud canonicum illis non obsistat.

De Curatis gravantibus subditos in exactione jurium parochialium.

Item quum quidam nomine solo, & non re Sacerdotes curati, & illorum Vicarii plus lucris temporalibus, quam animarum saluti intendentes, magisque sua, quam, que Dei sunt, querentes, sibi subjectos in remediis, & aliis Parochialibus juribus gravantes de sepultura, & aliis spiritualibus paciscuntur, ac statui suorum in Divinis cooperatorum detrahentes, illos certo pretio minus debito conveniunt, propter quod etiam Presbyte-

byteros indoctos, & minus habiles recipere coguntur & recipiunt. Nos huic vitio pestifero succurrere cupientes Sacra Synodo approbante statuimus, volumus, & ordinamus, ut prefati Curati, eorumque Vice-curati a predictis in futurum desistant realiter, & cum effectu. Ac ipsi Parochialibus juribus secundum antiquam & laudabilem Ecclesie consuetudinem sint contenti, ac suis in Divinis cooperatoribus debita & consueta salaria solvant. Ac tales in cooperatores recipiant, de quorum vita & moribus valeant, & possint respondere, certificantes eos, qui in premissis culpabiles reperti fuerint, quod canonica illis ultio non deerit, illosque condigne punire curabimus.

De remittendis ad authoritatem Episcopi & ad carenas.

Avisati sunt singuli Curati, ut vigore quarumcunque literarum a Domino nostro Episcopo, vel suo Vicario emanatarum non absolvant quoscunque in publicis & notoriis criminibus constitutos, sed eosdem cum literis suis clausis ad Vicarium transmittant, seriem & qualitatem hujusmodi notorii criminis in se continentes. Preterea iidem Curati cauti sint, ne occulta crimina in hujusmodi suis literis scribant, ne aliquo modo contingat, sigillum confessionis aperiri. Preterea omnes notorie criminosos, quorum excessus totam Parochiam scandalizat, & qui alias publicas penitentias egerunt, nihilominus tanquam canes redierunt ad vomitum, & peccata priora, si non sunt persone nobiles aut mulieres, ad solemnem penitentiam peragendam, quam vulgus carenam appellat, mittantur.

De tempore, quo ordinandi se debent presentare ad examen.

Item ordinatum est, ut hi, qui ad ordines sunt promovendi, se juxta *Ravennatens. Concilii* Statutum, quod habetur XXIV. *de inc. qu.* feria quarta ante ipsam ordinationem se ad civitatem Frisingens. conferant, diebus Jovis, & Veneris examen subituri. Et eo tempore in civitate Frisingensi a commessationibus, & ebrietatibus abstineant. Religiosi vero, qui de consuetudine admittuntur, & status presentationi suorum Superiorum concessum est, ut die veneris se presentent. Dominus etiam Presidens hortatus est singulorum ordinum Prelatos, ne indignos inhabiles, insufficientes, aut in minoribus annis constitutos presentent, prout Omnipotenti Deo de hoc habent reddere rationem. Et si videbitur expedire, Domini Examinatores, etiam sic Presentatos poterunt examinare, & de moribus, & vita illorum inquirere.

Institutio Festi Conceptionis Genetricis Virginis Marie.

Statuimus, & irrefragabiliter observari volumus diem Conceptionis Beatissime & intemerate Dei Genetricis Virginis Marie in choro & foro solenniter celebrari. Mandamusque omnibus, & singulis Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, eorumque Vicariis, & cooperatoribus in Divinis, ut populo sibi credito precipiant festum ipsum in choro & foro solenniter pronuntient Patres Concilii Basiliens. celebrari cunctis fidelibus vere penitentibus, & confessis ea die Missarum solemniis centum, primis autem & secundis vesperis totidem, sermoni verbi Divini de ea festivitate intersint, centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura de injunctis penitentiis elargitos fore. Incitantes populum, ut se indulgentiis hujusmodi participem faciat, & festum ipsum in honore Gloriosissime Genetricis cum debita devotione celebrent.

De Horis Canonicis debito modo legendis ex Concilio Basiliensi.

Admonet Reverendissimus Dominus Presidens, & hec Sancta Synodus omnes Beneficiatos seu in sacris ordinibus constitutos, qui ad horas Canonicas tenentur, ut cogitent orationes suas Deo acceptas facere, illasque non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, vel syncopando dictiones, nec colloquia, vel risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati Divinum nocturnum Divinumque Officium reverenter verbisque distinctis peragant. Ac tali in loco, ubi a devotione non retrahantur, atque se disponere, & preparare debent. Juxta quod scriptum est: *Ante orationem* (a) *præpera animam tuam*, ne sis quasi temptans Deum.

(a) Eccl. XVIII, 23.

De novis Ecclesiis erigendis.

Hoc presentis Concilii consensu declaramus, ut jure Canonicus Sanctiones nullus in Parochia sua erigat, vel erigere patiatur novas Ecclesias, vel in campis statuas cum truncis, ad quas pecunie reponantur, nisi Episcopus primum lapidem ponat. Cum populus novitate gaudeat, & Matrices Ecclesie debitis fraudentur honoribus, & sepe numero falsa pro veris in his locis publicari dicuntur. Volentes & mandantes, ut Decani rurales ad Nos, vel Vicarium nostrum deferant, ubi similia attemptantur, & cum cause cognitione, quod justum est decernemus, non tamen per hoc volumus prohibere, quin statue, vel ex lapide, vel ex ligno in laudem Salvatoris, & Sanctorum ejus dirigi possint. Ita tamen, quod illa fiant juxta communem consuetudinem patrie absque ligneis Capellis, vel asserum conglutinatione ad instar Capellarum.

Statutum de cognacione spirituali text. est in cap. fin. *de cog. spir.* lib. VI.

Statuimus, ut unus tantum assumatur Patrinus in Sacramento baptismatis ad impedimenta matrimonii precavenda juxta Sacrorum Canonum scita. Volumus etiam, ut Decani rurales attenti sint ad informandum Sacerdotes Parochiales, & eorum cooperatores, formas Sacramentorum juxta cartam alias illis missam, & officii sui debitum legaliter exerceant.

De Testibus Synodalibus.

Volumus etiam, & admonemus testes Synodales, ut juxta juramentum per se præstitum crimina publica, que infra terminos sibi commissos observarunt ad notitiam nostram, & nostri Vicarii deducant, presertim crimina sequentia: concubinatus publici, heresis, irregularitatis, Apostasie, Simonie, perjurii, usure, ac alia, que grave generant in populo scandalum, alioquin eos tanquam negligentes puniemus.

Ut spirituales citati ad judicium seculare non compareant.

Item volumus & ordinamus, ac districte in virtute sancte obedientie mandamus omnibus & singulis Dominis, Abbatibus, Prepositis, Decanis, Capitulis, & Presbyteris, per civitatem & Diocesim Frising. constitutis, ut vocati ad judicium seculare in causis eo non spectantibus non compareant, nisi prius se judici suo spirituali illius cause ordinario represententur, consilium, & auxilium illius imploraturi: contra rebelles ad pēnas juris procedetur, justitia mediante.

Item ordinamus, ut in causis decimarum, & aliis de jure, vel consuetudine ad forum Ecclesie spectantibus nullus trahatur, vel respondeat in judicio seculari. Alioquin contra judicem trahentem, & reum respondentem procedetur, prout de jure per eum, ad quem jurisdictio causarum hujusmodi in civitate, & Diocesi Frisingens. spectat, & pertinet.

Item synodaliter monentur omnes, & singuli concubinarii publici, ut infra triginta dies a presenti monitione synodali computandis realiter, & cum effectu concubinas a se abjiciant, illasque, neque alias resumant sub penis in statuto Synodali contra concubinarios editis contentis, & contra contumaces procedetur, ad penas, in decreto *Concilii Basiliensis* inter statuta Synodalia recepto contentis prout de jure.

Item quia Plebani negligenter agere dicuntur circa res ad fabricas Ecclesiarum spectantes precipimus, & statutum circa hoc editum observetur. Et Plebani, qui non habent tertiam clavem, poterunt venire ad Nos, vel Vicarium nostrum, & dabuntur illis litere opportune.

Item fiat mentio de turnis, & processionibus fiat mentio de mitris, seu infulis Prelatorum, & disponant, quod in proxima Synodo concedente altissimo celebranda omnes Prelati pariformes mitras deferant albas juxta juris communis dispensationem.

Item volumus Decretum generalis, quod habetur in c. *Omnis utriusque sexus. de Pen. & Re.* publice cujus tenor sequitur, renovari.

INNOCENTIUS *Papa III. in Concilio Generali.*

Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.

doti. Et injunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistie Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus preceptione duxerit abstinendum. Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantie cecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua peccata confiteri, licentiam prius postulet, vel obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat prebere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum egrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut signo, aut quovis alio modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si pro decentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione persone caute requirat: quomodo qui peccatum in penitentiali foro sibi detectum presumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendum perpetuam penitentiam in artum Monasterium detrudendum.

De publicatione Statutorum, & eorum copia.

Quod hec statuta non tradantur oblivioni, & ne quisquam ignorantiam valeat allegare, ac ut subditi possint in eis frequentius meditari, sub excommunicationis pena precipimus, & injungimus omnibus Abbatibus, Prepositis, Prelatis, Decanis, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ut transcriptionem predictorum Statutorum, & copiam totalem, ac plenam habeant, & bis in anno de verbo ad verbum Abbates, & Prepositi, convocatis omnibus Monachis, & Canonicis Regularibus, & Prepositi, seu Decani Cathedralis, & Collegiatarum Canonicis suis in unum collectis, Decani vero singuli in Conventu, Collegio, seu Capitulo, suis Confratribus accersitis, publicent, & prelegant, in communi. Contra hujus statuti negligentes neglectores, seu contemptores inquisitionem habebimus, diligenter penas exactissime prosecuturi.

Cl. Lunig. Continuat. III. Spicilegii Ecclesiastici pag. 1056. *& seqq.*

SYNODUS TORNACENSIS
Anno Christi MCCCCLXXXI. Sixti IV. Papæ XI. Friderici III. Imp. XLII.
SUB FERRICO EPISCOPO ET CARDINALI.
CAPITULA XIII.

FERRICUS (a) DE CLUGNIACO, MISERATIONE DIVINA TIT. SANCTI VITALIS SACROS. ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, ET EPISCOPUS TORNACENSIS.

Pastoralis officii debito, & obligationibus, quibus Divinæ Majestati astringimur: in quantum possumus satisfacere desiderantes, & ea magis, quo sua pietate,

(a) Ferricus a Cluniaco, J. U. D., Ducis Burgundiæ Consiliarius, anno 1473. Episcopus Tornacensis LXX. electus fuit. Romam secedens, a Sixto IV. Cardinalium Collegio adscribitur anno 1480. titulo S. Vitalis. Tornacum reversus, in Ecclesia S. Salvatoris Brugis, suæ tunc Diœcesis, Synodum celebrat 4. Octobris anno 1481. Romam denuo reversus obiit anno 1483. non sine veneni suspicione, sepultus in S. Maria de Populo.

tate, Nos ad Cardinalatus dignitatem vocare placuit. Diſpoſuimus hanc noſtram Synodum Generalem nunc celebrare, ut in ipſa tum exhortationibus, & admonitionibus ſalutaribus, tum ſtatutorum per Prædeceſſores noſtros bonæ memoriæ Epiſcopos Tornacenſes editorum recordatione: tum ipſorum declaratione, & in eiſdem additione, gregi Nobis commiſſo facilius providere, & ipſum ſpiritualiter paſcere valeremus. Et hinc nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſalutariſque doctrinæ, magis vigeret, exceſſuſque corrigerentur, & errores emendarentur. Quæ quidem Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta robur plenarie firmitatem habere volumus in quantum illa noſtris infraſcriptis, & noſtra illis non contradicant perinde, ac ſi nunc per Nos, ac in noſtra Synodo Generali primitus edita forent, & de verbo ad verbum publicata; mandantes ob hoc,& injungentes Decanis noſtris Chriſtianitatis, ac ſingulis Presbyteris noſtræ Diœceſis, præcipue Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, quatenus veram copiam hujusmodi ſequentium, & publicandorum ſtatutorum infra tres menſes ad tardius habeant; ut illa frequenter legendo melius intelligant, & obſervare ſtudeant, cum quibus, Altiſſimo favente, noſtra proxima in Synodo compareant, & ut moris eſt coram ſe teneant, ad ſummi Paſtoris laudem, & ſtatus Eccleſiaſtici honorem, ut de bono, & ſalubri opere magis commendari poſſint.

Caput I. *De Baptiſmo, & adjacentibus.*

Injungimus Curatis, Vice-Curatis, & aliis Presbyteris noſtræ Diœceſis, quatenus reverenter, ac cum gravitate, & modeſtia Baptiſmi Sacramentum in Eccleſia, & non extra, niſi in caſu neceſſitatis miniſtrent, verba Sacramentalia tractim proferant: Chriſma, Oleum ſanctum, fontes & piſcinas cum omni munditia,& puritate teneant; obſtetrices, & mulieres, quid & qualiter in caſu neceſſitatis circa dictum Sacramentum agendum ſit, inſtruant. Item ordinamus,quod pro levando prolem maſculini ſexus de ſacro fonte ultra duos viros cum una muliere, & pro fœminei ſexus ultra duas mulieres cum uno viro abſque noſtra, ſeu Decani Chriſtianitatis loci licentia non admittant: niſi ipſi levantes in dignitatibus, ſeu ſacris Ordinibus fuerint conſtituti, quo caſu toleramus hujusmodi numerum levantium poſſe excedi: Injungant etiam Presbyteri baptiſantes puerum levantibus, ut ipſi in fidei articulis inſtrui procurent, & ad hoc dicti levantes adſtringantur.

Item inhibemus Decanis noſtris Curatis & Vice-Curatis, cæterisque Presbyteris,& Religioſis noſtræ Diœceſis, ne mulieres, quæ in inceſtu, ſtupro, aut de Presbyteris, vel Religioſis conceperunt; nec etiam Moniales, Hoſpitalarias, Beghinas, & alias Religioſas ad purificationem, ſeu reconciliationem poſt partum recipere, ſeu purificare præſumant abſque noſtra, aut curiæ noſtræ Tornacenſis licentia ſpeciali.

Item etiam ſimiliter inhibemus ipſis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Presbyteriſque, & Religioſis dictæ noſtræ Diœceſis, ne mulieres, quæ in adulterio ſeu fornicatione conceperunt, ad purificationem poſt partum abſque ſcitu, & licentia Decani Chriſtianitatis loci admittant.

Item præcipimus Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, Presbyteriſque & Religioſis dictæ noſtræ Diœceſis, quatenus in Baptismo inquirant diligenter, & ſciant nomina & cognomina parentum, parvulorum procreatorum, hujusmodique nomina, & cognomina, atque Parochias, in quibus degunt, in ſcriptis redigant, nec non literas conſenſus tam Curiæ noſtræ, quam Decanorum Chriſtianitatis de mulieribus purificandis, fideliter ſemel in anno dictæ Curiæ noſtræ fideliter exhibeant.

Caput II. *De Sacramento Euchariſtiæ.*

Item ſtatuentes ordinamus, ob reverentiam Ss. Sacramenti, ut Sacerdos accedens viſitare infirmos cum Sacramento Euchariſtiæ, aut extremæ Unctionis, faciat lumen ante ſe deferre, ac nolam ſonare, & in habitu decenti publice incedat.

Item injungimus Curatis, & Vice-Curatis, ac aliis Presbyteris, aut altaria, mappas, cortinas, ampullas, & piſcinas, ac veſtes ſacras, ac ornamenta altaris & Eccleſiæ cum omni puritate & munditia conſervent; & ſuper hoc Decani vigilent,

lent, quos negligentes vel culpabiles in præmissis invenerint, Curiæ nostræ referant canonice puniendos.

Caput III. *De Matrimonio.*

Item inhibemus omnibus Curatis, & Vice-Curatis nostræ Diœcesis, ne de cætero proclamationes bannorum super matrimoniis contrahendis faciant, nisi Dominicis diebus, & aliis Festis solemnibus per totam Diœcesim Tornacensem generaliter observari solitis, & hora summæ Missæ circa Offertorium, & in ambone Ecclesiæ.

Item statuimus & ordinamus, quod si duo contrahere volentes, sint diversarum Parochiarum in eodem Decanatu, Curatus literas suas testimoniales super bannis proclamatis scribat alteri Curato. Si vero dicti contrahentes diversorum Decanatuum existant, Curatus Decano suo scribat, & Decanus illas litteras roboratas mittat Decano alterius contrahentium: qui quidem Decanus Curato suo sub eo degenti scribat. Et si oriundus de nostra Diœcesi contrahere velit cum persona alienæ Diœcesis, Curatus suas litteras dirigat Decano suo, & Decanus illas roboratas mittat Officiali nostro: pro quibus litteris concedendis Curatus ultra quatuor, & Decanus ultra sex solidos monetæ Regis non recipiant. Si autem persona alienæ Diœcesis in nostra Diœcesi matrimonium contrahere voluerit, non admittatur ad hujusmodi matrimonium absque Nostra, seu Curiæ nostræ licentia speciali.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, cæterisque Presbyteris, ne sine licentia speciali Curiæ nostræ ad matrimonii solemnisationem admittant illos, quos sciverint sponsalia contraxisse clandestine, vel eorum matrimonium bannis & Ecclesiæ solemnitatibus omissis, copula carnali consummasse, aut ubi sciverint oppositionem, vel impedimentum intervenisse. Et quid de præmissis sciverint, per famam, vel alias, Curiæ nostræ Tornacensi rescribant, & denuntient indilate. Etiam ne aliquos ad sponsalia extra Ecclesiam, vel cœmiterium, aut ad matrimonii solemnisationem ante solis ortum, vel contrahere volentes ad sponsalia per verba de præsenti admittere præsumant.

Item inhibemus nostris Decanis, ne de causis sponsalium matrimonii seu divortii, aut aliis ad forum nostrum Ecclesiasticum spectantibus cognoscere, vel eas coram se tractari facere quoquo modo præsumant.

Item prohibemus sub pœna excommunicationis omnibus & singulis subditis nostris, qui sunt matrimonialiter copulati, ne absque judicio Ecclesiæ, se ab invicem separent, aut segregatim vivant, aliquosve contractus, promissiones, juramenta, aut vota de seorsim manendo, facere, vel inire præsumant. Et quos de præmissis Decani vel Curati noverint culpabiles, Curiæ nostræ referant secundum casus exigentiam.

Caput IV. *De Pœnitentiis & Indulgentiis.*

Item reservamus Nobis, & Vicariis nostris absolutiones a majoribus peccatis: ut puta peccato contra naturam in viris ultra vigesimum annum: raptu virginis, homicidio, incendio, simonia, hæresi, & apostasia, sacrilegio ultra 40. solidos; incestu cum patre, matre, filio, filia, fratre, sorore, cum religiosis mulieribus professis: Injectione manuum violenta in parentes ex deliberatione facta, sortilegio, quod fit circa Sacramenta, vel Sacramentalia; oppressione parvulorum voluntarie, vel negligenter facta; negligentia parentum in igne & aqua natos perdentium; perjurio solemni, & fidei fractione in curia nostra Tornacensi, & alibi judicialiter facta; voti solemnis transgressione; maleficio impediente coitum; procreatione sterilitatum, vel abortivorum; propinatione veneni; hæreticali, & magna blasphemia Deo & Sanctis, vel Ecclesiæ, ex animi deliberatione facta; falsificatione literarum nostræ curiæ; omni excommunicatione, tam a Nobis, quam a Canone lata, & omni peccato his simili vel graviori: nisi sit Sanctæ Sedi Apostolicæ de jure reservatum, in quibus casibus majorem authoritatem a Nobis non habentibus, excepto in mortis articulo omnimodam absolvendi interdicimus potestatem.

Item ne deinceps hæsitetur, qui casus Decanis nostris Christianitatis sint concessi, eorum declarationem hic duximus annotandam: & sunt hi: videlicet: pec-

peccatum contra naturam in omni ætate a mulieribus perpetratum, & in viris citra vigesimum annum: Pollutiones in omni ætate: Perjuria, & fidei fractiones extra judicium factæ: votorum non solennium transgressiones. Injectiones manuum in parentes, & in Clericos citra decimum quartum annum, ubi non fuerit gravis læsio, vel deliberatio. Sortilegia, quæ non fiunt circa Sacramenta, vel Sacramentalia. Parvulorum oppressiones casuales. Clandestinæ nuptiæ. Incestus (exceptis, matre, filio, filia, fratre, sorore) stuprum virginis, omnia adulteria, hoc salvo, quod si clandestinæ nuptiæ, incestus, stuprum, & adulteria hujusmodi per duos testes, aut plures, qui iis interfuerint, aut alias per communem famam vel infamiam, probari possint, prius super his Ecclesiæ, vel nostram jurisdictionem exercentibus satisfiat. Injectiones manuum mulierum in Clericum, vel Sacerdotem ubi non est enormis læsio, de qua tamen si probari possit, ut dictum est, prius læso, & Ecclesiæ satisfiat, Sacrilegia de 40 solidis, & infra, dummodo debita fiat restitutio Ecclesiæ de eisdem; ac omnia peccata eis similia, & inferiora.

Quæ quidem inferiora Rectoribus Parochialium Ecclesiarum dimittuntur, ut puta, inordinati concubitus cum mulieribus, mollities, peccata contra naturam in ætate puerili, in viris usque ad decimum quintum annum, & in mulieribus usque ad vigesimum quartum annum: adulteria ex una parte provenientia damnificationes, & furta dummodo fiat restitutio, quam cito facultas se obtulerit. Levis injectio manuum in parentes. Sortilegia in rebus minimis, & communibus, ubi non est horror, & turpitudo. Stuprum virginis occultum, abortus non procreati, sed casuales, & iis similia.

Item inhibemus omnibus, & singulis Sacerdotibus, ne confessiones mulierum, cum quibus carnaliter peccaverint, vel eas ad peccandum induxerint, audiant; nisi in magno necessitatis articulo.

Item statuimus, & ordinamus, quod si alicui sit imponenda pœna publica, aut solemnis pœnitentia, talis ad Nos, vel Vicarios nostros remittatur absolvendus.

Item præcipimus omnibus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, ut suos Parochianos sæpe moneant, & inducant, ut frequenter ad confessionem accedant, ad minus semel in anno omnia peccata sua confiteantur suo proprio Sacerdoti, scilicet Rectori Parochialis Ecclesiæ, vel alteri de ejus licentia, qui quidem Rector Parochialis ideo magis *proprius* dicitur esse Sacerdos, quia non solum confessiones audit, sed etiam ministrat Sacramenta: & una cum Corpus Christi reverenter recipiant, & quos sciverint omisisse infra mensem post festum Paschæ quolibet anno, curiæ nostræ referant, vel rescribant absque dissimulatione quacumque.

Item animarum subditorum nostrorum saluti providere cupientes, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eorum Ecclesiam Tornacensem devote visitaverint, & de bonis eorum dederint, centum & quadraginta dies: Item Benefactoribus pauperum suorum suarum Parochiarum 40 dies. Item omnibus, & singulis quotidie deferentibus funera, seu corpora pauperum de domibus ad Ecclesiam, & qui exequiis intererunt, 30 dies. Item omnibus, & singulis flectentibus genua, & dicentibus *Pater noster*, qui in Missa audierint nominare hoc nomen JESUS, vel hoc nomen MARIA, vel hæc verba: ET VERBUM CARO FACTUM EST, 20 dies. Item comitantibus Presbyterum Corpus Christi, vel extremam Unctionem ad infirmos deferentem, si fuerit de die 20., si fuerit de nocte 40 dies. Item illis, qui devote intersunt processionibus, quæ fiunt in suis Ecclesiis Parochialibus 20 dies. Item qui exequiis, & funeralibus Presbyterorum interfuerint 40 dies. Item qui primæ Missæ Sacerdotis novi interfuerint 40 dies. Item illis, qui ob reverentiam, & honorem Domini nostri JESU Christi, & Ecclesiæ sanctæ, assurgunt Sacerdotibus 20. dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.

Item Statuta Prædecessorum nostrorum insequendo, & ad obviandum fraudibus, quæ in foro pœnitentiali committi possent, statuimus, & ordinamus, quod de cætero Religiosi mendicantes, qui singulis annis ad prædicandum, & confessiones audiendum, per Nos, seu Vicarios nostros admittuntur, litteras admissionis eorum Decanis locorum, ubi præ-

prædicare, seu confessiones audire intendunt, præsentare teneantur, antequam actus confessionis & prædicationis exerceant, ut ipsi Decani in prima eorum convocatione nomina dictorum Religiosorum admissorum, cum eorum potestate facta per schedulas, & alias Curatis valeant declarare, alias nullatenus admittantur.

Item revocamus ex nunc omnes & singulas facultates per Nos quibusvis personis Ecclesiasticis sæcularibus, seu religiosis, cujuscunque ordinis de absolvendo subditos in casibus Nobis, vel nostris Decanis Christianitatis, aut Curatis nostræ Diœcesis reservatis & commissis, per Nos hactenus concessas; volumusque & præcipimus, quod eisdem facultatibus non utantur, nisi a Nobis super hoc in scriptis specialem obtinuerint commissionem & facultatem.

Caput V. *De Testamentis & Sepulturis.*

Item præcipimus & injungimus Decanis nostris, quatenus bona mobilia Presbyterorum quorumcunque Nobis subditorum in nostra Diœcesi decedentium statim post obitus eorum arrestent, fideliter inventorient, & sub stricto, & securo arresto inventoriata teneant, quoadusque eis constiterit, an Presbyteri defuncti testamentum condiderint, vel ne; si autem intestati decesserint, bona prædicta sic arrestata, & inventoriata per dictos Decanos ad majorem utilitatem vendantur; & taliter super hoc Decani disponant, quatenus ipsi inde gentibus, & officiariis nostris computum & rationem loco, & tempore debitis reddere possint. Si vero testamentum condiderint, non relaxent Decani arrestum, nec manus inde amoveant, quoadusque eis legitime constiterit testamentum prædictum, per Nos, seu Curiam nostram fuisse & esse approbatum: tunc enim, & non citius toleramus bona ipsa recredi executoribus testamenti, seu aliis per Officialem nostrum loco ipsorum executorum, vel alterius eorundem, si onus hujusmodi executionis testamenti assumere recusaverint surrogandis, injungendo Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, quatenus nomina & cognomina eorum, qui in suis Parochiis fecerint testamenta, suis Decanis rescribant infra mensem post obitum testatoris, ac etiam nomina & cognomina executorum: qui quidem Decani super hoc Curiam nostram informent infra mensem sequentem.

Item, ut executores testamentorum, qui per Curiam Tornacensem approbantur, seu eorum loco surrogandi infra annum a die obitus testatoris coram gentibus, & officiariis nostris computum & rationem reddere teneantur, vocatis hæredibus testatoris, & aliis, qui ad hoc pro suo interesse erant vocandi, inhibentes dictis executoribus & surrogatis, ne hujusmodi testamentorum executionem suscipiant, vel bona testatoris apprehendant, donec & quousque legale, & in fide dignorum præsentia fecerint de dictis bonis inventorium in scriptis fideliter redactum.

Item præcipimus omnibus & singulis Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, quatenus suos Parochianos publice moneant, & sæpius exhortentur, ut testamentorum executiones, quas susceperunt diligenter, & fideliter expleant, & præcipue de Legatis factis Ecclesiæ, & piis locis, ac Ecclesiasticis, pauperibus, aut miserabilibus personis, satisfaciant; & quos dicti Rectores sciverint in præmissis remissos & negligentes, Curiæ nostræ nuntient, & scribant indilate.

Item inhibemus Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ne Ecclesiastica Sacramenta ministrare præsumant illis, qui extra eorum Parochias se dicunt aliud domicilium habere, & ibi fuisse confessos, nisi ipsis Rectoribus constiterit per litteras Rectoris hujusmodi alterius domicilii ipsos debite fuisse confessos, & Sacramentum Eucharistiæ recepisse; & si tales decesserint eorum corpora Ecclesiæ sepulturæ non tradantur absque Curiæ nostræ licentia speciali. Et si vivi tali errore per biennium perseverare præsumpserint, nomina talium præcipimus per dictos Rectores Curiæ nostræ rescribi, ut super hoc, prout decebit, provideatur.

Item prohibemus, ne quis cadaver excommunicati, abortivi, aut alterius sepultura Ecclesiastica indigni sepelire præsumat, nisi sub distantia viginti pe-

pedum a cœmiterio Ecclesiæ Parochialis.

Item cum salus animarum sit rebus cæteris præferenda, statuimus, ut quilibet pro salute animæ suæ de rebus & bonis suis causa ultimæ suæ voluntatis testari, vel alias disponere valeat, præsertim ad pios usus libere, & quiete: in omnes vero, qui contra hujusmodi statutum nostrum fecerint, aut venerint directe, tacite, vel expresse, clam, vel palam, seu auxilium, consilium præbuerint, & favorem una cum aliis pœnis a jure statutis, excommunicationis sententiam in his scriptis proferimus. Quæ quidem testamenta, seu testamentarias dispositiones, cum de illis per Sacerdotem testatoris, vel Scabinos loci, aut alios fide dignos, quos testator, vel dispositor elegerit, seu qui præsentes fuerint, legitime constiterit, defendere intendimus, & tueri, prout de jure, & debitæ executioni demandari facere quolibet impedimento in contrarium præstito non obstante.

Item inhibemus dictis Rectoribus, & aliis Presbyteris, ne absque Nostra, aut Curiæ nostræ licentia speciali, Ecclesiasticæ tradant sepulturæ corpora, seu cadavera usurariorum, interdictorum, seu excommunicatorum quorumcunque, nec illorum, quos per famam, vel alias sciverint, seu dici audierint homicidium notorie perpetrasse, vel in incestu, seu adulterio, abjectis suis uxoribus, & simili fœditate, etiam per plures annos non confitendo, nec sua Ecclesiastica Sacramenta recipientes vixisse, nisi eis constiterit tales absolutionis beneficium obtinuisse, & per Nos, aut Curiam nostram litteras inde visas, & debite examinatas. Similiter nec cadaver, sive corpus alicujus in Ecclesia, vel cœmiterio polluto inhumare, aut sepelire præsumant, seu permittant.

Caput VI. *De servitio Divino, & nonnullis concernentibus Officia Decanorum & Curatorum.*

Item præcipimus Decanis nostris, ut quoties in eorum Decanatibus contigerit jurisdictionem nostram Ecclesiasticam & spiritualem, seu observationem Synodorum suarum impediri, vel Ecclesiarum immunitates infringi, aut violari, super hoc mox faciant informationem diligenter, ac ipsam in scriptis redactam Curiæ nostræ immediate transmittant.

Item injungimus dictis Decanis, nec non Curatis & Vice-Curatis, ac Capellanis, cæterisque subditis nostris in vim juramenti per eos præstiti, quatenus significent, & intiment dictæ Curiæ nostræ, seu Promotori causarum ejusdem, clandestinas affidationes, nec non crimina, excessus, & delicta tam Presbyterorum & Clericorum, quam aliorum, de quorum criminibus, seu excessibus Ecclesia potest, seu debet cognoscere de consuetudine, vel de jure.

Item inhibemus Decanis nostris, nec non Curatis, & Vice Curatis, ac Ecclesiarum Rectoribus & Ministris, ne in eorum Ecclesiis aliquem Presbyterum alienæ Diœcesis ad celebrandum Missas, ac alia Divina Officia admittant, nisi per litteras nostras, aut Vicariorum nostrorum de licentia & gratia nostris expresse constiterit; nec dicti Provisores & Ministri talibus Presbyteris, vestes, calicem, aut alia ornamenta ad celebrandum apta administrent.

Item injungimus Decanis nostris, quatenus diligenter inquirant, de & super onere Missarum & servitii, ad quod Beneficia sui Decanatus astringuntur, & summopere vigilent, ne hujusmodi obsequiis defraudentur, & ubi defectum invenerint, statim hujusmodi Beneficiorum fructus & bona in & sub manibus nostris arrestent, & de dictis bonis faciant hujusmodi beneficiis deserviri, & etiam, quod omissum fuerit, debite suppleri, de residuo Nobis, aut Vicariis nostris tempore & loco reddituri computum & rationem.

Item injungimus Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris & Beneficiatis in nostra Diœcesi, quatenus horas suas Canonicas ad usum Diœcesis debite legant: ipsique Curati, & Ecclesiarum Parochialium Rectores diebus Dominicis & Festivis, & aliis diebus, quibus eis incumbit, Missas, & alia Divina Officia celebrent, populumque eis commissum hortentur, excitent, & inducant diebus Dominicis & Festivis Ecclesiam suam Parochialem frequentare, & Divina Officia audire, & eisdem interesse,

tereſſe, eundemque populum fidei articulis inſtruant, ac crimina & maleficia deteſtentur.

Item quia cum tam de jure, quam vigore Conſtitutionum Provincialium & Synodalium Parochiani diebus Dominicis, & Feſtivis ad audiendum ſervitium Eccleſiæ, & verbum Dei in ſuis Parochialibus Eccleſiis venire debeant, & eis intendere teneantur: inhibemus omnibus & ſingulis Curatis, cæterisque Presbyteris & Religioſis noſtræ Diœceſis, ne dictis diebus Dominicis & Feſtivis, horis decantationum ſummæ Miſſæ & Veſperarum in Capellis extra dictas Eccleſias Parochiales conſtitutis Divina celebrare, ſeu Verbum Dei prædicare præſumant, Rectoribus, ſeu Gubernatoribus dictarum Capellarum, ne hæc fieri permittant.

Item hortentur dicti Curati, & Presbyteri, prout Nos etiam hortamur omnes Chriſti fideles, quatenus cum audient de ſero campanam ſonare, ac pulſare ob reverentiam B. Mariæ Virginis, ter *AVE MARIA* flexis genibus dicant: intimantes eiſdem, quod cuilibet id facienti, & in ſtatu gratiæ exiſtenti, Dominus Papa 20. dies indulgentiarum conceſſit, & Nos 10. eis concedimus.

Item injungant dicti Curati ſuarum Parochiarum Proviſoribus, & Miniſtris tam fabricæ, quam menſæ pauperum, prout etiam eis injungimus, quatenus quolibet anno in præſentia Decani Chriſtianitatis, aut ſaltem Curati rationem, & computum de per eos adminiſtratis faciant, atque reddant: & hujusmodi computa in præſentia Decani Chriſtianitatis loci faciant in archivis, & ciſtis dictarum Eccleſiarum ſecure cuſtodiri, ac reponi.

Item præcipiant, & injungant dicti Curati ſuis Parochianis, ut feſta & ſolemnitates Dei & Sanctorum diligenter obſervent & celebrent, & quos ſciverint in hoc deficere vel errare, dictæ curiæ noſtræ referre non poſtponant.

Item injungimus Decanis noſtris, quatenus diligenter inquirant, & Nos informent infra 4 menſes de & ſuper bonis ad fundationem, & dotationem Capellaniarum, nec non Confraternitatum adhuc non confirmatarum conceſſis & collatis, & qualiter de dictis bonis diſponitur, ut congrue ſuper hoc provideatur: inhibeantque dicti Decani, prout etiam inhibemus, ne in dictis Capellaniis, & Confraternitatibus nondum confirmatis, Miſſæ, vel alia Divina Officia abſque noſtra licentia celebrentur.

Item prohibemus ſub pœna excommunicationis, & pœna per curiam noſtram arbitranda omnibus Presbyteris, Curatis, & non Curatis, ne quis Miſſam bis in die celebret, ſeu celebrare præſumat, niſi illis diebus, quibus per Eccleſiam fieri permiſſum exiſtit.

Item inhibemus ſub pœna excommunicationis omnibus, & ſingulis Presbyteris, ne quis duabus Eccleſiis Parochialibus ſimul, & ſemel, nec alteri Eccleſiæ Parochiali propria dimiſſa deſervire præſumat, abſque noſtra, aut Vicariorum noſtrorum licentia ſpeciali.

Item injungimus dictis Curatis, & Vice-Curatis, quatenus Parochianos ſuos hortentur & moneant, ut Sacramentum confirmationis reverenter ſuſcipiant, & eorum proles hujuſmodi Sacramentum ſuſcipere faciant & procurent, ſuosque Parochianos, verbo doctrina & exemplo, viam ſalutis animarum ſuarum doceant, ac eos hortentur & excitent, ut pueros ſuos ad ſtudium literarum deputent, & præcipue *Pater noſter. Ave Maria.* Articulos fidei, *Confiteor*, *ſeptem Pſalmos*, & alias ſimiles orationes, & Eccleſiæ ſuffragia addiſcere faciant.

Item præcipimus, & injungimus omnibus & ſingulis in noſtra Diœceſi Beneficia obtinentibus, quatenus temporibus ſtatutis, ad ordines, quos Beneficia ſua requirunt, ſe faciant promoveri, & in eiſdem Beneficiis reſidentiam perſonalem, ipſis deſerviendo, niſi ſuper hoc cum eis fuerit legitime diſpenſatum.

Item præcipimus, & mandamus, ne deinceps in noſtra Diœceſi aliquis per Vicarios noſtros ad ſacros Ordines promoveri permittatur: niſi eis debite conſtiterit, quod ipſe promovendus Beneficium Eccleſiaſticum liberum, & non accommodatum, pro ipſius ſuſtentatione valoris annuæ minus trium librarum groſſorum, aut bona patrimonialia totidem valoris ſine fraude, oneribus dedu-

ctis habuerit, quod, seu quæ dictus promovendus solemni juramento non alienare promittet, nisi sibi de aliquo Beneficio, aut titulo competenti debite fuerit provisum.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, Capellanis, cæterisque Presbyteris nostræ Diœcesis, ne amodo celebrent in Altaribus majori, B. Mariæ, & Patroni suarum Ecclesiarum, nisi fuerint consecrata, & alia procurent, quantocius commode fieri poterit consecrari, in quibus dumtaxat, & non in dictis tribus, poterunt interim lapidibus portativis uti consecratis.

Item inhibemus omnibus Curatis, Vice-Curatis, & Ecclesiarum Provisoribus nostræ Diœcesis, ne aliquas Confraternitates, seu Ghildas de novo institui permittant in suis Ecclesiis, nisi prius nostra, vel curiæ nostræ licentia super hoc obtenta, cum consensu Curati loci, quodque illarum convivia, seu commessationes nullatenus in suis Ecclesiis, quæ Domus orationis sunt, non convivorum, fieri, neque cibaria in Ecclesiarum cœmeteriis, sub pœna 20 librarum, quoties id fecerint, præparari permittant.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, & Ecclesiarum Provisoribus, ne indulgentias quascumque in eorum Ecclesiis, seu Capellis admittant, neque publicari, aut Altaribus appendi permittant, nisi de nostra, vel Vicariorum nostrorum licentia speciali literatorie constiterit.

Caput VII. *De Immunitate, & libertatibus Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum.*

Item inhibemus omnibus, & singulis subditis nostris, ne in Ecclesiis, Cœmeteriis, aut locis sacris placita sæcularia teneant, aut exerceant, vel exerceri permittant, ludos quoque joculatorum, & histrionum, vel forum rerum venalium, seu proclamationes edictorum, vel bannorum justitiæ sæcularis fieri tolerent.

Item statuimus, quod ubicumque obsidentur Ecclesiæ, vel Cœmeteria adversus eos, qui causa immunitatis habendæ ibi confugiunt, moneantur obsidentes per locorum Rectores, seu eorum vice-gerentes, ut recedant, & desistant: alioquin dicti obsidentes nuntientur excommunicati, & ibidem cessetur a Divinis.

Item statuimus, quod si Ecclesia, vel Cœmeterium polluatur quovis modo, sic quod reconciliatione indigeat, nisi ille vel illi, qui in hujumodi pollutionis culpa fuerint, infra mensem reconciliationem procuraverint, Parochiani loci infra duos menses sequentes reconciliationem fieri facere, & procurare teneantur, actiones eis contra illum, vel illos, quorum culpa pollutio facta est, super damno & interesse reservata.

Item, quia nonnunquam banniti, exules, & alii malefactores ad immunitatem Ecclesiæ confugientes, solent ibidem minus devote se tenere, & ad longum tamquam in domo privata habitationis suæ perseverare, commessationes, & convivia publice in conspectu omnium cum amicis, persepe cum impudicis mulieribus in Ecclesia tenere, & alta voce cantare, insolentias inhonestas, & rumores facere, tabernam publicam de Ecclesia Dei facientes; ea propter super hoc providere cupientes, districte præcipiendo mandamus omnibus Curatis, & Vice-Curatis nostræ Diœcesis, ne amodo talia permittant, quin immo bannitos, exules & malefactores quoscumque talia perpetrantes, moneant nostra authoritate, ut infra triduum post monitionem sibi factam ab inde recedant, cum intimatione expressa, quod nisi id fecerint cum effectu, per Decanum Christianitatis loci, assumpto secum auxilio brachii sæcularis, si opus est, extrahantur per ipsum ad prisoniam Curiæ nostræ adducendi, ut de eis cognoscat noster Officialis, an immunitate Ecclesiæ sic facientes gaudere debebunt, an non.

Item præcipimus Decanis nostris, & specialiter injungimus, quatenus Presbyteros, & Clericos, quos per Justitiarios laicales captos & detentos sciverint, statim authoritate nostra requirant, ac eos restitui procurent, eosque ad curiam nostram indilate, si pro crimine capti, & restituti fuerint, adducant juxta sua demerita corrigendos, & puniendos. Si vero pro levi delicto causave

ſave civili, vel emenda pecuniaria, capti & reſtituti fuerint, ſub & mediante cautione idonea ad curiam noſtram prædictam certa die ibidem compariturі transmittantur.

Caput VIII. *De Vita & Honeſtate Clericorum.*

Item inhibemus ſub pœnis juris, & aliis per Nos arbitrandis omnibus & ſingulis Presbyteris, Beneficiatis, ac Officiatis, & Religioſis noſtræ Diœceſis, ne veſtes nimium breves, aut in ſpatulis alatas, comam ſeu bireta retroplicata, pileos etiam cum cornetis, ſeu ſotulares roſtratos indecenter, aut alias veſtes ſtatui Eccleſiaſtico non congruentes geſtare, & ne arma portare, aut tabernas, ſeu taxillorum, aut alios illicitos ludos, aut ſpectacula frequentare, ſeu negotiis ſæcularibus ſe immiſcere, vitamve diſſolutam & inhoneſtam ducere præſumant; ſed a frequentatione tabernarum, & ludorum illicitorum, ac armorum portatione penitus abſtineant; & ſi armati, vel diſſolute veſtiti incedere, vel ſævis aut illicitis actibus ſe immiſcere reperti fuerint, volumus & requirimus eos per laicales juſtitiarios capi, ac Nobis reſtitui pro ſuis demeritis juxta caſuum exigentiam puniendos.

Item præcipimus & mandamus dictis Presbyteris, & Beneficiatis Nobis ſubditis, ne in domibus eorum, vel alibi concubinas teneant, & ſi quas habuerint, eas immediate expellant: injungentes Decanis noſtris, ut quilibet in ſuo Decanatu ſuper hoc diligenter inquirat, & quid invenerit, Nobis, aut Curiæ noſtræ frequenter referat, vel reſcribat, ut contra eos diſtricte, & prout decet, procedatur.

Item injungimus dictis Curatis, Vice-Curatis, & Presbyteris, ut a crapula & ebrietatibus, ac cibariis nimis exquiſitis, aut delicatis abſtineant, & ut convivia, aut converſationes, ſive commeſſationes cum laicis non habeant, præcipue ubi conveniunt mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio aliqualis, ſive nota, alioquin prout decebit, contra eos procedatur.

Caput IX. *De bonis & ædificiis Beneficiorum.*

Item præcipimus Decanis, ut ad futuram rei memoriam, & conſervationem jurium Beneficiorum, quilibet Beneficia ſui Decanatus, & eorum terras, bona, redditus, & pertinentias in ſcriptis particulariter & diſtricte redigat, ac regiſtrum inde faciat, quod vel ejus veram copiam, bene collationatam de triennio in triennium in ſuis compotis reportare non poſtponant.

Item ſi contingat aliquem Curatum, Vice-Curatum, ſeu Capellanum beneficiatum in Diœceſi noſtra, ſententia excommunicationis a jure vel ab homine lata innodari: ſtatuimus & præcipimus, quatenus ſtatim Decanus loci fructus Beneficii excommunicati prædicti arreſtet, & ſub manibus noſtris teneat, faciatque de dictis fructibus Beneficio excommunicati in Divinis deſerviri.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod Abbates & Conventus Monaſteriorum noſtræ Diœceſis, bona hujusmodi Monaſteriorum vendere, alienare, ſeu permutare, aut redditus vitales, ſeu perpetuos ſuper dictis bonis vendere, vel aſſignare, contractusve alios ſuper venditione, ſeu alienatione hujusmodi bonorum facere de cætero non poſſint, niſi pro evidenti utilitate, & de Noſtra, aut Vicariorum noſtrorum licentia ſpeciali. Et ſi tales contractus, quos omnino prohibemus, facere præſumpſerint, pronuntiamus & declaramus illos viribus carere, & effectum, aut executionem ſortiri non debere, immo ex nunc decernimus eoſdem contractus caſſos, irritos, penitus & inanes.

Item injungimus Decanis noſtris, quatenus quilibet in ſuo Decanatu arreſtet, & ſub manibus noſtris gubernari faciat fructus omnium & ſingulorum Beneficiorum Nobis ſubditorum, quorum poſſeſſores in eis reſidentiam non faciunt perſonalem; niſi cum eis ſuper hoc per Nos, aut Vicarios noſtros fuerit litteratorie diſpenſatum, vel ipſi in ſtudio generali, aut loco privilegiato reſideant: & de hujuſmodi privilegio, ac teſtimoniali reſidentiæ legitimæ docuerint, cujus prætextu hujuſmodi fructus ſuos facere poſſint. Ordinantes inſuper,

ut ultra duos menſes in anno Curatus ab ejus Eccleſia Parochiali abſens eſſe non poſſit, quam abſentiam duorum menſium, dum eam ex cauſa rationabili facere voluerit, Decano loci tenebitur intimare, alioquin Eccleſiæ fructus ſuos facere non poſſit pro anno ſuæ abſentiæ memoratæ.

Item injungimus Curatis, Capellanis & Beneficiatis noſtræ Diœceſis, quatenus infra annum, ſuorum Beneficiorum domos, & ædificia ſuſtentent, & debite reparent, & ſi in præmiſſis negligentes fuerint aut remiſſi, Decanus loci hujuſmodi Beneficiorum fructus ſtatim arreſtet, & de dictis fructibus reparationes in hujusmodi ædificiis neceſſarias indilate fieri faciat, & niſi circa præmiſſa Decani vigilaverint, & diligentiam fecerint: volumus & ordinamus, quod hujuſmodi reparationes neceſſariæ propriis ſumptibus & expenſis dictorum Decanorum negligentium fiant, & expleantur.

Item præcipimus, quod quicumque Beneficiati Nobis ſubditi omnia bona & redditus ſuorum beneficiorum tam in miſſalibus, quam in aliis libris authenticis ſcripto fideliter redigant: & alienata recuperent, inhibentes eiſdem, ne quidquam de dictis bonis vendere, aut alienare, ſeu parentibus conſanguineis, aut aliis perſonis dare, aſſignare, ſeu transferre, nec de dictis bonis quidquam acquirere, niſi ad opus Beneficii poſſint, aut valeant quovis modo, etiam nec in fundis alienis quidquam de hujuſmodi bonis ædificare quoquo modo præſumant; decernentes nullum & invalidum quidquid ſecus factum fuerit.

Item inhibemus quibuscumque Prælatis, Presbyteris, & Beneficiatis Nobis ſubditis, ne libros, calices, veſtes, jocalia, ſeu ornamenta ſuarum Eccleſiarum, & Beneficiorum Divino cultui dedicata vendant, alienent, impignorent, aut alias de eiſdem diſponant, quominus res ipſa Officio Divino in Eccleſiis prædictis applicari valeat.

Item ſtatuimus, quod ſi quis Presbyter terras ſui beneficii ad cenſum ſine fraude conceſſerit, & poſtquam cenſitor per ejus laborem expenſas & induſtriam hujuſmodi terras melioraverit, dictum Presbyterum ante terminum cenſæ contingat decedere, vel reſignare, quod eo caſu ſucceſſor in beneficio decedentis, vel reſignantis hujusmodi cenſum approbare, aut cenſitori meliorationem ipſam arbitrio vel judicio proborum reddere, & refundere teneatur. Et ſi ſuper his oriatur diſcordia, illam per Officialem noſtrum terminari volumus.

Item, quia aliqui abuſus circa regimen beneficiorum noſtræ Diœceſis tam in Divinis Officiis, quam in adminiſtratione bonorum eorundem fieri, & committi poſſent, ex quo Eccleſiarum bona perduntur, & diminuuntur: prohibemus, ne deinceps aliquis Beneficiatus in dicta noſtra Diœceſi bona, terras, redditus, & proventus ſui beneficii Nobis ſubditi ullo modo in emphitheoſim, neque etiam ultra 9. annos, in arrendam, ſeu ad firmam aut locationem dare, nec aliquas terrarum, bonorum, ſeu hæreditagiorum dictorum beneficiorum, ad alia, aut cum aliis facere præſumat, abſque Noſtra, aut Vicariorum, ſeu Officialis noſtrorum licentia & authoritate; quod ſi quis contra fecerit, contractus ipſe nullus ſit, & arbitrarie puniatur.

Item Decanis noſtris Chriſtianitatis diſtricte præcipimus, quatenus debite, & diligenter inquirant, & curiæ noſtræ referant, an per Presbyteros idoneos Nobis ſubditos, ſeu admiſſos, Capellis, & aliis Beneficiis noſtræ Diœceſis non Curatis, Miſſæ, & alia Divina Officia ſecundum inſtitutionem, beneficiorum, & intentionem fundatorum, debite celebrentur: & ſi negligentia comperiatur in his & ſimilibus, volumus debite provideri.

Item injungimus Decanis noſtris, quatenus diligenter inquirant, & curiæ noſtræ referant, ſi in Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, & Hoſpitalibus, & aliis piis locis noſtræ Diæceſis, cultus Divinus debite fiat, & ſi debitus Religioſorum, vel aliarum Eccleſiaſticarum Perſonarum ad hoc determinatus numerus, pro ſervitio Divino, celebrando in eisdem reſideat; inhibentes Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiaſticis Perſonis quibuscumque, ne tantum de bonis ipſarum Eccleſiarum capiant, aut extorquere præſumant, quod reſiduum hujus-

jusmodi bonorum sufficere nequeat ad sustentationem Religiosorum, & aliarum Personarum Ecclesiasticarum in dictis locis deservientium, aut ibidem existentium, atque ad reparationes ædificiorum, aliasque necessitates ipsis in Ecclesiis & locis incumbentes.

Item injungimus, & præcipimus Decanis nostris, ne aliquem Presbyterum ad deserviendum Ecclesiæ Parochiali recipiant, nisi prius eis constiterit, per Nostras, aut Vicariorum patentes literas, dictum Presbyterum Nobis præsentatum, & per Nos admissum fuisse, volumus etiam fructus Ecclesiæ, cujus servitio Presbyter non præsentatus, & admissus se intruserit, statim per Decanum loci arrestari, & sub manibus nostris gubernari, ut ibidem tam ad Officium Divinum, quam alias auctoritate nostra debite provideatur.

Item præcipimus, & injungimus sub pœna excommunicationis, & anathematisationis omnibus & singulis, qui celaverint, & celant feoda, jura, reddituus, & proventus ad Ecclesiam nostram Tornacensem & Episcopatum nostrum, seu alias Ecclesias, vel Beneficia nostræ Diœcesis spectantia, & pertinentia, & eis, qui sciverint aliqua de præmissis fuisse, & esse male alienata, aut substracta, quatenus infra duos menses, postquam præmissa sciverint, Nobis & curiæ nostræ, referre & revelare non omittant.

Caput X. *De Literarum & Mandatorum nostrorum, & Curiæ nostræ executione.*

Item præcipimus, & mandamus Curatis, & Vice-Curatis, Presbyteris, & Notariis Nobis subditis, quatenus literas, & mandata curiarum nostrarum eis directa viriliter, & diligenter exequantur: nec non literas excommunicatorias & aggravatorias, infra summæ Missæ celebrationem, diebus Dominicis & Festivis, alta voce publicent coram populo, ut excommunicati vitari, nec causam ignorantiæ prætendere possint, injungentes eisdem executoribus, ut quater in anno in dictis Ecclesiis suis, dum aderit populi multitudo, registra interdictorum, & excommunicatorum absque dissimulatione legant, & publicare non omittant, nec differant, vel postponant literarum, & mandatorum prædictorum executiones facere, vel Portitoribus, seu Procuratoribus hujusmodi literas reddere, & restituere executas, propter minas, inhibitiones, seu requestas, vel preces Dominorum temporalium, seu quarumcunque aliarum personarum; & si dictarum literarum, & mandatorum Executores videant, aut formident Portitoribus literarum periculum imminere, eos dirigere, & a dicto periculo liberare, quantum in eis fuerit, procurent: ac literas, & mandata ipsis Portitoribus statim reddant executas: ita quod non habeant exspectare, nisi voluerint.

Item inhibemus omnibus, & singulis literarum inhibitoriarum, per Clericos impetratarum Executoribus, ne in executione earum formam solitam prætermittant, videlicet, si in ipsis literis inhibitoriis contineatur clausula: *Si pro levi*, vel *si pro gravi delicto*, &c.

Advertant Executores, si delictum Clerico imposito grave existat, & eo casu sint adeo de dicto Clerico securi, ut quantocius poterunt, ad prisonias curiæ nostræ adducatur. Et si delictum leve fuerit, ipsum Clericum mediante cautione ad certum diem, ad curiam nostram transmittant, ad vel infra quam diem, Executor Officiali nostro, casus Clerico impositi declarationem una cum nominibus pro eo cautionem præstantium, referat, vel rescribat. Ordinantes insuper & statuentes, quod Decanus, vel alter quicumque dictarum literarum inhibitoriarum Executor pro sola executione facta in villa vel oppido, quo dictus Executor residebit, ultra duodecim solidos monetæ Flandriæ a Clerico exigere non valeat. Et si extra villam, vel oppidum pro executione fienda dictum Executorem accedere, aut pluribus diebus vacare contingat, sit moderato salario contentus. Quod si ultra justum, & moderatum salarium exegerit, ipsum etiam Clerico non obstante, ad restitutionem compelli, & acerrime puniri volumus & mandamus.

Item ad obviandum fraudibus, & malitiis, quæ per abusores sub umbra falsarum literarum sæpius contra simplices personas Nobis subditas committuntur,

tur, eas ad adverſa judicia, & loca citando, monendo, ac expenſis & laboribus multipliciter inquietando: ſtatuimus & ordinamus, ne de cætero, quis literas aliarum curiarum in noſtris civitate & Diœceſi exequi præſumat, niſi prius per Officialem noſtrum dictæ literæ viſæ, & per ejus placitum roboratæ fuerint.

Caput XI. *De Sententia excommunicationis, & ceſſu a Divinis.*

Item Prædeceſſorum noſtrorum veſtigia inſequentes tam authoritate Sacrorum Canonum, quam in vim Statutorum, & *Conſtitutionum Provincialium & Synodalium* hactenus editarum, quas & quæ volumus in ſuo robore permanere, nec eis derogare intendimus, excommunicatos publice nuntiari mandamus per Eccleſiarum Rectores, ac alios Presbyteros, omnes & ſingulos utriusque ſexus incendiarios, & Eccleſiarum infractores ſeu violatores.

Item omnes illos & illas, qui contractis ſponſalibus in civitate & Diœceſi Tornacenſi, etiamſi ſuper hoc banni fuerint proclamati, vel ne abſque Noſtra, aut Curiæ noſtræ licentia ſpeciali in aliena Diœceſi matrimonium contrahunt, aut ſolemniſant, & qui præmiſſis ſcienter intereſſe, vel ad hoc conſilium, favorem, & auxilium præbere præſumunt.

Item omnes illos & illas, qui ſcienter in gradu prohibito, vel tempore a jure interdicto matrimonium inſimul contrahunt, ac illos & illas, qui poſt conventiones, vel ſponſalia conſummare præſumunt ſolemnitate Eccleſiæ omiſſa: omnes etiam illos & illas, qui vel quæ ſponſalibus aut matrimonio aliquod impedimentum ficte inveniunt, & confingunt, quominus ad matrimonium procedatur.

Item etiam omnes & ſingulos tam Clericos, quam laicos, qui conjurationes, aut verius conſpirationes communibus eorum expenſis, aut alias faciunt, ad præſtandum impedimenta contra libertates Eccleſiaſticas, & jurisdictionem noſtram ſpiritualem.

Item omnes & ſingulos Dominos temporales, qui ſuis ſubditis inhibent, ne unus alium in foro Eccleſiaſtico trahat, ac conveniri faciat, aut alias directe, vel indirecte jurisdictionem noſtram impediunt.

Item omnes & ſingulos Dominos temporales, qui tallias, ſubſidia, angarias, perangarias, aut alia indebita, & extraordinata onera, viris Eccleſiaſticis inducunt, & imponunt, & eas ab ipſis exigunt & recipiunt, niſi ipſi Eccleſiaſtici ex cauſa hoc liberaliter conceſſerint.

Item omnes & ſingulos Religioſos exemptos, & non exemptos, qui abſque noſtra, aut curiæ noſtræ licentia regimen Eccleſiæ Parochialis Sacramentorum matrimonii, vel alterius adminiſtrationi præſumpſerint, ſe immiſcere.

Item omnes & ſingulos, qui litigando in curia noſtra, vel ad eam quærelando, accedentes impediunt minis, prohibitionibus, aut alias directe, vel indirecte, quominos cauſas ſuas in curia noſtra proſequantur, aut propter hoc eis, vel eorum conſanguineis, vel affinibus moleſtias per ſe, vel per alios inferunt, aut inferri procurant, vel eis auxilium, conſilium, aut favorem præſtant.

Item omnes & ſingulos Presbyteros & Clericos, qui torneamentis, aut haſtilibus, ſive talibus actibus ſe immiſcere præſumunt.

Item omnes & ſingulos, qui ſtatuta fabricant, edunt, & ſervant, ac ſervari faciunt, contra Eccleſiaſticam libertatem, etiam ſtatuimus, & ſcriptores hujusmodi ſtatutorum, nec non laicales juſtitiarios, qui talia faciunt ſtatuta, & illa præcipiunt, & mandant obſervari, & ſecundum ea judicant in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis.

Item excommunicari mandamus omnes illos & illas, qui matrimonialiter conjuncti ab invicem ſe ſeparant, & ſeorſum ſe tenent abſque judicio Eccleſiæ.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes exemptos, & non exemptos, qui etiam interdicti tempore uſurarios publicos, aut excommunicatos ſepeliunt in loco ſacro.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & ſingulos privilegio Clericali gaudere debentes, qui pro exceſſibus

bus & delictis per eos commissis sponte & voluntarie respondent coram laicalibus justitiariis, & se eorum ordinationi submittunt, & ultra hæc ordinamus, dictos Clericos ex officio Curiæ nostræ citari, & canonica punitione gravissime puniri.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui cogunt, & compellunt per captionem, minas, aut alium terrorem Clericos ad deponendum tonsuram, & ad induendum contra eorum voluntatem vestes non clericales, & se submittendum justitiæ sæculari.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui prohibent, vel impediunt, directe vel indirecte, ne victualia, aut alia bona Presbyteris, Religiosis, vel aliis Ecclesiasticis personis vendantur, seu expediantur.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos temporales justiciarios, & alios sæculares, qui in odium jurisdictionis Ecclesiasticæ, Presbyteros, Religiosos, aut alios Ecclesiasticos, quos sciunt judicio Ecclesiæ se submisisse, & ad forum Ecclesiasticum recurrisse, vexant, molestant, vel exleges faciunt, seu alias inquietant quoquo modo.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui aliquem confugientem, vel se tenentem in Ecclesia, vel cœmeterio, aut alio loco sacro causa immunitatis habendæ, capiunt, percutiunt, vulnerant, aut violenter extrahunt, & eos, qui ad hoc auxilium, consilium, & assistentiam præbent.

Item excommunicatos denuntiari mandamus omnes & singulos, qui Nostras, aut Curiæ nostræ, seu Decanorum nostrorum litteras a portitoribus violenter capiunt, lacerant, vel eosdem portitores verberant, percutiunt, aut male tractant; & qui hoc fieri mandant.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui Decanos impediunt, ne libere teneant suas Synodos, & ob hoc testes, seu Scabinos Synodales male tractant; vel eis in odium eorum officiis injuriantur, & qui in hoc eis auxilium, seu consilium præbent, atque favorem.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui cogunt aliquem in locis interdicto suppositis Divina celebrare, & qui interdictos & excommunicatos in Ecclesia ad audiendum Divina evocare præsumunt, & qui excommunicatos prohibent, ne Ecclesia exeant: quod si interdicti, & excommunicati hujusmodi per celebrantem exire moniti non recedant, illico celebrantem a Divinis cessare volumus. Poterunt tamen ii interdicti & excommunicati in Ecclesia interesse, dum in ea prædicabitur verbum Dei: proviso, quod prædicatione facta, statim inchoato servitio Divino recedant.

Item præcipimus, quod in Parochia, in qua Canonicus, Curatus, seu Capellanus infra nostras civitatem & Diœcesim Beneficiatus, vel Presbyter de nostris civitate & Diœcesi oriundus, seu, qui alienæ Diœcesis ad deserviendum Ecclesiæ Parochiali, aut Capellaniæ, per Nos, aut Curiam nostram institutus, verberatus, aut vulneratus fuerit, mox ibidem a Divinis cessetur. Et si Curatum, Capellanum, aut Presbyterum, vel Nostrarum, aut Curiæ nostræ litterarum executorem, seu portitorem interfici contingat, quod absit, præcipimus undique ad unam leucam a loco criminis perpetrati mox cessari a Divinis: & nihilominus occisores singulis diebus festivis, publice in Ecclesiis denuntientur excommunicati.

Item ubicumque portitores litterarum, & mandatorum, aut litteræ, vel mandata Curiæ nostræ, & pariter ubi Presbyteri, aut litterarum Executores capiuntur, & invitis detinentur, tam in loco captionis, quam loco detentionis præcipimus, & mandamus cessari a Divinis: etiam ubi Domini temporales, seu Judices, & Justitiarii sæculares faciunt, aut fieri mandant præcepta & inhibitiones contra jurisdictionem nostram, & ejus consuetudinem hactenus observatam.

Item statuimus, ut si aliqui reperti fuerint, cessationem a Divinis indebite indici procurasse, per Officialem nostrum ad expensas legitimas, & interesse partis condemnentur, & alias gravissime puniantur.

Monemus insuper omnes illos & illas, qui sententiam excommunicationis quavis authoritate latam, per annum & am-

amplius pertinaciter ſuſtinuerint, corde & animo induratis, quatenus infra duorum menſium ſpatium proximo computandorum abſolutiones ſuas, in forma debita obtineant; alioquin contra ipſos excommunicatos, prout jura volunt, & requirunt canonicæ ſanctiones, canonice procedemus. Curatis vero, & Vice-Curatis dictæ noſtræ Diœceſis diſtricte injungimus, quatenus omnibus & ſingulis Parochianis ſuis, ſicut præmittitur, excommunicatis præſentem noſtram monitionem tam ad eorum proprias perſonas, quam in plebis ſuæ Eccleſiis, diebus Dominicis aut Feſtivis populo inibi ad audiendum Divina congregato, palam & publice notificent, & inſinuent, nec non eoſdem excommunicatos, & quemlibet eorum expreſſe moneant, ut a dicta excommunicationis ſententia ſe abſolvi faciant: monitionem vero hujuſmodi, nomina, & cognomina ſuis patentibus litteris infra menſem proximum Curiæ noſtræ omni excuſatione & favore poſtpoſitis ſignificent, ut contra eos, prout juſtum fuerit, procedatur.

Item præcipimus Decanis noſtris Chriſtianitatis, ut quolibet anno reportent in ſcriptis nomina, & cognomina illorum, qui per biennium & ultra, non formidant in excommunicationis ſententia permanere, contra quos tamquam in fide ſuſpectos, niſi pœnituerint, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere, procedi volumus & mandamus.

Caput XII. *De Prædicatoribus & Quæſtoribus.*

Item inhibemus Decanis noſtris, ac omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, ne aliquem Religioſum, aut alium ad prædicandum, ſeu confeſſiones ſubditorum noſtrorum audiendum, vel ad deſerviendum Eccleſiæ Parochiali, vel alteri beneficio, ſeu officio Eccleſiaſtico, noſtræ Diœceſis admittant, ſeu admitti permittant, niſi per litteras noſtras, aut Vicariorum noſtrorum conſtiterit, ipſum Nobis præſentatum, & per Nos admiſſum eſſe.

Item præcipimus, quod quæſtuarii, ſive quæſtores, abſque Noſtra, ſeu Vicariorum noſtrorum, aut Curiæ noſtræ ſpeciali licentia, in Eccleſiis, plateis, & vicis negotia ſuarum quæſtarum, exponere, vel verbum Dei prædicare non permittantur, inhibentes Decanis, & quibuſcumque aliis ſubditis noſtris, ne litteras quæſtæ alicui pro caſu quocumque concedant, noſtra Curia prædicta inconſulta; nec permittantur dicti quæſtores ſuas quæſtas exponere diebus ſolemnibus, quibus populus communicare conſuevit, utpote in feſtis Paſchæ, Penteçoſtes, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, Dedicationis Eccleſiæ & Patroni loci.

Item ſtatuimus, ut nullus quæſtor admittatur in aliqua Eccleſia, niſi prius ibidem facta quæſta generali pro pauperibus infirmis, & miſerabilibus perſonis illius loci, ſive Parochiæ, quibus de bonis Parochianorum eſt ſubveniendum, & nuntient Preſbyteri ſuis Parochianis, diebus feſtivis, quod ex determinatione Concilii Provincialis cuilibet Parochiano, eleemoſynam dictis pauperibus, infirmis & miſerabilibus perſonis eroganti, Epiſcopus loci 40. dies Indulgentiarum conceſſit, V. *De Pœnit. & Indulgentiis.*

Caput XIII. *De Convocationibus [illegible] Decanorum.*

Item cum Decani noſtri Chriſtianitatis convocationem ſuorum Curatorum in aliquibus locis ter, & in aliis quater in anno temporibus minus aptis tenere conſueverint: ſtatuimus & ordinamus, quod a modo dicti Decani noſtri hujuſmodi ſuas convocationes teneant, & faciant dumtaxat ter in anno; videlicet: primam inter feſtum Epiphaniæ, & feſtum Purificationis B. Mariæ. Secundam vero inter Dominicam Exaudi, & feſtum Trinitatis. Tertiam vero inter feſtum B. Remigii, & omnium Sanctorum.

Item præcipimus & mandamus, quod omnes Curati, & Vice-Curati Nobis ſubditi, diebus & terminis prædictis in dictis convocationibus, ac locis per dictos Decanos qualibet vice deputandis, perſonaliter compareant, niſi gravi infirmitate, aut alio legitimo impedimento, de quibus litteratorie fidem facere teneantur, quod oppreſſi fuerint: & qui in iis defectuoſi, aut negligentes erunt, per Curiam noſtram tamquam rebelles, &

& inobedientes, puniri volumus & mandamus.

Item quia tam per mortem, quam alias, Ecclesiarum nostræ Diœcesis Rectores, nonnunquam renovare contingit, volumus & ordinamus, quod ille, vel illi, cui, vel quibus regimen curæ animarum per Nos, aut Vicarios nostros de novo committitur in proxima convocatione, quæ fiet, post hujusmodi onus sibi commissum, statuta nostra debite collationata, & per Decanum loci signata, adinstar aliorum Curatorum, & Vice-Curatorum nostræ Diœcesis, qui anno quolibet post festum Purificationis gloriosæ Virginis MARIÆ, talia statuta nostra portare, & Decano nostro Christianitatis loci, sub quo erunt, præsentare tenebuntur, secum portent, & suo Decano ostendant.

Caput XIV. *De comparitione ad Synodum, & eam tangentibus.*

Item omnibus & singulis, qui nostræ Synodo tenentur interesse, ad comparendum in nostra proxima Synodo feria III. post Dominicam *Misericordia Domini*, anno Domini Millesimi, quadringentesimi, octuagesimi tertii tunc currentis in Ecclesia nostra Tornacensi, hora septima de mane assignamus, ac eis, & eorum cuilibet absque alia evocatione intimamus, nisi interim aliter auctoritate nostra fuerit ordinatum.

Item statuimus, ut quicumque canonico impedimento detenti ad Synodum nostram comparere non valent, Procuratores cum litteris suis mittant, suscepturos, quicquid Synodus ipsa rite statuerit. Procuratores autem suos ita instructos mittant, ut in animas eorum jurare possint, quod canonico impedimento sunt detenti; cujus impedimenti species, sive causa in ipso procuratorio exprimatur: alioquin mittentes pro excusatis non habebuntur.

Item præcipimus, ut venientes ad Synodum honeste incedant, & in honestis hospitiis se recipiant, sumptus moderatos faciant, & ne in veniendo, stando, aut recedendo nimiam faciant moram, nec recedant absque licentia; injungentes Decanis nostris, ut in albis & stolis, cæteris autem Presbyteris, ut cum superpelliciis dictæ Synodi celebrationi intersint.

Item præcipimus, ut singuli Presbyteri, qui ad Synodum hujusmodi venire tenentur, Constitutiones nostras Synodales habeant, & si contigerit, eisdem additiones, substractiones, aut mutationes fieri, ad nostrarum exemplar corrigant & emendent. Statuentes insuper, & Ecclesiarum Parochialium Rectoribus districte præcipiendo, & injungendo, ut hujusmodi constitutiones & statuta publicent, & maxime ea, quæ continentur in Capitulo, sive titulo: *De immunitate Ecclesiarum*, & *De sententia excommunicationis*, ac in vulgari exponant in Ecclesiis suis Parochialibus, quater in anno, videlicet ipso die Pentecostes, in festo B. Remigii in capite Octobris, in festo Nativitatis Domini, & Dominica in ramis Palmarum infra Missarum solemnia immediate post Offertorium.

Item revocamus omnes & singulas gratias tam super non residentiis Beneficiorum, quam aliis quibuscumque per Nos, aut Vicarios nostros hactenus, quacumque occasione, quibusvis personis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus factas, ac eas, & litteras inde factas cassamus, & annullamus: nisi expresse clausula Synodali revocatione interim forsan facientes non obstante, in eisdem contineatur.

Postremo cupientes saluti animarum subditorum nostrorum more pii patris, & boni pastoris providere, omnibus & singulis personis utriusque sexus dictæ nostræ Diœcesis, sententiis interdicti & excommunicationis ad instantiam, & prosecutionem suorum creditorum Nostra, vel Curiæ nostræ Tornacensis auctoritate ligatis & innodatis, quæ infra festum Nativitatis Domini N. J. Christi proxime venturi, suis creditoribus satisfacient, aut cum ipsis concordabunt, sicque in eorum absolutione consentient, de quo officiariis nostris debite constiterit. Volumus, & de gratia speciali indulgemus, eorum solutionem a Nobis, seu dictis Officiariis nostris gratis & sine expensis pro hac vice obtineant, & assequantur: Mandantes omnibus & singulis Curatis, & Vice-Curatis nostræ Diœcesis, quatenus hujusmodi gratiam nostram in Ecclesiis

clesiis suis Parochialibus, & alibi, ubi opus fuerit, quamprimum & repetitis vicibus, publice legant, notificent, & diligenter insinuent.

Lecta & publicata fuerunt Statuta Synodalia præscripta in *Synodo Episcopali Tornacensi* per præfatum Reverendissimum in Christo Patrem, & Dominum D. Cardinalem Episcopum Tornacensem in sua Ecclesia S. Salvatoris Brugensis celebrata. Assistentibus sibi R. in Christo Patre, Domino Ægidio, Episcopo Sarreptano, Suffraganeo, ac DD. ac Magistris Ægidio Lapostole, Decretorum Doctore, Joanne de Carvin Officiali, Adriano Milot Vicariis dicti Reverendissimi Patris, Joanne Pavonis Sigillifero, Paulo de Porta Secretario dictorum Vicariorum, Nicolao Danckart, Jacobo de Vivario Promotoribus, & Ægidio Vandhouven Scriba Curiæ Tornacensis in Brugis, per me Jacobum Magistri Joannis, ejusdem Reverendissimi Domini Cardinalis Secretarium, Feria V. post B. Remigii mensis Octobris die IV. Anno Domini *Millesimo, quadringentesimo, octuagesimo primo.* Præsentibus R. R. Patribus, Dominis Philippo S. Petri, Raphael S. Bavonis juxta Gandavum, Waltero S. Petri Oudemburgensis, Judoco S. Andreæ juxta Brugas S. Benedicti, Philippo de Brimen S. Amandi in Pabula Commendatario, Joanne S. Nicolai juxta Tornacum, Philippo S. Bartholomæi de Echout in Brugis, Antonio de Dulci-Valle S. Augustini Ordinum Monasteriorum Abbatibus; Petro Bogaert S. Donatiani Brugensis, Joanne de Neuvillette B. Mariæ Curtracensis Ecclesiarum Collegiatarum Decanis; Adriano de Poictiers S. Petri Insulensis, Carolo de Campis ejusdem S. Petri Thoraltensis etiam Ecclesiarum Collegiatarum Præpositis, Cantore S. Piati Seclinensis: nec non pluribus aliis Prælatis & Patronis tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, ac duodecim Decanis Christianitatis, una cum Curatis, & Vice Curatis suorum Decanatuum, & pluribus aliis Beneficiatis Diœcesis Tornacensis ibidem comparentibus ad præmissa vocatis.

Collationatum ad exemplar authenticum in Archivis Episcopatus Tornacensis.

Impressum anno 1726. *a D. Le Groux in* Summa Statutorum Synodalium Ecclesiæ Tornacensis, cum Synopsi vitæ Episcoporum L. II. pag. 81.

TREVERICÆ SANCTIONES
Anno Christi MCCCCLXXXII. Sixti IV. Pp. XII. Friderici III. Imp. XLIII.
SUB JOANNE II. (*a*) ARCHI-EPISCOPO.

ANno MCCCCLXXXII. JOANNES Badensis, Treverorum Metropolita, in urbe sua salutaribus Ecclesiasticam disciplinam edictis, formare aggressus labefactatas vel avaritia, vel pravi moris licentia Cleri partes restituit, multaque præclara sanciendis rite moribus Decreta publice proposuit.

CAPITA SANCTIONIS.

I. Ut Werneri Archi-Episcopi Decretum, quo liberam Clericis testandi potestatem fecit, atque super his legassent, ita jus fore civit incolume, citumque maneret: ut quibus negotii vel publici, vel privati gerendi causa juste Divinorum munerum in Sacerdotum Collegiis obeundorum vacationes extra ordinem concessæ fuissent, ni Sigillifero Rhenensem aureum jure, non amplius, penderent; at minus etiam, si Sacerdotii parvitas id exposceret.

II. Porro, qui in absentium loca submittantur, ubi ab Officiali judice idoneis esse præditi moribus censi fuissent, aureo dimidiato, vel minore tenerentur pro gradu facultatum Ecclesiæ, cujus officiis servituri essent.

Addit posthæc

III. Qui tabulas matrimoniales, ut bonis honestisque rationibus nullo prohibente jungantur, ab Officiali accipiunt, Rectores Ecclesiæ suo nequaquam jure fraudent.

IV.

(*a*) Joannes, Marchio Badensis, Bernardi Badensis Filius, eligitur a Capitulo Treverico anno 1456. Archi-Episc. Trevericus.

IV. Ut lustrando expiandoque polluto, violatoque sacro solo pro Aqua Gregoriana, quam dicunt, seu reconciliatione, plus aureo pretii monetæ usitatæ non solvatur. In submissioris autem fastigii sacris ædiculis, sex duntaxat albi.

V. Ut Frugum primitiæ, proventuumque Sacerdotiorum vacantium, quas Archi-Episcopus auferre solet, possessoribus, si petant, alioquin Ecclesiasticis viris, nullo autem pacto profanis, elocentur.

VI. Ut pœnitentiæ administrandæ functio non nisi idoneis hominibus imponatur, & quos vitæ integritas & doctrina amplissimis Academiarum testimoniis probata commendat.

VII. Ut Censor Fiscalis Ecclesiasticorum injurias non negligat.

VIII. Ut ipse Archi-Episcopus, & ordinis utriusque Magistratus, Ecclesias, Ecclesiasticorumque fortunas in Trevirensi, Lotharingico, Barrensi, & Lutzelburgiorum solo strenue, summaque fide defendat, ac propugnet: ut intacta sacra bona relinquat, Clerique cum æquitate jura temperet: judicia tam sacra, quam profana ab omni fraude & calumnia repurget.

IX. Tribunalia vero sacra ex instituto JACOBI Decessoris, utrobique cum Treveris, tum Confluentiæ recte, sapienterque ordinata de novo inspiciat, ac recognoscat: cum eo tamen, uti ne hæc omnia Nobilium & Militarium Diœcesis privilegiis, aut laudabilibus eorum institutis fraudi sint, ac detrimento.

In quorum fidem & testimonium JOANNES Archiepisc. binas literas scribi, sigilloque suo communiri jussit, datas in civitate sua Treverensi vigesimo septimo mensis Novembris MCCCCLXXXII.

Has Literas *Encyclicas multi Synodographi in Synodo datas scripserunt: ego malui loqui verbis Broweri & Masenii.*

Annales Treverorum Broweri & Masenii Typo Leodiensi anno 1760. *ad h. a. N. CLXIII.*

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MCCCCLXXXIII. Sixti IV. Pp. XIII. Friderici III. Imp. XLIV.

STATUTA partim nova, partim antiqua superioribus temporibus in diversis Synodis promulgata, & pronunciata, auctoritate & mandato Domini HERMANNI ARCHI-EPISCOPI, ac per ejus Officialem Synodaliter edita, innovata, publicata, & firmiter observari mandata.

VEnerabilis, & Egregius Vir Dominus (a) Officialis Curiæ Coloniensis innovat omnia & singula Statuta Provincialia & Synodalia hujus insignis Ecclesiæ Coloniensis, nec non alia quæcunque mandata & pronuntiata in diversis *præteritis Synodis*, hic lecta & publicata, & mandat omnia, & singula ille firmiter observari sub pœnis & censuris inibi contentis: & præsertim innovat statuta, quorum principia causa brevitatis (ex quo singuli Christianitatum Decani & Parochialium Ecclesiarum, & Capellarum Rectores Diœcesis Coloniensis eorundem statutorum copiam habere, & illa publicare & observare tenentur, prout eis in singulis Synodis mandatur) hic legantur, & publicentur in modum infra scriptum, & primo statuta quondam Reverendissimi Patris ac Domini, D. ENGILBERTI Archi-Episcopi Coloniensis, & successive suorum Successorum.

(a) Joannes Meuchen, Præpositus Ecclesiæ S. Severini, Archi-Diaconus in Iserlohn, fuisse videtur hoc anno Officialis Curiæ Coloniensis.

ENGILBERTI II. (b)

Contra eos, qui manus in Clericos, vel Personas Ecclesiasticas injiciunt temere violentas. Incipiens:

Statuimus, ut sacrilegi, qui suadente Diabolo, Dei timore postposito manus injiciunt in Clericos &c.

Ejusdem contra raptores, & invasores bonorum Ecclesiarum &c. incipiens:

Atque ad reprimendum importunam præsumptionem raptorum &c.

Ejusdem. De eodem.

Prædones autem, raptores, & invasores hujusmodi & eorum recept. &c.

Ejusdem contra detentores, seu subtractores decimarum: incipiens:

Item cum sacrilegi censeantur &c.

Ejusdem contra impedientes Ecclesiasticorum Judicum jurisdictionem, & executionem sententiarum: incipiens:

Ne vero jurisdictionem Judicum Ecclesiasticorum, sive Ordinarii &c.

Ejusdem contra eos, qui Clericos non sine violenta manuum injectione capiunt, & detinent: incipiens:

Quia vero in tantam vesaniam plerumque prorumpit quorundam &c.

Ejusdem contra occisores, & mutilatores Clericorum: incipiens:

De occisoribus, & mutilatoribus Clericorum & Clericos &c.

Ejusdem contra eos, qui minas intulerint Personis Ecclesiasticis de corpore, vel rebus: incipiens:

Volentes item malo antequam eveniat, quantum possumus, obviare &c.

Ejusdem contra Clericos, qui mutilant, vel occidunt Clericum: incipiens:

Statuimus etiam, ut Clericus occidens, vel mutilans Clericum &c.

Ejusdem contra Clericos in executionibus sententiarum remissos, & sententias ipsas modo debito non servantes: incipiens:

Hebdomadarii item in Ecclesiis Conventualibus, Plebani &c.

SIFRIDI (c)

De vita, & honestate, & officio Clericorum: incipiens:

Ex Concilio Generali statuimus & præcipimus, quod universi Clerici &c.

Ejusdem de Clericis cohabitatoribus mulierum & concubinariis: incipiens:

Ex Concilio bonæ memoriæ CONRADI Archi-Episcopi &c.

Ejusdem de Sacramento pœnitentiæ, & confessionis, & eorum attinentiis: incipiens:

Præcipimus, ut Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum subditos &c.

Ejusdem de matrimoniis, & ejus attinentiis: incipiens:

Prohibeant frequenter Sacerdotes omnibus subditis suis &c.

Ejusdem de sepulturis, & cœmiteriis: incipiens:

Statuimus, ut nullus excommunicatus, & publice denuntiatus in &c.

Ejusdem de malefactoribus ad Ecclesiam confugientibus: incipiens:

Quia nonnulli homicidia, mutilationes membrorum, & alia &c.

Ejusdem de usurariis manifestis: incipiens:

Statuimus, ut usurarii manifesti (quos nos in his scriptis excommunicamus) &c.

Ejusdem de Clericis in Ecclesiis, vel Capellis celebrantibus sine nostra, vel Archi-Diaconorum licentia: incipiens:

Statuimus, ut nullus Sacerdos, vel Clericus in Ecclesia Parochiali, vel Capella audeat celebrare sine &c.

Ejusdem de executione mandatorum nostrorum, & curiæ nostræ Coloniensis: incipiens:

Præcipimus districte sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, quod Decani &c.

Ejusdem de interdicto Ecclesiastico, qualiter sit observandum: incipiens:

Cum plerumque, & communiter circa observationem interdictorum, perniciose hactenus sit erratum &c.

WICH-

(b) Anno 1266. Engelbertus II. celebravit Synodum Coloniæ, constantem Capitulis XLV. e qua Synodo hæc excerpta hic renovantur. *Vide Tomi nostri tertii pag. 617.*

(c) Sifridi Coloniensis Archiepisc. Concilium de anno 1281. *Tomi III. nostri pag. 657.*

WICHBOLDI (*d*)

De Apostatis, discursoribus, & vagis Clericis. incipiens:

Quia vero (ut intelleximus) aliqui Clerici, utpote apostatæ, discursor. &c.

Ejusdem de Legatis fabricæ Ecclesiæ Coloniensis, & de pœna. Incipiens:

Si quis fabricæ Ecclesiæ Sancti Petri, & Parochiali Ecclesiæ &c.

Ejusdem de manifestis usurariis. Incipiens:

Excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omes usurarios manifefestos, & singulis &c.

Ejusdem, ne fiat quæstio in Ecclesia, vel via publica per Concionatores quæstuarios. Incipiens:

Sacerdotes non permittant Prædicatores quæstionarios &c.

Ejusdem, ne aliquis detineat Legata fabricæ Ecclesiæ majoris Colon. Incipiens:

Monemns item omnes Sacerdotes, & alios quoscunque nostræ &c.

Ejusdem, ut unusquisque promoveat fabricam majoris Ecclesiæ Colon. Incipiens:

Item præcipimus, & injungimus universis Presbyteris Colon. &c.

Ejusdem, de laicis Provisoribus structurarum Ecclesiasticarum. Incipiens:

Item statuimus, quod laici Provisores Parochialium Ecclesiarum &c.

Ejusdem contra falsarios monetarum, & eorum receptatores. Incipiens:

Quia nonnulli in diversis partibus nostræ Diœcesis falsas, seu &c.

Ejusdem, contra detentores cerocensus. Incipiens:

Item præcipimus, ut universi Ecclesiarum Rectores moneant &c.

Ejusdem, quibus horum statutorum copia necessario habenda. Incipiens:

Præcipimus etiam omnibus Decanis Christianitatum, & Plebanis locorum, ut præmissorum &c.

HENRICI (*e*)

Contra publicos usurarios. Incipiens:

Sed & omnes usurarios usuras publice exercentes requirimus, & monemus, quatenus suæ saluti &c.

Ejusdem contra illos, qui faciunt statuta in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, & Episcolis jurisdictionis. Incipiens:

Item omnes illos, qui statuta ediderint, vel statuta servaverint facta in præjudicium Ecclesiasticæ &c.

Ejusdem, contra perturbatores jurisdictionis Officialis nostri &c. Incipiens:

Item omnes illos, qui in Consistorio nostro, vel alias, dum Officialis noster, vel alii Officiales &c.

Ejusdem contra Prælatos usurpantes sibi jurisdictionem Episcopalem. incipiens:

Monemus item omnes, & singulos jurisdictionem habentes &c.

Ejusdem, ne alienus, seu ignotus permittatur celebrare in Ecclesiis. incipiens:

Cum item a jure penitus sit interdictum, ne quis ad celebrandum &c.

Ejusdem, quod pro clandestino matrimonio excommunicatos nullus habet absolvere, nisi Officialis Colon. Incipiens:

Licet etiam hactenus Sacerdotibus ruralibus & Decanis, ne excommunicatos pro matrimoniis &c.

Ejusdem contra illos, qui temere absolvunt excommunicatos ab Episcopo, seu Officiali, & qui adulterant literas, aut monetam. Incipiens:

Cum autem minor in majorem non habeat potestatem, districtius &c.

Ejusdem, contra illos, qui truncos erigunt in plateis & oblationes tollunt. Incipiens:

Item cum ex usurpatione quadam per aliquorum laicorum insolentias sit inductum, quod trunci lignei &c.

Ejusdem, quibus diebus Parochiani teneantur venire ad Ecclesiam suam Parochialem. Incipiens:

Quia

(*d*) Wichboldus, Archiepisc. Colon. anno 1360. celebrat Concilium, ex quo hæc excerpta. *Vide Tomum IV. Concil. German. pag.* 37.

(*e*) Henricus, Archiepisc. Colon. tres Synodos celebravit, unam anno 1306, aliam an. 1307. Diœcesanas, quas vide *Tomo IV. Concil. German. pag.* 99. & 106. Tertiam Provincialem celebravit anno 1310. Statuta XXIX. continentem, descriptam *Tomo IV. pag.* 117.

Quia vero dubium quibusdam extitit de festis, in quibus Parochiani &c.

Ejusdem, contra Clericos tonsuram Clericalem, & vestes Clericales non deferentes. Incipiens:

Item præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ Decanis Ecclesiarum &c.

Ejusdem, ne quis laicus arrestet, vel detineat bona Clericorum. Incipiens:

Statuimus item & inhibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, ne quis &c.

Ejusdem, ne laici faciant statuta in præjudicium alicujus Ecclesiæ. Incipiens:

Inhibemus etiam laicis universis & singulis, ne quis statuta &c.

WILHELMI (f)

Contra illos, qui officium tabernariorum exercent injuste. Incipiens:

WILHELMUS Dei Gratia &c. Prædecessores nostri bonæ memoriæ, HENRICUS & WALRAMUS, considerantes statum Clericorum &c.

Ejusdem, de usurariis manifestis, & exercentibus contractus dictos Hantgelt. *Incipiens:*

WILHELMUS &c. omnibus, quibus ex privilegio competit, proponere verbum Dei, præcipiendo &c.

Ejusdem, quod homines existentes de loco interdicto non habeant admitti ad Sacramenta Ecclesiastica in loco non interdicto. Incipiens:

WILHELMUS &c. perniciosus quidam, ut intelleximus, in nonnullis nostræ Diœcesis partibus abusus inolevit, quod loco aliquo &c.

Ejusdem, contra injectores manuum in Clericos & Ecclesiasticas personas. Incipiens:

WILHELMUS &c. multiplicata fide dignorum ad Nos perduxit relatio, quod complures scelerati, qui &c.

Ejusdem, ne aliquis assumatur in Capellanum, vel Vicarium sine Episcopali licentia, & quod Rectores de eleemosynis retentis fabricæ teneantur satisfacere. Incipiens:

WILHELMUS &c. ad nostrum non sine displicentia pervenit auditum, quod nonnulli Rectores, seu Curati &c.

Ejusdem, Religiosi extra sua Monasteria moram trahant, & contra receptatores eorum. Incipiens:

WILHELMUS &c. vergit quidem in totius religionis opprobrium &c.

Ejusdem, ne Quæstores cum crucibus, vel calicibus admittantur in Parochiis sine licentia data per Episcopum, aut Capitulum. Incipiens:

WILHELMUS &c. meminimus Nos jam dudum, & vicibus multiplicibus &c.

Ejusdem, contra detentores, & subtractores Legatorum fabricæ &c. Incipiens:

WILHELMUS &c. multifariis excitatos clamoribus nos oportet &c.

Ejusdem, ne Religiosi quicunque quæstum publicum faciant, vel male quæsita incerta, alias quam ad fabricam Ecclesiæ Coloniensis ordinent. Incipiens:

WILHELMUS &c. etsi de statu cunctarum Ecclesiarum nostræ &c.

Ejusdem, contra exercentes contractus Hantgelt. *Incipiens:*

In Synodali congregatione facta universis Clericis &c. præcipiendo &c.

FRIDERICI (g)

De Presbyteris concubinariis, & focariis ipsorum. Incipiens:

Porro statutum bonæ memoriæ D. CONRADI Prædecessoris &c.

Ejusdem, ut capto aliquo Clerico statim cessetur a Divinis. Incipiens:

Item licet jam dudum certus modus per nostros Prædecessores &c.

Ejusdem contra usurarios, & exercentes contractum, qui nuncupatur Hantgelt. *Incipiens:*

Præterea felicis recordationis Domini ALEXANDRI III. constitutionem &c.

(f) Wilhelmus, Archiepisc. Colon. Concilium celebravit anno 1351. in quo Canones XXXV. conditi. *Vide illud Tomo IV. Concil. German. pag. 370. & sequentibus.*

(g) Fridericus de Sarwerden, Archiepisc. Coloniensis, multa Statuta Synodalia edidit inter annos 1370. & 1400, quæ leges omnia *Tomo IV. Concil. German. a pag. 548.*

Ejusdem, ne aliquis Sacerdos inebrietur, vel calceos rostratos deferat. Incipiens:

Præterea, cum ex Decreto Concilii Agathensis, quod incipit: Ante &c.

Ejusdem, quod matrimonium contrahere volentes debito modo proclamentur. Incipiens:

Item Statutum, seu Mandatum piæ memoriæ D. HENRICI Prædecess. &c.

Ejusdem, contra injectores manuum in Clericos, vel minas, vel alias damna Ecclesiis, aut personis Ecclesiarum &c. Incipiens:

Item licet statutum, quod incipit: Item cum magnum sit scandalum, dudum per fœlicis recordat. &c.

Ejusdem, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri, & Sacramentum Eucharistiæ a proprio accipere Sacerdote. Incipiens:

Item Statutum bonæ memoriæ Domini HENRICI Prædecessoris nostri, seu præceptum, quod incipit: Canonum &c.

Ejusdem contra illos, qui in Consistorio Ecclesiastico deliquerint contra Officialem, Advocatos, vel Procuratores. Incipiens:

Item Statutum, seu mandatum bonæ memoriæ Domini HENRICI Prædecessoris nostri, quod incipit: Item omnes illos &c. Per quod quidem &c.

Ejusdem, quod omnes habeant copiam Statutorum Coloniensium. Incipiens:

Cæterum omnia, & singula Statuta Prædecessorum nostrorum usu, & moribus utentium recepta, & usitata &c.

Ejusdem, de impedientibus jurisdictionem, de violatoribus immunitatum, & de excommunicatis per annum & amplius, non tumulandis. Incipiens:

FRIDERICUS Dei Gratia &c. Quanquam Sacris Canonibus, & nonnullorum Prædecessorum nostrorum &c.

Ejusdem contra usurarios, Lombardos ac Hantgelt *capientes. Incipiens:*

FRIDERICUS &c. Universis, & singulis Christianitatum &c. Quamvis usurarum voraginem, quæ animas &c.

Item mandat Venerabilis Dominus Officialis Curiæ Coloniensis sub pœna excommunicationis omnibus, & singulis Christianitatum Decanis, & aliis, quibus opus fuerit, ut ipsi hujusmodi pronunciata recipiant, atque in suis Capitulis, Pastoribus, & Plebanis sui Decanatus eadem diligenter publicent, ipsisque mandent, & committant, eadem pro posse, & nosse fideliter observari sub pœnis inibi comprehensis.

Ex editione Statutorum Ecclesiæ Coloniensis facta anno 1554.

CONCILIUM CONSTANTIENSE DIOECESANUM

Anno Christi MCCCCLXXXIII. Sixti IV. Pp. XIII. Friderici Imp. XLIV.

SUB OTTONE EPISCOPO LXXI.

OTTO, (a) DEI ET APOSTOLICE SEDIS GRATIA, EPISCOPUS CONSTANTIENSIS; UNIVERSIS SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM PRÆLATIS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CANONICIS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS PER CIVITATEM ET DIOECESEM NOSTRAS UBILIBET CONSTITUTIS, PRÆSENTIBUS ET FUTURIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

GUbernator & Rector omnium rerum cœlestium, & terrenarum æquo moderamine cuncta disponens in terris, tam in spiritualibus, quam sæcularibus

(a) Otto, Comes a Sonnenberg, ex familia Comitum Truchsesiorum de Walburg, electus anno 1481, præfuit usque ad annum 1491. juxta *Chronicon Constantiense Pistorii.*

ribus rebus voluit esse legum conditores, ut homines propulsatis vitiis, & insolentiis magis humaniter juxta legem naturæ viverent, & se ipsos recognoscerent, ita quoque justitia roboraretur, vigeret æquitas, & candor innotesceret honestatis taliter, ut appetitus noxius sub juris regula constitutus, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat. Horum itaque consideratione inducti, diversas Constitutiones Synodales Prædecessorum nostrorum, in diversis codicibus dispersas, sub debita modificatione adjiciendum, his aliquas novas, quæ a jure fundantur, æquitati deserviunt, & continent honestatem, in unum colligimus volumen, sive libellum, quas authoritate nostra ordinaria mandamus per vos inviolabiliter observari, volentes, ut universi Nobis subjecti infra scriptis utantur pro Statutis Synodalibus in futurum, atque quilibet Decanus Nobis subjectus habere teneatur ipsum volumen, sive libellum nostro sub sigillo per eum, seu ejus vices gerentem in Capitulo rurali Confratribus suis, & aliis, quorum interest, singulis annis, qualibet excusatione cessante, bis ad minus publicandum.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Inprimis igitur omnia & singula, in *Sacro Provinciali Concilio Moguntinensi* dudum celebrato, per recolendæ memoriæ quondam Dominum CONRADUM, tunc Archi-Episcopum, & Metropolitanum loci, tam de Fide Catholica, quam veneratione & memoria Passionis Domini nostri JESU CHRISTI, & ipsius Beatissimæ Matris semperque Virginis MARIÆ, ac reformatione morum provide statuta & ordinata, quæ hic volumus haberi pro expressis, devotissime suscipimus, & illa ab omnibus subditis nostris inviolabiliter observari mandamus. Indulgentiasque similes, scilicet quadraginta dierum, per civitatem & Diœcesem nostras omnibus contritis & confessis, qui juxta mentem eorundem statutorum contra hæreses Johannis Wigklaff, Johannis Huss, & Jeronymi de Praga damnatorum, operam & efficaciam dederint; ac illis, qui memoriam Passionis Domini nostri JESU CHRISTI, seu venerationem Gloriosissimæ Virginis MARIÆ deinceps egerint, de DEI Omnipotentis misericordia, authoritate nostra ordinaria de injuncta eis pœnitentia elargimur.

Ad idem, de Blasphematoribus.

Quamvis a Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum traditionibus contra manifestos Sanctorum blasphemos, ac damnatum & abhominabile idololatriæ scelus, videlicet incantationes, superstitiones, & sortilegia phitonum, & phitonissarum, in locis diversis sufficienter cautum & provisum existat; quia tamen, quod mentis amaritudine referimus, adhuc vitia talia in multis locis Nobis subjectis existunt in usu: quapropter erroribus & periculis, exinde indies consurgentibus, quantum in Nobis est, obviare cupientes, districte statuto presenti perpetuo duraturo præcipimus, ut contra tales Statuta canonica desuper edita summa cum diligentia ab universis Nobis subjectis practicentur, & in confessionibus de peccatis hujusmodi solers fiat inquisitio, & tam mares, quam mulieres talia exercentes a communione Sacramentorum excludantur, ac pro absolutione ad Nos, vel Vicarium nostrum remittantur: & nihilominus, si qui publici blasphemi reperti fuerint, vel de hujusmodi incantationibus, vel superstitionibus, ab Ecclesia reprobatis se intromiserint, vel eisdem fides adhibuerint, ut ab his infra breve tempus eis statuendum desistant, volumus moneri sub pœna suspensionis a Divinis, & Ecclesiastica sepultura, a qua non nisi per Nos, vel Vicarium nostrum, aut nostros Superiores valeant liberari & absolvi, hoc etiam statutum nostrum salutiferum, ne quis illius ignorantiam prætendere possit: volumus per regentes curam animarum in cancellis Ecclesiarum, si & quotiens expedire visum fuerit, solenniter publicari.

De officio Decani.

Indemnitatibus Ecclesiarum, & Beneficiorum, quæ frequenter propter eorum longam vacationem grandia in spiritualibus & temporalibus dispendia patiuntur, occurrere volentes, statuimus, ut quilibet Decanus, seu ejus locum

cum tenens, singulis annis ad minus bis, scilicet in quibuslibet sex mensibus semel in præsentia Confratrum suorum, in loco capitulari congregatorum, de omnibus Beneficiis infra Decanatum suum vacantibus, Curatis & non Curatis, quæ ultra tempus, Collatoribus, seu Patronis eorum a jure statutum vacaverint, nec non de ipsis Collatoribus, & Patronis, ac eorum nominibus diligentius inquirat, Nobis, seu Vicario nostro in Spiritualibus illa cum suorum Patronorum, & Collatorum nominibus, quam primum commode possit, sic tamen quoque istud ultra duorum mensium spatium non differat post inquisitionem hujusmodi, in scriptis notificet: quod si facere obmiserit, penam suspensionis ab officio Divinorum dicto duorum mensium spatio lapso incurrat, quam etiam pœnam quilibet Confratrum, qui super præmissis requisitus, ea Decano scienter celaverit, incidat simili modo. Verum quia nonnulli prætextu litterarum Apostolicarum, quas se impetrasse mentiuntur, Ecclesiastica Beneficia vacantia propria temeritate in periculum suarum animarum occupare præsumunt; Ordinamus, ut de cetero quilibet Decanus, seu ejus locum tenens, tam eorum, qui infra suum Decanatum Ecclesiastica Beneficia vigore litterarum Apostolicarum assecuntur, quam etiam Beneficiorum, & Patronorum eorundem nomina infra mensis spatium, a tempore assecutionis hujusmodi computandum, Nobis, & Vicario nostro rescribat, seu notificet, alioquin similem pœnam, ut præfertur, dicto mense lapso incurrat, tempus autem a jure datum pro conferendis Beneficiis Patronis Ecclesiasticis sex menses, laicis vero quatuor intelligatur.

Ad idem.

Præterea statuimus, & ordinamus, ut quilibet Decanus, seu locum ejus tenens, infra proximos tres menses a publicatione præsentium omnes suos Confratres, cæterosque Presbyteros sæculares & Religiosos infra suum Decanatum Beneficia Ecclesiastica inofficiantes, de quorum titulis, investituris, seu induciis sibi non constat, ad ostendendum sibi investituras, titulos, aut inducias Beneficiorum suorum authoritate nostra in scriptis cum insertione causæ suspensionis requirat. Et de cetero nullum infra suum Decanatum ad inofficiandum aliquod Beneficium Ecclesiasticum, nisi prius ostenderit sibi titulum, investituram, aut inducias sigillatas, scienter toleret, vel admittat. Quod si Decanus quempiam talium litteras suas, ut præfertur, sibi non ostendentes, in regimine, & inofficiatione Ecclesiastici Beneficii contra præmissa tolerare præsumpserit, ipsum, ut supra mandatur, non suspendendo; ex tunc aliis quindecim diebus elapsis Decanus ipse suspensionis sententiam propter hujusmodi negligentiam suam incurrat ipso facto: sit etiam forma suspensionis, quam in scriptis Decanus ferat: Quia tu monitus, ut titulum, vel inducias tui Beneficii ostenderes infra quindecim dierum spatium; hujusmodi mandato non paruisti, nec titulum ostendisti. Idcirco authoritate mihi concessa te in his scriptis a Divinis suspendo, & suspensum denuncio. Quam formam etiam in aliis censuris infligendis juxta causarum exigentiam volumus observari.

Ad idem.

Considerantes, quod Decani rurales pro eo constituuntur, ut Clericorum honestatem, & Confratrum utilitatem procurent, excessus eorum referant, mandata nostra, Vicarii, & Officialis nostrorum debite exequantur, & singula, quæ a Superioribus mandantur, ad notitiam Confratrum suorum deducant: quæ tamen a Decanatibus suis absentes nequeant adimplere; Statuimus, & ordinamus, ut quilibet Decanus Diœcesis nostræ Constantiensis teneatur infra suum Decanatum facere residentiam personalem: decernentes, ut absentes a suis Decanatibus Decani, nisi infra mensem proximum a publicatione præsentium ad residentiam taliter se cum effectu recepeerint, & etiam illi, qui se de cetero a suis Decanatibus absentaverint, animo alibi residendi, seu domicilium extra Decanatum suum constituendi, & fovendi, in absentia hujusmodi per unum mensem manserint, hujusmodi suis Decanatibus lapso mensis spatio prædicto sint eo ipso privati, moxque Camerarius teneatur Confratres Capitulares pro electione alterius De-

Decani convocare, & alium Decanum eiſdem eligere. Quod ſi Camerarius infra quindecim dies poſt lapſum dicti menſis ſpatium facere neglexerit, ſit eo ipſo Officio Divinorum ſuſpenſus.

Ad idem.

Hac inſuper conſtitutione univerſis, & ſingulis Decanis Nobis ſubjectis præcipimus, ut notorios exceſſus, & præſertim illos, quibus Eccleſia ſcandalizatur, quorumcunque infra ſuum Decanatum Beneficiatorum, ſeu aliorum Clericorum, infra duos menſes a tempore notitiæ ſuæ computandum, Nobis, ſeu Vicario noſtro notificent & conſcribant. Quod ſi quis facere neglexerit, & hujuſmodi ſtatutum executum non fuerit cum effectu, præter Omnipotentis DEI indignationem, quam incurrit, pœna condigna per Nos, aut noſtrum Vicarium puniatur & mulctetur. Sunt autem ſcandali exceſſus, furtum manifeſtum, Presbyteri homicidium, fornicatio ſcandaloſa Cleri, & adeo notoria, quæ nulla tergiverſatione celari poteſt. Item ſi Clericus literatorie excommunicatus publice, & in forma Eccleſiæ, celebraret, vel miniſtraret legendo Evangelium, ſeu Epiſtolam. Item ſi Clericus uſuram manifeſte exerceret. Item ſi Clericus cujuſcunque gradus poſt monitionem Decani ſe tabernis, lupanaribus, & actibus illicitis, & litigioſis notorie immiſceat, & his ſimiles.

Ad idem.

Inſuper ordinamus, ut nullus in Decanum ruralem noſtræ Diœceſis electus, aut eligendus, nondum confirmatus, officium Decani ante confirmationem ſuam a Nobis, vel Vicario noſtro obtinendam exercere, aut ſe Decanum nominare vel ſcribere, vel pro tali gerere quomodolibet præſumat. Formam autem juramenti, per Decanum quemlibet in ſua confirmatione præſtandi eſſe volumus juxta ad Nos deductam, & longeve obſervatam conſuetudinem, ut ſequitur: Primo videlicet jurabit, quod mandata noſtra, Vicarii, & Officialis noſtrorum pro tempore exiſtentium reverenter exequatur, ac Nobis & eiſdem fidelis erit. Quodque officium, ad quod fideliter electus eſt, exercebit abſque dolo & fraude. Item, quod penes ſe habeat ſtatuta Synodalia, & illa quater, vel evidenti ſe dante neceſſitate, vel impedimento, ad minus bis in anno Confratribus ſuis ad intellectum publicabit: ea quoque inviolabiliter obſervabit, & ab aliis, quantum in eo eſt, obſervari faciat dolo & fraude ſemotis: quodque inſuper exceſſus Confratrum ſuorum, prout ad ſe ſpectat, corrigere, incorrigibiles vero pro eorum exceſſibus, pro quibus deferendi ſunt, Nobis, vel Vicario, aut Officiali noſtro, deferre non tardabit.

Ad idem.

Ceterum quamvis ex Prædeceſſorum noſtrorum, & etiam noſtra conceſſione diu tolerata, Decanis locorum competat facultas, Eccleſiis per obitum vacantibus ad menſis ſpatium a die vacationis earundem computandum, & perſonas idoneas providendi in Divinis, & animarum curam; nihilominus tamen induciis, authoritate noſtra ordinaria ad Eccleſias ipſas, vel alia Beneficia vacantia conceſſis, exſpirantibus, ipſi Decani illis proinde providendi abſque noſtra, vel Vicarii noſtri ſpeciali licentia, nullam habeant facultatem, alioquin ſi ſecus per ipſos actum fuerit decernimus viribus carere &c.

Ad idem.

Cum autem de conſuetudine legitime præſcripta, Nos in bonis mobilibus, & immobilibus Sacerdotum, ſeu Clericorum Beneficiatorum noſtræ Diœceſis, defectum natalium patientium, poſt mortem eorundem ſuccedere habeamus, mandamus omnibus noſtræ Diœceſis Decanis & Camerariis, ut quam ſtatim ipſis, aut alteri eorundem de morte cujuſvis Presbyteri, aut Clerici Præbendati hujuſmodi natalium defectum patientis conſtiterit, bona per eundem quæcunque ſive mobilia, ſive immobilia ſint, ſub arreſto firmo noſtra authoritate ponant, aut poni faciant, inhibentes omnibus, ne ſupradicta bona diſtrahant, aut alienent, ſeu in uſus ſuos convertant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, admonitione tamen trium dierum prævia: ac Nobis quoque, ſeu noſtro Vicario, aut Sigillifero abſque mora obitum præfatorum Presbyterorum, ſeu Clericorum præbendatorum, cujuslibet eorundem inſinuent & notificent: ſecus facientes vero

ro volumus fore, & esse ab officiis suis suspensos ipso facto, donec a Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus absolutionis meruerint Beneficium obtinere.

De Renuntiationibus Beneficiorum.

Universis nostri Episcopatus Ecclesiasticis Personis Beneficiatis districtius prohibemus, ne audeant aliter, quam in manus nostras, seu Vicarii nostri in Spiritualibus, vel Superioris super hoc potestatem habentis, Beneficia sua dimittere & resignare, aut illa alias nulla super hoc a Nobis, seu Vicario nostro, vel ab alio Superiore potestatem habenti, obtenta licentia relinquere. Quod si secus factum fuerit, ad hujusmodi resignata, & dimissa Beneficia, per Nos, seu Vicarium nostrum, nisi forte ex causa rationabili tales resignationes authoritate nostra approbarentur, seu ratificarentur; quisquam nullatenus instituatur.

De temporibus Ordinationum.

Sæpe contingit, quod nonnulli Clerici civitatis & Diœcesis nostrarum vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel idiotæ, vel alias susceptione sacrorum Ordinum indigni, in remotis partibus per alienos Episcopos quandoque furtive, & aliquando per saltum, & interdum extra statuta tempora, & alias indebite se faciunt, contra Statuta sacrorum Canonum promoveri, & deinde se a Romano Pontifice, vel alias promotos fore, mentientes, in sacris Ordinibus præsumunt ministrare; volentes igitur his pro executione juris communis juxta posse providere, statuimus, ut nullus civitatis & Diœcesis Constantiensis Clericus, absque licentia nostra, seu Vicarii nostri ad sacros Ordines promotus, in ordinibus hujusmodi in civitate & Diœcesi nostris ministrare præsumat, seu ad executionem ordinum taliter susceptorum per aliquem admittatur: imo ipsum & quemlibet ipsorum, sic furtive promotum, ab ingressu Ecclesiæ suspendimus, donec & quousque de ordinibus suis coram Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus legitime docuerit, & quod admitti debeat, nostris, seu Vicarii nostri patentibus literis ostendat. Si quis autem hanc constitutionem transgredi, & contra illam in susceptis ordinibus, non admissus, ut prædicitur, ministrare præsumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, quam etiam extunc per Decanum, & alios Confratres, apud quos tales moram fecerint, ipsos incurrisse, denunciari volumus, & publicari.

De Filiis Presbyterorum.

Sacris disponentibus ordinationibus filii Sacerdotum in Ecclesiis Patrum ministrare, aut eas, seu alia in eisdem Beneficia Ecclesiastica quælibet obtinere: & ipsi & alii illegitime nati, seu ex illegitimo coitu procreati, sine dispensatione Sedis Apostolicæ unum Beneficium Curatum obtinere prohibentur: & si ex dispensatione hujusmodi unum Curatum, deinde, tacito defectu natalium, quem patiuntur, a sede præfata, ut duo vel plura Beneficia similem curam habentia recipere possint, & retinere valeant, & si eis Canonice conferantur, obtineant; talis dispositio tanquam per surreptionem obtenta nullius penitus sit momenti: qua propter censentes parum fore jura condere, nisi executioni demandentur, volumus & statuimus, ut deinceps Sacerdotum filii in suorum Patrum Ecclesiis, in nostris civitate, & Diœcesi ministrare, aut eas, seu alia Beneficia in eisdem quomodolibet obtinere non præsumant, illaque ex nunc in antea per ipsos taliter contra juris dispositionem occupata, vacare decernimus, & eorum Collatoribus licentiam talia idoneis conferendi præsentibus assignamus, nisi cum ipsis per Sedem Apostolicam desuper sit dispensatum: eisdem Presbyterorum filiis, & aliis illegitime natis Beneficiatis nostrarum civitatis & Diœcesis præsentibus injungentes, ut infra unius mensis spatium a publicatione præsentium de suis dispensationibus, tam super eo, quod in Ecclesiis Patrum ministrare, succedere, & in eis Beneficia obtinere valeant, quam super defectibus suis, & pro obtinendis uno vel pluribus Beneficiis a sede prædicta obtentis coram Nobis, vel Vicario nostro doceant; ut animarum periculis obvietur, & Ecclesiasticis Beneficiis debite provideatur: quod si secus fecerint, contra ipsos secundum ordinationes prædictas, prout de jure poterimus, procedemus.

De Clericis peregrinis.

Didicimus, quod in civitate, & Diœcesi Constantiensi plures peregrini, de quorum promotione non constat, in sacris Ordinibus publice ministrent, & curam regunt animarum licet literas commendatitias, & dimissoriales suorum Episcoporum, vel examen nunquam ostenderunt: volentes igitur in his providere, statuimus, ut deinceps nullus Clericus peregrinus, sive secularis, vel Religiosus existat, ad executiones sacrorum Ordinum infra civitatem, & Diœcesim nostras in publico admittatur, nisi per literas nostras, aut Vicarii nostri se admittendum fore prius ostendat: si quis autem contra hoc statutum, per Nos, vel Vicarium nostrum non admissus scienter ministrare, & de cura animarum se intromittere præsumpserit; eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, quam etiam sententiam taliter delinquentes incurrisse, volumus denuntiari, certificandum quoslibet, coram taliter excommunicatis, post hujusmodi denuntiationem celebrantes, suspensionis sententiam a jure in tales promulgatam incurrere, & exinde notas contrahere irregularitatis.

De Majoritate & Obedientia.

Statuimus, ut unusquisque Decanus, Rector, Plebanus, Vice-Plebanus, sive Curatus Nobis subjectus, litteras nostras, ac Vicarii, & Officialis nostrorum, nostraque & eorum mandata reverenter ubique infra limites suæ Parochiæ recipiat, & sine dolo & fraude proxima Dominica die sequenti diligenter exequatur, nuntiosque litterarum nullo modo prodat, sed pro viribus defendat: secus autem faciens, & constito de eo, puniatur. Volumus etiam, & statuimus, ut in executione quorumcunque mandatorum, litterarum, & processuum a Nobis, vel Vicario, seu Officiali nostris emissorum, dies, mensis, annus, nomen Exequentis, & locus executionis per Rectores, Plebanos, & Vice-Plebanos apponantur, ut sic videlicet Executor scribat a tergo mandati ejusdem propria sua manu: Executum est " Mandatum hoc per me N. Plebanum " Ecclesiæ in N. nomen & cognomen " suum, ac Ecclesiæ suæ nomine exprimendo anno intra scripto, die tali, " mensis talis &c." Ut de executione hujusmodi legitima fides per hoc habeatur, alioquin, si secus actum fuerit, per Officiales nostros gravius puniatur.

Inhibemus quoque, ne quispiam Clericorum Nobis subjectorum, cuicunque Congregationi, Capitulo, aut Conventiculo, in quo quidquam in præjudicium status, & honoris Episcoporum Constantiensium, seu jurium Episcopalium tractatur, interesse, dando consilium, auxilium, vel favorem scienter & dolose præsumat, secus autem faciens, nostram incurrat ultra pœnam juris indignationem.

Et præterea considerantes, quod tunc Ecclesiasticus ordo confunditur, cum unicuique honor debitus non observatur; Statuimus, & ordinamus, quod in Ecclesiis Collegiatis, Conventualibus, seu Capitularibus antiquæ honestates & consuetudines approbatæ debite observentur, & Prælatis eorundem in assurgendo, & aliis prærogativis debita reverentia & obedientia, cum sint columnæ Ecclesiarum earundem, exhibeantur tam a Canonicis, quam aliis simplicibus Presbyteris Ecclesiarum hujusmodi. Quod si quis hujus statuti transgressor repertus fuerit, fructibus Præbendæ suæ taliter puniatur, ut discat Superioribus honorem & reverentiam condignos impendere, & exhibere.

De Judiciis.

Quia causæ matrimoniales cum dependentibus, & connexis, per eos, qui potestatem judicandi habent, & Canonum statuta non ignorant, tractari & definiri debent: statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut deinceps unusquisque Presbyter habens curam animarum, ac subditos, quorum cohabitatio, seu discohabitatio, seu matrimonia fama publica in veritate vel errore fuerint, itaque de his, an jure subsistere possint, saltem probabile dubium extiterit, tales, postquam hoc sciunt, specifice moneant, ut super his infra duos menses proximos pro declaratione decisionum recipienda ad Nos, vel Officialem nostrum remittant, ut & sententiam Judicum super his petant, & ab-

inde

inde caufam hujufmodi ufque ad finem, quantum in eis eft, profequantur. Alioquin taliter moniti, fi hoc infra eosdem duos menfes facere contemferint, Ecclefiaftica Sacramenta eis in vita denegentur, & morientes, peccata fua non confeffi, careant Ecclefiaftica fepultura. Presbyter autem curatus, qui taliter monendo non proceflerit, per Nos, vel Vicarium noftrum graviter & condigne puniatur, volentes, ut quilibet Plebanorum hujusmodi noftram conftitutionem fingulis annis femel, aut bis in Ecclefiis eorundem publicet, aut publicari faciat.

Inhibemus quoque omnibus & fingulis fubditis noftris Clericis, & Laicis, cujuscunque ftatus aut conditionis exiftant, ne de examinatione, cognitione, vel decifione judiciali quarumcunque caufarum matrimonialium aliter, quam per modum falubris confilii fe intromittant, aut aliarum quarumlibet, de jure, vel confuetudine ad forum Ecclefiafticum fpectantium. Secus autem facientes, decernimus excommunicationis fententiæ eo ipfo fubjacere. Per hoc autem non prohibemus, quominus in caufis, ubi tranfactiones locum habent, in arbitratores & viros communes compromitti poffit, per quæ difcordiarum materiæ, & quæftiones celerius valeant terminari, dummodo talia in fraudem non fiant.

De Foro competenti.

Attendentes, quod laici de Ecclefiafticis negotiis intromittere fe non debent, omnibus & fingulis Ecclefiafticis perfonis per civitatem & Diœcefem noftras ubilibet conftitutis interdicimus, ne quifquam laicorum Clericum ad judicia laicalia, feu fæcularia dolofe trahat, aut Clerici fe trahi ad talia confentiant, vel hujufmodi vetita judicia fubeant, feu ibidem aliquatenus refpondeant, fub caufarum fuarum fic motarum, etiam fi in hujufmodi vetitis judiciis pro ipfis judicaretur, perditione feu amiffione, feudalibus tamen caufis exceptis, quas prout de jure volumus tractari.

Ad idem de Foro competenti fervetur Capitulum Libri fecundi, cujus tenor fequitur de verbo ad verbum:

Si diligenti. (& infra) Afferuifti, te ufque ad hæc tempora tenuiffe, quod fit licitum Clerico renuntiare, faltem in temporalibus caufis, juri fuo, & fibi laicum judicem conftituere, præfertim ubi adverfarii voluntas acceflerit, ac tenere juramentum fuper hoc interpofitum refpondifti, immemor conftitutionis, qua cavetur, pacto privatorum juri publico minime derogari: cum igitur jus hoc in Millevitanenfi & Carthaginenfi Conciliis fpecialiter promulgatum fit, ne Clerici Clericos, relicto fuo Pontifice, ad judicia publica pertrahant, alioquin caufam perdant, & a communione habeantur extranei, & tam Epifcopi, quam Diaconi, feu quilibet Clerici in criminali, vel civili negotio, fi derelicto judicio Ecclefiaftico publicis judiciis fe purgare voluerint, etiam fi pro eis lata fit fententia, locum fuum amittant, & hoc in criminali actione: in civili vero perdant, quod evicerint, fi locum fuum maluerint obtinere; manifefte patet, quod non folum inviti, fed etiam voluntarii pacifci non poffunt, ut fæcularia judicia fubeant, cum fit beneficium hoc generale, non perfonale, cui renuntiari valeat, fed potius toti Collegio Ecclefiaftico publice fit indultum, cui privatorum pactio derogare non poteft: nec juramentum licite fervari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur.

Præterea inhibemus, ne de cætero quæcunque Ecclefiaftica Perfona civitatis & Diœcefis Conftantienfis Nobis fubjecta civilegium, auxilium, vel fubfidium laicalia contra Nos, five jurifdictionem noftram fibi qualitercunque affumat, aut invocet, vel fibi procuret, contrarium autem facientes, eo ipfo excommunicationis fententiæ fubjaceant.

De Probationibus.

Ad obviandum fraudibus quorumdam, qui literas de gratia, vel juftitia a Nobis, vel Vicario, feu Officiali noftris impetratas fignari obtinent, & folo figno contenti talibus literis pro figillatis utuntur, attendendum, quæ figna hujufmodi duntaxat fignificant, quæ literæ, quibus appofita funt per Sigilliferum noftrum, debeant expediri; præfenti conftitutione decernimus, omnes literas taliter impetratas, & in futuro obtinendas nullius fore roboris efficatiæ, vel momenti, eos etiam, qui deinceps talibus literis pro

pro veris, & efficacibus utuntur, ſeu recipient fraudulenter, excommunicationis ſententia hoc ſtatuto innodamus.

Ad idem.

Quia, ſicut didicimus, ſæpe propter defectus probationum cognationum ſpiritualium, pericula conſurgunt animarum: eo quod ad invicem matrimonii Sacramento conſtrictis interdum cognationum ſpiritualium obſtant impedimenta, quæ difficulter, vel aliquando vix, vel non probari poſſunt; hujuſmodi periculis cupientes, quo ad Nobis ſubjectos obviare, decernimus, & hoc ſtatuto perpetuo ſervari præcipimus, ut Eccleſiarum per civitatem & Dioceſim noſtras Rectores, Plebani, Vice Plebani, & ſinguli Curati in baptizando pueros ſubditorum ſuorum, levantium, & baptizati nomina in regiſtro communi, quod in ſua Eccleſia habeant, conſcribant, & teſtes quam plures aſſumantur. Similiter ſubditos ſuos inducant, & informent, ut deinceps in confirmatione ſuorum puerorum coram Epiſcopo teſtes requirant diſcretos & intelligentes, qui de confirmatione & tentione coram Epiſcopo ac nomine tenentis, dum opus fuerit, teſtimonium valeant dare, & facilius impedimenta hujuſmodi & minoribus laboribus, & expenſis valeant oportuno tempore comprobari.

De Sententia & re judicata.

Intelleximus, quod interdum Eccleſiarum, civitatis & Diœceſis noſtræ Conſtantienſis Rectores, ſeu Plebani cum ſuis ſubditis in cauſis matrimonialibus tam ſimplicibus, quam impedimentorum, in curiam noſtram Conſtantienſem, ubi expediri debeant, adveniant, & latis ſententiis deffinitivis, prætendentes ſufficere, quod lectioni ſententiæ intererant præſentes, jubent ſine literis & ſententiis recedere: ſæpius etiam contigit, quod latis hujuſmodi ſententiis præſentes, coram ſuis Plebanis, & aliis aſſerunt, eas aliter latas eſſe quam ſunt, & deinde ſecundario curiam noſtram viſitantes variant depoſitiones, & contrarias reportant ſententias: & quia alioquin propter temporis diuturnitatem de ſententia conſtare non poterit, ex quo non modica pericula evenerunt animarum, ut experientia ſumus edocti: volentes igitur periculis hujuſmodi obviare, præſenti edicto diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliquis Eccleſiarum Rector, ſeu Plebanus præmiſſa quomodolibet faciat, decernentes, partibus aſſerentibus ſententias pro matrimonio, vel contra matrimonium latas, abſque ſententiarum literis debite ſigillatis credi non debere: & nihilominus eoſdem aſſerentes a Sacramentorum communione excludimus, ſalvo mortis articulo; donec & quouſque ſententias hujuſmodi ſcriptas, & debite ſigillatas obtineant. Rectores autem, & Plebanos Eccleſiarum, ſi deinde præmiſſa perpetraverint, aut etiam quamcunque ſententiam hujuſmodi, antequam illam ſcriptam (*) præſumpſerint, per integrum menſem ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus, fructus Eccleſiarum ſuarum per idem tempus cedent inofficiantibus eaſdem, & ſubditis providentibus reſervantes.

De Vita & honeſtate Clericorum.

Præſenti inviolabiliter duraturo prohibemus edicto; ne de cætero aliquis Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, aut Beneficiatus infra civitatem & Diœceſim noſtras, vinum ſub menſura publice vendere, miniſtrando fercula, lectiſternia & hoſpitium ad modum publici hoſpitis, aut mercatoris, ad modum laicorum exercere: puta res venales pro lucro captando remiſſius emere, ut carius vendat, ſeu alias illicite mercari per ſe, vel interpoſitam perſonam, quomodolibet præſumat. Si quis autem talia facere præſumpſerit, & ab hujuſmodi negotiationibus non reſipuerit; lucrum exinde captatum Fiſco noſtro decernimus applicandum, atque alias, etiam gravius puniendum juxta exceſſus qualitatem.

Ad idem.

Quoniam valde iniquum eſt, & peſſimi exempli, ut tempore, quo Divina celebrantur officia, Canonici, aut alii Clerici ad Divinum cultum deputati, qui devotiſſimæ pſalmodiæ debent intendere, confabulationes, aliaque inter ſe habeant colloquia ad Divinum cultum minime ſpectantia; Statuimus & ordinamus, ut Canonici & Clerici, qui tempore Divinorum inter ſe colloquia hujuſmodi, ſeu confabulationes in choro habuerint, a præſentiis, & a Præbendarum, ſeu Beneficiorum ſuo-

(*) Videtur aliquid deſiderari.

ſuorum corporibus per unum diem irremiſſibiliter ſint ſuſpenſi, & alias ad arbitrium Decani, aut ejus, ad quem ſpectat eorum correctio, puniantur, qui ſi negligentes fuerint in hujuſmodi correctione, eidem ſe pœnæ noverint ſubjacere.

Inſuper inhibemus, ne de cætero Canonici vel Clerici tempore Divinorum per Eccleſiam cum laicis, vel aliis Clericis ſpaciari, vel deambulare præſumant: quod ſi contrarium fecerint, præſentiis, ac corporibus Prebendarum, & Beneficiorum ſuorum unius diei careant irremiſſibiliter, & alias ad arbitrium Decani, aut ejus, ad quem ſpectat eorum correctio, puniantur, qui ſi in hujuſmodi correctione fuerint negligentes, eidem pœnæ ſe noverint pari modo ſubjacere.

Ad idem.

Rurſus conſtitutione præſenti, prout etiam in Provinciali Concilio quondam Domini CONRADI Archi-Epiſcopi Moguntini ſancitum dinoſcitur, volumus, præcipimus, & ordinamus, ut Clerici noſtrarum civitatum, & Diœceſis in civitatibus, & oppidis, præſertim in Eccleſiis, veſtes longas ſtatui Clericali decentes, & non ſubductas de vario, aut ſerico, niſi graduatus aut Canonicus majoris Eccleſiæ Conſtantienſis, vel nobilis exiſtant, deferant, non ſericias ab extra, non variatas, aut diviſiatas, nec deſuper ab extra cum plicaturis foderatis, ſed manicis ſtrictis, & alias decentibus utantur: non deferant caltios, ſeu ſotulares inhoneſtos, aut indecentes, non conſuticios extra talum, aut roſtratos, vel longis roſtris protenſos: itinerantibus autem ex cauſa brevioribus veſtibus uti liceat, coronam vero & tonſuram ſuo ſtatui, ordini, aut dignitati convenientem juxta Canonum Sanctiones deferant, nec armati incedant, neque gladios, ſeu cultellos longos portent, niſi forte extra civitatem, vel loca ſua eos pergere contingat, vel de licentia Superioris pro perſonarum Eccleſiæ, & rerum ſuarum defenſione id faciant: diſtrictius inſuper inhibentes, ne mantellos ab ante apertos & ſciſſos, & alias undique clauſos, & circa collum cum magna zona conſtrictos, diploides quoque cum manicis vix cubitum brachiorum tegentibus, collum eorum ab ante & retro nudis apparentibus ad modum laicorum turpiter gerentium: ſed veſtibus honeſtati Clericali congruentibus utantur, prout Canonicam, & noſtram gravem ultionem voluerint evitare. Hujus autem ſtatuti transgreſſores ad unius menſis ſpatium a fructibus Beneficiorum ſuorum noverint ſe ſuſpenſos, quorum fructuum diſpoſitionem arbitrio noſtro reſervamus. Per præmiſſa tamen *Clementinæ:* quam *de vita & honeſtate Clericorum* &c. Nec non *Sacri Generalis Conſtantienſis*, ac etiam *Baſilienſis Conciliorum* ordinationibus, & aliis juribus, quæ de indecentia veſtium tractant, non intendimus derogare.

Item ut Clericorum, maxime Beneficiatorum vita ſit exemplaris, & accepta, univerſis Clericis beneficiatis in Sacris, & noſtra Diœceſi conſtitutis conſtitutione præſenti diſtrictius inhibemus, ne ludis taxillorum, choreis, haſtiludiis, torneamentis, & aliis ſpectaculis publicis & prohibitis interſint, aut talia exerceant, prout pœnas condignas, in contrafacientes facti exigenti qualitate authoritate noſtra infligendas, voluerint evitare.

Inſuper diſtrictius inhibemus Clericis, pro ſacris Ordinibus ſuſcipiendis, itinerantibus, ne in hoſpitiis ludis taxillorum, aut aliis enormibus ſuis turpibus actibus inſiſtant, ſed honeſte & clericaliter vivant: ſecus vero facientes, volumus eſſe a ſuſceptione Ordinum pro qualibet vice ipſo facto ſuſpenſos.

Ad idem.

Et inſuper excogitatis habituum novitatibus contra decentiam Clericalem obviare volentes, præſenti conſtitutione noſtra ſtatuimus, ſancimus, diſtrictius prohibentes, quod deinceps nullus Clericus religioſus, vel ſæcularis noſtrarum civitatis & Diœceſis mantellos ab una in toto clauſos, & alia partibus in ſcapula nudatos, & uſque ad fimbriam ſciſſos taliter, quod indumenta, quæ ſub illis geruntur, videri poſſint, aut veſtes, ſeu tunicas ante & retro plicis conſutas deferre præſumant, ſed ſinguli veſtibus honeſtati Clericali, & cujuslibet Ordini ipſorum congruentibus juxta juris, & Provincialium, & Synodalium Statutorum diſpoſitionem ſint contenti, quodque

comas non nutriant, ſed crines capitis ante & retro non nimis longos deferant, prout Canonum, & Statutorum prædictorum pœnas, & Noſtram, & Canonicam ultionem voluerint evitare.

Simili modo præcipimus, & mandamus, ut Clerici beneficiati noſtræ civitatis & Diœceſis temporibus Divinorum Eccleſias, in- & ſub quibus Beneficiati exiſtant, abſque ſuperpelliciis non accedant, vel ſubintrent: contrarium facientes, vice qualibet trium dierum ſpatio ſtipendiis ſuis præbendalibus careant, in uſus fabricæ convertendis, quos etiam Decanis, Rectoribus, Plebanis, & aliis in Eccleſiis Superioribus reverentiam debitam impendere volumus ſub noſtra gravi indignatione, & pœna ſuperius expreſſa.

De cohabitatione Clericorum & Mulierum.

Sancta Generalis Synodus Baſilienſis reformationem Status Clericalis intendens, inter alia conſtitutionem ſalubrem contra Clericos concubinarios edidit, per locorum Ordinarios publicandam, & exequendam. Cujus quidem conſtitutionis ignorantiam, ne quis prætendere valeat de Clero noſtro, illam præſentibus inſeri, cum ſtatutis aliis noſtris publicari, & diſtrictius volumus obſervari, cujus tenor ſequitur, & eſt talis:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUicunque Clericus cujuscunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, ſi etiam Pontificalis, vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt hujus conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur, per duos menſes poſt publicationem ejusdem in Eccleſiis Cathedralibus, quam ipſi Diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium Beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiantur, convertet: nec non & hujusmodi publicum concubinarium, cum primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat, quam ſi non dimiſerit, vel dimiſſam, vel aliam publice reaſſumpſerit, vult hæc Sancta Synodus, ut ipſum omnibus ſuis Beneficiis omnino privet, & nihilominus hi publici concubinarii, uſque cum eis per ſuos Superiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſint inhabiles: qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alterius diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quod ſi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum eſt, punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipſos de neglectu, quam in alios de concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant: in Conciliis etiam Provincialibus adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem, privationem collationum Beneficiorum, vel aliam condignam pœnam ſeveriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad Summum Pontificem ſpectat, per Concilia Provincialia, aut ſuos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi Summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquiſitio in quibuscunque Capitulis Generalibus, & Provincialibus quoad ſuos ſervetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poteſt tergiverſatione celari, notorius eſt, ſed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & infamatam tenet: per ſuum Superiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam Regioni-

gionibus nonnulli jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt, patientes eos in sua fœditate sordere; sub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub pacto compositionis, aut spe alicujus quæstus talia quovis modo tolerent, aut dissimulent, alioquin ultra præmissam pœnam negligentiæ duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere ad pios usus omnino teneantur, & compellantur; ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas Prælati modis omnibus curent a suis subditis, etiam per brachii sæcularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere: quarum concubinarum res, quæ de bonis præsumantur habere Ecclesiæ, in fabricam, vel in aliam ipsius Ecclesiæ utilitatem per ipsos Prælatos convertantur, qui etiam ex tali concubinatu procuratos filios apud parentes suos cohabitare non patiantur. Jubet insuper hæc Sancta Synodus, ut etiam in prædictis Capitulis hæc constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter: injungit præterea omnibus sæcularibus viris, etiam si Regali præfulgent dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum quocunque quæsito colore Prælatis, qui robore officii sui adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt, & cum omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis necessario evitandum, monet omnes laicos tam uxoratos, quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant: nimis enim reprehensibilis est, qui uxorem habet, & aliam mulierem accedit, qui vero solutus, si continere noluerit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat. Pro hujusmodi autem Divini observatione Præcepti, hi, ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni studio laborent.

De Clericis non residentibus.

Cum autem ad hoc sint Ecclesiastica Beneficia deputata, ut in eis ad serviendum Altissimo tales assumantur, qui per se ipsos volunt, & possunt eorum curam exercere; Statuimus, ut quilibet infra civitatem, & Diœcesim nostras Beneficiatus, cujuscunque status, ordinis, vel conditionis extiterit, cujus Beneficium residentiam personalem, vel certum ordinem de jure statuto, vel consuetudine requirat, in illo infra proximum mensem personaliter residere incipiat, & abinde quamdiu Beneficium hujusmodi obtinuerit, talem residentiam faciat, seque ad ordinem, quam onus Beneficii sui requirit, juxta tempora obtineat promoveri: transgressores vero hujus statuti nostri per suos Superiores servato juris ordine priventur, nisi expressam super hoc a Nobis, vel Vicario nostro licentiam obtinere meruerint.

De Præbendis.

Item statuimus, ut quilibet Religiosus infra Diœcesim nostram Constantiensem curam gerens animarum, titulum hujusmodi Beneficii sui in proximo Capitulo post illius assecutionem Decano, vel ejus locum tenenti, in præsentia Fratrum ostendat: & si alium, quam a Nobis, seu Vicario nostro impetratum ostenderit, titulo hujusmodi nulla fides adhibeatur, nisi forte Romanus Pontifex illum sibi concessisset, & hoc nostris, vel Vicarii nostri literis appareret declaratum; si quis vero contra præmissa per Nos, vel Vicarium nostrum in Spiritualibus venire præsumpserit, ultra pœnas juris communis tamdiu a Divinis suspensus remaneat, quousque hujusmodi statuto nostro studuerit cum effectu parere & obedire.

De Portione congrua.

Cum non debeat bonis (*) os ligari triturantibus, sacris jubentibus Canonibus; universos, & singulos Prælatos civitatis, & Diœcesis nostrarum in Domino exhortamur, ut Ecclesiarum Parochias, ipsis, & eorum mensis unitarum, & incorporatarum nostræ Diœcesis, Vicariis de Præbendis congruis, unde decenter sustentari, jura Episcopalia, & Archidiaconalia solvere, hospitalitatem tenere, & alia incumbentia onera supportare valeant, prout de jure tenentur, provideant; alioquin, prout de jure constringuntur, eis negligentibus ad Præbendarum hujusmodi deputationem, servatis servandis procedere non obmittemus.

(*) *forte*: bovis triturantis.

De Institutionibus.

Cum in cunctis sacris Mysteriis sint ætatis maturitas, gravitas morum, & literarum scientia requirendæ, præsenti perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Sacerdos sæcularis, vel Religiosus infra civitatem, & Diœcesim nostras quodcunque Ecclesiasticum Beneficium cum cura, vel sine cura, absque institutione, vel investitura, aut induciis, seu licentia a Nobis, vel Vicario nostro, aut alias legitime, ac per literas sigillatas obtentis, & prius Decano, vel ejus locum tenenti ostensis regere, aut quomodolibet inofficiare suo, vel alieno nomine præsumat; nisi ipsius Beneficii Rector, seu Vicarius, vel Capellanus personaliter in eo resideat, cujus nomine & consensu aliquis, ut socius in Divinis, inibi inofficiet: secus autem facientem, cum non suos fructus facıet, ipso jure ad spondendum Fisco nostro de fructibus, sic per eum levatis, condemnamus, & Fisco eidem decernimus applicandos. Concedimus tamen, ut Beneficio, postquam primo vacare ceperit, possit loci Decanus per se, vel alium, quem duxerit eligendum, per primum proximum mensem, & ultra in Divinis providere, servato tamen moderamine superius de officio Decani expresso.

Cum ad extirpandum quorumdam detestandam cupiditatem in Sacro *Lateranensi Concilio* prohibitum sit, ut nullus diversas Ecclesiasticas dignitates, aut Parochiales Ecclesias recipiat, & consequenter statutum, quod recipiens Beneficium, habens curam animarum annexam, si prius tale habebat, is eo sit ipso jure privatus, & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur, imo si ultra mensem teneat, ambobus est privatus; Apostolicæ tamen sedis dispensatione in his salva, & alibi Canon vicium cupiditatis hujusmodi redarguens tales in Curatis Beneficiis plurales, ea, quia sic retenta ad ipsos non spectant de jure rem asserit contrectare alienam, & sic furtum committere quodammodo & rapinam, non sine suarum, & subditorum animarum periculo gravi; eapropter ut hujusmodi Canones, & Sacrorum Conciliorum Generalium sancita, debitæ executioni demandentur, locorum Ordinariis per fœlicis recordationis GREGORII decimi Decretum in Sacro Generali Concilio est præceptum, ut subditos suos plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu Personatum, aut dignitatem cum alio Beneficio, cui similis cura est annexa, ad exhibendum dispensationem, authoritate hujusmodi Ecclesias Personatus, aut dignitates Canonice tenere se asserentes, infra tempus arbitrio Ordinariorum statuendum districte compellant; Nos itaque animarum periculis obviare, & hoc, ut Ecclesiastica Beneficia canonice possideantur, per executionem præmissorum cupientes providere, hoc præsenti statuto decernimus; ut deinceps a publicatione præsentium, sicut præfertur, plura curata obtinentes Beneficia, ac plures dignitates, & Personatus, seu Personatum, & dignitatem cum alio Beneficio curato, de suis dispensationibus, quarum authoritate illa tenere prætendunt, nec non titulis suis ad eadem, infra duorum mensium spatium coram Nobis, vel Vicario nostro in Spiritualibus legitime, & sub pœnis juris doceant; alibquin, ne deficientibus iis titulis, & dispensationibus hujusmodi Canonicis, occupando injuste ipsa Beneficia, rem contractent alienam, & per consequens furtum committant, & animæ exinde periclitentur, ipsorumque sanguis de nostris manibus exigatur, ad executionem præmissarum sacrarum constitutionum contra ipsos dictis lapsis mensibus effectualiter procedemus.

Sequitur de Testamentis, & ultimis voluntatibus.

Quoniam in quibusdam locis nostrarum civitatis, & Diœcesis, ut intelleximus, corruptela detestabilis observatur, videlicet quod tam Clericus, quam laicus in lecto egritudinis constitutus, ultra certam limitatam, & expressam summam, nec piis locis, nec Personis Ecclesiasticis pro animæ suæ remedio, & salute, aliqua possit ordinare Legata; considerantes, prædictam consuetudinem Sacris Canonibus, & sæcularibus legibus obviare: cum omnia jura clamant, quod ultima voluntas, & ultimum hominis testamentum immobile perseveret, & nihil sit, quod hominibus magis debeatur, quam ut supremæ voluntatis liber stilus existat, eandem consuetudinem Deo odibilem, ani-

animabus, & bonis moribus inimicam, authoritate hujus ſalutaris Sanctionis penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes: ut illis, quos jura a teſtamentorum non prohibent factione, etiam in ſanitate, & in lecto ægritudinis conſtitutis, legandi, diſponendi, & ordinandi de bonis ſibi a Deo collatis ad pia loca, & perſonas Eccleſiaſticas, dummodo contra ſuos legitimas non prætereant ſanctiones, libera ſit facultas. Volentes, & præcipientes diſtricte, ut univerſi Clerici, & laici, impedientes defunctorum legata, ſeu voluntates, per excommunicationem in perſonas, & interdicti in loca ſententias, monitione Canonica premiſſa, ferendas, ab hujusmodi impedimentis deſiſtere compellantur.

Ad idem.

Dolenter audivimus, quod fidelium tam Clericorum, quam laicorum teſtamenta, & ultimæ voluntates maxime pro animarum ſalute, & ad pios uſus legata, & teſtata in ſuis debitis executionibus, ordinationibus, interdum perverſis machinationibus hominum, & quandoque negligentiis intervenientibus, & obſtantibus, in noſtris civitate & Diœceſi in locis pluribus multipliciter impediantur, & retardentur. Cum itaque ultima voluntas, ſeu ultimum hominis teſtamentum pro lege ſervari debeat, & ſupremæ hominis rationabilis voluntatis liber ſtilus exiſtat, & noſtro incumbat officio paſtoralibus providere, & teſtamenta utroque jure ſuadente defendere; univerſis noſtræ jurisdictioni ſubjectis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſub interminatione Divini judicii, & excommunicationis ſententia, quam in contrafacientes, ſex dierum monitione prævia, in his ſcriptis ferimus, ne teſtamenta & ultimas fidelium Eccleſiaſticarum, vel ſæcularium perſonarum, quas jura a teſtamentorum factione non prohibent, voluntates, maxime ad uſus pios, & animarum ſalutem ſe extendentes, earumque executiones debitas impediant, negligant, vel retardent, nec de teſtamentorum, & cauſarum, eorundem, ac ipſorum occaſione pro tempore motarum cognitioni ſe intromittant, ſed ad Nos, & Officiales noſtros, ordinariam jurisdictionem cauſarum hujuſmodi habentes, remittant, diſtrictius inhibemus.

De Parochiis & Parochianis.

Gravis ad Nos querela perduxit, quod nonnulli ſuis juribus & finibus non contenti, Parochianos alterius præſumant recipere temere ad Divina, contra Canonicas Sanctiones: & cum dictorum Parochianorum Judices non exiſtant, nec ligandi, nec ſolvendi in eos receperint poteſtatem, ſe tamen judices faciendo, in foro pœnitentiali periculoſe abſolvunt, & ligant pro libito ſuæ voluntatis: ſicque ipſis, qui proprios ſpernunt Sacerdotes, minime abſolutis illud ſalutiferum noſtræ peregrinationis viaticum, quod non proficit, niſi prius a criminum labe mundatis, & in animarum ſuarum, & eorum, qui id non dijudicantes, indiſcrete recipiunt, periculum conferre non verentur: ſicque dicti eorum Sacerdotes, qui curam recipiendo, ſuam pro ipſis animam obligarunt, dum ſibi taliter ſubtrahuntur, ſtatum ignorantes ipſorum ægrotantium non poſſunt, quod in eis eſt, ſanare, nec conſolidare infirmum, nec alligare confractum, & ſic, dum curationis neceſſariæ non adhibentur remedia, invaleſcentibus morbis uſque ad interemptionem læſio dilatatur, unde Sacerdotes nullam poſſunt de ſic pereuntibus animabus ſupremo judici dare rationem; noſtrorum Patrum, qui Eccleſiæ Sanctæ Dei, & perſonis Eccleſiaſticis terminos, quos non licet transgredi, poſuerunt, ſtatuta conſiderantes, univerſis Sacerdotibus tam religioſis, quam ſæcularibus, cujuscunque ordinis, conditionis, ſive ſtatus exiſtant, in civitate & Diœceſi noſtris degentibus, ſub debito juramento, quod in receptione ſuorum ordinum præſtiterunt, & ſub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Epiſcopum, vel loci Archi-Diaconum, ſeu ejus Vicarium ſuper eo alii eſt commiſſa, præſumat, excepta neceſſitatis cauſa, quæ legem non habet, ad confeſſionem recipere, vel ad porrigendum ei Eccleſiaſticum Sacramentum, niſi petita deſuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis: cum certi & indubitati juris exiſtat, talem a tali crimine abſolvi non poſſe aliquatenus, vel ligari, & ex hoc ordinem Eccleſiæ per majores & Sanctos Patres Divina Providentia inſtitutum

confundi : quod per univerſos Plebanos ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis coram ſuis plebibus præcipimus publicari.

Ad idem.

Inſuper intelleximus nonnullos incuratos Presbyteros exequias defunctorum contra voluntatem ſubditorum, duntaxat Dominicis, aut Feſtivis diebus, neglectis officiis Feſtorum, ſeu Dominicarum, Miſſas defunctorum peragere, eorum commodum temporale magis, quam animarum ſalutem quærentes; volentes igitur hujuſmodi obviare abuſibus, inhibemus diſtricte præcipiendo, ne de cetero ſupradicti incurati præmiſſa attemptare præſumant, & niſi rationabilis cauſa ſubſiſtat, ſe officiis Feſtivitatum conforment celebrando ſummas Miſſas de eiſdem, prout correctionem, & pœnam condignam, ac noſtram gravem evitare voluerint indignationem.

Ad idem.

Quia veridica relatione intelleximus, populum vulgarem in pleriſque locis Nobis ſubjectis diebus Dominicis, & Feſtivis raro intereſſe Divino officio Miſſæ, & prædicationi verbi Dei, licet juxta ordinationes, & Statutum Sanctæ Matris Eccleſiæ eiſdem diebus intereſſe debeant, ut ibidem de Divinis præceptis, & Evangelicis doctrinis informentur ; Nos volentes huic morbo obviare , ac animarum ſaluti conſulere , præſenti volumus, & ordinamus ſtatuto, diſtricte univerſis Presbyteris Curatis noſtræ Diœceſis mandando & exhortando, quatenus plebes , & Parochianos ſuos , qui ad annos pervenerint diſcretionis, hortentur, & admoneant ſub pœna excommunicationis, quatenus deinceps ſingulis Dominicis, & Feſtivis diebus officio Miſſæ in Eccleſiis ſuis intereſſe ſtudeant, & prædicationem verbi Dei diligenter audiant , niſi legitimo impedimento , & cauſa rationabili quis excuſetur , nec ab officio hujuſmodi ante benedictionem Sacerdotis, donec compleatur, recedant , vel alias inhoneſte diſcurrant, faciendo ob reverentiam Diviniſſimi Sacramenti genuflexiones interim, dum Hoſtia ſalutaris per Presbyterum elevatur, cum devotioneque cordis Deum exorent pro peccatis. Si quis vero rebellis, & negligens in his fuerit, hunc in confeſſione ſevere volumus emendari, & nihilominus talis , qui tempore prædicationis verbi Dei extra Eccleſiam , & in cœmeterio ſtare, contra prohibitionem hujuſmodi non formidaverit, ad authoritatem noſtram Epiſcopalem remittatur , contemptores etiam hujus ſaluberrimi præcepti per excommunicationis inflictionem arceantur. Inſuper Presbyteri Curati in ſermonibus ſuis populum eis commiſſum ad hoc inducere curent , ut proceſſionibus, & aliis actibus, & cæremoniis Eccleſiaſticis interſint devote, laudeſque omnipotenti Deo cum attentione cordis, & morum gravitate ibidem perſolvant.

De Regularibus.

Quoniam nonnulli Religioſi contra Deum , & ſuam conſcientiam multipliciter excedunt, eorumque Prælati deſides, & negligentes in obſervatione regularis diſciplinæ, & correctione exceſſuum exiſtunt; eos per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti requirimus, & hortamur; ut perſonas regulares ſibi ſubjectas ad obſervantiam regularum ſuarum, ſtatutorum regularium diligentius inducant, moneant, & alliciant , & ſi opus eſt, ſtrictius compellant, ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſint reddere rationem : quod ſi ultra prævaricatores ordinis ſui fuerint , aut contemptores , vel remiſſi, pro certo ſe noverint , non ſolum ab officio deponendos , ſed alias ſecundum regulam ſuam caſtigandos, cum offenſa non ſolum propria, verum etiam aliena, ac ſanguis ſubditorum ſuorum de ſuis manibus requiratur, Nos etiam eorundem Prælatorum negligentiam, favente Deo, ſupplebinus juxta Canonicas Sanctiones.

Ad idem.

Periculoſum nimium fore conſiderantes, & ſcandaloſum , quod perſonæ regulares utriuſque ſexus extra Monaſteria ſua vagantes in ſæculo moram trahunt, nonnullæ etiam ex ipſis religionis habitu dimiſſo apoſtatare non formidant, excommunicationis ſententiam ut ſic incurrendo, & ſuis Superioribus rebellando. Cum itaque periculoſum ſit talibus ſic vagantibus excommunicatis, & apoſtatis in Divinis participare , volumus , & univerſis Nobis ſubjectis Eccleſiaſticis perſonis mandamus, ut omnes & ſingulos, ſic in ſæcu-

fæculo fuis fub diftrictibus vagantes, & commorantes, cujufcunque ordinis, & conditionis fuerint, moneant, & requirant, ut infra menfis fpatium a die publicationis,& requifitionis hujufmodi ad fua Monafteria redeant, & vota fua Deo reddant, fuis Superioribus juxta ordinem & regulæ inftitutionem obediendo, vel faltem infra eundem terminum coram Nobis,vel noftro Vicario de indultis, fi quæ de contrario habeant, legitime doceant. Alioquin contra ipfos per Ecclefiafticæ cenfuræ pœnas, & prout juftum fuerit, procedemus.

Ad idem de Regularibus.

Quamvis contra Monachos, & Moniales de fuis clauftris propter aliquos enormes exceffus, aut animi levitate temere fugientes,& in fæculo per tempora vagantes & converfantes, & tandem pœnitentia ducti ad clauftra fua humiliter redire volentes, certæ, & variæ pœnæ juxta qualitatem, & quantitatem excedentium a Sanctis Patribus fint ftatutæ; quidam tamen Abbates,& Magiftratus pœnis in Sacris Canonibus,& regula fui ordinis contra tales profugos expreffis non contenti, graviores,& quafi importabiles pœnas ipfis in fua reverfione imponere non verentur, vel quod deterius eft, eafdem perfonas quantumcunque humiliter poftulantes, ad fua clauftra, de quibus exiverunt, admittere inhumaniter contradicunt. Cum itaque de jure pœnæ ampliandæ non fint, fed leviandæ, & longe fit fecurius de mifericordia, quam crudelitate reddere rationem, quam etiam Dominus per os Prophetæ fit pollicitus, fic dicentis: Peccator quacunque hora converfus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum fuarum amplius non recordabitur. Nos etiam advertentes, quod ubi Paterfamilias largus difpenfator exiftit, nec decet familiam effe tenacem; ut peccandi materia,& occafio talibus præcludatur, provida deliberatione ftatuimus, & præfenti ftatuto decernimus, & ordinamus, ut Monafteriorum Abbates, & Prælati, Abbatiffæ, Præpofiti, Priores, & Magiftratus cujufcunque ordinis Nobis fubjecti, Fratribus, & Sororibus modo præmiffo a fuis Monafteriis profugentibus, aut in apoftafiam ex quacunque caufa lapfis, defiderantibus, & quærentibus cum humilitate, & devotione regreffum, finum mifericordiæ, quem Mater Ecclefia claudere nulli petenti confuevit, more pii Patrisfamilias, qui filium primum prodigum, & poftea pœnitentem, paterne fufcepit, ftudeant liberaliter aperire, & tales redire volentes, quantumcunque eorum exceffus graviores fuerint, & enormes, juxta cujuflibet ordinis difciplinam, five regulam,& confuetudinem obfervatam; fine contradictione recipiant, & admittant, ita tamen, quod propter eorum exceffus, nec victus, nec veftitus eis fubtrahatur, fed alias regulariter puniantur, ut præfertur, prout ipfi Prælati, Abbates, Abbatiffæ, Præpofiti, Priores,& Magiftratus fententiam fufpenfionis a Divinis, quam in contrafacientes, fex dierum canonica monitione præmiffa, in his fcriptis ferimus, voluerint evitare.

Idem de Monialibus.

Sacras Apoftolicas conftitutiones debite executioni demandantes, hoc noftro ftatuto inhibemus, ut fanctimoniales cujufcunque fint religionis, vel ordinis, noftræ civitatis,& Diœcefis, quæ in fuis Monafteriis fub perpetua claufura manere jubentur in conftitutionibus Apoftolicis ante dictis, ita quod nulla earum religionem tacite vel expreffe profeffa, quacunque ratione vel caufa, nifi forte tali morbo evidenti aliquam earum laborare conftaret, quod non poffet cum aliis abfque gravi periculo vel fcandalo commorari, Monafteria ipfa egrediendi fit facultas, deinceps abfque licentia Superiorum fuorum, quam non nifi ex caufa præexpreffa, vel inevitabili exigente neceffitate concedi volumus, Monafteria fua exeant, prout dictarum conftitutionum pœnas, & ultionem Canonicam voluerint evitare: quodque, ut ipfæ Sanctimoniales a publicis & mundanis afpectibus feparatæ, Deo liberius fervire valeant, & lafciviendi oportunitate fublata, corda fua & corpora in omni fanctimonia diligentius cuftodire; univerfis & fingulis Ecclefiafticis, & Regularibus perfonis, noftræ jurisdictioni fubjectis, interdicimus, & prohibemus, ne abfque rationabili & manifefta caufa, & fine Superiorum, ad quem pertinet, licentia fpeciali ipfa Monafteria Sanctimonialium fubintrent fub pœnis fufpenfionis in Eccle-

Ecclesiasticas, & excommunicationis in sæculares personas, prout de jure poterimus, contra ipsos procedemus.

De Lolhardis.

Præterea, quamvis plures ex Lolhardis validi sint, & ad labores utiles, carius tamen de eleemosyna vivere, quam suarum manuum labore student manducare, Sacra id reprobante scriptura. Universos Christi fideles Nobis subjectos in Domino hortamur, & requirimus, ut tales Lolhardos validos & aptos ad laborem, suis eleemosynis pascere se retrahant, ne fautores mali nominentur: Nos enim contra ipsos Lolhardos, si deinde, qui validi fuerint, eleemosynam exigere non destiterint, censura Ecclesiastica compescere curabimus justitia mediante.

De custodia Eucharistiæ, & reverentia Sacramentorum.

Ne propter irreverentiam Sacramentorum ira Dei sæviat in Ministros, statuimus, ut Eucharistia, Chrisma, & Oleum sanctum sub fideli custodia serventur: cum autem Sacerdos Eucharistiam, vel Oleum infirmorum ad decumbentem deportaverit, videat, quod superpellitio, stola, seu orario sit indutus, supposito mundo velamine, manifeste & honeste, lumine, ac etiam campanella Eucharistiæ Sacramentum præcedentibus hæc faciet. Omnibus etiam vere pœnitentibus, & confessis, qui Sacerdotem Eucharistiam, vel Oleum infirmorum, ut sic deferentem eundo, vel redeundo, associaverint, vel secuti fuerint, & hoc de die faciunt, decem: si vero de nocte, cum lumine proprio vel alieno, viginti dierum de injunctis sibi pœnitentiis, præter indulgentias ab aliis, & authoritate Apostolica concessas, authoritate nostra ordinaria misericorditer in Domino relaxamus.

Ad idem, de Custodia Eucharistiæ.

Considerantes, quam graviter gloriosus Deus propter Sacramentorum irreverentiam offenditur, ideo quamquam a Prædecessoribus nostris circa Sacramentorum custodiam, & reverentiam sufficienter sancitum dinoscatur, quia tamen, ut quotidiana edocemur experientia, Sacerdotes cum Divinissima Eucharistiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta ad infirmos deportant, incaute cum calopedibus, & scandalose, & turpiter, capite nudo, aut vix bireto superposito, ornatis capillis in mundi conspectum procedant; districte præsenti statuto inviolabiliter duraturo sancimus, ut constitutio proxime præinserta firmiter observetur, ac quilibet Presbyter sic infirmos Eucharistiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis accedens absque calopedibus, & capite almutio, si saltem tali in loco almutia solita sint portari, alioquin caputio Clericali per collum tracto, ut sola facies nuda appareat, devotionis religionis præcedente lumine, & campanella juxta ejusdem constitutionis tenorem incedat: indulgentias inibi expressas Christi Fidelibus in Domino elargientes. Si qui vero hanc constitutionem nostram servare contempserint, se ultionem nostram gravem non evasuros agnoscant.

De Ecclesiarum Procuratoribus.

Quorumdam fide dignorum didicimus relatione, quod pro fabricis quam plurimarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis Procuratores laici duntaxat constituantur, qui ad eorum nutum cum pecuniis, & rebus fabricæ hujusmodi, absque Plebanorum scitu, & consensu propria commoda quærant, ac mercationes, & contractus interdum vitiosos cum illis exerceant, & eas ad alios privatos usus convertere non formident, nec de per eos perceptis collectis, imbursatis, & gestis in præsentia Plebanorum, (*) tanquam Procuratorum principalium interest, rationem reddere studeant, fabricas Ecclesiarum hujusmodi, & eorum animas miserabiliter defraudando, quod profecto periculosum fore arbitramur. Quam ob rem Ecclesiarum indemnitati, & subditorum saluti providere cupientes, præsenti constitutione ordinamus, ut deinceps cujuslibet Ecclesiæ nostræ Diœcesis Rector, sive Plebanus, tanquam principalis, & cum eo duo laici, vel tot, quot fuerint necessarii, & opportuni Procuratores constituantur, qui quidem laici hujusmodi Procuratoris officia citra eorum privata commoda fideliter cum scitu, & consensu Plebani exerceant, ac utilitatem Ecclesiæ promoveant, rationem de singulis per eos levatis, collectis, distributis, actis, &

(*) *supple:* quorum

& factis in præsentia ipsius Rectoris, sive Plebani, tanquam principalis Procuratoris, coram his, qui ad hoc sunt deputati, temporibus consuetis faciendum, prout de hoc in extremo judicio respondere velint. Qui autem hujusmodi nostri statuti rebelles fuerint reperti, per eorum Plebanos, & Pastores monitione prævia excommunicari possint, & debeant, ad quod eisdem Plebanis præsentis statuti vigore liberam damus facultatem.

De Sponsalibus & Matrimoniis.

Quamvis in Generali Concilio INNOCENTIUS Papa tertius sufficienter statuerit, ne quis Sacerdos clandestinis matrimoniis intersit, inhibens nihilominus, ne talia clandestina matrimonia contrahantur: quia, quod tamen dolenter referimus, prædicta clandestina matrimonia sæpius contrahuntur, per quæ tam grandia scandala, quam animarum pericula non modica insurgunt. Prædecessorum igitur nostrorum vestigiis inhærendo prohibemus, de cætero clandestina matrimonia contrahi, juxta constitutionem in Concilio Generali editam, quæ habetur in ea: Si de clandestinis sponsalibus, infra scriptam, quam in omnibus Parochialibus Ecclesiis præcipimus singulis annis per regentem curam animarum quater publicari. Ne autem constitutio prædicta cuiquam sit incognita, eam etiam de verbo ad verbum hic inseri volumus, cujus sequitur tenor, & est talis:

CUm inhibitio copulæ conjugalis sit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte observari, unde Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina matrimonia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat: quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponatur competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, aut valuerit, legitimum impedimentum apponat. Ipsi Presbyteri nihilominus investigent: utrum aliquod impedimentum obsistat, cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse: donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium; cum illi taliter contrahendo, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut etiam quilibet Regularis eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & his, qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concesso, pœnitentia condigna injungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitiosum impedimentum objecerit, Canonicam non effugiet ultionem.

Hac constitutione prohibemus, ne quis Sacerdotum civitatis & Diœcesis Constantiensis de cætero clandestinis matrimoniis intersit, quod si secus fecerit, ultra pœnas Canonis prædictas condigne mulctetur; si autem aliqui ex ipsis subditis matrimonium clandestine contraxerint, mox, postquam hoc sciverit, eos moneat: ut matrimonium per eos contractum in facie Ecclesiæ infra proximum mensem solemnizent, nisi ille mensis infra Dominicam *Invocavit*, & octavam Pentecostes forte incideret, tunc enim infra mensem proximum post octavas Pentecostes matrimonium hujusmodi in facie Ecclesiæ solennizare, legitimo cessante impedimento teneantur, & si id facere contempserint, seu eorum Curatus, ut præfertur, ipsos moneri non curaverit, tam Curatus, quam contrahentes juxta dictam constitutionem, & alias canonice puniantur.

De Judæis.

Ne Judæi de cætero in civitate & Diœcesi nostris nutrices, seu servientes habeant

habeant Christianas, districtius inhibemus: quia indignum est, quod filii liberæ filiis famulentur ancillæ: omnibus ipsorum servientibus, ac mulieribus præcipientes, ut servitiis eorum infra proximum mensem a publicatione præsentium recedant, quas etiam Judæi libere dimittere tenentur, transgressores vero hujus statuti, animadversione condigna puniantur.

Ad idem.

Quoniam dudum in Sacra Provinciali *Synodo Moguntina*, novissime celebrata, inter cætera de Judæis, & crucis Christi inimicis, statutum reperitur, & mandatum, sub cessione Divinorum, & pœna subtractionum Communionis, quod Judæi signa deferre debeant, per quæ a Christianis distingui, & discerni videantur, declarando adjicit signum hujusmodi tale esse debere: circulum videlicet de filis croceis in veste extrinseca ante pectus, quoad mares, & masculos, & duæ rigæ blavii coloris in peplo mulieres conformiter, ut in urbe Romana. Cum autem parum prosit statuta condere, & eorum executionem negligere, idcirco constitutione præsenti præcipimus, & mandamus districte, universis Judæis, per civitatem & Diœcesim nostras habitantibus, sub pœnis gravibus, expedire visis mandentur, quatenus hujusmodi signa extrinseca juxta declarationem prædictam deferant conformiter, & ad hoc per Potestatem sæcularem, & Officiales regentes compellantur: alioquin contra secus facientes Officiales, & Regentes ad subtractionem Sacramenti Eucharistiæ, & contra Judæos ad exclusionem communionis fidelium, & alias, prout de jure, procedatur.

De Adulteris.

Quædam personæ relicto legitimo thoro non verentur, una domo in adulterinis amplexibus manifeste cohabitare in scandalum plurimorum: quorum saluti providere volentes, omnibus Rectoribus, Plebanis, & Curatis nostræ Diœcesis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singulos, qui in adulterinis amplexibus insimul residere non verentur, amoveant, requirant, & exhortentur, ut infra quindecim dies ab invicem discedant: & si mandato hujusmodi obedire contemserint, & post dictos quindecim dies, quod absit, insimul cohabitaverint; tales in eorum vita ab Ecclesiasticis excludantur Sacramentis, & post mortem, nisi pœnitentiam egerint de commissis, Ecclesiastica careant sepultura: & nihilominus ad Nos, vel Vicarium nostrum pro absolutionis Beneficio consequendo remittantur. Ipsi vero Rectores, Plebani, & Curati, qui eos monere omiserint, a Nobis, vel Vicario nostro Canonicam expectare se non dubitent ultionem, quibus etiam sub simili comminatione districtius injungimus, ut eorundem rebellium nomina infra alios quindecim dies Nobis, vel nostro Vicario denuncient, ut contra eosdem ad ulteriora procedere valeamus.

De Raptoribus.

Spoliatores stratarum, ac Raptores alios, qui transeuntes per vias, & stratas publicas, viduas, pupillos, & personas alias, præsertim Ecclesiasticas, eorum bonis vi spoliant: propter eorum violentias, qui perturbationem desiderandæ pacis inducunt, tali volumus nostro ferienti correctionis gladio pœna mulctari, ut tam ipsi, quam receptantes eos, & scienter dantes eis auxilium, vel favorem, ipso facto sint anathematis vinculo innodati. Hoc quidem statutum volumus anno quolibet in singulis quatuor festivitatibus principalibus, si sermo eodem die fit, alioquin die sequenti proximo, dum sermo fuerit, in quibuslibet Ecclesiis civitatis, & Diœcesis nostrarum in cancellis publicari.

De Usuris.

Usurarios actus Divina, & humana lege satis novimus exprobratos, & contra exercentes usuras novissima constitutio *Concilii Lugdunensis* pœnas statuit exquisitas. Sed quia quæsito novo serviendi colore nonnulli sub titulo venditionis exercent usuras, qui pecunias mutuant datis induciis, ut statuto die recipiant fruges, forte in duplo valore, quos deinde ampliori pecunia vendunt: quidam etiam emendo rem pro certa quantitate venditori dimissam; statuto termino pro adaucto numero usurarum quantitate revendunt:

dunt: his fraudibus obviando, prohibemus, ne quis usurarium absolvat publicum, vel ad Ecclesiasticam recipiat sepulturam, nisi cautione præstita de universis restituendis juxta constitutionem Apostolicam in *Concilio Lugdunensi* factam, quod habetur: *de Usuris* Lib. VI. quamque subscriptam, quam in omnibus Parochialibus Ecclesiis præcipimus, singulis annis per regentem curam animarum, semel videlicet in Dominica Quadragesimæ, qua canitur: *Judica* &c. solenniter publicari. Ne autem constitutio prædicta cuique sit incognita, illam volumus hic de verbo ad verbum inseri, ut ecce:

QUamquam usurarii manifesti de usuris, quas receperant, satisfieri expressa quantitate, vel indistincte in ultima voluntate mandaverint; nihilominus eis Ecclesiastica denegetur sepultura, nisi de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfactum, vel illis, quibus est facienda restitutio, si præsto sint ipsi, vel aliis, qui possint eis acquirere, vel eis absentibus loci Ordinario, aut ejus vices gerenti, sive Rectori Parochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis, de ipsa Parochia: quibus quidem ordinario, Vicario, aut Rectori prædicto modo cautionem hujusmodi eorum nomine liceat præsentis constitutionis authoritate recipere; ita quod perinde actio acquiratur, ac si publico de ipsius Ordinarii mandato idonee de restitutione facienda sit cautum. Cæterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus. Alioquin aliam recipiens cautionem hujusmodi, arbitrio moderandam, ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur, & si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos, & alios, qui manifestos usurarios contra præsentis sanctionis formam ad Ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam, pœnæ Lateranensis Concilii contra usurarios promulgatæ, statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent, ut præmittitur, idoneam cautionem: testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure.

De Pœnis occasione interdicti.

Sacri Provincialis Concilii antiqui, nec non RUDOLPHI, HENRICI, & MARQUARDI Episcoporum, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, hac constitutione perpetuo valitura sancimus, ut si in antea quæcunque Ecclesiastica, vel sæcularis persona, cujuscunque dignitatis, status, vel conditionis existat, instigante Diabolo, infra civitatem & Diœcesim nostras Clericum, & pro Clerico se gerentem interfecerit, aut mutulaverit, aut sine licentia Superioris ipsius Clerici captivaverit, aut detinuerit, eo ipso in terris, Ecclesiis, Parochiis, totius Decanatus, in quo hujusmodi delictum commissum, aut Clericus hujusmodi captus fuerit: & non solum in illo Decanatu, sed etiam in quibuscunque aliis Decanatibus, in quibus quempiam talium detineri constiterit, & in omnibus locis, in quibus interfector, seu mutilator, aut captor, seu ejus complices, ipsi consilium, auxilium, & juvamen præstantes, domicilium, aut dominium obtinent, & sive de facto, sive de jure jurisdictionem exercuerint, aut obtinuerint, vel moram traxerint: & ad quæ devenerint, & quamdiu in eisdem fuerint, & post cujuslibet ipsorum abinde recessum ad tres dies continuos ipso facto cessetur a Divinis: & servetur strictissime Ecclesiasticum interdictum tamdiu, & quousque læso, Nobis, & Ecclesiæ fuerit de tanto flagitio satisfactum, aut interdictum hujusmodi alias fuerit legitime relaxatum. Tales etiam injuriatores, tanquam excommunicati, eo ipso a singulis arcius evitentur, donec absolutionis Beneficium meruerint legitime obtinere. Ne autem hi juxta præmissa interdictum servare debentes, se valeant per ignorantiam quomodolibet excusare; præcipimus, ut Rectores, seu Plebani Ecclesiarum Parochialium, in quorum Parochiis facinora prædicta commissa fuerint, statim, & infra unius diei spacium, Decano, si præsens in Decanatu fuerit, alioquin Camerario, si Camerarius etiam abesset, viciniori Presbytero Curato illius Decanatus præsenti, rem gestam referant: qui Decanus, seu Camerarius, aut vicinior Confrater Curatus omni-

omnibus cæteris Confratribus Decanatus hujusmodi, & etiam religiosis in eo commorantibus, infra biduum proximum, hoc idem facinus manifestet, ac interdictum per eos, & in toto Decanatu servandum fore notificet, quibus super his fidem plenam, sicut nostris literis, volumus adhiberi. Si quis vero Rectorum, seu Plebanorum Ecclesiarum Parochialium, aut Decanorum, vel Camerariorum, hoc nostrum præceptum adimplere contempserit, excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, a qua non possit, nisi congrua satisfactione prævia, liberari. Per præmissa Constitutionibus legalibus, & Provincialibus contra sacrilegos prædictos editis, & aliis quæ de ipsorum pœnis tractant, non intendimus derogare, sed potius eas in suo robore volumus permanere.

Ex eadem Generali Synodo Basiliensi.

Insuper eadem *Sacrosancta Synodus Basiliensis* ad vitandum scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis statuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque in judiciis, vel extra, cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, vel prohibitionis ab homine, vel jure generaliter promulgatæ occasione teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum observare; nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura Ecclesiastica hujusmodi fuerit vel contra Personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam a judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expresse: aut si aliquem ita notorie exommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari: nam a communione illius abstinere vult juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Ad idem, ex eadem Generali Synodo.

Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueverunt scandala evenire, statuit hæc Sancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa, aut locus Ecclesiastico possit supponi interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut Domini, seu Rectoris, vel Officialium: propter culpam vero, seu causam alterius cujuscunque privatæ personæ, hujusmodi loca interdici nequaquam possint authoritate quacunque ordinaria, vel delegata; nisi talis persona fuerit prius excommunicata, aut denuntiata, sive in Ecclesia publicata, ac Domini, seu Rectores, vel Officiales authoritate judicis requisiti, hujusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfaciendum compulerint. Qua etiam post biduum ejecta, recedente, vel satisfaciente mox Divina resumi possint ..., etiam in præcedentibus locum ipsa Synodus vult habere: per hanc tamen constitutionem non volumus esse sublatam constitutionem nostram præmissam, quæ incipit: *Sacri Provincialis.*

De Magistris.

Experientia docti novimus, quod quidam Verbum Dei in Ecclesiis nostrarum civitatis, & Diœcesis seminantes, Religiosi, & sæculares Presbyteri, interdum rancore moti, contra se invicem prædicare non verentur in populi scandalum, & exemplum pernitiosum. Nos considerantes, quod sic ex indiscreto silentio sæpius error post se relinquitur, ita ut incauta locutio sæpius errorem inducit; idcirco præsenti statuto inhibemus, ne quis Prædicantium in Monasteriis, & Ecclesiis nostrarum civitatis & Diœcesis, sive Religiosus, sive Sæcularis existat, de cætero contra alium quidquam in cancellis prædicet: sed si errorem, hæresim, vel quid aliud, contra alterius jus, aliquis ex ipsis prædicaverit, id Nobis, vel nostro Vicario in Spiritualibus referatur, ne ex hujusmodi contemptione publica scandala in populo, & pericula consurgant animarum: secus facientes, pœnam gravem & condignam non evadent.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

Quia nonnulli Religiosi, terminis suis non contenti, in perditionem animarum in casibus Sedi Apostolicæ, & Nobis reser-

reſervatis, in civitate & Diœceſi noſtris ſubditos noſtros abſolvere præſumunt,licet de hoc nullam recipiunt poteſtatem; præſenti Decreto inhibemus, ne deinceps nudo verbo ipſorum religioſorum aſſerentium, ſe talem habere poteſtatem, niſi alias de poteſtate hujusmodi fecerint fidem legitimis documentis, credatur, declarantes, abſolutiones eorum in caſibus prædictis factas nullas eſſe, niſi hoc ſpecifice a Sede Apoſtolica, ſeu a Nobis eis ſit conceſſum.

Ad idem.

Ubi periculum magis imminet, ibi procul dubio magis eſt conſulendum. Attendentes itaque, quod manifeſta peccata non ſunt occulta correctione punienda, & quod malum, ubi oritur, ibi punire debet; omnibus Pœnitentiariis noſtris diſtrictius inhibemus, ne quempiam ſuper peccato publico extra tempus Quadrageſimale abſolvere quomodolibet præſumant, aut de quocunque publico crimine ſe intromittant; volentes, quod publicos peccatores, poſtquam caſum publicum fore intellexerint, mox ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum abſolvendum, & deinde inibi puniendum, ubi publice deliquit, remittant: ac decernentes, abſolutionem per Pœnitentiarios noſtros ſuper publicis criminibus de cætero fiendam, nullius fore roboris vel momenti: in contrarium conceſſis, non obſtantibus qubuſcunque.

Ad idem.

Declaramus inſuper, quod Pœnitentiarii noſtri præſentes, & futuri nullam habeant poteſtatem, ſibi ſocios in officio Pœnitentiariæ noſtræ aſſumendi, aut vices ſuas alteri committendi, niſi ſpecialiter id a Nobis, vel Vicario noſtro habuerint in mandatis.

Ad idem.

Præterea ordinamus, & præſenti decreto inhibemus, ne quis Pœnitentiariorum noſtrorum de cætero literas confeſſionis teſtimoniales ſibi confitentibus quomodolibet præſumat dare, decernentes, literas hujuſmodi per eos dandas nullam fidem habere, aut eis fore adhibendam. Si quis autem literis teſtimonialibus hujuſmodi abſolutionis, ſive in caſibus Nobis reſervatis indiguerit, ſeu alias tales ad ſui cautelam forſan petierint, ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum pro talibus remittantur.

Ad idem.

Inſuper omnibus Presbyteris Curatis, & non Curatis noſtrarum civitatis & Diœceſis inhibemus, ne de caſibus Epiſcopalibus, Nobis reſervatis, quos duximus inferius annectendos, intromittere audeant, ſed ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum omnes infraſcripti remittantur, decernentes, abſolutionem per eos abſque ſpeciali conceſſione noſtra, ſeu Vicarii noſtri in caſibus hujuſmodi, præter quam in mortis articulo, viribus penitus carere &c.

De Sententia Excommunicationis.

Quoniam excommunicati abſolutos ſe eſſe nonnunquam mentiuntur, ex quorum communione pericula eveniunt animarum; præſenti conſtitutione inhibemus, ne de cætero quiſquam Sacerdos Curatus Nobis ſubjectus, quamcunque perſonam ejus Parochiæ, quam ſemel per noſtras, ſeu Vicarii, vel Officialis noſtri literas excommunicatorias ſigillatas excommunicatam denunciavit: aut contra quam tales literas vidit, & recepit, ultra ad Divina ſua ſcienter admittat, vel coram eo celebret, aut abſolutum credat, vel teneat; niſi abſolutionem ſuam literatorie, & ſigillatam illius ſigillo, qui eum excommunicavit, ſibi prius oſtendat: tranſgreſſores autem ultra pœnam juris, quam incurrunt, pœnam condignam non evadent.

Quamvis contra abſentes, ad hanc Synodum vocatos, ad pœnas juris procedere, eorum contumatia exigente poſſemus; ex cauſis tamen certis Nos moventibus mitius agentes, ſub ſpe, quod in futurum noſtra benignitate attenta reddantur obedientes, pœnarum hujuſmodi effectum duximus ſuſpendendum, & ſuſpendimus per præſentes.

Præterea, ne Clerus noſter cenſuris, & ſententiis Eccleſiaſticis authoritate ordinaria, propter ſtatutorum a Nobis, & noſtris Prædeceſſoribus editorum tranſgreſſionem deinceps damnabiliter illaqueetur; ſententias eaſdem a Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris latas, dummodo a

jure latæ non fint, tollimus in his fcriptis, illos in arbitrarias pœnas per noftrum Vicarium in tranfgreffores infligendas commutantes, citra pœnarum juris fublationem ; quibus per hoc nolumus derogare.

Remittantur itaque ad Nos, feu Vicarium noftrum in fubfcriptis cafibus pro abfolutionibus.

Item rebaptizatus, reconfirmatus, vel reordinatus.

Item, qui matrimonium poft fponfalia jurata cum alia, quam fponfa contraxerint.

Item mulier, quæ antequam certificaretur de morte mariti, fecundo contraxerit.

Item ille, qui virginem defloraverit, oppreflerit, & rapuerit.

Item opprimens, vel negligens propriam prolem.

Item in fe fterilitatem, vel abortum quomodolibet procurans.

Item homicidium, facto, præcepto, confilio, confenfu, authoritate propria, aut authoritativa exhortatione, vel quovis alio modo commiffum.

Item inceftum in tertio, aut proximiori gradu confanguinitatis, aut affinitatis committens.

Item voti transgreffores.

Item illi, quibus folennis pœnitentia fuerit injungenda.

Item Simoniacus.

Item Ufurarius.

Item Raptor.

Item Sacrilegus.

Item Incendiarius.

Item Latro.

Item Ecclefiam confecratam fanguinis, vel feminis effufione polluens.

Item quilibet Ecclefiæ, vel cœmiterii, aut immunitatis, vel libertatis Ecclefiafticæ violator.

Item quilibet excommunicatus a Canone, vel Conftitutione.

Item quilibet irregularis.

Item Sacerdos proditor confeffionis.

Item celebrans in Ecclefia interdicta, vel Altari non confecrato, aut mobili fine licentia, vel fine indumento, aut non jejunus.

Item non ordinatus celebrans, vel miniftrans in ordine, quem non habet.

Item Sacerdos, cujus negligentia vel culpa aliquid inhoneftum, vel aliquod fcandalum circa Sacramenta evenit.

Item quilibet dejerans, feu veniens contra fuum juramentum.

Item falfarius litterarum, vel monetæ.

Item quilibet manus violentas injiciens in patrem, vel matrem fuam.

Item quilibet conjugatus contrahens matrimonium vivente uxore cum fecunda, vel intrans religionem, vel recipiens facrum Ordinem conjuge invita, vel econtra.

Item conjux, qui, & quæ in mortem conjugis effectualiter machinatus, vel machinata fuerit.

Item fcienter coiens cum infideli.

Item promotus per alium, quam per proprium Epifcopum fine licentia.

Item furtive, feu per faltum, vel extra ftatuta tempora promotus.

Item excommunicatus, vel fufpenfus, aut interdictus in ordine fuo miniftrans, vel qui taliter ligatus aliquem ordinem fufcepit.

Item fcienter fepeliens corpus excommunicati in cœmiterio, vel etiam non excommunicati tempore interdicti.

Item abutens quomodolibet Sacramentis Ecclefiæ, ut puta: Hoftia, Chrismate, vel alia re facra.

Item omnis adulter, vel adultera, faltem publicus, & publica.

Item quilibet fcienter baptizans propriam prolem, vel illam tenens in Baptismo aut Confirmatione.

Item omnis hæreticus, aut fautor, vel participator hæreticæ pravitatis.

Item committens Sodomiticum crimen, aut cum brutis commiffum. &c.

Item quilibet cum Sanctimonialibus coiens.

Item omnes clandeftine contrahentes, nifi infra tempus ftatuti fupra nominati folennizaverint.

Ad

Ad finiſtræ ſuſpicionis tollendum ambiguum, inhibemus, ne quis Sacerdos, vel Religioſus de cætero confeſſionem mulierum audiat alibi, quam in loco publico, ubi videri poſſit, ſecus &c.

Deſcriptum ex impreſſo in folio Litera Petri ſine mentione anni, loci, aut Typographi, forte Conſtantienſis.

AICHSTADIENSIS SYNODUS

Anno Chriſti MCCCCLXXXIV. Sixti IV. Pp. XIV. Friderici III. Imp. XLV.

SUB WILHELMO DE REICHENAW.

WILHELMUS, (a) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS EYSTETTENSIS; UNIVERSIS ET SINGULIS RECTORIBUS, PLEBANIS, ET VICE-PLEBANIS, CURATIS, ET NON CURATIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIN NOSTRAS EYSTETTENSES UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

CUm Paſtoralis curæ ſit, ſubjectorum morbis condigno remedio obviare, & corpora, quæ languore carent, arte & modis omnibus præſervare: Nos volentes juxta commiſſæ Nobis Paſtoralis ſollicitudinis officium Clero & Plebi noſtræ Diœceſis paterne conſulere; pro Divini nominis gloria, & amplianda religione, ac virtutibus, retundendaque malitia, de Venerabilis Capituli noſtri, jurisque peritorum conſilio, ad laudem DEI OMNIPOTENTIS, Glorioſiſſimæ MARIÆ Virginis, Beatorum PETRI & PAULI Apoſtolorum, Beatique WILLIBALDI, egregii Confeſſoris & Pontificis, Patroni noſtri, ac omnium Sanctorum, pro felici ſtatu hujus Sanctæ Eyſtettenſis Eccleſiæ, ac Epiſcopalis Sedis, totiuſque Cleri & Populi, ad ipſam pertinentium, STATUTA quædam SYNODALIA felicis memoriæ Domini JOHANNIS, immediati Prædeceſſoris noſtri, anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo ſeptimo, in *Synodo* pro tunc publicata, prout jam pridem ſimiliter, ac per Nos actum eſt, ratificavimus, & nunc præſentibus ratificamus, certo moderamine in eisdem obſervato, prout ex infra ſcriptis noſtris *Statutis* intelligetis. Præterea nova quædam edidimus, quæ omnia vim legis & præcepti, ſub pœnis in eiſdem contentis habere, ac diſtricte per vos obſervari volumus: alioquin eorundem transgreſſores, præter Divinam ultionem merito formidandam, pœnas prædictas, & alia remedia opportuna exſpectent. Non tamen intendimus jurisdictioni Decani Eccleſiæ Cathedralis noſtræ, ad quem, ſicut ex longæva & antiqua conſuetudine, immediata correctio exceſſuum Clericorum civitatis noſtræ pertinere dinoſcitur, in aliquo derogare.

De Hæreticis ſuperſtitioſis.

Etſi univerſas deteſtamur hæreſes, & odimus ſingulas vanas, & ſuperſtitioſas ſectas, & obſervantias hæreticorum, & Nobis, ac Vicario in Spiritualibus, & Pœnitentiario noſtris omnium & ſingulorum, damnatis erroribus involutorum, abſolutiones per quoddam *Statutum Synodale* Prædeceſſorum noſtrorum ſint reſervatæ; Nos tamen conſiderantes propter ipſius *Statuti* nimiam generalitatem pleroſque Presbyteros, ſive Confeſſores, ipſum nimis generaliter intelligere, & plures, quam *Statuti* intentio eſſe poſſit, ad Sedem Epiſcopalem pro abſolutione mittere; Nos volentes generalitatem reſtringere, & ipſum *Statutum* declarare, præſentibus dicimus, & declaramus, eos duntaxat, qui ſectas damnatas, ac ea, quæ directe articulis fidei

(a) Wilhelmus de Reichenaw, J. U. D., major Præpoſitus Aichſtadienſis Eccleſiæ, eligitur Epiſcopus anno 1464. Obiit 1496.

fidei contraria sunt, credunt, vel sequuntur, atque alia superstitiosa pro rebus temporalibus acquirendis, retinendis, vel recuperandis, habentes fidem, & spem in illis, committunt, ad Sedem Episcopalem remittendos; nisi forte in levioribus tanta esset consuetudo delinquentis, quæ correctionem facilem non reciperet, ex qua in alia majora lapsus sequi posset amplior, super quo arbitrando conscientiam Confessoris oneramus.

De Sacerdotibus existentibus in peccatis mortalibus.

Quanquam secundum sacrorum Canonum declarationes, Sacerdotes, etiam mortalibus prægravati sceleribus, Divina conficiunt Sacramenta, quæ pollui, non possunt; nulli tamen, extra casum a jure expressum, in mortali constituto peccato Divina licet celebrare Mysteria, aut alia quævis conferre Sacramenta. Nos volentes, quantum possumus, ausum, sive temeritatem quorundam Sacerdotum, qui publico maculati concubinatu, frequenter, & quasi quotidie celebrant, & ministrant Sacramenta, impedire; præsenti ordinamus constitutione, præcipimus, & statuimus, ne aliquis Sacerdos in publico, sive notorio laborans concubinatu, post unius mensis spatium, ab hodie computandum, Divina celebret Officia, nisi prius a Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario, aut cui Nos, vel idem Vicarius noster, vices nostras in ea parte commiserimus, confessus rite fuerit absolutus, & ad Nostrum, vel Vicarii nostri mandatum, jussum, & dispositionem, concubinam, quam sic publice tenuit, aut tenet, dimiserit sub pœna carceris, quam volumus contrarium facientes, ipso facto incurrere, ac alias juxta excessus qualitatem graviter puniri.

Et quoniam non est nostræ intentionis, ut hujusmodi publici concubinarii passim & indifferenter, quasi joco, occasione confessionalium, aut licentia confitendi a Nobis, vel Vicario nostro datorum & emanatorum, ab eorum talibus excessibus absolvantur, ne facilitas veniæ incitamentum præbeat delinquendi; præsentibus inhibemus, ne aliquis Sacerdos nostræ Diœcesis post lapsum unius mensis aliquem talem publicum concubinarium, sive fornicarium, occasione talium confessionalium, vel licentia confitendi absolvat, sed potius ad Nos, aut nostrum in Spiritualibus Vicarium remittat; decernentes irritum & inane, si quid in contrarium factum, aut attemptatum fuerit; nisi forte idem Sacerdos absolvendus, Divina tam necessario celebrare debeat, ut absque gravi scandalo populo vacare non possit, tunc poterit per quemcunque Sacerdotem absolvi, ita tamen, ut ad brevem terminum, per eundem Confessorem statuendum, se Vicario præsentet, ad recipiendam pro modo culpæ pœnitentiam salutarem; hortantes nihilominus omnes & singulos Confessores a talibus publicis concubinariis ex majori authoritate electos, ut & ipsi circa tales diligenter & discrete vigilent, ne ipsi sua levitate se aliorum criminum faciant participes, super quibus omnibus cujuscunque conscientiam districte oneramus.

De Matrimonio.

Matrimonia clandestina, ex quibus sæpius visum est, & expertum, plurima oriri scandala, & pericula animarum, dum hi contrahunt, quibus a jure prohibitum est contrahere, prohibere volentes: Nos pœnis juris nostras adjicientes, statuimus, ut singuli Plebani, statim, postquam ad ipsorum notitiam, aliquos in aliquo gradu prohibito, vel legitimum habentes impedimentum, quominus contrahere possint, clam contraxisse, pervenerit, eos, qui ita contraxerunt, mox ab ingressu Ecclesiæ tamdiu excludant, quo usque iidem contrahentes Vicario nostro, recepta pœnitentia & emenda (a) sibi per suas patentes literas, ac alias per Officialem nostrum super hujusmodi impedimento canonice expediti, fuerint remissi; salvis tamen pœnis juris circa eos, qui etiam extra omne impedimentum clam contrahunt, quibus per præsens nostrum statutum in nullo volumus derogari.

Quid

(a) *Emenda.* Pecuniaria mulcta, compensatio damni, emendatio, quæ judicis arbitrio irrogatur.

Quid dicatur Clam, vel Clandeſtinum.

Et ne vocabulum Clam, ſive Clandeſtinum, multis & præſertim in hac materia ignotum, cuiquam ambiguitatem generet, præſenti conſtitutione declaramus, id fore & eſſe clandeſtinum matrimonium ad præſens cenſendum, quod per verba de præſenti, aut futuro, copula carnali ſubſecuta, contrahitur, priuſquam eorum contractus futuri matrimonii per Plebanum ipſorum, in loco vel locis, ubi veriſimiliter notitia haberi poteſt ipſorum contrahentium, & deveniri in cognitionem impedimentorum, fuerit ſecundum Statuta Synodalia & Eccleſiæ publicatus.

De Confeſſionibus audiendis.

In miniſtrandis vero & conferendis Sacramentis illud ſummopere providendum eſt, ne ubi ſalus exſpectatur animarum, ſcandalum generetur, & peccatum nutriatur: propterea præſenti conſtitutione diſtricte prohibemus, ne quivis Sacerdos, cujuſcunque mulieris ſanæ in ſtuba, (*b*) ſive camera dotis, (*c*) vel domus ſuæ, confeſſionem audiat, ſed in communiori loco Eccleſiæ ſuſpicione carente; neque pueros extra Eccleſiam baptizent, niſi horum, quibus jura permittunt; niſi forte tempore hyemis, propter ingens frigus aliud facere neceſſitas cogat: tunc utique tam ſalubre Sacramentum cum ea reverentia & diſciplina conferatur, ut etiam propter devotionem aſtantium merito gratia baptizato conferri præſumatur vel augeri; alioquin contrarium facientes, ad arbitrium noſtrum graviter puniemus.

De publicis criminoſis, & pœnitentia injungenda.

Quoniam ſecundum Sacros Canones manifeſta peccata non ſunt occulta; ne de cætero aliquis Confeſſor aliquem manifeſtum criminoſum occulta pœnitentia puniat, ſed manifeſta, ſive crimina ſint levia, ſive magna. Nam quamvis pœnitentiæ ſint arbitrariæ; illud tamen in ſuo genere locum habere certum eſt, ita ut circa manifeſtam pœnitentiam in manifeſtis & circa occultam, in occultis ſit arbitrandum. Manifeſta etiam occulta pœnitentia corrigere, potius pœnitentiam mutare videtur, quam arbitrari: quod nedum ſimplicibus, verum & Epiſcopis jure prohibitum apparet, niſi forte peccatoris, vel confeſſi tanta ſit reſiſtentia, ut potius ſe Divinæ correctioni, quam humanæ velit ſubmittere: quem non abjiciendum, ſed cum innoteſcentia periculi, ſive diſcriminis, quibus ſe ingerit, abſolutum jubemus ire dimitti. Alioquin hoc non obſervato, ad arbitrium noſtrum gravi ſubjaceat ultioni.

Ne quid pro adminiſtrandis Sacramentis exigatur.

Cum nil pro Sacramentis adminiſtrandis exigi, vel extorqueri oporteat: Nos volentes ſtatutum vetus de non exigendo aliquid pro adminiſtrandis Sacramentis manutenere, diſtricte prohibemus, ne aliquis Plebanorum noſtræ Diœceſis, & eorum loca tenentes, ex pacto vel conſuetudine confeſſionales denarios inter ſe, & cooperatorem dividendos conveniant, & dividant: ſed ſi Plebanus ipſi ſocio aliquid libere communicare velit, non prohibemus: ſocium tamen, & cooperatorem de his, quæ ſibi fideles ſponte offerunt, Plebano dandum cogi nolumus, conſuetudine quacunque non obſtante: quoniam ſæpius Plebanos & cooperatores propterea deſides, & negligentes in audiendis fidelium confeſſionibus comperimus: hortantes nihilominus omnes, & ſingulos Confeſſores, ne ſpe alicujus temporalis lucri conſequendi, propterea feſtinantius audiant, breviusve expediant, quam oportet, ſcientes, quod ſi eorum culpa vel negligentia alios negligant, ipſi ſibi eorum peccata accumulent. Quod ſi quis-

(*b*) Hypocauſtum; ſcriptum quoque reperitur: *Stupa. Hiſt. Auſtral. ad an.* 1292, per totam Hyemem aura adeo levis fuit, quod ſtupis bene caruiſſent homines, ſi voluiſſent. Ad ann. 1298. ibidem; extra portam ſtupæ a convicinis & concurrentibus decem in una *ſtupa* ſunt occiſi.

(*c*) *Camera dotis*, la Chambre de la Femme, *Germ.* das Frauen-zimmer, ſive locus, ubi Domina, vel aliæ uxores communiter habitare & verſari ſolent.

quiſquam in his exceſſiſſe reperiatur, Nos contra talem ultra Divinam ultionem, quam incurret, ad graves pœnas, pro noſtro arbitrio, infligendas procedemus.

De vita & honeſtate Clericorum.

Et quia ſtatutum de honeſtate Clericorum plurimi adeo vilipendunt, ut nedum in noſtra, & communis vulgi præſentia prohibitis utantur veſtibus, verum & circa Divina ea minime deponunt, & alias inhoneſte contra juris diſpoſitionem incedunt: ut itaque Clericorum mores, & actus eorum in melius reformentur, honeſte vivere ſtudeant univerſi; ſtatuimus, ut omnes & ſinguli Clerici per civitatem & Diœceſin noſtram conſtituti, tonſuram ſuo ordini, ſtatui, & dignitati convenientem deferant, comam, & crines, ſive pilos, ultra nodum colli extenſos non nutriant, ac roſtros (*d*) calceorum articulum digiti excedentes deponant; alioquin transgreſſores a diſtributionibus quotidianis cum corpore Præbendæ, per unum menſem noverint ſe fore ſuſpenſos: omnino ſub prædicta pœna prohibentes, ne aliquis Sacerdotum, coram quocunque ſibi miniſtrante, qui præmiſſorum transgreſſor repertus fuerit, & apparet, Divina celebret Officia: ſed eum tanquam indignum aſtare, & miniſtrare prohibeat; quoniam non credimus, talem abſque mortalis peccati culpa poſſe Sacra celebrare, vel Divinis aſtare, qui factis ſacris Canonibus contradicit.

De Captivitatibus Clericorum.

Verum cum in terminis alicujus Decanatus Religioſi, vel Clerici, in ſacris conſtituti captivantur, captivi detinentur; interdictum Eccleſiaſticum ſervari, & a Divinis ceſſare oportet: dubium, qui captivus dicatur, tollere volentes, præſentibus pronunciamus & declaramus: nedum hunc dici debere captivum, qui tentus vinculis ſive carceri mancipatur; ſed etiam eum, qui tentus & coactus promiſit ſine, vel cum pœna, ad certum terminum ſe captivatori, aut alteri, nomine & vice ipſius, ſtatuere, aut liber dimiſſus pœnam certam ſolvere & debere.

De Præbendis diminutis.

Patroni Beneficiorum cum juris diſpoſitione obligati, noſtris vero, & Prædeceſſorum noſtrorum etiam ſtatutis hortati ſint, ut ad Beneficia Eccleſiaſtica, ſive diminutione, perſonas habiles, & idoneas præſentent; nihilominus tamen hujus contrarium fieri quotidiana docet experientia. Proinde diſtricte prohibemus, ne Vicarius noſter in Spiritualibus aliquem ad quodcunque Beneficium inveſtiat, niſi prius coram eo is, qui præſentatus eſt, vel qui præſentat, ſufficienter docuit, aut alius ſibi legitime conſtans, Beneficium juxta tenorem Statuti Synodalis de portione Canonica diſponentis, fore & eſſe dotatum, vel proviſum: & ſic præſentato abſque diminutione debita fuerit portio aſſignata, & tradita. Niſi hic, qui præſentatur, adeo in fructibus Beneficii, non ex culpa, vel fraude Patroni, attenuati ſit contentus, ut nulla ſibi contra Nos, vel Patronum poſſit competi querela vel actio.

De Magiſtris fabricæ Eccleſiarum.

Statutum de Magiſtris fabricæ Eccleſiarum in ſuo robore permanere omnino jubemus, hoc adjicientes & moderantes, ut ratio de perceptis & expoſitis ab his, a quibus & coram quibus fieri debet, non niſi, & ſemper infra Paſcha & Aſcenſionem fiat: & a Plebano loci receſſus plenus de omnibus perceptis, expoſitis, remanentibus & debitis, Vicario noſtro in ſcriptis mittatur; quem ſi forte aliquis, vel aliqui mittere impediunt, vel impedire nituntur, is vel ille ab eorum Plebanis ab Eccleſiæ ingreſſu coerceantur tam diu, quoſque a Nobis, Vicario noſtro, aliud habuerit in mandatis, vel facto pareat, vel paruerit. Nec ipſi Magiſtri, vel Procuratores per ſe, vel cum eorum Plebano alicui ſine noſtra, aut Vicarii noſtri expreſſa licentia aliquam pecuniæ ſummam mutuent vel accommodent, niſi ipſi Plebanus, & Vitrici, ſive Magiſtri fabricæ, pro accommodatis, vel mutuo datis pecuniis velint eſſe

(*d*) Roſtros, vel juxta alios communiter Roſtra, quo nomine appellantur acumina calceorum, vel prominentes, & ultra pedum longitudinem proſilientes extremæ calceorum partes.

esse principales debitores & solutores. Quam pecuniam accommodatam, vel mutuatam, etiam in proxima expositione rationum sub pœna dupli sine contradictione solvere debeant & teneantur.

De Sententia Excommunicationis.

Ex causis plerumque Nos, nostrique Vicarius in Spiritualibus, & Officialis, mandata sub pœna excommunicationis latæ sententiæ emittimus: post accusatam etiam contumaciam trinæ vel alius sufficientis ammonitionis ad reproducta mandata subscribimus, excommunicatum declaramus, excommunicamus & suspendimus. Ex quibus nulli dubium manet, ex rigore juris tales, contra quos declaratio, vel post contumaciam accusatam excommunicatio vel suspensio scribitur, excommunicati sive suspensi sunt judicandi & censendi. Quia tamen simplices & juris ignari, quamdiu literæ non expediuntur, sibi de Beneficio absolutionis non provident, putantes, se nisi literis expeditis, minime ligari; volumus, ut quilibet contumacias accusans, quam primum ex copia Notarii facere possit, expediat; at contrarium facientes, & literas extradi obmittentes, per Vicarium & Officialem nostros in pœna duplicis taxæ, panni vel literarum puniri seriose jubemus.

De Renuntiatione.

Ut Ecclesiasticorum Beneficiorum resignationes, & renuntiationes debite fiant, nullique ad ea, nisi digni & idonei præsententur & recte conferantur; statuimus, ut, sicut eorum resignationes sive renuntiationes, nisi in nostras, vel Vicarii nostri, aut alterius, ad id de jure vel consuetudine potestatem habentis, manus factæ & admissæ, quoad Nos nullæ sunt; ita nulli, qui ad ea vacantia ex resignatione alia, quam in manus nostras, aut Vicarii nostri, aut cui ad hoc Nos, vel idem Vicarius noster, vel is potestatem ad id modo prædicto habens, vices commiserimus, vel commiserit, facta, præsentatur, conferantur: certificantes omnes & singulos Beneficiatos, præsentes & futuros nostrarum civitatis & Diœcesis, quod si quis Beneficium Ecclesiasticum, ad institutionem nostram spectans, per se, vel alium in manus alicujus Patroni Ecclesiastici, vel sæcularis ex quacunque causa sine Nostra, vel Vicarii nostri licentia resignaverit; quod ipsum Beneficium alteri, cui Nobis placuerit, conferemus, aut alias graviter, prout Nobis expedire videbitur, puniemus; hortantes omnes & singulos alios, ad quos de jure vel consuetudine Beneficiorum spectat collatio & institutio, ut & ipsi idem faciant & observent.

De Clericis peregrinis.

Cum sit honestati contrarium, & a Sanctorum Patrum institutione alienum, sine consensu Episcopi Clericos aliarum Diœcesium indifferenter in Ecclesiis instituere; præsenti edicto omnibus & singulis Presbyteris, curatis, & non curatis, per Diœcesim nostram constitutis, districte prohibemus, ne aliquem alienæ Diœcesis Presbyterum in Vicarium, Cooperatorem, & Capellanum in Ecclesia, vel Beneficio suo, sine Nostra, aut Vicarii nostri expressa licentia, instituat, præficiat, vel assumat; alioquin contrarium facientes, severe punire non obmittemus.

De Statu Monachorum.

Monachi, qui per villas & oppida, sive quascunque Ecclesias Parochiales, singuli de jure communi poni non debent, præcipiendo mandamus omnibus & singulis Beneficiatis, & Vicariis Beneficiorum, & Ecclesiarum quarumcunque, ne aliquis Religiosum, sive Monachum, etiam Canonicum regularem quemcunque, pro se, & in sui loco, ad quodcunque tempus præficiat, vel ponat, neque quemquam Missas in Ecclesia, vel Capella sua dicere, sive celebrare permittat sine Nostra, aut Vicarii nostri speciali licentia. Prælatum tamen regularem quemcunque, si ad aliquem locum diverti contigerit, per se, vel Capellanum sui Ordinis, vel sæcularem celebrare non prohibemus. Alioquin aliter facientes, pœna suspensionis, aut alia, prout Nobis videbitur, mulctabimus.

De Locationibus Beneficiorum.

Ecclesiarum locationes, nisi ex rationabilibus causis, per Rectorem, vel Pastorem prius Nobis, vel Vicario nostro expo-

expoſitis, fieri omnino prohibemus; & ut non aliis, quam fide dignis, doctis, & diſcretis, ac Nobis, aut Vicario noſtro præſentatis perſonis, aut Presbyteris locentur, ſub pœna decem florenorum diſtricte præcipientes jubemus.

De. Excommunicatis propter violentiam Clericorum.

Sæpe Clerici, & Presbyteri per laicos ſua culpa offenſi, vel violentati, ne ipſorum culpa coram Superioribus appareat, cùm laicis ſcandaloſe ſe componunt, & dum laicis abſolutio aliter, quam ordo juris dictat, denegatur, ſcandalizantur; diſtricte mandamus, ne aliquis Clericus, in Sacris conſtitutus, ſe ſponte ſine Noſtra, aut Vicarii noſtri, vel Prælati ſui, in ipſum jurisdictionem ordinariam de jure, vel conſuetudine habentis, licentia, cum offenſore ſuo componat, vel concordet. Non prohibemus tamen, de modo concordiæ inter ſe convenire, quem tamen Nobis, aut Vicario noſtro, vel Prælato ſuo, ante acceptationem offenſus exponere teneatur. Qui cum per Nos, Vicarium, vel Prælatum, aſſumptus, & approbatus fuerit, per offenſum accipi poteſt, ut ſic appareat juſte, ſi offenſor in partibus veniat abſolvendus, vel Sedi Apoſtolicæ relinquendus. Horum autem transgreſſores, prout quantitas exigit, transgreſſionis pœna plectentur.

De Diſpenſantibus cum exiſtentibus in peccato mortali, ut recipiant Sacramentum.

Quia ad notitiam noſtram pervenit, nonnullos Sacerdotes noſtræ Diœceſis, curam animarum habentes, cum his, quos in caſibus Superiori noſtro, vel Nobis reſervatis, abſolvere non poſſunt, diſpenſare, ut ad ſacram Communionem, priuſquam ab eis in caſibus a jure permiſſis, aut Superiori noſtro, vel Nobis beneficium abſolutionis conſequuntur, accedant. Nos volentes vetus ſtatutum omnino ſervari; præſenti decreto ſub pœna carceris decem dierum præcipimus, & mandamus, ne aliquis Sacerdotum noſtræ Diœceſis de cætero aliquem ad ſacram Communionem admittat, niſi prius per eum in caſibus a jure expreſſis, vel Superiori noſtro, vel Nobis, vel vices noſtras gerenti; a peccatis, & Superiori noſtro, vel Nobis reſervatis, ſit rite abſolutus, & abſolutum ſe oſtenderit. Alioquin pœna prædicta, vel alia, pro noſtro arbitrio, punire non obmittemus.

Wilhelmus Epiſcopus hæc ſuæ Diœceſis Statuta imprimi curavit per Matthiam Walcker anno 1484: quam primævam editionem ex Bibliotheca Collegii PP. Soc. JESU commodatam accepi. Anno 1733. eadem denuo edita fuere per Clar. Joan. Henr. a Falckenſtein, poſt Codicem Diplomatum Antiq. Nordgavienſium. *Francofurti & Lipſiæ.*



SYNODUS SALTZBURGENSIS
PROVINCIALIS
Anno Chriſti MCCCCXC. Innocentii VIII. Pp. VI. Friderici III. Imp. LI.
SUB FRIDERICO V. ARCHI-EPISCOPO.
Statuta Provincialia XLVIII. Archi-Diœceſis Saltzburgenſis.

AD honorem, laudem, & gloriam Omnipotentis DEI, Glorioſe Virginis MARIE, totiusque celeſtis Curie triumphantis, & incrementum Fidei Chriſtiane, Nos FRIDERICUS, Dei Gratia, Sancte Saltzeburgenſis Eccleſie Archi-Epiſcopus, APOSTOLICE SEDIS LEGATUS: SIXTUS FRISINGENSIS, GEORGIUS CHIEMENSIS, MATHIAS SECCOVIENSIS Eccleſiarum Epiſcopi, Oratores & Procuratores RATISPONENS. PATAVIENS. BRIXINENS. LAVEN-

VENTIN. Epiſcoporum, ac Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium, pleno mandato ſuffulti Prælati, & eorum Oratores & Procuratores, in Sancto Concilio Provinciali in Eccleſia Parochiali Sancti Nicolai, oppidi Muldorff, Saltzeburgenſis Diœceſis, decima nona menſis Octobris, anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo celebrato congregati, de conſilio omnium huic Sacro Concilio intereſſentium Conſtitutiones, & Statuta Provincie Saltzeburgenſis ſalubriter condita, & edita ſunt in hunc, qui ſequitur, modum.

De Vita & honeſtate Clericorum.

Quia Clericorum eſt, in ſeipſis implere Domini voluntatem, & lucere per bonam converſationem, qualiter oportet alios in Domo Domini converſari; Sacro Provinciali Concilio approbante, ſtatuimus, volumus, & mandamus, univerſos Clericos Provincie noſtre preſertim Beneficiatos, & in ſacris conſtitutos, honeſte, clericaliter, & devote ſe exhibere, a crapula & ebrietate abſtinere, indumentaque ſciſſa in oris, ſeu extremitatibus ab extra ſuperducta non deferre, mitras caudatas penitus dimittere, cingulos & monilia, auro, argento, vel alio metallo exceſſive ſplendentia, ad modum laicorum abjicere penitus & vitare. Veſtimenta rubei & viridis coloris deferre Clericos omnino prohibemus: equalibus colliriis in joppulis tunicis, ſive mantellis, ne alterum reſpectu alterius circumferentiis eminentius appareat, utantur: mitram ſeu pirreta, capiti ſuppoſitum capucium humeris Clerici reverenter deferant, ipſis in publico deambulantibus. Contrafacientes vero ultra penas juris communis per ſuſpenſionem proventuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, fabrice applicandorum, ſecundum quod protervia demeruit & exceſſus, arctius per Nos, Officialem, Archidiaconos noſtros, aut Ordinarios loci, ſeu eorundem Vicarios & Officiales puniantur.

Item inhibemus omnibus Clericis ſupradictis, in publico, vel alibi, preſentibus laicis tabernas intrare, preterquam in itinere conſtitutis, vel ex alia cauſa rationabili; & omnes ludos inhoneſtos, maxime taxillorum, exercere. Contrafacientes pena juris communis, & ad arbitrium noſtrum, ſeu Superiorum ſuorum, in ipſos juriſdictionem habentium, puniri volumus & mandamus. Item ſtatuimus & in virtute ſancte obedientie diſtricte precipiendo mandamus, ut nullus Clericorum cauponem, vel tabernarium hoſpitem ſibi conſtituat continuum in domo habitationis ſue, aut potum venalem negociationis cauſa publice exponat vel vendat, niſi ex antiqua conſuetudine hactenus obſervata jus publice vendendi vinum habuiſſet. Permittimus tamen domos Prelatis & Monaſteriis, pro hoſpitalitate rationabiliter introductas, & ſecundum permiſſum regule & juris communis: contrafacientes vero arbitrio noſtro, & ſuorum Superiorum, in eos juriſdictionem habentium, puniri volumus, & mandamus. Ut etiam Clerus, qui in Domini ſortem aſſumptus eſt, Divinis officioſus intendat miniſteriis, diſtricte inhibemus, & ſub obedientie pena mandamus; ne quivis Clericus cujuſcunque dignitatis, religionis, aut ſtatus exiſtat, venationes, & ſilvaticas vagationes cum canibus exerceat: penis nihilominus juris contra tales promulgatis in ſuo robore permanſuris.

De continentia Clericorum.

Volumus concubinatum evitari ſub penis, & juxta Decretum Sacri Generalis Baſil. Concilii, quas penas una cum penis juris contra inobedientes exequi precipimus, & mandamus. Cujus Decreti tenor ſequitur per omnia in hec verba:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM

Fridericus V. Comes Schaumbergius, per Compromiſſarios anno 1489. 19. Decembris electus eſt Archi-Epiſcopus Salisburgenſis XLVtus. Anno 1490. ab Innocentio VIII. Pp. confirmatus, Synodum Provincialem in Eccleſia Parochiali S. Nicolai in oppido Müldorff coegit. Canones LI. indicat *Hanſiz T. II. Germaniæ Sacræ a pag. 541. ad 544. ex Lunigii Spicilegii Eccleſiaſtici Continuatione III.* Obiit anno 1494. 4. Octobr.

REPRESENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUicunque Clericus cujuſcunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, etiamſi Pontificalis vel alterius preeminentie exiſtat, &c. (*Vide ſupra pag. 554. ubi Decretum hoc Synodi Baſilienſis expanſum legitur.*)

De Clericis ignotis & peregrinis.

Quia Paſtorali ſolicitudini incumbit, ſubditis providere, ne ab ignotis ſeducantur, quos nonnunquam percepimus, retroactis temporibus reprobos, abjectos, & quod deteſtabilius eſt, facinoroſos, & inhabiles circa Divina, ſe ingeſſiſſe in animarum pericula, & ſcandalum plurimorum; hoc ſacro approbante *Concilio* diſtricte ſub excommunicationis pena precipimus, & mandamus univerſis Provincie noſtre Prelatis, Archidiaconis, Decanis & Eccleſiarum Rectoribus, ne de cetero aliquem aliene Dioceſis, ſeu peregrinum, ſe pro Presbytero gerentem, apud ipſos in conſortium Sacramentorum, & Sacramentalium adminiſtrationes, vel alias regiminis curam quoquomodo admittant, niſi deſuper noſtris, aut loci illius Ordinarii, ſeu ejus Vicarii, vel Officialis patentibus literis, aut alias legitimis documentis certificati fuerint.

Ne Clerici joculatoribus, vagis Scholaribus, & ſimilibus Goliardis largiantur.

Ne Redemptoris noſtri Crucifixi Patrimonium inutiliter expendatur, & in uſus turpes exquiſitis diabolicis ſuaſionibus convertatur, de quo pauperum neceſſitatibus eſt ſuccurrendum; ſtatuimus, & in virtute ſancte obedientie inhibemus, ne Prelati, Religioſi, aut ſeculares, & Clerici, quocunque nomine cenſeantur, mimis, joculatoribus, hiſtrionibus, buffonibus, ſeu hominibus artis lubrice, pretexu nuptiarum, militie, vel alterius ſimilis cauſe, quicquam ſub quocunque modo, ſpecie, aut forma, nec etiam in pecunia numerata largiantur.

Ut Clerici perſonaliter reſideant, nec plura Beneficia habeant.

Animarum periculis, que cunctis opibus preferuntur, deſiderantes occurrere, ſtatuimus, volumus, & ſub pena privationis Beneficii mandamus, ut omnes habentes Eccleſias, quibus cura animarum dinoſcitur annexa, perſonaliter in eiſdem reſideant, abſentes vero infra hinc, & tres menſes proximum futuros, a die publicationis preſentis computandos, ſe ad reſidentiam perſonalem recipiant: aut eorum quilibet ſuum Dioceſanum, aut ejus in Spiritualibus Vicarium, aut Officialem, legitime informet, quare in eiſdem reſidere non debeat, nec teneatur. Omnes quoque & ſinguli incompatibilia de jure Beneficia retinentes, eorundem Ordinariis, aut Vicariis, vel Officialibus ipſorum, infra eundem terminum diſpenſationes ſuper hoc obtentas indicent, & oſtendant. Inhibemus quoque ſub eadem pena, ne quiſquam Vicariam teneat preter unam, niſi neceſſitatis evidentis cauſa aliud per Dioceſanum, aut ejus Vicarium, vel Officialem permiſſum fuerit, & conceſſum.

De Penitentia.

Quoniam nonnulli Sacerdotes regulares & ſeculares in penitentia frena laxare, & extra terminos ſibi poſitos authoritatem in caſibus, ſuperioribus reſervatis, preſumere auſu temerario referuntur; ſub excommunicationis pena hoc approbante ſacro *Concilio Provinciali* inhibemus, ne quiſquam Sacerdotum religioſus, vel ſecularis totius noſtre Saltzburg. Provincie, quemcunque ſibi confitentem in caſibus, Sedi Apoſtolice de jure vel conſuetudine reſervatis, abſolvere preſumat: niſi habito ejuſdem Sedis deſuper indulgentia & mandato ſpeciali. Nec etiam in caſibus ſimiliter de jure aut conſuetudine Epiſcopo reſervatis aliquem abſolvere attemptet, preſertim excommunicationis majoris vinculo innodatum, hereticum, Judeum, fautores eorundem, laicum predicatorem, aut auditores ejus, ſpoliatorem alicujus dotis, aut Sacerdotis maxime in agone, aut temerarium occupatorem bonorum Eccleſie, depopulatorem agrorum, vinearum, aut ortorum, inceſtuoſum, fornicatorem cum Sanctimoniali, homicidam etiam caſualem, publicantem confeſſionem, peccantem contra naturam, aut cum brutis, ſacrilegum, incantato-

tatorem, aut incantatricem, precipue cum Sacramentis, Sacramentalibus, vel ossibus mortuorum, prolis oppressorem etiam in casu, incendiarium, commercia habentem cum Judeis maxime in usuris, preparantem, propinantem, ementem, aut vendentem venenum, presertim in machinationem mortis proximi, demonem invocantem, cudentem falsam monetam, utentem scienter argento & auro falso, cogentem Christianum dare usuram, blasphemum Christi nominis vel Sanctorum, falsum testem, coëuntem cum Judea, obligatum ad vagas restitutiones, nec quemquam alium enormibus criminibus irretitum, non habita desuper a Nobis, Metropolitano, vel suo Diocesano, aut eorum in hac parte Vicario commissione speciali & expressa. Vagarum etenim rerum distributionem eorum Ordinariis reservent, ad ipsosque legitime deducant. Quodsi secus factum per eosdem fuerit, tantundem fabrice Ecclesie Kathedralis, sub qua degunt, quantum distribuere contra hujusmodi prohibitionem presumpserint, sub excommunicationis pena infra duos menses immediate sequentes persolvant.

Inhibemus insuper sub dicta excommunicationis pena districte precipiendo, ne quisquam Sacerdotum secularis vel religiosus nostre Saltzburgensis Provincie, non habita desuper Sedis Apostolice, aut Ordinarii sui, vel ejus in hac parte Vicarii, aut Officialis licentia speciali, se intromittat de distributione rerum male acquisitarum, incertarum, seu vagarum.

Forma Absolutionis.

Item volumus sub eadem pena omnes Confessores absolvendo uti ad minus illis verbis: Ego absolvo te a peccatis tuis, & restituo te Sacramentis Ecclesie in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

De benedictione salis & aspersorii Dominicis diebus.

Cupientes affectum devotionis augmentari, mandamus in virtute sancte obedientie, & volumus, omnes Sacerdotes, qui Parochiis presunt, singulis diebus Dominicis aquam & sal benedicere, ac eosdem una cum toto Clero ad ipsas Ecclesias spectantes horis consuetis ante Missarum solennia Ecclesiam personaliter circuire. Ut autem populus ad hujusmodi processiones invitetur, omnibus vere penitentibus, confessis, & contritis, ipsam processionem devote sequentibus, sub fiducia Divine pietatis de thesauro Ecclesie quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis in Domino misericorditer relaxamus. Quas quidem indulgentias per Rectores supradictos extunc volumus publicari.

De Simonia, & ne aliquid pro Sacramentis & Sacramentalibus exigatur.

Districte precipiendo interdicimus, ne quisquam Sacerdotum pro reconciliatione penitentium, aut pro administratione alicujus Sacramenti, vel aliquorum Sacramentalium paciscatur de sibi danda pecunia, vel aliquo alio equivalenti pro eodem; sed volumus dispositis absque dilatione pro tempore, & loco congruis, eadem administrari, & exhiberi secundum ritum Ecclesie. Verum quia rationis & juris explorati existit, quod socii passionum sint pariter & socii consolationum; permittimus expost exigi, etiam cum imploratione officii Judicis, quantitatem in talibus ex consuetudine debitam, ad quam laicos hortamur, & quantum de jure est, astringi, & compelli volumus.

Item volumus Statutum, sive Decretum GENERALIS CONCILII CONSTANT. *De Simonia.* editum publicari, ut in fine, quoniam contra transgressores ejusdem districtius Deo dante procedemus, cujus tenor per omnia sequitur in hec verba:

" MARTINUS &c. Multe contra Simo-
" niacam pravitatem ab olim facte sunt
" constitutiones, quibus morbus ille
" non potuit extirpari. Nos volentes de
" cetero, ut possumus, attentius provi-
" dere, sacro approbante Concilio de-
" claramus, quod ordinati simoniace ab
" executione suorum Ordinum sint eo
" ipso suspensi. Electiones, aut postu-
" lationes, confirmationes, aut quevis
" provisiones simoniace Ecclesiarum,
" Monasteriorum, Dignitatum, Perso-

natu-

" natuum, Officiorum & Beneficiorum
" Ecclesiasticorum quorumcunque, de-
" inceps facte, nulle sint ipso jure, nul-
" lumque per illas jus cuiquam acqui-
" ratur: nec promoti, confirmati, aut
" provisi faciant fructus suos, sed ad il-
" lorum restitutionem tanquam inique
" ablatorum percipientes teneantur. Sta-
" tuimus insuper, quod dantes, & reci-
" pientes, ipso facto sententiam excom-
" municationis incurrant, etiamsi Pon-
" tificali, aut Cardinalatus prefulgeant
" dignitate.

Item interdicimus, & districte inhibemus, ne quisquam Clericorum, cujuscunque status fuerit, censum de aliquo Beneficio, aut pecuniam, vel emolumentum aliud ex pacto, quoquomodo, nomine anticipande absentie, seu pensionis, vel alio quocunque quesito colore augeat, vel aliquem augere compellat. Contrafacientes tam dantes, quam recipientes, duplum quod dederint, vel receperint, Nobis, aut loci Ordinario, seu Vicariis nostris irremissibiliter solvere teneantur, & nihilominus juxta arbitrium nostrum artius puniantur.

Item inhibemus sub pena privationis officii, ne aliquis Sacerdotum quemquam notorie delinquentem, accepta pecunia, vel alio commodo temporali, pena condigna corrigere pretermittat.

De Usurariis, & eorum penis, nec non preemptionibus.

Usurarum voraginem detestantes, hoc Sacro approbante *Concilio* inhibemus omnibus Christi-Fidelibus nostre Saltzburg. Provincie tam Clericis, quam laicis, ne pecunias ad usuras mutuent, aut in pignorationem ultra sortem aliquid ex pacto recipiant, nec preemptiones detestabiles faciant, aut alios quoslibet actus usurarios exerceant. Quodsi quis contrafecerit, ultra penas juris communis & Conciliorum Provincialium Saltzburgensium, per Predecessores nostros bone memorie celebratorum, subjaceat solutioni decem librarum denariorum usualium irremissibiliter ad fabricam Ecclesie, sub qua degunt, aut in usus pauperum juxta Superioris in hac parte judicantis arbitrium convertendas.

Inhibemus insuper sub excommunicationis pena universis Prelatis, Archi-Diaconis, Decanis, Plebanis, & ceteris quibuscunque Religiosis & secularibus, ne aliquem dictis criminibus manifeste reum, satisfactione non promissa, ad quam tamen eosdem induci volumus modis possibilibus, Ecclesiastice tradant sepulture.

Ne preventi, & in enormibus peccatis decedentes, aut occisi, Ecclesiastice tradantur sepulture.

Insuper presenti constitutione duximus inhibendum universis Clericis totius Saltzeburgensis Provincie, ne suspensos patibulo, decollatos, vel alias qualitercunque per sententiam morti traditos, in torneamentis, ludis publicis, spectaculis, aut alias occisos, vel subito defunctos, qui non eodem anno confessi, vel alias in peccatis mortalibus morte preventi fuerint, vel non receperunt Eucharistie Sacramentum, nisi de consilio Sacerdotis duxerit abstinendum, tradere presumant Eccesiastice supulture, nisi de licentia Ordinarii, aut ejus in hac parte Vicarii, vel Officialis super hoc diligentius petita & obtenta, nihilque pro concessione hujusmodi preter consuetudinem exigatur, seu recipiatur.

De Eleemosinariis & Questoribus admittendis, vel non.

Abusionibus Questorum viam precludere cupientes, statuimus, volumus, & mandamus, quod hi, qui presunt Ecclesiis, nullum, quarumcunque occasione literarum, etiam potestatum secularium, petere, aut colligere eleemosinam permittant, nisi literis eorundem prius diligenter perspectis, & Ordinarii, quibus appareat, quod sue litere sint vere, ac earundem authoritas adhuc duret, seu non exspiraverit; quo comperto, nulla portione recepta, exacta, vel requisita ab eisdem, pro eleemosina petenda admittantur. Quodsi qui contrafecerint, triplum restituere teneantur ad usus, quibus eleemosinæ sunt deputate, remissione colligentium minime profutura: nec Questores, seu Collectores propria in persona quicquam proponere popu-

populo permittantur, ſed per Plebanos, ſeu Rectores Eccleſiarum promoveantur: hortantes propterea univerſos & ſingulos noſtre Saltzburgenſ. Provincie laicos, ne Queſtores & Collectores hujusmodi in eleemoſinis colligendis quoquo modo perturbent, aut impedire preſumant. Precipimus inſuper, & mandamus omnibus Prelatis, Rectoribus, & Vicariis Eccleſiarum ſub excommunicationis pena, quod omnes falſos Queſtores, qui non exhibent per omnia ſanas litteras, detineant captivos, ipſosque Nobis, aut loci Ordinario, ſeu Vicariis noſtris transmittant, ſeu denuntient, quantotius poterint, pro demeritis puniendos taliter, quod exemplis eorum ceteri ſimilia facere pertimeſcant.

Ne Mendicantes ſine teſtimonio litterarum ſuorum Superiorum, & Epiſcopi admittantur.

Volumus, ſtatuimus, & mandamus, quod Rectores Eccleſiarum noſtre Saltzeburgenſis Provincie, Fratres mendicantes nequaquam invitent, vel admittant; niſi de proponendo Verbum Dei, & audiendis confeſſionibus a ſuis Superioribus licentiam, & ab Ordinario authoritatem, canonice preſentationis, examinationis, & admiſſionis litteris authenticis, & patentibus habeant. Volumus quoque Rectores laicis ſub excommunicationis pena inhibere, ne alios Fratres mendicantes, quam taliter preſentatos & admiſſos, in confeſſionibus adeant. Ipſi etiam Fratres in decedentium, ſive recedentium talium preſentatorum & admiſſorum locum nullum ſurrogare, aut ſubſtituere quoquomodo debeant, niſi prius ſit Ordinario preſentatus, & per eundem, ut prefertur, admiſſus. Inſuper volumus, & ſub excommunicationis pena mandamus, ne quivis, adminiſtrationem, & curam animarum exercens, Religioſos quoſcunque, etiamſi litteras ſuorum Superiorum, ut extra Monaſteria ſua morari valeant, eiſdem oſtendant, admittant.

De bonis Fabrice Eccleſie, & ratione de eisdem reddenda.

Statuimus, & hoc ſacro approbante *Concilio* irrefragabiliter diffinimus, quod in qualibet Parochia Plebanus, aſſumptis ſibi vitricis Eccleſie, & duobus honeſtioribus ex Parochianis ſuis, quos communitas ibidem ad hoc duxerit eligendos, quorum vitricorum quilibet habeat clavem unam, & ipſe terciam, omnia, que devotione fidelium ad fabricam Eccleſie, luminaria, vel ad alias utilitates fuerint deputata, diligenter colligat, & conſervet, & his uſibus impendat, ad quos ſunt deputata. Volumus etiam, quod nec vitrici, nec tales ſibi adjuncti, nec alii Procuratores Eccleſiarum qualescunque, de rebus Eccleſie preter ſcitum Plebani quicquam diſponant. Ut autem res ipſa ſuſpicione careat, & non detur occaſio ſubtrahendi res Eccleſiarum, volumus, & ſub excommunicationis pena precipimus, quod Plebanus, vitrici, & aſſumpti ſibi ad hoc officium, ſeu miniſterium exequendum, loci Archi-Diacono, aut Decano, ſeu communitati ejuſdem Parochie ſemel in anno plenam teneantur facere rationem: quam, vel quas hujuſmodi rationes ſub pena eadem tam ſolicite, quam attente, ſub bonis teſtimoniis exigere volumus, & recipere, atque authoritate Ordinaria, ſub memorata pena, inhibere Plebanis, vitricis, & Eccleſiarum Procuratoribus, ne res Eccleſiarum quovis queſito colore mutuent, ſeu locent.

Ne vacantes Eccleſie ſpolientur, & quod ablata eisdem reſtituantur.

Statuimus, ut nullus Eccleſiaſticus, vel Secularis cujuscunque ſtatus, vel conditionis fuerit, Eccleſiarum vacantium, aut Clericorum decedentium bona rapiat, diſſipet, aut invadat, quocunque queſito colore: contra facientes, decedens Eccleſiaſtica careat ſepultura, vivens autem cum tota familia ſua ab ingreſſu Eccleſie arceatur, donec ablata reſtituerit univerſa: creſcente vero temeritate & contumacia eorundem, majori & artiori pena conſtringantur.

Item ſimili pena carentie ſepulture decedentium, & ingreſſus Eccleſie vivorum, prohibemus laicis, ne de ſepulturis dandis ſe intromittant, nec campanas, aut alia ad Divinum cultum deputata contra voluntatem Plebanorum quocunque modo, preſertim ad prophana & religioni Eccleſie adverſa, contrectent,

trectent, aut per mansionarios Ecclesiarum pertractari mandent authorizabiliter contra Sacros Canones: nec in Ecclesia, & rebus earundem quicquam statuant, aut quecunque ordinare presumant.

Ne Clerici exactiones persolvant.

Quamvis res Ecclesiastice nôn ad alium, quam pium usum, in quem ordinata sunt, expendi debeant, salva Sedis Apostolice authoritate; quidam tamen Prelati, & alii Clerici, plus timentes terrenam, quam Divinam offendere Majestatem, non verentur laicis Ecclesias, quantum in eis est, facere tributarias: & infra sub excommunicationis pena inhibemus universis Prelatis,& Clericis nostre Saltzeburg. Provincie, ne tallias, steuras, seu quasvis alias exactiones, laicis solvere presumant, non habita super hoc licentia Superiorum speciali, & expressa.

Item inhibemus omnibus Clericis ejusdem nostre Provincie sub pena jam dicta, ne aliquis eorum Decano, vel Archi-Diacono, sine mandato sui Ordinarii, seu ejus Vicarii, collectam, aut exactionem solvere presumat.

De Patronis & Advocatis Ecclesiarum.

Quamvis Patroni & Advocati sunt in subsidium Ecclesiarum admissi; sepe tamen hoc tendit ad noxam & oppressionem, ut inde sentiant detrimentum, quod ad defensionem noscitur institutum: & infra, Constitutione presenti sancimus, & volumus, quod tam Patroni, quam Advocati Eccles., cujuscunque preeminentie, aut status fuerint, gratia premissa, aut antiquis juribus, ipsis, & eorum progenitoribus in institutione prima, seu, cum ipsi ad Advocatias a principio per eos, ad quos pertinuit, suscipiebantur, deputatis, penitus & omnino stent contenti, & pro posse suo statum, honorem, & res Ecclesiarum requisiti fideliter tueantur, & defendant.

Item si Patronus plures filios, aut heredes reliquerit, omnes illi succedant in stirpem, & in locum defuncti, & nihil plus exigant, extorqueant, vel recipiant, quam ei debebatur, in cujus locum & jus successerunt, & nihilominus, sicut defunctus, Ecclesiam defendere teneantur. Si quis vero in extorsione, aut receptione juris Advocatie modum excesserit memoratum occasione juris Patronatus; jure suo privetur, & nihilominus sicut raptor & spoliator Ecclesie puniatur.

Contra Violatores Ecclesiasticarum Personarum.

Volumus, & mandamus, statutum Divine memorie GUIDONIS, Legati de latere per Provinciam nostram Saltzburgens. publicari, quo cavetur, quod quicunque personam Ecclesiasticam vulneraverit, captivaverit, vel occiderit; ipso facto ea, que ab Ecclesia nomine feudi jure censuali, aut in emphiteusim, aut alias quocunque nomine tenuit, perdat penitus & amittat, in utilitatem Ecclesie convertenda. Adjicimus quoque, quod in illa Parochia, in qua Canonicum Ecclesie Cathedralis capi contigerit, vel detineri, vel alium in dignitate, vel Personatu, seu Clericatu constitutum; donec liberetur, & absolvatur, cessetur generaliter a Divinis, salva satisfactione eidem debita impendenda.

Ne Clerici citentur ad judicium forense.

Quia privilegium fori Ecclesie est immediate a jure Divino, contra quod nec consensus, nec tolerantia excusare potest; animarum periculis providere volentes, statuimus, & universis Christi fidelibus per Provinciam nostram Saltzeburgensem ubilibet constitutis, districte precipiendo mandamus, ne quenquam Clericum, aut personam Ecclesiasticam, Capitulum, aut Collegium quodcunque ad judicium forense trahant: Judicibus quoque forensibus, ne quenquam eorundem coram se experiri cogant: alioquin tam actor, quam judex, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant: in quo ipsos, & eorum quemlibet, per ipsorum Plebanos, dum in scriptis legittime requisiti fuerint, sub eadem excommunicationis pena volumus illico excommunicatos publice denuntiari, nunquam ad absolutionis beneficium admittendos, donec parti lese super expensis & injuriis, taliter irrogatis, caveant, vel satisfaciant competenter,

tenter, secundum estimationem, & declarationem legitimas coram Ordinario, aut ejus Vicario, rite faciendas: salvis nihilominus aliis penarum constitutionibus a jure communi, & per Sedem Apostolicam, ac in Concilio Provinciali promulgatis.

Ne Clerici citent laicos causa non expressa.

Ne quisquam laicus vexetur per inanem citationem laboribus & expensis; statuimus, precipimus, & mandamus universis Judicibus Ecclesiasticis per Provinciam nostram Saltzeburgensem ubilibet constitutis, ne laicos quoslibet ad audientiam sui citent, vel evocent, causa vocationis nominatim non expressa, & que talis sit, que de jure, vel consuetudine ad forum pertineat Ecclesiasticum, nec citatum super aliis causis, quam in citatorio expressis, respondere compellant.

Ne Judices Ecclesiastici nostre Provincie excommunicent sine scriptis.

Precipimus, ac in virtute sancte obedientie inhibemus omnibus per Provinciam Saltzeburgensem jurisdictionem president., ne quemquam Clericum vel laicum pro culpa, vel contumacia excommunicent sine scriptis, & monitione Canonica non premissa.

Ut de causis matrimonialibus nemo, quam Judex Ecclesiasticus diffiniat.

Inhibemus, & sub pena excommunicationis interdicimus omnibus Christi fidelibus, Clericis, & laicis, per Provinciam nostram Saltzeburgens. ubilibet constitutis, ut nullus ipsorum contra dictum Salvatoris, & Sacros Canones de causis matrimonialibus cognoscere, concordare, seu diffinire qualitercunque presumat, absque licentia Ordinarii, seu ejus Vicarii, vel Officialis jussu & mandato speciali.

Contra clandestinas desponsationes.

Statuimus, & precipimus universis Christi fidelibus, per Provinciam nostram Saltzeburgensem constitutis, ne quisquam eorum clandestinis desponsationibus, aut occultis matrimoniis intersit. Precipimus insuper in virtute sancte obedientie universis Ecclesiarum Plebanis, quod postquam ipsis constiterit pro certo, vel probabili fama, aliquos clandestine contraxisse; ipsos statim ad publicandum in facie Ecclesie, aut jura sua persequendum, coram Ecclesiastico Judice per subtractionem Sacramentorum, extra tamen necessitatis articulum, cogere non postponant.

Ut mandata Judicum exequantur.

Quoniam frustra forent judiciorum strepitus, & diffinitiones, si non fierent eorundem executiones; statuimus, & sub excommunicationis pena mandamus omnibus & singulis, per Provinciam nostram Saltzeburgensem constitutis, quod tam nostra, quam aliorum nostrorum Judicum jussa, precepta, citationes, mandata, sententias, & processus cujuscunque continencie, aut tenoris fuerint, sibi destinata devote recipiant, & fideliter exequantur: Nuncios eorundem benevole acceptent, ad vindictam vel offensionem nullatenus procedant, & per proprium sigillum, si habuerint, in signum executionis celebrate, vel cum subscriptione manus proprie muniant, & consignent. Si quis autem contemptor vel neglector fuerit premissorum; ad prefatam penam nihilominus parti lese teneatur ad resarciendum expensas, damna, pariter & interesse, premissa Ordinarii taxatione, vel Judicum eorundem, a quibus predicta mandata emanarunt, & hoc, quantum fuerit, in litem juratum.

De interdicto observando.

Quoniam juris apices non omnibus innotescunt; ad uberiorem Sacerdotum instructionem & salubrem informationem, qualiter Sacerdotes interdicti tempore se gerere debeant & habere, præsenti declaramus statuto, quod interdicti tempore tam ab homine, quam a jure prolati, tam sani, quam infirmi sunt ad remedium penitentie admittendi, nisi fuerint interdicti, vel excommunicati, vel quorum dolo, culpa, consilio, favore, aut auxilio latum extitit interdictum: quibus tantum viaticum & baptisma parvulorum conceduntur: nullus inungatur, vel tradatur Ecclesiastice sepulture, preter Cle-

ricos, qui fervaverint interdictum, nifi tales fint, qui nominatim excommunicati, vel fufpenfi fuerint. Qui vero Clerici non fuerint hujufmodi fententiis innodati, fine pulfatione campanarum, ceffantibus quibuslibet folemnitatibus, cum filentio tumulentur. Infuper, Sacerdotes, populum habentes fine fcrupulo confcientie, femel in ebdomada viros & mulieres poffunt ad Ecclefias convocare, nec non ipfis exponere verbum Dei. Mulieres poft partum nòn intronizentur cum folennitate Pfalmi & Orationum: Nuptie fic non benedicantur: nec aqua benedicta populus folenniter afpergatur. Singulis diebus Miffe in Ecclefiis celebrentur, & alia quevis Divina Officia, ficut prius, fubmiffa tamen voce, januis claufis, omnino quibuslibet excommunicatis & interdictis exclufis, miniftris Altaris duntaxat exceptis, & omnibus aliis, nifi fuper hoc privilegium exhibeant fpeciale. Campanis non pulfatis, bini vel infimul legere poffunt, ita tamen quod foris, feu extra Ecclefiam nullatenus audiantur. In Feftivitatibus Natalis Domini, Pafche, Penthecoftes, Affumptionis Beate Marie Virginis a Vefperis vigiliarum earundem ufque ad Vefperam predictorum dierum inclufive, campane pulfentur, aperiantur Ecclefiarum janue, Divina quoque officia folenniter celebrentur, excommunicatis prorfus exclufis, fed interdictis admiffis: qui fi caufam dederint interdicto, Altari nullatenus appropinquent. Nec in illis Feftivitatibus fepeliantur corpora mortuorum, neque vivis & fanis illis diebus Sacramentum Euchariftie miniftretur. Preterea inhibemus, ne in Ecclefia non confecrata, vel a jure, aut ab homine interdicta, vel execrata per humanum injuriofum fanguinem, aut femine polluta, nullatenus Divina celebrentur.

Item Decreta Sacri Generalis Bafilienf. Concilii de interdictis non leviter ponendis, de excommunicatis certo modo non vitandis per provinciam noftram Saltzeburgenfem publicari cupientes, tenores eorundem prefentibus noftris ftatutis & conftitutionibus inferendos duximus, qui fequuntur per omnia in hunc modum.

Quoniam ex indifcreta interdictorum promulgatione fcandala multa confueverunt evenire, ftatuit hec Sancta Sinodus, quod nulla civitas, oppidum, caftrum, villa aut locus, Ecclefiaftico fupponi poffunt interdicto, nifi ex caufa, feu culpa ipforum locorum, aut Dominii, feu Rectorum, vel Officialium. Propter culpam autem, feu caufam alterius cujufcunque private perfone, hujufmodi loca interdici nequaquam authoritate poffint quacunque ordinata, vel delegata, nifi talis perfona prius fuerit excommunicata ac denunciata, feu in Ecclefia publicata, ac Domini, feu Rectores vel Officiales ipforum locorum auctoritate Judicis requifiti, hujufmodi perfonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad fatisfactionem non compulerint: qua etiam poft biduum ejecta, recedente, vel fatisfaciente, mox Divina refumi poffint, quod etiam in caufis pendentibus locum habeat.

De Excommunicatis certo modo non vitandis.

Ad vitanda fcandala, ac multa pericula, fubveniendumque confcientiis timoratis, ftatuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiftratione, vel receptione, aut aliis quibufcunque Divinis, vel extra, pretextu cujufcunque fententie, aut cenfure Ecclefiaftice, feu fufpenfionis, aut prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgate, teneatur abftinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclefiafticum obfervare, nifi fententia, prohibitio, fufpenfio vel cenfura hujufmodi fuerint in vel contra perfonam, Collegium, aut Univerfitatem, Ecclefiam, vel locum certum a Judice publicata, vel denuntiata fpecialiter, & expreffe: aut fi aliquem ita notorie excommunicationis fententiam conftiterit incidiffe, quod nulla poffit tergiverfatione celari, aut aliquo juris fuffragio excufari. Nam a communione illius abftineri vult juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujufmodi excommunicatos, fufpenfos, interdictos, feu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet fuffragari.

Ut

Ut decime cum integritate persolvantur.

Multi secularium interdum in detestationem Cleri, temeritate propria decimas, quas omnium Dominus solvi precepit, subtrahere non verentur in animarum grande periculum. Cunctis propterea Predicatoribus & Confessoribus, Religiosis & secularibus precipimus, & in virtute sancte obedientie mandamus, quatenus in predicationibus & confessionibus subditos suos studiosius moneant: & indicent, quod memores salutis animarum, decimas ipsas omnium terre nascentium sine diminutione, integre, personales vero secundum laudabilem consuetudinem persolvant, si penas damnationis eterne voluerint evitare.

De Judicio leprosorum.

Licet illorum, qui occulto Dei Judicio asseruntur lepre morbo percussi, separatio a communione hominum, majoribus gradibus Ecclesie duntaxat, secundum expertorum medicorum examen, fit credita; frequenti tamen querulantium assertione percipimus, plures innocenter separatos, alios separandos; toleratos. Presenti statuto sub excommunicationis pena inhibemus, quod nullus deinceps Clericus vel laicus Saltzburgens. Provincie quocunque modo, vel forma, quemquam hominem sua temeritate audeat judicare leprosum, vel ab hominum separare communione. Sed universis & singulis sub prefata provincia nostra degentibus, districte precipimus, quod suborta fama contra quemquam, quod lepre morbo percussus sit, talem loci Ordinarii transmittat audientie, tanquam ad Sacerdotem Leviticum, per ipsum amplius examini medicorum subjiciendum pro experimento, an rumori veritas suffragetur: hoc tamen, nisi sit casus adeo indubitatus, quod tergiversatione nequeat occultari, puta cum infirmus aperte profitetur, se manum Domini tetigisse.

De Observantia regulari.

Quia Religiosos, qui per religionem sponte assumptam Deo dicati sunt, purioris decet honestatis & vite nitore clarere, ut Deo salubrius possint famulari; Quapropter presenti constitutione irrefragabiliter duximus statuendum, ut universi Abbates, Præpositi, Priores, Decani, cæterique Monasteriorum Professi in nostra Saltzeburg. Provincia constituti, monastica regulari vivant disciplina, regulamque eis a Sanctis Patribus institutam, secundum quod Sacrorum Statuta Canonum edocent, presertim tria ordinis substantialia, videlicet abdicationem proprietatis, obedientiam, & continentiam, ceremonialiaque religionis secundum sanctam Regulam & diffinitionem Sanctorum Patrum, diligentius studeant in omnibus observare. Si quis autem predictorum sue salutis immemor premissorum extiterit violator, seu neglector, secundum eandem regulam & diffinitionem Patrum, pena condigna puniatur.

De Monialibus Deo devotis.

Quoniam nedum in viris, sed etiam in mulieribus Deo devotis vigere debet religio sancta, & vita monastica secundum regulam sue professionis, & Sanctorum Patrum diffinitiones: ymmo tanto cautius tenentur Prælati, & alii eis prefecti, vigilare, quanto fragilioris sexus esse noscuntur. Statuimus, volumus & mandamus, quod omnes Prelati quorumcunque ordinum mendicantium, & non mendicantium, ac alii quicunque Monachi, & non Monachi, nostre Provincie Saltzburg., quibus cura Deo devotarum mulierum est commissa, easdem paterne, pie, & solerter secundum suam regulam, & Patrum diffinitiones ad observantiam regule & monastice vite inducant, informent, & compellant juxta officii debitum. Diligenter etiam vigilent, ne in receptione ipsarum ad religionem quicquam per simoniam exigatur. Negligentes & non reformantes, cujuscunque religionis fuerint, maxime de ordine Sancti Francisci, qui triplicem modum Sancte vivendi declaraverint, districta animadversione per Ordinarium puniantur. Insuper constitutionem BONIFACII Pape octavi, super clausura monialium editam, que incipit: Periculoso. cum effectu executioni demandari volumus & mandamus.

Contra Inventores Sectarum.

Quia nonnunquam sub specie religionis surgunt secte, nec non conventiones

tiones pestifere, juribus inimice; precipimus & mandamus cunctis Ecclesiarum Rectoribus dicte nostre provincie, quod omnes viros & mulieres infra terminos suarum Parochiarum degentes, sub specie religionum non approbatarum & communium, in vita accepta a communi vita populorum discrepantes, requirant: quod infra mensem a sua requisitione ipsos informent, cujus religionis sint, & sue vite status approbationem: quod si non fecerint, ipsos teneant in omni obedientia Parochiali, sicut alios Parochianos, & Ordinariis eosdem nihilominus denuntiare non obmittant.

De rebus Ecclesiarum non alienandis.

Quia non omnibus liquent Canones contra alienationem rerum Monasteriorum, jurium prohibitiones publicandum: omnino inhibemus omnibus Abbatibus, Prioribus, Prepositis, ac aliis Prelatis, tam secularibus, quam regularibus, sub pena privationis administrationis ipsorum, ne de rebus Ecclesiarum suarum, vel Monasteriorum suorum, alienationes, sine licentia petita, & obtenta faciant perpetuas, quocunque titulo, gratuito, vel oneroso. Nec etiam res temporales insignes, aut notabiles preter juris formam & licentiam secundum eandem obtentam quomodocunque alienare presumant.

De Baptismo.

Baptismus cum summa reverentia celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus existit, his scilicet verbis: Ego baptiso te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Doceant igitur Sacerdotes tam mares, quam feminas in necessitate debere parvulos baptisare eadem forma in suo idiomate: & quod patres & matres proprios infantes, si summa necessitas exigit, poterunt baptisare. Et, si Sacerdotes, super hoc diligenter inquirentes, debitam formam in baptismo invenerint; quod factum est, approbent, supplentes circa baptisatum quoad unctionem olei in pectore, & in scapulis, & chrismatis in vertice, quod a laicis est obmissum: si autem in baptisato debitam formam non invenerint observatam, non differant pueros baptisare.

De Euchariftie, & aliorum Sacramentorum Ecclesie custodia.

Item precipiendo mandamus, ut secundum Constitutionem Lateranensis Concilii Eucharistia, Chrisma, & Oleum sanctum, sub fideli custodia, & reverentia debita clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, & nephanda exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, ultra juris communis penas in libra cere, eidem Ecclesie solvenda, & applicanda puniatur. Et si per ejus pigriciam aliquid nephandum inde contigerit; graviori subjaceat ultioni, juxta nostram, aut Superioris sui ordinationem, & delicti quantitatem. Sacramentum etiam Eucharistie singulis mensibus ad minus semel renovari precipimus, aut pluries, secundum locorum exigentiam & oportunitatem. In plerisque etiam Ecclesiis, mappe, palle, corporalia, & alia vestimenta, Divino cultui deputata, tam inculta, quam immunda relinquuntur, quod interdum quibusdam sunt horrori, contra statutum Concilii generalis. Universis Custodibus, Sacristis, & Ecclesiarum Rectoribus districte precipimus, quatenus omnia vestimenta, & ornamenta, ac vasa supradicta per ipsos munda, & nitida conserventur, corporaliaque pluries infra annum juxta casus exigentiam per Clericos mundentur. Si quis vero in transgressione hujusmodi statuti culpabilis fuerit, usque ad condignam satisfactionem ab officio suspendatur.

Ex EUSEBII Pape Epistola LI.

Constituimus, ut Sacrificium Altaris non in serico panno, aut intincto, quisquam celebrare presumat; sed in puro lintheo, ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini nostri JESU CHRISTI in sindone linea, munda, sepultum fuit. Volumus etiam, & in virtute sancte obedientie mandamus, ut nullus Divina Missarum Solennia sine luminibus celebrare presumat, nec Hostiam ante consecrationem in altum quoquomodo elevare, ne adorando Hostiam, non consecratam, populum idololatriam committere contingat.

Item

Item Statutum Concilii Provincialis Saltzeburg., per Predeceſſores noſtros editum, preſentibus noſtris ſtatutis duximus inſerendum, cujus tenor ſequitur in hec verba: Item ſtatuimus, quod ſi aliquis Clericus, vel laicus utriusque ſexus cujuscunque dignitatis, religionis, vel ſtatus exiſtat, auſus ſit preſumptione damnabili publice predicare, aut occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali exiſtens non poſſit conficere corpus Chriſti: ſeu ſic ligatus, non poſſit ſolvere vel ligare ſuos ſubditos a peccatis, pro heretico & incredulo habeatur. Quem errorem hujus Sacri Concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cum Sacre Scripture dicat authoritas, quod ſive bonus, ſive malus fuerit Miniſter, per utrumque Deus effectum gratie confert. Non enim, que Sancta ſunt, coinquinari poſſunt, nec ipſa Sacramenta propter hominum malitiam prophanari. Unde Sacerdos, quantumcunque pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, que purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Licite ergo a quocunque Sacerdote ab Eccleſia tolerato Divina Myſteria audiantur, & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramenta. Damnatione ſimili reprobamus quorundam opinionem erroneam, aſſerentem, Epiſcopum, Presbyterum, ſeu Sacerdotem curatum, non poſſe ſolvere Presbyteros fornicatorios a fornicationis reatu, propter votum caſtitatis: inhibentes, ne quiſquam de cetero predictam opinionem ſub penis predictis docere, tenere, aut dogmatiſare quoquomodo preſumat publice aut occulte. Adjicimus quoque, ut nullus in Provincia noſtra ad predicandum, ſive annuntiandum Verbum Dei admittatur, niſi miſſus ſit, & de miſſione ſua conſtiterit ſufficienter.

Quomodo Divinum Officium in Eccleſia ſit celebrandum.

Item volumus, quod Divinus cultus rite & laudabiliter per omnia peragatur, prout Sacro-Sancta Synodus Baſilienſ. in Seſſione vigeſima prima ſalubriter ſtatuit in hunc, qui ſequitur, modum: Si quis Principem ſeculi rogaturus, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non precipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente ſeipſum, ac verba ſtudet componere; quanto diligentius ſacro loco omnipotentem oraturus Deum hec omnia facere curabit? Statuit igitur hec Sancta Sinodus, ut in cunctis Cathedralibus, ac Collegiatis Eccleſiis, horis debitis, ſignis, debitis; congrua pulſatione præmiſſa, laudes Divine per ſingulas horas,non curſim ac feſtinanter, ſed affatim & tractim, & cum pauſa decenti, preſertim in medio cujuslibet verſiculi Pſalmorum, debite faciendo inter ſolenne ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvantur. Horas Canonicas dicturi cum tunica talari ac ſuperpelliciis mundis ultra medias tybias ingrediantur, non capucia, ſed almucias, vel pireta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint, gravitatem ſervent, quam & locus & officium exigunt, non inſimul, aut cum aliis confabulantes, ſeu colloquentes, aut literas, ſeu ſcripturas alias legentes. Et cum pſallendi gratia ibidem conveniant, muta ac clauſa labia tenere non debent, ſed omnes, preſertim qui majori funguntur honore, in Pſalmis, Hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur: cum dicitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, omnes conſurgant. Cum nominatur glorioſum illud nomen JESUS, in quo omne genu flectitur celeſtium, terreſtrium, & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum hore in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim officium: Nam non ſolum obſequium, quo obnoxius eſt, choro ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debite obſervandis, aliiſque ad Divini Officii proſecutionem, ac chori diſciplinam ſpectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumſpiciens. Horum autem tranſgreſſores illius hore, in qua circa predicta exceſſerint, vel alii majori, prout tranſgreſſionis gravitas exigit, plectentur pena.

Quo tempore in Choro quisque debeat eſſe.

Qui in Matutinis ante finem Pſalmi: *Venite exultemus*: in aliis horis ante finem primi Pſalmi: in Miſſa ante ultimum Kyrie eleiſon, uſque in finem Divino Officio non interfuerit, niſi forte neceſſitate

ſitate cogente, ac petita & obtenta a Præſidente Chori licentia, diſcedere oporteat, pro illa hora abſens cenſeatur, ſalvis Eccleſiarum conſuetudinibus, ſi que forte circa hoc artiones exiſtant. Idem in his obſervetur, qui a principio uſque ad finem in proceſſionibus non permanſerint: pro cujus executione deputetur aliquis, onus habens notandi perſonas ſingulas, ſtatuto tempore non convenientes, juramento aſtrictus, fideliter agere & nulli parcere.

Jubet etiam hec Sancta Sinodus, quod in illis Eccleſiis, in quibus ſingulis horis certe diſtributiones ſtatute non ſunt, omnino etiam de groſſis fructibus, ſi opus ſit, deputentur, ut juxta menſuram laboris plus minuſve capiat emolumenti, tollens prorſus abuſum illum, quo in una dumtaxat hora preſens totius diei diſtributionem uſurpat: & illum, quo Prepoſiti, vel Decani, aut alii Officiales ex hoc ſolum, quod Officiales ſunt, licet actualiter pro utilitate Eccleſie non abſint; quotidianas diſtributiones percipiunt.

Qualiter Hore Canonice extra Chorum dicende ſunt.

Quoſcunque etiam alibi Beneficiatos, ſeu in Sacris conſtitutos, cum ad horas Canonicas teneantur, admonet hec Sancta Sinodus, ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture vel inter dentes, ſeu deglutiendo, ſeu ſincopando dictiones, nec colloquia, vel riſus intermiſcendo; ſed ſive ſoli, ſive aſſociati, Divinum diurnum, nocturnumque Officium, reverenter verbis diſtinctis peragant, ac tali in loco, ut a devotione non retrahantur, ad quam ſe diſponere & preparare debent, juxta id, quod ſcriptum eſt: Ante orationem preparare animam tuam, ne ſis, quaſi qui temptat Deum.

De his, qui tempore Divinorum vagantur per Eccleſiam.

Quicumque in Eccleſia Beneficiatus, preſertim de majoribus, Divinorum tempore per Eccleſiam, vel foris circa ipſam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari viſus fuerit, non ſolum illius hore, ſed totius diei preſentiam ipſo facto amittat. Qui ſi ſemel correctus, non deſtiterit; per menſem, diſtributionibus careat, vel graviori, ſi pertinacia id exegerit, pene ſubjaceat, ita ut tandem deſiſtere cogatur. Prohibeatur etiam, ne Divina Officia tumultuoſi quorumcunque per Eccleſiam diſcurſus impediant, aut perturbent regulares. Qui in conventualibus Eccleſiis circa predicta exceſſerint, gravi pena Superioris arbitrio caſtigentur.

De tabula pendente in Choro.

Ut cuncta in domo Dei ordinate procedant, & quilibet ſciat, quod ſibi agendum immineat, ſtatuatur tabella aliqua continue pendens in Choro, in qua (*ſcriptum ſit*) quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis, in ſingulis horis per ebdomadam, aut majus tempus legendum, cantandumve ſit. Qui autem ſecundum quod ibi deſcriptus fuerit, facere per ſe, vel alium neglexerit; pro qualibet hora diſtributiones unius diei amittat.

Predeceſſorum noſtrorum ducti veſtigiis, ſtatuimus, inhibentes hujus Sacri approbatione Concilii; ut nullus Sacerdotum noviciorum illa die, qua primam Miſſam celebrare voluerit, in exordio publicationis ſanctiſſimi ſui officii oblaturus Deo primicias, gracie ac ſalutis ſibi collate, aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere, aut procurare per ſe, vel per alium preſumat ullo modo; ſed ad ſolum Deum, cujus milicie eſt adſcriptus, dirigat aciem ſui cordis: maxime die illa devotus, curis & ſolicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahuntur, exutus, remotis vanitatibus, hyſtrionum curſibus, tumultibus, & inſolentiis reproborum, qui etiam ſepe veniunt, non vocati.

Item volumus & mandamus, in futurum abuſum, quo nonnulli Presbyteri ſuos ſubditos ſibi confitentes, etiam in caſibus, in quibus non habent poteſtatem abſolvendi, abſolutione non obtenta ad Communionem admittunt, & poſt Communionem pro abſolutione transmittunt, penitus aboleri; & nullum Chriſti fidelem ſine abſolutione in forma Eccleſie ſolita, & conſueta, admitti.

De

De clandestina desponsatione, & publicandis nuptiis.

Quia experientia rerum omnium magistra didicimus, ex eo, quod Decretum *Concilii Generalis* de clandestina desponsatione in nonnullis Diocesibus Provincie nostre per abusum in oblivionem venit, & observatum non existit, plures in gradibus consanguinitatis & affinitatis, lege Divina ac Canonica prohibitis, ac cognatione spirituali conjuncti, matrimonia, verius contubernia, contrahere non sunt veriti in suarum animarum periculum, ac scandalum plurimorum. Nos ex Pastoralis officii debito animarum saluti, quantum in Nobis est, prospicere cupientes, Sacra Synodo approbante, statuimus & ordinamus, ut de cetero nulli Sacerdotes clandestinis matrimoniis intersint, sed contrahere volentes publice, in Ecclesiis, coram plebis sue multitudine solenniter copulent, ita tamen, quod ante copulationem hujusmodi ad minus una die Dominica vel Festiva, de ambone suarum Ecclesiarum infra Missarum solennia personas contrahere volentes nominent, & adhortentur omnes, ut si aliquis sit, qui inter eos, qui matrimonium contrahere proponunt, impedimentum sciat, quod vel contrahendum impediat, vel etiam dirimat matrimonium jam contractum, publicent, vel denuntient: & post publicationem in ambone, ut premittitur, factam, per triduum expectent, an forsan aliquis comparuerit, qui impedimentum legitimum allegaverit. Et si talis legitimus accusator vel denuntiator veniat, Curatus caveat, ne partes copulet, priusquam de allegato impedimento cognitum fuerit: quod si secus factum fuerit, condigna pena se puniendum sciat. Verum, si nullus contradictor apparuerit, post lapsum dicti termini Curatus per se, aut suum Substitutum, partes ipsas libere conjungat, si aliud Canonicum impedimentum illis non obsistat.

De Curatis, gravantibus subditos in exactione jurium Parochialium.

Item, quia quidam nomine solo, & non re Sacerdotes curati, & illorum Vicarii plus lucris temporalibus, quam animarum saluti intendentes, magisque sua, quam, que Dei sunt, querentes, sibi subjectos in remediis, & aliis Parochialibus juribus gravant, de sepultura, & aliis spiritualibus paciscuntur, ac statui suorum in Divinis cooperatorum detrahentes, illos certo pretio minus debito conveniunt, propter quod etiam Presbyteros indoctos, & minus habiles recipere coguntur, & recipiunt. Nos huic vicio pestifero succurrere cupientes, Sacro *Provinciali* approbante *Concilio* statuimus, volumus, & ordinamus, ut prefati Curati, eorumque Vice-Curati a predictis in futurum desistant realiter & cum effectu, ac ipsi Parochialibus juribus secundum antiquam, & laudabilem Ecclesie consuetudinem sint contenti, ac suis in Divinis cooperatoribus debita & consueta salaria solvant, ac tales in cooperatores recipiant, de quorum vita & moribus valeant & possint respondere, certificantes eos, qui in premissis culpabiles reperti fuerint, quod Canonicam ultionem, & condignam penam non evadant.

De remittendis ad auctoritatem Episcopi, & ad carrenas.

Avisati sint singuli Curati, ut vigore quarumcunque litterarum confessionalium personis privatis concessarum, a Nobis, vel Ordinario loci emanatarum, non absolvant aliquos in publicis & notoriis criminibus constitutos, sed eosdem cum litteris suis clausis ad Nos, & loci Ordinarios, seu Vicarios, & Officiales nostros, publice in loco, ubi publice deliquerunt, pro qualitate criminum puniendos transmittant, seriem & qualitatem hujusmodi notorii criminis in se continentibus. Preterea iidem Curati cauti sint, ne occulta crimina in hujusmodi suis litteris scribant, ne aliquo modo contingat sigillum confessionis aperiri. Preterea omnes notorie criminosos, quorum excessus totam Parochiam scandalisat, & qui alias publicas penitentias egerunt, nihilominus tanquam canes redierunt ad vomitum, & peccata priora, si non sunt persone nobiles, aut mulieres, ad solemnem penitentiam peragendam (quam vulgus carrenam appellat) mittantur.

De novis Ecclesiis erigendis.

Hoc presentis *Concilii* consensu declaramus, ut juxta Canonicas Sanctiones nullus

nullus in Parochia ſua erigat, vel erigere paciatur novas Eccleſias, vel in campis ſtatuas cum truncis, ad quas pecunie reponantur; niſi Epiſcopus, vel alius de licentia ſua, primum lapidem ponat: cum populus novitate gaudeat, & matrices Eccleſie debitis fraudentur honoribus, & ſepe numero falſa pro veris in his locis publicari dicantur. Volentes, & mandantes, ut Archi-Diaconi, vel Decani rurales ad Nos, vel Vicarium noſtrum, vel alios Superiores ſuos deferant, ubi ſimilia attemptantur, & cum cauſe cognitione, quod juſtum eſt, decernemus. Non tamen per hoc volumus prohibere, quin ſtatue, vel ex lapide, vel ex ligno in laudem Salvatoris, & Sanctorum ejus erigi poſſunt: ita tamen, quod illa fiant juxta communem conſuetudinem Patrie, abſque ligneis capellis, vel aſſerum conglutinatione adinſtar capellarum.

Volumus etiam, ut Archi Diaconi, & Decani rurales attenti ſint ad informandum Sacerdotes Parochiales, & eorum cooperatores formas Sacramentorum juxta libros, obſequiales appellatos, de proximo imprimendos, ita ut officium ſuum laudabiliter exercere poſſint.

Ut Spirituales citati ad judicium ſeculare, non compareant.

Item volumus & ordinamus, ac hoc Sacro approbante Concilio Provinciali diſtricte in virtute ſancte obedientie mandamus omnibus & ſingulis Abbatibus, Prepoſitis, Archi-Diaconis, Decanis, Capitulis, & Presbyteris, & Clericis per Provinciam noſtram Saltzeburgenſem ubilibet conſtitutis, ut vocati ad judicium ſeculare in cauſis criminalibus, aut civilibus, ad judicium ſeculare non ſpectantibus, non compareant, niſi prius ſe Judici ſuo ſpirituali, illius cauſe Ordinario, repreſentent conſilium & auxilium illius imploraturi: contra rebelles ad penas juris procedetur juſtitia mediante. Item ordinamus, ut in cauſis decimarum, matrimonialium, & aliis de jure, vel conſuetudine ad forum Eccleſie ſpectantibus, nullus trahatur vel reſpondeat in judicio ſeculari: alioquin contra judicem trahentem, & reum reſpondentem procedatur, prout de jure, per eum, ad quem jurisdictio cauſarum hujusmodi in Provincia noſtra Saltzeburgenſ. ſpectat, & pertinet.

De Notariis publicis.

Placuit noſtro Sacro Concilio, ut nullus ſe publicum Notarium aſſerens ad officium tabellionatus exercendum aliquatenus admittatur, niſi per litteras teſtimoniales, nec credatur eis, niſi per Ordinarium loci, vel ejus Vicarium, ſeu Officialem ſint approbati & admiſſi, cum ſepe a Notariis ignotis, & imperitis gravia ſoleant provenire pericula.

De Prelatis Ordinis Sancti Benedicti.

Statuimus etiam authoritate Sacri Concilii Provincialis, quod Abbates, Priores, & Prelati, Ordinis Sancti Benedicti, Provincie noſtre Saltzeburgenſis Capitula eorum, que multo nunc transacto tempore per eos non ſunt habita, non abſque Divini cultus diminutione, & Monaſteriorum ejusdem Ordinis detrimento, *Quinta decima die Junii de anno Domini &c. Nonageſimo primo, que eſt dies Sancti Viti, proxime futura,* in civitate noſtra Saltzeburg. Capitulum celebrent, & poſtea ſimile proximis tribus annis, ſingulis annis in loco huic rei accommodo, pro augmento Divini cultus, & bona reformatione totius Ordinis teneant. Et poſtea de triennio in triennium juxta Sacri Baſilienſ. Concilii diſpoſitionem celebrare non omittant, ita tamen, quod in eisdem Capitulis nihil tractent, quod jurisdictionibus Ordinariorum locorum quoquomodo prejudicare poſſit.

Sequuntur varia Adjuncta eidem Concilio, juſſu Patrum.

I.

INNOCENTIUS Papa tercius in Concilio Generali.

" OMnis (*a*) utriuſque ſexus fidelis, " poſtquam ad annos diſcretionis " pervenerit, omnia ſua ſolus peccata " ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur

(*a*) Anno 1215. ab 11. ad 30. 9bris XII. Concilium Generale Lateranenſe celebravit: condidit Capitula vel Canones LXX. Canon XXI. incipit: *Omnis utriusque ſexus.*

" teatur suo proprio Sacerdoti, & in-
" junctam sibi penitentiam propriis viri-
" bus studeat adimplere, suscipiens ad
" minus in Pascha Eucharistie Sacramen-
" tum, nisi forsan de proprii Sacerdotis
" consilio, ob aliquam rationabilem cau-
" sam, ad tempus ab ejus perceptione
" duxerit abstinendum. Alioquin &
" vivens ab ingressu Ecclesie arceatur,
" & moriens Christiana careat sepultura.
" Unde hoc salutare statutum frequenter
" in Ecclesiis publicetur, ne quisquam
" ex ignorantie cecitate velamen excu-
" sationis assumat. Si quis autem alie-
" no Sacerdoti voluerit, justa de causa,
" sua peccata confiteri, licentiam prius
" postulet, & obtineat a proprio Sacer-
" dote; cum aliter ipse illum non possit
" solvere, vel ligare. Sacerdos autem
" sit discretus, & cautus, ut more periti
" Medici superfundat vinum & oleum
" vulneribus sauciati, diligenter inqui-
" rens, & peccatoris circumstantias, &
" peccati, quibus prudenter intelligat,
" quale debeat prebere consilium, & cu-
" jusmodi remedium adhibere diversis
" experimentis utendo, ad sanandum
" egrotum. Caveat autem omnino, ne
" verbo, aut signo, aut quovis alio mo-
" do prodat aliquatenus peccatorem,
" sed si prudentiori consilio indiguerit,
" illud absque ulla expressione persone,
" caute requirat. Quoniam, qui pec-
" catum in penitentiali foro sibi dete-
" ctum presumpserit revelare, non so-
" lum a Sacerdotali officio deponendum
" decernimus, verum etiam ad agen-
" dum perpetuam penitentiam in artum
" Monasterium detrudendum.

Ain iglicher glaubiger Mensch, so bald er in den Jaren seiner Vernunft kommen ist, soll allain alle seine Sünde bevoran einmal im Jahr seinem aigen Priester getrewlichen peichten, und sich fleißigen, die Pues ime aufgesezt mit aigen Kreften zu vollbringen, und soll wirdiglich empfahen zum mynsten zu Osteren das Heilig Sacrament des Fronleichnams Jhesu Christi. Es sey dann das er nach Rath seines aigen Priesters etlicher gnugsamer Ursach halben ain Zeit von Empfahung desselben Sacraments sich enthalte, sunst soll im lebendig Eingang der Kirchen verboten werden, und so er stirbt, soll er Christenlicher Begrepnus mangelen, und beraupt sein. Demnach zimpt sich das hailwirtig Gesetze etwe offt in den Kirchen zu offentbahren, das nymant aus Unwissenheit Ursach nemen mug sich deshalben auszureden, und zu entschuldigen. Ob aber ymandt einen frembden Priester redlich Ursach halb sein Sünd wolt peichten, der soll vorhin von dem aigen Priester urlaub begehren und erlangen, nachdem er in sunst nit mocht entlosen oder entbinden. Der Priester soll auch beschaiden, und fursichtig sein, daß er als ein verstandig Arzt Öl und Wein in die Wunden des verserten Krancken ingiesse, und soll fleisig erfragen die Umbstend des Sünders und der Sünde, daraus er weislich und gruntlich verstee, wie er im Rath geben, und was er im Arzney zufugen solle, domit er mancherley Erforschung gebrauchen zu hailen den Krancken. Doch soll er sich vor allen Dingen hueten, das er mit Worten oder Zaichen in kain Weiß mit nichte offenbar den Sünder: dann ob er ains weiseren Rats bedorft, den soll er on alle Vermeldung der Person fursichtiglich erfragen: wann wer die Sünde, die im in der Peicht entdeckt und geoffendt sind, unterstund zu offenbaren, denselben erkennen wir nicht allein vom dem Priesterlichen Ampt zu entsetzen, sunder auch zu ewiger Buß in ein Closter strengs Ordens verstossen zu werden.

II. *Adjunctum Concilii Saltzburg.*

Bulla de Conciliis celebrandis.

SACROSANCTA GENERALIS BASILIENS. SYNODUS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRESENTANS, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

PRidem (*b*) hec Sancta Synodus quoddam saluberrimum promulgavit decretum, pro stabilitate & robore Generalium Conciliorum, quorum FREQUENS CELE-

(*b*) Anno 1433. VI. Kalendas Decembris.

CELEBRATIO precipua eſt agri Dominici cultura; verum cum ad eandem culturam non dubium ſit pertinere, *Epiſcopales Synodos*, & *Concilia Provincialia*, prout veteres Canones decreverunt, frequentare. Ideo eadem Sancta Synodus antiquos & laudabiles mores noſtris cupiens temporibus obſervari, ſtatuit, atque precipit, Synodum Epiſcopalem in qualibet Dioc. poſt octavas Dominicæ Reſurrectionis, vel alia die ſecundum conſuetudines Dioc. ad minus ſemel in anno, ubi non eſt conſuetudo bis annuatim, celebrari per Dioceſanum in propria perſona, niſi Canonico impedimento fuerit impeditus, & tunc per Vicarium, ad hoc ydoneum, que Synodus ſaltem triduo vel biduo duret, vel prout neceſſarium Epiſcopo fuerit viſum. Primo autem die convenientibus Dioceſano, & omnibus aliis, qui in hujuſmodi Synodo intereſſe tenentur, infra Miſſarum ſolemnia vel poſt, Dioceſanus vel alius ejus nomine verbum Dei proponat, exhortando omnes ad bonos mores ſectandum, abſtinendum a viciis, & ad ea, que pertinent ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & officia ſingulorum, & preſertim ut hi, quibus animarum cura commiſſa eſt, diebus Dominicis, & aliis ſolennibus plebem ſubjectam doctrinis & monitis ſalutaribus inſtruant: poſtea legantur ſtatuta Provincialia & Synodalia: & inter alia aliquis compendioſus tractatus, docens, quomodo Sacramenta miniſtrari debeant, & alia utilia pro inſtructione Sacerdotum. Deinde ipſe Dioceſanus de vita & moribus ſubditorum ſolerter inquirat, labem ſimoniace pravitatis, contractus uſurarios, concubinatum, fornicationem, & alia quevis crimina & exceſſus debita correctione cohibeat, alienationes rerum Eccleſiaſticarum jure prohibitas revocet, abuſus Clericorum & aliorum ſubjectorum, qui circa Divinum Officium delatione debiti habitus defecerint, in melius reformet & emendet. Et quoniam multa ſcandala ſepius contingunt ex eo, quod conſtitutio BONIFACII Pape octavi, que incipit: Periculoſo. edita ſuper Monialium clauſura, non ſervatur, ſtudeat ipſe Dioceſanus, ut omnino juxta ipſius conſtitutionis tenorem executioni demandetur, nec non ut quicunque religioſi Dioceſano ſubjecti regulas & conſtitutiones ſuarum religionum, preſertim ut ab eis omnis proprietas abdicetur, inviolabiliter obſervent, ne etiam in receptione ipſorum ad religionem quicquam per ſimoniam exigatur. Precipue autem in ipſa Synodo Epiſcopi cura ſit inquirere, ac debitis remediis occurrere, ne aliquod dogma hereticum, erroneum, ac ſcandaloſum, ſeu piarum aurium offenſivum, ſortilegia, divinationes, incantationes, ſuperſtitiones, & quevis diabolica figmenta Dioceſim ſuam inficiant. Inſtituantur preterea teſtes Synodales viri graves, providi, & honeſti, legis Dei zelum habentes, ubi alii ad hoc non ſunt inſtituti, qui ſi Dioceſano minus idonei videantur, eos amovendo, alios, prout videbitur expedire, inſtituat. Hi autem in manibus ipſius Dioceſani, vel ſui Vicarii jurare teneantur, ut tradit *Canon. XXXV. q. 12. Epiſcopus* in Synodo: qui per anni circulum luſtrantes ipſam Dioceſim, que corrigenda vel reformanda viderint, his ad quos talia corrigere vel reformare pertinet referant, que niſi correcta vel reformata jam fuerint, ad Synodum perferent ſubſequentem, in qua debitis remediis occurratur. Sed & preter illa, que a teſtibus Synodalibus, vel aliis eorum officium exercentibus Dioceſanus audierit, inquirat ipſe diligenter de cunctis ſuorum ſubditorum exceſſibus, & (*contra*) taliter delinquentes inſurgat correctionis debite diſciplina, ut aliis malignari volentibus tranſeat inde in exemplum. Celebretur quoque in ſingulis Provinciis ſaltem infra biennium a fine Concilii Generalis, & deinde ad minus de triennio in triennium Provinciale Concilium in loco tuto, in quo tam Archi-Epiſcopus, quam Suffraganei omnes, & alii, qui in hujuſmodi Conciliis Provincialibus intereſſe tenentur, debite vocati interſint. Quod ſi Epiſcopus Canonico fuerit impedimento detentus, Procuratorem ſuum deſtinet non ſolum ad excuſandum & probandum abſentie cauſas, ſed etiam ipſius nomine in Concilio intereſſendum, ſuſcipiendumque, quidquid Concilium duxerit ſtatuendum; alioquin ipſe Epiſcopus a perceptione medietatis fructuum unius anni ſue Eccleſie, qui per perſonam in ipſo Concilio deputandam in ipſius Eccleſie ſue fabricam effectualiter convertantur, eo ipſo ſit ſuſpen-

pensus: alii vero venire negligentes, Concilii arbitrio puniantur, aliis juris penis in suo robore duraturis. Concilio autem Generali durante, & per sex menses ante, hujusmodi Provincialia Concilia non celebrentur. Porro in hujus inchoatione Concilii ipse Metropolitanus, vel alius ejus nomine infra Missarum solennia, vel post, exhortatorium sermonem faciat, ea que ad statum Ecclesiasticum, & precipue ad Pontificale officium pertinent, seriose memorando, comminandoque singulis, quod juxta Prophete sententiam, si eorum culpa cujusvis anima perbit, illius sanguis de manibus eorum a Domino exigetur. Precipue autem tunc fiat monitio exacta, ut dignis & benemeritis, quorum vita sufficienti testimonio nota sit, Ordines & Beneficia sine ulla simoniaca labe conferantur, & super omnia, ut in animarum cura committenda summa diligentia & matura inquisitio adhibeatur, & ut bona Ecclesiastica nullatenus ad usus illicitos, quin ymo ad honorem Dei, Ecclesiarum conservationem, habendo secundum Sacros Canones precipuam curam pauperum & indigentium, laudabiliter convertantur, scientes, quod de his omnibus apud tribunal eterni judicis usque ad minimum quadrantem rationem reddituri sunt. In quibus quidem Conciliis de corrigendis excessibus, moribusque subditorum reformandis, & precipue, qualiter Episcopi in conferendis Beneficiis, confirmandis electionibus, ministrandis ordinibus, deputandis Confessoribus, predicando ad populum, & puniendo excessus subditorum, observationeque eorum in Spiritualibus & temporalibus quomodolibet spectantibus se gesserint, & presertim, qui simoniaca labe manus innoxias servent; diligens inquisitio secundum juris dispositionem fiat, ut omnes, qui in premissis deliquisse comperti fuerint, per ipsum Concilium puniantur, & corrigantur. Simili modo de ipso Metropolitano diligenter inquirantur excessus, & defectus de eo Concilio exprimendis, ipsum admonendo, ut cum aliorum Pater vocetur, & esse debeat, a talibus omnino desistat. Et nihilominus inquisitionem de ipso habitam in scriptis redactam ad Romanum Pontificem, vel ejus Superiorem, si quem habet, sine mora transmittat, ut ab eo punitionem & reformationem suscipiat condecentem. Inter cetera, si que discordie, contentiones & inimicitie inter quoscunque viguerint, que quietem & tranquillitatem Provincie possent perturbare, curet omni studio Sacrum Concilium illa sedare, & more piorum Patrum ad pacem, concordiamque filiorum vigilanter intendat. Et si inter Regna, Provincias, seu Principatus, hujusmodi discordias suscitari contigerit, mox Sancti Dei Antistites Concilia Provinciarum suarum simul congregari procurent, & sibi invicem consilium & auxilium impendentes discordiarum fomenta amputare studeant: nec hoc alicujus amore, vel odio pretermittant, sed ad Deum solum, & ad salutem populi mentis oculos erigentes ad sanctum pacis opus (omni tepiditate semota) invigilent. Cogitentur insuper in Provinciali Synodo, que immediate generale Concilium sequens antecedit, omnia, que in eodem generali Concilio visa fuerint prosequenda ad Dei gloriam, ac Provincie commodum, salutemque populi Christiani: ibidemque eligantur in numero competenti, qui ad proximum generale Concilium nomine Provincie debeant proficisci, quibus per subsidium vel alias provideatur, prout de jure, & de Concilio Provinciali visum fuerit expedire: ita tamen, quod illi, qui ultra personas, ut predictum est, deputatas, ad ipsum Concilium generale accedere voluerint, aut eorum Clerus nullatenus propterea gravetur. Relegentur in uno quoque Provinciali Concilio, que secundum Canonicas Sanctiones in eisdem legi precipiuntur, ut ea & inviolabiliter observentur, & transgressoribus pene debite inferantur. Quodsi Metropolitani, vel Diocesani predictis terminis in celebrandis Provincialibus, & Episcopalibus Synodis cessante legittimo impedimento fuerint negligentes, medietatem omnium fructuum & obventionum, ratione suarum Ecclesiarum ad eos pertinentium, fabrice ipsarum Ecclesiarum applicandam, eo ipso amittant: qui si in eadem negligentia per tres proximos menses perseveraverint; ab officiis & beneficiis sint ipso facto suspensi: quibus transactis temporibus sub ante scriptis penis antiquior in Provincia ordine Episcopus ipsius Metropolitani Episcopi, aut major in digni-

 tate

tate post Pontificalem in Sacris constitutus, nisi ad alios forsan de consuetudine, vel privilegio pertineat, negligentiam in celebrandis dictis Provincialibus & Episcopalibus Synodis supplere teneantur. Jubet insuper hec Sancta Synodus omnibus Prelatis religionum & ordinum quorumcunque, ad quos celebrare Capitula pertinet, quod illa statutis temporibus sub predictis penis servent, & servari faciant: in quibus secundum Canonicas Sanctiones, & Religionum Constitutiones cum omni studio & diligentia ad veram singularum Religionum, & Ordinum reformationem intendant, ita ut deinceps in singulis Monasteriis juxta proprias Regulas & Constitutiones debita regularis vigeat observantia, & precipue tria substantialia Professionis vota omnino serventur. Per premissa autem hec Sancta Synodus non intendit juribus quorumcunque quomodolibet derogare. *Datum Basilee in Sessione publica, sexto Kalendas Decembris, anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo tertio.*

Tertium Adjunctum Synodi Salisburg. ex Constantiensi Concilio.

Sequitur Confirmatio CAROLINE per MARTINUM Quintum Papam in Latino & vulgari publicanda, ut infra per Statutum anno MCCCCXVIII.

MARTINUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS, ABBATI MONASTERII SCOTORUM IN WIENNA, PATAVIENSIS DIOCES. ET AUGUSTENS. AC SALTZEBURG. ECCLESIARUM DECANIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

AD compescendos conatus nepharios perversorum, qui personas, & loca Ecclesiastica super bonis & juribus suis offendere, ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis per Romanum Pontificem decet de opportuno remedio providere, quanto per amplius turbationes hujusmodi, molestie, & in Divine Majestatis offensam, nec non Ecclesiastice libertatis redundare dispendium dinoscuntur. Dudum siquidem cum in diversis mundi partibus Consules civitatum, & Rectores, nec non alii, qui potestatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis Divine noticiam non habebat, quique omnibus aliis servituti subactis, Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. In Concilio Lateranensi Ecclesie immunitati providendo sub anathematis districtione prohibitum extitit, ne Consules, Rectores, aut alii predicti Ecclesias, & viros Ecclesiasticos talliis, seu collectis, vel exactionibus aliis aggravare presumerent, transgressores, & fautores eorum precipiendo anathematis sententie subjacere, donec satisfactionem impenderent competentem. Et etiam deinde in Generali Concilio editum fuerit, quod si Episcopi forte simul cum Clericis, etiam si tantam necessitatem vel utilitatem inspicerent, ut absque ulla coactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppeterent facultates, subsidia per Ecclesias laicis ducerent concedenda, minime super hoc consulto Romano Pontifice; concessiones, & sententie, que a talibus, vel de ipsorum mandato forent promulgate, essent irrite & inanes, nullo umquam tempore valiture: ac etiam in ipso Generali Concilio Decretum extitit, illum, qui infra tempus sui regiminis propter fractionem Constitutionum, vel Sanctionum hujusmodi sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus; nec non ipsius Successorem, qui non satisfaceret infra mensem, manere Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere, qui substitueretur in honore. Postmodum vero felicis recordationis HONORIUS Papa tercius, Predecessor noster, attente considerans, quod quondam FRIDERICUS secundus, olim Romanorum Imperator, tunc sub obedientia & devotione Sancte Romane Ecclesie persistens, ad laudem ejusdem Ecclesie, & sacri decus

decus Romani Imperii cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis ſtatutis penitus deſtitutis, de cetero Eccleſie, & Eccleſiaſtice perſone plena vigerent quiete & ſecura libertate gauderent, ac pie & juſte attendens, quod quorundam perverſorum iniquitas adeo abundaverat, ut non dubitarent contra Eccleſiaſticam diſciplinam, & ſacros Canones ſtatuta ſua confringere, adverſus Eccleſiaſticas perſonas, & Eccleſiaſticam libertatem, edictali lege hujusmodi ſtatuta iniqua irritaverat, & preceperat irrita nunciari, & omnia ſtatuta & conſuetudines, que civitates & loca, Poteſtates vel Conſules, aut quecunque alie perſone contra libertatem Eccleſie, vel perſonas Eccleſiaſticas hujusmodi edere, aut ſervare temptarent, contra Canonicas vel Imperiales Sanctiones, de ipſorum Capitularibus infra duos menſes poſt ipſius legis publicationem penitus abolere facerent, & ſi de cetero talia attemptarent, illa ipſo jure decrevit eſſe nulla, & eos ſua jurisdictione privatos, nec non locum, ubi talia deinceps preſumpta fuiſſent, banno mille marcharum auri Fiſco Imperiali preceperat ſubjacere: Poteſtates vero, Conſules, Statutarii, & Scriptores ſtatutorum predictorum, nec non Conſiliarii locorum ipſorum, qui ſecundum ſtatuta & conſuetudines memorata judicarent; extunc eſſent ipſo jure infames, quorum ſententias, & actus legittimos ſtatuerat aliqualiter non tenere: quodque ſi per annum prefatarum conſtitutionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum ſuum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, ſalvis nihilominus aliis penis contra tales in eiſdem generalibus Conciliis promulgatis. Et inſuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas, vel perſona publica, ſeu privata, collectas, ſeu exactiones, angarias, vel perangarias Eccleſiis, vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere, ſeu invadere Eccleſiaſtica bona preſumeret: quod ſi ſecus faceret, & requiſita ab Eccleſia, vel Imperio hujusmodi emendare contineret, tripliciter refunderetur, & nihilominus banno Imperiali ſubjaceret, quod ſine ſatisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat inſuper, quod quecunque communitas, vel perſona per annum in excommunicatione propter libertatem Eccleſie violatam perſiſteret, ipſo jure ſimiliter dicto banno Imperiali ſubjaceret, a quo nullatenus extraheretur, niſi prius ab Eccleſia beneficio abſolutionis obtento. Et inſuper ordinaverat, ut nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali queſtione vel civili ad judicium ſeculare trahere preſumat contra easdem Canonicas Sanctiones, & Conſtitutiones Imperiales: quod ſi ſecus faceret, actor a ſuo jure caderet, & judicatum non teneret, & judex foret extunc judicandi authoritate privatus: quodque judices temporales, qui Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis juſtitiam denegare preſumerent, tertio requiſiti ſuam jurisdictionem amitterent. Conſtitutionem ipſam de conſilio etiam Fratrum ſuorum Sancte Romane Eccleſie Cardinalium, qui tunc erant authoritate Apoſtolica approbans, & confirmans, ipſam mandavit inviolabiliter obſervari, nec non ſtatutarios, & ſcriptores, ac violatores predictos excommunicatos eadem authoritate nunciari. Et deinceps ad audientiam Dive memorie CAROLI Quarti, etiam Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti deducto, quod nonnulle ſingulares perſone in poteſtatibus, & officiis publicis conſtitute, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Conſules civitatum, oppidorum, villarum, & locorum Rectores in diverſis Provinciis ejusdem Imperii, Dei timore poſtpoſito, ſtatuta ſingularia & iniquas ordinationes, motu proprio, & de facto contra ipſas perſonas Eccleſiaſticas, & Eccleſiarum libertates, ac earum privilegia condiderant, illisque de facto & publice utebantur, contra Canonicas & legitimas Sanctiones: utpote quod nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiaſticam transferrentur, & ne Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, ad agendum & teſtificandum in civilibus, & maxime in piis cauſis aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici, & publice denunciati in civili foro minime repellerentur. Et inſuper predicti Domini temporales, Conſules, & Rectores per ſecularem Poteſtatem res & bona Clericorum occuparent, arreſtarent, & oblationes Chriſti fidelium minue-

minuerent, atque reſtringerent, exactiones & tallias indebitas de bonis, redditibus Eccleſiarum exigerent, & extorquerent, poſſeſſiones Eccleſiarum, & perſonarum earundem devaſtarent incendiis & rapinis: contractus inter Clericos & laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum, & locorum predictorum inſcribere, & ſigillare recuſarent, donataque & legata ad fabricas, & Eccleſiarum ſtructuras contra Prelatorum voluntatem, & aliorum, quorum intererat, temere uſurpare preſumerent, ac in fraudem & odium Clericorum de bonis etiam & rebus eorundem Clericorum, que non cauſa negociationum, ſed pro eorum propriis uſibus per eorum terras ducebant, ſeu duci faciebant, thelonium exigere & recipere non verebantur: & confugientes ad Eccleſias, & earum cimiteria inde extrahere, contra Canonicas & Imperiales Sanctiones hujuſmodi preſumpſerant, & preſumebant. Idem CAROLUS Imperator, tanquam Chriſtianiſſimus Princeps, volens in premiſſis providere de remedio ſalutari, etiam de quorundam Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque aliorum Sacri Imperii ſepedicti Concilio, & auctoritate Imperiali, quecunque ſtatuta, & conſuetudines predicta, tanquam per Canonicas & civiles Sanctiones expreſſe reprobata, caſſavit, irritavit, & annullavit, ac caſſa, & irrita nulliuſque eſſe voluit roboris vel momenti, precipiens ſub Imperialis banni pena univerſis & ſingulis Principibus & Dominis temporalibus, Conſulibus, Poteſtatibus, ac aliis in officiis publicis in eodem Imperio conſtitutis, quatenus extunc ipſorum ſtatuta & ordinationes ſicut in prejudicium Eccleſiaſtice libertatit edita fuerant, omnino revocarent, & de luce tollerent, quodque ſecundum ea non judicarent amplius, nec ſententias dictarent, aut eiſdem in judicio, vel extra judicium quomodolibet pro ſe contra eandem Eccleſiaſticam libertatem potirentur: pronuntiavit inſuper, & eadem decrevit auctoritate, quodque quicunque laicus cujuſcunque ſtatus, aut conditionis exiſteret, auſu ſacrilego, & proprie temeritatis audacia Sacerdotem, vel Clericum ſecularem, vel religioſum diſfidaret, proſcriberet, captivaret, ſpoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret: vel hujuſmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaret, vel eis favorem preſtaret; preter penas a Sacris Canonibus & legalibus Sanctionibus in tales inflictas, eo ipſo redderetur infamis, ac omni honore privatus, nec ad placita, vel conſilia nobilium admitteretur quoviſmodo. Hortans inſuper in Domino, & requirens Eccleſiaſticos Prelatos in illis partibus, in quibus committerentur talia, conſtitutos, ut legem Imperialem hujuſmodi per eorum Eccleſias & Synodos publicarent, ne tranſgreſſores hujuſmodi per ſimulatam ignorantiam ſuam valerent in hac parte maliciam excuſare, prout in conſtitutionibus, & Sanctionibus Conciliorum, & HONORII predictorum, ac Imperialibus prefatis plenius continetur. Cum autem ſicut lamentabili querela Venerabilis Fratris noſtri N. Epiſcopi Friſingi, & dilectorum Filiorum N. Prepoſiti, N. Decani, & Capituli Eccleſie Friſingi, ac Cleri, & Eccleſiarum ac Eccleſiaſticarum Perſonarum civitatis & Dioceſis Friſingi nuper accepimus, nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones & alie ſeculares Poteſtates earundem conſtitutionum & ſanctionum Canonicarum, & legalium forſan ignari, & contra ipſas ab Epiſcopo, Prepoſito, Decano, Capitulo, Clero & Perſonis, ac Eccleſiis & Eccleſiaſticis Perſonis predictis, forſan tallias & gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus extorſerunt, & adhuc extorquere nitantur, ac etiam bona Epiſcopi, Prepoſiti, Decani, Capituli, Cleri, Eccleſiarum, & Perſonarum predictarum invaſerint, arreſtaverint, occupaverint, detinuerint, & ſuis uſibus applicaverint, nec non occupare, invadere, arreſtare, detinere, & eiſdem ſuis uſibus applicare ſimiliter de facto preſumpſerint in animarum ſuarum periculum, nec non Epiſcopi, Prepoſiti, Decani, Capituli, Cleri, Perſonarum & Eccleſiarum predictarum non modicum prejudicium atque damnum. Nos in premiſſis Epiſcopo, Prepoſito, Decano, Capitulo, Clero, Perſonis & Eccleſiis predictis opportune providere volentes, diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum per vos vel alium, ſeu alios, Epiſcopo, Pre-

Prepoſito, Decano, Capitulo, Clero, Perſonis, & Eccleſiis predictis contra quoſcunque tranſgreſſores, & violatores Conſtitutionum, & Sanctionum earundem, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, & excellentie fuerint, efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos contra Canonicas & legales Conſtitutiones, & Sanctiones hujusmodi indebite moleſtari: nec non easdem Conſtitutiones, ubi & quando expedire videritis, ſolenniter publicantes, faciatis transgreſſores & violatores hujusmodi, ſi & prout juſtum fuerit, ac ubi & quotiens expedierit, tamdiu excommunicatos, aut anathematiſatos publice nunciari; donec ab earundem talliarum, collectarum, impoſitionum, & quarumlibet extorſionum, nec non bonorum Epiſcopi, Prepoſiti, Decani, Capituli, Cleri, perſonarum, & Eccleſiarum predictarum invaſione, arreſtatione, occupatione, detentione, & applicatione omnino deſiſtant, nec non etiam efficaciter reſtituant eisdem Epiſcopo, Prepoſito, Decano, Capitulo, Clero, perſonis, & Eccleſiis predictis occaſione premiſſorum per eos leſis, ſeu gravatis, tallias, gabellas, & exactiones ipſas, ac etiam bona Epiſcopi, Prepoſiti, Decani, Capituli, Cleri, perſonarum & Eccleſiarum earundem arreſtata, occupata, detenta, & applicata ipſis, aut que per ſe, vel alios illo pretextu quomodolibet receperint, imo verius temere & illicite uſurparint, a ſe libere omnino relaxent, ac in manibus veſtris juraverint, quod de cetero talia non committant, & ea committentibus non preſtent auxilium, conſilium, vel favorem: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris oportuna remedia compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Ceterum, ſi forſan hujusmodi transgresſorum, aut violatorum, vel ea fieri mandantium, ipſisque conſentientium, ſeu dantium in illis per ſe, vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, conſilium, vel favorem, preſentia promotionibus, & requiſitionibus per vos de ipſis faciendis, tute, ſecure, vel commode haberi nequiret; Nos vobis monitiones, & requiſitiones hujusmodi, ac citationes quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad noticiam citatorum, & monitorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore preſentium poteſtatem. Volentes, quod monitiones, requiſitiones, & citationes hujusmodi perinde ipſos citatos requiſitos, & monitos, ut premittitur, artent, ac ſi eis facte, & inſinuate preſentialiter, & perſonaliter extitiſſent. Non obſtantibus tam pie memorie BONIFACII Pape octavi, etiam Predeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne aliquis extra civitatem ſuam vel Dioceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſue Dioceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices extra civitatem & Dioceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, ſeu aliquos ultra unam dietam a fine Dioceſis eorundem trahere preſumant: dummodo ultra duas dietas aliquis authoritate preſentium non trahatur, ac de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. *Datum Conſtantie XVII. Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.*

Weilent Babſt Martinus der fünfft des Namens hat die Bull Privilegia und Freiheit, ſo Weilent Kaiſer Karolus der gros löblicher Gedechtnus der Gaiſtlichkait geben hat, beſtet, darinn die hernachfolgend Mainung begriffen iſt, zu ſtraffen die unbillich Anſuchung der boſen, die Gaiſtlich Stet, und Perſon an iren Guteren und Rechten unterſtehen zu belaidigen, und mit mancherley Beſchwernus betruben. Geburet Uns ſo vil mer daſſelb mit zeitiger Hilff zu fürkommen, ſo vil mer ſoliche Beſchwerung zu Belaidigung Gotlicher Majeſtat, und Gaiſtlicher Freiheit Nachthail, und Schaden raichet. Nun aber vor lan=

langer Zeit, als in vil Landen die Ratheren, und Verweser der Stett, und auch ander die gewaltig darinn waren, die Gotzheuser nit so manigfaltigen Purden emsiglich beschwerten, also das die Priesterschaft in ainen boseren Standt gesetzt wardt, dann die unter Pharaone was, der doch Gotlicher Gesecz nit wissen het, und wiewol der all ander zu dienstlicher Aigenschaft und Unterthänigkeit bezwang; jedoch die Priesterschaft mit irer Haben und Gutern bey alter Freihait beleiben lies, und in von dem gemainen Gut ir Notdurfft und Narung raichet. Darumb ward in dem gemainen Concili zu Lateran umb gaistlicher Freihait willen bey strenger Verfluchung und Penen gebotten, das die Schepfen, Ratheren, oder ander Herrn der Stett, die Gotzheuser und gaistlich Personen mit Taczen und ander gewaltigen Beschaczungen in kain Weis solten beschweren, und ward daselbst erfunden und erkant, wer dawieder thete, der solt mit dem grospanigen Fluch beheft sein, als lang Uns er darumb nach billichen Dingen genug thete. Es war auch in der gemainen Kristlichen Sammung des Concili geordent und gesaczt, ob villeicht die Bischoffen mit sampt der Pfaffhait solich Nucz und Notdurft erkanten, also das sie dadurch verstunden, das der Laien Guter nicht genug darzu weren, sich unbezwungenlich darzu ergeben, und denselben Laien von den Gotzheusern und Kirchen ein Hilff erlaubten, oder gunten, doch on des Babsts Rat; so solle dieselben Erlaubnus, und auch die Pen, die dieselbe erlauber wieder die Pfaffhait vielleicht darumb theten, oder thun wurden, gantz kraftlos eitel und on schaden sein. Auch ward in dem gemainen Concili gesetzt, ob ainer, der in die obgemelt Pen gefallen wer, umb solich ubergreiffen der vorberurten Ordnung, der in der Zeit, so er in vorgemelten Gewalten und Herschafften was, nicht genug gethan, als oben begriffen ist, sonder die Pen also gelitten het, und so er davon entseczt wurde, mainet er wer nichts mer darumb schuldig, und solt auch zu wiederthuung fürbas nimmer bezwungen werden, so sol sein Nachkommen ob er darumb nicht genug thet, in ainen Monat mit gaistlichen Pan beheft sein, als lang er darumb Uns genug thu nach billichen Dingen, dann wol zimlich ist, das am Nachkomm der Eren, auch ein Nachkomm sey der Purde seins Ampts. Nachmalen hat Unser Vorforder Babst Honorius der drit seliger Gedechtnus fleisiglich betracht, das Weilent Friderich der ander, Romisch Kaiser die Zeit in Gehorsam und Andacht der Romischen Kirchen wesend, zu Lob derselben, und Eren, und Zier des Romischen Reichs begert; das etlich Irsal und ungerechte Gesecz ausgereut wurden und vernichtet, damit fürbas die Gotzheuser und geistlich Personen sich gantzes Gemachs und sicher Freihait gefrewen, und der geniessen mochten. Er bedacht auch gütlich und rechtlich etlicher Menschen Bosheit, die als uberflussig was, das sie on alle Forcht wieder Gotliche Ordnung geistlichen Personen und Freihaiten zu schaden gesetz erdachten und machten, die er auch mit Kaiserlicher Macht vernicht hat, und geschaft als kraftlos zu verkunden und gepotten, alle soliche ire Auffsecz und Gewonheit, die Stett, Gegent, Potestaten, Schepfen, oder ander Person, wie die genant sint, hielten oder prauchten wieder die Freihait der Gotzheuser, oder gaistlicher Person, die Gotlichen und Kaiserlichen Gesetzen wiederwertig weren, auß iren Recht, Puchern, und Statbuchern, darin die geschrieben weren, abzuthun, und gentzlich zu vertilgen inner zwaien Monaten, nach Offnung desselben seins Kaiserlichen Gebots: und ob sie darnach ichts dawieder theten, das solt von im selbs nichts und kraftlos, und sie Gerichts und aller Gewalt entseczt, und darzu die Stett und Land, wo das geschech, des Romischen Reichs kamer tausent Marck Golts verfallen, und die Potestaten, Schepfen solicher Gesetz-Meister, und Schreiber, und auch die Ratheren derselben Stett, oder Gegent, die nach solichen Gesetzen, oder Gewonheiten Recht sprechen, zu Stund erlos und unleumtig sein, und solten auch derselben ir Gericht, und was sie also handelten, kein Kraft haben, und ob geschech, das sie, oder ir etlich ein Jar darwieder theten, und nit ruchten, zu halten, so hat er meniglich geurlaubt, derselben Hab und Gutter in allen Landen

den seines Reichs anzufallen, und an Straff zu nemen, und inzuziehen, unaufgehebt ander Pen in dem gemainen Concili darauf gesactzt. Auch hat derselb Kaiser gebotten und gesactzt, kain Commun, oder Person in grossem stand, oder in klainen Stewer, oder Beschactzung Gotzheuser, und ander gaistlichen Steten und Personen anschlachen, oder ir Hab und Guter anfallen, oder zu ungewohnlicher Arbeit und Hilff ir Person, oder ir Gut noten und beschweren solten. Wer aber darwieder thet, und das nit zuhand, als er darumb eraischet und ermonet wurd, wiederpracht, der solt das mit der Drispild bezalen, und solt darzu in Kaiserlicher Acht und Pann sein, daraus er in kain Weis kommen mocht, als lang Uns er mit gaistlichen Gewalt darvon wurd erlediget. Darnach hat er geordnet, das nymand kain gaistlich Person umb kainerley Sach willen, sie berur Leib oder Gut, für weltlich Gericht solt furwenden, oder laden wieder dieselb gaistlichen und Kai- Gesactzt und Freihait: beschech es darüber, so wer der Anklager gefallen von allen seinen Rechten, dasselb Recht kraftlos, und der Richter entsectzt seines Gewalts und Gericht. Und auch ob die weltlichen Richter gaistlichen Personen wieder weltlich Person nicht recht thun wolten, so heten, so sie zum drittenmal darumb ersucht wurden, keinen Gewalt mer zu richten. Die egemelten Kaiserlich Gesectz hat der vorgenant Babst Honorius nach rath seiner Brüder der Cardinel, die dan die Zeit waren, mit Bebstlichem Gewalt und Macht bestet, bekreftigt, und gebotten die also unverruckt zu halten, und sonderlich, welich solich obgemelt Gesectz wieder gaistlich Freihait machen, schreiben, und auch die wieder die obberurten Freihait frefelich thun für pennig offentlich zu verkunden und zu halten. Und nachdem wurd furbracht Karolo dem vierden seliger Gedechtnus, auch des Romischen Reichs Kaiser, alzeit Merer desselben, wie das etlich weltlich Personen in Gewalten und grossen Ampten wesend, als Herczogen, Marggraffen, Graffen, Freyen und ander weltlich Herrn, und Rathgeben der Stet, Merckt, Dörffer, und auch etlich Gegent Verweser in manigen Provincigen desselben Reichs die Forcht Gottes hindan gesectzt, besunder Statut und unrecht Ordnung von aigem Muthwillen gewaltlich wieder gaistlich Person und Freihait der Gotzheuser gemacht hetten, die doch gaistlichen und Kaiserlichen Gesectzen und Gepotten wiederwertig weren, und die offenlich prauchten, mit Namen, das kain zeitlich Gut in gaistlicher Person gewaltsam nit geben solt werden in kain Wais, und das kain Priester oder geweichter Man vor Gericht als ain Clager oder als ain Zeuch in weltlichen Sachen, und besonderlich in hailwertigen Handlen nicht aufgenomen, noch gehort solt werden, und auch, das man kainem pannigen Layen, ob er halt in denselbigen Pan offentlich verkundet wer worden, vor weltlichen Gericht nit solt verwerffen noch verwideren. In het auch angelangt, wie die egemelten Herren, Schepfen und Amptleut der Gaistlichen Hab und Gutter mit weltlichen aigen Gewalt bekumerten und frefenlich besessen, und unterweilen verhefteten und verputen, und die Opfer der Kristglaubigen Menschen mindreten, und engten, auch, wie sie Steur und unbillich Beschatzung von der Kirchen und Gotzheuser Gutern und Zinsen gewaltlich nemen und abnoteten, und ire Guter mit Praut und Rauberei wüsteten, und solich Handel so zwischen gaistlichen und weltlichen Personen rechtlich gehandelt wurden, in ir gewonlich Pucher nicht schreiben noch versigelen wolten, und was man zu den Kirchen gebe, oder Schuff, oder zu dem Paue, in frefenlich inzugen: wider der Prelat und ander, die das berurt, Gunst und Willen, und auch der Pfaffhait zu unlust, von iren Hab und Gutern, die sie nicht durch gewins oder gewerbs willen, sunder zu ir selbs nutz und notdurff durch ihr Stet und Gepiet furten oder schaften zu furen, Maut und Zol von in gewaltiglich aischen und nemen: und die, so in die Kirchen oder Freithof fliehen, daraus ziehen, und nemen frefelich wieder gaistliche und Kaiserliche Fraiheit. Darumb hat derselb Karolus, als Kristlicher Furst, das alles zu unterkommen und zuweren, auch mit rath etlicher seiner Fursten, Grafen, Freyen und ander des Heiligen Reichs Getrewen all obgemelt Gesactzt

und Gewonhait, als die da gaistlich und weltlich wissenlich verbotten waren, mit Kaiserlichen Gewalt und Macht vernichtet und vertilget, und schuff die fur unkreftig, und fur nicht gehalten zu werden, also das sie kain Kraft und untuchtig sein solten: und gebot bey Kaiserlichen Pann und Acht allen und iglichen Fursten, und weltlichen Herrn, Schepfen, Potestaten, und anderen, die in Gewalten und Ampten desselben Reichs waren, das sie zu Stund dieselben Statut, Gesectzt und Ordnung, als die dann gaistlicher Freihait zu schaden erdacht weren, gentzlich wiederruften und sichtiglich aufheben, und das sie hinfur nicht nach solichen Statuten richten noch urtailen, und die auch nicht prauchen solten, weder in noch auser Rechten in kain Weg fur sie und wieder gaistlich Freihait. Auch gebot und sactzt Er in kraft desselben Kaiserlichen Gewalts, welicherlei in welichen Stand und Wesen er wer, mit aigner frefenlicher Durstigkeit und aigner Torschhait Priesteren oder Pfaffen, sie sein weltlich oder Closterlich, abgesaget, aus dem Land versant, oder verpannet, vieng, beraubet, totet, lemet, oder in vencknus neme, oder die, die solich Missethat theten, aufhielt, oder in gunstlich nachschub theten, die solten ze stund zu sampt andern Penen, so in von gaistlich und weltlich Gewalts wegen darumb aufgesectzt sein, unleimtig und erlos sein, und in kainem Rat noch Teding der Edelen nimmermer genommen werden in kain weis. Und hat derselbig Kaiser gaistlich Prelat der Land, do solichs beschech, ernstlich ersuchet und ermonet, das sie dits sein Kaiserlich Gebot und Gesectz in iren Kirchen und Pfaflicher Samnung verkunten, und wissentlich machen solten in aller Mas und Form, als die in des Concili, und des Babst Honori, und in vorberurten Kaiserlichen Gesactzen begriffen ist, dadurch das die Ubeltheter mit verdachter Unwissenheit ir Bosheit nicht mochten decken. Wann Wir aber durch cleglich anbringen der gemeiner Priesterschaft vernommen haben, wie etlich Fursten, Herczogen, Grafen, Herren, und ander weltlich Herschaften, vielleicht der vorgemelten geistlicher und Kaiserlichen Gesectz unwissend, sich understehend wieder dieselben Gesectz von den Kirchen-Personen tectz Stewer, und ander unzimlich Beschactzung, und sie mit Zwang und Dranctsal zu haben, und sie darzu noch zu dringen in ubung sein, auch wie sie der Kirchen und gaistlicher Personen Guter angetast, verheft, verhielten, und zu iren aignen nuctz und gebrauch, auch aigem Gewalt zuaigen sich unterstehen, zu Verdammus irer Seelen, und der berurten Gaistlichen nicht wenig Nachtheil und Schaden, und dannoch haben Wir Babst Martinus vorgenant furgenommen, gemeine Priesterschaft und Gaistlichkeit, und den Kirchen darinn notdurftiglich furzusehen, darauf gebieten, das der gemelten Geistlichen und Kaiserlichen Gesectzten Ubertretter, in was Stand und Wirden sie sein, offenbahrlich, als oft und so vil recht ist, und geburen wirt, fur pannich verkundet werden, als lang und so vil von solichen Stewer, Tactzen, Beschwerungen, und anderen Notzwangen, auch der Gaistlichen Guter Vorhaltung, verbieten, oder verheften und Innhabung und zuzuaignen gentzlich abstehen, und wer sie deshalb innen oder entpfangen haben, gentzlich wiedergeben, nichtz minder der gantzen Priesterschaft, den Kirchen und gaistlichen Personen, die also von in beschediget und besweret, Tactz und Stewer, und was irer Guter von in verheft, vorgehalten, ingehebt und in zugeaignet durch sich selbs, oder durch ander von iren wegen genommen frefenlich und unbillicher Weis zugeaignet hetten, von in frey gezelt, und der gentzlich absteen und wiedergeben, und schweren, das hinfur solichs nimmer von in beschehen soll, und den, die solichs thun und handlen wurden, kain hilf, rath noch gunst beweisen: die aber strafenlich darwieder reden, durch gaistlichen Penen und Censurẽ, und ander Hilff der Rechten zu straffen; furter ob vileicht der solichen Pebstlichen und Kaiserlichen Gesectzten Ubertretter, oder die, so denselben hilff, rath und gunst mittailen gegenwertigkeit zumonen und requiriren, sicher und frey nicht wolt stat haben; So geben Wir Babst Martinus den Gaistlichen den Gewalt, das sie solich Citation und Monung der berurten Ubertetter, wo die an gemainen und offenbahrlichen Enden und Stetten, also das

das ſolich Verkundtnus verſehelich inen zuwiſſen kommen mag, angeſchlagen wirt, gleich als vil Pindt und Kraft hab, als weren ſie in unter Augen, und perſonlich verkundet, on Irrung aller Geſectz, ſo wieder ſolichs alles geordent, geſectzt, und ausgangen iſt.

Quibus temporibus Carolina debeat publicari.

Statuimus, & diſtricte precipiendo hoc Sancto approbante Concilio mandamus, quatenus dicta Conſtitutio Bulle Caroline ſingulis annis perpetuis futuris temporibus in Dominicis quatuor temporum per omnes & ſingulos Plebanos, aut eorundem vicegerentes per noſtram Provinciam nulla excuſatione obſtante publicetur.

Cl. Lunig in Continuat. III. Spicilegii Eccleſiaſt. pag. 770. *& ſeqq.*

SYNODUS BAMBERGENSIS

Anno Chriſti MCCCCXCI. Innocentii VIII. Pp. VII. Friderici Imp. LII.

Statuta Epiſcopatus Bambergenſis, ut in Synodo Bambergenſi ſub Præſidio HENRICI III. (a) *Epiſcopi confecta, & publicata ſunt.*

HENRICUS, DEI GRATIA ET APOSTOLICÆ SEDIS EPISCOPUS BAMBERGENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS IN CHRISTO NOBIS DEVOTIS, DILECTIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, CUSTODIBUS, THESAURARIIS, SUCCENTORIBUS, CANONICIS: COLLEGIIS, CAPITULIS, ET CONVENTIBUS, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, VICARIIS PERPETUIS, CAPELLANIS, PRIMISSARIIS, ALTARISTIS, PRESBYTERIS, CURATIS, ET NON CURATIS, DIACONIS, ET SUBDIACONIS, ET TAM SÆCULARIBUS, QUAM ORDINUM QUORUMCUNQUE REGULARIBUS CLERICIS, TOTIQUE CLERO CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ BAMBERGENSIS, CUJUSCUNQUE ETIAM DIGNITATIS, STATUS, GRADUS, ORDINIS, AC PRÆEMINENTIÆ ET EXCELLENTIÆ EXISTANT, COMMUNITER ET DIVISIM, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

IN *hac Synodo noſtra* veſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum inhærendo, Conſtitutionibus *ſuper Synodo celebranda*, *in Concilio Baſilienſi* editis ſatisfaciendo, quasdam Conſtitutiones, & Ordinationes, ac certa Statuta, cum quibusdam additionibus, correctionibus, & declarationibus ſimul collectis, veſtræ dirigimus charitati, tenoris ſubſequentis: Vobisque, & veſtrum cuilibet authoritate DEI Omnipotentis mandamus, ut ipſa Statuta in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter & fideliter obſervare ſtudeatis. Inhibemus quoque ſub pœna excommunicationis, ne aliquo alio opuſculo præter præſens pro Statutis noſtris Synodalibus utamini quoquo modo. Et primum:

TITULUS I.

De SS. TRINITATE & Fide Catholica.

A Summo imprimis Numine, a quo omnia procedunt, ſumentes exordium, Catholicam Chriſti profitemur Fidem, ac eam, quam tenendam docet, & prædicat Mater noſtra univerſalis & Apoſtolica Eccleſia, præcipientes Clero & populo Nobis ſubjectis: ut in vera religionis Chriſtianæ veritate ambulantes, Sanctam & Individuam Trinitatem, Pa-

(a) Henricus Gros a Trockau, Epiſc. Bambergenſis XXXVI., anno 1487. 1. Februarii electus, & ab Epiſc. Auguſtano conſecratus fuit. Obiit 39. Maji anno 1501, XIV. anno ſui Epiſcopatus. Præter hanc Synodum condidit *Statuta pro ſuo Officiali & Curia. Apud Ludewig. Tom. I. pag.* 1191. *Scriptor. Bamberg.*

trem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum, sincera adorent cordis puritate: nec quicquam credant, colant, & venerentur, quod Romanæ Ecclesiæ, aut Patrum orthodoxorum Decretis, & a veritate Catholica censeatur alienum, atque refutandum.

Propter quod, ut fidelium populus vulgaris in ipsa Christiana Fide rectius vivat, & plenius instruatur; præcipimus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, & aliis quibuscunque, qui prædicationis exercent officium, quod tam in sermonibus, quam confessionum auditionibus circa hoc specialiter sint attenti, ne, quod absit, error in fide exurgat in populo: quodque in singulis Parochialibus Ecclesiis Dominicis, & Festivitatum diebus in prædicationibus ipsi populo orationem Dominicam incipientem: *Pater noster*! &c. & *Ave Maria*, & Symbolum Apostolorum in materna & vulgari lingua, secundum quam populo congruerit, fideliter & diligenter pronuntient, & prædicent.

TITULUS II. *De Constitutionibus.*

Cum membra sine capite nihil agant: præsentia Statuta, quæ quævis Capitula, vel Collegia Ecclesiarum nostrarum civitatis & Diœcesis, etiam de Prælatorum suorum consensu, super quibusvis arduis, statum Ecclesiarum tangentibus, ordinata, quibus in ipso actu, ad instar tutoris, auctoritas Episcopi non accesserit; declaramus, & decernimus, non tenere, talia præsentibus irritantes, imo irrita renuntiantes, & de cætero fieri prohibentes.

TITULUS III. *De Præscriptis & Commissionibus.*

Hominum malitiis, justitiæque & judiciis per Apostolicarum, & aliarum litterarum falsitates, aliasque Deo odibiles adinventiones, Dei timore postposito, illudentium, obviare volentes, justitiam ipsam, vera, justaque judicia, quantum cum Deo possumus, promovere, & confovere cupientes: universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Cantoribus, Custodibus, tam nostræ Cathedralis, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, Vice-Plebanis, Capellanis, Vicariis perpetuis, Altaristis, Primissariis, Presbyteris, Curatis & non Curatis, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis, per civitatem & Diœcesin nostram Bamberg. constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo inhibemus, ne de cætero Abbates, Præpositi, Decani, Scholastici, Cantores, Custodes, & alii deputati, vel in futurum deputandi, etiam a Sede Apostolica, aut ejus auctoritate, Executores, & Subexecutores, aut Judices delegati, aut subdelegati, litteras quascunque etiam Apostolicas de gratia, vel justitia, aut commissiones per modum subdelegationis, seu alias ipsis factas, quomodolibet exequi, vel citatorios, aut quoscunque alios processus pœnales decernere, emittere, vel promulgare: Nec Abbates, Præpositi, Decani, Scholastici, Archi-Diaconi, Cantores, Custodes, Canonici, Rectores, Plebani, Capellani, Vicarii perpetui, Altaristæ, Primissarii, cæterique Presbyteri, Clerici, Notarii, & Tabelliones supra dicti, litteras hujusmodi, aut quoscunque citatorios, aggravatorios, reaggravatorios, interdicti, vel alios processus pœnales, quavis etiam, præterquam Ordinaria, auctoritate a Nobis, vel Judicibus Nobis subjectis, in civitate vel Diœcesi nostra per quemcunque emissos, insinuare, intimare, publicare, vel exequi præsumant; priusquam de diligenti examinatione litterarum earundem, ac processuum hujusmodi, per Nos, & Vicarium nostrum in Spiritualibus, aut Commissarium generalem, per litteras, aut illius patentes desuper datas, seu confectas litteras, quæ *vidimus* communiter appellantur, fuerint plenius informati. Quicunque autem ex supra dictis hujusmodi nostræ inhibitionis transgressor, si Beneficiatus fuerit, fructu beneficii, seu beneficiorum suorum carere debet ad unum annum; si autem beneficio caruerit, in Sacris tamen constitutus, suspendi debet a Divinis, & in Sacris ministrare prohibemus. Notarios vero, qui ipsam præsentem inhibitionem violare præsumpserint, absque eo, quod pœna cum hoc condigna mulctentur & puniantur, in civitate & Diœcesi nostris eorum actus exercere postea nullatenus permittemus.

Ex

Ex injuncto Nobis Pastorali officio compellimur, ut usum falsarum litterarum restringamus, ne damna inde eveniant, in quantum Nobis a Domino conceditur, extirpare cupientes hac præsenti irrefragili perpetua Constitutione & Sanctione, authoritate, qua fungimur, statuimus omnibus & singulis nostræ civitatis & Diœcesis Clericis & personis, in quocunque gradu constitutis, tam Dignitatibus, Personatibus, Prælaturis, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis Præsidentibus, & aliis quibuscunque Notariis, & Tabellionibus publicis, præsentibus & futuris, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, privationis beneficii & officii pœnis, quas quemlibet, qui contra præsentem constitutionem & inhibitionem fecerit, aut fieri procuraverit, eo ipso & de facto incurrere volumus, & eas in eosdem & quemlibet eorum ferimus Dei nomine in scriptis, firmiter & districte præcipimus & mandamus, ne aliquis eorum per litteras quascunque etiam Bullatas, seu tanquam Apostolicas, in Judicem, seu Conservatorem, vel Commissarium, aut in Executorem, vel Subexecutorem in gratiosis, vel justitiæ negotiis, tanquam delegatus, vel alias fuerit requisitus, hujusmodi litteras recipiat; seu eas exequatur, vel eas exequi faciat, aut procuret, seu procedat vigore earundem aliquo modo: & ne aliter Clerus nostræ civitatis & Diœcesis processus, seu mandata ex hujusmodi litteris, & earum authoritate habitos & confectos, ac habita & confecta, seu quoscnuque, quascunque, & quæcunque alios, alias, vel alia processus, litteras, & mandata per delegatos, vel subdelegatos hujusmodi emanatas, seu aliquem earundem recipiat, intimet, vel insinuet, publicet, vel alias exequatur, tam diu & quousque primitus certificati fuerint per litteras nostras, aut Vicarii, vel Commissarii nostri litteras, quæ communiter *vidimus*, nuncupantur, quod hujusmodi litteræ per Nos, vel Vicarium nostrum visæ, examinatæ, & absque falsitate justæ, legitimæ, & rationabiles fuerint approbatæ. Quod extunc eas reverenter accipiant, & cum omni obedientia exequantur: certificantes insuper Clerum nostrum universum, quod etiam post pœnas & censuras Ecclesiasticas prædictas (*contra*) contradictores quoslibet & rebelles arctius, prout eorundem pertinacitas & temeritas meruerit, procedetur.

TITULUS IV. *De Qualitate præficiendorum.*

Quoniam solicite curandum, & providendum est de cura animarum & Sacramentorum Ecclesiasticorum, ne imperiti ad regimen hujusmodi Curæ & Beneficiorum assumantur, aut eis præficiantur;

Hac Sacra Synodali approbatione statuimus, & volumus, quod deinceps non solum, quando ad Ss. Ordines admittuntur, sed etiam dum Ecclesias suscipiunt regendas, & Beneficia, Clerici de scientia, peritia, moribus, vita honesta, conversatione & aliis diligenter examinentur: & Clericus noviter ad Sacerdotium promotus, cum aliis Clericis in exercitio regiminis animarum dudum provectis, per biennium commorari debet, circa regimen & curam instruendus. Nec infra biennium liceat alicui talium curam alienæ Parochiæ in nostra Diœcesi regere, nisi id ex causa per Nos vel Vicarium nostrum dispensative fuerit indultum. Rectores Ecclesiarum suarum Vicarias contra præsens nostrum statutum concedentes, & curam committentes, ab earundem Ecclesiarum fructuum perceptione, authoritate præsentium suspensos esse volumus ipso facto tamdiu, donec a Nobis, vel dicto nostro Vicario restitutionem super hoc meruerint obtinere.

TITULUS V. *De S. Unctione.*

Damnamus quorundam errorem, quo in extrema Unctione unus inungit, & alter profert verba Sacramenti: sub pœna igitur suspensionis prohibemus, talia de cætero attentari; in omni autem Sacramento conferendo, actum faciens Sacramentalia verba, ad conficiendum & tractandum proferre debet. Item Sacerdos diligenter observet, ut Sacramentum extremæ unctionis administret sub forma deprecativa, quam Beatus GREGORIUS hac videlicet forma instituit: *Per istam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi DEUS quidquid deliquisti per visum*; & sic de singulis membris & locis inungendis. Etiam insi-

insinuet recipientibus effectum hujus Sacramenti; qui duplex est, unus sanitatis corporalis, & alius sanitatis Spiritualis: & illud Sacramentum tantum adultis, & in periculo mortis constitutis est conferendum. Firmiter similiter præcipiendo statuimus, ut in singulis Ecclesiis & Capellis nostrarum civitatis & Diœcesis, in quibus Sacerdotes populum regunt, & subditos communicare consueverunt, habeatur de cætero oleum infirmorum, ne propter ejus carentiam aliquibus deficiat hujusmodi Sacramentum.

TITULUS VI. *De Clericis peregrinis*

Clericum extra nostram Diœcesim, & ab alio Episcopo promotum, ac alium quemcunque alienæ Diœcesis, nullus Rector, sive Beneficiatus in sua Ecclesia, sive Capella, Divina permittat celebrare officia, seu in Capellanum recipiat, nisi per Nos, aut nostrum in Spiritualibus Vicarium examinatum & admissum, ac de examinatione, admissione & ordinatione ejusdem per nostras, aut dicti Vicarii nostri literas, legitimam fecerit fidem, & conversatio ejus probata fuerit; sub suspensionis pœna præsentibus prohibemus.

TITULUS VII. *De Officio Archi-Diaconi.*

Statuimus, ut nullus omnino Archi-Diaconus curam animarum, instituendo in Parochialibus Ecclesiis, sive Capellis, aut Beneficiis, sine consensu nostro, aut mandato, alicui tribuat: imo cura animarum ac Beneficiorum ordinatio & institutio in Episcopi judicio & potestate maneat. Si quis vero contra hoc (*agere*), aut potestatem, quæ ad Episcopum pertinet, sibi usurpare præsumpserit, ab Ecclesiæ limitibus arceatur. Quam constitutionem volumus ab Archi-Diaconis Ecclesiæ nostræ firmiter observari, ipsis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes; ne curam animarum Pastoribus, vel Vicariis Ecclesiarum, aut Capellarum, sine nostra licentia & consensu committant, aut eos in ipsis instituere (*præsumant*), nec ipsi Pastores & Vicarii institutionem & curam præter nostrum judicium, seu consensum recipiant ab eisdem. Nos etiam, si quid contra præsens statutum & inhibitionem attentatum fuerit; irritamus, & cassamus, ac irritum decernimus & inane, ipsosque rebelles graviter puniri volumus.

TITULUS VIII. *De Officio Sacristæ.*

Officia Sacristæ, vel Ecclesiastici, aut Campanatoris, sive ad Clericos, sive ad laicos eorum receptio pertineat, gratis, & sine omni datione, aut promissione pecuniæ, vel alterius rei temporalis, personis idoneis conferantur, qui velint & possint rite officium hujusmodi adimplere, & de Sacramentis custodiendis, aut clynodiis, ac Ornatu Ecclesiarum conservandis, diligentiaque debita circa singula facienda, præstare debent cautionem, & Plebano ac vitricis obedientiæ & fidelitatis officiorum hujusmodi facere promissionem teneantur. Qui etiam Sacristæ, sive Campanatores ab officiis suis, (*si*) præmissa facere recusaverint, ac alias ex justa causa, per & coram Judice Ecclesiastico discutienda, possint amoveri. Superpelliciis quoque tempore Divinorum, Baptismi, & deportationum Corporis Christi & Sacræ Unctionis ad infirmos, uti debeant, sub pœna privationis hujusmodi suorum officiorum.

TITULUS IX. *De Officio Vicarii.*

Statuimus, ut Rectores Ecclesiarum sufficientem assignent portionem suis Vicariis, de bonis suarum Ecclesiarum & Beneficiorum, ut de iis congruam sustentationem habere, & jura Episcopalia persolvere, ac alia onera incumbentia valeant supportare, alioquin decernimus, dictos Rectores huic nostro statuto non parentes, dictarum Ecclesiarum & Beneficiorum fructibus privandos. Statuendo etiam decernimus providere contra malitiam ipsorum Rectorum, & statuimus, quod ipsi Vicarii mutari non debent passim singulis annis ad voluntatem ipsorum Rectorum, qui hoc propter turpem quæstum facere satagunt; sed tunc demum, cum ipsi Rectores, actu Sacerdotes existentes, in ipsis Ecclesiis per se deservire volunt, vel quando alias ipsi Vicarii ex causis legitimis ab ipsis Ecclesiis sunt removendi. Similiter statuimus, & sub pœna priva-

privationis tertiæ partis fructuum mandamus, ut Plebani & Beneficiati nostrarum civitatis & Diœcesis domos suarum Ecclesiarum competenter reficiant, ac in ædificiis solitis manuteneant, ne ipsas ruinam seu casum pati contingat. Cum sit reprehensione dignum, ut quis oves proprias, alteri earum curam committendo, deserat, & alienas regere, præsertim causa avaritiæ, præsumat; idcirco districte inhibemus, ne quis Parochialem Ecclesiam obtinens, alienam regere, tanquam mercenarius aliquatenus attentet, nisi super hoc petita & obtenta nostra, aut Vicarii nostri licentia speciali. Et nihilominus in literis desuper per Nos, vel eundem Vicarium editis causa contineatur, quare suam commode regere non valeat. Contrarium vero facientes, ab Officiis Divinis decernimus suspendendos.

Presbyteris duarum Parochialium Ecclesiarum Vicarias habere omnino prohibemus, qui vero contrarium facere præsumpserint, prima, quam ipso facto (*vacare*) decernimus, careant: alterius vero Vicariæ, quam diu primam occupaverint, proventibus per Nos, vel Vicarium nostrum in Spiritualibus, in utilitatem Fisci nostri, & Ecclesiæ, in qua Vicaria est, convertendis, eo ipso sint privati.

TITULUS X. *De Majoritate, Obedientia.*

Inhibemus, ne de cætero aliqua religiosa sæcularisve persona se de dispensationis, absolutionis, vel alio quovis actu, ad Nos, ratione dignitatis Pontificalis, vel jurisdictionis, de jure pertinentis, seu authoritate, sive potestate aliqua Nobis specialiter reservata, aliqualiter intromittat, vel eadem auctoritate quovis modo utatur, nisi cui Nos eandem auctoritatem nostram, sicuti opportunitas suaserit, in parte, vel etiam generaliter duxerimus committendam, sub pœna excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto.

Nulli Capellani Nobilium in Capellis etiam castrorum Dominorum suorum Divina celebrare debent, nisi antea Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario obedientiam faciant manualem: Et ad Synodum, & Capitula venire debent, recepturi mandata Ecclesiastica, & denuntiare suis Dominis, & eorum Castrensibus: cum Plebani aliquando hoc facere propter eorum tyrannidem non sunt ausi. Qui autem ante obedientiam hujusmodi factam Capellas officiaverint, tam diu nuntientur suspensi & excommunicati, donec pro præmissis satisfaciant, &, ut dictum est, obediant. Superstitiosam quarundam personarum invidiam compescere cupientes, qui more Chain dilectione filiali rejecta, & paternali pietate conculcata, non solum in Capitulis & Conventionibus pertractandis, capitulariter congregatis, Prælatis suis, & Superioribus reverentiam debitam subtrahunt, verum etiam ad invicem nonnunquam in verba opprobriosa & contumeliosa prorumpunt; ex quibus negotia, propter quæ tractanda convenerant, plerumque indiscussa remanere cernuntur: hinc nostro in perpetuum valituro edicto statuimus, & ordinamus; ut in singulis Capitulis & Conventionibus servetur reverentia, ac morum gravitas, & honestas: ita quod nullus in alterum verbis, vel factis opprobriosis, vel contumeliosis, vel injuriosis prorumpat: eorumque Capitulis, & Conventionibus præsidentibus, sub excommunicationis pœna, latæ sententiæ districte injungentes, ut his, qui contra edictum prohibitionis nostræ hujusmodi venerint, per unius mensis spatium sine spe veniæ fructus suarum subtrahantur Præbendarum, a quibus ipsos per dicti temporis spatium suspensos manere volumus, & decernimus eo ipso.

In virtute S. obedientiæ præcipimus universis & singulis Presbyteris, & Clericis ruralibus nostræ Diœcesis, quatenus quoties ipsos per suos Decanos, & Camerarios, aut alios, ad quos hoc pertineat, ad Capitula sive Convocationes pro insinuatione mandatorum nostrorum, aut Successorum nostrorum, vel alias convocari contigerit, toties ipsi ad Capitula, & Conventiones hujusmodi studeant convenire; nisi ex rationabili causa se de absentia poterint excusare, in quo casu alium idoneum Presbyterum loco sui ad Capitula & Conventiones dirigent ante dicta.

Prohibemus, ne adversus correctio-

nem Superioris ſui quicunque regularis, vel ſæcularis Clericus præſumat, ſæcularis perſonæ adjutorium aut potentiam invocare; qui autem hoc facere non reformidat, & hujusmodi invocatione uſus fuerit, carcerali cuſtodia tanto tempore concludatur, donec ob præſumptionem hujusmodi, Noſtro, aut Vicarii noſtri pœna arbitrio ſit ſufficienter recompenſata, niſi id ei per Nos admiſſum (*) fuerit. Et ut ab hoc malo temerarii Clerici pœnæ duritia retrahantur, adjicimus, quod talia ſine hujusmodi noſtra licentia præſumentes nullo nunquam tempore in Eccleſia, ſeu Monaſterio, adverſus quam, ſeu quod, ac Prælatum, vel Superiorem, ſeu alium, dictum ſæculare adjutorium, ſive potentiam invocaverint, cujuscunque dignitatis, vel adminiſtrationis officium conſequantur, & alias etiam nihilominus Superioris ſui arbitrio legitime puniantur.

TITULUS XI. *De his, quæ vi, metusve cauſa fiunt.*

Quia Clerici religioſi nonnulli, non attendentes, quantum ſit obedientiæ bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum eſt maximum & ſcelus idololatriæ, obedire non velle; amiſſionem ſuarum rerum, & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandata exequi Prælatorum: qui etiam proſperitatis tempore multa bona receperint, lauteque de patrimonio Crucifixi vixerint, imminente Eccleſiæ neceſſitatis articulo pro honore illius & commoditate adverſitates ſuſtinere detrectent, ex quo autem propter contemptum clavium Eccleſiæ, nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſolvitur, & animas miſerabiliter periclitari contingit; ſtatuimus, ut nulla rerum perditio, aut metus corporis, niſi legitime probatus, ſubditi inobedientiam, mandatum Prælati exequi non curantis, valeat excuſare: adeo, quod ſi metus corporis non ſimplici proprio juramento, ſed legitimis coram eo, a quo mandatum ſubditus recepit, oſtenſus fuerit documentis. Nihilominus loco cedat, ne notam transgreſſionis incurrere videatur. In his autem, quæ in non faciendo conſiſtunt, utpote, cum mandatur, non communicare excommunicatis, non celebrare coram interdictis, ac alia hujusmodi, nullus omnino nec rerum, nec corporis, quomodocunque probatus metus excuſat, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod Sanctorum auctoritatibus comprobatur.

Nós, qui abſolutionem, vel quamcunque revocationem ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis per vim, vel metum extorſerint, cum hoc, quod hujusmodi revocationes ſunt irritæ, ſtatuimus, & publicamus, excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

TITULUS XII. *De Judiciis.*

Quidam crudeles homines & perverſi, dum ad forum Eccleſiaſticum in cauſis etiam, in quibus Eccleſia merito habet cognoſcere, ab authoribus evocantur, illius auctoritatis, qua dicitur, qui honorat miſſum, mittentem honorat, immemores exiſtentes, Nuncios Eccleſiaſticorum Judiciorum, & Judicum, citationum, excommunicationis, vel alias judicialis, & jurisdictionis literas deferentes, verbis probroſis, & quandoque diris verberibus ultra comminationes graves, quosdam etiam captivitantes, alios interdum ſuis rebus temere publice ſpoliantes, multipliciter afficiunt, & perturbant, ac impediunt citationes, in non modicam Eccleſiaſticæ libertatis contumeliam, & jacturam. Conſiderantes igitur, malitiis hominum non eſſe indulgendum, ſtatuimus, ut reus, nuncios acta judicialia deferentes, per ſe, vel per alium verberans, ſpolians, ſeu captivans, lite etiam non conteſtata, habeatur penitus pro convicto: actor vero in cauſa reconventionis ſimilia perpetrare per ſe, vel per alium non formidans, ſuper inſtituta contra reum actione amplius nullatenus audiatur; & inſuper uterque, atque etiam omnes alii, qui nomine, vel occaſione eorum talia facere præſumpſerint, uſque ad condignam ſatisfactionem læſo & judicibus, ſummaria cognitione ſuper hoc facto præhabita, puniantur.

Generales citationes fieri prohibentes, ſtatuimus, ne quis Judex Eccleſiaſticus, Nobis ſubjectus, in ſuis proceſſibus, videlicet ſub generali clauſula, ita ſcribat: Citetis, quos lator præſentium vobis nominaverit, vel ſimile in effectu.

Nec

(*) *fors*: remiſſum

Nec Sacerdotes talia mandata ſine etiam ſpeciali expreſſione partium, ſeu nominum exequantur; Nos enim talium citationum, & commiſſionum literas decernimus eſſe irritas & nullas.

TITULUS XIII. *De Foro Competenti.*

Præterea nullus Eccleſiaſticam Perſonam in criminali cauſa, vel civili quæſtione, nec alium etiam laicum pro rebus, bonis & poſſeſſionibus Eccleſiarum, ſive perſonali jure, quod vulgo Leibgeding dicitur, quis earundem Eccleſiarum poſſeſſiones, vel bona poſſideat, ſive alio quocunque titulo, trahere præſumat in judicium ſæculare.

Statuimus etiam, ne Judices Eccleſiaſtici de cauſis, quas laici habent ad invicem, ſe nullatenus intromittant, niſi tales cauſæ ſint, quas ad forum Eccleſiaſticum non ſit dubium pertinere, ne ex hoc ſæculare judicium, quod eſſet valde incongruum, enervetur. Quoniam ex conſtitutione ſupra poſita dubitationes inſurgunt, videlicet, quæ cauſæ ad forum Eccleſiaſticum debeant pertinere, nonnullos caſus ejuſdem præſentibus duximus annotandos.

Imprimis videlicet, omnes invaſores Eccleſiaſticarum rerum, ſeu religioſorum locorum, ſub Eccleſiaſtico Judice conveniuntur.

Item cauſæ ruſticorum & ſervorum Eccleſiæ.

Item cauſæ publice pœnitentium.

Item cauſæ pupillorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum.

Item cauſæ peregrinorum.

Item quando Judex ſecularis juſtitiam reddere negligit.

Item in crimine ſacrilegii.

Item uſurarum.

Item hæreſis, ſimoniæ, excommunicationis, adulterii, matrimonii, dotis, ſuper decimis.

Item cauſa nativitatis, Beneficialis, Juris Patronatus, rapinæ, ratione peccati & voti fracti, pretii deſerviti.

Item ratione juramenti vel fidei dationis.

Item quando pars aliqua fuerit Eccleſiaſtica, etiam ſuper re profana cauſa in foro Eccleſiaſtico terminari debet.

Libertatem Eccleſiaſticam tueri, ac noſtris temporibus adaugeri cupientes; ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ferimus in his ſcriptis, & privations fructuum Beneficiorum, diſtriſſime inhibemus, ne Clerici ad quæcunque ſæcularia, ac vetita judicia vocati, in Perſonalibus, ac aliis actionibus, ſuper rebus Eccleſiarum, aut Beneficiorum ſuorum, coram judice laico, in contemptum privilegii Clericalis quoviſmodo reſpondeant, ſeu ſe ſubjiciant foro ſæculari;

Quinimo citati, aut vocati debeant abſque mora ad Nos, vel noſtrum in Spiritualibus Vicarium, ſuper hoc habere recurſum, ad impetrandum remiſſionis literas, aut aliter, prout melius expedire cognoverimus, eis providendum. Contrarum facientes acrius decernimus fore puniendos.

TIT. XIV. *De Fide Inſtrumentorum.*

Nonnullæ ſunt Perſonæ in Ss. Ordinibus conſtitutæ & beneficiatæ, officium tabellionis, ſeu Notariatus exercentes, quorum inſtrumenta non ſolum in civitatibus, ſed etiam in Eccleſiaſticis negotiis tanquam publica recipiuntur; licet de authoritate eorum, & de aliis, quæ circa tabellionis conſtitutionem requiruntur, minime Nobis conſtet, quod perniciosum nimium exiſtit. Nos circa præmiſſa volentes adhibere medelam; ſtatuimus, ut perſonæ, gerentes ſe pro Notariis, ſeu tabellionibus publicis in civitate & in Diœceſi noſtris, in judicio vel extra, in antea nullatenus admittantur, nec eorundem inſtrumenta, tanquam publica recipiantur, niſi prius de authoritate ipſorum & de aliis, quæ circa hoc fuerint neceſſaria, doctum fuerit legitime coram Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario Generali:

Inhibemuſque omnibus ſubditis noſtris, ne inſtrumenta eorundem tanquam publica recipiant, nec iis tanquam publicis inſtrumentis utantur: Et nihilominus eiſdem, pro tabellionibus ſe gerentibus, ut abſtineant ab hujuſmodi inſtrumento-

rum confectione tamdiu, donec de eorum auctoritate & aliis, ut præmittitur, Nobis facta fuerit plena fides: quibus etiam medio tempore tabellionatus officium ad arbitrium nostrum, seu dicti nostri Vicarii,& ejusdem arbitrium infligendum interdicimus per præsentes.

TIT. XV. *De Jurejurando.*

Vestigiis Prædecessorum nostrorum inhærentes, excommunicamus omnes & singulos Clericos, Monachos, Canonicos Regulares & sæculares, qui colligationes, conspirationes, seu confœderationes ullas fecerint, fidei, vel juramenti interposita cautione, sive in electionibus faciendis, sive pro aliis quibuscunque negotiis, contra Canonicas Sanctiones; nisi intra tres dies post habitam hujusmodi conjurationem, confœderationem, seu conspirationem immediate sequentes, quos illis pro trina & Canonica monitione assignamus, ab omni obligatione sua ad hoc facta se absolvant, & in hujusmodi conspiratione, & ejus occasione attentata prorsus revocent, & pœnitentiam desuper recipiant: ex conspirationibus enim, & obligationibus istis suboriuntur discordiæ venenatæ, Ecclesiastica disciplina dissolvitur, bona Ecclesiæ dissipantur, & pericula proveniunt animarum. Volumus ejusmodi colligationes seu confœderationes, sub quacunque etiam illicita forma factas, neminem obligare.

Quicunque autem inventi fuerint, confœderationes, aut conspirationes hujusmodi facientes, etiamsi Monachi fuerint, vel Canonici Regulares, de suis Monasteriis, tanquam membra putrida, excludantur.

TIT. XVI. *De Vita & honestate Clericorum.*

Ut Christi militia laudibus Divinis deputata, vita, gestu, moribus & habitu a gente discernatur Clericali (*); districte sub pœna suspensionis præcipiendo statuimus, ut Prælati, Sacerdotes, & alii Beneficiati, ac in sacris constituti Clerici nostræ civitatis & Diœcesis, cujuscunque gradus & conditionis existant, habitum deferant brevitate non culpabilem, aut ornatu superfluo, vel colore notabilem. Inhibemusque sub excommunicationis pœna detestabilem usum, quo vestes, caligas rubei, gilvi aut viridis coloris portare, aut gemmis,nodis, fibulis, vel aliis superfluitatibus auri & argenti, vel perlis ornare, seu calceis rostratis, vel colleriis cancellatis, aut a tergo fœmineo more nimirum superque in brachiis excisis, ac diversorum colorum sonis, nec non manicis desuper incisis, uti præsumunt. Quicunque autem Clericus Nobis subjectus partitas vestes, aut virgatas in publicum absque causa necessitatis excusabili ferre præsumpserit, executionem pœnarum, suspensionis & inhabilitatis, a jure constitutarum, juxta differentias status personarum, in se sentiet exerceri cum vigore. Similiter sub pœna excommunicationis præcipimus, ut singuli Clerici, cum a quocunque Judice Ecclesiastico, vel sæculari quicquam pro eis, tanquam pro Clericis, fuerit judicandum, quantumcunque vestibus utantur simplicibus, & alia insignia deferant Clericatus, fugiantur, nec ut Clerici judicentur, nisi pro susceptorum ordinum sufficientibus, & idoneis probationibus, se veros Clericos esse, probent. Insuper etiam sub excommunicationis pœna præcipimus,mandantes, ut singuli Clerici cujuscunque conditionis existant, in sacris Ordinibus constituti, coronam omnino condecentem portent & habeant, quæ debito capitis loco posita congruam habeat latitudinem, & cooperta non est crinibus revolutis. Inhibentes quoque in eadem excommunicationis pœna eisdem Clericis, in sacris Ordinibus constitutis, ne contra decentiam Clericalis status de cætero comam, crines & barbam nutriant, sed radendos deferant decenter.

Usum tabernarum, præterquam in itinere constituti, & ne tabernas in domibus suis teneant, ludosque taxillorum & chartarum,& his similes,in locis publicis, præsertim inter laicos, omnes & singuli Clerici in Prælaturis etiam, & in sacris Ordinibus constituti, sibi hac sacræ nostræ Synodi prohitione sub excommunicationis pœna noverint esse interdictos & prohibitos.

TIT.

(*) *fors:* sæculari.

TIT. XVII. *De cohabitatione Clericorum, & mulierum.*

Decretum Concilii Basiliensis.

Quicunque Clericus cujuscunque status, conditionis, religionis, & dignitatis, etiamsi Pontificalis vel alterius Præeminentiæ existat, qui post hujus constitutionis notitiam, quam habere præsumatur per duos menses, post publicationem ejusdem in Ecclesiis Cathedralibus, quam ipsi Diœcesani omnino facere teneatur, postquam eadem constitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium Beneficiorum suorum, trium mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Nec non & hujusmodi publicum concubinarium, ut primum talem esse innotuerit; mox suus Superior monere teneatur, ut intra brevissimum terminum concubinam dimittat. Quod si non dimiserit, vel dimissam, aut aliam publice resumpserit, jubet hæc Sancta Synodus, ut ipsum omnibus suis Beneficiis omnino privet: & nihilominus hi publici concubinarii, usquequo cum eis per suos Superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem; manifestamque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum vel officiorum sint inhabiles: qui si post dispensationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis, ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quod si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipsos, pro eorum neglectu, quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant.

In Conciliis etiam Provincialibus, & Synodalibus adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione Beneficiorum, vel alias condigna pœna severiter procedatur. Et si hi, quorum destitutio ad Summum Pontificem spectat, per Concilia Provincialia, aut suos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur digni, statim cum processu inquisitionis ipsi summo Pontifici deferantur.

Eadem diligentia & inquisitio in quibusdam Capitulis generalibus & Provincialibus, quo ad suos serventur, pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios statutis in suo robore permansuris.

Publici autem intelligendi non solum hi, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est: sed qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum Superiorem admonitus, ipsam cum effectu non dimittit.

Quia vero in quibusdam Regionibus nonnulli jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt, patiendo eos in tali fœditate sordescere; sub pœna maledictionis æternæ præcipitur, ne deinceps sub pacto vel compositione, aut spe alicujus quæstus talia quovis modo tolerent, aut dissimulent: alioquin ultra præmissam negligentiæ pœnam duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere ad pios usus omnino teneantur, & compellantur.

Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas, Prælati modis omnibus curent a subditis suis, etiam per brachii sæcularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere, qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud Patres suos cohabitare non permittant.

Jubet insuper hæc Sancta Synodus, ut etiam in prædictis Capitulis hæc constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad concubinarum suarum dimissionem moneat diligenter. Injungit præterea omnibus sæcularibus viris, etiamsi præfulgeant Regali dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæsito colore, qui ratione officii sui adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt.

Et cum omnino fornicationis crimen Lege Divina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessario evitandum; monet omnes laicos, tam uxoratos, quam

quam ſolutos, ut ſimiliter a concubinatu abſtineant : nimis enim reprehenſibilis eſt, qui uxorem habet & ad mulierem alienam accedit. Qui vero ſolutus eſt, ſi continere non velit, juxta Apoſtoli conſilium uxorem ducat. Pro hujuſmodi autem obſervatione præcepti, hi, ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis, cum omni ſtudio laborent. Cum Clerici concubinarii notorii ſint ipſo jure ab officiis & beneficiis ſuis ſuſpenſi quoad ſe & alios, miniſtrandoque in ſacris Ordinibus ſæpe irregularitatem incurrant, a qua niſi per Sedem Apoſtolicam, poterint liberari; ſi ſuſpenſione hujuſmodi durante, ſe in Divinis immiſceant, in ſuis officiis miniſtrando, ut prius, publiceque concubinas, aut alias de incontinentia ſuſpectas, aut infamatas, aut rixoſas mulieres apud ſe in domibus & habitationibus ſuis tenentes, famam negligunt, vitamque maculant Clericalem; Nos igitur pii patris more, non perſonas, ſed perſonarum vitia deteſtantes, ſacroſque Canones & jura deſuper edita debitæ executioni, ut tenemur, demandare volentes, omnes & ſingulos Clericos noſtrarum civitatis & Diœceſis, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint, qui hujusmodi vitio publici concubinatus ſunt involuti, obſecramus, rogamus, requirimus & monemus, eis & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub præſcripti juris & infra ſcriptis pœnis, quas omnes ſingulos, hujusmodi noſtris ſalutaribus monitionibus, requiſitionibus & mandatis non parentes, incidere volumus : diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus omnes & ſinguli ſupradicti, qui in præmiſſis culpabiles fuerint, ad præſenſque exiſtunt, aut quod Deus avertat, in futurum erunt, infra triginta dierum ſpatium, & præſentium publicationem eis factam immediate ſequentes, quorum triginta dierum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem dies pro tertio ac peremptorio termino, ac monitione Canonica, & omnibus dilationibus, eis, & cuilibet ipſorum aſſignamus, dictas concubinas, de incontinentia ſuſpectas, infamatas, & alias rixoſas, ſeu ſcandaloſas mulieres, a domibus & cohabitationibus eorum ſeparent, amoveant, atque dimittant cum effectu. Hujuſmodi mulieres dimiſſas, & ſimiles, ad domos & habitationes ſuas, deinceps non reaſſumant, ſeu quivis eorum reaſſumere præſumat : alioquin dicto monitionis termino elapſo, monitionibus, & requiſitionibus hujusmodi non parentes, ab officiis ſuis & beneficiis ſuſpenſos declarari, declaratosque publice denuntiari facientes. Intimantesque nihilominus eisdem Clericis concubinariis præſentibus & futuris, quod, quicunque hujusmodi ſententias ſuſpenſionis, & pœnas, nec non requiſitionem & monitionem noſtras prædictas contemnere præſumpſerint, in rebellione & contumacia ultra 30. dies prædictos temere perduraverint, quod contra præſumptores eosdem etiam per excommunicationis, & deinde exigente contumacia, rebellione & duritia eorum, ad privationis beneficiorum, & alias graviores pœnas, prout protervitas eorum expoſtulabit, jurisque ac rationis ordo dictaverit, per Nos, aut noſtrum in Spiritualibus Vicarium procedemus, & procedi faciemus.

Ut præſens noſtrum mandatum, quoad omnes Clericos noſtrarum civitatis & Diœceſis, qui in præmiſſis culpabiles exiſtunt, efficaciorem ſortiatur effectum, honorabilem, Nobis in Chriſto ſincere dilectum Decanum Eccleſiæ noſtræ Bambergenſis, &, ipſo Decano abſente, Seniorem pro tempore ejusdem Eccleſiæ, in Domino hortamur, atque obſecramus, rogamus, requirimus, & monemus, quatenus infra definitum triginta dierum ſpatium præſentem hanc publicationem noſtram immediate ſequens, & poſtquam præſens mandatum & publicatio ſibi innotuerit, ad extirpationem prædicti vitii concubinatus, morumque reformationem, juris communis, præſentisque mandati noſtri, nec non omnium & ſingulorum aliorum Statutorum noſtrorum Synodalium, præcedentium & ſequentium, correctionem, emendationem, & executionem, quoad omnes & ſingulos, Clericos, ſuæ correctioni, reformationi, & jurisdictioni, in ea parte immediate ſubjectos, cujuscunque etiam ſtatus, gradus, conditionis, aut præeminentiæ fuerint, prout unumquemque reſpective concernunt, & transgreſſores culpabiles reperientur, cum effectu procedere non omittant.

Alio-

Alioquin ipſius Decani noſtri, vel Senioris prædicti, quod abſit, negligentia in hac parte exigente, ipſoque in correctione vitiorum, & exceſſuum, a jure communi, ac in præſentibus noſtris ſtatutis deſignatorum, atque prohibitorum, in prædicto dierum termino contra, ut præmittitur, ſibi ſubditos minime procedere curante, ſed forſan diſſimulante: eundem præſentibus certificamus, quod tam juxta juris communis, quam præſentis mandati noſtri diſpoſitionem, contra tales vitioſos, atque culpabiles, eidem Decano, ſeu Seniori ſubjectos, ad executionem omnium & ſingulorum ſupra dictorum, contra quoscunque, qui in hac parte culpabiles fuerint, vitiorumque eis prohibitorum extirpationem, morumque reformationem, prout tenemur, per Nos, aut noſtrum in Spiritualibus Vicarium, lapſo prædicto termino, cum effectu procedere curabimus, prout juſtitia exiget, ordoque dictaverit rationis.

Præterea intimatur, inſinuatur, publicatur, ac ad omnium & ſingulorum Rectorum Parochialium, ac Beneficiatorum quorumcunque, per prædictas civitatem & Diœceſin noſtras conſtitutorum, notitiam deducitur, eisque, & cuilibet eorum inhibetur, ne de cætero ipſi, vel eorum aliquis, alicui talium concubinariorum, ſeu hujusmodi mulierem, aut pueros habenti, Eccleſiam, vel Beneficium arrendare, ſeu locare præſumant, aut præſumat.

Inhibemusque ſimiliter prædicto in Spiritualibus Vicario, ac Notario noſtris, ne deinceps talibus commendam, curam animarum, adminiſtrationem, ſive acceſſum concedant, ſeu eosdem admittant, abſque ſpeciali noſtro mandato: ſed prorſus, & omnino amoveant, &, ſi forſan per ignorantiam Eccleſia, vel Beneficium eis, vel alicui eorum arrendaretur, commendaretur, ſeu acceſſus daretur; habita præmiſſorum notitia, ſine omni dilatione amoveri, & per Rectorem alium poni, ipſosque tam locantem, quam locatum, condigna pœna puniri volumus, de quibus omnes & ſingulos præſentibus certificamus.

TIT. XVIII. *De Clericis non reſidentibus, & diſtributionibus quotidianis.*

Inviolabili Conſtitutione prohibemus, ne diſtributiones, quæ ab Eccleſiis quibuscunque noſtrarum civitatis & Diœceſis, quæ pro defunctorum anniverſariis in quibuslibet etiam rebus pro tempore largiuntur, aliis perſonis, quam in officiis, ad quæ ipſæ diſtributiones deputatæ ſunt, curaverint perſonaliter intereſſe, juxta cujuslibet ordinationem Eccleſiæ rationabilem, jam factam, vel faciendam, tribuantur. Qui vero aliter de diſtributionibus iſtis quicquid receperit, niſi ipſum infirmitas, ſeu iſta & rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret, dominium receptarum rerum reſtituere teneatur. Volumusque ea, quæ ſimiliter de diſtributionibus quotidianis, non dandis abſentibus perſonis, cum exceptionibus in jure conſtituta ſunt, firmiter obſervari. Inſuper etiam ſub ſuſpenſionis & privationis fructuum, & Beneficiorum pœna diſtricte inhibemus, ut nullus Beneficiatus noſtrarum civitatis & Diœceſis ab Eccleſia ſua, vel Beneficio ſuo, ad quam, ſeu quod, intitulatus exiſtit, ſe abſentare velit, niſi Noſtra, aut Vicarii noſtri licentia deſuper obtenta; non obſtantibus quibuscunque confirmationibus Beneficiorum, ac aliis forſan in contrarium facientibus.

TIT. XIX. *De Præbendis, & conceſſione earundem.*

Pro communi bono, decore Eccleſiarum, ac cultu Divino augmentando ſtatuimns, ut Præbendarii, aut Beneficiati Parochialium Eccleſiarum ſuis Plebanis & Viceplebanis reverentiam exhibeant, ac in Proceſſionibus, Matutinis, Miſſis, Veſperis & Completoriis, in plenis officiis, & in Feſtis, quæ cum novem lectionibus peraguntur, ſimiliter Dominicis diebus, ſupelliceati interſint; cum per hoc ipſi Præbendarii, Primiſſarii & Beneficiati ab otiis, & aliis illicitis retrahantur, quod ſub pœna ſuſpenſionis per præſentes mandamus & obſervari volumus.

Inſuper inhibendo monemus omnes Rectores Eccleſiarum & Capellarum, ne fru-

fructus suarum Ecclesiarum, Vicariarum, Capellarumque & Beneficiorum, redditusque eisdem antiquitus deputatos, præsumant inantea minorare: quodsi attentare præsumpserint, id, quod egerint, irritum habeatur, & contra præsumptores, tanquam præsentis statuti transgressores, per censuram Ecclesiasticam procedi omnino volumus: super quo etiam in investitura concedenda juramantum desuper deferri mandamus. Statuimus, quod cum aliquis Rector Ecclesiam, aut Vicarius Vicariam adepti fuerint, si aliqua pacta, vel juramenta, statuto alicui derogantia aut juri contraria, vel quæcunque alia illicita, in quibuscunque aliis contractibus fuerint interjecta, ea pro non adjectis, sed irrita habeantur: & talia promittentes & jurantes pro hujusmodi promissionibus temerariis & illicitis juramentis pœnitentiam agere & emendam condignam facere teneantur.

Quoddam statutum Prædecessorum nostrorum in certa sua ambiguitate reformantes, omnibus & singulis Parochialium Ecclesiarum Rectoribus sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & officio latæ sententiæ, quam contrarium facientes volumus incidere ipso facto, districtius inhibemus, ne Vicarios, quos in suis Ecclesiis, etiam Sede Episcopali vacante, aut Nobis extra nostram Diœcesin constituto, locare tendant, seu regimen curæ animarum, absque Nostra, vel Successorum nostrorum, seu tempore vacationis prædictæ Senioris partis Capituli, licentia & permissione, permittant quomodolibet exercere: exercentes autem similem pœnam similiter incurrere volumus, & ad graviorem procedemus.

Sub pœna suspensionis latæ sententiæ districtissime inhibemus, ne aliquis Rector Parochialis Ecclesiæ in hujusmodi sua Ecclesia, vel Capellis, sub limitibus etiam ejusdem existentibus, aliquem Presbyterum ad officiandum pro alio, sine nostra licentia, ad Divina admittat: nec etiam sub eadem pœna nullus Beneficiatus nostræ civitatis & Diœcesis Beneficium, ad quod intitulatus existit, per alium officiet, nisi id ei per Nos, aut authoritate nostra, dispensative sit permissum.

Quo casu non per aliquem Religiosum, cujuscunque etiam religionis existat, sed per sæcularem Clericum, officii sui executionem habentem, suppleat vices suas: nullusque sub eadem pœna Ecclesiam vel Beneficium hujusmodi etiam confirmatum absque nostra speciali licentia regat, seu quovis modo officiare præsumat, seu ad regendum aliquis se intromittat.

Grave nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, & alii sæculares, ac Religiosi, Capitulaque & Conventus, cum possint viros idoneos ad Ecclesiæ Beneficia & Ordines Sacros præsentare; assumere & promovere non verentur indignos, rudes, & ignaros, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia, neque ætatis maturitas suffragantur: unde quanta exinde Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat, ex hinc etiam status Ecclesiasticus deformatur, salus animarum negligitur, & alia plura mala & scandala exinde sequuntur.

Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermissis indignis, idonei ad Beneficia Ecclesiastica & ad Ordines Sacros præsententur, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum efficere famulatum: contrarium vero facientes, & præsumentes, pœnis a sacris Canonibus constitutis decernimus justitia mediante, puniendos.

Inhibentes strictissime Vicario nostro in Spiritualibus, qui est, & qui pro tempore erit, & aliis quibuscunque, ne aliquos sæculares vel regulares ad Beneficia Ecclesiastica, præsertim quibus cura imminet animarum, admittant, seu investiant, & ad Sacros Ordines promoveant seu promoveri permittant; nisi prius tales de & super scientia, moribus & ætate, ac cæteris de jure necessariis, diligenter fuerint examinati, & idonei reperti: sic, quod in omnibus & per omnia diligens cura adhibeatur, ut digni promoveantur, & indigni repellantur; quia melius est, paucos bonos, quam multos malos habere ministros: si enim cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur. Et si secus incaute fuerit præsumptum, non solum dejiciendus est indigne promotus, verum etiam promovens

vens indignum animadverſione condigna puniendus erit.

Quoniam, ut non ambigimus, ex fonte avaritiæ illa provenit enormitas, quod nonnulli Eccleſiarum ac dignitatum Prælati, Abbates, Abbatiſſæ, Præpoſiti, Commendatores, Decani, Priores, Prioriſſæ, & certæ Perſonæ Eccleſiaſticæ, exempti & non exempti civitatis & Diœceſis noſtrarum, quibus Parochiales Eccleſiæ ſunt incorporatæ, annexæ, ſeu unitæ, & in quibus jus obtinent Patronatus, ſeu Rectorum præſentatio pertinet ad eosdem, de proventibus ipſarum Eccleſiarum tantum percipiunt annuatim, quod Rectores ipſarum Eccleſiarum non poſſunt de reſiduo, ſeu portione eis adſignata commode ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia eis incumbentia onera ſupportare: imo, quod deterius eſt, ad ipſas Eccleſias promoveri, dum vacant, cupientes, non aliter præſentent, ſeu admittant, niſi prius jurent & promittant, vel alias per litteras, ſeu inſtrumenta ſe adſtringant, ſeu obligent, quod de certa portione debeant eſſe contenti, ultra forſan incorporationes, per Sedem Apoſtolicam, aut Prædeceſſores noſtros factas, quæ interdum portio ita exigua eſt, & modica, quod nedum præmiſſa onera ſubire valeant; ſed etiam miſerabiliter ſub tanta laborum & onerum ſarcina in opprobrium Sacerdotalis dignitatis egere coguntur, propter quæ ſæpius contingit, quod non inveniantur perſonæ idoneæ, quæ hujusmodi Eccleſias velint recipere, ſic quod frequenter etiam minus idoneis conferantur, ex quibus pericula imminent animarum.

Nos volentes ſuper præmiſſis, prout Nobis ex noſtro officio incumbit, remedium adhibere, ipſis Vicariis perpetuis onus diei & æſtus portantibus ſalubriter ſubvenire, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub obteſtatione Divini Judicii diſtricte præcipimus, & mandamus vobis omnibus & ſingulis prædictis, quatenus infra trium menſium ſpatium, a publicatione præſentium numerandum, Vicariis ipſis perpetuis, in prædictis Eccleſiis inſtitutis, ſive inſtituendis, congruas portiones non habentibus, de quibus iidem Vicarii congrue ſuſtentari, & Epiſcopalia jura ſolvere, ac alia eis incumbentia onera valeânt ſupportare, quibuscunque impedimentis, pactis, ſeu obligationibus penitus rejectis, & remotis, adſignent, & effectualiter tradant. Quas quidem portiones, ſi forſan intra terminum prædictum aſſignare, & cum effectu tradere neglexerint, aut aliquis eorum neglexerit; Nos ex tunc authoritate noſtra ordinaria, & etiam Apoſtolica, a ſacris Canonibus Nobis tradita, ad hujusmodi adſignationem faciendam in Eccleſiis, & Vicariis, in quibus opportunum fuerit, prout jus dictabit, & ordo exegerit rationis, juſtitia procedemus, & alias negligentias eorum, & cujuslibet ipſorum puniemus, quod cæteris cedet in exemplum: exemtionibus, & aliis privilegiis non obſtantibus quibuscunque.

TIT. XX. *De Inſtitutionibus.*

Statuimus, ut nullus Clericus, ad curam animarum a noſtro Vicario admittatur, niſi prius juraverit obedientiam, & quod nullam in acceptione Beneficii, ad cujus curam eſt præſentatus, commiſerit ſimoniam, quodque bona ejusdem Beneficii non velit alienare, alienata pro poſſe recuperare.

Beneficiorum perpetuorum fundationes, inſtitutiones, & confirmationes, quæ ordinaria authoritate fient, literis, ſeu inſtrumentis publicis, & authenticis conſcribi ſtatuimus, & confirmari. Inſtrumenta quoque & litteras, ſuper quibuſcunque inſtitutionibus, ſeu confirmationibus confecta, & conficienda, omnibus, quorum intereſt, communicari volumus, & mandamus, etiam in ſimplicibus & authenticis copiis ſecundum petentium voluntatem.

TIT. XXI. *Ne Sede vacante aliquid innovetur.*

Statuimus, ut quicunque bona Eccleſiæ, Sede vacante, aut Epiſcopo defuncto, ab eo relicta occupaverit, ipſo facto excommunicationis ſententiam, quam ferimus in his ſcriptis, incurrat, quam Succeſſor inviolabiliter faciens obſervari nullus relaxet, ſine reſtitutione, & ſatisfactione condigna, de Capituli conſenſu & conſilio.

TIT.

TIT. XXII. *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.*

Cum Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, quidam Ecclesiarum Patroni personis idoneis prætermissis, tales ad ea præsentant, qui portione aliqua debent esse contenti, reliquum suis usibus totaliter applicando. Unde, ad hujusmodi malam perniciem extirpandam statuimus, quod si tales Clerici se de portione debita spoliari videntes, ad Nos, vel Vicarium nostrum non detulerint, sint ipso facto suspensi: & nihilominus eisdem Ecclesiis spolientur, & Presbytero idoneo provideatur de ipsis: Si vero ad Nos detulerint quæstionem, ipsum Patronum per censuram Ecclesiasticam ad hujusmodi molestationem compensari volumus, & mandamus; adjicientes nihilominus, quod, si in hoc pertinax Patronus extiterit, ad præsentationem talis Ecclesiæ vel Beneficii nullatenus admittatur.

TIT. XXIII. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Quia plures Rectores Ecclesiarum Parochialium, simplicitate, ac juris ignorantia, in affectione carnali, quam habent in suos, seducti, redditus & fructus Ecclesiarum suarum, ut accepimus, in magna quantitate aliquando vendunt, seu alias alienant ad tempus, sub quibusdam coloribus & figmentis, asserentes, se velle venditionis pretia in utilitatem Ecclesiarum convertere; & sic dictum pretium convertunt damnabiliter in utilitates consanguineorum, vel familiarum suarum, aut aliorum, ex quo Ecclesiæ frequenter sustinent detrimenta; hunc igitur contractum decernimus irritum & inanem.

Prohibemus etiam, ut nullus propter debitum, aut fidejussoriam obligationem singularis personæ alicujus Ecclesiæ Ecclesiastica bona capiat, vel quæ ad Ecclesiam & Capitulum ipsius Ecclesiæ pertinent. Qui vero contra fecerunt, nisi moniti, intra quindenam, a die monitionis numerandam, bona hujusmodi restituerint Ecclesiæ, vel Capitulo, ad quos pertinent, excommunicationis latæ sententiæ, quam ex nunc ferimus, subjacere volumus ipso facto.

Calices quoque, vasa, ac alia Ecclesiæ ornamenta, furtim, vel raptim Ecclesiis rapta, vel aliis piis locis, sub pœna restitutionis ablatorum, nullus emat, vendat, vel pignori obliget, vel ad obligationem recipiat. Nullus etiam de cætero, cum Advocatis Ecclesiarum *guerras* habens, bona Ecclesiarum, quarum ipsi Advocati defensores existunt, prætextu guerrarum hujusmodi surripiat, aut Ecclesias ipsas, vel villas earum, & loca incendio vel hostilitate devastet, aut homines earum spoliet suis bonis.

Qui vero contra fecerit, ipso facto excommunicationis sententiam, quam ferimus in his scriptis, incurrat: a qua non valeat absolvi, nisi prius ablata restituat, aut pro damnis satisfaciat.

TIT. XXIV. *De Permutatione Beneficiorum.*

Permutationis Beneficiorum nullum inferiorem Episcopo, seu Nobis, posse impartiri authoritatem, de jure declaramus. Et tales permutationes factas sine nostra, aut Episcopi authoritate, carere viribus declaramus: ipsas, si quæ factæ sint, vel fierent, cassamus, & irritas nunciamus.

TIT. XXV. *De Testamentis, & Executoribus eorundem.*

Hac Sacrosanctæ Synodi authoritate firmiter statuimus, ut unicuique, quem jura non prohibent testari, in sanitate, vel lecto ægritudinis constituto, legandi, disponendi, & ordinandi de bonis sibi a Deo collatis, circa pia loca, & personas Ecclesiasticas, vel sæculares, dummodo suos hæredes contra sanctiones legitimas non prætereat, sit libera voluntas. Reprobamus quamcunque constitutionem, vel in contrarium statutum non valere; volentes itaque & præcipientes, ut per universos Prælatos, & Judices Ecclesiasticos, omnes Clerici & Laici impedientes defunctorum legata, seu ultimas voluntates, per excommunicationis sententiam, & alias censuras compellantur, ut debitos suos sortiantur effectus.

Intelleximus, quod nonnulli tam religiosi, quam sæculares Clerici & Laici, Divino timore Dei postposito, in suarum periculum animarum, pecunias, res, &

bona

bona, quæ per manus eorum ex teſtamentis decedentium deberent in uſus certos, etiam pios diſtribui, ſeu expendi, aliis uſibus applicare non formidant, ac ſæpe negligentias, dolos, & fraudes quam plures circa executionis officium committunt, quandoque nullatenus, quandoque tardius id, quod eis commiſſum eſt, exequendo: Et quod deterius eſt, pecunias, res, & bona ipſa ſibi quandoque uſurpant, & in uſus proprios convertunt: frequenter etiam, quod longe minori pretio, quam alibi vendi poſſent commode, ad exiſtimationem propriam ſibi recipiunt, & diſtrahunt; itaque ut plerique non executores, ſed conſumptores, ſive dilapidatores, ſeu ſubtractores appellari potius mereantur. Cum igitur ad noſtrum ſpectet officium, piis ultimis voluntatibus providere, ut ſecundum voluntatem defuncti univerſa procedant, & exequantur: ideo contra præmiſſas fraudes, & dolos, & negligentias, intendimus remediis opportunis providere, prout ad noſtrum Paſtorale ſpectat officium.

Statuimus, ut quicunque de executione relictorum, maxime Clericorum decedentium, ſe intromittere velint, debeant, & teneantur intra unius menſis ſpatium, a tempore obitus defuncti, de legitima ſua conſtitutione fidei commiſſaria, ſive executoria ultimæ voluntatis, nec non teſtamento, ſive defuncti hujusmodi ultima voluntate, coram Nobis, vel Vicario noſtro, plenam & idoneam facere fidem, ac ſe ad executionem ejusdem admitti obtinere: & antequam manus (præterquam ad depoſitionem) apponant ad exequendum, vel relicta bona defuncti diſpenſandum, inventarium, ſub manu authentica, vel, ubi Notarius commode haberi non poterit, coram fide dignis perſonis, de bonis inventis, aut relictis per defunctos omnino conficere, ac poſt lapſum anni, a tempore mortis teſtatoris computandum, ſimiliter unius menſis ſpatium, Nobis, aut Vicario noſtro, & Procuratori Fiſci noſtri, integram de inventis & diſtributis diligentem facere rationem. Si quis vero aliter, & præmiſſis non obſervatis, bona cujuscunque, præſertim Clerici, diſpenſare, aut ſe de executione facienda (*intromittere*) præſumpſerit, talem Fiſco noſtro Epiſcopali in quinquaginta florenorum Rhenanorum ſumma irremiſſibiliter perſolvendorum mulctari, & puniri volumus eo ipſo.

Diſcordias & diſſenſiones, quæ ſæpe inter teſtamentarios defunctorum Beneficiatorum, de & ſuper portione fructuum deſervitorum oriuntur, removere cupientes, ſtatuimus, & ordinamus, quod quicunque Beneficiatus noſtrarum civitatis & Diœceſis Bamberg., qui vixerit uſque ad diem Sancti Jacobi majoris incluſive, etiamſi contingat eum mori eodem die, habere debet omnia ſingula blada Beneficii ſui, videlicet triticum, ſiliginem, & hordeum pro deſervitiis, ut ſibi, & ſuis teſtamentariis perſolvantur, & in uſum defuncti convertantur. Qui autem ad feſtum Sancti Michaelis vixerit, aut eodem die mortuus fuerit, habebit avenam, vinum, aliaque ſeminum genera, & fructus quoſcunque, etiam pullos autumnales. Qui vero uſque ad Sancti Martini, pecuniarum cenſus: Nativitatis Chriſti, encenia: Eſto mihi, pullos, carnes priviales: Paſchæ, ova, ventres agnellorum: Pentecoſtes, encenia: Walpurgis, pecuniarum cenſus.

TIT. XXVI. *De Sepulturis.*

Periculis animarum & ſcandalis obviare volentes, inhibemus, ne ſæcularis, regularisve perſona, cujuscunque ſtatus, vel conditionis exiſtat, quemquam inducat verbis, nutibus, vel ſignis, ut alienam eligat ſepulturam, vel ut electam jam immutet.

Quorundam utriuſque ſexus hominum malitiis, qui in animarum ſuarum ſalutis diſpendium, & ſcandalum plurimorum non ſolum contra prohibitionem Apoſtolicam, ſed etiam in detractionem Rectorum Parochialium Eccleſiarum, & proximi nocumentum, multos verbis, nutibus, ſignis, aliisque ſuaſionibus allectivis, tam in mortis periculo, quam in ſanitate conſtitutos, inducunt, quod omiſſa propria, videlicet eorum Parochialis Eccleſiæ ſepultura, alienam eligant, vel quod electam immutent: ex Paſtoralis officii debito volentes opportune obviare, univerſis Chriſti fidelibus utriusque ſexus, cujuscunque ſtatus, aut conditionis exiſtunt, per noſtras civitatem & Diœceſin conſtitutis, ſub interminatione maledictionis perpetuæ, in virtute ſanctæ obe-

obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, nec non suspensionis a perceptione Sacramentorum, districtissime prohibemus, ne quisquam ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias, ad promittendum, quenquam ad hoc inducat personam, quod propriam, sicut præmittitur, sepulturam dimittat, & alienam eligat, vel quod jam electam immutet. Alioquin quicunque hujus nostræ prohibitionis violator fuerit, præsentis constitutionis edicto pœnis excommunicationis, & suspensionis hujusmodi tamdiu se noverit innodatum, donec per Nos, aut eum, cui nostras in hac parte vices commiserimus, præterquam in mortis articulo, digna pœnitentia & satisfactione præcedentibus, fuerit absolutus.

Quia etiam ordo juris confunditur, si jus suum unicuique non servatur, statuimus ordinando, ut Personæ Ecclesiasticæ tam sæculares, quam regulares, cujuscunque ordinis, vel status existant, qui alterius Ecclesiæ Parochianum, per electionem sepulturæ rite & legitime factam ad suam Ecclesiam, vel cimiterium susceperint tumulandum, Rectori ejusdem Parochiæ, de quibuscunque obventionibus, occasione illius funeris provenientibus, secundum Statuta Canonica, quartam partem intra quindenam, post ejusdem funeris tumulationem, & dicti Rectoris requisitionem, integre persolvere teneantur. Alioquin, salvis aliis juris pœnis, omnes, qui in dicta quarta parte solvenda in termino prædicto se negligentes exhibuerint, per censuram Ecclesiasticam præcipimus coerceri, tanquam aliena temere, vel de facto detinentes.

TIT. XXVII. *De Parochiis.*

Sane gravis & clamorosa nostris auribus inculcatur querela, quod nonnulli suis juribus & finibus non contenti, Parochianos alienos præsumunt recipere temere ad Divina, contra Canonicas Sanctiones: & cum dictorum Parochianorum Judices non existant, nec ligandi, nec etiam absolvendi in eos acceperint potestatem, se tamen Judices faciendo in foro spirituali, periculose absolvunt, & ligant pro suo aliquando libitu voluntatis.

Sicque ipsis, qui proprios spernunt Presbyteros, minime absolutis, illud salutiferum nostræ peregrinationis viaticum cum labe .... in animarum suarum, & eorum, qui non dijudicantes indiscrete recipiunt, conferre periculum non verentur. Sicque dicti eorum (*Parochi, qui*) suam pro ipsis animam obligarunt, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes ipsorum, non possunt, quod in eis ægrotum est, sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum: & sic dum curationis necessariæ non adhibentur remedia, invalescentibus morbis usque ad interemptionem læsio dilatatur: unde Sacerdotes nullam possint de sic pereuntibus animabus superno judici reddere rationem. Nos Sanctorum Patrum, qui Ecclesiæ Sanctæ Dei & Personis Ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes, hujus Sacræ Synodi approbatione, universis Sacerdotibus, tam religiosis, quam sæcularibus cujuscunque ordinis, conditionis sive status existant, in civitate & Diœcesi nostris degentibus, sub debito juramenti, quod Nobis in receptione Sacerdotii præstiterunt, ac sub interminatione Divini Judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum præsumat, excepta necessitatis causa, quæ legem non habet, ad confessionem recipere; vel ei aliquod Ecclesiasticum Sacramentum porrigere, nisi petita desuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis, cum certi indubitati juris existat, talem a tali crimine solvi non posse aliquatenus vel ligari: & ex hoc ordinem Ecclesiæ, per majores & Sanctos Patres, per Divinam providentiam institutum, confundi, *quod* per universos Plebanos coram suis plebibus præcipimus publicari.

TIT. XXVIII. *De Decimis, primiceriis & oblationibus.*

Quia Dominus in signum universalis Dominii decimas pro ministris Altaris retinuit, Canonicaque præterea sanctio jubeat, eas de omnibus fructibus, cum integritate persolvi; statuimus, quod laici decimas ipsas de agris, pratis, hortis, & arboribus, nec non de omnibus fructibus, qualitercunque e terra nascuntur, Clericis seu Parochialibus Ecclesiis, nullis deductis expensis, sive messorum, sive familiæ, aut mercenariorum sit pretium, etiamsi

amsi de uno fundo, & uno anno pluribus vicibus crescant, atque proveniant plures fructus, & similiter de animalibus, & aliis rebus licite adquisitis, sine omni fraude integraliter tribuant & exsolvant.

Volumus igitur, ut Plebani & Rectores Ecclesiarum, & alii Prædicatores in prædicationibus publicis, & confessionibus secretis, charitative persuasioneque bona populum inducant, declarando, quod ad hujusmodi integralem solutionem decimarum, ex præcepto Ecclesiæ sint adstricti.

Decimas igitur Sacri Canones sine diminutione, & sine expensarum deductione jubent Clericis exsolvi: ideoque mandamus, quatenus ipsis de fructibus statim, postquam collecti fuerint, & non deductis expensis, cum integritate exsolvantur.

Licet omnis Christianus ad Missarum solennia aliquod munus Deo offerre teneatur, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus: in præcipuis tamen Festivitatibus, per anni circulum occurrentibus, quas juxta Ecclesie longævam consuetudinem quatuor fore præ aliis censemus: Nativitatis scilicet Domini nostri JESU Christi, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ad oblationes & offertoria omnes & singulos nostros subditos in suis Parochialibus Ecclesiis Sacerdotibus suis Curatis teneri, præsentibus declaramus, statuendo, nisi aliud forsan in quibusdam Ecclesiis ex longa consuetudine introductum.

TIT. XXIX. *De Regularibus.*

Claustra Monialium omnibus, & maxime Clericis omnino interdicimus, inhibentes sub privatione honorum Abbatissis & Priorissis omnium Monasteriorum nostrarum civitatis & Diœcesis, ne Monialium aditum Clericis vel laicis præbeant, nisi ex manifesta & rationabili causa, sine dispensatione. Monachi & Moniales quicunque habitum deferant, secundum quem professio eorum exigit, congruentem, & de hoc ipsorum Prælati & Prælatæ sic provideant, ne ipsis ex ipsorum circa hoc commissa negligentia debitam pœnam cogamur infligere; ne ipsi Monachi & Moniales habitum suum contra præsentis constitutionis tenorem illicite deponentes, laqueis sententiæ Canonis contra tales latæ se involvant. Fragilitati sexus Monialium ex corde compatiendo, magnam tentationis occasionem removere volentes, universis & singulis, cujuscunque status, gradus, ordinis & præeminentiæ existant, Clericis in majoribus ordinibus constitutis, sub suspensionis ab ingressu Ecclesiæ & Divinis officiis, & laicis sub excommunicationis pœnis, districtius inhibemus, ne de cætero alicujus Monasterii Monialium prædictarum nostrarum civitatis & Diœcesis, cujuscunque etiam ordinis fuerit, septa, videlicet, ambitum, dormitorium, refectorium, domos, quas ipsæ Moniales inhabitant, aut hortos communes, vel speciales introire, aut cum Monialibus ipsis commessationes, aut confabulationes suspiciosas in dictis vel aliis Monasteriorum locis, habere præsumant; nisi ipsis a Nobis, & Vicario nostro, aut nostram desuper authoritatem habente, vel ab eorundem Monasteriorum visitatoribus expressa ad hoc licentia concedatur.

TIT. XXX. *De Jure Patronatus.*

Statuimus, quod si Clericus, sive laicus Ecclesiæ Patronus, Rectore ejusdem defuncto, spoliat dotem aut domum, ad Beneficium spectantem, sive Ecclesiam; jure præsentandi, est ea vice privatus, & Superior illam Ecclesiam vel Beneficium illa vice conferre licite habebit. Statuimus etiam contra Patronos Ecclesiarum, qui bona Clericorum decedentium sibi usurpant, ut a Jure Patronatus, & Præsentandi illa vice cadant penitus ipso facto.

Item prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ latæ sententiæ, & sub obtestatione Divini Judicii, ne Sacerdotes & aliæ Ecclesiasticæ Personæ, a Patronis Ecclesiarum, ad Ecclesias Parochiales vacantes, nomine & vice alicujus minoris impuberis, vel alterius ætatem legitimam non habentis, se faciant pro veris Rectoribus præsentari: quia ex isto execrabili abusu, qui irrepsit, pro dolor! in nostra Diœcesi, ut accepimus, Ecclesia Dei & animæ fidelium damnabiliter decipiuntur, præter alia mala, quæ ex his pul-

pullulant, & etiam ipsa Ecclesia inficitur simoniaca pravitate; qui quidem sic instituti apud laicos Kirchtrager vulgariter nuncupantur: & qui hactenus præsentati sic fuerint fraudulenter, eos a se abdicent & resignent, quod sub prædicta suspensionis ab ingressu Ecclesiæ pœna firmiter præcipimus per præsentes.

Si plures Clerici a diversis Patronis ad Beneficia Ecclesiastica Nobis fuerint in discordia præsentati, ac unus Patronorum per se, aut alium, sive alios, Clericum ab altero Patrono, seu prætendente præsentatum capit, vulnerat, vel occidit: ne tam detestabile vitium in nostra civitate & Diœcesi ultra sibi locum vendicet, hujus sacri approbatione Synodalis statuti statuimus, quod, si Patronus in præmissis, aut eorum aliquo notorie culpabilis repertus fuerit, ipso facto sit jure Patronatus, si quod illi in dicto Beneficio, seu ad ipsum competiit, perpetuo spoliatus.

Statuimus etiam insuper, ut si Clericus ad Beneficium Ecclesiasticum in discordia præsentatus, aut alias suum captivaverit adversarium, vel vulneraverit, aut hoc fieri mandaverit, seu suo nomine factum hoc ratum habuerit, sit ipso facto jure suo, quod sibi contra adversarium competiit, & competere poterat, privatus, salvis pœnis, contra tales, & præcipue contra offensores & occisores Clericorum quomodolibet promulgatis.

TIT. XXXI. *De Censibus.*

Libertatem Ecclesiasticam tueri, ac prodigalitatem Clericorum nostrorum prohibere cupientes, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, quam ferimus in his scriptis, districte inhibemus, ne quisquam Clericus nostrarum civitatis & Diœcesis, cujuscunque etiam gradus, status, ordinis, aut conditionis existat, sine nostro consensu, etiam ex quacunque causa, se, aut subditos suos cuiquam sæculari personæ constituat censuales, vel ad protegendum se submittat; quin imo si cuiquam se censuales constituissent; sub eadem pœna intra duorum mensium spatium liberos, & absolutos facere teneantur: neque sub eadem pœna præsumant Beneficiati, sine hujusmodi nostro consensu, fructus, redditus ac bona suorum Beneficiorum in perpetuum oppignorare, vendere, locare, commutare, aut quovis modo alienare.

TIT. XXXII. *De Consecratione Ecclesiæ & Altaris.*

Distincte inhibendo, sub excommunicationis pœna, quam ferimus in his scriptis, mandamus, ne de cætero in cœmeteriis non consecratis, vel violatis corpora defunctorum, in communionem decedentium sine nostra licentia tumulentur: nec in his locis non consecratis, vel Ecclesiis, aut Altaribus violatis, sub eadem pœna, Divina celebrentur officia, nisi ex nostra permissione, aut speciali, aut expressa desuper obtenta licentia.

TIT. XXXIII. *De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ.*

Sanctissimum Christi Corpus, quod digna veneratione non sufficit commendari, cum extra Ecclesiam deportatur, veneratione mandamus solita venerari: videlicet, ut Presbyter superpelliciatus cum stola circa collum illud reverenter portet ante pectus, nisi loci distantia, aut temporis qualitas aliud deposcat: Clericus vero superpelliciatus similiter, aut honestus laicus præcedat cum campanella, aut lumine, tintinnando; id vero audientes, videntes, vel scientes fieri, & obviantes, donec Sacerdos transeat, genuflectant & dicant, devote ad minus ter orationem Dominicam cum salutatione Angelica. Nos tam Presbytero & Clerico, quam singulis aliis prædictis, qui pro reverentia tanti Sacramenti genuflectunt, etiam ad infirmum & inde ad Ecclesiam devote sequentibus vere pœnitentibus & confessis, qui orationem & salutationem prædictas dixerint, quadraginta dies indulgentiarum, pro qualibet vice de injunctis sibi pœnitentiis authoritate, qua fungimur, in Domino relaxamus; Presbyter vero, qui aliter, vel occulte ipsum portare præsumpserit, præter offensam Divinam, pœnam excessui condignam, a Nobis formidabit.

Felicis recordationis olim URBANUS Papa VI. pio ductus proposito, omnibus vere pœnitentibus & confessis,

Sacro-

Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos portatur, & reportatur, devote associantibus, centum dies indulgentiarum misericorditer in Domino relaxavit; quod in sermonibus (*quos*) ad populum facere contigerit, Christi fidelibus frequentius insinuare mandamus.

Statuimus insuper, ut nullus Sacerdos hoc Sacramentum in colopedibus transiens tractare præsumat, & cum omni reverentia, cautela & timore illud portet. In nulloque indecenti loco illud ponat, sed ad Ecclesiam de infirmo studeat reportare.

Item quivis Rector Ecclesiæ hortetur plebem suam, ut infirmi tempestive, & jejuni Sacramenta percipiant, nisi periculum mortis aliter exposcat, si immineret.

Item, si Sacerdos aliquid post medium noctis per modum cibi, vel potus sumpserit, debet sequenti die penitus a celebratione Missæ abstinere.

Præcipimusque Missas a Presbyteris cum omni cordis puritate, devote, & attente celebrari, verbaque extra Canonem altiori & intelligibili voce proferant, ut possint a circumstantibus audiri: & attendant omnino, ne quid de forma consecrationis tam panis, quam calicis omittatur, verbaque integra consecrationis cum intentione perfecta proferant.

Item pueri carentes usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum corporalem & spiritualem, ad sumptionem corporis Christi, nullatenus admittantur: cum ad ejus susceptionem requiratur devotio actualis.

Incipientibus autem habere discretionem, etiam ante perfectam ætatem, puta cum fuerint undecim, duodecim, vel tredecim annorum, & alias, quando in illis signa devotionis, discretionis, ac fervor, vel desiderium rationabiliter apparuerint, corpus Dominicum ministretur.

Item caveant Sacerdotes, ne Hostiam, cum qua celebrandum, tam diu conservent, quoad incipiat corrumpi, ac in ea sit aliqua dispositio corruptionis: ex tali enim scienter conficiens, peccat graviter propter irreverentiam Sacramenti.

Insuper & corpus Domini nostri JESU CHRISTI usque ad corruptionem specierum panis nullatenus conservetur, sed ad minus innovetur singulis septimanis, aut quindenis, juxta loci qualitatem: tamen super custodia, & renovatione ipsius Sacramenti curam habens, custoditum sumere, & loco sumpti aliud consecrare, non differat ultra mensem.

Item Sacerdotes sint cauti, quando præparant calicem, ne vinum omnino sit acetum factum, vel acetosum, aut acetum putridum, vel pendulum, seu corruptum, & aqua parum apponatur, ut a vino de facili & totaliter absorbeatur.

Item si musca, aut aranea, aut aliud immundum aliquid in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur, & abluto calice de novo præparetur: si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, illud caute capiatur, & diligenter lavetur, & comburatur, ablutioque simul cum cineribus ad Sanctuaria in Ecclesia recondatur.

Item, si Sacerdos ante consecrationem corporis Domini percipit, vinum & aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare; si vero post consecrationem verborum percipit, quod aqua desit, debet nihilominus procedere, nec debet aquam vino jam consecrato miscere, quia sic sequeretur corruptio Sacramenti: si vero percipit post verba consecrationis, quod vinum non fuerit in calice, siquidem hoc percipiat ante consumtionem corporis Domini, debet deposita aqua, si inibi fuerit, imponere vinum cum alia aqua, & resumere verba consecrationis sanguinis; sed si percipiat post sumptionem corporis, debet apponere aliam hostiam iterum simul consecrandam, cum sanguine, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur ordo debitus consecrandi.

Item si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit super tabulam, quæ solet esse sub pedibus Sacerdotis celebrantis, lingua lambatur, & tabula radatur, & igne comburatur, & cinis juxta Altare condatur; sed Sacerdos pœniteat quadraginta diebus.

Si vero super Altare, interposita palla, stillaverit calix, sorbeat minister, & diebus tribus pœniteat. Si super linteum Altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat, & lintea-

mina,

mina, quæ tetigerit illa ſtilla, tribus vicibus Sacerdos abluat, calice ſuppoſito, & aqua abluitionis ſumatur, & juxta Altare condatur; prædictis autem diebus pœnitentia eſt injungenda: poteſt tamen injungi pœnitentia arbitraria penſatis conditionibus, negotio & cauſa.

Item ſi quis per ebrietatem, voracitatem, vel infirmitatem, Euchariſtiam evomuerit, debet vomitus ille ſumi diligenter, & cremari, & cineres juxta Altare recondi.

Ut Clerici, qui in ſortem Domini exiſtunt vocati, obſequium debitum Deo præſtent, diſtricte ſub excommunicationis pœna, quam in his ſcriptis ferimus, omnibus ſubjectis Nobis Clericis ſæcularibus præcipimus & mandamus, quatenus horas Canonicas, reliquumque Officium Divinum, diurnum pariter & nocturnum juxta ordinationem rubricæ Breviarii, quo in Eccleſia noſtra Bambergenſi utimur, per totum anni circulum legendo dicant & cantando, non tranſcurrendo, ſincophando, extranea & plerumque vana, profana & inhoneſta verba, ſive colloquia varia intermiſcendo, ſed rite & devote, infirmitatis & alia legitima cauſa ſive impedimento ceſſante.

Miſſaſque juxta confirmationes Beneficiorum & anniverſariorum inſtitutionem legere & celebrare, ac anniverſarios obſervare ſtudeant, nec ſe in illis negligentes conſtituant, alias ad prædictam ac acriorem pœnas contra tales mandamus procedi.

Volumus ac diſtricte præcipiendo prohibemus, ne Sacerdotes pro adminiſtrandis Sacramentis, vel pro ſepultura fidelium, munera quantumcunque modica, a ſuis ſubditis exigant aut extorqueant. Ipſis autem Sacerdotibus non interdicimus, ut ſi ſubditi eorum poſt Sacramentorum adminiſtrationem, aut poſt funerum ſepulturam, laudabilem & devotam conſuetudinem, pro hujuſmodi Sacramentorum adminiſtratione a fidelibus introductam, nollent obſervare, . . . ad hoc officium noſtrum, ſeu Vicarii noſtri implorando poſſint iidem ſubditi licite coarctari, &, prout jus dictaverit, conſueta ad perſolvendum compelli.

Ad decorem domus Domini, & ad cultum Divini Officii ampliandum, & ut Chriſti fideles ad Divinorum Officiorum frequentiam, ac etiam devotionem ſalubrius invitentur, ſtatuimus & ordinamus, & nihilominus curatis Sacerdotibus injungimus per præſentes, quod ipſi de cætero in Eccleſis ſuis debitis horis quotidie pulſato campanæ ad hoc ſigno, non in cameris ſuis, aut aliis locis, ut nonnulli ex eis hactenus facere ex accidentia conſueverunt, ſaltem matutinum & veſpertinum officium dicant in iiſdem Eccleſiis, cum fieri poterit, niſi eos neceſſitas, ſeu impedimentum aliquod ab hoc retrahat & excuſet: quia ex ipſo abuſu plures libri Eccleſiarum hujuſmodi furtim aſportantur, & etiam deteriorantur graviter; alioquin ipſi Presbyteri ad hujuſmodi librorum prædictorum & deteriotatorum reſtitutionem tenebuntur, & nihilominus ſuper eo punientur.

Paſtoralis officii noſtri cura ſollicite Nos admonet, ſubditorum noſtrorum ſaluti providere, virtutes plantare, ac vitia & ſcandala removere. Sane dudum multorum ad Nos veridica relatione pervenit, qualiter transactis temporibus, nonnulli noviter Presbyteri ordinati, in decantationibus, aut celebrationibus ſuarum primarum Miſſarum, quas primitias vocant, more ſæcularium nuptiarum, convivia apparaverint, turbamque tam cognatorum, quam aliorum utriuſque ſexus hominum, Clericorum & laicorum ad convivia hujuſmodi invitaverint, propinas receperint, choreas duci, ſtrepitum cum inſtrumentis muſicalibus, & quod plura alia, quæ in dictis ſæcularibus nuptiis vix licite admittuntur, fieri, & exerceri permiſerint: quæ omnia & ſingula Presbyteros ipſos a devotione, quam in prima celebratione Miſſarum habere præſumuntur, magis diſtrahunt, quam conducunt. Nos igitur abuſiones hujusmodi tollere, ipſoſque Presbyteros ſic celebrantes, a menſarum curis abſolutos, devotioni, ac Divino officio magis intentos eſſe cupientes, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus diſtrictiſſime inhibendo, ne deinceps Presbyteri quicunque, cujuſcunque ſtatus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, in aliqua Eccleſiarum, & Monaſteriorum noſtrarum civitatis & Diœceſis, ſuas primitias decantare, aut celebrare volentes, eo die, quo easdem celebrare conſtituunt, & celebrant, ultra decem perſonas virilis ſexus duntaxat, inter quos etiam ſibi ad Altare mini-

ministrantes comprehendi volumus, in prandio, & in cœna secum habeat invitatos, propinasque, nisi ad altare oblatas, non recipiat, aut imburset, neque choreas juxta sæcularium nuptiarum morem apud se coram eo duci, aut fieri faciat, ducat, aut ab aliis fieri permittat, sub suspensionis a Divinis officiis pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto.

Idem in inthronisationibus Monialium in Monasteriis Monialium nostræ Diœcesis, quoad personarum invitandarum numerum, & propinas volumus observari; ne, cujuscunque conditionis, aut status existat, in inthronisatione sua propinas recipiat, ut ultra numerum prætactum utriusque sexus homines secum invitatos habeat, aut adducat sub pœna suspensionis a Divinis officiis prædicta. Nonnulli, ut plurimorum relatione accepimus, tam Clerici, quam laici, præsertim in certis festis, dum in Ecclesia orationi insistere deberent, non verentur in ipsis, earumque cœmiteriis choreas facere, actus dissolutos exercere, ac etiam interdum canere cantilenas, seu confabulationes illicitas facere, ac multas insolentias perpetrare, ex quibus Ecclesiarum & cœmiteriorum violationes, inhonesta, variaque delicta quandoque sequuntur, ac Ecclesiasticum plerumque perturbatur officium, in Divinæ Majestatis offensam, & astantium scandalum populorum. In multis etiam Ecclesiis cum vasis, vestimentis, & cæteris ornamentis, ad Divinum cultum necessariis, indecentibus, pensatis utique earum facultatibus deservitur: quæ omnia & singula præsentibus interdicimus, & firmiter prohibemus.

Inhibemus etiam, ne Plebani, vel Sacerdotes aliqui excommunicatis a Domino Papa, vel Nobis, aut Judice ordinario, seu delegato, ante obtentum absolutionis Beneficium, in festivis vel privatis diebus, de cætero introitum Ecclesiæ indulgeant, vel eos recipiant ad Divina, cum ante absolutionem excommunicationis vinculum non possint ad tempus suspendere, ne sine peccato medio tempore possit eis, nisi in certis casibus, communicari: qui vero contrarium fecerit, ipso jure ab officio sit suspensus.

Insuper districte præcipimus, ne ullus Presbyter sine Scholare, sive ministrante, sibi in Missa respondente, Missam audeat celebrare: in elevatione corporis Dominici campana pulsetur, ut in Nomine JESU omne genu flectatur.

Execrabilis & detestanda aliquorum negligentia nostrum turbavit auditum, quod in plerisque Monasteriis regularibus ad hoc fundatis, horæ Canonicæ, & alia Divina officia interdum nullatenus, vel saltem raro, negligenter, incomplete, & inordinate decantantur, seu peraguntur.

Quodque nonnulli Ecclesiarum Ministri, modestia ordinis Clericalis abjecta, non considerantes, quod Beneficium datur propter officium, horas Canonicas dicere, seu psallere negligunt, in Divinæ Majestatis offensam, ac scandalum plurimorum. Ne igitur transgressores invalescant hujusmodi, aliisque veniant in exemplum, districtissime præcipiendo mandamus, ut in omnibus & singulis Ecclesiis Collegiatis, ac Monasteriis regularibus virorum & mulierum, Nobis subjectorum, ad hoc fundatis & dotatis, singulis diebus officium Divinum, diurnum pariter & nocturnum horis debitis, solenniter cum nota in spiritu humilitatis, devote, rite, ordinate, distincte, & laudabiliter psallatur, & decantetur.

In præmissis vero negligentes, culpabiles, inobedientes, seu rebelles, cujuscunque fuerint status, conditionis, ordinis, vel dignitatis, decernimus per censuram Ecclesiasticam, ac subtractionem reddituum & proventuum suorum, ac alias secundum qualitatem delicti graviter puniendos. Et quia Superioris negligentia, quæ, dum spem impunitatis permittit, multam pestilentiam in subditos nutrire consuevit: idcirco omnibus illis, ad quos id pertinet, districte, & in virtute sanctæ obedientiæ injungimus, & mandamus, ut omni negligentia & injuria penitus relegata, circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda sollicitam curent diligentiam adhibere, alioquin Nos eorum negligentiam, pro ut justum fuerit, puniemus.

Cum Sacrorum Canonum sanxerit authoritas, quod nullus Sacerdos Divina Missarum Solemnia debeat in Altari por-

portatili, vel viatico celebrare: ideo Rectoribus Ecclesiarum, & universis Clericis nostrarum civitatis & Diœcesis, firmiter in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis sententiæ, quam in his scriptis ferimus, pœna præcipiendo mandamus, ne in hujusmodi viaticis altaribus, absque nostro speciali indulto, celebrent, aut alios Presbyteros sæculares, vel regulares patiantur aliquatenus celebrare.

TIT. XXXIV. *De Baptismo.*

Baptismus omnium Sacramentorum janua est; ideo de ejus forma etiam mulieres instruantur, ut tempore necessitatis, quando pueris natis imminet periculum mortis, ipsos valeant, absentibus Presbyteris, rite baptizare. Et dicant sine additione, & diminutione videlicet: N. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen: & est exspectandus totalis partus ab utero: ubi autem periculum mortis timeretur, egressa parte principali, & capite, in quo operationes animæ magis manifestantur, baptizetur infans.

Item pueri, quantocius fieri poterit, baptizentur, ne debilitate morte præventi damnentur. In hyeme aqua calefacta competenter infans baptizari potest. Inhibemus etiam, ne Rectores Divinarum, sicuti, ut accepimus, aliqui facere solent, Dominicis diebus post Pascha usque ad Pentecosten, cum fonte Baptismatis populum aspergere præsumant, sed cum aqua benedicta, ad hoc similiter sicut aliis diebus Dominicis benedicenda, populum fidelem aspergere debeant.

Docere igitur Sacerdotes debent tam mares, quam fœminas in necessitate parvulos baptizare, in forma præscripta in suo idiomate. Et quod patres & matres infantes proprios, si summa necessitas exigit, poterunt baptizare; & si Sacerdotes super hoc diligentius inquirentes, debitam formam servatam in Baptismate invenerint, quod factum est approbent, supplentes circa Baptizatum quoad unctionem olei in pectore, & in scapulis, & Chrismatis in vertice, quod a laicis est obmissum.

Si autem in Baptismate debitam formam non invenerint observatam, non differant pueros baptizare: si autem de Baptismo alicujus dubitetur, tunc baptizetur sub hac forma: Si es baptizatus, non te baptizo: si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hæc tamen fiant, sicut in libris continentur.

Sciant etiam Sacerdotes, quod, si laicus (*cum*) baptizat, ex simplicitate, non causa introducendi errorem, dicat: Ego te baptizo in nomine Sancti Patris, Sancti Filii, Sancti Spiritus; quod non est rebaptizandus puer, cum quis illud apponit, quod necesse est intelligi: Pater enim est Sanctus: unde in Johanne: Pater Sancte serva eos &c. Filius Sanctus est: unde in Luca: Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et Spiritus Sanctus est: unde ibidem: Spiritus Sanctus superveniet in te. Hoc probat Augustinus per hoc, quod dicitur ter Sanctus, & in Isaia, & in Apocalipsi.

Si quod autem aliud interpositum fuerit, non est baptizatus: si autem in fine apposuerit aliquid causa devotionis, & ex simplicitate, non intendens per hoc baptizare, videlicet: Sanctæ Mariæ, & Sancti Johannis, & Sancti Petri &c. baptizatus est. Si autem intendit per hoc baptizare, non est baptizatus.

Item pro Baptismo nihil exigatur, sed, si quid offeratur gratis, accipi, & consuetudo introducta observari potest. Prohibetur etiam per præsentes, ne quis de cætero in aulis & cameris, aut aliis privatis locis, seu domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, quæ ad id sunt deputatæ, aliquos, nisi Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi; audeat baptizare; qui autem secus attentare præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Nos punietur, quod alii similia attentare non præsumant.

TIT. XXXV. *De Custodia Eucharistiæ.*

Statuimus, ut in Ecclesiis Eucharistia, & Chrisma, nec non aqua Baptismalis, ac singula ad Divinum cultum spectantia, ne ad ea nefanda manus extendi

tendi valeat, ſub fideli cuſtodia, adhibitis clavibus ſolenniter & diligenter conſerventur.

Ordinamus inſuper, ut mulieres ſacra vaſa contingere, & ad altare Sacerdotibus miniſtrare non præſumant. Statuimus, ut vaſa miniſterii, & ſacra veſtimenta, nec non locus Sacramenti, ac Reliquiarum, ac corporalia munda teneantur; cum autem corporalia ſordida fuerint, non niſi per Sacerdotes intra Sacrarium abluantur. Itaque veſtimenta & corporalia vetuſtate conſumpta, ad humanos uſus nullatenus redigantur, ſed incendio tribuantur, & cineres, ut moris eſt, conſerventur.

TIT. XXXVI. *De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.*

Ne in debita veneratione Sanctorum quisquam noſtræ civitatis & Diœceſis a noſtra majori Eccleſia valeat deviare, Feſtivitates per anni circulum per populum Nobis ſubjectum ſolenniter celebrandas, & quæ ab olim ipſa noſtra Eccleſia & populus ſolenniter celebravit, præſentibus duximus annectendas. Mandantes, quatenus feſtivitates ejusmodi, & nullas alias, ſine noſtra ſpeciali auctoritate & licentia populo noſtro celebrandas aliquatenus de cætero indicatis. Feſtum videlicet Nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI, Sancti Stephani Proto-Martyris, Sancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, Sanctorum Innocentium, Circumciſionis, Epiphaniæ Domini, Converſionis S. Pauli, Purificationis B. M. Virg., Cathedræ Petri, Mathiæ Apoſtoli, Sanctæ Cunigundis Imperatricis obitus, Annuntiationis B. M. Virginis, Reſurrectionis Dominicæ cum tribus diebus ſequentibus, Sancti Georgii Martyris, Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, Inventionis Sanctæ Crucis, Joannis ante Portam latinam, quæ eſt dies Dedicationis noſtræ Eccleſiæ Bambergenſis, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum tribus diebus ſequentibus, Ss. Trinitatis, Corporis Chriſti, S. Viti, Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli, Viſitationis B. M. Virg., S. Kiliani, Obitus S. Henrici Imperatoris, S. Mariæ Magdalenæ, S. Jacobi Apoſtoli, S. Petri ad Vincula, S. Laurentii Martyris, Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis, S. Bartholomæi Apoſtoli, S. Ægidii Confeſſoris, Nativitatis MARIÆ, Translationis S. Cunigundis, S. Mathæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, Michaelis Archangeli, Translationis S. Ottonis Epiſcopi, S. Dioniſii & Sociorum ejus, Ss. Apoſtolorum Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Martini Epiſcopi, Præſentationis B. MARIÆ Virg., S. Catharinæ, S. Andreæ Apoſtoli, S. Nicolai Epiſcopi, Conceptionis B. M. Virg., S. Thomæ Apoſtoli, Anniverſarius Dedicationis, & Feſtivitas Patroni cujuslibet Eccleſiæ, dies quoque ſinguli Dominici per anni circulum currentes.

TIT. XXXVII. *De obſervantia Jejuniorum.*

Ad hæc etiam prohibemus, ne quis adultus pariter & diſcretus ordinaria & ſtatuta jejunia, utpote Quadrageſimæ temporis, & Vigiliarum, præſumat infringere, nec non hujusmodi etiam quatuor temporum jejunia, propter votiva & extraordinaria, quis violare præſumat, cum tale damnum tali lucro Deus nolit recompenſare. Reprobamus ſimiliter pravam quorundam conſuetudinem, qui ſextam feriam violant, ſabbatho, quarta feria, vel alio die in hebdomade jejunantes: de cætero hoc fieri diſtricte prohibemus.

Univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium, & Divinorum Rectoribus, ac Verbi Divini Prædicatoribus, nec non Curatis per civitatem & Diœceſin noſtras Bambergenſ. ubilibet conſtitutis notificamus, quod dudum, ut accepimus, ſucceſſive ad Illuſtrium Principum Dominorum GEORGII & OTTONIS, Comitum Palatinorum Rheni, ac Bavariæ Ducum: nec non providorum virorum Magiſtrorum Civium, & Conſulatus oppidi Bamberg.: noſtræ Bambergenſis civitatis & Diœceſis inſtantias, ſeu petitiones, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, utriusque ſexus hominibus, etiam in hujusmodi noſtra Diœceſi Bambergenſi ſub eorum temporali Domino conſtitutis, ut Quadrageſimalibus, & aliis diebus, quibus butyri, & aliorum lacticiniorum eſus eſt prohibitus, butyro, & aliis lacticiniis veſci, ex certis cauſis tunc expreſſis, ſub certis modis & formis, a

Sancta Apostolica Sede inductum sit & concessum. Nos attendentes causam & rationes, ob defectum crescentiæ olei olivarum pro hujusmodi indultis obtentis expositas, non minus in civitate & tota Diœcesi nostra Bambergensi prædicta, quam in illius partibus militare, deformitatem, & disparitatem, sive differentias tollere, cæterorumque subditorum nostrorum, in prædictis indultis non comprehensorum commoditatibus amplius consulere volentes, ut omnes in dictis nostris civitate & Diœcesi constituti, unius cultus, quoad præmissa, ad parem etiam observantiam inclinentur, pridem similiter pro universis & singulis Christi fidelibus, utriusque sexus hominibus, tam Clericis, quam laicis prædictarum nostrarum civitatis & Diœcesis Bambergensis in supra dictis indultis concessionibus non comprehensis, ut etiam in Quadragesimalibus, ac aliis diebus, in quibus butyri, & aliorum lacticiniorum esus ex præcepto Ecclesiæ, vel consuetudine est prohibitus, butyro, & aliis lacticiniis absque scrupulo conscientiæ, uti, & vesci libere & licite valeant, de consensu & voluntate Venerabilium, in Christo nobis sincere dilectorum, Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ nostræ Bambergensis, a dicta Sede Apostolica gratiose indulgeri, & concedi obtinuimus, & impetravimus; ita tamen, quod indultis gratiis, concessionibus, & impetrationibus nostris hujusmodi, uti volentes, tam Clerici, quam laici, si in singulis eorum bonis ultra valorem ducentorum florenorum Rhenensium habeant, octo; si vero minus, quam ducentorum florenorum, ut præfertur, habeant, quinque denarios monetæ nostræ usualis currentis, loco pœnitentiæ salutaris, quolibet anno, quo indultis hujusmodi uti voluerint, ad certos truncos, sive loca per Nos deputandos, sive deputanda, erogare, & imponere teneantur: qui denarii sic impositi ad laudem Omnipotentis Dei, & Divini cultus augmentum, & non ad alios usus converti debeant, prout & quemadmodum, in litteris Apostolicis, desuper confectis & emanatis, quas alias in valvis dictæ Ecclesiæ Bambergensis publicari fecimus, & mandavimus, præsentibusque pro expressis haberi volumus, præmissa omnia & singula latius continentur.

Quæ omnia & singula in & ad subditorum nostrorum notitiam deducere volentes: vobis omnibus & singulis supradictis in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus indulta, & concessiones Apostolicas, & impetrationes nostras hujusmodi in ambonibus Ecclesiarum & Capellarum Vestrarum, quolibet anno singulis Dominicis proximis ante angarios & quatuor tempora, ac quando Esto mihi, ante carnisbrivium, & Invocavit, in capite jejunii in Ecclesia Dei officia cantantur, diebus solenniter, ac diligenter publicetis, ac Christi fideles, & populum vestrum desuper fideliter informare studeatis.

TIT. XXXVIII. *De Ecclesiis ædificandis.*

Ut Domus, ac Ecclesiæ, & Capellæ ad Omnipotentis Dei, Gloriosissimæque Virginis Mariæ, & Sanctorum decorem, gloriam & honorem, ædificatæ, fabricatæ, consecratæ, illæsæ & illibatæ perpetuo conserventur; sub excommunicationis pœna inhibemus, ne quis Ecclesiam, seu Capellas, aut muros eorundem, seu characteres in eisdem factos, sive Altare aliquod temere infringere, vel sine speciali nostra licentia rumpere, violare, destruere, aut demoliri, vel præmissa facere, aut fieri mandare præsumat: contrafacientes sententiam prædictam, quam in his scriptis ferimus, ipso facto subjacere & incurrere volumus: nec sub eadem pœna quis novam Ecclesiam, sive Capellam sine nostra hujusmodi licentia, aut Vicarii nostri, in nostris civitate & Diœcesi erigere, construere aut ædificare, aut signa forsan simulare, aut alias facta tanquam vera approbare, seu acceptare, aut peregrinis signa peregrinationis assignare præsumant.

Statuimus, ut Administratores, Magistri fabricæ, vel hi, qui Ecclesiarum bona & pecunias ad fabricam deputatas administrant, vel quibus commissa cura est fabricæ, sive Clerici, sive laici existant, cum aliena negotia gerant, debeant singulis annis inter Pascha & Festum Ascensionis Domini, aut alio tempore Plebano pro tempore, & aliis, quorum interest, de omnibus & singulis perceptis & distributis rationem reddere, ut bona & res ad fabricam Ecclesiæ cujuslibet depu-

deputata, vel ex Christi fidelium eleemosynis collecta, ad necessarios usus ædificiorum, & ornamentorum convertantur. Injungimus insuper prætactis administratoribus, sive Magistris fabricæ, quod in suo officio fideles existant, veluti Deo, cujus res tractant, rationem reddere habent. Quodque attendant circa domorum Dei ædificationes & ornamentorum, ac aliorum defectus, ut juxta earum facultatem & qualitatem decorentur.

Si vero quisquam ex privatis Magistris fabricæ, aut Ecclesiæ vitricis negligens repertus fuerit, vel singulis annis, ut supra, rationem reddere recusaverit, hunc debeat & possit Plebanus, seu Rector Ecclesiæ, intra cujus limites hoc contingit, per Sacramentorum subtractionem, aut aliam Ecclesiasticam pœnam constringere, vel ad nostram aut Vicarii nostri audientiam deferre: in his autem, quæ hospitalibus vel leprosoriis, aut orphanotrophiis præsunt, tam circa reddendam rationem, quam in aliis eorum administrationem & necessitatem tangentibus, statutum Viennensis Concilii & juris communis dispositionem in nostris civitate & Diœcesi præcipimus observari.

TIT. XXXIX. *De Immunitate Ecclesiarum & Cœmiteriorum.*

Præcipimus, sub pœna suspensionis latæ sententiæ, ut si ab aliquibus laicis prædam, spolium, sive rapinam spiritualium Personarum, seu etiam aliquam Ecclesiasticam Personam captivam ad aliquem locum adduci contigerit, Sacerdotes & Capellani eorundem locorum, postquam hoc sciverint, nullo alio exspectato mandato a Divinis cessabunt.

Statuimus etiam pro utilitate subditorum nostrorum, Ecclesiasticarum videlicet Personarum, quod non solum in locis, ad quæ dictum spolium sive persona deducetur; verum etiam in illis locis, in quibus res Ecclesiasticarum Personarum, absque nostro, aut Judicis Ecclesiastici competentis (mandato sc.) occupari, arrestari, detineri, auferri, seu distrahi, etiam domus earum, sive quæcunque ædificia, demoliri contigerit, in eisdem locis cessetur ab Officiis Divinorum.

Ad detestabilem malignorum audaciam ac insolentiam, temeritatem compescendam, & ut Ecclesiarum libertas observetur, sub excommunicationis pœna, quam ferimus in his scriptis, districte præcipiendo inhibemus, ne quis in Ecclesiis, Capellis, seu loco Sacro, insolentias, exclamationes, seditionem, impetum, aut tumultum facere, seu immunitatem violare, aut Ecclesiis, vel Ecclesiasticis Personis *Talias*, collectas, sive onera imponere, aut servituti laicali, aut ditioni submittere, vel subjicere, aut subjici arctare præsumat: sed ab omnibus prædictis, quibuslibet aliis illicitis actibus, etiam societatibus, fœdis negotiationibus, nundinis & mercantiis in eis habendis, seu faciendis, aut ad alias, seu illa confugientibus extrahere, vi depellere, aut amovere cessent, & penitus se abstineant; contra vero facientes ultra pœnam prædictam acrius puniri mandamus.

TIT. XL. *De Sponsalibus & Matrimoniis.*

Clandestina matrimonia sub pœna excommunicationis fieri prohibemus, & per Plebanos inhiberi sub eadem pœna mandamus, sed in facie Ecclesiæ fiant. Si vero aliqua dubia super matrimoniis, & quibuscunque aliis Sacramentis emerserint, Sacerdotes ad Nos referant, recepturi consilium salutare. Plebanique in prædicationibus doceant & observent hanc formam in matrimonio, quod coram hominibus fide dignis vir dicat mulieri: Recipio te in meam legitimam uxorem: & vice versa mulier dicat: Recipio te in meum legitimum maritum. Cum multa ex inthronisatione nubentium temporibus a jure prohibitis cum pompis, & insolitis actibus sæcularibus, alias etiam plurima exinde oriuntur scandala, quibus obviare cupientes, sub latæ sententiæ excommunicationis pœna quibuscunque Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, seu eorum locum tenentibus, cæterisque Presbyteris & Beneficiatis nostrarum civitatis & Diœcesis mandamus, eisque districte inhibemus, ne deinceps aliquos nubentes temporibus a jure, seu consuetudine prohibitis inthronisare, seu sic alias etiam alibi, quam in suis Parochiis, ut antea, nisi de expressa licentia nostra eis osten-

oſtenſa, aut data inthroniſatos, ad Eccleſiam, vel Divina admittere, aut illis celebrare, vel Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare præſumant; omnemque ſolennitatem & pompam hujuſmodi temporibus in matrimonis fiendam penitus prohibentes. Tempora autem prohibita ſint hæc: a prima Dominica Adventus Domini uſque ad octavas Epiphaniæ Domini incluſive. A Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, ſimiliter incluſive; in hebdomade Litaniæ majoris, item Feſto S. Marci, nec non a Dominica, qua cantatur: Vocem jucunditatis, quæ proximior eſt ante Feſtum Aſcenſionis Domini & Rogationum, uſque ad octavas Corporis Chriſti etiam incluſive.

Statuimus, ut matrimonium cum reverentia & honore in conſpectu Eccleſiæ celebretur; ſi autem matrimonium fuerit contrahendum in Eccleſiis publice, per Presbyterum Dominicis & Feſtivis diebus publice proponatur, ut, ſi quod impedimentum matrimonii contrahendi aliqui noverint, infra terminum competentem, ab ipſo Presbytero præfigendum, in facie Eccleſiæ ſine difficultate illud revelent.

Excommunicationis quoque ſententiam in genere proferimus in omnes hujuſmodi impedimentum celantes. Si quis autem, non præmiſſa denuntiatione, clandeſtina & interdicta conjugia inire præſumpſerit, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta illegitima eſt cenſenda.

Parochialis etiam Sacerdos tales conjunctiones ſi prohibere contempſerit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per trium dierum ſpatium ab officio ſuſpendatur.

TIT. XLI. *De Cognatione Spirituali.*

Cum in jure inter perſonam baptizatam, & illum, qui eam ſuſcepit, ac inter eandem baptizatam perſonam & ſuſcipientis filios, & uxorem ante ſuſceptionem hujuſmodi carnaliter cognitam ab eodem, nec non inter ſuſcipientem patremque baptizati & matrem, cognatio intercedat ſpiritualis, quæ matrimonium impedit contrahendum & dirimit poſt contractum: hæc quoque jam dicta de ſuſcipiente, ſunt etiam de baptizante cenſenda. Præterea, quia ex confirmatione, ſeu frontis Chriſmatione Spiritualis cognatio eiſdem modis contrahitur, matrimonia ſimiliter impediens contrahenda, & dirimens poſt contracta; idcirco præſentis ſtatuti, & dicti juris auctoritate hujuſmodi ſpirituales cognatos matimonium invicem contrahere diſtrictius inhibemus.

TIT. XLII. *De Conſanguinitate & Affinitate, ex Concilio Vienenſi.*

Eos, qui Divino timore poſtpoſito, in ſuarum periculum animarum ſcienter, in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; nec non Religioſos & Moniales, aut Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, matrimonia contrahentes excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere ipſo facto: præcipientes Eccleſiarum Prælatis, ut illos, quos ea conſtiterit taliter contraxiſſe, excommunicatos tamdiu publice nuncient, ſeu a ſuis ſubditis faciant nunciari, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, ſeparentur ab invicem, & abſolutionis Beneficium habere mereantur.

TIT. XLIII. *De Simonia.*

Quoniam inter Eccleſiaſtica crimina Simoniaca pravitas primum locum obtinet: ideo eandem hæreſin extirpare volentes ſcripto præſenti excommunicamus omnes & ſingulos vendentes Eccleſiaſtica Sacramenta, videlicet Baptiſma, Euchariſtiam, Unctionem extremam, Pœnitentiam, & alia Sacramenta, nec non Eccleſiaſticam Sepulturam, ſeu Beneficium Eccleſiaſticum: illos ſententia noſtra complectentes, qui aliquid prædictorum negligunt, vel differunt impendere, quouſque pecunia, vel æquivalens pecuniæ detur, aut promittatur, ſeu deſuper quomodolibet pactum fiat. Gratis enim & abſque omni pacto, dona & Sacramenta prædicta debent exhiberi, nec prætextu alicujus quantumcunque longevæ conſuetudinis, imo potius corruptelæ, antequam impendantur, aliquid exigi per-

permittimus vel pacisci; licet eis exhibitis, volumus, prout de jure cautum est, consuetudines antiquas observari.

Interdicimus etiam Judicibus Ecclesiasticis Ordinariis, delegatis arbitris, & compromissariis quibuscunque in nostra civitate & Diœcesi, ne Dei timore postposito, & legum, & Canonum suspensionem non curantibus per sortes & pactiones alias illicitas, de danda sibi pecunia, vel alia re temporali, vel alia promissione quacunque interveniente, sententias, vel pronunciationes quascunque in causis istis, quas nobis reservamus, authoritate quacunque audeant proferre.

Nec dolum, seu fraudem contra hujusmodi salutare nostrum interdictum adinvenire præsumant; alioquin omnes contrafacientes, salvis aliis pœnis a jure statutis, excommunicationis sententiam, quam, ex nunc & in his scriptis ferimus, incurrere volumus ipso facto.

TIT. XLIV. *De Judæis.*

Statuendo præcipimus, ut in universis civitate, oppidis, castris & villis nostris gens Judæorum, quam habitare in nostris Dominiis videmus, etiam utriusque sexus, talia signa & habitum, quibus, seu per quæ, sine qualibet ambiguitate a Christiano populo distinguatur, sibi eligat, ac ferat manifeste.

Judæi etiam mancipia Christiana dimittant, alioquin cum omnibus locis, ubi Judæi statuto dicto obedire nolentes, habitare, vel domicilia obtinere noscuntur, in pœnam Christianorum potentum, tamdiu cessent a Divinorum Officiis, donec per Nos prædicta gens misera, ac perfida ad observationem præmissorum omnium compellatur. Ipsi autem Judæi per Nos indirecte per subtractionem communionis fidelium excommunicationis sententia compellantur. Si quis vero de gente prædicta in die Parasceves visus fuerit in platea, vel per ostium domus suæ prospicere, vel per fenestras, ad quod probandum duorum Christianorum stabitur juramento, Nobis & Præfecto, vel Advocato loci, ubi hoc fieri continget; in marca argenti pœnæ nomine teneatur, cujus solutionem & omnes *defendentes* eum per excommunicationis sententiam compellemus.

Et ne quis Christianus hujus statuti ignorantiam valeat allegare, universis Ecclesiæ Rectoribus, per civitatem & Diœcesin nostras constitutis, in quorum Parochiis Judæos morari contingit, sub pœna excommunicationis sententiæ latæ præcipimus firmiter & districte, ut quilibet in sua Parochia singulis diebus Dominicis, singulorum quatuor temporum immediate sequentibus, infra Missarum solennia publice præfatum nostrum statutum lingua materna exponere non omittat.

Cum Judæis sint prohibita, & interdicta mancipia Christiana; volumus & præcipimus, ut Plebani & alii Rectores Ecclesiarum, ubi sunt domicilia eorum, diebus Dominicis omnes de fide Catholica Judæorum nutrices & servientes denuncient excommunicatione ligatos; excommunicatos etiam denuncient omnes alios Christianos, qui apud Judæos pecuniam suam locant, ut a Judæis usuram recipiant, vel ut Judæi eandem mutuent ad usuram.

Si vero Sacramenta ante domus Judæorum deferri contigerit, ipsi Judæi audito sonitu prævio, intra domus suas se recipiant, & fenestras, ac ostia sua claudant; hoc etiam in qualibet die Parasceves per Rectores Ecclesiarum facere compellantur. Nec præsumant de fide Catholica Judæi cum simplicibus disputare: nec Christianos in Judaismum alliciant, aut aliquem ausu temerario circumcidant. Nec filios aut uxores Judæorum ad viam Christianorum venientium, & suscipientium audeant detinere. Nec Christianos infirmos visitent, vel circa ipsos quovismodo opera medicinæ exerceant.

TIT. XLV. *De Hæreticis.*

Detestamur sectas universas, quibuscunque etiam nominibus censeantur, omnesque vanas & superstitiosas observantias, divinationes videlicet, & sortilegia, artemque maleficam & pythonissarum; quibus decepti homines putant bona provenire, vel mala posse evitari, ad hunc quandoque perducuntur errorem, ut credant, verbis, sive fictis benedictionibus, aut certis ligaturis, caracteribus & observantiis posse homines, vel

vel pecora curari, & a languoribus conservari. Quod quidem pestiferum genus e vulgo eradicare cupientes ; statuimus, ut deinceps , quicunque Presbyter vel Clericus talem reperiat , cujuscunque conditionis hominem , sive Clericum , sive laicum prædictis erroribus involutum , aut præmissis vel incantationibus dæmoniacis, vel superstitionibus magicis qualitercunque utentem , & in pœnitentiali foro hoc crimen cognoverit , ad Nos, seu Vicarium, aut Commissarium nostrum, ad absolvendum remittat: quoniam omnia præmissa prohibemus , & nisi de commissis satisfaciat , & desistat , eum & omnes facientes , consentientes, & auxiliantes, ipso facto excommunicationis sententiæ, quam in his scriptis ferimus, innodamus.

Item quod nullus, sive Clericus, sive laicus ausus sit, damnabili præsumptione publice prædicare , vel occulte docere & tenere , quod Sacerdos in peccato mortali existens non possit conficere Corpus Christi, sive sic ligatus suos subditos a peccatis absolvere , vel ligare queat. Sic ergo prædicans, docens, & credendo tenens , pro hæretico & incredulo habeatur , quem errorem hujus Sanctæ Synodi approbatione damnamus , anathematizamus & penitus reprobamus ; nam quæ Sancta sunt, inquinari non possunt , nec Sacramenta hominum malitia profanantur. Præterea sive bonus, sive malus sit minister, per utrumque effectum Deus confert. Licite ergo a quocunque alias idoneo Sacerdote Divina audiantur, & Ecclesiastica ministeria, & Sacramenta recipiantur. Insuper volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus , ut omnes Plebani & Ecclesiarum Rectores, seu Vicarii nostræ Diœcesis, omnes hæreticos, fautores eorum, receptores & credentes eorum opiniones, nec non & defensores eorum, denuncient ad minus semel in anno , excommunicationis sententiæ subjacere , præsertim etiam in hebdomada sancta , & nihilominus eos omnes, cujuscunque conditionis, aut status existant, tales esse scientes, vel ex verisimili conjectura, aut alia suspicione probabili, si eosdem publice non accusaverint , seu denunciaverint , vel si publice non auderent metu personæ, aut rerum, aut Plebano, Rectori, seu Vicario loci, ex quacunque causa secure denunciare non possent, ad nostram hoc notitiam non detulerint, tanquam fautores & conservatores eorum, quos ex nunc excommunicamus in his scriptis, volumus prædicto tempore nunciari.

TIT. XLVI. *De Apostatis.*

Apostatam, habitu suo dimisso vagantem , cum ipse excommunicatus sit ipso facto , jure nullus admittat quomodolibet ad Divina, imo tanquam excommunicatus vitetur & mandetur ab aliis districtius evitari. Et Nobis, aut nostro in Spiritualibus Vicario, si commode fieri poterit, præsentetur debita pœna puniendus.

TIT. XLVII. *De Raptoribus.*

Provide Personas Ecclesiasticas in suis libertatibus juxta Canonicas Sanctiones, ut nostrum debitum ad id Nos adstringit , confovere volentes, præsenti constitutione firmiter prohibemus , ne de cætero quisquam in Personas Ecclesiasticas manus sacrilegas mittere, aut sine nostra speciali licentia easdem capere, vel tenere, aut carcerali custodia mancipare præsumat : & cum tales temerarii præsumptores excommunicati de jure ipso facto existant, in quos & Nos in his scriptis sententiam excommunicationis ferimus , mandamus eosdem præsumptores in omnibus & singulis Ecclesiis nostrarum civitatis & Diœcesis, quam primum de hujusmodi facinore eis constiterit, excommunicatos denunciari nominatim intra Missarum solennia , coram plebe, singulis diebus Dominicis & Festivis, nullo super hoc alio mandato exspectato, tamdiu donec de eorum absolutione constiterit evidenter: & in loco, ubi Clericus detinetur incarceratus, interdictum strictissime observari, & a Divinis cessari volumus. Plebani vero, in quorum Parochiis talia crimina committuntur, quantotius poterint, ad Nos deferant ; ut contra ipsos malefactores, si eorum protervitas, ac commissi criminis qualitas exegerit, arctius procedamus.

Ad nostram pervenit notitiam, quod nonnulli laici, Advocati, Officiales, Justitiarii & alii sæculares nostræ Diœcesis, & etiam in terris, & locis aliis nostræ ditioni sub-

ſubjectis, Abbates, Præpoſitos, Decanos, Parochialium Eccleſiarum Rectores & Beneficiatos etiam quoſcunque, tam in vita, quam in morte, rebus & bonis ſuis ſpoliare, fructus ſequeſtrare, imo etiam adhuc, ut percipimus, viventes & aliquando agonizantes, vel ipſis mortuis, eorum cadavera, quod abominabile eſt, quandoque ſubtus ſtrata in palea locare, lectos, ſupellectilia, veſtes & res alias eorundem Clericorum auferre, & illa ſibi temere uſurpare, eiſque ab inteſtato, vel teſtatis ſuccedere, ſeu eorum teſtamenta infringere in Dei offenſam, & læſionem immunitatis Eccleſiaſticæ, animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum (*præſumant*). Nos igitur Eccleſiarum & perſonarum earundem ſollicitam curam habentes contra auſus talium & conamina, opportunum remedium apponere cupientes, & ut res prædictæ in juribus & libertatibus ſuis non lædantur: ſtatuendo ſtrictiſſime inhibemus omnibus & ſingulis Militibus, militaribus, Advocatis, Capitaneis, Officialibus, oppidorum, caſtrorum & villarum Communitatibus, Sculteris, Conſulibus, Proconſulibus, Judicibus, Præconibus, & aliis laicis, quibuscunque nominibus cenſeantur, noſtræ juriſdictioni ſubjectis, ne de cætero bona, ſeu res perſonarum Eccleſiaſticarum, præſertim Rectorum Parochialium Eccleſiarum, Capellarum, Altarium, ſeu Beneficiatorum quorumcunque & Clericorum ſingulorum, quæ omnino debuerunt, debent, & debebunt eſſe libera in morte & in vita, in vita, vel poſt eorum mortem, ſeu deceſſum, propria voluntate, ſeu potius temeritate tollere, recipere, violentiam inferre, impedire, occupare, ſequeſtrare, vel quovis modo uſurpare, aut ſe de illis intromittere, ſeu ab inteſtato ſuccedere prætendere, aut eorum teſtamenta infringere præſumant, aut quilibet eorum præſumat. Quod ſi quis prædictorum, cujuscunque etiam ſtatus, ut præmittitur, extiterit, præſens noſtrum ſtatutum violaverit, aut contra fecerit; niſi intra triduum, poſt hujusmodi ſacrilegium commiſſum immediate ſequens, reſtitutionem omnium & ſingulorum bonorum & rerum ablatarum, receptarum, occupatarum, uſurpatarumque, ac relaxationem cum effectu fecerit, & curaverit fieri, ſeu de præmiſſis omnibus & ſingulis deſtiterit, excommunicationis ſententiam ipſo facto, quam præſentibus ferimus, elapſis tribus diebus eo ipſo incurrant.

Statuimus, & ſub pœna excommunicationis, quam transgreſſores incurrere volumus, diſtricte, ut ſupra notatum, & præcipiendo mandamus, ut non ſolum in terminis, & locis, in quibus Clericum, ſacros Ordines habentem, & pro Clerico ſe gerentem, contigerit temere captivari, ſed etiam in terminis & locis noſtræ Diœceſis, in quibus quempiam talium detineri conſtiterit, ipſo facto ceſſetur ab officiis Divinorum.

Specialiter autem in omnibus locis illis, in quibus captivatores, & eorum complices in maleficio, ipſis conſilium, auxilium, vel juvamen præſtantes, domicilium obtinent, & ſive de facto, ſive de jure jurisdictionem exercent, aut ubi habent receptaculum, ſervetur ſtrictiſſime Eccleſiaſticum interdictum, ita videlicet, quod corpora mortuorum, ad Eccleſiaſticam ſepulturam nullatenus admittantur; quinimo, ſi per violentiam laicalem in Eccleſiam vel cæmiterium fuerint tumulata, ibi non relaxetur aliquo modo ſententia interdicti, niſi prius ejectis corporibus illis ſic per laicalem violentiam tumulatis.

Statuimus, ut (*nulla*) perſona, quantumcunque nobilitate, aut præeminentia ſtatus præfulgeat, Eccleſias, ſeu Eccleſiaſtica bona, Jurisdictiones, & Vaſallos earum violenter, aut authoritate publica publice occupare, arctare, aut occupando invadere, vel ſcienter occupantibus, ſeu arctantibus auxilium, aut favorem præſtare præſumat; & niſi requiſita intra menſem Eccleſiæ læſæ, aut Prælato ipſius damnum illatum emendaverit, ipſo facto ſit anathematis vinculis innodata.

Quoniam Clericidium abominabilius, deteſtabilius, gravius, & perniciofius captione quacunque exiſtere dignoſcitur, conſtitutionem, contra Clericorum captivatores ſuperius editam, contra Clericorum occiſores, aut percutientes, nec non ipſos percuſſores Clericos extendentes, volumus, & ſub excommunicationis pœna diſtrictiſſime præcipiendo ſtatuimus, & ordinamus, conſtitutionem ſupradictam contra clericidas ante-

antedictos, & percutientes, nec non manus alias violentas in Clericos injicientes, & etiam in ipsos Clericos percussores, sic extensam usque ad satisfactionem congruam, Deo, nobisque, atque læsis impendendam, per omnia inviolabiliter observari. Spoliatores stratorum, & raptores, qui alias in nostra Diœcesi transeuntes, per vias, aut stratas publicas, viduas, pupillos, Scholares, vel Clericos, ad studium, vel ad Curiam Romanam proficiscentes, ac personas alias earum bonis vi spoliant, ac eorum violentia perturbationes desiderandæ pacis inducunt volentes, præter pœnas, quas eis leges imponunt, tali pœna condigna coercere volumus, ut tam ipsi, quam receptantes eos scienter, & dantes eis ad hoc consilium, auxilium, & favorem, nisi intra tres dies, post commissam rapinam, & spolium hujusmodi, ad cor reversi, res ablatas curaverint personis restituere, aut restitui facere spoliatis, sint excommunicationis pœna, quam ex nunc in ipsos ferimus, innodati.

TIT. XLVIII. *De Usuris.*

Cum tam veteris, quam novi testamenti scriptura usurarum crimen detestetur, igitur ipsius pravitatem & voraginem a nostris subditis juxta Canonum Sanctiones extirpaturi, eas volumus Sanctiones in nostro Episcopatu executioni demandare: universis & singulis Parochialium Ecclesiarum, & aliis Divinorum Rectoribus quibuscunque, in nostris civitate & Diœcesi constitutis, & loca eorum tenentibus, districtius inhibemus, ne manifestos usurarios ad communionem Altaris admittant, nec oblationes eorum accipiant, neque Ecclesiasticæ, si in illo peccato discesserint, eorum corpora tradantur sepulturæ: quæ acceperit, reddere compellendus est, &, donec ad arbitrium nostrum, vel Vicarii nostri satisfecerit, a sui officii executione suspendatur.

Et nihilominus ipse sepeliens talem usurarium, sententiam excommunicationis incidet ipso facto, a qua non, nisi injuriam passo fuerit satisfactum, veniet absolvendus.

Inhibemus quoque, quod nullus manifestorum usurariorum testamentis præsumat interesse, nisi de usuris satisfecerit, seu de satisfaciendo pro suarum virium facultate præstet cautionem.

Inhibemus etiam insuper, ut nulli Sæculares vel Religiosi, cujuscunque fuerint conditionis aut status, usurarios saltem manifestos, vel de usuraria pravitate publice diffamatos, audeant qualitercunque absolvere, sed ipsos ad Nos, seu nostrum in Spiritualibus Vicarium pro absolutione obtinenda remittant; non obstante, si ipsis, vel alicui ex eis forsan per Nos, aut ipsum Vicarium nostrum generaliter sit indultum, quod etiam in casibus Nobis reservatis, Beneficium absolutionis valeant impendere: contrarium facientes ab ingressu Ecclesiæ decernimus ipso facto suspensos. Et nihilominus revocamus, & annullamus omnes licentias & indulta quibuscunque personis sæcularibus vel religiosis, per Nos, aut Vicarium nostrum concessas, & concessa, ut in casibus Nobis reservatis absolutionis Beneficium possint, seu valeant impendere qualitercunque

Quia quidem Clerici, per quos Nomen Domini blasphematur, suæ avaritiæ finem non imponentes, usuram tam in pecunia, quam in aliis rebus exercere non verentur, pœnas contra usurarios de jure & alias promulgatas non timentes; ut igitur vitium tam detestabile, & Clericali ordine indignum, per Nos amplius valeat exstirpari, universos & singulos in Clero constitutos, hoc genus usurarum exercentes primo, secundo, tertio, & peremtorie requirimus & monemus, ut intra unius mensis spatium a publicatione præsentium continue sequens, atque currens, omnibus & singulis creditoribus ipsorum, de usuris extortis & receptis ab eisdem, satisfaciant cum effectu, prout ipsorum patiuntur facultates, aut super ipsis amice se componant, & deinceps a detestandis usurarum lucris desistant atque cessent, alioquin ipsos & ipsorum quemlibet, ex nunc excommunicationis vinculo innodamus.

TIT. XLIX. *De crimine falsi.*

Fallarios litterarum, seu Bullarum Summorum Pontificum, ac literarum, ac sigillorum nostrorum, vel Judicum, aut aliorum quorumcunque nostrarum civi-

civitatis & Diœcesis, & etiam eos, qui scienter receptaverint, aut eis præstiterint, quo minus capiantur, auxilium, consilium, vel favorem, publice, vel occulte: Ac eos, qui scienter falsis litteris, vel sigillis utuntur, seu usi fuerunt, præsentis constitutionis tenore ipso facto volumus excommunicationis vinculo esse innodatos, & cum hoc acrius, ut decet, puniendos.

TIT. L. *De Sortilegiis.*

Omnibus Christi fidelibus utriusque sexus nostrarum civitatis & Diœcesis, & præcipue personis Ecclesiasticis sortilegia, orationes perversas, incantationes, & alia quælibet maleficia prohibemus. Si qui vero in prædictis forte factis se reos cognoverint, ab hujusmodi pravo & perverso usu abstineant de cætero cum effectu. Et infra octo dies a propriis Sacerdotibus quærant & recipiant pœnitentiam de commissis: alioquin omnes & singulos hujusmodi pravos & perversos actus committentes, & de jam commissis satisfacere negligentes, ac omnes eisdem consentientes, vel etiam auxiliantes, ipso facto excommunicationis sententiæ, quam ferimus in his scriptis, volumus innodari.

TIT. LI. *De Clerico percussore.*

Ad coercendum insultus, & rumores per Clericos fiendos, ipsosque de facili laicos contra se provocantes refrænandum, hac nostra constitutione mandamus, ut Clerici nostrarum civitatis & Diœcesis discrete, virtuose, pacifice, ac amice, sine offensione alicujus vivere, seque ab omnibus verbis probrosis, rixosis, & contumeliosis, & factis illicitis abstinere studeant; &, sicut laici, ipsos Clericos offendere, aut lædere non debeant: sic sub excommunicationis pœna ipsi Clerici alter alterum, seu quempiam alium, etiam laicum, casibus tamen jure expressis exceptis, percutere, offendere, seu lædere non debet: quod si secus quis fecerit, ultra sententiam prædictam per Nos, vel Vicarium nostrum mulctari & puniri volumus & mandamus.

TIT. LII. *De Maledicis & Blasphemis.*

Sunt, ut accepimus, nonnulli perditi, qui Majestati Dei, Beatissimæ Genitrici suæ Mariæ, Sanctisque ejus publice blasphemias inferre non verentur, quas quidem injurias ferre, nec audire non decet. Statuimus, quod ubicunque tales blasphemi recipiantur in confessionibus, ad Nos, vel Vicarium nostrum, seu Commissarium remittantur; & a Rectoribus Ecclesiarum in prædicationibus severius prohibeantur. Quod si publici sint, nec ab eorum blasphemia desistant; per eosdem Rectores ad Potestates deferantur seculares, ibidem gravioribus pœnis affligendi: super quo volumus omnino, quod Plebani & Rectores Potestates seculares seriose & constanter requirant.

TIT. LIII. *De Clerico excommunicato ministrante.*

Cum scriptum sit in lege Domini, quod, quicunque non obtemperasset Sacerdotibus, is extra castra lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta expiabat contemptum: & in primitiva Ecclesia inobedientes ejecti de Ecclesia rapido ore dæmonum trahebantur: multi nomine Sacerdotes censuras Ecclesiæ contemnentes, excommunicati & suspensi a Sacerdotibus & Prælatis suis, exigentibus culpis eorum, & immemores, quod Episcopis & Prælatis clavium & cœlorum sit collata potestas, attentare sibi interdicta ministeria non verentur, contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere.

Statuimus igitur, ut tales, sine spe restitutionis, ab officiis deponantur, & infames, & detestabiles facti, de cætero ad Beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam & conversionem laudabilem Sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere.

TIT. LIV. *De Privilegiis.*

Sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhibemus Parochialium Ecclesiarum, & quorumlibet Divinorum Rectoribus nostrarum civitatis & Diœcesis, ne Quæstores quoscunque absque nostris literis, seu Vicarii nostri, & illis visis, ac speciali licentia ad prosecutionem negotii, seu quæstus in Ecclesiis eorum admittant, seu promoveant: Nec, quibuscunque etiam utantur privilegiis, in locis interdictis ad celebrationem Missarum admittant eosdem, nisi id eis concedatur

tur de licentia Judicis, qui interdictum posuit, aut Superioris potestatem habentis super eo.

Item ad prædicandum eosdem Quæstores non admittant, nec iidem quæstores admittantur, sed per Sacerdotes Ecclesiarum, & locorum, in quibus requirunt subsidium, hoc duntaxat, quod in eorum literis viderint & cognoverint contineri, publicetur; nec etiam eosdem Quæstores cum novis & singularibus actibus, seu apparatis admittant, nisi præmissa in nostris literis caveantur, ac mentio, & licentia de eis expresse factæ existant.

TIT. LV. *De Quæstoribus.*

Ex Concilio Viennensi districtissime statuendo prohibemus, ne eleemosynarum Quæstores aliqui, nisi Apostolicas, & nostras literas exhibuerint, quomodolibet admittantur, nec permittantur, cum solum competat sibi indulgentias concessas insinuare populo, & charitativa subsidia postulare simpliciter ab eodem; nullatenus ipsi populo prædicare, nec aliud exponere, quam quod in literis continebitur supradictis.

Literas quoque & Apostolicas, & nostras, ne quid fraudis committi valeat per eosdem, antequam Quæstores ipsos admittant, examinent diligenter. Ad hoc cum aliqui ex hujusmodi Quæstoribus, sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multe temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum indulgentias populo, motu suo proprio, de facto concedant, super votis dispensent, a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis sibi confitentes absolvant, male ablata incerta, data sibi aliqua pecuniæ quantitate, remittant, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres & plures, parentum vel amicorum illorum, qui eleemosynas illis conferunt, de purgatorio, ut asserunt mendaciter, extrahant, & ad gaudia Paradisi perducant, & Benefactoribus locorum, quorum Quæstores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipsis eos a pœna, & a culpa absolvant; abusus hujusmodi penitus abolentes, & eos per quoscunque Quæstores fieri & attentari, de cætero districtissime inhibemus: & omnia & singula privilegia, si qua super præmissis, vel eorum aliquo sint aliquibus locis, ordinibus, vel personis Quæstorum hujusmodi quoquo modo concessa, authoritate Apostolica, quantum ad præmissa penitus revocamus. Quæstores autem, qui deinceps in præmissis, vel aliquo præmissorum deliquerint, vel alias etiam quibuscunque suis privilegiis abusi fuerint, sic per Nos puniri eosdem volumus, nullo prorsus eisdem Quæstoribus in hac parte privilegio suffragante; quod a suis temerariis ausibus, qui, ut communis habet assertio, nimium excreverunt, pœnæ formidine perpensius compescamus.

TIT. LVI. *De Injuriis.*

Statuimus, ut Canonicus, qui suæ, vel alterius Ecclesiæ Canonicum verbis probrosis affecerit manifeste, per quartam: si vero convitia manifesta dixerit in Prælatum, per mediam partem anni a tractatu & consortio sui Capituli, nec non a perceptione fructuum suæ Præbendæ sit exclusus.

Si quis autem Canonicorum in prædictas personas, etiam citra sanguinis effusionem, manus injecit temere violentas, prædictas pœnas dupliciter patiatur: pro vulnere vero, hujusmodi personis ab aliquo Canonicorum illato, si etiam nulla membri mutilatio ex tali vulnere fuerit subsecuta, per præmissas pœnas quadupliciter puniatur: & insuper in utroque casu juxta nostrum arbitrium læso satisfaciat competenter, antequam restitutionis Beneficium consequatur. Sed pro temeraria membri mutilatione omni Beneficio Ecclesiastico sit ipso jure privatus. Quæ omnia & singula circa aliorum Clericos beneficiatos, si Personas Ecclesiasticas prædictis modis lædant, seu lædantur ab ipsis, juxta præmissam formam & ordinem sub pœnis hujusmodi præcipimus observari.

TIT. LVII. *De Pœnitentiis & Remissionibus, ac Prædicationibus Verbi Dei.*

Cum Sacerdotes, & quibus prædicandi officium & ministerium commissum est, sive imminet, omnes animas sibi creditas Verbo Dei spirituali alimonia pascere debeant, ut in Præceptis Di-

Divinis bene ambulent; eosdem in suis sermonibus præcipimus esse cautos, ne verba proferant inutilia, & maxime piarum aurium offensiva, sed potius Scripturam novi videlicet & veteris testamenti, ac præcipue Evangelium Christi plane & intelligibiliter prædicent, textum subjunctis postillis exponendo per membra declarent, veluti plebis capacitati convenire & expedire cognoverint: debeantque semel in anno assumere materiam decem Præceptorum una cum correctionibus vitiorum, & convenienter prosequi.

Caveant autem omnino Prædicatores ipsi, ne in suis sermonibus utantur Scripturis apocryphis, sive non authenticis, nec ad convitia, vel exprobationes criminum, seu verba inutilia, scandalosa, vana, concitativa, detractoria, sive indiscreta, aut ad suas, vel aliorum particulares causas, sive odia in ambonibus quovis modo prorumpant. Ne ubi causa Dei agi debeat, odia, rixæ, sive vindictæ ibi incitentur, seu seminentur, quem abusum sub pœna suspensionis a Divinis, & interdictionis officii prædicationis omnino prohibemus.

Caveant & similiter etiam laici, ne eisdem prædicatoribus in ambonibus, seu sermonibus reclamare, seu replicare, aut eis impedimenta præstare præsumant, contra facientes ultra pœnam affligendam, excommunicationis sententiæ innodamus.

" Insuper (*) sub dicta pœna suspensionis a Divinis, & interdictionis officii Prædicationis, nec non privationis Beneficiorum pœna, jam dictis Prædicatoribus, & Ecclesiarum Rectoribus, aliisque officia Prædicationis exercentibus inhibemus, ne in eorum sermonibus populo quicquam expressis, seu occultis verbis, contra eorum Superiores tam spirituales, quam sæculares, ex quibus error, odia, insultationes, bella quoque & strages, variaque mala inde exoriri possent, prædicent, seu prorumpant, imo etiam eos a similibus diligenter avertant: contra facientes pœnam prætactam incurrisse volumus ipso facto.

Et ne quis per ignorantiam Statuti Generalis Concilii, de confitendis peccatis, & perceptione Eucharistiæ editi, se valeat excusare: mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ universis & singulis Ecclesiarum Parochialium, & aliis Divinorum curatis Rectoribus Nobis subjectis, ut in singulis Dominicis diebus Quadragesimæ cujuslibet anni, coram populo sibi subdito, hujusmodi statutum studeant publicare in forma videlicet subscripta:

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere: Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Sacramentum Eucharistiæ, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter illum non possit solvere, aut ligare.

Monemus quoque & requirimus omnes & singulos Sacerdotes nostrarum civitatis & Diœcesis, ut in auditione confessionis quivis eorum discretus sit & cautus, diligenter requirens peccatorum, & peccati circumstantias, quibus prudenter intellectis, more boni Medici sanum consilium præbeant.

Caveant autem omnino Sacerdotes, ne verbo vel signo prodant peccatorem; & si prudentiori consilio indiguerint, illud absque ulla expressione caute perquirant: nam qui ex confessione peccatum revelare præsumpserit, non solum a Sacerdotali officio deponendum talem esse decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.

 Item

(*) Paragraphus hic ab Henrico Episc. Bambergensi in Synodo anni 1491. insertus non fuit, sed anno 1534. additus a Wigando Episcopo Bambergensi, qui in celebrata a se Synodo hæc Henrici Statuta renovavit, confirmavit, & hoc uno paragrapho auxit. *Lunig Spicil. Eccles. T. 2. pag. 101.*

Item præsenti edicto statuimus, & districtius inhibemus, ne quis nostrarum civitatis & Diœcesis sua peccata confiteri præsumat, per nuncium, sive scripturam, vel etiam absolutionis beneficium impetrare a peccatis, prout quidam facere consueverunt contra Canonicas Sanctiones, corporalem etenim requirit præsentiam.

Similiter sub attestatione tremendi judicii, hac edictali constitutione inhibemus, ne de cætero quisquam Presbyter plures, quam unam Missam, salvo privilegio die Nativitatis Christi constituto, ac casibus, quibus a jure dici duas permissum est, una die legere, aut cantare cum Sacrificii celebratione præsumat.

In audiendis etiam confessionibus observetur, ut peccata usitata & communia sigillatim, inusitata vero per quasdam circumstantias ante perquirantur, ne inexpertis detur occasio, & materia perpetrandi, aut innotescendi peccata, quæ ante nesciverunt.

In communiori quoque loco Ecclesiæ & suspicione carente pro confessionibus audiendis Sacerdotes sedere debeant, & in spiritu lenitatis audiant, & instruant confitentem, ut de peccatis, quibus Deum offendit, contritionem habeat, & propositum abstinendi.

Specialiter autem inhibemus, ne aliquis Confessorum in casibus Nobis, & Episcopis reservatis, maxime notoriis, aliquem præsumant absolvere in foro pœnitentiæ, nisi ex speciali commissione nostra, vel Vicarii nostri, vices nostras in hac parte gerentis: in satisfactionibus vero injungendis majora majoribus reserventur, in minoribus autem secundum qualitatem culpæ & delinquentium se teneant, aliaque observent.

Sciant insuper Sacerdotes, quod juxta doctrinam Canonum infirmis & languentibus non est injungenda pœnitentia, sed tamen innotescenda; ita tamen, quod satisfactionis impossibilitas Domini nostri JESU CHRISTI Passione, suique pretiosi sanguinis effusione suppleatur.

Insuper statuimus, & præsenti Decreto inhibemus Curatis, & non Curatis, etiam quorumcunque ordinum Religiosis civitatis & Diœcesis nostrarum Bamberg. prædictarum Presbyteris, ne se casibus Episcopalibus, Nobis de jure, vel consuetudine, & Episcopis reservatis, quos duximus inferius annectendos, intromittere audeant; sed ad Nos, seu nostros in hac parte vices nostras gerentes remittant: decernentes, absolutiones per eos factas absque speciali commissione nostra, seu Vicarii nostri, aut potestatem nostram in his habentis, in casibus ejusmodi, præterquam in mortis articulo, viribus penitus carere.

Hanc autem formam absolutionis, tanquam substantialem, generalem & breviorem Sacerdotes observare debebunt, ut videlicet præmissa oratione deprecatoria: Misereatur tui Omnipotens Deus, &c. dicant: Dominus noster JEsus Christus dignetur te absolvere: & ego authoritate, qua fungor, absolvo te (a vinculo excommunicationis minoris, si incidisti) a peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

TIT. LVIII. *Casus Episcopales.*

Remittatur igitur ad Nos, seu vices nostras gerentes, rebaptizatus, reconfirmatus, reordinatus.

Item, qui post sponsalia jurata, cum alia, quam sponsa contraxerit.

Item, qui matrimonium clandestine, vel contra interdictum Ecclesiasticum contraxerint.

Item mulier, quæ antequam certificata fuerit de morte mariti, cum secundo contraxerit.

Item perimens, seu negligens prolem propriam.

Item sterilitatem & abortum quomodolibet procurans.

Item homicida, facto, præcepto, consilio, aut authoritativa exhortatione, seu alio quovis modo.

Item publice criminosi.

Item falsi testes, oppressores liberorum, perjuri, incestuosi.

Item volens mutare vota, ac voti transgressor.

Item ille, cui solennis pœnitentia fuerit injungenda.

Item quilibet Simoniacus, Usurarius,

rius, raptor, Sacrilegus, incendiarius, latro.

Item Ecclesiam consecratam sanguinis, vel seminis effusione polluens.

Item quilibet Ecclesiæ vel Cœmiterii, aut immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ violator.

Item quilibet excommunicatus a Canone, vel constitutione.

Item quilibet irregularis.

Item Sacerdos proditor confessionis.

Item celebrans in Ecclesia interdicta, vel Altari non consecrato, aut viatico, vel nobili sine licentia, aut indumentis non consecratis, seu Sacris: celebrans non jejunus.

Item non ordinatus celebrans, vel ministrans in ordine, quem non habet.

Item Sacerdos, cujus culpa, vel negligentia aliquid inhonesti, vel scandali circa Sacramentum evenit.

Item Sacerdos notorius fornicator, aut publicus concubinarius.

Item quilibet perjurus, vel veniens, aut faciens contra suum juramentum.

Item blasphemator Dei, B. Mariæ Virginis & Sanctorum.

Item falsarius literarum & monetæ.

Item quilibet violentas manus injiciens in Presbyterum, Clericum, parentes, aut patrem, seu matrem.

Item quilibet conjugatus contrahens matrimonium, vivente uxore, cum secunda, vel intrans religionem, seu recipiens Sacrum Ordinem, conjuge invita, & contra.

Item conjux, qui vel quæ conjugi effectualiter machinatus fuit mortem.

Item scienter coiens cum infideli, aut brutis animalibus.

Item restitutiones vagæ, & dispositiones male ablatorum, incertorum & certorum, quando non existant hi, quibus facienda est restitutio.

Item promotus per alium, quam proprium Episcopum, sine licentia.

Item furtive, vel per factum, vel extra statuta tempora promotus.

Item excommunicatus vel suspensus, aut interdictus in ordine suo administrans, vel qui taliter ligatus aliquem suscepit ordinem.

Item scienter sepeliens corpus excommunicati in Cœmeterio, vel etiam non excommunicati tempore interdicti.

Item abutens quomodolibet Sacramentis Ecclesiæ, ut puta Hostia, Chrismate vel alia re Sacra.

Item quilibet scienter baptizans propriam prolem, vel illam tenens in Baptismo aut Confirmatione.

Item omnis hæreticus, aut fautor, aut participator hæreticæ pravitatis.

Item quilibet coiens cum sanctimoniali, aut ingrediens eorum Monasteria.

Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ejusque intactæ Virginis Matris Mariæ, ut Nomen Domini nostri JESU Christi, ut nomen prædictæ Virginis Mariæ condignis laudibus extollatur & veneretur; omnibus & singulis ejusdem Christi nominis Professoribus, utriusque sexus hominibus, sive Clericis, sive laicis, qui ad pulsum salutationis Angelicæ: Ave Maria! quem mandamus, ut in singulis Monasteriis, Collegiis & Parochiis nostrarum civitatis & Diœcesis mane in aurora, & serotino tempore cujuslibet diei, campana cum tribus intervallis depulsetur, ipsam B. V. Mariam cum salutatione Angelica hujusmodi trina vice repetita duxerint venerari: Seu intra ministeria, præcipue Missarum solennia, dum nomen scilicet JESU Christi, vel etiam prædictæ B. Virginis Mariæ recolitur, legitur, aut cantatur, inclinato capite genua flexerint, aut intra Missarum solennia imaginem Crucifixi, quam ministrans Presbytero celebranti post Agnus Dei, collecta & osculo pacis factis, exhibuerit, & postea ad populum converterit osculandum, devote accesserint, & commemorationem Passionis Christi, vel ejus Stigmata in mente revolverint: Nec non omnibus & singulis Presbyteris celebrantibus, in fine Missæ cum tali clausula: Et famulum tuum Episcopum nostrum cum omnibus his commissis ab omni adversitate custodi, & pacem Ecclesiæ nostris concede temporibus, & in ultima Collecta concludentibus; totiens, quotiens præmissa, seu aliquid illorum fecerint, vere confessis & contritis, pro qualibet vice

vice quadraginta dies indulgentiarum de injuncta eis pœnitentia misericorditer in Domino relaxamus, & elargimur. Has autem indulgentias nostras per omnes & singulos Rectores, Plebanos & Divinorum Rectores prædicari, & promulgari, & a quibuscunque Plebanis præcipimus fideliter custodiri. Mandamus insuper omnibus utriusque sexus hominibus, quod quando Gloria Patri &c. legitur, aut cantatur, caput similiter inclinare debeant.

Ad Evangelium autem, Magnificat, Benedictus, ac Nunc dimittis &c. fixo & erecto pede stare: Salve Regina, Alma Mater & Regina cœli, Antiphonas, genu flectere, & nisi impedimentum aliquod, aut frigus obstiterit, denudato capite devote audire debeant, nec tempore hujusmodi, ac Divinorum, in Ecclesiis & Capellis vagare, aut tractatus habere præsumant.

Et quia plerumque infirmus sua confiteri peccata propter multorum præsentiam erubescit; ideo Sacerdotibus præcipimus, districtissime observare, ut prius familiariter, & secrete audiant confessionem ipsius infirmi, si mortis, aut aliud periculum, vel impedimentum non obsistat, & postea ad eum deferant cum devotione & habitu, ac reverentia, ut supra notatum est, condecentibus Eucharistiam salutarem.

Prohibemus etiam, ne quis Sacerdos ab uno sibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expressis inquirat.

Et ne Missas, quas pœnitentibus procurandas injunxerit, ipsimet celebrare præsumant.

Noverint autem Presbyteri, fore tria peccata, quæ in satisfactionibus injungendis sunt Domino Apostolico reservata, videlicet in Clericos, vel quoscunque Religiosos injectio manuum violenta enormis, Ecclesiarum vel Religiosorum locorum incendia, & simonia, in ordine constituto celebrata.

Ne Judices sæculares, & Domini temporales, puniendo delicta & crimina, culpis se involvant excessivis, statuimus, ut ultimo deputandis supplicio, si petierint, non debeant pœnitentiæ & Eucharistiæ denegari Sacramenta, & per hoc volumus, & præcipimus, ut præsens statutum per Rectores Ecclesiarum in suis sermonibus, ... in locis residentiæ, ubi aliqui judicantur, publicetur.

Inhibemus sub excommunicationis pœna, ut corpora eorum, etiam consentientibus Judicibus & sæculari potestate, ac aliorum quorumcunque interemptorum, seu casu quovis fortuito decessorum, absque speciali nostra, seu Vicarii nostri licentia obtenta, a nullo Rectore hujusmodi Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ.

TIT. LIX. *De Sententia Excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Ex Concilio Viennensi.*

Quicunque laici, vel aliæ Personæ Judices Ecclesiasticos, pro eo, quod sententias excommunicationis, suspensionis & interdicti protulerint, occiderint, ceperint, seu alias in personis & bonis suis, vel suorum gravaverint, seu hoc fieri mandaverint, sive eos, quorum sunt occasione prolatæ: vel easdem sententias observantes, sententialiter excommunicatis communicare nolentes ad communicandum compulerint: nisi hujusmodi mandatum ante hoc male factum revocaverint, & satisfaciant de commissis, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Illos etiam excommunicatos decernimus, qui mandato hujusmodi utuntur, vel alias deliquerint in præmissis: Qui si in eadem sententia per duos menses permanserint, nullus præter Papam, eos absolvere possit.

Ex eodem.

Statuimus, quod Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare Divina, vel qui per præcones faciunt tunc ad illa audienda populum evocari: vel prohibent, ne publice excommunicati, vel interdicti super hoc per illos, qui Missas celebrant, moniti Ecclesias exeant, & ipsi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati sunt, & per Sedem Apostolicam absolvendi.

Ex

Ex eodem.

Item libro sexto statutum est in Constitutione BONIFACII VIII. incipiente: *Quoniam ut intelleximus.* sub titulo: *De Immunitate Ecclesiarum :* Quoniam excommunicati sunt a jure omnes, qui impediunt super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de jure, vel consuetudine pertinent, a Sede Apostolica literas impetrari, vel super hujusmodi causis coram Ordinariis, vel delegatis Judicibus Ecclesiasticis litigari, & quod non possunt absolvi, nisi satisfaciant tam judici, quam parti in his læsis, de injuriis, damnis, expensis, & etiam interesse. Item cavetur, quod Religiosi quicunque non debent extra suum ordinem aliquibus personis Clericis, vel laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, vel Matrimonia solennizare non habita super his licentia Plebani loci: Nec excommunicatos ab homine, vel a jure, nec a pœna, nec a culpa quempiam debent absolvere; nisi ostendant se de novo privilegiatos super eo, quia super his privilegia, si qua habuerint, sunt cassata; & si secus fecerint, sunt excommunicati, & non possunt absolvi, nisi per Papam.

Item statuendo inhibemus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne Fratres minores in Ecclesiis suis Fratres & Sorores tertiæ Regulæ Sancti Francisci recipiant tempore interdicti a Divinis, absque privilegio super hoc obtento. Et præmissa notent Plebani diligenter, & in ambonibus Ecclesiarum suarum coram plebe publice denuntient. Quia periculosa interdicta pro pensionibus, & pecuniarum, ac debitorum summis contra Constitutionem BONIFACII Papæ VIII. qui hujusmodi interdictum irritat ipso jure, frequenter & sæpe feruntur; Nos hujusmodi interdicta omnia pro pecuniarum debitis, seu pensionibus lata vel ferenda, sive per Legatos Sedis Apostolicæ, sive per quemcuncunque, declaramus, in virtute sanctæ prædictæ Constitutionis Papalis penitus esse nulla: inhibentes omnibus Plebanis, ac Sacerdotibus, omnique Clero, ne hujusmodi interdicta de cætero curent, vel in periculum animarum servent, sententiasque & processus, in quosvis talia non observantes ob hoc latos vel ferendos, irritos decernentes: omnesque hujusmodi interdicta impetrantes, tam adversariis quam gravatis Ecclesiis ad expensas, & interesse teneri. Permittimus autem, ne Divinum Ecclesiæ subtrahatur officium, ut si qui debitores hujusmodi pecuniam pensionum, vel censuum Ecclesiarum, & piorum locorum pro eo, quod eos non solvunt in excommunicationum, & aggravationum sententias servatis juxta modum curiarum debitis intervallis per tres menses sorduerint animo indurato; Judexque, vel Dominus temporalis hujusmodi excommunicatum per Judicem Ecclesiasticum excommunicatorem, ad hoc requisitum in subsidium jurisdictionis Ecclesiasticæ, illum ad redeundum ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, & parendum sua temporali jurisdictione compellere non curaverit; contra Judicem & Dominum temporalem prædictos pro eorum contemptu, & maxime in loco eis subjecto, ubi excommunicatus degit, per interdicti sententias procedatur.

TIT. LX. *Ex Concilio Constant.*

Ad evitandum scandala & multa pericula, subveniendum conscientiis timoratis, statuimus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel perceptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare; nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censuræ fuerint in, vel contra Personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam aut locum certum, vel certam a Judice publicata, vel denunciata specialiter & expresse.

Præterea omnes & singulas Ecclesiasticas Personas sæculares, & regulares, exemptas, & non exemptas civitatis & Diœcesis nostrarum exhortamur in Domino perpensius, attentiusque monemus, ut excommunicatos majori excommunicatione ab homine, vel a jure notorie, seu de quibus legitime constiterit, in Divinis officiis vitent, & in locis interdictis civitatis & Diœcesis earundem scienter Divinum officium non celebrent: in hoc ad sui excusationem nullam affectatam igno-

ignorantiam, quæ eos in his non excusat, aliqualiter prætendentes, si sententias excommunicationis, suspensionis, ac pœnas irregularitatis in Constitutionibus BONIFACII VIII. & CLEMENTIS V. Roman. Pontificum, nec non processibus quibusdam Domini JOANNIS Papæ XXII. expressas ac latas, in contrarium facientes, voluerint evitare.

Item volumus & mandamus, quod in Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, & Corporis Christi Festivitatibus, prout in BONIFACII Papæ VIII. Constitutione continetur, in terris & locis Ecclesiastico suppositis interdicto, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce Divina officia solennia celebrentur, excommunicatis tamen prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ad reverentiam celebritatis tantæ, ut ex hoc ad humanitatis gratiam, & reconciliationis affectum inclinentur, eo die quolibet participationem indulgemus Divinorum: sic tamen quod illi, propter quorum excessum prolatum est interdictum hujusmodi, altari nullatenus appropinquent.

Quidam Parochialium Ecclesiarum Rectores simplices, ac juris ignari, cum cessatio Divinorum in Ecclesiis indicitur, non solum organa suspendunt, sed etiam Sacramenta & Sacramentalia, quæ a Christi fidelibus interdicti tempore subtrahuntur, sibi subditis ministrare recusant, (*nullam*) inter Divinorum cessationem, & Ecclesiasticum interdictum differentiam ponentes. Quidam vero interdicti tempore prohibita faciunt, & concessis nesciunt gaudere, ex quibus pericula causantur animabus, & hujusmodi Rectores in irregularitatis aliquando prolabuntur maculam. Nos ex Pastoralis officii nostri debito, quantum possibile est, præmissa remediare cupientes, volumus, & ordinamus, ut propter cessationem Divinorum, quotcunque etiam dierum per Nos, aut Judices Nobis subjectos, indictam, nulli Sacramenta, sive sepultura Ecclesiastica, absque tamen solennitate, aliquatenus denegentur, sed duntaxat organa suspendantur: officia tamen Divina, januis clausis, submissa voce, & absque campanarum pulsu celebrentur: sed propter interdictum Ecclesiasticum in civitatem, oppidum, Parochiam, castrum, aut villam ab homine, jure, aut statuto prolatum, non solum organa suspendantur, sed etiam Sacramenta, & Sacramentalia, ac sepultura Ecclesiastica denegentur, infra scriptis salvis.

Permittitur enim eodem interdicto durante, propter moræ periculum, exhiberi Baptismus, & Confirmatio tam pueris, quam adultis, Chrisma die Cœnæ conficitur, Matrimonium contrahitur, sed in facie Ecclesiæ non solennizatur.

Tam sani, quam infirmi ad pœnitentiam & confessionem admittantur, excommunicatis, & causam interdicti præstantibus exceptis, qui tamen cum certis modificationibus aliquando ad confessionem admittantur.

Viaticum infirmis & sanis ad mortem damnatis non denegetur, sed etiam eisdem patenter, aliis etiam Christi fidelibus præsentibus, porrigatur. Clerici decedentes, qui interdictum observarunt in cœmiterio absque campanarum pulsu, ac omnibus cessantibus solennitatibus tumulentur. Singulisque diebus in Ecclesiis missæ celebrentur, ac alia dicantur Divina officia, sicut prius, januis clausis & campanis non pulsatis.

In prædictis festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Corporis Christi, Assumptionis Virginis gloriosæ, Divina officia alta voce, januis apertis, campanisque pulsatis, excommunicatis tamen exclusis, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive celebrentur, non autem in eisdem quinque diebus, interdicto durante, corpora mortuorum Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ, aut Sacramenta, alias tempore interdicti ministrari prohibita, aliquatenus ministrentur: Verbum Dei, ut prius, pulso etiam præcedente, seminatur, interdicto Ecclesiastico non obstante.

Tit. LXI. Casus Excommunicationis majoris a jure latæ colliguntur, viginti octo ex antiquis.

Cum in multis variis casibus a jure communi, cujus ignorantia non excusat, majoris excommunicationis sententia in excedentes proferatur; ideo succincte enu-

enumerare curavimus, ut agniti magis evitentur. Et de jure veteri sunt viginti octo:

I. Cum quis injecit manus violentas in Clericum, etiam in minori Ordine constitutum, aut Monachum, etiam non Clericum, utpote conversum, sive Monialem.

II. Cum quis incidit in hæresin damnatam.

III. Cum quis defendit hæreticum.

IV. Cum quis dicit, Romanam Ecclesiam non esse caput aliarum Ecclesiarum.

V. Cum quis potest defendere Clericum a violenta manuum injectione, & non defendit.

VI. Cum quis incarcerat Clericum, & iste casus implicatur quasi proximo.

VII. Est contra Consules, Officiales, & cæteros, angarias, & onera Clericis imponentes.

VIII. Est contra succedentes proxime dictis, nisi infra mensem errorem Prædecessorum suorum purgaverint.

IX. Contra illos, qui statuerunt, aut introduxerunt statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam.

X. Contra illos, qui talia statuta de cætero fecerint.

XI. Qui talia statuta scripserint.

XII. Contra illos, qui talia statuta servare fecerint, licet ea non statuerint.

XIII. Contra illos, qui secundum illa judicaverint.

XIV. Contra illos, qui judicata conscripserint.

XV. Contra incendiarios & fractores Ecclesiarum, vel (*locorum contiguorum*) Ecclesiæ infra limites cœmiterii; alii autem aliter violantes bona Ecclesiarum, sunt excommunicandi per sententiam.

XVI. In eo, qui electus est in Papam a minori parte, quam a duabus partibus Cardinalium, se pro Papa ingerente, & non resipiscit.

XVII. Contra illos, qui talem pro Papa tenuerunt.

XVIII. Contra falsificantes per se, vel alium literas Papales.

XIX. Contra eum, qui scienter utitur literis sic falsatis.

XX. Contra illum, qui arma bellica facit infidelibus contra Ecclesiam.

XXI. Contra illos, qui in studiis generalibus tractant delocanda hospitia Scholarium ante tempus præfinitum.

XXII. Contra Religiosos, leges, aut medicinam in Scholis audientes.

XXIII. Contra Plebanos, Archi-Diaconos, Presbyteros, leges, aut medicinam audientes, nisi infra spatium duorum mensium destiterint.

XXIV. Contra sagittarios, balistarios, qui his utuntur in bello injusto.

XXV. Cum quis participat in crimine excommunicato.

XXVI. Cum quis participat scienter in Divinis cum excommunicato a Romano Pontifice.

XXVII. Contra illos, qui Romanos, aut alios Christianos in mare navigantes capiunt, aut spoliant.

XXVIII. Contra illos, qui innituntur Ordinibus factis a schismaticis, & recipientes alienata a schismaticis ab Ecclesiis.

De Jure vero sexti Libri sunt XXXII.

I. Contra eos, qui tempore electionis Papæ ad conclave eligentium, alicui secrete scripturam, aut nuntium transmittunt, aut cum aliquo eorum loquuntur.

II. Contra Rectorem, & Officiales civitatis, in qua Summus Pontifex eligi debet, si fraudes committant, aut diligentiam eis commissam fideliter non faciant.

III. Contra eos, qui gravaverint aliquam personam Ecclesiasticam, vel ejus consanguineos, vel Ecclesias, seu bona pro eo, quod eum, pro quo rogabatur, eligere noluit.

IV. Contra usurpantes bona Ecclesiarum (*vacantium.*)

V. Contra seminantes discordiam in electionibus Abbatissarum.

VI. Contra (*eum*), qui de regimine urbis Romæ se intromittit, nisi specialis intervenit Apostolicæ Sedis licentia per ipsius Sedis literas exprimenda.

VII. Contra partem procurantem, Conservatorem procedere contra formam juris.

VIII. Contra extorquentem per metum absolutionem.

IX. Contra judicem simulantem se mulierem in testem productam personaliter audire.

X. Contra obedientem Imperatori, per Sedem Apostolicam deposito.

XI. Contra compellentes personas Ecclesiasticas ad submissionem bonorum & jurium ipsarum Ecclesiarum.

XII. Contra laicos, qui ex contractibus initis super rebus Ecclesiasticis plus sibi usurpant, quam ex natura contractus eis licet.

XIII. Contra Religiosos Mendicantes, ementes eis domos ad habitandum de novo.

XIV. Contra imponentes thelonia, pedagia, & quidagia Clericis.

XV. Contra eos, qui impediunt super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de jure, vel consuetudine pertinent, literas a Sede Apostolica impetrari, & super ipsis coram Ordinariis, vel Delegatis Ecclesiasticis litigari.

XVI. Contra violantes libertatem Clericorum per indirectum.

XVII. Contra Religiosos temere habitum dimittentes, aut studia literarum usitantes absque Abbatis licentia.

XVIII. Contra Doctores & Magistros, qui religioso habitu suo dimisso Leges, & Physicam audientes, scienter docere, aut in Scholis suis præsumpserint retinere.

XIX. Contra tradentes scienter sepulturæ Ecclesiasticæ hæreticos, aut eorum fautores.

XX. Contra laicos publice vel private disputantes de Fide Catholica. NB. Sed iste casus potius est ferendæ sententiæ, quam latæ.

XXI. Contra Judices laicos, super crimine hæresis judicantes, aut captos super eodem crimine præcedente impedientes.

XXII. Contra illos, qui Jacobum & Petrum de Columna pro Cardinalibus tenent.

XXIII. Contra eos, qui dictis Jacobo & Petro favorem præbuerunt, vel auxilium.

XXIV. Contra eos, qui per assassinos aliquem Christianum interfecerint, vel mandaverint, quanquam mors non subsequatur, aut tales receptaverint, vel defensaverint.

XXV. Contra personas Ecclesiasticas, minores Episcopis, qui alienigenas sive non oriundos de territoriis suis, in eorum terris conducere domus, ad exercendum fœnus, vel conductas habere, aut alias habitare permittunt: Episcopi vero suspensionis sententiam incurrunt.

XXVI. Contra concedentes, aut extendentes repressalias adversus personas Ecclesiasticas.

XXVII. Contra insequentes hostiliter aliquem ex Cardinalibus, etiamsi non injecerint manum.

XXVIII. Contra Rectores & Dominos, qui interfectores Cardinalium animadversione digna non puniunt.

XXIX. Contra lædentes directe, vel indirecte Ecclesiasticos Judices, propter jurisdictionis exercitium.

XXX. Contra eum, qui propter mortis periculum fuit absolutus ab excommunicationis sententia ab aliquo, a quo alias absolvi non poterat, si, cessante impedimento, se non sistit, cum commode potest, ei, a quo alias absolvi debebat.

XXXI. Contra absolutos a Sede Apostolica, vel delegatis ipsius, qui se debent alicujus conspectui pro suscipienda pœnitentia, aut pro satisfaciendo læso præsentare, & non faciunt.

XXXII. Si quis injicit manus violentas in Novitium, etiam non Clericum, neque Professum.

Ex Clementinis eliciuntur LI.

I. Contra Possessorem Beneficii, qui in una sententia definitiva succubuit, quod per triennium non possedit, si sequestrum per loci Ordinarium fiendum impedit, aut fructus sequestratos occupat.

II. Contra eos, qui defunctorum corpo-

ra in loco interdicto Ecclesiasticæ tradunt sepulturæ.

III. Qui publice excommunicatos,

IV. Qui nominatim interdictos,

V. Qui manifestos usurarios scienter tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ in loco etiam non interdicto.

VI. VII. VIII. IX. Contra Religiosos gravantes, vel defraudantes Ecclesias in decimis: 1. Ex eo, cum decimas Ecclesiis debitas absque causa legitima appropriare, seu usurpare præsumunt. 2. Quando aliorum animalia suis gregibus immiscent, ut exinde decima non solvatur. 3. Quando animalia emunt, ut venditoribus, aut aliis locent, ut decima ex eis non solvatur. 4. Quando de terris, quas tradunt aliis excolendas, decimas solvere Ecclesiis non permiserunt, aut prohibuerunt.

X. Contra Religiosos, administationem non habentes, qui sine licentia speciali suorum Prælatorum ad curias Principum se conferunt, ut suis Prælatis, aut Monasteriis damna inferant.

XI. Contra Monachos, qui intra septa Monasterii, sine Abbatis licentia, arma tenent.

XII. Contra impedientes Visitatores Monasteriorum Monialium.

XIII. Contra mulieres sectantes, aut de novo assumentes statum (*Beguinarum.*)

XIV. Contra Religiosos pro statu (*Beguinarum*) dantes auxilium, consilium, vel favorem.

XV. Contrahentes scienter matrimonium in gradu prohibito consanguinitatis,

XVI. Vel in gradu affinitatis prohibito,

XVII. Vel cum Moniali.

XVIII. Religiosus contrahens matrimonium,

XIX. Vel Monialis,

XX. Aut Clericus, in Sacris Ordinibus constitutus, excommunicatus est ipso jure.

XXI. Inquisitores hæreticæ pravitatis, & substituti a talibus Inquisitoribus, aut ab Episcopo, vel sede vacante, a Capitulo, ad exercendum officium inquisitionis hæreticæ pravitatis, si ex odio, gratia, vel amore, aut propter lucrum, vel commodum temporale, omittunt procedere contra quemque, ubi fuerit procedendum super hujusmodi pravitate,

XXII. Aut hujusmodi pravitatem insonti imponunt,

XXIII. Aut insontem alio modo vexant super tali crimine; excommunicati sunt, & per solum Papam, præterquam in mortis articulo, veniunt absolvendi.

XXIV. Inquisitores hæreticæ pravitatis, aut Commissarii, ab eis, aut Episcopo, vel sede vacante, a Capitulo deputati, si prætextu officii inquisitionis illicite pecuniam, aut aliquid aliud extorquent, excommunicati sunt.

XXV. Si præfati Ecclesiastica bona, ob delictum Clericorum Fisco, etiam Ecclesia sciente, applicant, similiter excommunicati sunt.

XXVI. Officiales communitatum facientes statuta super usuris solvendis, non repetendis, aut non restituendis:

XXVII. Aut talia scribentes,

XXVIII. Aut talia dictantes,

XXIX. Vel judicantes secundum illa,

XXX. Vel non delentes illa de libris comitatuum, si possunt,

XXXI. Vel illa servantes, excommunicati sunt ipso jure.

XXXII. Religiosi, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ,

XXXIII. Vel Eucharistiæ ministrare,

XXXIV. Aut matrimonia solennizare, non habita super his Presbyteri Parochialis licentia speciali:

XXXV. Aut qui excommunicatos a Canone, præterquam a casibus a jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem,

XXXVI. Vel a sententiis per statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis,

XXXVII. Seu a pœna & culpa absolvere quemquam præsumpserint, excommunicationis incurrunt sententiam ipso facto, per Sedem duntaxat Apostolicam absolvendi.

XXXVIII. Banniens injuriose Episcopum.

XXXIX. Vel qui hujusmodi bannum fieri mandaverit, aut factum ab aliis ratum habuerit, vel socius fuerit in hoc facientis, aut consilium in hoc dederit, aut favorem, seu scienter defensaverit eundem bannientem, ipso jure est excommunicatus, a qua excommunicatione nequeat, nisi per Summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, absolvi.

XL. Religiosi mendicantes, qui domos ad habitandum, vel locum quemcunque de novo recipiunt, aut prius recepta mutant, vel alienant,

XLI. Aut retrahunt aliquos a solutione decimarum Ecclesiis debitarum.

XLII. Sibi confitentibus conscientiam faciant de solvendis hujusmodi decimis; alioquin scienter omittentes, tamdiu ab officio prædicationis manent suspensi, quousque fecerint, si commode facere possunt: & si medio tempore prædicare præsumpserint, excommunicati sunt ipso facto.

XLIII. Religiosi, aut Clerici sæculares, qui aliquos ad vovendum, jurandum, aut promittendum inducunt, ut sepulturam apud eorum Ecclesiam eligant, vel electam alterius non immutent, excommunicati sunt, & per solum Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, veniunt absolvendi.

XLIV. Religiosi etiam exempti violantes interdictum Ecclesiasticum, aut Divinorum cessationem, servatam per matricem Ecclesiam loci, excommunicati sunt.

XLV. Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare Divina:

XLVI. Vel qui per præcones faciunt, tunc ad illa audienda populum evocari:

XLVII. Vel qui prohibent, ne publice excommunicati, vel interdicti, super hoc per illos, qui Missas celebrant, moniti, Ecclesias exeant.

XLVIII. Et ipsi nominatim, qui non exeunt, excommunicati sunt, & solum per Papam absolvendi.

XLIX. Fratres minores, si tempore interdicti recipiunt in suis Ecclesiis ad Divina Fratres vel Sorores tertii Ordinis S. Francisci, excommunicati sunt.

L. Asserens pertinaciter, quod anima rationalis, seu intellectiva, non sit forma corporis humani, tanquam hæreticus excommunicatus est.

LI. Pertinaciter asserens, usuram non esse peccatum, tanquam hæreticus excommunicatus est.

Hoc quoque sciendum, quod a jure excommunicati vitandi non sint, nisi secundum formam Constitutionis, seu Statuti supra sic incipientis: *Ad vitandum scandala*, in Tit. *De sententia excommunicationis.*

De Regulis Juris.

Sanctorum Patrum Regulis & præsentibus Statutis quivis noster subditus regatur in vita, verbis, & factis, ut sciat & faciat, quod acceptum est Omnipotenti DEO, ut, consummato hujus vitæ curriculo, una Nobiscum in cœlesti Patria recipere mereantur sempiterna præmia.

Constitutio Concilii Basiliensis de Synodo per Episcopos celebranda.

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS.

PRidem hæc Sancta Synodus quoddam saluberrimum promulgavit Decretum pro stabilitate & robore Generalium Conciliorum, &c. *Vide eandem hanc Constitutionem supra in præcedente Concilio Salisburgensi pag.* 587.

Conclusio.

Hæc quoque nostra Synodalia Statuta, mandamus in Ecclesia nostra Bambergensi per Notarium publicum primo, & deinde, quatenus opus fuerit, per Rectores Parochialium Ecclesiarum, & alios Curatos pro populi sibi subditi oportunitate, in quantum ipsos, ac populum concernunt, in eisdem nostris civitate

vitate & Diœcesi, temporibus ac locis convenientibus publicari, seu intimari.

Et ut secundum veterem consuetudinem Sancta Episcopalis Synodus hactenus feria tertia post Dominicam *Exaudi* celebrata existit: sic singulis futuris annis celebrabitur eadem die in Ecclesia nostra Bambergensi. Et Clerici, qui in illa interesse teneantur, non præsumant se absque nostra licentia, aut rationabili, & justa causa ab ipsa quomodolibet absentare. Temerarie vero se retrahentes puniri volumus, & præsentibus mandamus: si autem forsan locum & diem ejusdem Synodi contigerit mutari, id eisdem Clericis volumus tempestive intimare.

Insuper volumus, etiam sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quod hæc nostra Statuta Synodalia in prædictis nostra civitate & Diœcesi firmiter observanda, in nostra majori Bamberg., nec non in Collegiatis Ecclesiis, & Monasteriis singulis earundem nostrarum civitatis & Diœcesis, & apud Decanos rurales, ac Ecclesiarum Parochialium Rectores quoscunque, debeant de verbo ad verbum haberi conscripta in litera correcta, & auscultata, ita ut sint per manum Notarii nostri Fisci subscripta, si de inobedientia noluerint reprehendi; & secundum ea in quibuscunque causis, & in quacunque instantia sententiari, & definiri debere.

Dispensandi tamen super hujusmodi, nec non absolvendi a sententiis in prædictis Statutis, & Constitutionibus per Nos, ut præmittitur, latis, & supra expressis, interpretandique, atque mutandi, & corrigendi ea, Nobis, & quibus id commiserimus, omnimodam reservamus potestatem.

Data in civitate nostra Bamberg. Anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo primo, Feria tertia post Dominicam, qua in Ecclesia Dei cantabatur officium *Exaudi*.

Lunig Spicil. Ecclesiastici Tomo II. a pag. 75.

SWERINENSIS SYNODUS

Anno Christi MCCCCXCII. Innocentii VIII. Pp. VIII. Friderici Imp. LIII.

Statuta Synodalia Episcopatus Swerinensis, quæ ab Episcopo CONRADO edita anno MCCCCXCII., & iterum anno MDXIX. publicata sunt.

CONRADUS, (a) DEI ET APOSTOLICE SEDIS GRATIA EPISCOPUS SWERINENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS PRESBYTERIS, CLERICIS SECULARIBUS ET RELIGIOSIS, PER NOSTRAM CIVITATEM ET DIOCESIM UBILIBET CONSTITUTIS, PRESENTIBUS ET FUTURIS, CUJUSCUNQUE GRADUS, ORDINIS, STATUS, DIGNITATIS, AUT PREEMINENTIE SINT, VEL FUERINT, IN DOMINO SALUTEM SEMPITERNAM.

AD perpetuam rei memoriam. Ad hoc constitutiones, & leges fuerunt & facte sunt, ut humana coerceatur audacia, & nocendi facultas reformetur.

(a) Conradus, cognomento Losten, Wismaria ortus, atque in utroque Jure doctus (anno 1482.) eligitur in Episcopum Suerinensem: licet senio gravis Cathedram adiisset, eandem tamen 20. annis tenuit. Multa Ecclesiæ prædia pignore obligata, aut ære gravata alieno redemit, & Ecclesiæ libera reddidit. Obiit anno 1503. pridie Nativitatis D. N. J. C. *Cranz. in Metrop. L. XII. C. 20.*

Conrado successit Joannes, cognomento Thuen (*alii*: Comes de Thun) militari genere, non tamen

tur. Ad cohibendum igitur humanam audaciam de peccato, constitutiones quasdam, vitiis & concupiscentiis *in hac nostra Sancta Synodo* perspeximus opponendas, vestigiis tam Divini, quam humani juris inherentes, quibus homines Nobis subjecti honeste vivant, & alterum non ledant, aliis non faciant, quod sibi fieri non velint, jus suum unicuique tribuant, reformentur. Quoniam autem Rex Pacificus pia miseratione disposuit, subjectos sibi fore pudicos, pacificos, & modestos: ideoque Predecessorum nostrorum vestigiis inherere volentes, constitutiones, statuta, ordinationes & mandata infra scripta una cum quibusdam juris constitutionibus, Nobis, & Vobis necessariis, videlicet bone memorie GUIDONIS Tusculani quondam Romane Ecclesie Cardinalis, Sancte Sedis Apostolice in Germania de latere Legati, ac Reverendissimorum Patrum, Dominorum Bremensis Ecclesie Archi-Episcoporum, in hoc Synodali nostro processu duximus facienda, statuenda, & publicanda, prout tenore presentium facimus, statuimus, & publicamus: penas tam Ecclesiasticarum censurarum per nonnullos Predecessores nostros in subsequentibus articulis appositas, & indubie animas plurimorum, contra Superiorum constitutiones improvide agentium, illaqueantes, per modum abolitionis, in pecuniarias infrascriptas, quasi in eas, que proh dolor hodie a nonnullis magis advertuntur, & que executionem promptiorem recipiunt, commutando. Volentes, & decernentes, ut loco Canonicarum monitionum infra dicenda habeantur: ita quod in eis excedentes parata executione percellantur.

Juxta consuetudinem Ecclesie nostre publicamus & notificamus, & in quantum possumus, & valemus, omnia & singula premissa infra scripta approbamus, innovamus, & observari inviolabiliter mandamus.

I. *Revocatio Confessorum & Commissariorum in foro penitentie.*

In primis igitur in hac *Sacra Diocesana Synodo* diligenti deliberatione præhabita, revocamus omnes & singulos Confessores, & Commissarios, seculares & Religiosos quoscunque, etiam exemptos, in foro penitentie per Nos, vel nostri nomine, aut nostros Vicarios, Officiales vel Commissarios datos, seu Deputatos, habentes potestatem in genere, vel in specie, quascunque personas utriusque sexus, cujuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, eorum nominibus expressis vel non expressis, in casibus quoque modo Nobis reservatis specialiter expediendi, confessiones eorum audiendi, & eis penitentias salutares injungendi, vel cum ipsis dispensandi. Quorum & cujuslibet ipsorum auctoritatem, facultatem, cujuscunque tenoris existat, revocamus & irritamus, & ad Nos præsentibus advocamus, & ab eis penitus tollimus & abdicamus, cum interpositione decreti, quod; si contrarium factum fuerit, nullius sit roboris vel momenti. Quodque Commissarii, in ante per Nos deputandi, teneantur Rectoribus in locis, in quibus deputabuntur, literas nostras ostendere & exhibere, & earundem literarum copias tradere. Quodque literis Prioribus vel posterioribus non credatur, nisi nostro sigillo munitis, datumque post publicationem nostram hujusmodi continentibus. Nec aliter per Rectores Ecclesiarum, Capellarum, vel aliorum piorum locorum, quovismodo admittantur, sed per ipsos nostra authoritate repellantur. Et si presumptuose contra hoc se in his gesserint, hoc publice populo de ambone, & nihilominus Nobis infra unius mensis spacium significetur per hujusmodi Rectores, vel eorum vices gerentes, quodque nullus preter Nos valeat in foro penitentie committere vices nostras, vel authoritatem absolvendi, vel dispensandi in

tamen amplo natus, sed illis præditus virtutibus, ut Principibus Magnopolensibus semper esset comendatissimus. Strenuam in eo operam posuit, ut Monasteria tam virorum, quam mulierum, religiosam reduceret ad disciplinam, & incontinentiam e Clero proscriberet. Sanctos ejus labores mors, biennio vix exacto secuta, interrupit. *Cranz. in Append.*

Joannis in locum suffectus est Petrus, vir insignis, virtute & scientiis notior, quam natalibus, Episcoporum Suerinensium XXXI., Catholicorum, qui huic Sedi præfuerunt, postremus. *Cranz. ibid. Hist. Eccl. Germ. Gallice edita typis Bruxellensib. apud Franc. Foppens.*

in casibus Nobis (ut predicitur) specialiter reservatis, nisi hoc a Nobis singulariter in mandatis receperit.

II. *De Clericis peregrinis sine licentia Prelatorum non admittendis cum exhortatione ad Prælatos Diocesis de corrigendis excessibus subditorum.*

Item cum Divina disponente Clementia, nostram *Swerinensem* Ecclesiam & Diocesim Deus ipse voluit esse *Cathedralem*, ac quosdam Prelatos (Episcopo inferiores) tanquam ipsius oculos crebro vigilantes etiam preordinaverit, ut tam per ipsius Episcopi quam ipsorum Prelatorum providam circumspectionem, circumspectamque providentiam, dicta nostra Ecclesia & Diocesis salubriter regeretur. Nullus Rectorum Ecclesie, aut Monasteriorum in aliena Diocesi ad Sacros majores Ordines ordinatum, ad officiandum, aut alia Sacramenta ministrandum, aut Missas cantandum, sive Epistolam, aut Evangelium publice legendum, in Capellis, Monasteriis, aut Altaribus celebrandum quovismodo admittat, nisi talis per *Episcopum pro tempore Swerinensem*, aut ejus Officialem, seu saltem Officialem loci illius, immediatam jurisdictionem habentem, admissus fuerit, sub pena *decem marcarum Lubicens.* pro qualibet vice contraria extorquendarum, & in pios usus convertendarum. Volumus etiam, quod Prelati inferiores debitum respectum adhibeant, quod non admittatur, nisi rite ordinatus, & alias vite laudabilis & conversationis honeste existat, nisi prius per Nos, & Capitulum nostrum fuisset concorditer admissus & receptus. Nos igitur Ecclesie, ac Diocesis nostre Swerinensis singulis Prelatis, jurisdictionis, seu regiminis exercitium quomodolibet habentibus, salubriter eos in Domino exhortando, in virtute sancte obedientie precipiendo mandamus, quatenus suorum excessus subditorum sic studeant corrigere, ne desides & remissi, seu in ipsis nimis onerosi videantur; sed misericordiam cum disciplina ante oculos habentes, justitiam exerceant, penam Canonicam (aut pecuniariam, que magis timeatur) delinquentibus infligendo, ne sanguis subditorum de manibus requiratur Prelatorum. Timeantque nostri Prelati (immo penitus abstineant) ne ipsi, vel Officiales sui de casibus Nobis de jure, vel consuetudine specialiter reservatis, puniendo, dispensando, vel absolvendo se quomodolibet intromittant, nec umbram exhibeant in premissis in opere, cum veritas non subsistat in effectu.

III. *Revocatio Commissariorum judicialium cum advocatione causarum.*

Item revocamus, & pro revocatis publicamus omnes & singulos Commissarios judiciales, per Predecessores nostros quacunque auctoritate per civitatem & Diocesim Swerinensem datos & deputatos, sive jam cause pendeant, sive sint inchoande, & sive res sit integra, sive non. Hujusmodi causas sic, ut premittitur, commissas, quarum personas, status & terminos volumus habere pro sufficienter expressis, in eisdem statu & terminis, in quibus existunt, ad Nos & nostrum Consistorium expresse tenore presentium advocamus, & declaramus, quod partes poterunt hujusmodi causas prosequi, & in eo statu, quo ultimo illic remanserunt, coram Nobis resumere.

IV. *Revocatio licentie de non residendo, & quod Beneficiati resideant infra mensem, & deserviant, vel ordinent diligenter Officiantes, & illis satisfaciant.*

Item revocamus & cassamus omnes dispensationes & licentiatoria, per Predecessores nostros factas & facta, quibuscunque nostrarum civitatum & Diocesis contra hec Synodalia Statuta per Nos edita & publicata, de hoc videlicet, quod possint in eadem Ecclesia, seu Capella, Monasterio, vel alio loco, in quo Ecclesiastica Beneficia instaurata sunt, habere unum Beneficium, vel redditus eleemosinales cum una officiatione, aut duas simul officiationes: Ac presentibus statuimus, ordinamus & mandamus, quod quilibet Clericus nostre civitatis & Diocesis Beneficiatus, quocunque Beneficio exigente ex fundatione, vel de consuetudine, generali, vel speciali, seu privilegio, aut alia causa, residentiam, in ipso resideat personaliter, nec

nec ab ipſo ultra unius menſis ſpacium abſque rationabili cauſa ſe abſentet, ſed ſuo Beneficio hujuſmodi in Divino Officio deſerviat, neque diſpenſationem aliquam de non reſidendo in ipſo Beneficio a quocunque Prelato inferiore, niſi ab illo, qui eandem diſpenſationem ſecundum juris communis diſpenſationem dare & concedere poterit, ſed a Nobis obtineat in caſibus Nobis a jure permiſſis. Ac quivis hujuſmodi Clericus ſimplici Beneficio, eleemoſyna, aut Commenda Beneficiatus reſidentiam jure, Statuto, Fundatione vel conſuetudine, aut alia cauſa, non exigente, infra dictum menſem a die inſtitutionis, & aſſequutionis, ſi per ſe ipſum deſervire non poteſt, ſaltem honeſtum Presbyterum, notum, bone fame, & probum in communione fidelium exiſtentem, loco ſui pro officiante ordinet: Cui officianti per Beneficiatum debet integre ſine ulla diminutione occulta, ſive manifeſta, illud ſalarium ſolvi, quod in hujuſmodi Eccleſia, Capella, vel loco, vel ſaltem in locis vicinis ab antiquo ſolitum eſt ſolvi. Quodque talis officians, etiam diligenter Divino Officio deſerviat, & Miſſas ſecundum fundationem Beneficii, eleemoſyne, Commende, vel Altaris: & ad omne minus ſemel in qualibet ſeptimana ibi Miſſam legat: & ea propter minus, quam ſolvi conſuevit, acceptare vel recipere pro officiatura non preſumat, ſub pena trium florenorum, Nobis irremiſſibiliter exſolvendorum per hujuſmodi ſtatuti tranſgreſſorem.

V. *De Altari portatili non utendo, ac conſecratione, reformatione & reconciliatione locorum ſacrorum.*

Item revocamus, caſſamus, & annullamus omnes & ſingulas permiſſiones & conceſſiones, quibuſcunque perſonis vel locis, per Predeceſſores noſtros, & etiam per Nos datas & conceſſas, de celebrando in Monaſteriis, ſeu Hoſpitalibus, Cenobiis, Baſilicis, Capellis, Altaribus, & locis quibuſcunque, etiam ad conſecrandum deputatis, & nondum conſecratis, in tabulis, ſive viaticis conſecratis. Et inhibemus, ne aliquis celebret, aut faciat celebrari ibidem, ſub pena viginti florenorum Renenſ. Eccleſie noſtre Swerin. applicandorum. Mandamus quoque per Rectores & Proviſores Eccleſiarum, & aliorum locorum hujuſmodi procurari, ut loca non conſecrata conſecrentur, aut violata, ſeu polluta, deſtructa, vel diruta, & reedificatione indigentia reformentur, reparentur, & reconcilientur infra quatuor menſium ſpatium computando a die data preſentium, & in futurum a die peracte deſtructionis, violationis, aut pollutionis. Alioquin Rector hujuſmodi Eccleſie vel loci, vel ejus vicem gerens, dictos Proviſores dicto termino elapſo, infra octo dies proxime tunc ſequentes Nobis inſinuet, ut ad executionem procedere valeamus ſub pena premiſſa.

VI. *Monitio ad reſtaurandum pia loca, & de materialibus eorum non alienandis.*

Item mandamus inſuper, & monemus ſub excommunicationis & dicta viginti florenorum penis illos, ad quos ſpectat reparatio Eccleſiarum, Cimiteriorum, & aliorum piorum locorum. Quatenus hujuſmodi loca, reparatione, circumſeptione, aut melioratione indigentia infra dictorum quatuor menſium ſpacium reparare, & meliorare pro poſſe cum effectu ſatagant. Inhibentes etiam ſub eiſdem penis quibuſcunque utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne ligna, lapides, & alia ſpectantia ad edificia Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum, convertantur, concedantur, deportentur, ſive alienentur ad quoſcunque uſus profanos, abſque ſcitu & voluntate Rectorum & Proviſorum predictorum.

VII. *Inhibitio, ne res Eccleſie, aut locorum piorum alienentur ſine licentia Epiſcopi.*

Item inhibemus, ne aliqua utriusque ſexus perſona Eccleſiaſtica, mundana, vel religioſa, ſine vera & cauſa neceſſaria, & debita juris ſolemnitate ſervata, ac conſenſu eorum, quorum conſenſus jure, vel conſuetudine requiritur, res & bona quecunque (quorumcunque piorum locorum) licite alienare, vel diſtrahere, ſeu occupare, aut ſic alienata, diſtracta, vel occupata ultra unius menſis ſpacium retinere præſumat ſine noſtra licentia ſpeciali ſub pena excommunicationis late ſententie, Canonica monitione

ne premissa in scriptis, & alia pena pecuniaria proximo statuto contenta.

VIII. *De Oblationibus solitis non minuendis.*

Item ad Statuta Synodalia, per Predecessores nostros publicata, declaranda, presentibus innovando & statuendo adjicimus, ne quecunque utriusque sexus Ecclesiastice, mundane, aut Religiose persone, quocunque colore, adinventione, inductione, mandato, aut consilio, publice, aut privatim diminuant, seu restringant solitas oblationes, vel numerum personarum ab antiquo offerre solitarum in exequiis defunctorum, post partum mulierum purificatarum introductionibus, nuptiarum solenniis, festivitatibus, vel aliis temporibus, seu actibus, prout in constitutionibus Divorum quondam FRIDERICI, & KAROLI Romanorum Imperatorum, semper Augustorum, plenius continetur, quas hic volumus habere pro sufficienter insertis, quas etiam precipimus sub penis predictis inviolabiliter observari.

IX. *Ut Persone Ecclesiastice propria temeritate laicorum, vel Clericorum non relegentur, aut proscribantur, & de pena contra facientium.*

Item simili modo intimatur Advocatis, Rectoribus, Judicibus, Proconsulibus, & Consulibus, ac Prefectis locorum suorum, quodsi deinceps Clericos, Ecclesiasticas Personas, propria temeritate bannire, relegare, aut proscribere non verebuntur, quod omnes & singuli, tam laici, quam Clerici talia presumentes, aut ea fieri mandantes, seu eorum nomine & mandato facta, rata habentes, vel in eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis majoris sententiam, per felicis recordationis URBANUM Papam V. latam incurrant, & loca eorum sint supposita Ecclesiastico interdicto ipso facto, nisi talia revocaverint. Quodque nullus ab eisdem sententiis per alium, quam per Romanum Pontificem possit absolvi. Nec etiam interdictum hujusmodi per alium relaxari, & penas Divorum Imperatorum FRIDERICI & KAROLI, ut prefertur, non evadant.

X. *Prohibitio, ne quis sine commissione in foro penitentiali, vel contentioso, in casibus, vel causis reservatis se intromittat.*

Item prohibemus sub penis excommunicationis sententiæ (*), ne quis inferior sine speciali, & expressa nostra commissione in foro penitentiali, vel contentioso de casibus, vel de causis (de jure, consuetudine, statuto, vel alio quovis modo) Nobis reservatis se intromittat. Nobisque expresse reservamus causam, & causas per quecunque alia Predecessorum nostrorum statuta in usu existentia, aut communi observantia Nobis reservatas, quibus tamen inferiores Prelati legitime non præscripserint. Et sub eadem pena mandamus, quatenus Ecclesiarum Rectores, & alii Confessores habeant, & penes se conservent copias casuum Nobis reservatorum, & in presentibus statutis infra expressorum.

XI. *Ne quis mandata peregrina exequatur sine insertione totius sue facultatis.*

Item statuimus, & ordinamus, ac sub excommunicationis sententia (in his scriptis lata) mandamus, quatenus nullus Presbyter, vel Clericus nostre civitatis, & Diocesis recipiat, admittat, vel exequatur quecunque mandata, quorumcunque conservatorum, delegatorum, & subdelegatorum, vel eis pareat; nisi tenor literarum (sue potestatis) in eis de verbo ad verbum insertus, & per Notarium publicum mandata hujusmodi subscripta, & authentico sigillo Judicis sigillata, ac copie eorundem per publicum Notarium auscultate, & collationate eidem Executori dimittantur. Nec etiam quascunque cassationes, annullationes, aut nullitatum declarationes, contra quoscunque processus, per quoscunque Judices, sive Commissarios, Apostolica, ordinaria, arbitraria, vel alia quavis auctoritate decretas, seu emissas, aut contra quascunque sententias, & pronuntiationes diffinitivas, vel interlocutorias, aut mandata, aut decreta judiciaria, & arbitraria similiter admittat, aut exequatur; nisi hujusmodi Judex ad hoc a Sede Apostolica specialem habeat autho-

(*) *forte:* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

thoritatem ; quam Nobis prius mandamus ostendi , aut aliis Prelatis inferioribus exhiberi, ac per Nos , seu eosdem Prelatos exequi mandari.

XII. *Ut non admittatur Questor, nisi de licentia doctum fuerit.*

Item statuimus, ordinamus, ac inviolabiliter observari precipimus, quod nullus Questor, aut nulla persona Ecclesiastica, religiosa, vel mundana, de cetero per Rectores quorumcunque Monasteriorum, Ecclesiarum, Capellarum, & aliorum locorum piorum admittatur, ad petendum, seu colligendum eleemosynas, & caritativa subsidia , pro his locis,vel miserabilibus personis , per nostram civitatem, & Diocesim ubilibet ; nisi nostram licentiam, & authoritatem, ac desuper nostras patentes literas vice qualibet coram ipsis producat , exceptis Fratribus Predicatorum, Minorum , & aliorum privilegiatorum Ordinum , quos suis gaudere volumus, & desideramus privilegiis.

XIII. *Ut eleemosynales redditus, nondum confirmati, infra quatuor menses confirmentur , & subtracti redditus infra mensem notificentur.*

Item quod omnes, & singuli Presbyteri & Clerici, quibus eleemosynales redditus (nondum confirmati) pro sustentatione sunt deputati , eosdem infra quatuor mensium spacium , ne cum tempore, ut sepius factum est, usus redire possint ad prophanos, a Nobis obtineant cum effectu confirmari , ac eos per literas nostras ascribi Ecclesiastice libertati. Illi vero in quorum Monasteriis, Ecclesiis, Capellis , vel aliis locis piis, hujusmodi redditus deputati sunt pro cultu Divino, vel sub quorum Parochiis redditus hujusmodi (etiam nulli loco, vel persone deputati) siti sunt , vel unde forte subducti, seu subtracti sunt, infra unius mensis spacium post dictos quatuor menses immediate sequentis , Nobis premissa sub pena sex florenorum totiens quotiens exsolvendorum, notificare procurent, ut eosdem redditus spirituales confirmemus , ac Personis Ecclesiasticis idoneis,& dignis providere ad deserviendum eisdem valeamus.

XIV. *Ne Judices in causis cessionum quicquam faciant , nisi juramento prestito, ut infra.*

Item cum laici Clericis sint, & fuerint oppido infesti, propter crebras debitorum cessiones (quas adversus eos recipiunt) magis infesti redduntur. Idcirco mandamus sic observari, quod nullus de cetero Judicum per, & infra civitatem, & Diocesim nostram super hujusmodi cessionibus quicquam judicialiter faciat, vel attemptet, citando, vel judicando, nisi tam prius a cedente, quam cessionario, formale & corporale recipiat juramentum , super ipsius cessionis veritate,& puritate , quod non sit simulata, sub pena decem florenorum.

XV. *Ut uniformitas in Divinis Officiis observetur ad ordinationem Ecclesie Swerinensis, & quod Beneficiati Ecclesiarum intersint circuitibus festivis diebus.*

Item cum incongruum sit membra a suo capite discrepare ; idcirco precipimus in virtute sancte obedientie omnibus,& singulis nostrarum civitatis,& Diocesis Beneficiatis, aliisque, qui ad dicendum horas Canonicas ex ordine suscepto, vel alia quavis de causa sint obligati, ut in horis Canonicis dicendis,& in Sacramentis Ecclesiasticis ministrandis , festivitatibus ,& jejuniis observandis, & ceteris Ecclesiasticis ceremoniis , seriem , modum, ordinationem, vel ordinarium Ecclesie nostre Swerinensis uniformiter teneant & observent. Et quod ulteriori ampliorique Divini cultus augmento omnibus,& singulis Dominicis,& aliis festivis diebus , quibus sit solemnis circuitus, in eodem circuitu, & stationibus , expost consueto more fiendis cum suis Superioribus adsint , & se nullo modo absentent, nisi evidens necessitas id exposcat , alioquin inobedientes totiens quotiens penam unius dimidii floreni, Ordinario loci, & ejus Fisco applicandi, incurrant.

XVI. *Ut Provisores Ecclesias, & Cimiteria reforment.*

Insuper monemus omnes & singulos Provisores Parochialium Ecclesiarum, & Parochianos, quatenus infra spacium duo-

duorum mensium a notificatione presentium immediate proximorum, Cimiteria, seu Ecclesias (que indigent reparatione) muris, tectis, seu sepibus circumdent, ne Sacramenta Ecclesiastica, vel ornamenta, seu mortuorum corpora ibidem sepulta, pericula gravia, & inhumana per bestias aliquando patiantur, seu dehonestationibus officiantur, & alioquin vobis Plebanis circuitum ipsius Cimiterii, & ipsis Parochianis Ecclesiasticam sepulturam, donec premissa implenda fecerint, inhibemus, sub pena quinque marcarum Lubicens. (totiens, quotiens post monitionem nostram contrarium factum fuerit) Nobis solvendarum.

XVII. *De dotibus, & edificiis Ecclesiarum, per eosdem Provisores edificandis, & reparandis.*

Item, quia Provisores, sive jurati Ecclesiarum hujus Diocesis oblationes, & legata quecunque ad usum fabricarum facta, de antiqua consuetudine soli in toto recipiunt, & retinent; Juri & equitati consonat, ut iidem Provisores ad Ecclesiarum suarum, ac illis accedentium edificiorum, edificationem, & reparationem non immerito teneantur. Cum onus sustinere debeat is, qui commodum recipit. Idcirco statuta quondam Reverendissimi Domini GUIDONIS Cardinalis, & in hac Provincia Bremens. de latere Legati desuper edita in hac parte specialiter approbantes, innovantes, & declarantes, dictis Provisoribus solis, ubi Ecclesiarum facultates ad id sufficient; alioquin etiam Parochianis cujuslibet Parochie universis, & singulis in virtute Sancte obedientie, & sub penis in proximo statuto contentis precipimus, & mandamus, eosque ad hoc de jure teneri decernimus, quatenus intra trium mensium spatium, a notificatione presentium per Ordinarios locorum immediatos, quos hujus statuti Executores, quoties necessitas requirit, specialiter deputamus, eis facta, immediate sequentium, domos sive Plebanias Rectorum, & Capellanias Capellanorum, ac custodias custodum ad easdem Ecclesias spectantes in earum necessariis, & utilibus edificiis, presertim in parietibus, tectis, fenestris, ligneis ac vitreis, nec non portis, sive clausuris, phalangis, sive sepibus, prout inibi convenientius fieri poterit, edificent, & reforment toties, quoties opus fuerit: quodque domus dotis, sive Plebania predicta, si fundus hoc patiatur, habeat in longitudine quinquaginta, vel circa; & in latitudine triginta pedes ad minus, stabulis tamen in his minime computatis. Laquear quoque supra ignem in longitudine XXIV. pedum: & quod in ipsa (domo) dotis, sive Plebania hujusmodi sint ad minus quatuor fenestre vitree, singule unius ulne in longitudine & latitudine, expensis Ecclesie a principio illic ponende. Sed si Rector Ecclesie, aut sui illas destruxerint, per eum reparande. Et similiter sint in eadem domo pro Rectore cubile, & estuarium sub clausuris, & cum fenestris competentibus, similiter tribus, aut quatuor vitreis, ut supra reformandis. Provideatur quoque in curia dotis, sive Plebanie pretate, de fornace bona, bene cooperta, pro panibus bene fiendis, ac puteo aquarum pro necessitate ejusdem dotis. Si vero dicti Provisores, seu quando Ecclesie facultates hoc supportare non possunt, ipsi Parochiani, ad hoc a Rectoribus instanter requisiti, ultra dictum tempus trium mensium, temere premissa facere distulerint, Ordinarii locorum predicti, ad quos Rectores tunc recurrant, ad executionem realem hujusmodi statuti sub premissis, & aliis eorum arbitrio apponendis penis procedere non postponant. Cum enim vili pastori pecorum quelibet communitas oppidi, aut ville, integram domum facere, & reparare non differat; Quare etiam magis Pastoribus animarum suarum domos, non ad ipsos, sed Ecclesiam, in qua Divina audiunt, ac salutarem doctrinam, Sacramentaque Ecclesiastica recipiunt, quelibet Parochia edificare, & reparare ad honorem Dei obligatissima erit.

XVIII. *Ut vetus Chrisma apud fontem fundatur, & novum ab Archidiacono, seu loci Ordinario statim post Pascha suscipiatur.*

Item precipimus, ut Presbyteri Parochiales singulis annis in die Parasceves vetus Crisma, & utrumque oleum sub fonte baptismali effundant, cum ultra ab illo die non debeant uti antiquo Crismate: sed ab Archidiacono, seu eorum Ordi-

Ordinario, ſtatim poſt Paſcha novum Chriſma ſuſcipiant, ne quis ſine premiſſo Sacramento decedat. Et pro Chriſmate dando nihil petant, ſive recipiant.

XIX. *Prohibitio, ne quecunque bona Eccleſie impignorentur, dentur &c. ſine licentia Epiſcopi.*

Idem prohibemus, ne quis (cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, ſexus, vel conditionis fuerit) campanas, calices, libros (etiam de libraria,ſeu bibliotheca) veſtimenta, ſeu ornamenta, vel quaſcunque res mobiles, vel immobiles Eccleſie, & maxime Divino cultui deputatas, ſeu deputata, quacunque etiam neceſſitate imminente, preſumat alicui impignorare, dare, vendere, obligare, aut commutare,ſeu ad longum tempus concedere, ſine noſtra licentia ſpeciali. Et ſi quid contra premiſſa a quoquam attemptatum fuerit, decernimus nullum, irritum, & inane,& ſententiam majoris excommunicationis (Canonica monitione premiſſa) incurrere volumus eundem ipſo facto.

XX. *De reverenter portando Sacramentum Euchariſtie, ut infra.*

Item præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, volumuſque, & mandamus, ne venerabile Sacramentum Euchariſtie in capſulis, ſeu locis ſeratis publicis, ad nutum Parochianorum aperiendis, habeatur. Sed in Ciboriis Eccleſiarum (locoque decenti & apto) locatis ſub congrua clauſura, per Plebanum, & non cuſtodem, in ruralibus Eccleſiis reverenter honorificeque cum omni cura recondatur. Et quod Sacerdotes in portatione memorati venerabilis Euchariſtie Sacramenti ad infirmum devote, & humiliter incedant, & ipſum Sacramentum ante pectus cum reverentia, induti ſuperpelliceo albo, aut alias congruenti religione, & ſtola, ſuppoſito panniculo mundo, precedente lumine cereo, & campana portare debebunt, & ſequentibus indulgentias pronuntiare ſolitas & conſuetas, quas etiam eis preſentibus miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur, & preſertim per quondam URBANUM Papam ſextum in ſua obedientia conceſſas.

XXI. *De Sacramento Euchariſtie frequenter per circuitum non deferendo, nec ſingulis diebus exponendo.*

Item conſimili ſub tenore diſtricte prohibemus, ne Rectores Eccleſiarum, Capellarum, aut aliorum piorum locorum, ſeu eorum vices gerentes de cetero illa levitate utantur, ſcilicet, ut in ſingulis patrociniis, aut aliis feſtivitatibus, quibus ab univerſali Eccleſia hoc non ſoleat obſervari, quovis modo publice per cimiterium deferant, aut in publico cum ſpeciali ritu venerandum, exponant Sacroſanctum Corpus Dominicum adjunctis ſibi vitricis, ſeu proviſoribus Eccleſie laicis; cum in precipuo ipſius Sacramenti feſto, & paucis feſtivitatibus aliis hoc ſit ſpecialiter indultum, aut fieri conſuetum. Oppoſitum vero facere, non eſt Sacramentum honorare, ſed in vilipendium ejus conari, propter aſſiduitatem, & nimiam laicorum ad ipſum familiaritatem. Nec non ex prohibitione Legatorum Sedis Apoſtolice, atque noſtra, vobis inhibemus, quod Corpus Dominicum ſingulis diebus in capſa publica, aut alias loco evidenti propter varia pericula non ponatis: niſi hoc Eccleſia veſtra ex indulto, ſive privilegio authentico habeat: quod Nobis infra unius menſis ſpatium mandamus exhiberi ſub pena quatuor florenorum.

XXII. *Ut due ad minus habeantur Hoſtie in qualibet ſeptimana renovande.*

Item precipimus, ut quilibet Rector Eccleſiarum, vel Capellarum habeat in loco honeſto ſub fideli cuſtodia in Eccleſia, vel Capella, duas ad minus Hoſtias, qualibet ſeptimana renovandas, & conſecrandas, ut tempore neceſſitatis infirmis viaticum ſalutis valeat miniſtrare. Nec pixidem vacuam preſumat de infirmis reportare.

XXIII. *Prohibitio de non celebrando nuptias infra tempora hic expreſſa.*

Item prohibemus ſolemnitates nuptiarum fieri ab Adventu Domini uſque ad diem Epiphanie Domini incluſive: & a Septuageſima uſque ad octavas Paſche: à tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem uſque ad Dominicam primam poſt feſtum Pentecoſtes etiam inclu-

clusive. Et Presbyteris, ac Clericis similiter inhibemus, ne se immisceant temporibus hujusmodi prohibitis solemnitatibus nuptiarum sub pena decem florenorum. Prohibemus etiam omnibus & singulis Presbyteris sub eisdem penis, ne copulationem Matrimonii faciant sine solemnitate. Et si secus factum fuerit, dictum Matrimonium clandestinum reputamus: & si fieri potest commode, procedat etiam previa denuntiatio propter eos, qui viventibus conjugibus alia Matrimonia nulliter contrahere presumunt.

XXIV. *Preceptum, ne infra designati ad Ecclesiasticam Sepulturam recipiantur.*

Item precipimus, ut nullum hereticum, usurarium monitum, sive prædonem excommunicatum, interdictum, se ipsum precipitando, strangulando, vel aliter interficiendo interimentem, blasphematorem non penitentem, seu confiteri nolentem, maxime in festo Pasche, & in suis extremis, ac in mortali peccato notorio decedentem, apostatam, Monachum morientem propria habentem absque sui Superioris licentia, seu morientem in torneamentis, aut duello, raptorem, homicidam, spoliatorem bonorum, & rerum Ecclesiasticarum invasorem, seu Immunitatis Ecclesiarum violatorem, vel decimas perceptas, & subductas Ecclesie debitas, non persolventes, novas exactiones a Clericis exigentes, vel Scriptores, Compositores, Statutarios, seu quomodolibet statuta facientes contra Ecclesiasticam libertatem, ad Ecclesiasticam recipiatis, seu admittatis sepulturam: & facientibus prohibeatis sub penis suprascriptis.

XXV. *Mandatum ad excitandum populum, ut manus adjutrices fabrice Ecclesie Swerin. porrigat, & porrecta ad ipsam Ecclesiam mittat Nuntio fideli.*

Item mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Capellanis, Altariumque Rectoribus, & eorum vices gerentibus, ac Presbyteris, quatenus de cetero singulis diebus Dominicis per Quadragesimam, & Adventum Domini, aliisque temporibus, in procemio hujus Ordinarii designatis, immediate post sermonem suis Parochianis publicent indulgentias eidem Ecclesie concessas, & post dictum procemium notatas, & eos moveant, & inducant, quod in remissionem suorum peccaminum pias eleemosynas, & caritativa subsidia elargiantur ad fabricam nostre Ecclesie Swerin. magna & sumptuosa reparatione indigentis; cum quilibet eorum nostre Diocesis, & Ecclesie Swerinensis tanquam matricis censeatur, & est Parochianus. Quodque se participes faciant omnium orationum, & bonorum operum, quæ in eadem Ecclesia nocturnis, diurnisque temporibus continue fiunt, & exercentur, ac indulgentiarum Apostolicarum, & aliarum, ad structuram, & fabricam hujusmodi manus adjutrices porrigentibus concessarum: & Nos eis, quotienscunque manus ad hoc porrexerint adjutrices, de Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli auhoritate confisi, dummodo confessi & contriti fuerint, XL. dies de injunctis eis penitentiis relaxavimus.

XXVI. *Ne Clerici habeant concubinas.*

Item de cohabitatione Clericorum, & mulierum sic duximus statuendum, ne quis Clericus in civitate, vel Diocesi nostra habeat concubinam publice, seu famulam, de qua quovis modo sinistra suspicio, infamia, seu scandalum Clero vel populo possit suboriri; vel eam si habeat, infra mensem a se separet: ita quod nec ei in propria domo, vel ipsius concubine, sive in loco circumvicino cohabitet, neque ad eam accedat, aut concubina ad eum revertatur, sub pena decem florenorum, Nobis irremissibiliter totiens, quotiens de contrario repertum fuerit, solvendorum. Preterea sicut mundissima sunt Sancta Matris Ecclesiæ Sacramenta, ita & ministris eorum convenit, ab omni carnis peccato mundissimos existere: eapropter, que juris communis, & Sacrorum Conciliorum Canones, Provincialiaque & Synodalia decreta circa vitam, & honestatem Clericorum multipliciter, & provide statuerunt, hic pro repetitis, & statutis de novo haberi volumus, pauca tamen & signanter ex eisdem statutis ad memoriam reducendo; cum magis

magis teneri, aut timeri solet, quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur. Et primum, quod juxta statutum, & dispositionem (pie memorie) prefati Domini GUIDONIS Cardinalis, in istis partibus tunc Apostolice Sedis Legati, in Provinciali Bremensi Concilio (eodem Concilio approbante) nemo ambigit factum: Verba statuti sunt hec: Nemo de cetero publice concubinam teneat: alioquin, nisi ipsam infra mensem a se, & ipsius consortio separet, ita quod in domibus illius, aut propriis, aut aliis quibuscunque, non cohabitet, neque ad illam accedat; extunc omni Beneficio Ecclesiastico sit privatus. Publici vero concubinarii juxta Decretum Sacri Synodalis Concilii Basiliensis intelligendi sunt non solum hi, de quorum concubinatu per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, (qua nulla tergiversatione celari possit) constiterit; verum etiam, qui mulierem de incontinentia infamatam, tenet; & per suum Superiorem admonitus ipsam non dimittit: & preter hec notorii concubinarii a jure communi ab executione suorum ordinum (& tam beneficio, quam officio) sunt suspensi, in quibus, si postmodum ministraverint, irregulares censentur.

XXVII. *Ne Clerici utantur fulgidis, & foderatis vestibus, & qualis erit habitus eorum.*

Item inhibemus universis, & singulis Presbyteris, & Clericis nostre civitatis & Diocesis, ne vestibus nimis fulgidis, vario, vel serico duplicatis, seu foderatis (Prelatis, Doctoribus in jure Canonico, Legibus, & Medicinis, Licentiatis, & nostre Ecclesie Canonicis exceptis) se ornent. Nec nimis sordidis, sed decentibus, quas Canones ipsis concedunt, utantur. Et ne manicas ad cubitum pendentes, magnas & longas cum superfluitate, colliriaque ultra mentum se extendentia; nec vestes ante & retro, ac in lateribus foderatas & scissas, neque bireta precipua deferant, nisi prout status eorum exegerit, hoc est, quod non deferant graduati bireta alterius coloris, quam eis data sunt tempore promotionis rubea, aut fusca. Alii non graduati solum nigris utantur sub pena quatuor florenorum, neque capucia brevia, laicalia, sive incisa: neque mitras foderatas, magnas, & rotundas, aut bonneta circumplicata more laicorum, neque annulum publice portent: aut viridis, seu rubei coloris vestitu utantur, pena sub premissa totiens quotiens de contrario repertum fuerit, Ordinariis locorum irremissibiliter exsolvenda. Ac Clerici in Sacris constituti, cum tonsura rotunda, & corona rasa incedant, barbam, aut comam nullo modo nutriant, in Ministeriis Divinorum religionem deferant anni temporibus congruentem; neque Presbyteri in togis celebrent, authoritate Apostolica Sacri Concilii Constantiensis, & Nostra, inhibemus pena sub premissa.

XXVIII. *Ne Clericus officium negotiationis exerceat, sed infra sex dies totaliter se abstineat.*

Item cum Christus ejecerit ementes, & vendentes de Templo, & scriptum sit: Negotiatorem Clericum, quasi pestem mortiferam fugere debes; Clericique in Sacris constituti non debeant se secularibus negotiis immiscere, videlicet emptioni & venditioni, nisi quantum a jure eis permittatur; Statuimus & ordinamus, quod post publicationem presentium infra sex dies, extunc immediate sequentes, omnes Presbyteri, & Clerici in Sacris constituti, & Beneficiati, a negotiationibus in totum cessent. Hoc est, quod in magnis massis, & gravi quantitate (ut in tunnis, & aliis similibus) non emant, & particulatim, divisim, aut minuatim vendant, sub pena trium florenorum Nobis irremissibiliter solvendorum.

XXIX. *Ne Ecclesiastica persona officium redundans in scandalum ordinis Clericalis exerceat.*

Insuper statuentes, ne Presbyteri, vel Clerici in Sacris Ordinibus constituti nostre civitatis & Diocesis, Advocatias, seu officia secularia, sive Thelonia (que in scandalum ordinis Clericalis redundant) quoque modo directe, aut indirecte regant, vel gubernent per se, vel alios cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, seu preeminentie fuerint, sub

ſub pena decem florenorum totiens quotiens Nobis irremiſſibiliter exſolvendorum.

XXX. *Ut abſque alia requiſitione ſervetur interdictum in locis, in quibus ſit detentio Clericorum, aut Nuntiorum Apoſtolicorum, vel Ordinariorum.*

Item precipimus, & mandamus, quod ſi in noſtra civitate, vel ipſius Diocefis oppidis, caſtris, villis, ſeu aliis locis aliquem Prelatum, vel Canonicum noſtre Eccleſie, ſive Diocefis Presbyterum, ſeu Clericum (verum Clericum reputatum) per Poteſtatem ſecularem incarcerari, ſeu detineri, vel alias occidi contigerit, extunc ſtatim, poſtquam hujusmodi incarceratio, detentio, Presbytericidium, vel Clericidium ex fama publica, ſeu relatione fide dignorum, aut alias veriſimiliter ad veſtram notitiam pervenerit; abſque aliqua alia requiſitione, monitione, & intimatione, ſi Prelatus Diocefis, vel Canonicus Eccleſie noſtre fuerit, per totam noſtram Diœceſim; ſi Presbyter, vel Clericus, per diſtrictum, in quo occiſus fuerit, vel detentus, ſeu incarceratus, per menſem; In civitate vero, oppidis, ſuburbiisque, aut aliis locis (ipſis contiguis) in qua, ſeu quibus plures Parochiales Eccleſie, ſive Monaſteria exiſtunt, ſub qua, vel quibus incarceratio, detentio, Presbytericidium, ſeu Clericidium hujusmodi factum fuerit, tam in civitate, oppidis, ſuburbiis (non obſtante, quod in una Parochia interemptio facta ſit) nihilominus in aliis locis, & ſingulis Eccleſiis, & locis etiam contiguis ſimul & uniformiter, ſeu conjunctim (omni ceſſante mora) Eccleſiaſticum ſervetis interdictum, non reſumendo Divina indifferenter, donec & quouſque pro hujusmodi detentione, incarceratione, ſeu Clericidio facta ſit emenda condigna, niſi aliud a Nobis inde receperitis in mandatis. Idem volumus quoad portatores mandatorum Apoſtolicorum, ſive ad nuntios noſtros, & Ordinariorum, extendi, & obſervari penis ſub premiſſis.

XXXI. *Ut obſervetur Conſtitutio Legati Sedis Apoſtolice, & ceſſetur a Divinis propter ablationem rerum Clericorum, & menſe Epiſcopalis &c.*

Item volumus & precipimus inviolabiliter obſervari Conſtitutionem prefati Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini GUIDONIS, Apoſtolice Sedis Legati, videlicet, quod in quacunque Parochia, ubi bona & res Clericorum violenter ablata, capi, duci, portari, vel detineri, aut etiam per laicos arreſtari contigerit, uſque ad reſtitutionem congruam a Divinis ceſſetur. Idem volumus extendi, & obſervari quoad res, & bona ad menſam noſtram Epiſcopalem, Prelatorum, & Canonicorum Eccleſie noſtre, & Diocefis ſpectantes, & ſpectantia. Adjicientes, quod in Parochiis, & locis, in quibus hujusmodi Canonicorum, Presbyterorum, & Clericorum captivatores, detentores, incarceratores, interfectores, & occiſores, ac bonorum Clericorum, ac menſe noſtre Epiſcopalis predictorum ſpoliatores viſi fuerint, & moram traxerint, quamdiu preſentes fuerint, ſimiliter ceſſetur a Divinis, penis ſub premiſſis.

XXXII. *Ut Monaſteria juxta juris diſpoſitionem & ſequentia regantur.*

Item mandamus vobis Dominis Prepoſitis, Gubernatoribus, & Proviſoribus, ac Abbatiſſis, Prioriſſis, & ceteris Rectoribus Monaſteriorum in virtute ſancte obedientie, & ſub excommunicationis ſententie pena (a qua nullus citra noſtrum conſenſum abſolvere habebit) quatenus veſtra Monaſteria, Moniales, & Perſonas Monaſteriorum ſecundum juris diſpoſitionem, & ſtatutorum noſtrorum Predeceſſorum ordinationem, regatis, & gubernetis, ac ordinetis, quod ipſe perſone ſe ſecundum Canonum Sanctiones, & Statuta predicta regant, & gubernent. Monaſteria ſub firma & diligenti clauſura de cetero habeant, neque facultatem deinceps Profeſſe egrediendi acquirant. Militarium etiam propriorum amicorum tam ſpiritualium, quam ſecularium caſtra, civitates, oppida, curias, aut forum publicum, & nuptiarum ſolemnitates fugiant. Monaſteria ſua non exeant, neque vagentur, niſi ob-

tenta licentia, propter infirmitatem evidentem, & alias rationabiles & evidentes causas, ita quod in publico non videantur. Etiam mandamus vobis penis sub premissis, quod nullis Personis spiritualibus, seu secularibus, Presbyteris, Capellanis, Officiantibus, Custodibus, aut aliis cum ipsis servientibus, sive existentibus, (quocunque nomine censeantur) detur copia, sive licentia ad eas intrandi, neque colloquia habendi, nisi in ardua legitimitate & presentia eorum, quorum merito interest, de rigore observantie. Ut si sint persone, que necessario intrare habuerint ex legitima causa, quod tunc colloquia in presentia Abbatisse, Priorisse, sive Superioris fiant, etiam sub bono testimonio: contrarium vero facientes, penis premissis, ac aliis a jure statutis, ipso facto volumus subjacere; quia a mundanis & publicis aspectibus, ut Deo eo liberius servire valeant, debent esse aliene, ut sublata lascivie opportunitate, corda & corpora earum in omni sanctimonia diligentius custodiant, & solum Deum Sponsum earum pre oculis habeant, cui se devoverunt. Insuper mandamus, quod ad Monasteria non recipiantur ultra numerum personarum, quam redditibus & Monasterii proventibus tolerabilis sit, ut cetere sine pecunia nutriri, & sustentari possint, quia illa major reputatur causa destructionis Monasteriorum. Item in aliis articulis in jure expressis volumus & mandamus, quod Prepositi, Abbatisse, Priorisse, Subpriorisse, aut alii (ad quos spectat gubernatio earum) eas informent juxta continentiam Regule, quod debita reformatio apud eas fiat. In quibus omnibus & singulis conjunctim & divisim conscientias eorum gravamus. Item mandamus, quod nulla Monialium propria habeat, sed omnia sint eis communia. Ut igitur singula premissa Monasteria, & Moniales respicientia, diligentius, & attentius cum omni mansuetudine, & gravitate in finem bonum & concupitum perfici possint, statuimus & mandamus sub pena excommunicationis sententie, ut quodlibet Monasterium nostre Diocesis habeat verum approbatum, & per Nos confirmatum, Prepositum Sacerdotem bone vite, in fama laudabilem, in spiritualibus, & temporalibus providum, qui possit salubriter preesse, & prodesse in omni sanctimonia & castitate; ut moribus, exemplo, & bono regimine illius per singula premissa ad salutiferum finem vita earum perducatur.

XXXIII. *Prohibitio, ne Clericus contra Dominum Episcopum, & Ecclesiam, ac suum Prelatum procuret, aut extra judicium prebeat consilium.*

Item prohibemus, ne aliquis Clericus nostre civitatis & Diocesis, alieno nomine, in negociis seu causis quibuscunque, Nos, & nostram Ecclesiam tangentibus, contra Nos, & nostram Ecclesiam, aut Clericus contra suum Prelatum, & Canonicos, seu Patronum suum postulet in judicio, vel procuret, nisi in quantum de jure, aut contra Nos, & nostram Ecclesiam, & Personas predictas, prebeat extra judicium, consilium, auxilium, vel favorem, sub pena decem florenorum Nobis solvendorum.

XXXIV. *Inhibitio, ne Judices peregrinum Notarium admittant ad actus conscribendum.*

Item inhibemus universis & singulis Prelatis in vestra civitate & Diocesi constitutis, cujuscunque status, gradus, vel ordinis extiterint, ne coram ipsis in actis judicialibus aliquem Notarium de aliena Diocesi, seu ignotum ad scribendum in causis coram eis pendentibus & pensuris admittant, nisi per Nos, vel eosdem Prelatos prius electus, & approbatus fuerit. Alias instrumentis, per talem Notarium sine approbatione (in quibuscunque actibus judicialibus, & extrajudicialibus) confectis, in nostra civitate & Diocesi minime fides habeatur.

XXXV. *Inhibitio, ne quis de absolutionibus casuum Episcopalium se intromittat.*

Item inhibemus universis & singulis Presbyteris, religiosis & secularibus quibuscunque nostre civitatis & Diocesis, ne quis eorum de absolutionibus casuum Episcopalium, Nobis a jure, vel consuetudine reservatorum, nisi de nostra licentia speciali absolvendo, commutando, seu dispensando quovis modo se intromittat. Et si qui per nostram Diocesim autho-

authoritatem abſolvendi recepiſſent, illam revocamus, & caſſamus, quouſque de novo meruerint obtinere, & notitiam perſonarum, quibus conceſſe ſunt, firmius habeamus. Unde reſervamus Nobis abſolutionem excommunicatorum a Nobis, penitentias ſolemnes injungere, vota commutare: blaſphemiam in Deum & Sanctos committentium, clandeſtine, & contra interdictum Eccleſie contrahentium, perjuria publica committentium, infringentium vota, vel juramenta, ſacrilegorum, inceſtuoſorum, quorumcunque uſurariorum, Sanctimonialium, & aliarum virginum defloratorum, ſeu seductorum, aut illarum, ſeu aliarum honeſtarum mulierum violatorum, & oppreſſorum, ſeu in mortem conjugum machinatorum, & abutentium Chriſmate, Euchariſtia, vel re ſacra; Proprios filios ſine neceſſitate baptiſantium, vel ipſos ad Baptiſma, vel Confirmationem tenentium, maleficorum, Symoniam cujuſcunque generis committentium. Per ſaltum vel furtive, vel ſymoniace promotorum, aut Symoniacorum propter Beneficium, vel ingreſſum religionis. In Eccleſia, vel loco conſecrato luxuriam committentium. Coeuntium cum Judea, Sarracena, vel Pagana. Abortum in ſe & ſterilitatem, vel in alio procurantium: adulterorum, peccatum contra naturam, ſeu Zodomiticum, cujuſcunque generis committentium. Falſum teſtimonium perhibentium. Litteras, vel inſtrumenta quaſcunque, ſeu quecunque falſificantium. Eccleſiarum, ſeu cimiteriorum immunitates violantium, & ipſa incendentium, & ſpoliantium. Parentes percutientium. Parvulos opprimentium, incantatorum, & augurum, ac divinatorum, intoxicatorum, publicatorum raptorum. Male ablatorum, ſeu legatorum, aut fidei commiſſorum (preſertim in Eccleſiaſticis perſonis, & piis locis, vel pauperibus) cum non appareat, cui reſtitutio ſit fienda; vel ſi nimium diſtant, debitorum imburſatorum, & retentorum. Cum aliis caſibus ſimilibus maxime diſpenſationem Epiſcopalem requirentibus.

XXXVI. *Ut Conjugati in Matrimonio commorari infra menſem debeant.*


Item precipimus & mandamus univerſis & ſingulis utriusque ſexus perſonis laicalibus, quatenus omnes, qui ſponſalia in facie Eccleſie contraxerint (carnali copula non ſubſecuta) ſecundum ſacrorum Canonum Sanctiones infra menſem a data preſentium Matrimonium perficere, & ſe ſecundum Legem (Divinam, & humanam) matrimonialiter pertractare debeant. Si vero aliqui in noſtra civitate & Dioceſi eſſent conſtituti, qui in facie Eccleſie per verba de preſenti Matrimonium contraxerint (carnali copula non ſubſecuta); Mandamus eiſdem, quatenus infra menſem (impedimentis juris & facti ceſſantibus) Matrimonium hujuſmodi ratum eſſe deſignent, &, prout de jure tenentur, cohabitent. Vel ſi qui ab invicem diſceſſerunt, & ſeorſum habitant, infra eundem terminum reconveniant, ſub pena decem florenorum, irremiſſibiliter Nobis ſolvendorum.

XXXVII. *Probibitio, ne ad Baptiſmum plures, quam tres Compatres vocentur.*

Item prohibemus (penis ſub premiſſis) univerſis & ſingulis Presbyteris noſtre civitatis & Dioceſis, ne plures Compatres, quam tres in Baptiſmo puerorum admittant, quoniam nonnulli caſus ſunt (ex cognatione ſpirituali procedentes) qui non ſolum impediunt Matrimonium contrahendum, immo dirimunt contractum: propter quorum ignorantiam veriſimiliter timetur, circa Sacramentum Matrimonii diverſas committi negligentias. Ut ergo Sacerdotes (maxime Curati) de quorum ore ſubditi legem requirere habent, ſe & ſuos eo expeditius dirigant; mandamus, ut quilibet Parochialis Presbyter quandam cedulam (caſuum predictorum, nec non cujuſdam figure contentivam) quam infra ſubjungimus, habere, & eam intra unius menſis ſpacium in ſua Eccleſia affigere, affixamque continue ibidem tenere debeat, ut ex ea ipſe, & quilibet eam intuens, de caſibus cognationis ſpiritualis informari poſſit. Et hoc ſub pena unius marce Lubicenſis, per Prelatum a Rectore (totiens, quotiens in ejus Eccleſia cedula hujuſmodi reperta non fuerit) exigende. Debet etiam pro tempore populum ſibi ſubditum ſepius in predicationibus ſuis informare, & caſus in hujuſ-

modi cedula expressos declarare, ut sic pericula in futurum evitari possint. Cognatio spiritualis est inter baptisatum & levantem. Baptisatum, & filios levantis. Baptisatum, & conjugem levantis prius cognitam. Conjugem levantis prius cognitam, & parentes levati. Levantem, & parentes levati. Similiter sentiendum est inter baptisatum, & baptisantem cum suis attinentibus, ut supra. Item inter confirmatum, & tenentem ad confirmationem cum suis attinentibus, ut supra. Et inter confirmatum, & confirmantem cum suis attinentibus, ut supra.

Arbor de casibus Cognationis spiritualis.



Arbor Cognationis spiritualis.

Et sic prohibitio ista extendit se ad XX. personas impediens Matrimonium contrahendum, & dirimens contractum. (*)

XXXVIII. *Mandatum, ut bona ablata mense Episcopali, intra duos menses restituantur.*

Item præcipimus & mandamus, quatenus moneatis omnes & singulos (tam Clericos, quam laicos) ut infra duos menses continuos, bona, res, pecunias, clenodia (in auro & argento) libros quarumcunque facultatum, ad castrum Butzow (aut ad Matricem Ecclesiam) sive ad Capitulum nostrum spectantia, hactenus publice, vel occulte usurpata, ablata, & asportata detinentes, Nobis, seu Capitulo nostro intra tres menses restituant, vel se nobiscum amicabiliter super eisdem componant. Scientes vero Nobis intra eundem terminum per se, vel alios notificent. Quam dilationem trium mensium pro Canonica monitione assignamus. Alioquin ipsos, & quemlibet eorum rebellem, seu rebelles excommunicamus Dei nomine in his scriptis. Quos & vos extunc in genere singulis diebus Dominicis, & Festivis (& quorum nomina sciveritis in specie) in Ecclesiis vestris excommunicatos denuncietis, donec absolutionis Beneficium a Nobis meruerint obtinere.

XXXIX.

(*) Schema istud Cognationis Spiritualis a Concilio Tridentino mutatum est, aliquibus gradibus abrogatis.

XXXIX. *De Capitalibus summis ad Beneficia Ecclesiastica spectantibus reimponendis.*

Item in casu & eventu, quibus Beneficiorum quorumcunque principalis, sive capitalis summa per quoscunque censuarios & debitores reemi, & exsolvi contigerit, omnibus & singulis, sub excommunicationis pena predicta (nec non viginti florenorum mulcta) exnunc prout extunc, & econtra, quam Canonica monitione premissa ferimus Dei nomine in his scriptis, districte precipimus & mandamus, ut summam principalem reemptam & exsolutam, non ad se solum recipiant, sive in detrimentum fructuum Beneficiorum imbursent; Sed suis Collatoribus, & eorundem Beneficiorum Provisoribus tradant, quacunque prorogatione cessante reimponendam, si locus & tempus affuerit. Et si qui sint Beneficiorum suorum reemptas, & exsolutas summas principales, & nondum reimpositas detinentes (in animarum suarum periculum) eisdem sub similibus pena, & mulcta mandamus districte, ut intra duos menses immediate futuros, summas principales hujusmodi (ad sua Beneficia spectantes) Collatoribus, & Provisoribus Beneficiorum suorum tradant, atque etiam de eorum consensu (ut premittitur) reimponant; Nisi aliud cautum fuerit in fundatione, tunc faciant juxta tenorem, & voluntatem testatoris. Contrarium facientes sententiis ipsis, & penis premissis subjacere volumus, absolutione Nobis tantummodo reservata. Et quod unusquisque Beneficiatus domus, sive curias suorum Beneficiorum ruinosas, sive destructas, pro necessitate decenti, & congrua intra annum restauret, & erigat. Alioquin dictorum Beneficiorum Collatoribus, & Patronis dabimus facultatem, ut fructus illorum Beneficiorum recipere, & in utilitatem, & instaurationem curiarum, domorum, & edificiorum hujusmodi convertere possint.

Et quod omnes Beneficiati suorum Beneficiorum fundationes in Missali, aut alio libro ipsius Beneficii descriptas intra tres menses habeant, ad videndum & observandum, ad que pretextu fundationis sint obligati, penis sub premissis. Et si qui sint, qui fundationes suas habere non poterint, ad Nos, aut venerabile Capitulum Ecclesie nostre Swerinens. juxta qualitatem Beneficii sui, ac ipsius collationis pro nova fienda fundatione, aut confirmatione recursum habeant, sub tempore dictorum trium mensium, & premissis penis. Volumus etiam, quod in omnibus presentationibus, & institutionibus, ac collationibus Beneficiorum quorumcunque fructus cujuslibet Beneficii determinate exprimantur, sub pena denegationis, institutionis, & collationis predictarum per illos, ad quos spectant.

XL. *Qualiter & quando Provisores Ecclesiarum reddent computum, & eligi debeant.*

Item quia non ex delatione Curatorum, sed facti evidentia, & certa experientia accepimus, vitricos, seu Provisores, & Juratos Ecclesiarum quarumdam nostre Diocesis laicos in officio sibi credito minus legitime procedere, eleemosynas, stipes, donaria & legata Ecclesiis (quibus inserviunt) erogata apud se detinere, non in usum Ecclesie, sed nonnunquam suam proh dolor convertere rationem, & computum de perceptis, & expositis male, & inter se ipsos, & aliquando nunquam reddere, Curatos & Plebanos ad conscientiam illorum non admittere, officium illud quasi hereditario jure occupare, & ad suos successive transferre, multaque absurda in eo irreprehensibiliter vel committere, vel omittere; districte sub excommunicationis late sententie, & alia arbitraria pena prohibemus, ne de cetero tale quid soli attemptent, sed Provisores hujusmodi in singulis Parochiis suum Plebanum pro tempore, cum quatuor ad minus senioribus, ac discretioribus viris de Parochia ad interressendum computo hujusmodi, ad minus semel in anno per eos fiendo admittant, sua portione dictum Plebanum non fraudent, & correctionem, si quam viderint, ab eo benigne suscipiant. Et quod in posterum nullus in Provisorem novum recipiatur, nisi cum consilio & consensu Parochie, ac Rectoris Ecclesie. Et idem electus juret statim post electionem suam in manibus Plebani, vice nostra, & Provisorum antiquorum, de fideliter, & cum sana conscientia istud officium exercendo, alias non reputetur Provisor. Quod si oppositum compertum

pertum fuerit, nec ipſemet Plebanus pro ſuo exceſſu noſtram evadet cenſuram. Dicti vero Proviſores, qui premiſſa per duos annos facere diſtulerint, Eccleſiaſtica careant ſepultura, & tanquam ſacrilegi erunt cenſendi. Et hanc conſtitutionem perneceſſariam ſingulis diebus Dominicis,quo ad uſque ad omnium (quorum intereſt) notitiam perveniat, mandamus per quemlibet Plebanum loci publicari, ſub penis premiſſis.

XLI. *Ut executiones teſtamentorum,ſive ultimarum voluntatum fiant intra annum.*

Item,quoniam ſecundum jus commune defunctorum pias voluntates dilatas Epiſcoporum decens eſt ſtudio adimpleri. Hinc precipimus & mandamus, quod quicunque ultimarum voluntatum Executores deputati fuerint, vel in futurum deputabuntur, executiones teſtamentorum, ſive voluntatum ultimarum intra annum faciant. Quem terminum eis exnunc, prout extunc, & extunc, prout exnunc abſque alia requiſitione pro executione effectualiter fienda, aſſignamus a tempore obitus teſtatoris, & volumus, quod mandatum noſtrum hujusmodi interpellet ipſo facto pro homine. Quod ſi non fecerint (juſto impedimento ceſſante) Nos ad executionem illorum procedemus. Provideant etiam dicti teſtamentarii, quod de diſpoſitione,ac executione ſua facta vel fienda, regiſtra clara, & vera conficiant. Ita quod ſi requiſiti fuerint, Nobis, vel Ordinariis eorum, approbationem hujusmodi teſtamentorum jure,aut conſuetudine habentibus, reddere poſſint congruam rationem, ſub pena decem florenorum, per Nos, vel dictos Ordinarios exigendorum.

XLII. *Quod Prelati,& Rectores Eccleſiarum habeant Statuta Provincialia & Synodalia, ac ea obſervent, & publicent, & de ſubſidiis non exigendis, nec Eccleſiis cum oneribus, aut penſionibus gravandis per Prelatos Epiſcopo inferiores.*

Inſuper precipimus & mandamus, quod omnes & ſinguli noſtre Swerinenſis Eccleſie, & alii noſtræ Dioceſis Prelati, copias Provincialium Statutorum non habentes, atque noſtrorum, nec non FRIDERICI,& KAROLI Imperatorum, in Concilio Conſtantienſi approbatorum, ac Guidonis & Tuſculani (olim Sancte Romane Eccleſie Cardinalium) in partibus Almanie Legatorum, a Nobis,vel noſtro Commiſſario intra menſem (& Rectores Parochialium Eccleſiarum immediate intra alium menſem ſubſequentem) ſub ſuis expenſis recipiant, & ea fideliter obſervent, & per ipſorum ſubditos obſervari procurent. Ac per Eccleſiarum Rectores in illa parte, qua laicos concernunt, mandamus publice de ambone publicari. Et quod Prelati preſcripti a ſuis inferioribus & ſubditis ſubſidium, decimam, contributionem, ſive exactionem aliquam non petant, exigant, ſeu quovismodo poſtulent, aut extorqueant.

Cum ipſi inferiores Prelati ſubditos ſuos ad ſolutionem illarum decimarum, ſubſidiorum, contributionum, ſive exactionum cogere poſſint. Attento quod realia ſint, & non perſonalia, ſed ſolum in neceſſitate Eccleſie & Dioceſis noſtrarum, & pro ſolutione debitorum earundem, Nobis,& Succeſſoribus noſtris (tanquam Epiſcopis) teneantur, & de jure ſint aſtricti. Neque predicti Prelati, aut eorum Officiales contra diſpoſitionem juris penſiones annuas, in quibuscunque Beneficiis reſervent, & cum Poſſeſſoribus contra tenorem fundationum earumdem quovis modo diſpenſent, eo quia de jure non poſſunt. Neque etiam prenominati Prelati,aut eorundem Synodales Commiſſarii Rectoribus in diſtrictibus ſuarum jurisdictionum oneroſi ſint in ſumptibus & expenſis, cum in Synodis preſederint, ipſasque Synodos tempore congruo celebrent. Nec a Rectoribus, ſeu etiam loca tenentibus Eccleſiarum quarumcunque, ex avaritia,ſeu odio pecunias, vel recognitiones quascunque recipiant, ſub pena decem florenorum,Fiſco noſtro applicandorum,totiens,quotiens factum fuerit contrarium.

XLIII. *Denuntiatio excommunicatorum ob non viſitationem Sacroſanctæ Synodi.*

Item omnes & ſingulos, qui de jure vel conſuetudine huic Sancte Synodo perſonaliter intereſſe debuiſſent, & non licentiatos, vel impeditos juſto impedimento, reputamus contumaces, & declaramus

mus puniendos, seu excommunicandos. Quos etiam exnunc, prout extunc, & econtra, nisi se infra quindenam proxime subsequentem (quam pro Canonica monitione eis assignamus) de hujusmodi contumacia legitime, prout de jure, excusaverint, realiter, & cum effectu coram Nobis (*in*) Butzow (aut nostro in hac parte Commissario) in nostra absentia. Alioquin in his scriptis omnes & singulos, & eorum quemlibet excommunicamus.

XLIV. *De Vita & conversatione Clericorum.*

Item auctoritate Apostolica, & Sacri Concilii Constantien. ac nostra mandamus omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis nostre civitatis & Diocesis, quatenus honeste vivant, & a quibuscunque illicitis, & inhonestis jocis, & ludis, ac dissolutionibus, & presertim taxillorum, & larvarum, precipue in locis sacris tempore Divinorum se abstineant. Tabernas publicas non intrent, nisi in itinere constituti, & necessitatis causa. Ut autem occasionem tanti piaculi abscindamus, inhibemus, quod Clerici tabernas in suis domibus per se, vel per alias personas non teneant. Et cum ebrietas inducat mentis exilium, ac libidinis provocet incentivum, omnes Presbyteri, & Clerici diligenter se abstineant a crapula, ebrietate, & potibus, qui inebriant. Nec se mutuo invitent, obligent, & constringant ad commensuratos haustus, aut ad potus equales. Officiisque Ecclesiasticis, & aliis bonis studiis inhereant, & intendant, sub pena trium florenorum toties, quoties fit contrarium.

XLV. *Qui & qualiter dicere teneantur Horas Canonicas.*

Item ordinamus, statuimus, & mandamus, quod omnes Presbyteri, & in Sacris Ordinibus constituti, & Clerici Beneficiati, qualibet die teneantur dicere horas Canonicas. Et ante quamlibet hujusmodi horarum *Pater noster* & *Ave Maria*, premittere. Et in eisdem horis omnes versiculos integre, & complete proferre.

XLVI. *Ut Presbyteri, & Clerici tempore Divinorum in Ecclesiis incedant in habitu hic expresso, & in illis religiose versentur.*

Item omnibus, & singulis Prelatis, Canonicis, Beneficiatis, Officiantibus, & quibuscunque Presbyteris, & Clericis nostre Ecclesie, ac aliarum Ecclesiarum civitatis, & Diocesis Swerinens. inhibemus, ne tempore Divinorum in Ecclesiis, seu processionibus cum pileis, aut mitris, nec cum liripipiis (more stole per collum dependentibus) sed cum religione decenti, & biretis, vel malmutiis non nimium pretiosis (in quibus deferre habebunt) incedant. Et ne cum religione, cappa, vel superpellicio in foro, vel in alio loco prophano incedant, vel morentur. Aut in Ecclesiis, vel in Cemiteriis tempore Divinorum evagentur. Et quod in Ecclesia, & Choro temporibus debitis (& presertim Divinorum) esse debeant. Et quod in Ecclesiis, Cemiteriis, processionibus, & conventionibus Ecclesiasticarum Personarum se a colloquiis, confabulationibus & clamoribus, ac quibuslibet dissolutionibus, & Divinorum perturbationibus penitus abstineant. Et Divinorum temporibus legant, cantent, & orent, prout de jure obligantur, sub pena duorum florenorum totiens, quotiens solvendorum.

XLVII. *Que cantica in Missa integre cantari debent, statutum.*

Item statuimus, & mandamus, ut quilibet Sacerdos nostre Diocesis, cum gratia Dei dispositus, Missarum solemnia decantaverit, Gloria in excelsis, Credo, Offertorium, Prefationem cum Pater noster, juxta Sacrorum Canonum sanxiones a principio usque ad finem decantet, nullo abstracto, diminuto, vel resecto: aut aliud responsorium, vel carmen vulgare loco premissorum in organis, aut choro, qui presentes fuerint Clerici resonent. Et in Credo tractatim cantetur: Ex Maria Virgine, & Homo factus est, genibus flexis. Alioquin contra transgressores rite procedemus, dantes cum hoc omnibus Presbyteris nostre Diocesis, qui in Missis eorum post Recordare, collectam, A cunctis . . . &c. devote dixerint:

rint, Ac pro nobis, & omnibus nobis commiſſis in fine oraverint, Et in fine Miſſe Initium Evangelii ſecundum Joannem, voce ſonora dixerint; Et cum dicitur: Verbum caro factum eſt, genua flexerint; XI. dies indulgentiarum pro qualibet vice de injunctis penitentiis.

XLVIII. *De homicidis, & eorum abſolutione.*

Item de homicidis ſervetur conſuetudo antiqua, videlicet, quod ab ingreſſu Eccleſie, & ſepultura Eccleſiaſtica, donec Epiſcopali auctoritate abſoluti ſint, maneant ſuſpenſi. Adjicimus, quod de abſolutione tali non debet ſtari eorum verbo, ſed ad illam per litteras Epiſcopi, vel ad minus Confeſſoris ipſorum Curato eorum atteſtatio fiat.

XLIX. *De Decimis ſolvendis.*

Item mandamus Parochialium Eccleſiarum, preſertim campeſtrium, ſive ruralium Rectoribus, ac loca eorum tenentibus, ut juxta tenorem mandatorum noſtrorum, decimalium debitis temporibus ſinguli in ſuis Eccleſiis moneant & requirant eorum Parochianos, ut frumenta decimalia (qualiacunque fuerint) in annona & frumentis bene purgatis & mundatis, decimam eorum exſolvant. Alias remittemus eos cenſuris laqueatos, & de aliis remediis cogitabimus. Attento, quod decima jure Divino in mundiſſimo frumento ſolvi debeat.

L. *Fundationes Beneficiorum juxta ſuum tenorem ſunt obſervande.*

Item ſtatuimus & ordinamus, ut unusquiſque Beneficiatus noſtre Dioceſis juxta ultimam voluntatem teſtatoris, fundatoris beneficio ſatisfaciat. Ex eo quia nemo poſt Papam contra voluntatem teſtatoris diſpenſare poteſt. Videant igitur ſic Beneficiati ex tenore ultime voluntatis, ſi edificia & habitationes (que ruinam minantur, aut patiuntur, aut in totum diruta, ſeu deſtructa ſunt) quod juxta fundationis tenorem reparent, reedificent, aut nova conſtruant ſecundum exigentiam. Mandamus igitur vobis ſic Beneficiatis, ut ſatisfactionem pro Beneficiis veſtris impendatis, ne Patroni conqueri habeant de negligentia. Quia, proh dolor! hodie (*pro*) extorſione fructuum Beneficiorum magna cura adhibetur; pauca autem diligentia pro conſcientia ſervanda, & conſervanda exhibetur.

LI. *Caſus, in quibus fiat reconciliatio Eccleſiarum, aut Cemiteriorum.*

Item propter graves violentias, conflictiones, & injurias enormes, ſeu abſtractiones, ſive propter aliquas alias invaſiones, alicui confugienti pro tuitione ad Eccleſiam, ſive Cemiterium, in quibus quilibet gaudere debet immunitate, ac libertate ob reverentiam Dei, & ejus Sanctorum irrogatas: Etiam ſi quis ciſtas, aut alias capſas cum veſtibus, vel aliis clenodiis in Eccleſiis propter ſecuritatem poſitas (prout quotidie reperitur) cum violentia injurioſe confregerit, aut alias per mala ingenia aperiendo res, veſtes, aut alia incluſa rapiendo deportaverit, ſacrilegium committendo, quibuscunque mediis violenter invadendo; volumus, & ſtatuimus, quod (*is*) in Eccleſia, aut Cemeterio reconciliari omnino debeat, & Nobis pro tali exceſſu, & manifeſta offenſa, condigna ſatisfactio impendi. Eodem modo, qui ſepulchra, aut domos mortuorum violaverit, lapides, ſeu marmora rumpendo, aut corpora ſepulta, ſive reliquias abſtulerit, ſeu contrectaverit, eadem pena reconciliationis percelli debeat.

LII. *De octavis Aſſumptionis Virginis Marie, nec non Sancte Marie Magdalene, & de Feſto Sanctorum Proceſſi & Martiniani.*

Item ſtatuimus, & mandamus ex poſt, & in antea ſuffragium de Beata Maria Magdalena, juxta ordinem antiphonarum in laudibus ejus diei, cum verſiculo: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, per octavam ipſius dicetur. Et ipſa octava dies propter, & ante diem Beate Marthe anticipetur cum Feſto trium lectionum, cum ultimis tribus reſponſoriis ex hiſtoria iſtius Feſti. Et quod in die ſanctorum Proceſſi & Martiniani Martyrum novem lectiones cum hiſtoria de Martyrybus cum Omelia propria: Egrediente JESU de templo, obſerventur. Ac quod ſub octava Aſſumptionis Glorioſiſſime Vir-

Virginis Marie deinceps, & perpetuis temporibus collecta: Veneranda nobis Domina, hujus diei &c. ad omnes Horas Canonicas devote dicatur, & observetur. Sed in ipsa octava in primis Vesperis collecta: Concede nobis quesumus.

LIII. *De Festo Presentationis.*

Item statuimus & ordinamus, ut ex post, & in antea festum Presentationis Virginis Marie (qualiter oblata, & presentata est in templo) quod festum presentibus de novo per totam nostram Diocesim instituendum duximus, sicuti cetera ipsius Dei Genitricis festa, cum debitis & consuetis ceremoniis in summis festis, quanto solemnius, aut decentius fieri potest etiam cum processionibus singulis annis XXI. die mensis Novembris (que est profestum Beate Cecilie) peragatur, dies quoque illa tota celebris habeatur. Et ab Ecclesiarum Rectoribus Dominica immediate precedente proclametur cum exhortatione; ut Christi fideles se ab operibus mechanicis per integrum diem illum abstineant. Historia sicut de Nativitate ejusdem, mutatis mutandis, & non aliter servetur. Invitatorium: Corde & voce simul. In fine: . . . Presentationem. Nos vero omnibus Christi fidelibus, qui ipsius Beate Marie Virginis Presentationis Festum celebraverint (vere penitentibus & contritis) quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

LIV. *De Octava Sancti Nicolai Episcopi.*

Item volumus & statuimus, quod festum Beati Nicolai, quod occurrit in Adventu, per octavam cum suffragio celebrari debeat per ordinem Antiphonarum, adinstar festi Beati Andree. Et octava dies debet anticipari propter festum Beate Lucie, quod habetur pro festo duplici. Et observabitur octava dies cum tribus Lectionibus, & tribus ultimis Responsoriis, cum Capitulo: Talis enim decebat. In primis Vesperis super Magnificat antiph.: O Pastor eterne. Ad Benedictus antiph.: O per omnia laudabilem.

LV. *Quod inferiores Prelati extra territorium non exerceant jurisdictionem contentiosam.*

Item volumus & mandamus, quod Prelati inferiores jurisdictionem habentes, eandem in foro contentioso extra districtum, sive territorium eorum non exerceant; nec partes extra districtus eorum citando, & de causa cognoscendo auctoritatem assumant. Si contrarium factum fuerit, declaramus tale irritum & inane, & nullius roboris & firmitatis, tanquam factum extra territorium.

LVI. *De Usurariis non absolvendis.*

Item universis & singulis Divinorum Rectoribus, aut eorum loca tenentibns, sub excommunicationis pena mandamus: quatenus moneatis seriose, & requiratis vestros Parochianos, tam spirituales, quam seculares, ut deinceps non recipiant sub sola cautione litterarum, vel sigillorum, aut fide jussorum annuos redditus pro quacunque summa pecunie principali, quia manifesta usura est. Et salva conscientia hujusmodi redditus usurarios recipere non possunt, imo tenentur ad restitutionem. Qua de re precipimus & mandamus, quod nullus vestrum, tales hujusmodi lucri receptores absolvat, nisi restitutione facta.

LVII. *De mundificatione Ornamentorum Ecclesiasticorum, que nequaquam alienentur, aut impignorentur, ac de celebratione Missarum.*

Item volumus & districte precipimus, quod Altarium, Calicum, Missarum, & alia Ecclesiarum ornamenta munde, & nitide, ablutionibus (non quidem per feminas, sed altaris Ministros juxta Sanctiones Canonicas) repetitis, absque eorum impignoratione, vel alienatione diligenter conserventur. Et quod Prelatus immediatus desuper sepissime subditorum altaria circumeundo oculum dirigat, etiam mediante inflictione pene, aut mulcte, de qua sibi secundum qualitatem excessus videbitur, quodque nullus Presbyter Missam celebret sub sermone, nec illam dicat, nisi postquam tertiam horarum Canonicarum persolverit, & nequaquam absque Ministro. Et ut absque speciali licentia Episcopi Swerin. in quatuor ma-

joribus & aliis celebribus Feſtivitatibus, ac Dominicis diebus in Capellis extra Parochialem Eccleſiam conſtitutis, in prejudicium Rectoris Parochie, nullatenus a quocunque Presbytero celebretur, ſub pena arbitraria contrafacienti per Ordinarium cujuslibet loci infligenda.

LVIII. *De Dominicis, & aliis Feſtivis diebus celebrandis, & ne in illis Plebani ſe a ſuis Parochiis abſentent.*

Item vobis Divinorum Rectoribus, ſeu Verbi Dei Predicatoribus in civitate & Dioceſi Swerin. ubilibet, in virtute ſancte obedientie diſtricte precipiendo mandamus, quatenus ſtatim poſt ſermonem populum vobis ſubjectum in omnibus ſermonibus veſtris fideliter exhortando, auctoritate noſtra moneatis, & requiratis (& nihilominus veſtris utriusque ſexus Parochianis mandetis) ſub excommunicationis, & aliis penis, per Ordinarios locorum ſecundum qualitatem exceſſuum infligendis; Quatenus in antea Dominicos, & alios celebres dies, quos jus commune, aut vetus obſervantia precipit venerari, devote celebrent, & Eccleſias frequentent, Divinis Officiis, Laudibus, & Orationibus ibidem inſiſtant, ut ea, que aliis diebus circa Divinas laudes, & gratiarum actiones neglexerint, eo plenius tunc poſſint, & valeant (dante Domino) recuperare. Vosque Rectores Parochiarum ruralium, nequaquam Dominicis, & aliis celebribus Feſtivis diebus a veſtris Parochiis ſermones, & Miſſas pretermittendo abſentetis, ſed populum vobis commiſſum Verbo Dei, & ſacrificio veſtro ſpiritualiter reficiatis, ſicque Deo vos dignos reddere, ſibique in perpetuum conregnare poſſitis.

LIX. *De poteſtate Presbyterorum mutuo ſe abſolvendi.*

Item univerſis, & ſingulis Presbyteris Beneficiatis, & non Beneficiatis, ac aliis in ſacris conſtitutis per noſtram civitatem & Dioceſim (preſentibus, & futuris) uſque ad futuram Synodum duntaxat licentiam, & auctoritatem, in Confeſſorem (quotiens voluerint) quemcunque diſcretum Presbyterum, Religioſum, vel ſecularem, eligendi, qui ipſos in caſibus, etiam Nobis ſpecialiter reſervatis, in foro conſcientie duntaxat valeat authoritate noſtra abſolvere, & penitentiam eis injungere ſalutarem, concedimus, & indulgemus.

LX. *De anno gratie, & deſervito in Beneficiis.*

Cum in Statutis bone memorie FRIDERICI Epiſcopi Swerin. habeatur de annis gratie, & deſervito, ejus tenorem hic ponemus. Item iſte modus ſervatus in Eccleſia Swerin., quod, qui deceſſerit in die Michaelis poſt Nonam Completam, quando dictum: Deo gratias, habeat annum deſervitum, & annum gratie. Sed per unum annum ſcilicet primum tantummodo habebit burſam. Et ſi habuit expenſas, & familiam, eidem familie remanenti ſimul in curia defuncti dabuntur panes per primum menſem. Sed carebit defunctus ſtipe memoriarum, licet per duos annos habeat tollere fructus, & corpus Prebende.

Item tam Canonici, quam Vicarii mortui, pro annis, quibus percipiunt fructus Beneficiorum ſuorum, deſerviri facient in Beneficiis illis, & omnia onera ſupportabunt. Et ſimilis modus in Collegiatis Eccleſiis hujus Dioceſis poterit obſervari. In ceteris vero Eccleſiis extra Cathedralem Swerin. & Collegiatas Eccleſias predictas, in quibus per hanc Dioceſim Swerin. Beneficia per obitum poſſeſſorum vacare contigerit, ſequendo veſtigia dicti quondam Domini GUIDONIS Legati, & bone memorie HERMANNI, Epiſcopi Swerin., ſic etiam poterit obſervari, quod ſi ſimplicia fuerint, & poſſeſſor poſt horum duodecimam in die Sancti Michaelis moriatur, defunctus habebit annum deſervitum, & ſimiliter annum ſequentem pro anno gratie. Si vero ante duodecimam horam moriatur, unum duntaxat annum videlicet deſervitum habebit. In curatis autem Beneficiis, ſive Parochialibus Eccleſiis, cum earum Rectores curam animarum reſpicere, & exercere, ac perſonaliter in eisdem de jure reſidere teneantur, & familiam alere, ac os bovis triturantis ſcriptura dicat ligari non debere; Defunctus habeat pro ſolutione debitorum, & aliorum onerum, ſive ultime voluntatis fru-

fructus, & omnia emolumenta duntaxat unius totius anni a die obitus inchoandi, & revoluto anno, eodem die terminandi provenientia interim ex dicto Beneficio curato. Et tam in curatis, quam simplicibus Beneficiis, Defuncti, sive eorum Testamentarii interim onera eisdem Beneficiis respective incumbentia, supportabunt per novos Rectores, seu Beneficiatos, vel alias idoneas personas, de eorum consensu inibi ordinandas. Si vero succedentes in Beneficiis voluerint servare constitutionem: Suscepti regiminis, que est Extravagans JOANNIS Pape XXII. propter annum gratie, tunc utique pro rata fructuum, quos percipiunt, deservient, & onera Beneficii supportabunt.

Protestamur etiam, quod per hujusmodi Statutorum publicationem nolumus, nec intendimus, Predecessorum nostrorum, atque GUIDONIS & TUSCULANI (in partibus Almanie Legatorum) Statutis & Constitutionibus in aliquo derogare, quominus in ea parte, qua abolita, revocata, seu moderata non sunt, obtineant sui roboris firmitatem. Immo eadem approbamus, ratificamus, & innovamus, unaque cum Statutis & Constitutionibus hujusmodi publicamus, & per civitatem & Diocesim Swerin. sub in eis expressis penis firmiter observari etiam mandamus.

Hujusmodi Statuta Synodalia & Constitutiones edita, & promulgata fuerunt olim per quondam Dominum CONRADUM, Episcopum Swerin. predictum, sub anno a Nativitate Domini MCCCCXCII. die III. mensis Aprilis. Nunc vero per Nos ADMINISTRATORES (*) Decanum, & Capitulum Ecclesie Swerin. predicte innovata, ratificata, & approbata, ac de novo publicata: prout tenore presentium publicamus. Que huic *communi totius Diocesis Ordinario* inseri fecimus ad laudem Dei, & publicam utilitatem; ne quisquam de illis possit, aut valeat in futurum pretendere ignorantiam, seu quomodolibet allegare. Datum & actum apud Ecclesiam *Swerinensem*, in loco nostro Capitulari, sub anno a Nativitate Domini M.D.XIX. die XII. mensis Januarii.

Cl. Lunig Spicilegii Eccles. Cont. III. in appendice pag. 65.

(*) Decanus & Capitulum Diœcesin Suerinensem eo tempore administrabant ob immaturam ætatem Magni, Principis Mecklenburgensis, qui anno 1516, cum septem duntaxat annorum esset, Petri, Episcopi Successor electus est. Hoc sub Principe Augustana Confessio Suerinensem in Ecclesiam invecta fuit. Conjugem duxit Elisabetham, Friderici I. Daniæ Regis filiam. Obiit anno 1550. *Hist. Eccles. Germ. Bruxellis edita apud Franc. Foppens.*

Constitutiones Synodales THOMÆ,
Episcopi Constantiensis, editæ
Anno Christi MCCCCXCII. Alexandri VI. Pp. I. Friderici Imp. LIII.

THOMAS, (*a*) DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS, ET PRÆPOSITUS CONSTANTIENSIS. UNIVERSIS ET SINGULIS SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARIUM PRÆLATIS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CANONICIS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS, PER NOSTRAM CIVITATEM ET DIOECESIM UBILIBET CONSTITUTIS, PRÆSENTIBUS ET FUTURIS, SALUTEM ET SINCERAM IN DOMINO CARITATEM.

TAmetsi pius omnium Conditor, & Redemptor in sua Sancta Ecclesia militante Sacrum Clericalem Ordinem Divinis suis ministeriis præcipue mancipavit; voluit tamen illum laudabili quidem vita, moribus bonis, clarisque vir-

tutum exemplis, ac dogmate sancto gregi suo Dominico adeo provide præesse; ut tandem tam Clerus ipse, quam sibi creditus grex, ipso summo bono, perenni gloria feliciter fruerentur. Quam ad rem etiam officii nostri debito congruit opem ferre, quod equidem nullo munere conducibilius futurum censemus, quam ut *Synodales illæ* (parvo quidem hactenus, ut verendum est, usu trite) *Constitutiones* recenseantur de cetero observande: quas Nos itaque Prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ vestigiis inherentes, *Diversis siquidem dispersas codicibus*: adauctis nonnullis, prout saluti & commodis expedit, in hoc breve compendium congerere: vobisque serie subscriptorum communicare, & publicare curavimus, Vos auctoritate nostra ordinaria in virtute sanctæ obedientiæ districtius requirentes, quatenus hujusmodi Constitutionibus deinceps pro statutis Synodalibus uti, illas vestris mentibus commendare, & omni studio observare velitis. Quilibet quoque ex vobis Decanis, in sibi commissis districtibus, easdem Confratribus suis communicare, ab eisdem transscribi facere, atque in suis *Ruralibus Capitulis*, singulis annis, quotiens *Ruralia Capitula* celebrantur, palam coram totaliter legi facere, & publicare debeat, quavis exceptione semota.

§. I. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica.*

In primis igitur, omnia & singula in Sacro *Provinciali Concilio Moguntinensi* dudum celebrato per recolendæ memoriæ quondam Dominum CONRADUM tunc Archi-Episcopum, & Metropolitanum loci, tam de Fide Catholica, quam veneratione, & memoria Passionis Domini nostri JESU Christi, & ipsius Beatissimæ Matris, semperque Virginis MARIÆ, ac reformatione morum provide statuta, & ordinata, quæ hic volumus haberi pro expressis, devotissime suscipimus, & illa ab omnibus subditis nostris inviolabiliter observari mandamus.

Quamvis a Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum traditionibus, contra manifestos Sanctorum blasphemos, &c. *Vide reliqua in Concilio Constantiensi anno* 1483. *celebrato sub Ottone Episcopo, supra pag.* 546. *unde* §. *hic sub Tit.: De Blasphematoribus, de verbo ad verbum descriptus fuit.*

§. II. *De Officio Decani.*

Indemnitatibus Ecclesiarum, & Beneficiorum, quæ frequenter propter eorum longam vacationem, grandia in spiritualibus, & temporalibus dispendia patiuntur, occurrere volentes, statuimus: ut quilibet Decanus, seu ejus locum tenens, singulis annis, quotiens Ruralia Capitula celebrantur, in præsentia Confratrum suorum, *in loco Capitulari*, congregatorum, de omnibus Beneficiis infra Decanatum suum vacantibus Curatis, & non Curatis, quæ ultra tempus, Collatoribus, seu Patronis eorum a jure statutum vacaverint, nec non de ipsis Collatoribus, & Patronis, ac eorum nominibus, diligentius inquirat. Nobis, seu Vicario nostro in Spiritualibus illa, cum suorum Patronorum, & Collatorum nominibus, quamprimum commode possit, sic tamen, quod istud ultra unius mensis spacium, a die notitiæ computandum, non differat, post inquisitionem hujusmodi in scriptis notificet. Quod si facere obmiserit: penam *duorum florenorum* Renensium, (*) dicto mensis spacio elapso, incurrat: quam etiam penàm quilibet Confratrum, qui super præmissis requisitus, ea Decano scienter celaverit, incidat simili modo. Verum quoniam nonnulli prætextu literarum Apostolicarum, quas se impetrasse mentiuntur, Ecclesiastica Beneficia vacantia propria temeritate in periculum suarum

(*a*) Thomas Ferlower de Cilia J. U. D., Friderici Imp. Orator, Eccles. Cathedr. Constantiens. Præpositus, ejusdem Ecclesiæ Episcopus electus est anno 1491. Altero ab electione anno renovavit Statuta Synodalia ab Ottone, Episcopo Constantiensi, olim anno 1483. promulgata. Obiit anno 1496.

(*b*) In Constitutionibus Synodalibus Ottonis Episc. Constant. *supra pag.* 547. statuitur *Pœna suspensionis ab officio Divinorum*, quæ hic mutatur in mulctam pecuniariam. Hugo de Hohen Landenberg, Thomæ in Cathedra Constantiensi Successor, qui easdem has Constitutiones anno 1497. innovavit, pro hac *duorum florenorum* mulcta statuit pœnam *quinque florenorum.*

rum animarum occupare præsumunt; ordinamus; ut de cetero quilibet Decanus, seu ejus locum tenens, tam eorum, qui infra suum Decanatum Ecclesiastica Beneficia, vigore literarum Apostolicarum assequuntur, quam etiam Beneficiorum, & Patronorum eorumdem nomina, infra mensis spacium a tempore assecutionis hujusmodi computandum, Nobis, vel Vicario nostro rescribat, seu notificet: alioquin similem penam duorum florenorum, uti præfertur, dicto mense lapso incurrat, tempus autem a jure datum pro conferendis Beneficiis Patronis Ecclesiasticis *sex menses*: laicis vero *quatuor* intelligatur ad præsentandum. *Vide reliqua in Concilio Constantiensi anni* 1483. *pag.* 547.

SYNODUS CAMINENSIS

Celebrata STARGARDIÆ in POMERANIA, SUB BENEDICTO, (*) EPISCOPO CAMINIENSI,

Anno Christi MCCCCXCII. Alexandri VI. Pp. I. Friderici III. Imp. LIII.

I.

BENEDICTUS interdicit Clericis, publicas tabernas ne introeant, nec apud suspectas mulieres sedeant, nec ad suspecta œnopolia, vel cellas, se conferant.

II. Interdicit ebrietate sub pœna duorum Ungaricorum florenorum, lusu alearum, cartarum, usu digladiandi, lusuque scenicis in vestibus.

III. Statuit, quæ pœna percutienti, vulneranti, aut interficienti Clericum infligenda: item, quæ Clericis furibus Ecclesiarum, fractoribus fenestrarum, invasoribus domorum, aut similem vim aliis inferentibus.

IV. Quomodo captivus Canonicus, aut Clericus tractandus.

V. Cuilibet Ecclesiastico Beneficiato in loco suæ Ecclesiæ, aut Beneficii residendum.

VI. Nemo duarum Ecclesiarum curam suscipiat, nisi forte altera alteri connexa sit.

VII. Cuilibet Parocho in persona suo officio fungendum.

VIII. Nuptiæ clandestinæ prohibentur.

IX. Ne Parochus in aliena Parochia sponsis benedicat.

X. Concubinarum usum interdicit, easque eliminandas præcipit.

XI. Residentes apud Ecclesiam Cathedralem (Camini) & Collegiatam (Stettini sub titulo B. V.) & Plebanus Ecclesiarum, qui expensis propriis vivere coguntur, ex juris statuto, aut consuetudine poterunt in domibus eorum tenere honestam mulierem, non suspectam de incontinentia, non minus quadraginta annorum ætatem habentem. Sed Vicarii Ecclesiarum nullam habeant mulierem, continua conversatione cum eis morantem, nisi fuerit mater, & soror: cum Prælatis aut honestis viris expensas teneant, & nullo modo cum focariis ipsorum, nisi ex causis in jure expressis, ubi dispensandi facultatem Episcopus sibi reservat.

XII. Reprehenditur inscitia Procuratorum forensium, qui licet nec Grammaticen, nec Rhetoricam, nec Logicam norint, causas tamen agere volunt, partes inter se committere, aut inter pocula conciliare. Definit, quæ danda sint Advocatis & Procuratoribus salaria. Præscribit juramentum ab eis edendum.

(*) Mortuo Romæ, circa annum 1482, Marino (*alii* Maximum nominant) Episcopo Caminensi, Papa Episcopatum hunc alicui e Cardinalibus tribuit, cui, cum non placeret Pomeranica Mitra, translata fuit in Benedictum de Waldstein Ecclesiasticum, & Doctorem, natione Bohemum. Ab hoc anno 1499. resignata in manus Ducis Bugislavii. Obiit Benedictus in itinere Romano Oeniponti.

XIII. Confeffarii, ne vendant abfolutionem, neque pauperes gravent. Dictatur taxa Confeffariis : item Notariis Confiftorii.

XIV. Clerici veftes congruas induantur juxta difcrimen ftatus. Canonici, Prælati, Vicarii fuis veftibus difcriminentur. Calceos roftratos Clerici non ferant, nec capillos promiffos.

XV. Teftamenta fine Epifcopi, aut Prælati confenfu nulla fint. Nullum ex ordine Mendicantium ad dignitatem Suffraganei, aut Vicarii, elevandum, nec Epifcopi figillum eis committendum. Nullum Mendicantem ex ordine Minorum, ulli ægro extra Monafterium affiftendi licentiam habere, neque ægro fæculari ullum Sacramentum adminiftrare eisdem licere.

XVI. Parochus habeat Catalogum eorum, qui in Pafchate confeffi fint.

XVII. Epifcopus ftatuit certos dies feftos per annum celebrandos.

XVIII. Interdicitur iter ad facra loca, aut indulgentias quærendas, citra fpecialem licentiam Epifcopi.

Hæc Latina feci ex *L. II. Hiftoriæ Pomeraniæ cap.* 48, Germanice confcriptæ a Cramero, qui fœdis calumniis hæc Capitula interpolavit, & afperfit. Utinam exemplar Latinum obtingat, una cum actis & ftatutis plurium Synodorum Caminenfium, quæ defiderantur!



TREVERICA SYNODUS

Anno Chrifti MCCCCXCV. Alexandri VI. Pp. III. Maximiliani Imp. II.

SUB JOANNE BADENSI, ARCHI-EPISC.

MENTIO apud BROWERUM.

Continuata negotiorum publicorum, & Archi-Diœcefis ferie JOANNES Archi-Epifcopus fylvefcere, & variis obfitum jacere vitiorum fentibus arvi facrati cernens folum : curam eam imprimis laudabilem & honeftam fufcepit, ut extufis & evulfis ubique fuccrefcentibus zizaniis, pravique moris exemplis fublatis, religionem ab omni labe puram, intactamque fervaret, & Monafticæ rei labantem difciplinam, bene firmis falubrium præceptorum adminiculis fuffulciret.

Synodo hanc ob rem Archi-Diaconis, Abbatibus, & e Clero Primoribus in unum convocatis indicta : qua in Synodo cum cætera non perinde Nobis comperta; quæ de nobiliffimo Virginum Horreenfium Collegio, quod intra urbis Auguftæ mœnia eft, præclare fancivit, ex ipfo, quod tradidit Sanctimonialibus Diplomate, veriffime narrabimus.

Browerus & Mafenius Annal. Treviror. LXIX. ad h. a. N. CXXX.

Diploma ipfum *Browerus* non exhibet: referemus illud ex *Illmi Hontbemii Hiftoria Diplomatica Trevirenf.*

JOANNES, (*a*) D. G. TREVERENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, S. R. I. PER GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE ARCHI-CANCELLARIUS ET PRINCEPS ELECTOR, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quia poft noftri Paftoralis Regiminis ingreffum fere omnia Sanctimonia-

(*a*) Joannes II. Badenfis poftulatus fuit ad Cathedram Trevirenfem Archi-Epifcopalem anno 1456. *Gefta Treverorum* apud *Illmum Hontbemium* hæc memorant de hoc Archi-Epifcopo : " Tempore fuo plurima utriusque fexus Monafteria, præfertim " Ordinis S. Benedicti, Reformationi fubjecta funt, utpote Lacenfe, Mediolacenfe, " Theologienfe, Schonawe, Tygerftein, S. Agnetis in Treviri, Infula juxta Con- " fluentiam, Vallendra, Engelport, & poft nobilium Dominarum Monafterii S. " Irminæ in Horreo Treverenfi." (*Browerus addit* Gronaugiam, & Leram inter Confluentium muros) Similem folicitudinem Archi-Præfulum Trevericorum non tantum ante, fed & poft Tridentinum Concilium in reformandis & vifitandis Monafteriis Regularium, deinceps videbimus, ait *Ill. Hontbemius in Hiftoria Diplomatica Treverenfi Tomo II. pag.* 497.

nialium Monasteria nostrarum civitatis & Diœcesis a Monastica clausura, Regularique vita defecisse, prô dolor! comperimus; ideo omni cura, ut hujusmodi Monasteria recludi, reformarique possent, studuimus, ut DEO Nobis favente successu temporum pleraque sunt reclusa, & reformata. Nihil enim virginibus, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæque terrenos amplexus non desideraverunt, pro suæ virginitatis honore pure & sine macula custodiendo, regularique vita conservanda, magis necessarium ducimus, quam eas sub stricta clausura ab hoc nequam sæculo abstractas vivere, ubi nihil videant, seu audiant, quo purum & pudicum virginitatis pectus inquinari queat.

Nuper igitur ad magis inclyti Monasterii S. Mariæ in Orreo civitatis nostræ Treverensis, quod Gloriosissimi & Catholici Regis DAGOBERTI Filia, S. IRMINA, erexit, dotavitque, quodque S. MODOALDUS, tunc Archi-Episcopus Treverensis, consecravit, in quo nedum jam memorata Irmina, sed etiam Modestia, Anastasia, & aliæ virgines sancte vixere, antiquitatem, dignitatem, & sanctitatem oculos nostros spirituales intendentes, consilio, assensu, & applausu Venerabilium & Nobilium Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ nostræ, pluriumque Abbatum, Prælatorum, Presbyterorum, & Clericorum nostrorum, Procerum quoque, imo totius populi dictum Monasterium in Orreo, quod initio ad Regulam S. Benedicti institutum sub memorata Irmina, & reliquis sanctis Virginibus viguit: postquam ad Regulam S. Augustini translatum, novissimis temporibus Canonissarum sæcularium Collegium extitit, ad suam originem & primam S. Benedicti Regulam, clausura, habitu, cantu, & aliis cæremoniis, veneranda, religiosaque Joanna, de Bassa Petra, ante Canonissarum Magistra, nunc vero in manus nostras S. Benedicti Regulam Professa, & Abbatissa, id flagrantissime exposcente, hodie reducimus, & reformamus per præsentes, volentes, ordinantes, & statuentes, ut inibi perpetuis futuris temporibus hujusmodi regularis vita maneat, vigeat, & conservetur: quotiescunque Abbatiam vacare contigerit, Sanctimoniales Abbatissam Canonice eligant, quam sic electam Nos, nostrive Successores, uti ante hac Magistram, confirmabimus, Nostris etiam, & Ecclesiæ nostræ, visitandi, rationes audiendi, Patres, seu Commissarios deputandi, & reliquis ordinariis & temporalibus juribus semper salvis.

Datum in sæpe memorata nostra Treverensi civitate anno Domini MCCCCXCV. die Mercurii, post festum S. Brictii (*b*), sub sigillo nostro Pontificali oblongo.

Illmus Honthemius Historiæ Diplomaticæ Trevericæ T. II. pag. 497.

(*b*) Dies S. Brictii incidit in XIII. Novembris: Inscriptio Templi S. Irminæ Treverici dicit XVII. Novembris hujus anni 1495. Monasterium reformatum fuisse ad Regulam S. Benedicti: quæ forte eo anno fuit dies Mercurii post Brictii: adeoque Diploma & Synodus reformatoria conveniunt in anno & die: miror autem in toto Diplomate nullam mentionem *Synodi* hujus anni fieri, etsi fiat diserta mentio assensus & applausus *Capituli Cathedralis, pluriumque Abbatum, Prælatorum, Presbyterorum, & Clericorum Treverensium*, sub quibus verbis Synodus Diœcesana intelligi potest, attamen Synodi nulla explicita mentio est.



VARMI-

VARMIENSIS SYNODUS

Anno Chriſti MCCCCXCVII. Alexandri VI. Pp. V. Maximiliani I. Imp. IV.

SUB LUCA EPISC.

LUCAS, DEI GRATIA, EPISCOPUS VARMIENSIS; ARCHI-PRESBYTERIS, ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, ET CLERICIS, PER NOSTRAM DIOECESIN CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

SAluti, & quieti ſubditorum noſtrorum tam ſæcularium, quam Eccleſiaſticorum intendentes, & veſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum fælic. record. inhærentes de conſilio univerſalis noſtri Capituli Varmienſis ſtatuimus ſubſcripta.

I. *De Celebratione Miſſæ.*

Primo, quod nullus Sacerdos extra Eccleſiam Miſſam abſque noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum licentia celebrare præſumat.

II.

Item ne quis Sacerdos in Eccleſia, Cœmeterio, a jure vel homine interdicto Divina Officia publice, niſi quatenus a jure permittitur, celebret, mortuos ſepeliat, nubentes benedicat, ſi irregularitatem voluerit evitare.

III.

Item excommunicatus, interdictus ſacris, cui interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ, ſi Divina celebraverit in Eccleſia, ut prius, irregularitatem incurrit.

IV.

Item qui præſente publice excommunicato, aut nominatim interdicto, ſcienter Divina celebraverit, ipſo jure ab ingreſſu Eccleſiæ eſt ſuſpenſus, & ſi ſic ſuſpenſus celelebraverit, irregularitatem incurrit.

V. *De Sepulturis.*

Item ſepelientes ſcienter publice excommunicatos, ſeu nominatim interdictos, vel manifeſtos uſurarios, excommunicati ſunt, exemptione quacunque non obſtante.

VI.

Item prohibemus, ne quis in Eccleſia, vel Cœmeterio ſanguinis, vel ſeminis humani effuſione pollutis Divina celebret, aut mortuos ſepeliat, aut in talibus Cœmeteriis, vel Eccleſiis nondum conſecratis circuitus, vel proceſſiones cum Crucibus, aut Reliquiis faciat, donec reconciliata fuerint, vel conſecrata.

VII. *De Chriſmate, & aliis Sacramentis.*

Item ne quis chriſmandos chriſmet, de veteri Chriſmate, ſub pœna depoſitionis.

VIII.

Volumus præterea, quod Sacerdotes Eccleſiarum Parochialium Euchariſtiam in loco mundo teneant, Baptiſterium, & Chriſma, Oleum Sanctum ſub fideli cuſtodia, & clauſura cuſtodiant, corporalia, pallas altaris, vaſa, & veſtimenta miniſteriorum munda conſervent, contrarium facientes arbitrio noſtro mulctabuntur.

IX. *Sacerdos de quolibet Archi-Presbyteratu Frauenburgum pro Chriſmate ferendo mittendus.*

Item ut Sacramentis Eccleſiaſticis debita reverentia exhibeatur, & plures graves negligentiæ compeſcantur, ſtatuimus, ut ſingulis annis de qualibet ſede unus Presbyter pro Chrismate afferendo ad Eccleſiam Varmienſem mittatur, expenſis omnium Eccleſiarum Parochialium de illa ſede, quodque idem Presbyter illud deferat reverenter ad locum inſigniorem dictæ ſedis, ut alii Rectores aliarum Eccleſiarum Parochialium de loco hujusmodi inſigniori per ſe, vel alium Presbyterum ad ſuas Eccleſias decenter id valeant deportare.

X.

X. *Alieni Parochiani non communicandi.*

Item, ne quis Parochianum non suum ad Sacramenta recipiat, Plebani sui licentia non obtenta, nisi viator, vel in extrema necessitate constitutus fuerit.

XI. *De Peregrinis Clericis.*

Item, ne quis Plebanus Presbyterum alterius Diœcesis in Capellanum recipiat, aut publice celebrare permittat, nisi prius per literas nostras se receptum ostendat.

XII. *De Matrimonio.*

Item prohibemus sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio, ne quis solemnizet matrimonia, seu copulet, nisi ambo, vel alter saltem copulandorum sit de sua Parochia, & alter sit sibi notus, vel per suum Plebanum ostensionem habeat; quod nullum sibi obsistat impedimentum Canonicum, quominus matrimonium contrahere possit: Hoc adjecto; quod tria banna tribus diebus Dominicis, aut celebribus publice de ambone præmittantur, & nominibus propriis, & cognominibus eorundem expressis specificatio fiat.

Sponsalia cum copula carnali.

Contrahentes vero matrimonia per verba de præsenti, vel futuro, carnali copula subsecuta, non possunt se invicem absolvere, vel ab invicem propria authoritate discedere, licet per Sacerdotem matrimonium in Ecclesia non sit authorizatum, vel solenni benedictione roboratum. Debent igitur Rectores Ecclesiarum, dum eis constiterit, per confessionem, vel alias ipsos inducere, & coërcere, ut ad suas conjuges redeant, aut Episcopo suo nominatim eos denunciare, vel accusare, ut per ipsum de remedio opportuno provideatur.

XIII.

Item statuimus, quod Parochianorum matrimonia, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum ignorantium, per Sacerdotem Curatum auctorizari non debent, tanquam in fide minime instructorum, donec instructi fuerint de eisdem.

XIV. *Tempora interdicta solennizandis matrimoniis.*

Item licet omni die possit contrahi matrimonium per verba de præsenti, ac etiam sponsalia de futuro, solennitas tamen matrimonii, seu consummatio ejus tribus temporibus anni prohibetur, videlicet Imo. A prima Dominica Adventus Domini, usque Epiphaniæ inclusive, sic, quod in crastino Epiphaniæ usque ad Septuagesimam exclusive, licite matrimonia consummantur. Secundum tempus a Septuagesima usque ad octavam Paschæ inclusive, sic, quod feria II. post Dominicam Quasimodo geniti, usque ad dies Rogationum exclusive licite matrimonia solennizentur. 3tium tempus a diebus Rogationum usque ad Ss. Trinitatis Festum inclusive, sic, quod feria II. post Festum Ss. Trinitatis, & deinceps usque ad Adventum Domini licite matrimonia auctorizentur, & consummentur.

XV. *De frequentatione Ecclesiæ.*

Item statuimus, quod Parochiani, cujuscunque linguæ fuerint, diebus Dominicis, & Festivis fideliter ad suam Ecclesiam Parochialem confluant, Divina, & prædicationes ad ædificationem fidei audiant, si boni Christiani reputari velint.

Pœna negligentiæ.

Negligentes, & remissi in præmissis per suos Rectores moniti, si se emendare non curaverint, careant Ecclesiastica sepultura.

XVI. *De Pœnitentia.*

Item omnis fidelis, qui ad annos discretionis pervenit, debet singulis annis omnia peccata sua confiteri suo Curato, & pœnitentiam injunctam peragere, & ad minus in Pascha recipere Eucharistiæ Sacramentum, nisi de consilio sui Curati duxerit a perceptione abstinendum.

Qui Ecclesiastica sepultura privandi sunt.

Alioquin vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens, Ecclesiastica, sive Christiana careat sepultura. Et non solum tales, sed etiam excommunicati, interdicti, usurarii manifesti, & qui se

ipſos interficiunt, vel in ſuis ſceleribus interficiuntur.

XVII. *Pœna bis in Quadrageſima non confitentis.*

Blaſphemus, impœnitens, & omnes, qui notorie in peccato mortali decedunt, Eccleſiaſtica carere debeant ſepultura: & ſi tales ſepulti ſunt, exhumari debent, & oſſa eorum projici extra ſacra loca, & ſtatutum hoc cum aliis præcedentibus, & ſequentibus, maxime, quæ populum reſpiciunt, ſæpius prædicari debent, ne transgreſſores ignorantiam valeant allegare.

XVIII.

Item, ſi quisquam Parochianorum ante medium Quadrageſimæ confiteri contempſerit, illius confeſſio nihilominus audiri debet, & ſalutaris pœnitentia imponi. Sed pro contemptu tali, ſi gravis fuerit, a perceptione venerabilis Sacramenti ad tempus ſuſpendi, vel remitti poterit, ſicut pro aliis enormibus criminibus, pro quibus de jure foret quis remittendus, vel ſuſpendendus.

XIX. *De Officio Patrinorum.*

Item Patrini filios ſuos ſpirituales, quos de ſacro Fonte levant, inſtruere in fide tenentur. Teutonici igitur, ſive Pruteni, Orationem Dominicam, & Symbolum ignorantes, ac ſacrilegiis, & incantationibus inſiſtentes notorie contra Divinam Legem, tanquam inhabiles ad inſtruendum alios in fide, ad compaternitatem admitti non debent. Ut ergo in his certitudo habeatur, electi in patrinos Orationem Dominicam, & Symbolum coram baptizante privatim dicere teneantur, niſi de ſcientia illorum certa notitia habeatur, ſuper quo conſcientiam Curatorum oneramus.

XX. *Cuique Apoſtolus eligendus.*

Item laudabilem conſuetudinem hactenus ſervatam innovantes præcipimus; quod parentes parvulos ſuos ad eligendum ſibi Apoſtolum pro devotione, & cuſtodia eorundem fideliter inducere debent: alioquin parvuli hoc negligentes, ſeu contemnentes a Sacramento Venerabilis Euchariſtiæ exiſtant alieni.

XXI. *Merces in Cœmiteriis venales non exponendæ.*

Item turpem illum abuſum, quo certis anni temporibus celebribus nonnulli cum mitra, & baculo Paſtorali, ac veſtibus Pontificalibus more Epiſcoporum in Eccleſiis, & extra benedicunt, & cachinationes in Eccleſiis, & extra provocant, & nonnulli mercantias nundinarum in Eccleſiis, & Cœmiteriis venales exponunt, deteſtantes, prohibemus, ne Curati, & ſignanter in civitate, vel oppidis amplius fieri permittant, alioquin quartam partem fructuum Eccleſiarum ſuarum amittant in uſum fabricæ Eccleſiæ Matricis irremiſſibiliter convertendam.

XXII. *De Parochis Curatis.*

Item hortamur in Domino, ut omnes Curati officium ſuum in Miſſis celebrandis, ſermonibus faciendis, confeſſionibus audiendis, maxime in Quadrageſima, Sacramentis miniſtrandis, & ad officium ſpectantibus diligentes ſint, alioquin contra negligentes, quantum de jure poterimus, procedemus.

XXIII.

Item, quod quilibet Beneficiatus, & alias in Sacro Ordine conſtitutus noſtræ Diœceſis, in horis, & officiis legendis, & cantandis Eccleſiæ noſtræ Cathedrali ſe conformet.

XXIV. *Miſſa privata clariori voce dicenda.*

Item abuſum illum, quando in aliquibus Eccleſiis: Credo in unum Deum, quod eſt ſymbolum, & confeſſio fidei noſtræ, non complete cantantur ad finem, aut Præfatio, ſeu oratio Dominica omittitur, vel in Eccleſiis cantilenæ (omiſſo cantu Eccleſiaſtico) admiſcentur, aut privatim Miſſæ, præter ſecretas orationes ita ſubmiſſa voce dicuntur, quod a circumſtantibus audiri non poſſunt, abolentes, ac mandantes, ut in his culpabiles ſe emendent, alioquin inquiſitione diligenti præhabita, ſeveritate debita contra tales procedemus.

XXV. *De Oblationibus.*

Item mandamus, ne quis Sacramentum aliquod ex rancore, vel propter

jura

jura Parochialia non soluta, Parochianis deneget, vel eis ingressum Ecclesiæ contradicat; sed contra eos jus, si quod habet, prosequatur.

XXVI.

Unde pro declaratione jurium Parochialium, quæ ex oblatione debentur, ad tollendas varias controversias, & altercationes, statuimus; quod, quicquid de pecuniis, aut quibuscunque rebus ad altare offertur, spectare debet ad Rectores Ecclesiarum tantum. Quicquid vero Ecclesiis, aut Capellis offertur, pro medietate ad Rectores, pro altera medietate ad fabricam pertinebit; si vero ad imagines positas extra, vel intra Ecclesias aliquid oblatum fuerit, similiter dividatur. Oblata vero in truncum, sive ad tabulam post finem Offertorii, fabricæ applicentur.

XXVII. *Judicia causarum Ecclesiasticarum.*

Item, ne quis de causis matrimonialibus, & aliis causis quibuscunque, ad forum nostrum spectantibus, vel de casibus Nobis specialiter reservatis, etiamsi dubium sit, an sit casus reservatus, se nullatenus intromittere præsumat.

XXVIII.

Item prohibemus, ne a sententiis juris Presbyteri absolvant, neque contra jura dispensent.

XXIX. *Canones pœnitentiales.*

Debent etiam Presbyteri Parochiales sibi procurare Canones pœnitentiales summatim, non, quod omnino secundum hujusmodi Canones pœnitentias injungant, sed ut consideratis circumstantiis peccantis, & qualitatibus contritionis, & aliis, pœnitentias hujusmodi minuere valeant, aut augere, sub pœna suspensionis ab executione sacri officii.

XXX.

Volumus eos præterea habere summas Sacramentales, seu Pœnitentiales, utpote Pisani, vel Angeli, vel consimiles, ne errent in casibus.

XXXI. *Casus excommunicationis ipso jure.*

Debent etiam Curati comparare sibi in summa casus, quibus aliquis sententiam excommunicationis incurrit ipso jure, & eosdem publicare quolibet anno, singulis diebus Dominicis in Adventu, & Quadragesima in sermonibus de ambona.

XXXII.

Item inhibemus, ne Presbyteri causas Ecclesiasticas judicent, neque pœnas infligant, salvo tamen eo, quod faciunt in foro pœnitentiæ.

XXXIII. *Casus Episcopis reservati.*

Item absolutionem casuum sequentium Nobis reservamus: Absolutiones a sententia excommunicationis majoris, juris, vel hominis, homicidii cujuslibet, oppressionis puerorum, perjurii publice in judicio facti, blasphematorum Dei, & Sanctorum ejus in publico, sortilegorum cum invocatione dæmonum, & de quibus alias scandalum est ortum, incendiariorum, commutationis votorum, male acquisitorum dimidium fertonem excedentium. Item quorumcunque criminum enormium, pro quibus fuerit solennis, & publica pœnitentia imponenda. Item ubicunque est arduum, seu grave factum, præsertim, si sit difficile, vel ambiguum. Item contrahentium prohibitas nuptias scienter. Item violentia Ecclesiæ, vel Cœmiterii, aut aliud sacrilegium. Item absolutio Sacerdotum, vel Confessorum, qui in his casibus, seu in eorum aliquo, in quo absolvere non potuerunt, absolverunt.

De Prædicatione Verbi Dei.

XXXIV. *Orationes post Conciones recitentur.*

Item præcipimus in virtute S. obedientiæ omnibus Curatis, ut Parochianis suis, & maxime Prutenis, post sermonem, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, & Confessionem lente, & tractim in Prutenico de ambona pronuncient, ut ex fideli recitatione hujusmodi valeant proficere ignorantes. Nescientes Orationem Dominicam, Symbolum, & Salutationem Angelicam, sive Teutonici, sive Pruteni fuerint, a Communione Sacræ Eucharistiæ omnino sint alieni.

XXXV.

Item, quod Rectores Ecclesiarum Parochialium habentes Teutonicos, & Pru-

Prutenos in Parochia sua permixtim, si suppetunt facultates, Capellanum Prutenum habere debent, ut per prædicationem talium Pruteni instruantur in fide: & si Capellanum Prutenum habere nequiverint, super quo conscientias Curatorum oneramus, quod ex tunc per se, vel per Capellanum Teutonicum fideliter prædicent Verbum Dei, accurate, & cum summa diligentia. Si vero Rectorum facultates non suppetunt ad tenendum Capellanum Prutenum, vel Teutonicum, ex tunc Curatus Teutonicis per se, & Prutenis per interpretem uno contextu prædicet Verbum Dei. Quod si onerosum forte Teutonicis videretur, alternis vicibus Teutonicis, & Prutenis prædicatio fiat, nisi Pruteni linguam Teutonicam sibi haberent notam. Idem est modus servandus, ubi Curatus duas Ecclesias Parochiales habet in commissis.

XXXVI. *De Jejuniis.*

Item in intimandis jejuniis sint Curati, & Prædicatores attenti, quod indicta jejunia ab Ecclesia, servari præcipiant. Duntaxat non indicta ab Ecclesia, voluntati hominum relinquant, ne simplicium conscientiæ incuria, seu ignorantia Sacerdotum percutiantur. Infirmi quoque, debiles, pueri, penuriam patientes, senes, pregnantes, parvulos lactantes, & alias honesto, & gravi labore afflicti non sunt eo modo, sicut potentes, robusti, sani, & otiosi ad jejunia compellendi;

Esus carnium, & ovorum, quibus permittendus.

Imo infirmis, cum urgens necessitas exigit, ab Episcopo suo; alioquin, dum ejus copia haberi non potest, a Curato suo, etiam in Quadragesima, & alias, dum tamen scandala vitentur, esus ovorum, imo & carnium indulgeri potest.

Jejunia indicta.

Indicta jejunia ab Ecclesia sunt hæc: Quatuor tempora, Quadragesima tota, sic, quod die Cœnæ Domini jejunium non solvatur, omnium Apostolorum Vigiliæ, præter Vigilias Philippi, & Jacobi, & Beati Joannis Evangelistæ, Vigilia Nativitatis Domini, Pentecostes, Joannis Baptistæ, Laurentii, omnium Sanctorum, & Assumptionis Beatæ Virginis ex præcepto Ecclesiæ, cæteræ Vigiliæ Virginis Gloriosæ regulariter de consuetudine, dies Rogationum secundum antiquam consuetudinem, feria sexta plus ex laudabili consuetudine, quam ex statuto jejunatur. Adventus Domini ex necessitate jejunandus non est, nisi ubi fuerit consuetudo. Item inter Pascha, & Pentecosten non est jejunandum ex præcepto, diebus Rogationum exceptis, alii dies ex præcepto Ecclesiæ non jejunantur.

XXXVII. *De vita, & honestate Clericorum.*

Item prohibemus, ne Clerici tabernas visitent, nisi viatores fuerint: ebrietates, & ingurgitationes non frequentent, tonsuram, & vestes Clericales deferant, mercantias, choreas, ludos taxillorum, scurrilia verba, & turpia omnino vitent, si gaudere voluerint privilegio Clericali.

XXXVIII. *Suspectæ mulieres removendæ.*

Item, ne quis mulieres suspectas secum in domo habeat, aut earum hospitia, seu confabulationes frequentet, ne ipsorum Clericorum ex hoc vituperetur ministerium, & alias scandalum generetur.

XXXIX.

Item, quod in Sacris constituti, cum sibi servientibus, & aliis quibuscunque fœminis ad forum, Fraternitates, vel alias pedestre, vel curru non vadant, cum ex hoc oriatur detractio, & scandalum plurimorum, sub pœna Synodali: & qui tales denunciaverit extra Synodum, & secrete, dimidietatem pœnæ habeat irremissibiliter sibi per Nos, aut Officialem nostrum applicandæ.

De Inventariis.

XL. *De peculio castrensi Clerici libere testari possunt.*

Item mandamus sub pœna excomunicationis, quod promoti ad Ecclesias Parochiales quacunque Authoritate, mox post habitam possessionem debent de omnibus inventis coram notabilioribus Parochiæ inventarium duplicatum facere, quorum unum apud Rectorem, reliquum apud Parochianos maneat, ut, si post Ecclesias suas resignare pure, aut causa permutationis pro simplici, vel cura-

curato Beneficio decreverint, hujusmodi Ecclesias eo, vel meliori modo dimittant: abusum illum, quo Curati cum permutantibus mobilia vendunt, tanquam onerosum Ecclesiæ detestantes.

XLI.

Item Ecclesiarum Rectores, si tempore promotionis bona patrimonialia, vel peculium castrense habuerint, vel etiam post arte, ingenio, vel etiam successione acquisierint, non tamen intuitu Ecclesiæ; si inventarium congruo tempore fecerint, de his in vita, permutatione, donatione, & testamento libere disponere poterunt, prout eis, & saluti eorum melius prospexerint convenire.

XLII.

Item mandamus, ne quis Beneficiis renunciet, nisi in manus nostras, neque absque nostra licentia ab eis recedat.

XLIII. *De Testamentis Clericorum.*

Statuimus tamen, ne Sacerdotum testamenta in executione ponantur, donec Nobis præsentata fuerint, aut robur nostrum illis adjectum fuerit. Volumus autem præsentationem istam a tempore defuncti intra unum mensem fieri.

Volumus nihilominus, ne in testando obliviscantur Ecclesiæ suæ, tanquam hæredis, neque in legando excedant Sacrorum Canonum constitutiones: alioquin reservamus Nobis, & Successoribus nostris arbitrium disponendi de hujusmodi Legatis: & quod testamenta fiant, & consignentur coram honestis, & fide dignis personis.

XLIV.

Item Rectore Parochialis Ecclesiæ in extremis laborante, etiamsi de bonis inventis, & postea acquisitis inventarium renovavit, & fecit, nihilominus Parochiani, & maxime per Collatores, vel Patronos, deputati inventarium faciant, & bona inventa fideliter custodiant, & consignent; ut sacrilegia, furta, detractiones vitentur, ac relicta Successori conserventur: Speratur enim per hoc ipsis Ecclesiis, & eorum Rectoribus futuris temporibus commodum provenire.

XLV. *Excommunicantur bona Sacerdotum diripientes.*

Item ad majorem cautelam, ne præmissa contingant, excommunicamus diripientes bona Sacerdotum, quomodolibet decedentium.

XLVI. *Servientes Parochis post mortem illius, salarium conventum exigere non possunt.*

Item statuimus, & ordinamus, quod Rectores Ecclesiarum Parochialium sibi servientibus utriusque sexus salarium conventum singulis annis persolvant, & ipsi servientes ab eis singulis annis hujusmodi salarium conventum exigant; neque post mortem Rectorum in fraudem Successorum aliquod debitum ab eis servientibus, prout hactenus actum est, confingatur, nec eis suffragari debet confessio Rectoris defuncti in extremis; cum talis confessio plerumque reperitur conficta, & fraudulenta.

XLVII. *De Inventario Parochi consanguineorum ad se receptorum.*

Item Rector Parochialis, colligens apud se parentes, vel consanguineos utriusque sexus, inventarium facere debet coram fide dignis personis, & Parochianis, de quibuscunque bonis per eos introductis; alioquin de bonis post mortem Rectoris nihil exigere poterunt, vel debebunt. Idem in famulabus, quas matronas dicimus, volumus observari.

XLVIII. *De Mandatorum Executione.*

Item, ut mandata nostra melius exequantur, ad quorum fidelem executionem juramento Curati sint adstricti, statuimus: ut nullus per diem & noctem nostra mandata, aut Officialium nostrorum apud se retineat, sed ad locum mittat deputatum, & Nobis, aut Officialibus nostris fidem faciat per appositionem nominis proprii & sigilli, quod quilibet habere debet, & de die, quo hujusmodi mandatum nostrum executum fuerit.

XLIX. *De Collectis pro temporum variatione interponendis.*

Item, licet Omnipotens, & Misericors Deus semper a suis fidelibus pro sua

gratia, & pietate colendus ſit; eſt tamen plerumque ſpecialiter aliquando pro ſerenitate, aliquando pro pluvia devote exorandus: accidit etiam nonnunquam, quod in una parte noſtræ Diœceſis ſerenitas, & in alia pluvia deſideratur a fidelibus; volumus igitur, quod deinceps quilibet Plebanus noſtræ Diœceſis, debita tamen adhibita diſcretione, quæ mater eſt omnium virtutum, ſingulis annis Miſſas opportunas pro qualitate temporis celebret, collectas imponat, & proceſſiones faciat, populumque, & Clerum ſuæ Parochiæ ad intereſſendum hujusmodi Miſſis, & Proceſſionibus fideliter inducat, ipſumque ad eleemoſynas, jejunia, & orationes, & pietatis opera pro neceſſitatibus occurrentibus impetrandis, vel avertendis invitet, etiamſi mandatum noſtrum ſpeciale ad hoc non fuerit deſtinatum.

L. *De Statutis legendis in Fraternitatibus.*

Item ſtatuimus, quod in qualibet Eccleſia Parochiali, in qua, & quoties Sacerdotes Fraternitates ſuas peregerint, hujusmodi ſtatuta inter eos, ipſis audientibus cum diligentia legant, ſub pœna extinctionis Fraternitatum earundem, quodque Præpoſiti Fraternitatum earundem infra menſem a die peractæ Fraternitatis per ſe, vel ſcripta Nos, aut Officialem noſtrum ſecuraſſe, & certiorem reddidiſſe.

LI. *Pœna Synodalis.*

Item ſtatuta hæc univerſa, & ſingula, præter pœnas a jure alias inflictas, ſub pœna Synodali, videlicet trium marcarum, præcipimus inviolabiliter obſervari.

LII.

Item ſtatuimus, & mandamus, quatenus quilibet Eccleſiæ Parochialis Rector hæc ſtatuta habeat, & in Eccleſia ſua Parochiali loco congruo parieti publice affigat infra ſex menſes a die notificationis præſentium, ſub pœna Synodali.

Lecta & publicata ſunt hæc in Eccleſia Parochiali Heilſperg. anno Domini 1497. die vero 20. Februarii.

In quorum fidem, & evidens teſtimonium, ſecretum noſtrum præſentibus duximus imprimendum.

Ex codice Conſtitutionum Synodalium Diœceſis Warmienſis, impreſſo Brunsbergæ anno 1612, commodato ab Illmo Dno Zaluski Epiſcopo Kijovienſi.

WRATISLAVIENSIS SYNODUS
Anno Chriſti MCCCCXCVII. Alexandri VI. Pp. V. Maximiliani I. Imp. IV.
SUB JOANNE IV. (a) EPISC. WRATISLAVIÆ.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dnus JOHANNES Quartus, Epiſcopus Wratislavienſis, binas duntaxat Synodos celebravit: cauſæ & difficultates in Litteris expreſſæ obſtiterunt. Primam anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſexto, poſt Octavas Corporis Chriſti: ubi querelæ Eccleſiaſticorum tantum auditæ, & defectus examinati ſunt. Alteram anno Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſeptimo, die vigeſima ſexta Aprilis, & diebus ſequentibus: in qua poſt multam plurimorum defectuum Reformationem, per ſua ſequentia Statuta condidit.

CONSTITUTIONES SYNODALES Reverendiſſimi Domini JOHANNIS quarti, Epiſcopi Wratislavienſis, conditæ anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſeptimo: ultimis diebus Aprilis.

JOHANNES, DEI GRATIA, EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ WRATISLAVIENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

Quoniam in hac Synodo, quam Divina favente gratia, Sanctorum Patrum inſtituto, ſolemniter egimus, nonnulla Nobis propoſita ſunt, quæ par-

partim Ecclesiasticum, partim sæcularem statum, & communem animarum salutem concernunt: nec tamen faciliter potuerunt sub hac temporis brevitate commode expediri, ob casuum gravitatem, qui meliorem rerum indaginem, deliberationemque requirunt; Animo concepimus anno sequenti diebus opportunis aliam iterum Synodum convocare, & in illa Domino concedente, de omnibus statuere, & definire, quæ in præsenti proposita sunt, & ad Ecclesiæ statum, tam in temporalibus, quam in spiritualibus pertinere videntur. Ne vero sine omni fructu præsentem Synodum soluisse videamur; imprimis repetimus & innovamus omnia, tam Provincialia, quam Synodalia Statuta Prædecessorum nostrorum, quondam CONRADI, PETRI, RUDOLPHI, Episcoporum Wratislaviensium, in ea maxime parte, qua Ecclesiasticam Immunitatem, & Clericorum honestatem concernunt; Volentes, atque hoc Synodali Decreto mandantes, ea omnia firmiter observari: sub Synodali pœna, & arbitrio nostro, secundum qualitatem negligentiarum, vel excessuum infligendis gravioribus pœnis. Quibus adjicimus statuendum:

Observatio in Officiis Divinis.

Quod omnes Presbyteri nostræ Diœcesis seculares, in Divinis laudabiliter peragendis officiis, & publice officiandis in Ecclesiis, se moribus, & signis consuetis mutuo conforment; nec singulares sibi gestus, aut ceremonias in eisdem officiis, & præsertim Missarum, quæ a communi usu discrepant, assumant; in genuflexionibus, vel tunsionibus, aut aliis corporalibus moribus, qui levitatem, vel hypocrisin sapere, & circumstantes scandalizare possent. Per quod nolumus Religiosis in consuetis suorum ordinum ceremoniis, & ritibus, aut alicui Presbyterorum in cordis devotione, & privatis uniuscujusque lectionibus, meditationibus, contemplationibus, orationibus, & sanctis consuetudinibus, legem imposuisse.

Item, ut nihil in Sacris Ecclesiæ Officiis admittatur, in quibus maxime salutis humanæ Mysterium Christi Corpus, & Sanguis pro omnibus vivis, & defunctis offertur, quod oculos Divinæ Majestatis offendere, vel homines ad cogitationes illicitas trahere posset: sed omnia cum summa reverentia, & decore fiant.

Statuimus, & mandamus, quod Presbyteri omnes, & singuli convenientem uniuscujusque dignitati habitum gerant, neque longitudine, neque brevitate, aut colorum varietate reprehensibilem: qui præsertim colla & crura tegat, ne in Divinis peragendis illorum nuditas, Officialem inhonestet, & circumstantes scandalizet, ac propterea celebraturi Missam caligati sint, aut calceis altis, sive botis, ejusmodi crura tegentibus: sub pœna unius talenti ceræ, vel alia arbitraria, toties, quoties contravenisse constiterit, per in Spiritualibus Vicarium nostrum irremissibiliter exigenda & infligenda.

Festa Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, & Agnetis.

Item statuimus, quod Festa Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum sub toto triplici: & Beatæ Agnetis Virg. & Martyris, quæ inter cæteras specialiter ab Ecclesia eo honorabilior existit, quod in Canone Missæ locum obtinuit, & octava festi sui per omnes Ecclesias agitur, sub duplici officio in nostræ Diœcesis Ecclesiis observentur. Populus tamen laicalis per hoc, ipsa die Sanctæ Agnetis a suis laboribus non retrahatur, sed in suis localibus consuetudinibus relinquatur.

De audiendis Confessionibus.

Item facultatem in audiendis confessionibus, injungendis pœnitentiis, & absolutionibus impendendis juxta & secundum formam quondam Domini RUDOLPHI editam, & in libello Statutorum suorum Synodalium annotatam, & per Nos in principio nostræ ad hanc Ecclesiam Wratislavien. translationis approbatam, & innovatam, hac Synodalium Constitutione iterum repetimus, volentes, ut omnes, tam Religiosi, qui

(a) Joannes de Roth, Suevus, natus de Vendinger, fuerat Auditor Rotæ, & Episcopus Lavantinus, dein anno 1482. Wratislaviæ Episc. Coadjutorem anno 1501. Fridericum, Casimiri Teschini Ducis Filium, assumpserat: sed mutata dein mente effecit, ut Coadjutor nominaretur Joannes de Thurzo. Obiit 1506.

qui ad officium audiendarum confessionum assumpti fuerint, quam Parochiales, ac alii, quibus competit, Presbyteri, illam præ oculis habeant, observent, nec contra faciant. Alioquin omni hujusmodi facultate privati existant, nec se de audiendis confessionibus, & absolutionibus intromittant, donec, & quousque aliter duxerimus statuendum.

Declaratio super sententia excommunicationis, litteris monitionum inserta.

Super vero consultatione plurimorum de illis, qui moniti infra certum terminum satisfacere de redditibus Ecclesiasticis, aut aliis quibuscunque rebus, cum clausula in monitoriis, juxta stylum nostri Consistorii consueta ista: Alioquin ex tunc hujusmodi monitionis termino evoluto, ac alias justitia exigente, ipsum, ipsam, vel ipsos excommunicamus Dei nomine in his scriptis. Quos sic excommunicatos singulis Dominicis diebus publicetis, & denuntietis &c. parere debent. An mox lapso termino hujusmodi pro excommunicatis haberi debeant? an vero declaratio alia, vel denuntiatio sit exspectanda?

Pro informatione simplicium, & purificatione conscientiarum timoratarum ita duximus declarandum: Quod monitione hujusmodi, sive in faciem monendi, sive publico edicto per Executorem facta, totus terminus monitionis sub silentio exspectandus est, & si post lapsum terminum talis, is ad cujus instantiam monitio decreta est, tacet: nec ultra Executorem, vel alium sollicitat, præsumendum est monitum paruisse, aut alias satisfecisse. Quoniam pro quolibet, quod sit bonus, & obediens Judici præsumitur, donec constiterit de contrario. Si vero ille, qui moneri fecit, cum executione venerit, post completum terminum monitionis, & non esse paritum aliquo modo conqueritur; monitus pro excommunicato est habendus, & denunciandus, quia id habet processus, aut mandatum Judicis, quod continet in se latam in scriptis sententiam, & denunciationem mandati. Potest ergo quilibet, qui ad sui favorem monitionem obtinet, prorogare propria sua voluntate terminum solutionis, & in toto a monitorio recedere, anteaquam transivit in effectum. Quando autem in effectum transivit, hoc est, præfixo termino totaliter lapso, jam noviter excommunicatus est, & absolutione Judicis eget. Si quis vult, ut monitio sua, termino prorogationis non obstante, vigorem habeat, & post terminum prorogatum monitus pro excommunicato habendus sit, necesse est, ut fiat Judicis auctoritate: quia non ex pacto, aut voluntate actoris excommunicatio nascitur, sed ex sententia Judicis.

De Sententia Excommunicationis.

Ad vitandum scandala, & multa pericula, quæ venire solent conscientiis timoratis, statuimus, & ordinamus: quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel perceptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensione, aut prohibitione ab homine, vel a jure, generaliter, vel specialiter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare: nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerint in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, vel certam, a Judice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse. Aut si aliquem ita notoriæ excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari: Nam tunc solum a communione illius abstinere volumus, juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos in aliquo, non intendimus relevare, nec eis quomodolibet suffragari &c.

Actum in Synodo, ut supra.

Ex codice impresso Wratislaviæ anno 1585. *commodato ab Illmo Zaluski Episcopo Kijoviensi.*

MO-

MOGUNTINA SYNODUS

Anno Christi MID. Alexandri VI. Papæ VII. Maximiliani I. Imp. VI.

SUB BERTHOLDO HENNEBERGICO, ARCHI-EPISC.

SYnodum Cleri Moguntini coegit BERTHOLDUS (*a*) anno 1499. in qua peroravit *Gresemundus* (*b*) de dignitate Sacerdotali: " Consulite, *ajebat*, " quæso vobis, Patres, consulite animabus vestris, & conscientiæ tranquillitati. " Cogitetis ipsi, quantum sceleris sit, " sacrosanctam Religionem negligi, pollui, violari, tantum honoris gradum " per flagitium inquinare, seque tanta " dignitate reddere indignum? Cogitate, tam dicta vestra, quam facta esse " palam, & omnium oculis passim exposita. Cogitate, Deum Opt. Maximumque nihil non videre, esse memorem fandi, ac nefandi, justum insuper " in illo die tremendo ac inexorabilem " Judicem futurum. Etenim quis est " tam vecors, qui, cum in cœlum suspexerit, aut Deum esse non sentiat; " aut cum Deum esse intellexerit, non " intelligat, eum delictis nostris ad iracundiam concitari, & meritas cuique " pœnas inflicturum? Si enim bonus " est Deus; credendum utique est, mala " nostra illi displicere. Si Omnipotens; " quid prohibet eum, quo minus iram " suam exerceat, & in Nos animadvertat? Si justus, nihil relinquet impunitum. Justitia enim est, reddere unicuique, quod suum est. Verum cum " idem etiam misericors sit; nonne levius, " nonne tolerabilius est, misericordiam " ejus, quam justitiam experiri? Quare " post habitam de commissis pœnitentiam, & satisfactionem, post confirmatum, deinceps abstinendi propositum, " exorandus est nobis Altissimus, ut & " præteritorum obliviscens, & futura " stabiliens, ultionem, quam juste paraverat, misericorditer avertat.

Hæc mentio hujus Synodi apud Serarium, *Rerum Moguntiacarum L. V. in vita Bertholdi. pag.* 880.

Schmidius nil plus Serario habet.

(*a*) Bertholdus, Comes de Henneberg de Rhomheldt, ex majoris Ecclesiæ Moguntinæ Decano eligitur Archi-Episcopus 20. Maji anno 1484. Feria V. post *Cantate*. Obiit anno 1504. 19. Decembris. Errat Bruschius, qui anno 1505. fato functum scribit.

(*b*) Theodoricus Gresemundus junior, J. U. D. Canonicus & Scholasticus Collegiatæ S. Stephani.

SYNODUS CAMINENSIS

IN OPPIDO VETERIS STETTINI (LATINE SEDINI) CELEBRATA

Anno Christi MD. Alexandri VI. Papæ VIII. Maximiliani I. Imp. VII.

SUB MARTINO (*a*) CARITH, EPISCOPO.

INDEX STATUTORUM LXI.

Statutum I. Quilibet Clericus suo Superiori obediat, & subditus esto.

II. In quavis controversia penes Officialem & Prælatos stet præventio, sine fraude tamen & dolo. *III.*

(*a*) Martinus Carith, Collbergæ natus, Bugislaum X., Pomeraniæ Ducem, in Palæstinam comitatus fuerat, jam Doctor, & Collegiatæ Ecclesiæ Collbergensis Præpositus: inde redux, Benedicto Caminensi Episcopo resignante, illius in locum suffectus est anno 1499. Obiit anno 1521. 26. Novembris.

III. Clerici a politicis negotiis & societatibus abstineant, puta a torneamentis, venationibus, digladiationibus, læsionibus, lusibus, aleis, mercimoniis, mercatibus, usuris, & hujusmodi.

IV. Nullus Clericus Procuratoris officio fungatur.

V. Abjiciant concubinas, vestitus splendidos, nec sumptus in eos faciant: graviterque Episcopos reprehendit incontinentiam & luxuriam cœlibum.

VI. Parochi urbani personaliter resideant apud suas Ecclesias, iisque præsint.

VII. Ecclesiæ inferiores Matrici se accommodent, & conforment.

VIII. Oppidani in Ecclesiis & Monasteriis cantu, pulsandis campanis, se se conforment Ecclesiæ Principali.

IX. Imagines non esse adorandas.

X. Vinum clarum & probum Sacrificio Missæ adhibendum.

XI. Sacellum, clusam, vel Capellam non esse erigenda, nisi Episcopo primum lapidem collocante.

XII. Infra mensem cœmiteria, ubi disturbata fuerint, restauranda, & ædificanda.

XIII. Neque in festo Natalis Domini, neque in Quadragesima cucullo tectus quis in Ecclesia compareat, (unde multa impudice sacris in locis tractentur) neque cantus amatorii in Ecclesia tolerentur.

XIV. Non nisi in consecratis Ecclesiis Sacrificia facienda, cantu Horarum finito.

XV. Nullus Sacerdos, dum Verbum Dei prædicatur, Missam celebret.

XVI. Presbyter sacrificaturus idoneum Ministrum, librum, calicem, vascula vino & aquæ capiendis, sibi provideat: sigillatim calix aureus sit vel argenteus: non æreus, quia æruginem contrahit: non aurichalceus, quia a cupro sapit: non ligneus, quia vermibus obnoxius: non vitreus, quia facile frangitur.

XVII. Civitatum Parochi quavis Dominica die sacrum ipsi faciant.

XVIII. Civitatum Parochi, seu eorum Administratores, nullum mandatum publicent, aut exequendum jubeant, nisi ab Episcopo, aut ejus Archi-Diacono, aut ordinario Vicario probatum.

XIX. Iidem Parochi, ne latrones, fures, aut ejusmodi infames homines in æditiuos assumant.

XX. Ornamenta Ecclesiarum nitida & munda serventur.

XXI. Ecclesiæ prædo censendus, qui aliquid ad usum Ecclesiæ deputatum surripit, etiam prius, quam in Catalogum Ecclesiæ relatum sit.

XXII. Nemo audeat, bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia, puta: Libros, vestes, campanas, aut hujusmodi alia, quocunque demum modo abalienare, aut oppignorare.

XXIII. Excommunicentur omnes, quicunque alios a Testamentis condendis impediunt.

XXIV. Judices sæculares de causis Testamentorum judicium ne ferant.

XXV. Omnia Testamentis legata infra annum Ordinario per computum ostendantur.

XXVI. Quot annis aqua fontis Baptismalis renovetur.

XXVII. Chrisma item quot annis renovandum.

XXVIII. Quomodo Sacramenti arca circumferenda sit.

XXIX. Sub Pascha exomologesis fiat a quovis, & qui intra annum eam exomologesin haud fecerit, careat sepultura in cœmiterio Ecclesiæ.

XXX. Quilibet suo Parocho confiteatur, & Confessarii, Roma quandoque missi, nomina eorum, qui iis confessi fuerint, annotent, & ordinario Parocho tradere teneantur.

XXXI. Quinam casus sint, quorum absolutio soli Episcopo reservata?

XXXII. Confessarii nec in tentoriis, nec in ædibus, aut rure, sed intra Ecclesias tantum confessiones audiant.

XXXIII. In confessionibus nec pecunia, nec aliquid pecuniæ æquivalens a confitentibus exigatur.

XXXIV. Nullus Sacellanus, sine speciali consensu, acceptetur.

XXXV. Nullus quempiam inſtituat ſine ſpeciali mandato Epiſcopi.

XXXVI. Nemo extra Diœceſin ab alieno Epiſcopo ordinetur.

XXXVII. Omnes ordinandi a Prælatis ſuis boni teſtimonii literas afferant.

XXXVIII. Clandeſtinæ promiſſiones vel ſponſiones non permittantur.

XXXIX. Ne laici matrimoniis confirmandis ſe ingerant.

XL. Quivis in Parochia ſua ſepeliatur. Item, quæ perſonæ non debeant in Parochiali cœmiterio humari.

XLI. Eccleſiaſtici congruo habitu veſtium utantur.

XLII. Nemo alteri cedat rem alienam.

XLIII. Ne Abbates ſuo Monaſterio incorporent ullam Eccleſiam citra Epiſcopi mandatum.

XLIV. Terminarii fratres, & Mendicantes, elapſo tempore iis præfixo, ad Cœnobia ſua revertantur.

XLV. Monialibus extra Monaſteria ſpatiari, aut cum ſæcularibus viris confabulari, aut eos nocturno hoſpitio excipere non liceat. Et quoties Præpoſitus iisdem colloquitur, Superiorem pelliceam tunicam induatur.

XLVI. Ne redditus cariori, quam ante factum, pretio emantur, aut venundentur.

XLVII. De Notariis juratis, & eorum officio.

XLVIII. Quousque interdicta in materia pecuniaria extendenda.

XLIX. Nemo Miſſæ ſacrificium faciat in navi.

L. Arca Ss. Sacramenti ſemel duntaxat in anno circumferatur, vel monſtretur.

LI. Nemo Monachus, vel Regularis confeſſiones excipere, aut aliud officium Eccleſiaſticum exercere audeat.

LII. Laicus laicum ne ad Judicium Eccleſiaſticum trahat.

LIII. Cum Chriſtus ipſe Sacerdotalem ſtatum inſtituerit, homines vero Monachorum regulas adinvenerint, hinc Epiſcopus ſtatuit, quod Monachi infimo loco eſſe debeant, & ſupra Monachos Presbyteri.

LIV. De privilegiis Clericorum, & eorum exemptionibus.

LV. Quicunque criminis reus, qui ad Eccleſiam, aut loca ſacra, velut aſylum, confugit, liber ſit, exceptis publicis viarum prædonibus, incendiariis, Eccleſiarum prædonibus, & qui Clericum cæciderint.

LVI. Qua ſolennitate anniverſaria Dedicatæ Eccleſiæ dies celebranda ſit.

LVII. Diem S. Martini futuris temporibus inter feſta numerandum.

LVIII. Quare non ſabbatum ſeptimus hebdomadæ dies, ſed primus feriandus?

LIX. Feriis ſextis non carne, non lacte, non butyro, nec caſeo veſcendum, niſi ægris, peregrinantibus, aut alio privilegio munitis.

LX. De variis Indulgentiis ab Epiſcopo conceſſis.

LXI. Nullus Clericus ſit, qui non ſit certo Superiori ſubjectus.

Hæc Synodi Statuta fuerant, quæ ex Germanico Crameri in Latinum tranſtuli.

Sequitur ſubjecta eisdem ſubſcriptio in hæc verba:

Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, die Lunæ, quinta menſis Octobris, de mandato Reverendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini MARTINI, Epiſcopi Caminenſis, Synodum generalem, in oppido Stettini ibidem in Eccleſia Collegiata Beatæ MARIÆ Virginis, in Inſulis celebrantis, lecta & publicata fuerunt hæc ſupra ſcripta Statuta, per commendabilem Virum, Dominum, & Magiſtrum THOMAM HAKER, Beatæ MARIÆ Colbergenſ. & S. Nicolai Grypeswald. Eccleſiarum Canonicum, præfati Domini Epiſcopi Cancellarium, Venerandis Patribus tam Ciſtercienſis, quam Præmonſtratenſis Ordinis Abbatibus baculatis: & Venerabilibus, & commendabilibus viris Cathedralis Camminenſis, quam aliarum Eccleſiarum Collegiatarum Canonicis, & generali tam ſæcularium, quam religioſarum perſonarum Clero, aſtantibus, grata & rata habentibus. In cujus rei teſtimonium ſupradicti Reverendi Patris, & Domini MARTINI Epiſcopi ſigillum præſentibus eſt impreſſum.

Hæc Daniel Cramerus in Chronico Germanico Eccl. in Pomerania, anno 1628. impreſſ. Stetini L. II. cap. 51.

Cujus Lutheranas gloſſis hiſtoriæ aſperſas *Jacobus Gretſerus S. J. Tomo X. novæ editionis* maſculo vigore diluit, & iniquas ejus calumnias diluit, in vita S. Brunonis, Pomeranorum Apoſtoli.

SUPPLEMENTUM TOMI V. CONCILIORUM GERMANIÆ.

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE (*)

AB ALBERTO IV. MAGDEBURGENSI ARCHI-EPISC. CELEBRATUM INTER ANN. MCCCLXXXIII. ET MCCCCIII.

In quo antecedentia Statuta renovantur, quæ vero his inserta non sunt, antiquantur.

ALBERTUS, DEI GRATIA, SANCTE MAGDEBURGENSIS ECCLESIE ARCHI-EPISCOPUS, UNIVERSIS PRELATIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, CLERO, ET CLERICIS, AC CHRISTI-FIDELIBUS, TAM RELIGIOSIS, QUAM SECULARIBUS, SEXUS UTRIUSQUE, PER NOSTRAM MAGDEBURGENSEM PROVINCIAM UBILIBET CONSTITUTIS, IN DOMINO SALUTEM, AC PRESENS OPUSCULUM GRATANTER ACCEPTARE, LECTIONIS STUDIO FREQUENTI MEMORIE COMMENDARE, ACCEPTATUMQUE DISTRICTIUS EFFECTUALI OBSERVANTIA ADIMPLERE.

Licet a diversis nostris Predecessoribus, Conciliis diversis Provincialibus celebratis, plurima Statuta, & (*Decreta*) Provincialia, per que tam Clericorum, quam laicorum status resplendet adornatus, viciis repulsis, scandalis resecatis, & nocivis quibusque eminus profugatis, edita, & promulgata pervenerunt in lucem: Et quanquam fel. record. BORCHARDUS Predecessor noster novissimus, & tali nomine designatus, omnium Predecessorum suorum, & nostrorum statuta in unum collecta opusculum sub certis rubricis adunasset; tamen modum & formam, quam alii Archiepiscopi in suis Statutis Provincialibus digne servaverant, pretermisit observare, causa congruenti ipsum pro temporis tunc currentis dispositione movente. Nos vero ordinem, & rubricas positas in constitutione Sacre Romane Ecclesie, quam sequi expedit, & summa Reverentia decet venerari, quia ex ipsa sola veritas conspicitur, & que intra se positos valida caritatis compage custodit, sequi volentes; quia turpis est pars, que se toti minime conformat universo, Statuta Provincialia predicti BORCHARDI, & aliorum *Predecessorum* nostrorum, &

(*) Concilium hoc dedimus quidem Tomo IV. præcedente; sed mutilum, ex manco exemplari, in quo vix tertia Statutorum pars, varia insuper omnino truncata reperiebantur. Visum proinde fuit, non abs re futurum, si illud integrum, & in tota sua latitudine excudendum curaremus, prout a *Lunigio ex editione Lipsiensi*, anno 1489. facta, exhibetur; ut Lector Ecclesiæ hujus Metropolitanæ olim tam nobilis Constitutiones in una & imperturbata serie sibi ab oculos positas videat.

Albertus hoc nomine IV. Archi-Episcopus Magdeburgensis, idemque Episcopus Merseburgensis, Comes de Querfurd, sedit in Cathedra Metropolitana ab anno 1383. Obiit 1403. quo anno intermedio Provincialem hanc Synodum celebraverit, ex certorum monumentorum penuria definire non possumus. Adscripta illa fuerat in Tomo præcedente Alberto II. seu potius III. si S. Adalbertum, quem Cranzius etiam Albertum appellat, simul adnumeres. Nunc sequi maluimus Lunigium, qui ex antiquo codice Lipsiensi Constitutiones hanc Alberto IV. tribuit.

& que ipsis in hoc presenti Concilio per Nos edita, de consensu, & approbatione Venerabilium Fratrum nostrorum, & Coepiscoporum nostre Provincie, B. Misnensis, C. Mersebergensis, D. Nuenbergensis, E. Havelbergensis, F. Brandenburgensis, adjecimus, aliis Statutis Predecessorum nostrorum immutatis, ac in melius reformatis, aliis etiam penitus resecatis, prout tempus exposcit, & caussarum de novo incumbentium facultas requirit, ordinate secundum rubricas, & juxta ordinem in Constitutionibus Romane Ecclesie observatum, presenti opusculo inscribi fecimus annotatas, ut legentibus Provincie subditis, qui ad ipsorum observantiam tenentur adstricti, facilior sit aditus, & statuta ipsa, cum casus ipsorum, vel alicujus eorum in dubium venerit, facultas inveniendi. Statuta autem Predecessorum nostrorum quecunque, & cujuscunque tenoris existant, etiam nostra, presenti que volumine minime reperiuntur inserta, & presentibus annumerata, volumus habere pro cassatis, & rejectis, nec quemquam de nostra Provincia ad ipsorum observantiam in judiciis, vel extra in actibus suis, sed duntaxat ad ea, que in presenti volumine continentur, fore obligatum.

Statuta Synodalia.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica

Albertus Archi Episcopus, ex Concilio Magdeburg.

QUe propter sui exquisitissimam, & probatissimam perfectionem, ac clarissimam, & lucidissimam veritatem adjectione, vel declaratione ulla non indiget, ad quam imprimis, tanquam principium, medium, & finem salutis omnium, corda, manus, & oculos elevamus, devotis nihil aliud est credendum, tenendum, vel docendum, nisi quod Romana credit, tenet, docet Ecclesia, pussima, sanctissima, & prudentissima Mater nostra. Ita tamen, ut omnes Prelati articulos fidei principales fideliter suos subditos doceant, laicos simpliciter credere, sicut Ecclesia, Clericos vero explicite, & distincte.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburgens.

Inprimis igitur statuimus, ut si aliquis Clericus vel laicus, utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit, presumptione damnabili, publice predicare, vel occulte docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos, in mortali existens peccato, non possit conficere Corpus Christi, seu sic ligatus non possit solvere, vel ligare suos subditos a peccatis; pro heretico, & incredulo habeatur. Quem errorem hujus Sacri Concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus: cum Sacre Scripture dicat auctoritas, quod sive bonus, sive malus sit minister, per utrumque Deus effectum gratie confert. Non enim, que sancta sunt, coinquinari possunt, nec ipsa Sacramenta potest hominum malitia prophanare. Unde Sacerdos, quantumcunque pollutus existat, Divina non potest polluere Sacramenta, que purgatoria cunctarum contagionum existunt. Licite ergo a quocunque Sacerdote ab Ecclesia tolerato Divina mysteria audiuntur, & ana recipiuntur Ecclesiastica Sacramenta.

Rubrica de Constitutione.

Albertus Archi Episcopus, ex Concil. Magdeburgens.

Canonum Statuta primum, & demum Constitutiones Provinciales, tam a nostris Predecessoribus, quam a Nobis editas, & presentibus insertas ab omnibus sciri, ac inviolabiliter custodiri mandamus sub obtentu juris & honoris eorum: post presentem enim publicationem ignorans ignorabitur, & negligens negligetur.

Albertus Archi Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus, ut presens libellus de Constitutionibus Provincialibus in singulis Ecclesiis Kathedralibus sub sigillo nostro, ac deinde in aliis Ecclesiis Collegiatis, & Conventualibus nostre Provincie, infra tres menses a presentium publicatione computandos, sub sigillo Diocesanorum sine excusatione qualibet habeatur conscriptus, & in choro jaceat, ut sic possit patere cuilibet legere, seu videre volenti.

Ut autem communis utilitas predictarum constitutionum in noticiam luculentam cunctorum deveniat, Venerabilibus Fratribus,& Coepiscopis nostris injungimus, & mandamus in virtute sancte obedientie,quatenus ipsas mox conscribi faciant & procurent, ac anno quolibet in singulis eorum Synodis in toto Clero, ubi sic commode fieri poterit, alioquin alibi legi faciant, & injungant subditis suis, ut eas quilibet sibi procuret, & tenorem earum memorie recommendet, & maxime Archidiaconis, & suis subditis, scil. Decanis ruralibus, Archipresbyteris, & Presbyteris hoc injungant. Nos insuper de Omnipotentis Dei misericordia,Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, authoritate, nec non Mauritii & Sociorum ejus, Patroni nostri, meritis confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui eas sibi comparaverint, legerint, aut legi audierint,, quotiescunque hoc fecerint, XL. dies de injuncta sibi penitentia relaxamus.

De Constitutionibus FRIDERICI & KAROLI Imperatoris.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Presenti Statuto, Sacro approbante Concilio, ordinamus, & mandamus districte observari, ut quilibet Episcopus cum suo Capitulo nostre Provincie, pro se, ac suis Capitularibus, Prelatis, Religiosis, & secularibus, & generaliter pro Clericis sue civitatis & Diocesis universis, pro temporibus affuturis procurent, & habeant sine defectu Constitutionem felic. record. FREDERICI & KAROLI *quarti* Romani Imperatoris, quam & Nos cum nostro Capitulo eodem modo servare intendimus, & quantum possumus, nostros Successores hortamur sub Bulla Papali perpetuo durante, si ipsam obtinere potuerint, vel ad tempus obtentam in eisdem Conservatoribus, verius tamen Executoribus, in locis eis congruis, qui in casibus dicti privilegii,& quemlibet Episcopum,& suum Capitulum,& Clerum Religiosum,& secularem sue civitatis & Diocesf. ab injuriis, per quempiam ipsis inferendis defendant, juxta dicti privilegii continenciam, injuriatoribus penas contentas in eodem infligant. Processus contra tales penales secundum dictam Karolinam,& usque ad satisfactionem debitam, & quousque injuriatores sint a Sede Apostolica absoluti, vel ab aliis, quibus hujusmodi potestas dinoscitur reservata, qui sibi specialiter in casibus dicte Karoline absolutionem, & interdicti relaxationem reservaverunt. Volumus etiam, ut quater in anno quilibet Curatus civitatis & Diocesis nostre provincie, videlicet Dominicis diebus immediate quatuor tempora sequentibus, suis Parochianis infra Missarum solennia, pronunciet publicando sub lingua Teutonica, & suos Parochianos ammoneat diligenter, ut se caveant, ne in penas dicte Karoline incidant laqueati. Volumus etiam,& mandamus, ut in singulis Synodis Episcopalibus, Prelatis, & Clericis universis ibidem presentibus dicta Karolina diligenter publicetur, quam presenti statuto in fine volumus de verbo ad verbum annotari.

Rubrica de Rescriptis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum secundum legitimas Sanctiones Preses provincie delegatos Principes ad ipsius Presidis provinciam declinantes,non debeat ex officii debito sinere. amplius facere, quam eorum legatio se extendat.

De Processibus Judicum delegatorum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Attendentes, quod Judices delegati a Sede Apostolica, & a Legatis a latere, vel aliis Legatis,Conservatores, Deputati gratiarum,Executores, vel ab eis Subdelegati Judices, Subconservatores, vel Subexecutores Deputati communiter,vel divisim,potestatem eis traditam, & mandatorum suorum fines transcendant multis modis, & aliquibus fraudibus exquisitis etiam sepe Bulle Apostolice per nonnullos iniquitatis filios falsificentur, que etiam alias jure ipso sunt nulle: & per sic falsificatas Executores, Judices supradicti, earum falsitate minime cognita, que de facili non potest, decipiantur. Cum autem processus earum auctoritate fulminati, sint ipso jure,& facto nulli, nec quis

quis ad eorum executionem, taceo observantiam, teneatur obligatus, diversos fulminantes processus, limites sui mandati excedentes, loca Ecclesiastico interdicto, seu cessationi generali pro rebus mobilibus, vel pro pecuniaria summa supponentes. Unde Sacro approbante Concilio statuimus, ut nullus Plebanus, seu Vicarius, vel quicunque alter Clericus, vel Prelatus citationem, seu processum aliquem a Judice delegato Sedis Apostolice, vel Subdelegato ipsius, vel à Legato dicte Sedis Apostolice, etiam a latere, gratiarum Executoribus, vel Conservatoribus, vel ab ipsis communiter subdelegatis, vel divisim sibi directos de citando quemcunque, monendo, vel trahendo ultra unam dietam vulgarem notorie computandam a fine Diocesis admittant, de quorum authoritate ante omnia debet constare, vel aliquatenus exequantur, nisi fuerint per *Vidimus* Diocesani approbati. Pro quo *Vidimus* Officiales Episcopi, vel alius, qui hoc officium habet exercere, non antequam recipiet, quam tres solid. denariorum communium, & in illa Diocesi currentium, contrarium faciens sit ab ingressu Ecclesie suspensus, quousque parti sic indebite exactionate duplum restituat. Statuimus etiam rescripta conservatoria Papalia, literas gratiarum Legatorum quorumcunque, & subdelegationes a predictis Officialibus, vel aliis, qui hoc officium gerunt per nostram provinciam, nostrorum Suffraganeorum debere examinari examinatione diligenti facienda, & ut evitetur omnis falsitas, & corruptela, exhiberi. Si autem contingat, quenquam Plebanum Curatum, seu Clericum, etiam in dignitate constitutum, in civitatibus, & Diocef. nostre Provincie, per Judices delegatos Sedis Apostolice, vel Legatorum ipsorum, Conservatores gratiarum, Executores, vel ab eis Deputatos, citari, vel vexari pro eo, quod sine *Vidimus* sui Diocesani eorum citationes, & processus alios quoscunque requisiti spreverint recipere, & executionem debite demandare; extunc Episcopus, cui dicti Plebani, Curati, & alii Clerici subsunt, & in cujus civitatibus & Diocef. nostre provincie sunt Beneficiati, ipsos totius Cleri sumptibus, & expensis defendere non tardabit, cum ad ipsum spectat, ut suam jurisdictionem tueatur. Nihilominus, si Episcopus in premissis negligens inveniatur, subdito, si que damna receperit, & expensas fecerit, ad arbitrium nostrum, vel nostri in Spiritualibus Vicarii sibi plenarie restituat, & cum effectu.

Rubrica de Electione.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Item quamvis provisum sit Canonice de illis, nondum in Sacribus Ordinibus constitutis, quibus de Ecclesiis Parochialibus providetur, & qui tales Parochiales Ecclesias ea de causa recipiunt duntaxat, ut eas rebus, & bonis inventis in eisdem mobilibus precipue (taceamus de alienatione rerum immobilium) possint spoliare, etiam fructus universos primi anni, infra quem deberent ad Sacerdotium promoveri, recipiunt, in suos usus convertunt minime promoti, dictas Parochiales Ecclesias sic spoliatas, & defraudatas tacite resignando, vel expresse Patronis eorum, vel Collatoribus. Volumus autem jus, quod in casu illo providit ad permutàntes infra annum, si sint promoti, sive non, prorogari; ita ut bona inventa in dotibus Ecclesiarum predictarum, apud Ecclesias tales debeant sine qualibet diminutione suis Successoribus remanere, pro eorum sustentatione. In premissis vero reperti culpabiles, & delinquentes a perceptione beneficiorum, que obtinent in Provincia nostra, volumus esse suspensos, nec fructus ipsorum posse facere suos, nec in utilitatem suam debere convertere, donec ablata priori Ecclesie omni cum restituant integritate.

Rubrica de scrutinio in ordine faciendo.

Albertus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus ad terrorem malefactorum, ut universi Episcopi Magdeburgensis Provincie, ac eorum Vicarii, quando volunt, & debent suis temporibus Ordines celebrare, committant expresse Examinatoribus Clericorum ordinandorum, sub anathematis interminatione, ut inter cetera perquirenda fideli diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi, a singulis ordi-

ordinandis Religiosis cujuscunque ordinis, vel secularibus, ut si patres, avi, ac progenitores eorum, usque ad quartam lineam ascendentes, captivaverint, captivatos detinuerint, occiderint, mutilaverint, proscripserint, bannizaverint, diffidaverint Clericum in sacris Ordinibus constitutum, & pro Clerico se gerentem, etiamsi in minoribus fuerit constitutus, & pro tali se gerebat, habitum, & tonsuram deferens; eum, quem in aliquo premissorum affectum per aliquem progenitorum suorum usque ad lineam memoratam invenerint, si factum illud sit notorium, vel scitum in loco nativitatis sue, nullatenus admittant. Prelati vero, vel eorum vices gerentes, quorum interest investire, vel instituere presentatos, ante investituram, vel institutionem cum summa diligentia de his querant, & quos tales invenerint vitio progenitorum laborantes, de quo scriptum est, nullo modo instituant, vel investiant ad aliquod beneficium, vel officium, Ecclesiasticam etiam dignitatem. Et si tales quovis modo per negligentiam Ordinantium fuerint ordinati, vel per propriam taciturnitatem, cum de hoc constiterit; sint ab Ordinibus sic susceptis suspensi, & maneant; donec a suis Diocesanis dispensationem meruerint obtinere. Instituti etiam in Beneficio, vel claustris professi, vel Monasterio oblati, sint ipso facto jure, quod habent in Beneficiis, privati: Oblati vero & Professi a dictis claustris expellantur, vel saltem suspensi maneant ab Ordinibus sic susceptis, donec Diocesani sui cum eis dispensaverint, ipsorum meritis, & laudabili conversatione eorum hoc exigente: & cum Beneficio institutis etiam Diocesani, prout viderint expedire, habeant plenam potestatem in his dispensandi; Examinatores insuper & Prelati, ac eorum vices gerentes, qui secus in premissis agere presumpserint, in futuro per suos Superiores immediatos suspensionis sententia percellantur: alias etiam pro tanta negligentia per Diocesanos suos Ordinarios graviter puniendi.

Rubrica de Renunciatione.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Nullus Ecclesiam, vel Beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel recipere presumat sine Superioris sui authoritate, quod sub pena suspensionis firmiter inhibemus: etiam quodcunque fuerit, Curatum, vel non Curatum, quod ea de causa recepit duntaxat, ut sub ipsius titulo ad sacros Ordines, & ad Sacerdotium promoveatur. Nam decens est, ut sicut in recipiendo Beneficia Ecclesiastica Canonum Statuta observantur, sic & pari modo in dimittendo & in renunciando Beneficio, seu Beneficiis Ecclesiasticis, debent Canones observari.

De Temporibus ordinantium.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Statuimus, quod nullus ad examinationem aliquatenus admittatur, nisi antea confiteatur omnia sua delicta idoneo Sacerdoti, & quia pauci sunt, qui sua delicta, vel sequelas intelligunt delictorum, ideo per discretum Confessorem debet instrui ordinandus: & talem, seu tales Vicarius Episcopi, qui statuta Canonum non ignorant, seu alios idoneos pro ordinandis, secundum ipsorum pluralitatem, vel paucitatem, tempore ordinationis deputabit, etiam in loco, ubi continget ordines celebrari, vel Vicario in Pontificalibus, qui ordines celebrabit, si de ejus puritate conscientie confisus fuerit, tribuat facultatem, ordinandos in confessione expediendi. Et talibus Confessoribus injungimus sub interminatione maledictionis eterne, ut ordinandos, quos invenerunt repellendos in foro suo, id est, anime, ubi factum eorum est occultum, ammoneant, ne quovis modo ad ordinum susceptiones procedant. Si autem casus eorum non prestaret eis perpetuum impedimentum, sed esset dispensabilis per Episcopum suum, vel Papam, vel per alios, sicut per Archiepiscopum, vel Cardinales certos, in casibus eis specialiter reservatis, pro dispensatione remittant ad eosdem Superiores obtinenda.

Rubrica de Clericis peregrinis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Nullus in Ecclesia sua ignotum, seu peregrinum, de aliena Diocesi venientem ad celebrationem Divinorum in publico pre-

presumat admittere, licet formatas literas sue ordinationis exhibeat, nisi & ostendat literas Diocesis Episcopi, vel ejus Vicarii, in cujus Diocesi se petit admitti: in quibus contineatur expresse, quod in ejus Diocesi in Spiritualibus habeat licentiam celebrandi, ne ignoti, & de longinquo venientes, qui frequenter sunt apostate, criminosi, & irregulares in sua temeritatis malicia foveantur, & tribuatur audacia Divina prophanandi. Contrarium faciens in una Marca puri, & defedati argenti pro admissione qualibet per loci Archidiaconum puniatur. Si vero Archidiaconum non habuerit, tunc per Diocesanum, vel ejus Vicarium in Spiritualibus, cujuscunque etiam dignitatis fuerit, Abbas, Prepositus, vel Decanus, medietatem Archidiaconatus utilitati, vel Diocesani, ubi non habent Archidiaconum, vel alium Prelatum ejus loci delinquentes, reliquam vero medietatem fabrice Kathedralis Ecclesie convertendam.

Rubrica de Officio Ordinarii.

Albertus Archiep. ex Conc. Magd.

Cum quilibet Archiepiscopus & Episcopus, Canone disponente, teneatur Dominicis diebus singulis, & festivitatibus aliis presertim summis, in Ecclesia sua populo sibi credito se presentem exhibere, Missam celebrare, verbum Dei proponere, ac indulgentias dare; unde precipimus, quod quilibet Episcopus nostre provincie maxime in summis festivitatibus, nisi necessitate prohibente, vel causa rationabili eum excusante, sit presens in Ecclesia sua Kathedrali, verbum Dei proponat, vel se presente per alium idoneum proponi faciat, & indulgentias populo det, Missam in eadem Ecclesia devotius celebrando.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Post hec statuimus, ut singuli Episcoporum nostre provincie suos carceres habeant juxta Ecclesiam Kathedralem pro Clericis duntaxat, & speciales, ita quod nullatenus cum furibus, & aliis ultimo supplicio deputatis, vel deputandis, Clerici detineantur incarcerati: in quibus falsarii Clerici, vel Monachi incorrigibiles & Apostate, vel alii, qui hoc meruerint, recludantur perpetue, vel ad tempus, prout eorum exposcunt excessus. Ad quod efficacius exequendum alie Ecclesie, si opus fuerit, subsidium conferant, & juvamen. Episcopus tamen cum suo Capitulo carcerem procurabit apud Ecclesiam majorem, vel in alio loco congruo, & custodem carceris unum, vel plures, secundum quod opus fuerit, suis sumptibus & expensis, juratos tamen prius, quod fideliter velint preesse incarceratis, & eos custodire diligenter, & humaniter tractare, deputabit, & de expensis nihilominus incarceratis etiam providebit juxta Canonum precepta in vestitu pariter, & amictu.

Rubrica de Officio Delegati.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Quia frequenter injuriati Clerici, seculares, vel Religiosi, facultatibus destituti, vel minus idonei, etiamsi eis rerum affluentia fuerit copiosa, vel metu concussi, & tali, qui merito cadere debet in constantem, contra suos injuriatores pro justitia consequenda cum satisfactione debita non presumunt actionem intentare; Statutorum nostre provincie, etiam Executores in civitatibus, vel Diocef. Deputati, ubi Clerico injuriato, vel Religioso injuria illata est, injuriantium potentiam perhorrescentes contra tales requisiti per dictos Clericos, vel ex suo officio procedere, vel processus fulminare formidant; ne ergo injuriatores, & Clericis secularibus, vel Religiosis, injuriam, seu violentiam in personis eorum, rebus & bonis Ecclesiarum suarum, & suis juribus, & libertatibus, familia, consanguineis, nepotibus, vel neptibus inferentes, transeant impuniti, & de sua temeritatis violentia commodum reportent, gloriantes cum illis, qui letantur cum male fecerint; Sacro igitur approbante Concilio, presenti statuto ordinamus, ut Clerus cujuslibet civitatis & Diocesis nostre provincie habeat unum, vel plures Procuratores fiscales, quos etiam in locis congruis & securis, ubi tyrannorum potentiam non habent formidare, Episcopus loci, cum consensu sui Capituli, Prelatorum, & sanioris

Cleri partis ſue civitatis, & Dioceſis deputabit, qui Clericorum ſecularium, & Religioſorum injuriam, ut Promotores curie, cum Clerici injuriati ſeculares vel Religioſi propter inopiam, injuriantium potentiam, ſuam juſtitiam contra injuriantes proſequi non preſumant, dictorum injuriatorum juſtitiam coram Executore loci Karoline, vel Urbanine proſequi feſtinabunt, & requiſiti per injuriatos, vel ſuo officio, illis agere non valentibus, procurent proceſſus, juxta ſtatuta noſtræ provincie, cum ſuis penis contra injuriantes, & uſque ad ſatisfactionem congruam fulminari, & per ſubditos noſtre provincie arctius obſervari. Predicto vero Procuratori fiſcali, ſeu Procuratoribus, Epiſcopus loci, & per quem cum ſuo Clero fuerit, ſeu fuerint deputati, eis de expenſis, quas in proſecutione injuriarum, & pro injuriatis Clericis ſecularibus, vel Religioſis facient, ſi injuriati predicti Procuratori de ſtipendio congruo pro ſuis laboribus, & expenſis ſatisfacere noluerint, ſeu, inopia eos excuſante, non potuerint, providebit.

De Subſidio Juris.

Statutum Borchardi, ex Concil. Hallenſ.

Congruum reputamus, & conſonum equitati, quod Executores ſtatutorum noſtre provincie ſibi debeant neceſſitate, ſeu utilitate exigente, ad invicem ſuffragari; unde preſenti ſtatuto ſancimus, quod quilibet Executor, dum ſuper proceſſibus, & ſententiis, per eum in ſua Dioceſi factis, & habitis, Executorem alterius Dioceſis ſuper eis publicandis, & etiam obſervandis duxerit per ſuas literas requirendum; quod idem requiſitus, occaſione poſtpoſita, niſi in neceſſitate inevitabili ſe excuſare valeat, requiſitionem hujuſmodi admittere teneatur.

De Executore negligente, vel denegante juſtitiam.

Borchardus, ex Concil. Hallenſ.

Si Executor in aliqua Dioceſi noſtre provincie deputatus, executionis ſue miniſterium facere negligat, ſeu deneget conquerenti, & potiſſime per Procuratorem fiſcalem requiſitus ad inſtantiam injuriam paſſi, ſeu pro eo; extunc ad Epiſcopum, loci Ordinarium in caſu hujuſmodi recurratur, qui Executorem ſuum pro commiſſa negligentia corrigat, & ad faciendum debitam executionem compellat; adjicientes, quod nec per Nos, nec Coepiſcopos noſtros ſententie Executoris rite, & rationabiliter late de facto poſſint, vel debeant revocari, nec eorum officium aliqualiter impediri.

Borchardus, ex Concil. Hallenſ.

Cum Statutorum noſtrorum remediis intendamus contra notorias injurias, & violentias providere, decernimus, quod Executores ſtatutorum hujuſmodi ad ea, que judicialem indaginem exigunt, ſe nullatenus intromittant, nec ad talia, que ordinem Judiciarium requirunt, ſuam extendant aliquatenus poteſtatem; quia in talibus juris, & judiciorum ordinem ſervare juxta Canonum inſtituta expedit, & rigorem.

De Exceptionibus, & repulſione Teſtium in cauſa notorietatis.

Borchardus, ex Concil. Hallenſ.

Plerumque tamen id, quod notorium aſſeritur, apud Executorem notorium non habetur, & ad hoc teſtes quandoque producuntur a parte, ut Executori de notorio fides fiat; unde a quibusdam revocatur in dubium, an Executor exceptiones propoſitas contra teſtes productos ad notorium oſtendendum admittere teneatur: & licet ſuper eo Doctores diverſi ſentire diverſimode videantur, quibusdam aſſerentibus hujuſmodi exceptiones debere admitti, aliis vero affirmantibus, ipſas in hujuſmodi caſu repellendas; Nos tamen decernimus, & declaramus, illi opinioni, favore Eccleſiarum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum potius adherendum, que exceptiones tales aſſerit, non eſſe contra teſtes hujuſmodi admittendas. Tales namque ad Judicem ordine Judiciario procedentem, non autem, ad Executorem, qui circa notoria intendit, pertinere videntur, niſi exceptiones objecte adeo forent ſufficientes & notorie, quod nulla poſſent tergiverſatione celari, quod diſcreti Executoris arbitrio duximus relinquendum.

Ru-

Rubrica de Majoritate & Obedientia.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Sacro approbante Concilio statuimus, ut nulli Clerici nobilium Capellani, in Capellis castrorum Dominorum suorum celebrare presumant, seu alia conferre Sacramenta Ecclesiastica, nisi ante Episcopo loci, si dicte Capelle subsint Episcopo immediate, & ad eas habeat instituere, vel alteri Prelato, *Archidiacono, Preposito, Decano rurali*, qui hoc jus obtinet in dicta Capella, manualem obedientiam faciant, & etiam ad Synod. veniant e Capella certis temporibus, & statutis, recepturi & mandata Ecclesiastica, & predicaturi suis Dominis, & eorum castrensibus, secundum quod fuerit opportunum; cum Plebani, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem Dominorum. Qui autem ante obedientiam sic, ut premittitur, prestitam Prelatis, quibus subsunt immediate, Capellas tales officiare presumpserint, sint ipso facto excommunicati, ac per totum Archidiaconatum, in quo hujusmodi Capelle consistunt, excommunicati nuncientur per Ecclesiarum Rectores tanto tempore, quousque satisfaciant, & obediant, ut est dictum.

De his, que vi & metus causa fiunt.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum obedientia potissime meritum vite conferat, & victimis prefertur, in quibus aliena caro, sive in ipsa Deo propria consecratur; Unde quamplures Plebani Sacerdotes, & Clerici hoc minime attendunt, & cum eis Superiorum mandata dirigimus, etiam pro executione debita facienda requisiti, tanquam vano metu concussi, & talem allegantes, ipsa mandata exequi, seu processus etiam debite executioni mandare, in suarum animarum periculum contemnunt, penas diversas Ecclesiasticas frequenter, & legales aliquando ob hoc miserabiliter incurrunt laqueati, pro Christo, & ipsius sponsa Matre Ecclesia, cujus stipendio, & Christi patrimonio laute reficiuntur, sagi- nati, ex adverso ascendere, ac pro ejus libertatibus conservandis bellare refugiunt: quapropter Ecclesiastica censura contemnitur, nervus Ecclesiastice discipline dissolvitur, clavium potestas ludibrio fit, & vilescit. Sacri hujus igitur Concilii provida celebratione sancimus, diffinientes, ut nullus Prelatorum, Plebanorum, Curatorum, seu Clericorum nostre provincie debeat se excusare, quominus requisitus ad executionem mandatorum suorum Prelatorum, Superiorum, & Executorum statutorum procedant, & debite exequantur: & ipsi eadem observent, & per suos faciant observari, etiamsi penas, & censuras contineant Ecclesiasticas, seu legales: etiamsi metum corporum, rerum suarum temporalium, seu majoris partis amissionem pro sua allegant excusatione in antea; cum revera quisque Prelatus, Plebanus, Curatus & Clericus potissime, taceamus de laicis, potius debet omnia mala pati presentis status, quam malum inobedientie incurrere, etiamsi per idoneos testes coram Superiore, a quo mandata, & processus diriguntur, se offerant paratos, ad probandum hujusmodi metum. In his enim, que in non faciendo consistunt, utpote cum mandatur non communicari excommunicatis, non celebrare in locis interdictis, aut coram majoris sententie excommunicatis, seu aliis hujusmodi, nullus omnino, nec rerum, nec corporum, quantumcunque probatus metus, nequaquam possit, vel debeat excusare a talium observatione, firmiter, & intrepide exequenda: quia melius esset viam veritatis non agnovisse, quam ut quis post agnitam ab ea discedat, ut prophanus, & idololator sceleratus.

De alienatione judicii mutandi causa.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quia plerumque cessiones actionum in fraudem fiunt, alie vero pure, & simpliciter ex causa legitima, vel ex causis; statuimus, ut cessiones actionum, que justis causis, vel causa procedunt, in presentia ipsorum Episcoporum, vel Judicum, vel Officialium eorum, & de licen-

tia eorundem, si cognoscant legitimas esse, fiant. Jurent etiam cedentes, quod non simulate, sed vere cedant, alioquin secus factas decernimus non tenere.

Contra impedientes, ne citatio ad eos perveniat.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam personaliter citari non possunt, quidam etiam in castris habitant, ita quod nulla potest propter eorum tyrannidem citatio ad eos pervenire, vel aditus haberi securus; idcirco provida & necessaria deliberatione statuimus, ut contra tales citationis edictum apud Parochialem Ecclesiam ipsorum publice & legitime proponatur. quodsi Parochialis Sacerdos, quod tales citare non possit, coram Superiore non simplici, vel proprio juramento, sed justis probaverit documentis; in Kathedrali Ecclesia tribus diebus Dominicis continue citentur in ambone, dummodo citandi infra unam dietam sint a Kathedrali Ecclesia constituti, alioquin ad tres quindenas solemniter evocentur, & extunc contra hujusmodi, ac si personaliter citati fuerint, procedatur, ne ex malitia hujusmodi valeant commodum reportare.

Rubrica de foro competenti.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Præterea quidam crudeles homines & perversi, dum ad forum Ecclesiasticum in causis etiam, de quibus Ecclesia merito habet agnoscere, ab actoribus evocantur, illius authoritatis, que dicit: Qui honorat Missum, mittentem honorat, immemores existentes, Nuntios Ecclesiasticorum Judicum, citationes, excommunicationes, vel alias judiciales, vel jurisdictionis literas deferentes, verbis quandoque probrosis, & diris verberibus afficientes, quosdam etiam captivantes, vulnerantes, mutilantes, & nonnullos occidentes, alios interdum suis rebus temere & publice spoliantes, multipliciter afficiunt, & perturbant, & impediunt citationem, & literarum executiones, in non modicam Ecclesiasticæ libertatis contumeliam & jacturam. Considerantes igitur, malitiis hominum non esse aliquatenus indulgendum, hoc sacro approbante Concilio duximus statuendum, ut reus, nuntios acta judicialia deferentes, per se, vel per alium verberans, spolians, vulnerans, mutilans, occidens, captivans, lite etiam non contestata, authoritate hujusmodi Concilii habeatur penitus pro convicto. Actor vero in causa reconventionis similia perpetrare per se, vel per alium non formidans, super instituta contra eum actione amplius nullatenus audiatur, & insuper uterque, ac omnes alii, qui nomine & actione eorum talia presumpserunt, usque ad condignam satisfactionem leso, & judicibus summaria cognitione super hujusmodi forefacto prehabita, percellantur adeo justis & gravibus penis, ut alii metu pene a similibus arceantur. Ita etiam, quod si tales sint Clerici, pena contra captivantes Clericos, vulnerantes, mutilantes, verberantes, & occidentes promulgata in Statutis nostris Provincialibus, & Predecessorum nostrorum huic volumini inscriptis, usque ad satisfactionem congruam districtius observetur, penis etiam a Canonibus, & Legibus talibus inflictis, nihilominus rigorose observatis.

Præterea hujus approbatione Concilii statuimus, & vobis universis & singulis Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, seu vices eorum gerentibus, per nostram Provinciam constitutis, sub pena suspensionis Ecclesie ab ingressu precipimus, & mandamus, quatenus omnes, tam Clericos, quam laicos in terminis Ecclesiarum constitutos, cujuscunque dignitatis, nobilitatis, conditionis, aut status existant, publice in vestris Ecclesiis moneatis, ne jurisdictionem Ecclesiasticam, Nuntios, mandata nostra, seu literas nostras, vel Judicum nostrorum, etiam nostrorum Suffraganeorum, & Judicum quorumcunque nostre Provincie Ecclesiasticorum, deferentes verberando, offendendo, vulnerando, mutilando, capiendo, occidendo, seu ipsas literas lacerando, vel quocunque alio modo impedire præsumant; alioquin contrarium facientes, sententiam excommunicationis incurrere volumus

lumus ipso facto, & excommunicatos a Canone nuntiamus, & ab omnibus arctius evitandos singulis diebus Dominicis, accensis candelis, & pulsatis campanis, cum vobis de hoc per evidentiam facti constiterit, etiamsi aliud mandatum nostrum, Judicum nostrorum, Suffraganeorum nostrorum, vel eorum Judicum super hoc non receperitis, in vestris Ecclesiis publice nuntietis, quousque a sententiis excommunicationis hujusmodi per Nos, vel Judices nostros, seu nostros Suffraganeos, vel eorum Judices, si in civitate vel Diœcesi, seu altera eorum excessus hujusmodi commissus reperitur, fuerint legitime absoluti. Adjicimus insuper, quod quilibet Episcopus in sua Diœcesi, prout sibi expedire videbitur, super statutis hujusmodi valeat dispensare.

Ut nullus Judex secularis quemcunque spiritualem judicet.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum laici etiam cujuscunque dignitatis, status, & preeminentie fuerint, de rebus Ecclesie disponere non habeant, multo fortius Prelatos, & Clericos, seu quemcunque de personis Ecclesiasticis, vel laicum religiosum, alicui religioni dedicatum, etiamsi nondum fuerit tacite professus, vel expresse, cum omnes tales sunt in sortem Domini electi, & a seculari potestate, & a judicio tam in criminalibus causis, quam civilibus, Christi privilegio exempti, punire; unde universis Judicibus secularibus, per nostram Provinciam constitutis, districtius inhibemus, & mandamus, ne quendam Prelatum tam regularem, quam secularem, Clericum, vel laicum Religiosum, contra Ecclesiasticam libertatem, ad cujuscunque instantiam laici, vel Clerici, vel ex suo officio ad judicium trahere seculare per se, vel Procuratorem, etiam ipsum judicare, vel sententiare presumant; Actor vero, si laicus fuerit, qui hoc procuraverit, cum Judice, ambo sint sententia excommunicationis majoris ligati ipso facto, quos sic citatos & per Judicem, aut Officialem Episcopi in Synodo Episcopali, & in propriis eorum Parochiis, ac aliis vicinis sic excommunicatos, donec parti citanti, & Episcopo loci de hujusmodi excessu satisfactionem prestiterint, publice faciat denunciare. Clericus vero, qui sic procuraverit Clericum alium ad sui, vel alterius instantiam, ad judicium evocare seculare, sit Beneficio suo meliori, si plura obtinet, in natura, in nostra Provincia ipso facto privatus: si vero unum dumtaxat, eodem etiam sit ipso facto privatus: si vero nullum Beneficium obtinet, in nostra Provincia domicilium tamen habens, aliunde veniens, hunc excessum committens in nostra Provincia, propter quem se subditum nostre jurisdictioni facit, volumus presenti constitutione esse inhabilem ad Beneficium Ecclesiasticum in nostra Provincia obtinendum, donec a Nobis, si hunc excessum commiserit in nostra civitate, vel Diocesi, seu a nostris Suffraganeis, in quorum civitate, vel Diocesi, vel alterius eorum hujusmodi excessus commiserit, satisfactione condigna fuerit cum eo misericorditer dispensatum.

De fide Instrumentorum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum ex eo, quod plerique adeo rudes & ignari inveniuntur, quod per se protocolla facere penitus ignorant, & alii se Notarios publicos mentientes, conficere instrumenta presumant, ex quibus incommoda & pericula oriuntur; quibus nos obviare volentes, prohibemus, ne pro Notario publico se quisquam gerat, vel quevis instrumenta conficiat in nostra Provincia, vel quisquam eis utatur confectis, antequam de creatione sua loci Diocesano, vel ejus Officiali fecerit plenam fidem: contrarium faciens excommunicationem incidat ipso facto, & instrumenta per eum facta sint irrita ipso facto, & alias per loci Diocesanum conficiens cum utentibus scienter pœna debita puniatur.

De Jurejurando.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum Legis veteris authoritas, & Evangelica veritas invincibilis precipiat, quod omne verbum debeat stare in ore duo-

duorum, vel trium; unde prohibemus omnibus ſpiritualibus Judicibus, ne de cetero in judiciis in quantacunque cauſa juramentum deferant deciſorium, adverſa parte volente intentum ſuum per teſtes probare fide dignos, & hoc petente.

De exceptionibus a loco non tuto.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quoniam exceptio de loco non tuto nonnunquam ad fugam ab opponente confingitur, ut ejus ope evitetur judicium, & conquerens defraudetur, quod ſicut experientia docuit, plerumque fieri conſuevit coram Executoribus noſtre Provincie. Quamvis exceptio eadem adeo videatur legitima, quodſi repulſa fuerit, licite valeat appellari. An igitur Executor ſtatutorum exceptionem hujusmodi coram eo propoſitam teneatur admittere, vel repellere, non immerito dubitatur; unde juxta prudentum conſilium, & doctrinam, duximus ſtatuendum, quodſi quis coram Executore locum, ad quem citatus exiſtit, ſibi aſſerit non ſecurum, petens ſibi locum alium tutum,& idoneum aſſignari, quod idem excipiens ad mandatum Executoris debeat exprimere coram eo, quid in illo ſecuro, quem poſtulat, velit proponere vel probare. Et, ſi tale quid exprimere juſſus contumaciter recuſaverit, extunc Executor in negocio propoſito, tali exceptione non obſtante, procedere non obmittat. Si vero aliquid, vel aliqua dixerit exprimendo, Executoris reliquantur arbitrio, an ſuper tali, vel talibus expreſſis ſit exceptio admittenda, & locus alius ſecurus ſuper expreſſis, & propoſitis aſſignandus: nam forſan expreſſa reperientur frivola, vel impertinentia, aut talia, de quibus Executor intromittere non valebit, & ſic per expreſſionem talium facilius poterit opponentium fraudibus obviare. Ita tamen, quodſi fuerit exceptio ſuper loco non tuto probanda coram Executore loci, ubi proponitur, probatio ejus fiat,

De Appellationibus.

Albertus Archi Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quia ſepe contingit, in cauſa appellationum ad Nos a noſtris Suffraganeis appellari, vel ad ipſos a Judicibus eis ſubjectis interpoſitis a ſententiis diffinitis provocari per Superiores: cum omnia ſecundum formam juris attemptata, & abſolvi appellantes,& ipſis revocatis predicti appellantes in deluſionem juris, judicum, & partis appellate, a proſecutione ſue appellationis deſiſtunt. Ne igitur proviſio facta ad remedium, ut experimento didicimus, tendat ad noxam; ſtatuimus, ut ſi infra duos menſes poſt revocationem hujusmodi, ipſi appellantes proſequi appellationes ſuas non curaverint, extunc per inferiores Judices, a quibus appellarunt, in priſtinas ſententias retrudantur, tamdiu eisdem ligati publice nuntientur, quousque, juſta cauſa ceſſante, ad appellationum ſuarum proſecutionem moram ſuam expiando, redire feſtinent, vel pareant judicatis.

Rubrica de vita & honeſtate Clericorum.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad hec, quia Clerici vagabundi, qui Ebirhardini dicuntur, quorum vita Deo odibilis eſt, Clericos, & ipſos laicos ſcandalizant, diſcurrendo per terras, in villis, que carent propriis Sacerdotibus, celebrare preſumunt, ſeu quod verius, quantum in ipſis eſt, prophanare Divina Officia; ſtatuimus, ut tales ad mandatum Dioceſani, vel loci Archidiaconi teneantur in cuſtodia carcerali, ad hoc, ſi neceſſe fuerit, invocato auxilio brachii ſecularis, ſalvis nihilominus conſtitutionibus contra tales per Sedem Apoſtolicam promulgatis.

Rubrica contra Clericos militares.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Contra Clericos militares, & preſertim in Sacris conſtitutos, qui Clericali ſcemate derelicto, comam nutriunt, & geſtan-

gestantes habitum laicalem, coram Prelatis suis, & in Ecclesiis, in quibus habent beneficia, neque reverenter incedunt; demum post tyrocinia, & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum pristinum resumentes, ad beneficia priora se admitti impune desiderant, sic terram viis duabus ingredi non verentur; hoc Sacro Concilio approbante, statuimus, ut apostatantes hujusmodi, si, antequam a suis Prelatis, sive Capitulis evocati, & prius habitis beneficiis fuerint spoliati, ad suas Ecclesias, seu Prebendas redire voluerint, non aliter admittantur, nisi discipline claustra, vel carcerem tanto tempore sustineant, quanto a suis Ecclesiis eos constiterit taliter aberrasse. Ne minus satisfactionum prolixitas, quam prevaricationum diuturnitas prorogetur: & sic reversi debent ultimum in Capitulo, & in Choro, Processionibus, & aliis actibus locum duntaxat perpetim obtinere.

De cohabitatione Clericorum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Attendentes, quod omnibus Dei Ministris, & in ejus sortem sua Divina providentia electis, & omnibus Religiosis sit a Sacris Canonibus preceptum, ut non solum abstineant a malo, sed etiam ab omni specie mali. Unde quoslibet Canonicos tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum nostre Provincie, ceterosque Beneficiatos, hortamur, & in visceribus Christi obsecramus, ne ammodo in stubis venalibus, & publicis balnea recipiant, ubi suspectarum personarum presentia se prebet frequenter scandalose; sed in stubis suarum Ecclesiarum, aut in propriis curiis suis, personis suspectis balnea sua faciant longe exclusis: que in singulis Ecclesiis nostre Provincie Cathedralibus, & Collegiatis, si non habentur, volumus edificari, vel si sunt defectuosa, infra mensem restaurari, & debitis temporibus calefieri mandamus, & de quindena in quindenam precipimus deputatis consuetis, & honestis ministris pro Canonicorum, & Clericorum usu balneandi. Religiosis universis nostre Provincie in Monasteriis degentibus, quibus urbium & populi frequentia, locorumque publicorum aditus est interdictus, omnino prohibemus presenti nostro statuto, ne quis eorum audeat de cetero in stuba prefata, extra septa Monasterii sui, balnea publica subire: sed habeant stubas suas communes, ut Ecclesie Cathedrales, & Collegiate, in Monasteriis suis, & pro Conventu suo, quas eis calefieri jubemus, ac in eis de quindena in quindenam deputatis, etiam consuetis, & honestis ministris pro Religiosis balneantibus obsequiis exhibendum. Presens etiam statutum ad Sanctimoniales nostre Provincie, prout concernit Religiosos, observandum prorogamus, proviso, quod si qui Religiosi, vel Moniales, vel infirmitate ipsorum exigente, pro remedio recuperande, conservandeque sanitatis balnea subire coguntur, pro eisdem in quolibet Monasterio parvula stubella construatur, & habeatur aptata requisitis, ut dum opus fuerit, infirmi in ea dumtaxat pro remedio, balnea suscipiant, & nullatenus sani in eis balneis uti permittantur. Religiosi vero habitantes in Parochiis, vel aliis locis, certis officiis deputati, in curiis suis habeant stubellas parvulas, in quibus seclusis suspectis personis, balneis pro munditia, seu pro remedio, cum infirmitas hoc exposcit, perfruantur. Transgressores vero hujus statuti salutaris, tam seculares, quam religiosos, volumus, si Canonici sunt, Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, vel alii Beneficiati, per suos Episcopos pena debita emendari; si vero Religiosi, vel Moniales, pena graviori, post carceralem, per suos Prelatos precipimus emendari; si autem ipsorum Religiosorum, vel Monialium Prelati pro hujusmodi excessibus corrigere neglexerint, Episcopus loci ipsorum negligentiam severitate debita supplebit contra delinquentes observata.

Rubrica de Concubinariis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Attendentes, quod scriptum est, & dictum, precipue Sacerdotibus, & Clericis universis in Sacris constitutis: (*) *Sancti estote, quia Sanctus ego sum.* Precipimus hujus Sacri approbatione Concilii,

(*) Levitici XI, 44.

cilii, ut Sacerdotes universi, & Clerici in sacris Ordinibus constituti, & alii simplices, Dei servitio mancipati, studeant caste vivere & continenter, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde valeant, & mundo corpore ministrare. Si quis autem Clericorum visus fuerit deinceps incontinentie vitio laborare, publice concubinam secum detinendo, vel alias sepositam in domo nutriendo aliena, fama publica hoc attestante, ita, quod vulgariter dicitur, talis est concubina ipsius, post ammonitionem Canonicam ei per suos Prelatos immediatos factam, verbo, vel in scriptis, illam prorsus de domo sua non expulerit, vel a se posite victum & amictum subtraxerit, aut ipsius consortium penitus evitaverit, officio & beneficio suo privetur. Si vero nec *sic* fetorem sue libidinis curaverit evitare, quia, crescente contumacia, crescere debet & pena, anathematis gladio feriatur. Qui vero voluptatibus inhiantes, concubinas usque ad hec tempora tenuerint publice; ne delictum preteritum transeat impunitum, eos sub tali pena duximus religandos: ut si Canonici fuerint, vel Beneficiati in Ecclesia Kathedrali, vel Collegiata, XL. diebus in claustris suis in quadragesimali cibo jejunent. Si autem hoc agere contempserint, Prepositis, Decanis, & Capitulis Ecclesiarum suarum sub anathematis pena prohibemus, ne Prebendarum fructus eis ministrent, vel ad Chorum, vel ad Consortium Capituli eos admittant, nisi digna penitentia, de qua premittitur, omni dispensatione seclusa, incepta, & peracta plenarie. Qui vero sic ammotas resumpserint, decernimus eos Beneficiis esse privandos, statuentes, ut illi, ad quorum collationem eorum Beneficia pertinent, ipsis privatis, ea personis idoneis assignent infra tempus in Lateranensi Concilio comprehensum, alioquin proximis Superiorum suorum extunc ea studeant assignare. Si vero Decani, vel alii eorum Superiorum excessum scientes, dissimulare presumpserint, ipsos volumus & pronuntiamus a perceptione fructuum suorum Beneficiorum non solum suspensos, que obtinent in nostra Provincia, sed privatos, fabrice Ecclesie, ubi Prelati sunt, applicandis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

De Clericis concubinariis ruralibus rigor superius expressus servetur, quorum Archidiaconi, si eos in suis iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officio se suspendendos, & si in presumptione permanserint, precipimus eos per Episcopos suos a dignitatibus removeri, que dignitates per eosdem Episcopos, vel alios, ad quos donatio spectat, personis idoneis infra tempus Lateranensis Concilii assignentur.

De Institutionibus.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quanquam Sacrorum Canonum statutis prohibitum inveniatur districte, ne aliquis Clericus a laico de Beneficio Ecclesiastico, in quo jus obtinet Patronatus, institui se permittat, vel se ipsum de facto instituat: vel quisquam talis electus, vel postulatus, ad aliquam dignitatem, vel officium secularis vel regularis, cujuscunque ordinis, etiam in concordia se ipsum intendat, vel procuret intrudi, non ingrediens per ostium, sed ut fur per devia aliunde, & non canonice subintrans, sed potius presentatus Episcopo, ab eo, vel loci Archidiacono investituram recipiet, prout ad alterum eorum spectare dignoscitur. Si vero aliquis fuerit electus, vel postulatus ad aliquam dignitatem in concordia, vel a saniori, & majori parte sui Capituli, seu Conventus, Episcopo presentatus, per ipsum confirmetur, & mandetur institui, electione, vel postulatione ipsius tamen prius per diligentem examinationem Canonica reperta, & pronuntiata. Si quis autem electorum, & postulatorum se in dignitatem intruserit, spiritualia, vel temporalia administrando in parte, vel in toto; omni jure quesito sibi per talem presentationem, electionem, seu postulationem, sit ipso facto privatus, nec de cetero ad illam dignitatem, officium, vel Beneficium assumatur. Volumus autem præsens statutum ad Reverendos Patres, Episcopos Suffraganeos nostre Provincie minime extendi.

Alber-

Albertus Archi Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum frequenter magis a tramite regule, & statutorum observantia divertere videntur, qui amplioribus privilegiis perfulgent premuniti, presertim Hospitalarii Fratres de Domo Teutonica, & alii Religiosi Ordinum quorumcunque, ubi laici, licet minus provide Sacerdotibus, & aliis Clericis principiantur, & quanquam eis sit prohibitum Sanxionibus Canonicis in diversis, ne ad Ecclesias Parochiales vel Capellas, quas a Sede Apostolica, non tamen pleno jure, eis subjectas, vel a Diocesano, vel suo Capitulo, suis Domibus, vel Monasteriis obtinuerunt, vel obtinebunt in futurum, unitas & incorporatas, & consueverunt per seculares Clericos regi, & a tanto tempore recte sunt, de cujus contrario memoria hominum non existit, per suos Confratres officiare presumant, sed Clericos seculares & idoneos Episcopo, sive Archi-Diacono loci, infra tempus debitum presentent, qui illos instituent tanquam perpetuos Vicarios in eisdem, ordinata ipsis portione congrua pro ipsorum victu decenti & amictu, de quo possunt etiam large hospitalitatem, Episcopalia onera supportare, & Archi-Diacono ipsorum, vel alteri Prelato ipsius loci integre de suo jure annuatim, & debitis temporibus respondere: quam portionem debitam & congruam Episcopus, vocatis supradictis, quibus Ecclesia Parochialis, vel Capella est incorporata & unita, & in eorum presentia ante institutionem presentati taxabit, & instituendo taxatam faciat per predictos Religiosos, & Fratres in sua presentia in tutioribus bonis dicte Parochialis Ecclesie, vel Capelle assignare. Et jurabunt dicti Fratres pro se, & suo Conventu exhibito mandato super hoc sufficienti, quod hujusmodi portionem dicto instituendo per pactum non minuent, vel alias quocunque modo sibi auferent in parte, vel in toto. Et si contingeret ex quacunque causa etiam dictam portionem in parte, vel in toto deperire, ipsi aliam coram Ordinario loci, & ad ejus arbitrium in loco deperdite assignare, & quod dictum Vicarium sic instituendum non procurabunt ammoveri, vel occasionem sibi dent, dictum Beneficium resignandi & dimittendi, cum talis sic Episcopo, vel Archi-Diacono, vel alteri Prelato presentatus titulum habeat perpetuum in Beneficio, nec per eos ad libitum ipsorum possit vel debeat de predicto Beneficio ammoveri, ad ista etiam tenentur predicti Religiosi ex juris dispositione & precepto, quacunque eorum exemptione non obstante.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Preterea statuimus, ne Religiosi, cujuscunque ordinis vel religionis existant, privilegiati fines suorum excedant privilegiorum, cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Si qui etiam Religiosorum per donationem, vel alium legitimum titulum jura Patronatus aliquorum Beneficiorum Ecclesiasticorum acquisierint, talia Beneficia propria temeritate suis usibus non usurpent; sed ipsis vacantibus ad ea Sacerdotes idoneos seculares, per quos regi consueverunt, non Fratres sui ordinis, vel alterius, presentent, nec bona ipsarum Ecclesiarum, corporalia vel incorporalia, seu libertates quascunque detracta suis Monasteriis, vel domibus, dignitatibus, vel officiis applicare presumant; contrarium vero facientes, sint jure Patronatus, quod habent in predictis Ecclesiis ipso facto privati. Demum, si predicti Religiosi ad Beneficia predicta curata, vel non curata, infra tempus a jure statutum, Diocesanus loci, vel Archi-Diaconus, ubi habet institutionem, vel alius Prelatus quicunque, non presentaverint talem, per quem, vel quos Ecclesia recta est, vel aliud Beneficium, ex quo propter lapsum temporis, & negligentiam sunt auctoritate presentis constitutionis jure Patronatus, quod ad ipsa Beneficia habuerunt, privati; volumus jus Patronatus ad Diocesanum loci sine omni exceptione fore devolutum. Qui, prout Ecclesie expediat, providum virum secularem & idoneum instituat, dummodo per talem consuetum sit regi, sive Curatum sit, sive non Curatum. Si quas etiam Ecclesias Parochiales, infra quarum limites, grangias, & Monasteria habuerint, terras, agros, prata, vel vineas, aut alia bona, de quibus de jure decimam solvere tenentur, in

in decimatione fraudaverint, omnes ipſis ad hoc opem, vel operam dantes, & ipſorum ſervitiis intendentes, decernimus ipſo facto ſententiam excommunicationis incurriſſe. Quicunque vero auſu temerario contra dictam conſtitutionem venerit, cujuscunque ſtatus fuerit, vel conditionis, ipſo facto ſit anathematis ſententia innodatus. Et ſi Clericus fuerit, qui talia commiſerit, opem vel operam, conſilium vel auxilium, predictis vel alicui predictorum adhibuerit perpetrandi, omnibus ſit Beneficiis Eccleſiaſticis & dignitatibus privatus, que obtinet in noſtra Provincia, ad ulteriora percipienda omnino inhabilis & indignus, laicorum etiam contra preſentem noſtram conſtitutionem in aliquo venientium filii & nepotes uſque in quartam generationem, niſi ſufficienter injuriam paſſis ſatisfactum fuerit, ad omnem honorem & dignitates Eccleſiaſticas inhabiles ſint, & eos etiam inhibemus ſub anathematis pena, quam ex nunc in omnes contrarium facientes ferimus, in Eccleſia Dei promoveri.

De Sede vacante.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quoniam in quibusdam Alemaniæ locis Fundatores Eccleſiarum, vel heredes ipſorum poteſtate, in qua hucusque Eccleſia ſuſtinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum Eccleſiaſticarum, in quibus jus obtinent Patronatus, ſibi retinentes, ex pacto tamen preſentent Clericos ad easdem; huic vulneri canceroſo, & ſimoniaco cenſure ferrum apponimus, decernentes, ut ex quo conſtiterit, Patronum hujusmodi perpetraſſe flagitium, anathemate feriatur, & ejus terra ponatur ſub Eccleſiaſtico interdicto, donec Eccleſiam liberam ſuo juri dimittat, ſalvo jure Patronatus, quod eis de jure reſervamus, quod poſſint per juris ignorantiam excuſari. Qui vero cupiditate ducti taliter a Patronis preſentationem receperint, officio, beneficioque priventur, nec ad beneficium, vel actus Eccleſiaſticos admittantur, niſi per Sedem Apoſtolicam ſecum fuerit diſpenſatum. Epiſcopi vero, aut Archi-Diaconi, aut alii Prelati jus inſtituendi habentes, qui talibus ſcienter curam commiſerint animarum, ab inſtitutione Beneficiorum, & collatione perpetuo ſint ſuſpenſi.

Albertus Archi Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferri debeant, quidam Eccleſiarum Patroni, perſonis idoneis pretermiſſis, tales ad ea preſentent, qui portione, quam talibus dant, debent eſſe contenti, reliquum ſuis uſibus totaliter applicando; unde ad hujusmodi mali pernitiem exſtirpandam ſtatuimus, quod ſi tales Clerici, ſe portione debita ſpoliari videntes, ad Epiſcopum ſuum querelam non detulerint, authoritate hujus Concilii ſint ipſo jure ſuſpenſi: & nihilominus eisdem Eccleſiis priventur per Epiſcopum, & de Plebano idoneo provideatur ipſis Eccleſiis, vel aliis Beneficiis: ſi vero ad Superiorem hanc detulerint queſtionem, ipſe Patronum per cenſuram Eccleſiaſticam ab hujusmodi moleſtatione compeſcat. Adjiciendo nihilominus, quod ſi in hoc pertinax Patronus extiterit, ad preſentationem Eccleſie talis, cum proxime vacaverit, pro illa vice duntaxat jure preſentandi ſit privatus, & Epiſcopus ea vice Patronatus jure fungatur.

De rebus Eccleſie non alienandis.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Interdicimus, ne in dignitate conſtituti, & adminiſtrationem habentes Adminiſtratores perpetui, ſeu temporales Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum etiam Monialium, & alii Beneficiati, quicunque de rebus ad eorum dignitates, adminiſtrationem, ſeu beneficia pertinentibus, potiſſime mobilibus, etiam juribus corporalibus alienare quocunque modo alienationis titulo preſumant. Verbo autem alienationis, venditionis, donationis, obligationis, permutationis, vel in emphyteuſim, ſicut in quibusdam Eccleſiis, & Monaſteriis fieri conſuevit, perpetuum contractum volumus comprehendi: nec etiam ad vitam amplius vendere preſumant, ut nunc communiter

ter consueverunt, habito etiam consensu omnium de Collegio, seu Monasterio; nisi *Diocesani* consensus, in qualibet tali venditione requisitus, accedat, & fuerit obtentus. Et si quid contra premissa fuerit, vel alterum ipsorum attemptatum, & factum, ex nunc irritum decernimus & inane. Foresta quoque nemorum secari, & piscinas evacuari non faciant, sine fratrum consilio & assensu: si fecerint, in usum Monasterii, seu Ecclesie, pretium committatur. Abbas vero, vel Officiati cujuscunque Monasterii, si de rebus Ecclesie quicquam citra formam Canonicam alienare presumpserint, etiam ad dignitatem suam divisim, vel conjunctim pertinentibus, ipsum Superior, cum id certis claruerit argumentis, a suo in continenti deponat officio, nec de cetero ad dignitatem aliquam, vel vel administrationem admittatur, nisi secum sit per loci Episcopum misericorditer dispensatum: authoritate presentis Concilii decernentes, ut in mutuo contrahendo, nec non obligatione, Sacri Canones observentur, qui eos creditores tantum appellant, qui probant mutuum in utilitatem Ecclesie cecidisse.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ceterum nonnulli Ecclesiarum Advocati spe defensionis earum in Advocatos ea conditione primo assumpti, quod de certis stipendiis & servitiis spontanee deputatis eisdem, ipsarum Ecclesiarum jura, possessiones, & homines defendere debeant, facti sunt ex defensoribus offensores: eo, quod tam immoderatis exactionibus & servitiis angarient homines, quod non possint propriis Dominis persolvere census suos, aliasque illicite dividentes Advocatias in partes, inferioribus suis eas in grave ipsarum Ecclesiarum dispendium inpheodare presumant. Quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate; statuimus, quod sponte assignatis sibi primo stipendiis & servitiis sint contenti, prout coram Imperio est obtentum, sententia Principis approbante; alias & Ecclesiarum jura, possessiones, & homines defendant, & protegant, ut tenentur: nihil aliud in eorum potestatibus, juribus, & possessionibus, & hominibus usurpantes, reintegrent Advocatias, quas in partes dilacerasse, & inferioribus inpheodasse noscuntur; pheodatarii vero eas taliter occupatas dimittant. Quod si non fecerint infra mensem moniti per Ordinarios, vel alios suos inferiores; ipse Advocatus, & pheodatarius suus ad id faciendum per excommunicationis, & interdicti sententias compellantur. Demum statuimus, ut si quis Ecclesiarum, vel Clericorum bona, sive homines, temere invaserit, spoliis, incendiis, vel rapinis, aut tollendi pignoris occasione aliqua, quam contra alicujus Ecclesie Advocatum se proponit habere, secundum statuta edita contra invasores rerum & personarum Ecclesiasticarum, contra tales procedatur, & usque ad satisfactionem condignam observentur.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Hac Constitutione sanximus, cunctos Ecclesiarum Advocatos, infra Provincie terminos constitutos, cujuscunque preeminentie sint, aut status, eisdem debere juribus esse contentos, que ipsis, seu eorum antecessoribus fuerint concessa tempore, quo Advocatiam unius susceperint, & Ecclesias, quarum Advocati existunt, defensare studeant, & manutenere pro posse.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Insuper statuimus, ne persona quantumcunque nobilitate, aut preeminentie statu presulgeat, Ecclesias, aut Ecclesiastica bona, jura, jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas, districtus, predia, vasallos, litones, servos, & alios subditos quoscunque eorum, violenter, auctoritate propria occupare, aut occupando invadere, vel scienter occupantibus Ecclesias, aut bona Ecclesiastica predicta presumant prestare quomodolibet per se, vel per alium, aut alios, consilium, auxilium, & favorem. Et nisi requisitus infra mensem Ecclesie lese, aut Prelato ipsius damnum illatum emendaverit, ipso facto anathematis vinculo sit innodatus, nec absolvatur per suum Episcopum, nisi satisfecerit, & cautione prestita Episcopo suo de similibus imposterum non committendis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Hoc sacro approbante Concilio districtius inhibemus, ne aliquis Episcopus, vel Prelatus, Capitulum, vel Conventus, aliqua bona immobilia sub pignoribus, que vulgariter *Underpandynghe* dicuntur, ponant, aut obligent quibuscunque personis contractum alienationis rerum Ecclesie perpetuum roborandum, sine expresso consensu Episcopi, & juris solennitatibus, que in rerum hujusmodi alienatione requiruntur; alioquin factum ipsum decernimus irritum, & inane. Et Episcopos, qui hoc fecerint, ab ingressu Ecclesie suspendi, alios vero Prelatos ab officio & beneficio, personas vero alias excommunicationis sententiis ipso facto decernimus subjacere. Et mandantes nihilominus volumus hujusmodi contractus alienationis factos, etiam cum quibuscunque, cum contra juris ordinem, & preceptum sint celebrati, esse irritos, & ipso jure nullos, nec Ecclesias, Monasteria, Beneficia quecunque ad ipsorum observantiam fore obligata. Mandamus successoribus contrahentium, ut omni diligentia adhibita studeant bona Ecclesiarum suarum, Monasteriorum, seu Beneficiorum sic de facto alienata ad jus ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, seu Beneficiorum suorum revocare, in sortem computatis fructibus, quos dictorum bonorum detentores perceperunt, invocato ad hoc, si opus est, Superiorum suorum adjutorio & succursu. In premissis vero negligentes, volumus etiam pro tanta negligentia, si convicti fuerint, ab ingressu Ecclesie suspendi, inferiores vero a suis administrationibus, seu beneficiis per suos Superiores suspendendos.

Item de rebus Ecclesie, & ornatu nulli private persone obligandum aliqua concedantur, & si aliquibus sunt concessa, illa infra mensem redimere, & Ecclesie restituere compellantur.

Item statuimus, ut proventus fabrice uni vel duabus personis fide dignis in singulis Ecclesiis committantur, qui eos ad opus Ecclesie convertant utiliter, & singuli justam de ipsis, & certam Capitulo reddant rationem, & ne iidem redditus dividantur, vel ad expensas messis, vel autumni, seu extraordinaria onera convertantur. Obvenientia etiam de Prebendis suspensorum, & tempore suspensionis, & aliorum Beneficiatorum ad usum fabrice convertantur.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Et quoniam pauci sunt in singulis Ecclesiis, qui predia & redditus Ecclesie plene cognoscant, nisi illi, qui officia forsitan habuerunr, & multa, vel aliqua propter negligentiam officiatorum, & statum temporis inequalem, ex eo sunt perdita vel distracta; statuimus, quod predia, & redditus Ecclesiarum, jura corporalia, vel incorporalia, jurisdictiones, libertates, & servitutes quecunque Ecclesiarum, Monasteriorum communes dignitatum, beneficiorum & officiorum, etiam laicorum, que Ecclesie specialiter obsequuntur, in duobus libris conscribantur, & quibus terminis redditus premissorum sunt emovendi, & colligendi, ac quibus usibus exponendi: quorum unus ponatur in loco Ecclesie, vel Monasterii tuto & tali, ubi tamen quilibet de Ecclesia vel Monasterio, cujus interest, pro suo interesse possit tempore, cum sibi incumbit, ratione sue dignitatis, Beneficii, vel officii congruum habere accessum. Alius vero liber reservetur in loco Ecclesie vel Monasterii, ubi privilegia & clenodia alia reservantur, tutiori.

Rubrica de emptione & venditione.

Nullus etiam predam aliquam scienter emere, vel retinere presumat; alioquin, nisi ipsam statim restituat, excommunicationis sententia percellatur.

Rubrica de pignoribus.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallensi.

Detestanda quorundam temeritas, qui in sua causa jus sibi dicere contra Sanctiones legitimas moliuntur, nonnunquam personis Ecclesiasticis exhibet se molestam, quoniam aliquid ipsis contra Personas Ecclesiasticas habere proponunt, licet persone predicte Ecclesiastice paratas se exhibent stare juri coram suo Judice Ecclesiastico competente; nihilominus tamen iidem temerarii impignorationes,

nes, que vulgo *Pandynghe* dicuntur, frequenter in rebus & bonis ad Beneficia dictarum Ecclesiasticarum Personarum spectantibus, vel in personis ipsorum committere non verentur, unde non modica damna & injurie, cum tediis variis, bonis Ecclesiarum, Ecclesiasticarum Personarum, villis, & villanis, & subditis eorum, fraudibus exquisitis, inferuntur. Attendentes igitur, quod premisse invasiones, que, ut eorum verbis utamur, *Pandynghe* vocantur, de cetero conniventibus oculis dissimulare non debemus; unde provida deliberatione *Sacri Concilii auctoritate* sanximus, quod quicunque Nobilis, Baro, Comes, Vasallus, seu singularis persona, ipsorum Advocati, vel Officiati, aut alia quecunque persona, eorum nomine, hujusmodi *Pandinghe* fecerint, fieri mandaverint, ratum habuerint, consilium, seu auxilium prestiterint; si persona fuerit singularis, ipsam excommunicationis sententie volumus ipso facto subjacere; si requisitus per Executorem ex officio suo, vel ad instantiam injuriam passi, infra *quindecim dies*, res Persone Ecclesiastice, si ad ipsam nomine Ecclesie pertineant, vel nomine suo proprio, non restituerit integraliter & cum effectu, damna resarciant cum satisfactione de injuriis, premissa occasione illatis Persone Ecclesiastice, seu ejus hominibus, & subditis, vel ad arbitrium Executoris, infra quindecim dies sibi assignatos, contumaciter adimplere neglexerit, volumus in loco domicilii ipsius strictissimum servari interdictum lapsis quindecim diebus predictis, & cum contigerit ipsum ad alia loca pervenire nostre Provincie, & quamdiu moram traxerit in aliqua Parochia extra locum sui domicilii, in eadem Parochia, & in ejus presentia strictissimum ratione illius Parochie servabitur interdictum. Si vero Proconsules, Consules, Rectores civitatis, oppidi, castri, vel ville in premissis culpabiles reperti fuerint, per se, vel per alios hujusmodi *Pandinghe* fecerint, vel fieri mandaverint, persone singulares hoc facientes, vel mandantes, eo ipso sunt excommunicati, loca vero eorum, si intra quindecim dies requisiti per Executorem ex officio suo, vel ad instanciam injuriam passi, non satisfecerint, prout supra est expressum, Ecclesiastico subjecti sunt interdicto.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallensi.

Contingit interdum, quod Rectores, seu majores civitatis, aut oppidi alicujus contra Dominos suos, ad quos civitas, aut oppidum spectare dignoscitur, spiritu rebellionis assumpti, civitatem, vel oppidum alterius Domini ditioni subjiciunt & submittunt, ad hoc etiam sibi constituentes, in signum, & recognitionem submissionis, de certa summa pecunie annuam pensionem: quod plerumque ex ea causa se facere dolose pretendunt, ut tam in rebus, quam in personis tuitionis, & defensionis presidio tueantur; unde igitur ex presumptione hujusmodi versus Dominis damna gravia inferuntur, ipsique presumptores occasione hujusmodi fraudulenta a consuetis Dominorum suorum servitiis se subducunt, ut debite fidelitatis vinculum dissolvatur, & dissensiones exinde, & scandala suscitentur; unde statuimus & sanximus, quod quicunque submissiones hujusmodi in civitatibus, oppidis, castris, jurisdictionibus, juribus, aut quibuscunque ad Ecclesiam alienam nostre provincie spectantibus, quocunque colore quesito, facere presumpserint, perpetuo sint in . . . & pheudis, si que a quibusvis Ecclesiis Magdeburg. Provincie obtinuerint, ipso facto privati. Et singulares persone, si que talia fecerint, aut rata habuerint, aut ad ea prestiterint consilium, auxilium, aut favorem, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & si civitas, oppidum, castrum, vel villa fuerit, quod taliter alieno Domino est submissum, Ecclesiastico subjaceat interdicto.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallens.

Insuper & is, qui submissionem causa illicita, aut alicujus utilitatis, aut commodi temporalis cupiditate seductus, aut appetitu dominandi presumptuose deceptus, vel ad hoc quavis alia causa allectus, ad se receperit, a tali submissione infra mensem omnino recedere, atque infra eundem mensem, quidquid ad eum hujusmodi submissionis occasione quocunque modo pervenit, totaliter restituere teneatur, alioquin excommunicationis sententiam incidet ipso facto: volumus

lumus autem, quod hoc ſtatutum locum non habeat in precedentibus, ſed in futuris.

Sequitur de Teſtamentis.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Clericus de proventibus anni gratie, vel alias de rebus, intuitu Eccleſie, aut Beneficiorum ſuorum acquiſitis, concubine ſue, vel filiis ex fornicatione genitis, quidquam penitus non relinquat: quodſi fecerit, legatum non teneatur, & quod taliter eſt relictum, Eccleſie applicetur.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad abolendam de Domo Domini conſuetudinem, & potius corruptelam, ſeu temeritatem, qua Clerici *qui* ſignum pudicitie deberent oſtendere laicis, quibus ſunt poſiti in exemplum, in argumentum ſue finalis impenitentie, fructus Prebendarum ſuarum concubinis, vel ſpuriis ſuis legant in ultima voluntate, rigor Eccleſiaſticus debet exerceri; quare ſub anathematis vinculo prohibemus, ne de cetero Clerici gratie annis abutentes, cum de rebus Eccleſie nullum poſſint condere teſtamentum, fructus Beneficiorum, etiam Eccleſiaſticorum, ſpuriis & concubinis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire preſumpſerint, in ſignum ſue perditionis Eccleſiaſtica careant ſepultura, & quibus taliter fructus legant, eis careant ipſo jure: qui autem teſtamentum tale poſt mortem defuncti manutenere volunt, & per quorum manus perſonis illis fructus Prebende fuerint miniſtrati, Eccleſia ipſius manutenentis, vel miniſtrantis ſit ſuppoſita interdicto.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad hec quia quedam in quibusdam partibus conſuetudo, immo corruptela deteſtabils obſervatur, videlicet, quod tam Clericus, quam laicus in lecto egritudinis conſtitutus, ultra quinque ſolidos uſualis monete, vel aliam ſummam, juxta illius loci conſuetudinem limitatam, nec piis locis, nec perſonis Eccleſiaſticis pro anime ſue remedio, & ſalute aliqua poſſit ordinare, & donare legata; conſiderantes, predictam conſuetudinem, & Sacris Canonibus, & ſecularibus legibus obviare, & cum omnia jura clament, quod ultima voluntas, vel ultimum hominis teſtamentum immobile perſeveret, & nihil ſit, quod hominibus magis debeatur, quam ut ſupreme voluntatis liber ſtylus exiſtat; eandem conſuetudinem Deo odibilem, animabus, & bonis moribus inimicam, auctoritate hujus Sacri Concilii penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut ubicunque jura a teſtamentorum non prohibent factione, & in ſanitate, vel in lecto egritudinis conſtituto legandi, donandi, diſponendi, & ordinandi de bonis ſibi collatis circa pia loca, & perſonas Eccleſiaſticas, dummodo ſuos legitimos non pretereat heredes, libera ſit facultas: volentes & precipientes diſtricte, ut per locorum Epiſcopos, & ceteros Prelatos, jurisdictionem habentes, univerſi Clerici & laici impedientes defunctorum legata, ſeu ultimas voluntates, per excommunicationis in perſonas, & interdicti in loca ſententias, octo dierum monitione premiſſa ferendas, ab hujusmodi impedimentis deſiſtere compellantur. Ad quarum executiones, & debitas aggravationes, precedente tempore faciendas Epiſcopi & Prelati, ad quos teſtamentorum defenſio, utroque jure ſuadente, dignoſcitur pertinere, tam benevolos ſe exhibeant & paratos, ne hujusmodi negligentia de eorum manibus in die diſtricti judicii requiratur.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus, & a cunctis precipimus immobiliter obſervari, ut manufideles ad exequendas ultimas decedentium voluntates electi, antequam de rebus, ſeu bonis defuncti ſe aliquatenus intromittant, inventarium faciant ſub fidedignorum teſtimonio de eiſdem, ac infra annum cuncta diſponant ſecundum placita defunctorum, atque per locorum Diocef. diſtrictiſſime compellantur. Clericos vero, & laicos hoc ſtatutum ſalutare violantes in toto, vel in parte, volumus penis Canonum, & legum fore ſubjectos, quibus in premiſſis delinquentes tenentur aſtricti, & notam infamie incurrere ipſo facto.

Ra-

Rubrica de Sepulturis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg

Cum Sacris Canonibus sit consonum, ubi quis vivus receperit Ecclesiastica Sacramenta, quod ibi etiam mortuus requiescat; omnibus Christi fidelibus, qui sepulti fuerint in suis Ecclesiis, Parochiis, Dei Omnipotentis misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & Beati Mauritii Patroni nostri, & Sociorum ejus confisi, in relevamen suorum peccaminum XL. dies indulgentiarum de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad nostrum pervenit auditum, plurimos nostrorum subditorum, & maxime, qui Rectores sunt Ecclesiarum, & Curati Parochialium, quod quidam Domini temporales, Duces, Comites, Barones, Vasalli, civitatum, oppidorum, castrorum, & villarum Potestates, Advocati, Rectores, Proconsules, Consules, Altermanni, seu Vitrici Ecclesiarum Parochialium, & Capellarum, Campanarum Ecclesie, & ornatus dominium sibi adscribentes, in damnationem suarum animarum, & Ecclesiastice libertatis derogationem, suam potestatem ad ejs prohibita extendentes, tempore interdicti in solennitatibus Ecclesie majoribus, in Kalend. eorum, seu nuptiis divitum, & potentum, cum funera traduntur sepulture, vel eorum peraguntur exequie, vel cum anniversaria fiunt, vel memorie Defunctorum, campanas pulsare, & alias solennitates facere, ornatum Ecclesie exponere, ac si Ecclesia, & Cimiterium ejus nullo Ecclesiastico subjaceret interdicto: etiam tempore interdicti diebus solennibus, Palmarum, Pasche, Ascensionis, Pentecostes, & aliis Festivitatibus, in quibus statuit Ecclesia Processiones fieri solennes, & observat in locis non interdictis: laici hujusmodi Processiones eis vetitas cum Crucibus, vexillis, & Reliquiis facere presumunt, etiam tempore interdicti, Sacerdotum sibi officium assumentes, claves Ecclesie contemnendo; unde presenti statuto sanximus, ut nullus Dux, Comes, vel Baro, vel quicunque alius laicus, presumat, tempore interdicti hujusmodi processiones mandare, ut fiant, facere per se, vel interesse: transgressores hujus statuti, & contrarium facientes, volumus sententia excommunicationis majoris ex facto esse ligatos, & loca, in quibus hujusmodi processiones fiunt, subjacere interdicto, donec Episcopo loci satisfaciant de tanto temeritatis excessu, & caveant sibi idonee, nec de cetero consimilia attemptent. Cum laicis nulla sit attributa facultas de rebus Ecclesie disponendi, quibus manet perpetua obligatio Ecclesie obsequendi: quia nonnulli Principes, & Barones nostre Provincie, ac alii temporales Domini in castris, oppidis, & villis, seu communitatibus eis subjectis, nec non Proconsules, & Rectores hereticis, & ipsis penitus interdictis jure Divino pariter & Canonico, se abstinere, ut tenentur, non formidant: statuta super modo offerendi, & funerum exequias peragendi in suis civitatibus, castris, oppidis, & villis statuerunt in suarum animarum periculum & damnationem, primo, ut defunctorum exequie nonnisi certis diebus possint peragi in septimana, nam in pulsibus, Missis, & quod certe Misse celebrantur pro animabus eorum, & non plures, ac etiam quotiens Offertorium fieri debet ad Missas predictas, & quod unico pulsu omnibus peragendum in uno die, vel diebus per eos statutis in septimana sufficiunt, in Ecclesiis, in quibus defunctorum anniversaria, vel memorie quecunque peraguntur. Sacro igitur approbante Concilio statuimus & ordinamus, ut quicunque Nobiles, Barones, & persone singulares in civitatibus, oppidis, castris, villis, seu civitatum, oppidorum, castrorum, aut villarum Proconsules, Consules, Rectores, aut alio quocunque nomine censeantur, per se, vel per alios hujusmodi statuta fecerint, vel facta servaverint, nisi infra mensem post requisitionem eis factam per Executorem statutorum illius Dioces. ubi talia facta fuerint, & servata predicta statuta, si sic dici merentur, cum verius sint corruptele, & laquei animarum, ab earum observatione penitus destiterint, ipsis tamen de libris Capitularibus suis, prius omnino deletis, & caveant Executores idonee, quod talia Statuta de cetero non statuant, nec edita & statuta observent; contrarium

rium facientes persone singulares, post lapsum dicti mensis excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, loca vero, in quibus hujusmodi statuta edi & servari contigerit, Ecclesiastico post mensem predictum subjaceant interdicto.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Desiderantes Divinum cultum non minui, sed augeri, & Ministros Ecclesiarum in Divinis Officiis peragendis nullatenus impediri, statuimus, quod Rectores Ecclesiarum, quibus celebratio Divinorum, & cura populi est commissa, ad pulsandum, vel pulsari faciendum pro conventione populi ad Divinorum auditionem, & ad talia, que salutem respiciunt animarum, liberam, quacunque eis hora placita & congrua, habeant potestatem, nec a tali libertate, a quocunque possint vel debeant prohiberi, cum indignum valde sit, ut talia ex arbitrio pendeant alieno, ut videlicet per quemquam laicum, vel laicos certa forma, aut hora minus congrua imponatur. Si quis autem contrarium hujus statuti attemptare presumpserit, prohibitionem, aut impedimentum aliquod inferendo, nisi, monitus per Rectorem Ecclesie cessaverit infra mensem, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat. Non obstante, si quid consuetudine in contrarium allegetur, que cum Ecclesiis sit onerosa, merito est reprobanda juxta Canonum Sanctiones.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Nos Sanctorum Patrum, qui Ecclesie Sancte Dei, & Personis Ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, Statuta considerantes, hujus Sacri approbatione Concilii universis Sacerdotibus tam Religiosis, quam secularibus cujuscunque ordinis, conditionis, sive status existant, in civitatibus, Diocesi, vel Provincia Magdeburg. degentibus, sub debito juramenti, quod Episcopo in receptione Sacerdotii prestiterunt, & sub interminatione Divini Judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Episcopum, vel loci Archidiaconum, seu ejus super eo Vicarium alii est commissa, presumat excepta necessitatis causa, que legem non habet, ad confessionem recipere, vel ad porrigendum ei aliquod Ecclesiasticum Sacramentum; nisi petita, & obtenta desuper licentia proprii Sacerdotis: cum certi, & indubitati juris existat, talem a tali aliqualiter solvi non posse, vel ligari, & ex hoc ordinem Ecclesie per majores & Sanctos Patres institutum timendum est confundi: quod per universos Plebanos singulis diebus Dominicis, & Festivis coram suis Parochialibus precipimus publicari.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallensi.

Insuper statuimus, quod Clerici Parochialium Provisores, vel vitrici, qui Altermanni in vulgari vocabulo nuncupantur, de rebus Ecclesiarum, que recipiunt & expendunt, ad requisitionem Rectoris Ecclesie, quem ad hanc in virtute sancte obedientie duximus adstringendum, bis in anno in presentia ipsius Rectoris, & quorundam aliorum de Parochiis honestorum virorum, rationem reddere teneantur, ut & de predictorum consilio & consensu res Ecclesiarum ad usus earundem congruos, & decentes utiliter convertantur, ac pariter Nos, & aliorum locorum Episcopi, quibus Ecclesiarum cura & solicitudo imminet, super rebus Ecclesiarum per Rectores ipsos super hoc requisitos possimus apertius informari.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum Sanctorum Imaginibus propter illorum reverentiam, quos figurant, locus dignior debeatur; ob hoc presenti statuto prohibemus, ne in civitatibus, oppidis, castris, vel villis, vel eorum plateis, sive in viis ante civitatem, oppida, castra, vel villas; etiam in locis aliis quibuscunque, nemo de cetero presumat Imaginem Sancte Crucis erigere, sive alias imagines pictas, incorporeas, seu corporeas, in aliqua materia, sub tectura, vel sine tectura, & oratoria facere sub quocunque colore, cum homines sepe per tales imagines, & Cruces ad idololatriam alliciantur committendam, sine Diocesani, vel ejus Vicarii in Spiritualibus consensu expresso. Etiam prohibemus sub anathematis vinculo, vitricis Ecclesiarum, seu Altermannis, ne de cetu fidelium eleemosynas petituri, manibus

nibus suis Sanctorum Imagines, vel Reliquias cum tabulis, vel preter tabulas secum delatas, circuire diebus festivis, & celebribus de cetero presumant, diebus Dedicationis, ac Patroni ipsius Ecclesie dumtaxat exceptis, & tunc demum post Offertorium majoris Misse; cum ista omnia ex avaritie radice procedere videntur indubie, & ipsorum Plebanorum, seu Curatorum, & Capellarum Rectoribus damna non modica inferant, & suo jure defraudant: cum omnes oblationes facte in Parochia, vel infra limites ipsius, in loco quocunque, etiam speciei cujuscunque, Plebano Ecclesie pertinent, & de jure communi debentur. Etiam prohibemus laicis quibuscunque, presertim Vitricis Ecclesiarum, & Altermannis; ne de cetero in Ecclesiis Parochialibus, etiam Capellis, vel ante in cimiteriis presumant imagines ponere, & Offertorium factum coram eisdem recipere, quocunque quesito colore; etiamsi ad hoc Plebani, Curati, vel Capellarum Rectorum expressus accedat consensus: cum tales sint a Canonibus condemnati. Etiam si que tales imagines jam temporibus retroactis posite in locis predictis; illas volumus infra mensem per Vitricos Ecclesiarum, seu Capellarum demoliri, & oblata coram talibus imaginibus volumus Plebano, seu Curato, vel Rectori Capelle pro medietate ad usum suum presentari, reliquam medietatem volumus Fisco Dioces. loci integre applicari. Et super premissis volumus per Officiales Episcoporum nostre Provincie diligenti executione invigilare.

Albertus Archi Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Licet jure communi preceptum sit & mandatum; ut quilibet Christi fidelis utriusque sexus debeat & teneatur singulis diebus Dominicis, anni cujuslibet, & aliis diebus solennibus Missam integram in sua Parochia, & majorem, seu Parochialem integre audire, & Verbum Dei, ad quod quemlibet nostre Provincie Curatum predicandum suis subditis per se, vel alium idoneum nomine suo, eosque ad audiendum obligamus.

De Statu Monachorum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus insuper, ut in singulis Monasteriis facte Monialium fenestre parlatorie, que ad loquendum sunt deputate, & precipue, per quas habent confiteri, duplicata habeant ferramenta, nec alicui virorum permittatur, Moniales visitare potissime Monasterium ingrediendo, sed cum opus fuerit, parentes admittantur & Medici; cum aliqua fuerit gravi infirmitate detenta, & ei suffragio Medici sit opus; tunc tantum Medicus cum laudabili testimonio, Preposito presente, durante infirmitate, quotiens opus fuerit, egrotam visitabit. Nec alicui Moniali nostre Provincie liceat clausuram sui Monasterii egredi, pro quacunque causa, sine licentia sui Diocesani Episcopi; etiamsi fuerit exempta, nisi in causa Decretalis: Indemnitatibus, Bonifacii octavi.

Prohibemus etiam, ne de cetero Moniales nostre Provincie in Monasteriis, vel Ecclesiis suis sub quocunque colore, in memoriam alicujus Sancti, vel presumpte consuetudinis, in suo proprio habitu, vel alieno, ludos facere presumant, sine larvis, cum larvis: nec etiam per extraneos ludos aliquos, seu spectacula quecunque fieri permittant. Similiter prohibemus, & vel in visceribus JESU CHRISTI obsecramus, ne tempore oblationis Sanctimonialium, & cum vestiuntur, vel quocunque alio tempore, comessationes, seu choree fieri in Monasterio permittantur, nec aliquo tempore secularibus personis, quantumcunque Monialibus propinque sint mulieres, vel puelle, infra claustra & septa Monialium pernoctandi hospitium prebeatur. Etiam ipse Moniales in licitis & honestis suis Prepositis, & Prelatis obediant reverenter, nec alicui, preter Episcopi sui, vel ejus Vicarii in Spiritualibus licentiam requisitam & obtentam, sua peccata confiteri presumant; Nihilominus unicuique Preposito Sanctimonialium nostre Provincie districte precipimus, ut claustra eis commissa fideliter servent sub clausura: portas, per quas consuevit fieri accessus ad eas, ab extra claudant firmibus seris, & clavibus, apud se diligenti custodia reservatis, nec cui-

cuiquam aperiant, nisi in casibus superius expressis. Si autem Abbatissa, sive Priorissa, vel Prepositus, contra premissa fecerint in parte, vel in toto, presens statutum violando; Abbatissam, Priorissam volumus ab officio, seu sua dignitate cecidisse ipso facto, Prepositum ab ingressu Ecclesie suspendi; donec a suo Diocesi. vel ejus Vicario in Spiritualibus meruerit relaxationis beneficium obtinere. Nota, si non placet ista pena adjiciatur, quod Abbatissa debet deponi, & Prepositus per suum Diocesi. debet suspendi.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Compaternitatem a Monachis & Monialibus contrahi districtius prohibemus, statuentes, ut, si aliqua claustra Monialium ad inopiam tantam devenerint, quod ibi de proventibus Monasterii sustentari non possint, & ab amicis panis, vinum, denarii, vel aliquid hujusmodi mittatur eisdem, non ipse Moniales hoc recipiant, sed Abbatisse, vel Magistre sue id significent, ut de ejus arbitrio eque, secundum Deum, & observantiam Regule, de talibus disponat, & ita, quod in communes usus convertantur, & distribuantur unicuique, prout opus est. Istud statutum etiam a Monachis volumus observari.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Prohibemus etiam Monialibus, statuentes, ut sacri Canones jam prohibuerunt, ne aliqua Monialis de cetero Professa, vel non Professa, aliquod artificium, vel manuum suarum opus exerceat causa lucri, seu negotii cujuscunque, nec pursas, cyrothecas, vel alia similia faciat, etiam amicis, nec aliis, ut gratis tribuat, vel impendat. Nam non decet viam Dei agnovisse, & post agnitam optimam partem deseruisse, nisi paupertatis defectus ipsas ad laborandum, redditibus Monasterii destructis, districtius compelleret, & amicorum suffragio destitutas.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad hec, quia juvencularum Reginarum (*) lapsus frequens, & evidens, statum religionis deformat, & plurimos scandalizat; statuimus, ut nulla de cetero in earum numerum admittatur, nisi quadragesimum etatis sue annum excesserit, & probata a pennis existat, sexagenarium numerum, quem scripsit Apostolus, talibus assumendis, propter fragilitatem nostri temporis ad quadragesimum numerum restringens.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Sub pena etiam anathematis prohibemus; ne Clericus vel Religiosus quispiam introeat in domum earundem: sed, si quis ex justa causa & honesta cuique earum loqui voluerit, hoc in Ecclesia sub bono testimonio faciat manifeste, ne sinistra contra ipsos suspicio oriatur: alioquin gravi subjaceat ultioni, quam talibus per Diocesanum loci precipimus infligendam.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Sectam & habitum, nec non conventicula suspicione mali non vacua *Bobechardorum*, clamantium per plateas & vicos civitatum, oppidorum, & villarum hoc vulgare: *Brot durch Got;* nec non quaslibet alias singularitates a Sancta Dei Ecclesia non receptas colentium reprobamus, mandantes sub pena suspensionis universis Prelatis per civitatem, Diocesi. & Provinciam Magdeburg. constitutis, ut tales *Bobechardos*, & Vicarios publice tribus Dominicis diebus & festivis ammoneant, quos & Nos presentibus ammonemus, ut, hujusmodi singularitatibus derelictis, se teneant, sicut alii Christiani, & quod non predicent in cavernis, & in aliis locis publicis, & cum Beguinis se conformantibus eisdem moribus, habitu, & incessu. Alioquin extunc ipsos extra terminos suarum Parochiarum per excommunicationis sententiam, authoritate hujus Concilii, repellere non obmittant, denuntientque vicinis Sacerdotibus, ut tales sic repulsos in suis Parochiis non admittant. Idem de Beguinis pestiferis duximus statuendum.

Rubri-

(*) *forte*: Beginarum.

Rubrica de Capellis Monachorum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Firmiter prohibemus presentis Concilii authoritate; ne Episcopi, vel Archi-Episcopi concessionibus Ecclesiarum, que fiunt Hospitalariis, vel aliis Religiosis, cujuslibet approbationis consensum ullo modo exhibeant, donantes eis Parochiales Ecclesias, Capellas viventes incorporantes, seu quevis alia Beneficia; nisi requisito prius & habito consensu Capituli Ecclesie Cathedralis. Aliter concessionis hujus donationes, uniones, incorporationes, sive factas, sive de cetero faciendas, vires non decernimus habere.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concilio Magdeburg.

Quia plerumque Religiosi, & presertim de ordinibus Mendicantium, jam derelictis suis Monasteriis, aliqui in apostasia, alii vero habitum sue religionis deferentes, alii de consensu Superiorum sui ordinis, alii propter eorum scitum & consensum, cum sint terminarii, certis locis deputati, regimen Parochialium Ecclesiarum suscipiunt, curam populi gerentes, ipsis Sacramenta Ecclesiastica ministrando, baptizantes, matrimonia celebrantes, corpore Christi & sanguine sacrosanctis eos reficientes preter Archi-Diaconi, & precipue Diocesani loci consensum & authoritatem, alii Curatorum ipsorum de consensu, alii populi de consensu Parochialis. Cum igitur predicti Religiosi, precipue Mendicantes, regimen populi suscipere, & exercere, & Sacramenta ministrare prohibeantur; quapropter presentis statuti authoritate, Sacro Concilio approbante, prohibemus; ne predicti Religiosi, & presertim Mendicantes, presumant de cetero regimen alicujus Parochialis Ecclesie suscipere, & curam gerere. In contrarium facientes, nisi infra quindecim dies, moniti per Diocesanum, vel ejus Vicarium in Spiritualibus destiterint, sententiam excommunicationis ipsos & quemlibet eorum volumus incurrere ipso facto, & ab officio, quod authoritate Clementine debent exequi in Dioces. certa, & civitate, volumus esse privatos, nec de cetero ad illud officium exercendum in nostra Provincia per quemquam Curatorum admittendos.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad exstirpandam detestabilem corruptelam, & abusum quorumlibet Patronorum nostre Provincie spiritualium, seu secularium, quam quidam eorum hucusque temeritate propria, in derogationem Ecclesiastice libertatis, & animarum suarum grave dispendium observare presumpserunt, & observarunt, domos, curias, habitationes, & dotes Ecclesiarum, precipue Parochialium, Capellarum, & aliorum Beneficiorum spoliando, mobilibus rebus inventis in dictis domibus, curiis, habitationibus Ecclesiarum predictarum Parochialium Capellarum, & aliorum Beneficiorum, aut in aliis locis quibuscunque, Plebanis, Curatis, Capellanis, seu Altaristis, aut aliis Beneficiatis defunctis, vel nondum defunctis, sed in agone constitutis, omni Dei timore postposito, spoliantes, & res spoliatas hujusmodi abducunt, & frequenter temporibus retroactis abduxerunt, suisque usibus applicant; presenti nostro statuto, sacro approbante Concilio, reprobamus, & condemnamus cum suis presumptoribus, sicut a jure dignoscitur reprobata. Et maxime cum tales res presumantur, intuitu Ecclesiarum acquisite, potissime mobiles, de immobilibus non hesitantibus, & debeant futuris Plebanis, seu Curatis, & eorum usibus, quamdiu fuerint Plebani, seu Curati, remanere: post mortem vero eorum, seu recessum, si dictas Parochiales Ecclesias dimiserint permutando, vel simpliciter renuntiando, nihilominus res acquisite per dictos Curatos etiam mobiles, & intuitu Ecclesiarum dictarum, sicut sacra Canonum precipit authoritas, apud Ecclesias dimittent, relinquentes usibus Successorum suorum; qui sicut & sui Predecessores in eisdem viventes, & constituti in sanitate censentur usufructuarii in rebus predictis; Infirmantes vero ad mortem, & in morte usurarii dumtaxat a jure sunt constituti; presenti ergo constitutione sanximus, ut non solum Patroni Ecclesiarum, Capellarum, & Beneficio-

ficiorum feculares, fpirituales, vel regulares, Advocati, Officiati, Dominorum temporalium, potiffime Ecclefiafticorum, feu quicunque alius, vel alii, nomine fuo proprio, feu alieno, deinde & in antea curias, & dotes, domos, allodia Ecclefiarum Parochialium, Capellarum, feu quorumcunque Beneficiorum Ecclefiafticorum, & alias res quafcunque apud quofcunque etiam exiftentes prefumpferint, etiam fub quocunque colore fpoliare, & ad fe recipere, Plebanis, Curatis, Capellanis, & quibuslibet aliis Beneficiatis defunctis, vel adhuc laborantibus in agone, res mobiles, feu immobiles abducere de eisdem, vel a creditoribus eorum monere, vel faltem arreftare, arreftatas ammonere, & detinere; fpoliatores tales ipfo facto cum eorum complicibus, in facto fpoliationis, detentionis eis auxilium prebentibus, fententia excommunicationis majoris prefenti ftatuto, & authoritate fore decernimus ligatos. Adjicientes etiam, fi tales fpoliatores, arreftatores, ufurpatores, & detentores per Archi-Diaconum loci, vel Succefforem in Beneficio hujusmodi requifiti, res fpoliatas de predictis curiis, dotibus, domibus Ecclefiarum, vel aliorum locorum, ubi fuerint recondite, infra quindecim dies poft requifitionem, dictis fpoliatoribus factam verbo, vel in fcriptis per Archi-Diaconum loci, vel in Beneficio Succefforem, integre, & fine omni diminutione reportaverint, reftituerint, feu procuraverint reftitui, & reportari, & reportent, & reftituant. Plebanis curatis, & aliis Beneficiatis in Parochiis, ubi tales fuerint vifi, & quamdiu moram fecerint in eisdem, extra domicilium eorum proficifcentes, & in eorum prefentia, & precipue in loco domicilii eorum ftrictiffimum fervetur interdictum, quod nullatenus per Executorem loci, & noftrorum ftatutorum, relaxetur, nifi omnibus ablatis, fpoliatis, & abductis integre & plene Ecclefiis, Capellis, feu Beneficiis aliis reftitutis, & reportatis: nihilominus Beneficiatis fuccefforibus in dictis Beneficiis fatisfactione exhibita, congrua, & decenti, ad arbitrium Executoris ftatutorum loci de tante temeritatis aufu, & prefumptione.

Albertus Archi-Epifcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quia plerique Ecclefiarum Patroni, qui etiam aliquotiens a jure Advocati nuncupantur, fuis terminis non contenti, ultra penfionem & redditus, feu proventus ab antiquo eis, a primeva fundatione deputatos nova jura fibi in dictis Ecclefiis, & earum bonis vendicantes, diripiunt, & ufurpant fibi bona & res dictarum Ecclefiarum; propter quod fpiritualia, que fine temporalibus confiftere non poffunt, dictis Ecclefiis fubtrahuntur: hoc Sacro approbante Concilio ftatuimus; ut hujufmodi Patroni, five Advocati, in premiffis delinquentes, per Executorem loci, ex officio ftatutorum, vel ad inftantiam partis injuriam paffe, & pro Ecclefia, feu Monafterio requifiti, a vendicatione indebita novorum jurium, fervitiorum, & exactione qualibet infra XV. dies penitus defiftant, & bona Ecclefiarum direpta & ufurpata, ut premiffum eft, integraliter, & cum effectu Ecclefiis, Monafteriis, quecunque fuerint, & earum perfonis reftituant, ac de injuriis, ac prefumptis violentiis, ad arbitrium dicti Executoris, dictis Ecclefiis, Monafteriis, & earum perfonis ipforum nomine fatisfaciant; alioquin diripientes, ufurpantes, vendicantes, exactionantes, extorquentes, & retinentes ejusmodi nova jura, feu bona, extunc ipfo facto a jure advocatie, feu Patronatus volumus, & decernimus cecidiffe, & ad eorum heredes proximiores, defcendentes in recta linea, fi fint; illis vero deficientibus, & afcendentes fimiliter in recta linea; illis etiam deficientibus, ad loci Diocef. fore devolutum, & non folum jus Patronatus, fed & omne jus, quod predicti delinquentes in dictis Ecclefiis, & Monafteriis, & earum bonis pretendebant fe habere. Idem contra Patronos Ecclefiarum, qui bona Clericorum decedentium fibi ufurpant, contra ftatuta Lugdunen. Concilii, ut a jure Patronatus, & prefentandi cadant, & nihilominus expreffas fuperius, & in prefenti ftatuto, fi requifiti fuerint, ut premiffum eft, per Executorem res, & bona decedentium Clericorum inventa & ablata, infra terminum fuperius expreffum non reftituerint, & de injuriis fatisfecerint juxta formam fuperius expreffam, volumus & decernimus incurrere ipfo facto. Hoc ftatu-

ſtatutum per locorum Ordinarios diſtrictiſſime, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, decernimus exequendum.

Rubrica de Conſecratione Eccleſie vel Altaris.

Borchardus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Hallenſ.

Et quia Eccleſiarum reconciliatio dubitari conſuevit a multis; preſentis Concilii authoritate declaramus; quod Eccleſia violata per alium, quam Epiſcopum, reconciliari non poteſt, eaque ſub Epiſcopatus ordine nonniſi Epiſcopo valeat demandari.

Rubrica de Celebratione Miſſarum.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Preſentis Concilii authoritate ordinamus, ſtatuentes; ne de cetero quiſquam Clericorum, ſeu Religioſorum preſumat illa die, qua Miſſam ſuam primam celebrat, conviviis & commeſſationibus, choreis, & aliis ludibriis exhilarari per ſe, vel per ſuos invitatos: & duntaxat invitandorum numerum ad decem ſcutellas reſtringat. Nullatenus, etiam joculatores, fiſtulatores, ac quoſcunque hiſtriones, vel mimos admittat, ne ejus mens, que pro illo tempore potiſſime Deo dedicata, aliis, quam Divine contemplationi devotius intendat.

Rubrica de Baptiſmo, & ejus effectu.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur maxime in diſtinctione, & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus conſiſtit, hiſce verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Doceant etiam Sacerdotes, tam mares, quam feminas in neceſſitate debere parvulos baptizare, eadem forma in ſuo idiomate ſervata: & quod patres, & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, ita quod alios habere non poſſint, potuerint baptizare. Et ſi Sacerdotes, ſuper hoc diligentius inquirentes, debitam formam ſervatam in baptiſmate inveniant, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa baptizatum quoad unctionem olei in pectore, & in ſcapulis, & Criſmatis in vertice, quod a laicis eſt obmiſſum, & fieri non poteſt. Si autem in baptiſmate debitam formam non invenerint obſervatam, debent eos baptizare denuo, & alia circa hoc neceſſaria adimplere.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum autem contingat, infirmos Sacra Unctione perungi in extremis, attendant Sacerdotes, quod formam verborum ſcriptam in libris Agendorum ſuorum debite, & perfecte exprimant, & cum devotione; ſicut & in Sacra Dominici Corporis conſecratione fieri Chriſtus inſtituit, & Eccleſia videtur attentius obſervare: & ſimili modo formam obſervent, & verba debite exprimant, aliis Sacramentis appropriata.

De cuſtodia Euchariſtie.

Albertus Archi Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus, ut in cunctis noſtre Provincie Eccleſiis, & Monaſteriis Baptiſmus, Chriſma, Oleum, Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis obſerentur, ne poſſit ad illa manus temeraria extendi: palle quoque, Altaris vaſa, corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda, & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, que dedecent & in prophanis.

Albertus Archi Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quia Sacerdotes & Campanarii, qui Sacerdotibus ad Altare circa baptiſmum, deportationem olei, & Corporis Domini ad infirmos aſſiſtunt, & juxta quod officium eorum requirit, miniſtrant; ſuper veſtimenta ſua ſuperpelliciis Sacerdotes, & Campanarii camiſiis albis utuntur, diſtricte precipimus obſervari. Quas quidam camiſias Campanariorum, & ſuperpellicia Sacerdotum populus cujuslibet Parochie, vel vitrici, aut altermanni ipſorum nomine, quando & quotiens neceſſe fuerit,

rit, de eleemosynis, que ad fabricam elargienrur, procurabunt. Altermanni, seu vitrici Ecclesiarum predictarum in predictis reperti negligentes per Archidiaconos suos digna pena corrigantur: Approbatione totius Concilii statuentes, ut Sacerdotes, qui post publicationem hujus statuti superpellicium pro se, & camisiam, pro suo campanario non habuerint, & portaverint in Ecclesiis suis in Divinis, & cum Sacramenta detulerint ad infirmos, attamen ipsos in Ecclesia ministrare contingat, per Officialem Episcopi principalem digna pena emendentur.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quia felicis recordat. URBANUS *Papa sextus* salubriter providit gravi abusioni, qua plerique Sacerdotes, seculares, & Religiosi exempti, & non exempti, & precipue Mendicantium ordinum Fratres, in Ecclesiis suis, & Monasteriis tempore generalis, vel specialis interdicti, consueverunt Corpus Christi in patulo exponere, & in Altari, vel alio loco in vase perspicuo; ita ut laici, quibus tempore interdicti Divinorum participatio omnino est interdicta, nisi in certis casibus, & per consequens visio Corporis Christi; ne quod una via prohibitum esse dignoscitur, per aliam eque illicitam lucri causa concessum, & questus videatur: & hujusmodi abusionem committentes, tam Clericos seculares, quam Religiosos ordinum quorumcunque exemptos, & non exemptos, & precipue mendicantium ordinum Fratres, vinculo excommunicationis constrinxit; ne ergo Clerici seculares, & regulares exempti & non exempti, precipue Fratres mendicantes in nostra Provincia degentes, ignorantiam pretendentes, que non potest esse, nisi crassa, vel supina, predicti statuti penam incurrant laqueati; volumus, & mandamus predictum statutum URBANI sexti in singulis Synodis nostris, ac Fratrum & Episcoporum nostre Provincie legi, & publicari, ut metu pene ipsius abusum predictum de nostra Provincia profugatum extirpemus. Injungentes predictis Fratribus, & Coepiscopis nostre Provincie cum suis Executoribus, Canonumque, & eorum Officialibus, ut, quoscunque culpabiles invenerint in premissis in suis civitatibus & Diocesibus, seculares, vel religiosos, exemptos & non exemptos, etiam mendicantium ordinum Fratres, faciant penam constitutionis predicte denunciare incidisse, & ab omnibus arctius evitari, donec Diocesano loci, in cujus civitate, vel Diocesi hujusmodi excessus committere presumpserunt, satisfaciant, & se doceant legitime absolutos.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburgens.

Insuper Sacra approbatione Concilii statuimus, & ordinamus, & precipimus presentis Statuti authoritate districtius observari, ne quisquam Parochialis Presbyter in ruralibus, seu in villis Beneficiatus amplius presumat, sicut in civitatibus, & oppidis solus Divina Officia peragere, & presertim Missam cantare, vel legere, sine socio Clerico, seu adjutore, vel laico scienti honesto, secundum quod hoc Canones dudum statuerunt. Predictis vero campanariis, sicut premissum est, ad officium eorum assumptis nullatenus ornatus Ecclesie custodiendus committatur, nisi ipsi de custodia ejus fideli Plebanis, & Altermannis Ecclesie cautionem idoneam prestiterint de dicto ornatu fideliter, & munde custodiendo, & quod deposito ipsorum officio, velint ipsum Altermannis, & Plebanis integre restituere cum inventario super hoc facto, & eis tradito ornatu cum prædicto, quod inventarium in traditione, & commissione ornatus singulis campanariis confici volumus duplicatum, unum tradendum campanario assumpto, alium, seu correspondentem Plebanus, seu Curatus sibi reservent fideliter custodiendo. Et cum dictus campanarius amotus fuerit; Plebano, & vitricis predicte Ecclesie ornatum sibi presentatum, & diligenter custoditum, munde, & integre restituat cum inventario suo Successori sub premisso pacto committendum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus, ut dictum Sacramentum Eucharistie, quod summa dignum est veneratione inter Sacramenta, & Sanctissimum, cum ad infirmum defertur, Presbyter nullatenus incedat in calopediis, sed tantum calceatus, & habitu decenti superpellicio indutus, deferens desuper stolam,

lam, corpuſque Dominicum decenter ante pectus ſuum portet, luminaribus, cereis ardentibus, una vel pluribus, ante latis cum campanula continuo reſonante, in mappa cerea, vel alia decenti, & munda. Quod dum Chriſti fideles, cum ſic defertur ad infirmum, ſequi hortamur Presbyterum deferentem, ſequentes humiliter, & devote ad infirmum, & de infirmo redeuntem ad Eccleſiam, XL. dierum de penitentia eis injuncta relaxata, ante fores Eccleſie pronuntiatione Presbyteri noſtra authoritate recepturi, quam omnibus vere confeſſis, & contritis dandam, & pronunciandam, preſentibus concedimus, & indulgemus, & de quolibet infirmo viſitato. Si autem contingeret, quod nulla Euchariſtia, viſitatis infirmis, in pixide remaneret ad Eccleſiam reportanda, extunc ante oſtium infirmi viſitati, candelis extinctis, campana ceſſante a pulſu, Presbyter ibidem pronunciatis indulgentiis pixidem ad Eccleſiam reportet ſine ſolennitate, populum licentiando, ne idololatria quevis per populum committatur improviſe.

De obſervatione Jejunii.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburgenſ.

Ad hec etiam prohibemus, ne quis adultus pariter, & diſcretus, ordinaria & ſtatuta jejunia, ut quadrageſimale, quatuor temporum, & Vigiliarum preſumat infringere, nec hujusmodi neceſſaria jejunia pretextu votivi, & extraordinarii jejunii violare; cum tale damnum tali lucro Deus nolit compenſari. Inherentes *priori Concilio* pravam conſuetudinem quorundam reprobamus, qui ſextam feriam violant, ſabbatho, vel quarta feria, vel die in hebdomade jejunantes. Hoc de cetero fieri ſacra authoritate Concilii firmiter prohibemus, & preſertim illa jejunia ſuperſtitioſa, quibus Deum temptare videntur, vel alias machinantur in malum, ut ſic jejunent, ut die jejunii tribus buccellis panis, & totidem cerevíſie, vel aque pro die naturali ſint contenti, vel alio modo ſuperſtitioſe jejunent uſque ad viſionem ſyderum more gentilium, vel Judeorum. Hec & hujusmodi cum Religioni Chriſtiane ſint inimica, Sacri Concilii approbatione de cetero fieri prohibemus, injungentes Confeſſoribus, tam ſecularibus, quam religioſis de ordine mendicantium preſentatis & admiſſis; ut confitentes ſibi ab hujusmodi jejuniis ſuperſtitioſis retrahant, diſtrictius eis inhibentes, ne talia de cetero faciant, ſed Eccleſie jejunia, que mature congruunt, & Deo ſunt accepta, cum omni ſinceritate obſervent.

Rubrica de Eccleſiis edificandis.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Prohibemus etiam, ut Religioſi, vel quilibet alii Eccleſias de novo fundare, vel fundatas transferre, ſine Epiſcopi Dioceſ. licentia, & ſine primarii lapidis benedictione preſumant: aliter fundata Eccleſia dirruatur, & is, qui fundat, ſi Clericus exiſtat, vel Monachus, ab officio ſuſpendatur, alia pena nihilominus juxta Superiorum arbitrium puniendus: ſi laicus fuerit, uſque ad ſatisfactionem condignam excommunicationis vinculo innodetur. Item Altaria ſuperflua per Eccleſias Parochiales omnia tollantur, nec Altare, nec aliquid de novo fiat, niſi Epiſcopo permittente, nec tunc etiam, niſi eidem Altari tantum in proventibus aſſignetur, ut ſaltem luminaria, & ornatum correquiſitum ultra victum miniſtri habeant competenter.

Hoc preſentis ſtatuti authoritate declarantes, quod Epiſcopus primarium lapidem benedicere, & in fundamento locare propria in perſona teneatur, nec benedictonem lapidum, ſeu poſitionem eorundem alii debet, quam Epiſcopo demandari.

Rubrica de Immunitate Eccleſiarum, & Cimiteriorum.

Albertus Archi-Epicopus, ex Concil. Magdeburg.

Excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui dedicatas Deo Eccleſias auſu ſacrilego prophanantes, faciunt munitiones de ipſis, ad infirmandum eas perfodiant cimiteria, oſſibus mortuorum ejectis: omnes quoque adhibentes

tes opem, vel operam, consilium, vel juvamen decernimus excommunicationis sententie subjacere: Ecclesias etiam taliter prophanatas,& nihilominus omnia illa loca, in quibus actores, aut opem, consilium opportunum, aut prestantes juvamen, habent domicilia, vel receptacula, subjicimus extunc Ecclesiastico interdicto. In graviorem etiam penam subtrahantur eorum familie Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura, donec cum debita satisfactione munitio destruatur. Preterea, quia quidam a Personis Ecclesiasticis contra libertatem eorum, & approbatam consuetudinem,ex antiquis obtentam temporibus, ab eis pedagia, & theolonia interdum extorquent injuste, tales ad abstinendum ab hujusmodi angariis, & ad restituendum sic extorta injuste, per Ordinarios suos, monitione premissa,per Ecclesiasticam cogantur censuram.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ad hoc,Sacro approbante Concilio, irritamus, & irrita nuntiamus omnia statuta & consuetudines, que civitates, vel loca, Potestates, Consules, vel quecunque alie persone contra libertates Ecclesie, ac personas Ecclesiasticas edere, vel servare adversus Canonicas Sanxiones presumpserunt, & eadem a suis Capitularibus mandamus infra duos menses post hujusmodi publicationem statuti penitus aboleri, & si similia de cetero acceptaverint, ipso jure decernimus esse nulla. Potestas vero, ac omnes Statutarii ipsorum locorum, ea pro statutis observantes, & qui, secundum statuta & consuetudines memoratas, judicaverint,extunc inhabiles sint omnem in Ecclesia Dei legitimum ad actum, salvis nihilominus penis aliis contra tales in generali Concilio promulgatis.

Item statuimus, ut quecunque civitas, vel communitas, persona publica, vel privata, collectas, sive exactiones, angarias, sive perangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponant, vel bona Ecclesiastica invadere presumant, quadruplum refundant, si requisiti contempserint emendare.

Jurisdictionem Ecclesiasticam, preterquam per vias a Canonibus indultas, nullus attemptet aliquatenus impedire, & Ecclesiarum, vel aliorum locorum emunitatem de jure & consuetudine obtentam infligere, aut aliqualiter violare presumat.

Novas etiam actiones, que vulgo *Ingbelt* nominantur, vel alio nomine, nulla civitatum instituat, & ab institutis post hujusmodi edicti publicationem infra mensem desistat: nec mensuras rerum venialium ab antiquo servatas, & a fidelibus approbatas minuere, vel immutare presumat. De servis & mancipiis Ecclesiarum in civitatibus residentibus, & post eorundem servorum mortem Ecclesie debita jura, quarum servi fuerant, recipere minime prohibeantur.

Insuper statuimus, ut persona, quacunque nobilitate aut preeminentia status prefulgeat, Ecclesiasticas personas, aut Ecclesiastica bona, jura, jurisdictiones, & vasallos eorum violenter, aut authoritate propria publica occupare, vel occupando invadere, vel scienter occupantibus Ecclesias, & bona predicta prestare presumat quomodolibet per se, vel per alium, aut alios, consilium, auxilium, vel favorem; & nisi infra XV. dies Ecclesie lese, aut Prelato ipsius damnum illatum emendaverit, ipso facto sit anathematis vinculo innodatus. Decedentium etiam Clericorum peculium occupare, vel occupatum tenere, omnibus laicis sub anathematis pena ex nunc, prout ex tunc in ipsos lata, districtius inhibemus.

De Sponsalibus & Matrimonio.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Matrimonium, statuimus, ut cum omni reverentia & honore in conspectu Ecclesie celebretur: & cum matrimonium fuerit contrahendum, per Presbyteros proprios, seu eorum vices gerentes, tribus diebus Dominicis in Ecclesiis, aut aliis Festivis diebus a se distantibus, publice proponatur; ut, si quod impedimentum matrimonii contrahendi noverint aliqui, illis infra terminum competentem ab ipsis Presbyteris prefigendum in facie Ecclesie, sine difficultate revelent; excommunicationis sententia quoque in genere proferatur in omnes hujus-

hujusmodi impedimentum celantes , a qua ſine ſatisfactione debita nullatenus abſolvantur: & ſi qui tempore hujus denuntiationis preſentes fuerint, & impedimentum celaverint, poſtmodum, nec ad accuſationem , nec ad teſtimonium contra ipſum matrimonium admittantur, niſi tales in caſus, qui matrimonium dirimunt ſic contractum, vel probati, matrimonium nullum reddant,& conjunctos omnino ſeparandos.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum Sacramentum matrimonii ſit magnum ſignificatione , & inſtitutione primum, & omni reverentia,& celebritate dignum ; volentes igitur ejus nobilitatem, ſignificationem,& celebritatem omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcunque conditionis, ſtatus, aut ſexus fuerint, attentius commendare ; Sacro igitur approbante Concilio ſtatuimus, ne quis laicus, etiam cujuſcunque ſtatus, preeminentie, vel nobilitatis fuerit, preſumat, aliquos matrimonialiter copulare *in domibus, vel extra etiam* in Eccleſia ; cum laicis Sacramentorum adminiſtratio penitus ſit interdicta. Sed cum aliqui fuerint *deſponſati* per parentes,vel propinquiores,defunctis parentibus, vel viventibus parentibus , de eorum conſenſu; vel ſe ipſos deſponſaverunt, ſponſalia contrahendo per verba de futuro, vel matrimonium de preſenti; nihilominus per Curatos ſuos, qui ſunt ipſorum *proprii Sacerdotes*, & immediati, tribus diebus Dominicis in Eccleſiis Parochialibus, aut aliis Feſtivis diebus tribus a ſe diſtantibus per edictum publice proponantur infra Miſſarum ſolemnia coram Chriſti fidelibus, & Parochianis, qui illo tempore tenentur in Parochiis ſuis propriis eſſe congregati, ut, ſi quis,vel qui ſint , qui inter deſponſatos de futuro , vel de preſenti, aut deſponſandos aliquod impedimentum noverint, propter quod matrimonio jungi non poſſint, vel matrimonio jam juncti ſimul remanere, illud infra tempus proclamationis per Curatum contrahere volentibus preſigendum in facie Eccleſie,& ipſis contrahere volentibus,& conſanguineis ipſorum omni ſtudio adhibito , & ſine difficultate revelent. Excommunicationis quoque ſententia in genere proferatur in omnibus hujusmodi impedimentum celantibus , a qua ſine ſatisfactione debita nullatenus abſolvantur. Et ſi qui tempore hujusmodi denuntiationis preſentes fuerint, & impedimentum celaverint, poſtmodum nec ad accuſationem, nec ad teſtimonium, ſive in Eccleſia , ſive extra in alio loco contra ipſum matrimonium admittantur. Laicos vero perſonas matrimonio copulantes, volumus excommunicationis majoris ſententie eſſe ſubjectos , etiamſi trina proclamatio publica in Eccleſia diſtinctis diebus debito preceſſerit intervallo : conjunctos vero , vel ſe conjungentes preter alias penas ipſis a jure Canonico, & eorum filiis procreandis, vel procreatis inflictas , volumus a participatione Sacramentorum penitus eſſe excluſos. Et ſi contigerit, ipſos, vel aliquos eorum ante reconciliationem obtentam a ſuo Epiſcopo duntaxat, vel ſuo Vicario in Spiritualibus, cui ipſam duximus reſervandam, ex hoc ſeculo migrari, Eccleſiaſtica careant ſepultura , nec diſpenſetur ſuper hoc per Epiſcopum ſuum, niſi evidens,& rationabilis cauſa diſpenſationem inducat,& expoſcat: & preſens ſtatutum volumus celebre per Curatos noſtre Provincie quater in anno, qualibet die Dominica poſt quatuor tempora infra Miſſarum ſolemnia Parochianis ſuis adunatis verbo Dei propoſito , & Feſtivis diebus indictis, ſicut tenentur , fideliter publicari.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Item adjicientes ordinamus, quod Decani & Capitula Eccleſiarum noſtre Provincie,tam Kathedralium, quam Collegiatarum, Abbates, Prepoſiti, & alii Prelati Religioſorum, ac ipſorum Conventus, preſens ſtatutum violantes, & numerum perſonarum idonearum obmittentes ad literarum ſtudia deſtinare privilegiata, pro quolibet anno ſummam , quam ſuis ſtudentibus taxatam, & quam eis miniſtrare tenentur,Epiſcopo loci,ſine qualibet excuſatione ſolvent pro emenda, niſi evidens Eccleſie ſue, ſeu Conventus paupertas ipſos, & de hoc per Epiſcopum cognito poſſit excuſare. Prepoſiti vero rurales, Plebani & Curati, quorum Beneficia valent, eorum ſupportatis oneribus,

ribus, in ſtudio eis triginta florenorum auri miniſtrare,vel amplius, ſi ipſi per triennium ad minus in ſtudiis privilegiatis in Theologia, vel in jure Canonico ſtudere contempſerint, niſi antequam eorum Beneficia fuerint adepta, jam per tantum tempus, ut preſcriptum eſt, in ſtudiis privilegiatis jam profecti ſtuduerunt, vel alia cauſa rationabilis ipſos poſſit excuſare, de qua tamen ſuo Epiſcopo fidem faciant, creditivam ſummam, quam de ſuis Beneficiis annuatim poſſint habere, & in ſtudio deberent expendere cum profectu, Epiſcopo loci ſolvent integraliter pro emenda.

Albertus Archi-Epiſcopus, *ex Concil. Magdeburg.*

Inſuper adjicimus ſtatuentes,ne quis Canonicus Eccleſiarum noſtre Provincie Kathedralium,ſecularium, vel Collegiatarum, in antea emancipetur, ſtallum in Choro, locum & vocem in Capitulo habeat, ſeu debeat obtinere; niſi prius vitam ſuam per biennium continuum,& integrum cauſa ſtudii duntaxat manens in ſtudio privilegiato, & proficiens bonis moribus, & actibus probaverit virtuoſis.

Rubrica de cognatione Spirituali.

Albertus Archi-Epiſcopus, *ex Concil. Magdeburg.*

Juxta Canonum ſtatuta ſervetur in Baptiſmo conferendo, &in confirmatione, quod duo duntaxat teneant puerum in baptiſmo, & fiant compatres, &unus vel duo ad majus.

Rubrica de Magiſtris.

Albertus Archi-Epiſcopus, *ex Concil. Magdeburg.*

Recolentes altis cum ſuſpiriis, Eccleſiam noſtram Metropoliticam, aliaſque Eccleſias Kathedrales,Collegiatas,Religioſorum Monaſteria, Prepoſituras rurales, Plebanos, Parochiales Eccleſias,ceteraque quam plurima Beneficia noſtre Provincie virorum literatorum non ſolum decore inclito, ſed eorum auxilio,& conſilio deſtitutas, qui fidem Sacroſanctam, Eccleſiarum libertates,jura,& perſonarum privilegia antiqua tanquam milites rempublicam armata militia ſunt potentes defenſare;unde, Sacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, ut pro quolibet tempore affuturo Decanus,& Capitulum Eccleſie noſtre Metropolitane deputet, & habeat habiles, ad proficiendum in ſtudio privilegiato de gremio Capituli noſtri, ſeu alias de Eccleſia unum in Sacra pagina proficientem, alium in jure Canonico, & tertium in legibus. Eccleſie vero alie Kathedrales duos, unum in Theologia, reliquum in jure Canonico, vel in legibus proficientes: Eccleſie vero Collegiate & Monaſteria unum in Theologia,ſeu in jure Canonico proficientem, quibus Prebendarum ſuarum corpora, juxta Canonum precepta ad triennium integre miniſtrabunt, & ſi predicti ſtudentes de Eccleſiis Kathedralibus noſtre Provincie, & Collegiatis non habeant ab Eccleſia ratione dignitatis, perſonarum, vel officiorum, ſi quas obtinent, & ultra corpus ſue Prebende, unde poſſint in ſtudio victum habere decentem,& amictum, & libros neceſſarios comparare; volumus eis ſubveniri per Decanos, & Capitula eorum ad valorem corporis Prebendarum ſuarum de communi: Abbates vero, Prepoſiti,& alii Prelati Religioſorum, ſuis Religioſis, taxatis ipſorum Prebendis, cum omnibus obventionibus ſuis ſummam taxatam in ſtudio permanentibus pro quolibet anno miniſtrabunt, & ultra, illam equivalentem ſummam de communi miniſtrare ſtudentibus predictis idoneis non obmittant; ſed tamen Prelati,& conventus bona ſint indiſtincta. Si vero diſtincta, Prelatus de portione addenda quartam de redditibus ſue dignitatis ſtudenti; Conventus vero tres particulas de ſuis bonis miniſtrabunt. Prepoſiti vero rurales, Plebani, ſeu Curati, qui verbo, & exemplo ſuis ſubditis reſidentibus continue preeſſe tenentur, qui annuatim pro ſubſidio ſtudii ſui poſſint in abſentia XXX. floren. habere de ſuis Beneficiis predictis, ad minus per triennium in ſtudio juris Canonici, vel Theologie debent permanere. Si qui autem de predictis Prepoſitis Ruralibus, Plebanis, Curatis, vel aliis Beneficiatis in dignitatibus conſtituti, Eccleſiarum Kathedralium, & Collegiatarum Canonici, Monaſteriorum Religioſi, habiles & idonei, velint

velint uſque ad Magiſterium, ſeu Doctoratum in aliqua ſcientiarum predictarum in ſtudio remanere, illis omnino volumus per ſuos Epiſcopos licentiam largam impertiri, proviſo quod tempore ſtudii ipſorum, Beneficiis ſuis predictis fideliter, viris idoneis ad hoc aſſumptis per Superiorem, ad quem hoc ſpectare dignoſcitur, provideatur. Si qui autem Canonicorum, tam Kathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, ſeu Religioſi, habiles tamen & idonei, velint uſque ad Magiſterium, ſeu Doctoratum in aliqua ſcientiarum predictarum in ſtudio remanere; illis volumus omnino, ac, ſi Canonici ſunt, per ſuos Decanos, & Capitula, ſi vero Religioſi, per ſuos Prelatos, & Conventum largam licentiam decernimus concedendam, & nihilominus ipſis, & cuilibet ipſorum debent corpora ſuarum Prebendarum duplicata cum moderatione preſcripta pro quolibet anno integre, & ſine defectu miniſtrari.

Rubrica de Judeis.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum gens Judaica Crucis Chriſti, & noſtre Religionis inimica, ut rei evidentia multis ſignis edocuit, & ſcripturarum ſanctarum teſtimonia veritatis: Cum ergo noſtre religionis profeſſio, que pro inimicis, doctrina Evangelica inſtructa, docet exorare, ipſos ſuſtinet, in memoriam Dominice Paſſionis, & humanitatis duntaxat intuitu patienter tolerando: quia etiam ſicut gentiles, & Pagani, lumine vultus ſui refulgent inſigniti; non tamen ſic tolerandi ſunt, ut privilegia habeant, propriam legem, & religionem, Chriſtum Dominum noſtrum maledicendi, blaſphemandi, & contumeliis diverſis afficiendi; unde Sacro approbante Concilio ſtatuimus, & diſtrictius precipimus obſervari, ut Judei, intra Provinciam noſtram moram facientes, de cetero ſub penis infra notatis, Canones contra eos ſcriptos, qualiter ſe habere debeant in ſeptimana Dominice Paſſionis, penitus obſervent, per totum illud tempus domos ſuas, & feneſtras clauſas teneant, nec de domibus ſuis in publicum prodeant, etiam ſuas Synagogas viſitando. Sed antea de ſibi neceſſariis pro illo tempore pro victu, & in aliis provideant, ne Chriſtianis Sacratiſſime Paſſionis memoriam exhibentibus, & lamentationis ſigna preſentantibus illis diebus ab eodem populo Judeorum illudatur. Judeos vero contrarium facientes volumus per locorum Ordinarios penis pecuniariis graviter mulctari, &, eorum rebellione exigente, ſi in premiſſis culpabiles reperti fuerint, contra eos brachium invocari ſeculare.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Inſuper diſtricte precipiendo preſentis Concilii approbatione mandamus, ne per Principes noſtre Provincie, Comites, Barones, per ſe, vel per alios Chriſtianos, dictis Judeis ſeculares dignitates, officia publica, vel privata de cetero regenda committantur; cum valde ſit indecens, filium libere, filio ancille ſubeſſe debere & famulari, & ſi, que commiſſa ſunt, quod abſit, infra XV. dies poſt publicationem preſentium, per committentes tales dignitates, officia publica, vel occulta, revocentur, que & nos preſenti Concilio revocamus. Quod ſi non fecerint; per locorum Dioceſanos committentes debeant excommunicari directe, Judei pecuniaria ſumma mulctari, juxta ipſorum facultatum poſſibilitatem; quam ſi non curaverint, participatio Chriſtianorum juxta Canonum documenta penitus ſubtrahatur. Revocamus, caſſamus, & tollimus omnia privilegia libertatis, in quibus eis conceſſum eſt, & contra veritatem Evangelicam, & de tali igitur preceptum; ne rem furtivam eis in pignus datam teneantur Domino ſuo requirenti, gratis, & ſine omni ſolutione reſtituere: cum hoc non liceat Chriſtiano, nec licere debet Chriſti, & ejus Crucis, & noſtre religionis inimico; Judei vero renuentes, & contradicentes res furtivas Dominis ſuis gratis reſtituere, cum ipſis furibus communicare videntur in furto, ſimiliter in ſpolio, & in preda.

Medietas bonorum ſuorum, que poſſident, ſit confiſcata, & ſine omni juris auxilio, Fiſco Ordinarii ſit applicata: inſuper ſicut Canones precipiunt, nullus Judeus noſtre Provincie Chriſtianos maſ-

culum, vel feminam in domibus suis in servitio teneat, vel extra, vel in mensa, nec in *stuba Judeorum*, & eis propria, vel sua, aut in publica communicet, seu commercium cum eisdem habeat in cibo, vel in potu, nullatenus eorum munera, etiamsi sint esculenta, vel poculenta, recipiat, attendens illud Prophete: Quod ignis descendit de celo,& tabernacula eorum combussit, qui libenter munera ceperunt, & potissime a Christi inimicis, & suis. Inhibemus & universis Christi fidelibus nostre Provincie, ne aliquo tempore infirmantes, seu sani, judeos medicos ad se advocent, nec medicamina, vel consilia quovis modo ab eis recipiant: contrarium facientes per locorum Ordinarios sanos volumus excommunicari Christianos, infirmos vero in premissis culpabiles repertos, si ab illa infirmitate decesserint, nisi digne penituerint, & abjurarint Judeorum consilia in medicinam, similiter etiam sani,si in hoc delicto decesserint, penitentia digna non premissa, & cum satisfactione debita Ordinario exhibita pro tante temeritatis excessu,etiam careant Ecclesiastica sepultura.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Item, cum in Sacro Concilio Romanorum Pontificum, olim sacratissime sit sancitum, ne Judeis sub alendo puerorum obtentu, nec pro servitio, nec pro qualibet alia re, Christiana mancipia habere in domibus suis permittatur, eo quod execrentur Christianos, qui cum presumpserint habitare cum ipsis, per continuam conversationem, & assiduam familiaritatem, & suam superstitionem, & perfidiam execrabilem incontinentium possint simplicium Christianorum animos de facili inclinare. Nos, qui Dei injurias graviter portamus, hujus Canonis authoritate statuimus; ut omnes Christiani nostre Provincie sub quocunque pretextu Judeorum domibus inhabitantes, infra XV. dies, post publicationem hujus statuti, de Judeorum domibus, nunquam postmodum reversuri, recedant. Nullatenus etiam Judeorum pueros lacte suo nutriant, vel alia servitia prestent, cum omne participium Christianis habendum cum Judeis strictissime sit interdictum; ut sacri Canones publice declamant precipiendo. Alioquin Christiani contrarium facientes per sententiam excommunicationis percellantur, & alii Christiani tamdiu a Judeorum familiaritate,& commercio arceantur, quamdiu hujusmodi Christianos presumpserint in suis domibus retinere.

Rubrica de Hereticis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Universos Canones,ac Statuta,prout a sancta Matre Ecclesia sunt edita a Spiritu Sancto docente, qui universum Corpus Ecclesie suo afflatu regit, & vivificat, que etiam, Domino JESU Christo ad Patrem suum intercedente, a Catholicis regulis, constitutis,& veritate declinare non possit, ipso attestante, qui dicit: (*a*) *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua;* sacri approbatione Concilii, ut tenemur adstricti, & tanquam vere fidei Zelatores, precipimus, & mandamus, in omnibus suis Capitulis, & articulis districtius, omni metu cessante, & potentium, terrore observari, & potissime per Confratres nostros,& eorum Vicarios in Spiritualibus, ad quos hoc principaliter pertinet; ut ipsi diligenti studio per se, & per suos Vicarios, sicut & Nos intendimus, sollicita cura,& toto conatu invigilent, ut hereticos, & schismaticos repertos in suis civitatibus, & Diocesibus penitus exterminent, frequenter scrutinium contra eos repertos observent, eis penas debitas infligendo, etiam, si opus est,ut fieri debeat, pro executione ultimata brachio ad hoc invocato seculari.

Rubrica de Schismaticis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum igitur veteri testamento omne genus augurii, auruspicum, maleficii,& incantationis sub pena corporis fuit populo Judaico prohibitum,& interdictum pro tanto,quia de quo legis preceptum continens: Dominum Deum tuum solum adorabis,& ab ipso postules auxilium, & in ipso omnia

(*a*) Lucæ XXII, 32.

omnia tua consilia permaneant. Unde omnes augurium facientes, masculos, & feminas, fitones, & fitonissas, auruspices, maleficos, incantatores, presenti statuto, approbante Concilio, excommunicamus, & volumus eos ad Nos, & in nostra civitate, & Diocesi, vel ad nostrum Vicarium in Spiritualibus, cum penituerint, remitti absolvendos. Inhibentes strictissime sub interminatione Divini judicii, ne quis Religiosus Curatus, vel Sacerdos aliquis in isto casu, vel consimili, eos sub confidentia aliqua absolvere presumat: injungentes omnibus Curatis per nostram Provinciam constitutis, ut in suis Parochiis non permittant hujusmodi homines habitare, sed diligenti inquisitione prehabita, cum tales invenerint, nuntient Vicario Episcopi, & cooperentur, ut de suis Parochiis expellantur, cum tales reperti fuerint, pena eis debita pro modo culpe prius inflicta. Si autem aliqui tales reperti fuerint, & vere, non simulate, ad gremium sancte Matris Ecclesie redire voluerint, signa penitentie ostendentes; abjuratis sceleribus prioribus commissis; recipiantur a proprio Curato, & absolutione obtenta per Diocesanum, vel suum Vicarium in Spiritualibus, quibus reservata est, vel alterum ipsorum. Nihilominus, quia Deum creatorem temptantes sponte per idololatriam offenderunt, diebus Dominicis nudis pedibus, cum processio fit per Cimiterium, Dominicalem Crucem, vel vexillum antecedant, capuccio abjecto, cincturam nudam propriam in collo portantes: processione intrante, ante fores Ecclesie maneant, & post omnes primo introeant. Attendentes chorum illi sic stantes nudis pedibus, non longe retro Presbyterum, sine capuccio, cingulum tenentes in collo, totam Missam, in signum vere penitentie audiant, & conversorum defensores, receptatores, credentes horum simili pena volumus emendari.

Rubrica de Apostatis.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallensi.

Contingit aliquotiens, quod nonnulli Clerici vinculo excommunicationis astricti, vel prophani, vel irregulares, seu aliter ad Divinorum celebrationem indigni, Diocesim, in qua de his notitia habetur, fugientes, ad Diocef. aliam se transferunt fraudulenter; ut sic debitas suorum excessuum penas evitent, & Divinis se ibidem ingerant officiis, aut ea celebrent, sicut prius: non verentes in his suam ledere conscientiam, nec Divinam offendere Majestatem. Cum itaque non sit malitiis indulgendum; precipimus statuentes, quod Executor in ea Diocesi, in qua predicta sunt notoria, vel hujus notitiam de eisdem talibus, in quorum Diocef. dicti presumptores se receperint, denuntiare per suas literas teneatur, ut ipsi tales excommunicatos faciant excommunicatos, & ab omnibus arctius evitandos publice nuntiari, & ut in suis locis pro posse eorum, nullatenus stare, vel morari permittant, ne forte in sua rebellione, & inobedientia, ac delicto notorio ipsos fovere cum aliquorum scandalo videantur; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Rubrica de Raptoribus.

Albertus Archi Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Cum igitur seculares Potestates, Barones, Nobiles, Vasalli, Advocati, Officiati civitatum, oppidorum, villarum Rectores, vel alii persone singulares, ausu sacrilego, diabolico instinctu seducti, non solum Viris Ecclesiasticis, & universis militie Clericali adscriptis oppido sunt infesti, ipsos occidere, vulnerare, mutilare, captivare, captivos retinere, & non solum ipsos, sed ipsorum familiam utriusque sexus cum eis habitantem, vel alibi pro eis, & in eorum odium, contra Ecclesiasticam libertatem, non verentur, sui status, & honoris prodigi, & sceleratis nequitiores; volentes eorum malitiis obviare, & a tante temeritatis ausu penarum acerbitate prohibere, sacri approbatione Concilii sanximus, ut quicunque Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, per se, vel per alias personas, ipsorum Advocati, Vasallini, vel Officiati, civitatum, oppidorum, villarum, & castrorum Rectores, etiam per se, seu per alias personas, mandantes, ratum habentes, consilium, vel favorem, dans vel dantes

in premissis, Abbatem, Prepositum, Decanum, Priorem, Archidiaconum, seu quemlibet alium, in dignitate Ecclesiastica constitutum, seculari, vel religiosa, Canonicum Ecclesie Kathedralis, vel Collegiate, Plebanum Curatum, Presbyterum, Monachum cujuslibet ordinis, etiam Fratrem ordinum Mendicantium, seu Clericum in Sacris constitutum, & quemlibet alium Clericum clericaliter viventem, habitum & tonsuram deferentem clericalem, occiderit, vulneraverit, mutilaverit, captivaverit, captivum detinuerit, vel eorum consanguineos, aut alios eorum familares, cum eis, vel alibi habitantes sexus utriusque, in ipsorum odium, displicentiam, & pro eis, vel alias, propria temeritate; ut in terminis Archidiaconatus illius, & per totum illius Archidiaconatum, ubi aliquem de predictis personis, seu Clericum secularem, vel religiosum ordinis cujuscunque, in sacris Ordinibus constitutum, vel simplicem, & pro Clerico se gerentem, etiam novitium, vel conversum ordinis cujuslibet, habitum sui ordinis deferentem, & sub obedientia constitutum, occidi, vulnerari, mutilari, capi, vel detineri constiterit, eo ipso servetur strictissimum interdictum. Adjicientes, ut non solum in Archidiaconatu, in quo hujusmodi excessus fiunt, seu ubi committentur in futurum; sed etiam in omnibus locis nostre Provincie, in quibus predictorum Clericorum, & Religiosorum occisores, vulneratores, mutilatores, captivatores, vel detinentes eos captivos, & eorum complices, qui eis hujusmodi maleficium, & excessum mandaverint, ratum habuerint, consilium, aut auxilium prestiterint, seu domicilium, jurisdictionem, de facto, vel de jure obtinuerunt: & illis quoque locis, ubi tales receptaculum habuerint infra nostram Provinciam, servetur strictissimum interdictum: ita videlicet, quod corpora mortuorum ad sepulturam Ecclesiasticam nullatenus admittantur. Et si forte in Ecclesiis, vel Cimiteriis per abusum laicalis potentie hujusmodi corpora sepulta fuerint, nisi prius ejectis inde corporibus, nullatenus relaxetur, & Clericis captivis, vulneratis, mutilatis, vel eorum consanguineis, nepotibus, vel neptibus, vel aliis eorum familiaribus, sexus utriusque, pristine libertati restitutis, cum debita satisfactione ipsis, & Episcopo loci factis, exhibita cum plena restitutione ablatorum, si que eis ablata sunt, vel rebus suis sunt spoliati. Si autem occisi fuerint, vel in captivitate, vel vulneribus mortui, tunc etiam interdictum nullatenus relaxetur, nisi per occisores, vel in quorum captivitate mortui sunt, amicis, & Episcopo loci, & Beneficio, satisfactio sit secundum Canonicas traditiones exhibita, & cum effectu. Adjicimus etiam, ut non solum in terminis Archi Diaconatus, & in quo Prelatum, seu Religiosum aliquem, Canonicum, Plebanum, Curatum, Clericum sacros Ordines habentem, vel simplicem, & pro Clerico se gerentem, temere occidi, vulnerari, mutilari, captivari, captivum detineri contingat, seu eorum consanguineos, vel familiam sexus utriusque; sed in terminis Archi-Diaconatus, in quo quemquam talium detineri constiterit, vel eorum consanguineos, & familiam pro eis, & in ipsorum odium, strictissimum servetur interdictum, ut sic tam Nobiles, quam Magnates, quam etiam populares cum plebe, contra malefactores hujusmodi ex Divinorum carentia provocati, consurgant ad liberationem illius, vel illorum, qui ausu sacrilego detinentur captivi, vel captivis auxilium prestituri. Nihilominus tamen occisores, mutilatores, vulneratores, captivatores, & Clericos in captivitate detinentes, volumus ad Sedem Apostolicam, pro absolutione obtinenda, remitti: & eos, si in Parochiis, in quibus habitaverint, visi fuerint, moram fecerint, & in Parochiis Archi-Diaconatus illius, & eos in propriis Parochiis, & in omnibus Parochiis, ubi maleficium perpetraverint, Archi-Diaconos illius per Curatos singulis diebus Dominicis & Festivis publicari, & nuntiari sententia excommunicationis majoris, Canone: *Si quis suadente Diabolo*, fore ligatos: nec predicti Curati ab executione hujus statuti diebus predictis cessare presumant, nisi de absolutione Apostolica predictis malefactoribus impensa, approbatione Vicarii Diocef. in Spiritualibus interposita, fuerint certificati: quam approbationem predictus Vicarius facere non presumat, nisi predicti malefactores, ultra aliam satisfactionem exhibitam,

bitam, vel exhibendam, idonee caveant predicto Vicario, quod talia de cetero facere non presumant. Et istum ultimum articulum non solum de occisoribus, vulneratoribus, mutilatoribus, captivatoribus, & detentoribus Clericorum in captivitate, volumus observari, sed etiam de prestantibus consilium, auxilium, & favorem; cum tales juris authoritas pari pena constringit, & cum de hoc fuerint convicti.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Nos igitur statuto precedenti ipsa duximus adjungendum, firmiter statuentes, quod si temerarii captivatores Clericorum aliquos de familia sua habuerint Clericos consiliarios & scriptores, iidem statim se detrahant a communione eorum non solum in Divinis, sed etiam in mensa, aut in aliis, quibus excommunicato quomodolibet communicatur illicite, nec consiliis eorum intersint, nisi forte tractatum haberent cum eis de procuranda liberatione eorum, quam, si infra duos menses procurare non poterint, sub pena excommunicationis late sententie precipimus, quod extunc non solum a consilio & scribendo se abstrahant, sed omnino ab eis recedant: quam si iidem Clerici per unum mensem sustinuerint, extunc periculum suorum Beneficiorum incurrant ita, quod ipsorum Beneficia aliis conferri valeant, nec non inhabiles ad alia capienda ex tali mora reddantur in nostra Provincia. Advocati, qui patrocinium, vel defensionem assumpserint quorumlibet Clericorum detentorum, aut etiam in occulto eis dederint consilium, vel literas excusationum dictaverint, vel scripserint, aut literas quascunque a Superioribus impetraverint, quibus a liberatione Clerici, vel refusione damnorum de satisfactione Ecclesie quoquo modo de facto valeat colerare, nisi prius Clericum dimiserint, ablata restituerint, aut Ecclesie satisfecerint de offensa, excommunicationis sententia innodamus.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Preterea cum Predecessorum nostrorum statutum per penas contra captivatores Clericorum predictas ad hoc non Ecclesiis, nec Ecclesiasticis personis sufficienter provisum existat, considerantes, quod pro delicto sacri Canones interdum punire precipiunt totam terram, & ad quartam generationem filii puniuntur; Nos de similibus ad similia procedere cupientes, provida deliberatione hujus Concilii Predecessorum nostrorum statutis duximus admittendum, irrefragabiliter statuentes, ut non solum eorum filii, qui Canonicos, & in minoribus Ordinibus constitutos; & ceteros Clericos pro Clericis se gerentes, ac alias personas Ecclesiasticas captivare, detinere, occidere, mutilare, ac lethalibus nimis atrocibus vulneribus, quibus per medicorum nequit industriam subveniri, vulnerare presumunt; sed omnis eorum sacrilegorum utriusque sexus ab ipsis descendens posteritas usque ad quartam generationem, nec ad sacros Ordines, nec ad aliqua Beneficia Ecclesiastica, nec in Claustris, nec Cenobiis, cujuscunque Ordinis nostre Provincie admittatur: quod si contrarium factum fuerit, ex malitia & ignorantia ordinatos ab executione Ordinum perpetuo volumus esse suspensos; receptos vero ad Beneficia Ecclesiastica secularium Ecclesiarum pro non receptis haberi decernimus ipso facto: sed ne personis in Monasteriis, sive claustris receptis detur via ad secularem habitum redeundi; tales quidem in suis Monasteriis ita volumus remanere, quod in Conventu ultimi reputentur, & nunquam ad officia, vel ad aliquas dignitates assumantur; de illis autem personis, que in Ecclesiis Conventualibus, aut Monasteriis ante hoc nimirum statutum inveniuntur promote, authoritate hujus Concilii districte precipimus observari, ut si parentes ipsorum aliquid commiserint premissorum, predicte persone ob hujusmodi suorum parentum delictum, nunquam ad personatus, vel dignitates aliquas assumantur; sed in suis gradibus persistentes ad ulteriores efficiantur inhabiles & indigni ipso facto, omnibus aliis penis contra ordinantes, presentantes, & recipientes personas hujusmodi in priori Concilio constitutis, in suo robore duraturis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Verum quia in *Concilio anteriori* statuitur omnes penas contra occisores, captivatores ibidem statutas inviolabiliter observandas, donec captum liberum, & solutum dimitti contingat prestita satisfafactione debita, & condigna; pari ratione, & nunc duximus statuendum, quod nisi mutilato, percusso, seu vulnerato fuerit per emendam condignam, & satisfactionem debitam satisfactum, nequaquam cessandum ab executione, seu observatione penarum percussoribus, seu vulneratoribus superius inflictarum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Similiter volumus Advocati, Capitanei, Abbatis, Prepositi, Archidiaconi, Canonici, vel Rectoris alicujus Ecclesie, aut Clerici cujuscunque sufficere pro executione facienda insinuationem, quam super hoc forma defert promulgata.

Albertus Archi Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Statuimus etiam, ut nullus manufidelis amicus, vel aliquis habens potestatem rerum captivati promittat, vel det aliquam pro liberatione ipsius, vel dando se interponat, vel alias aliquam cautionem faciat: quodsi contra Statutum hujus sacri Concilii quisquis in casu hujusmodi inventus fuerit, alicui dedisse, vel promisisse; in tanto Diocesano pene nomine teneatur astrictus. Adjicientes, quod si detentor Clerici per unum mensem Clericum detinuerit captivatum, aut, eo dimisso, infra annum a tempore captivitatis Clerici computandum, satisfactione neglecta, non obtinuerit se absolvi; extunc ab omnibus feudis cadat ipso jure, que a quibuscunque Ecclesiis noscitur obtinere. Hec omnia contra captivatores Episcoporum multo fortius volumus observari, eo adjecto, quod Episcopo captivato Clerici a familia captivatoris statim recedere teneantur: quod captivatores tales ipso facto non solum a juris cadant perpetuo pheudo, que captivitatis tempore, a quibuscunque Ecclesiis obtinebant, verum etiam ipso facto cum omni posteritate fiant inhabiles, & in eternum ad pheuda quelibet a quibuscunque Ecclesiis assequenda, aut bona eorum quelibet, que habuerunt captivitatis tempore propriata, Ecclesie applicentur. Etiam hi, qui pheuda eis duxerint concedenda, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant. Quodsi proximi Domini feudorum pheuda illa, in quibus casibus premissis Episcoporum, vel Clericorum captivatores ceciderunt, infra mensem unum vel duos concedere, vel ad se neglexerint revocaré, extunc pheudorum ipsorum collatio ad Superiorem proximum devolvatur, id quod de occisoribus, & mutilatoribus Clericorum multo fortius volumus observari.

URBANUS AD PERPETUAM REI MEMORIAM &c.

Quia, sicut displicenter recepimus, nonnulli diversarum partium Principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones, & alii Nobiles, nec non Potestates, Capitanei, Ballivi, Scabini, Advocati, Rectores, Judices, & Consules, aliique Officiales, & Consiliarii civitatum, & oppidorum, castrorum, aliorum locorum, aliique laici, & laicales persone Dominium, seu jurisdictionem in temporalibus habentes, nec non ipsarum civitatum communia, ad oppidorum, terrarum, & aliorum locorum universitates non attendentes, quod laicis in Clericos, & Personas Ecclesiasticas nulla est attributa potestas, ipsos Clericos, & Personas Ecclesiasticas, etiam interdum in dignitatibus constitutos temeritate propria bannire, seu relegare, aut proscribere non verentur; Nos adversus temeritatem hujusmodi remedium apponere cupientes, omnes, & singulos talia presumentes, aut ea fieri mandantes, seu eorum nomine, vel mandato facta rata habentes, vel in eis faciendis dantes consilium, auxilium, vel favorem, cujuscunque preeminentie, dignitatis, status, vel conditionis existant, si singulares persone fuerint, eorum videlicet singulos, vel si communia, vel universitates constiterint, omnes & singulos eorundem communium, & universitatum Potestates, Capitaneos, Ballivos, Scabinos, Advocatos, Rectores, Judices, Consules, & Officiales, quocunque nomine censeantur, & Consiliarios, & privatas perso-

personas, que hujus facrilegii principaliores preſtatores exiſtunt, excommunicationis ſententias incurrere, nec non quemlibet eorundem communium,ſeu univerſitatum,ac illas illorum Principum, Marchionum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, & Majorum quorumcunque laicorum, & laicarum perſonarum tanta preſumentium: in quibus talia fierent, civitates, oppida, terras, caſtra, & alia loca Eccleſiaſtico interdicto ſubjacere volumus ipſo facto, nec ipſis ſententiis per alium, quam Papam Romanum poterit, preterquam in mortis articulo, abſolvi, nec interdictum hujusmodi per alium etiam relaxari; non obſtante, ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & de eorum propriis nominibus, in quibuscunque conſtitutionibus, privilegiis, & literis Apoſtolicis contentis, de quibus etiam plenam, & expreſſam in dictis literis fieri oporteat mentionem. Nulli ergo &c.

Datum Rome IV. idus Decemb. noſtri Pontificatus anno VI. URBANI V.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburgenſ.

Conſiderantes, quod Clericorum quorumcunque, precipue in dignitate conſtitutorum,ſive Religioſi fuerint, ſive ſeculares, occiſoribus, mutilatoribus, tanti criminis attenta enormitate nondum ſit ſufficiens pena per conſtitutiones Predeceſſorum noſtrorum, & noſtras inflicta; ſacro approbante Concilio, preſenti ſtatuto ordinamus, & adjicimus, quod ultra alias penas, emendas,& ſatisfactiones, predicti occiſores & mutilatores, & eorum quilibet, debet tribus diebus Dominicis, ſe continue ſequentibus, nudis pedibus, & corpore, tantum femoralia habens, in Eccleſia Kathedrali, civitatis & Dioceſis illius, in qua Clericum occidit, ſeu mutilavit, proceſſionem illa hora, qua fit in dicta Eccleſia, nudus & diſcalceatus, deferens rotam parvulam in dorſo, & virgam in qualibet manu, antecedere continue; donec circuitu facto, proceſſio Eccleſiam ingreditur, & ante illam januam, per quam proceſſio ingreditur, ſubſiſtet, & duobus ultimis Prelatis, vel Canonicis in proceſſione, & cuilibet eorum, unam virgam preſentabit ad manum, & in ſignum vere penitentie petet ſe cum predictis virgis emendari; qui, receptis virgis predictis, ipſum leviter pro qualibet vice caſtigatum emendabunt: ſi autem eſſet Curatus alicujus Parochialis Eccleſie, ſeu Canonicus Eccleſie Collegiate, vel Religioſus alicujus Monaſterii,ultra emendam premiſſam, quam quilibet talis facinoroſus facere tenetur,& debet in Eccleſia Kathedrali, & illa peracta in eadem Eccleſia ſimilem faciat, & tribus diebus Dominicis ante proceſſionem, & obſervata ſimili forma in Beneficio occiſi, vel mutilati nobiliori, ſi plura obtinet, & ſecularis fuerit: ſi vero Religioſus, in Monaſterio ſuo ſervetur talis modus & forma. Nolumus etiam iſtam emendam per quemquam debere remitti venerabilem Fratrem noſtre Provincie Epiſcopum, nec predictos facinoroſos ad communionem Chriſti fidelium recipi & admitti, niſi emendam preſcriptam in forma ſua obſervent, ultra alias emendas, & penitentias predictis injunctas a Lege, vel a Canone facinoroſis. Et hujusmodi conſtitutionem volumus diſtrictius obſervari ab illis, qui Plebanos, ſeu Curatos occidunt, vel mutilant, vulnerant, captivant, vel detinent captivatos, & ſimiliter per Vaſallos, & omnes ſubditos Eccleſiarum, & Monaſteriorum in premiſſis delinquentes.

Rubrica de Uſuris.

Albertus Archi Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Contra Uſurarios juxta Statutum *Lateranenſ. Concilii* procedatur, ut ſi notorius fuerit ipſorum exceſſus, ſine diſtinctione aliqua Eccleſiaſtica careant ſepultura. Nihilominus ipſorum heredes ad reſtituendum uſuras per cenſuram Eccleſiaſticam compellendi. Si quis autem tales ſepelire preſumpſerit, ſuis Beneficiis ſpolietur. Excommunicationis ſententia ſingulis diebus Dominicis ſolemnibus proferatur in omnes, quicunque uſuras de cetero preſumpſerint exercere: hoc priori Concilio adjungentes, ut ſi non notorii uſurarii, demum in egritudine conſtituti, abſolvi deſiderent, nullatenus audi-

audientur, nisi primitus satisfaciant, vel heredes suos tales habeant, quod pro eis satisfaciant, in quantum possibile fuerit de usuris.

Sacri Concilii approbatione ordinamus, statuentes, ut in usurarios omnes cunctis diebus Dominicis & Festivis per locorum Plebanos, & eorum Vicarios authoritate nostra excommunicationis sententia proferatur; ita, ut qui publice exercent usuras, aut qui coram Ecclesia de usura convicti fuerint, aut confessi, aut qui per juratos villarum pro usurariis publice sunt proclamati, excommunicentur solenniter nominati. Qui vero de usure vitio sola sunt suspicione notabiles, nisi, datis sibi super hoc a Prelatis, Plebanis, seu Vicariis certis terminis, se de hujusmodi vitio legitime coram Ecclesia expurgaverint, & debitores usurarum, & fidejussores datos, forsitan super eis absolverint simpliciter & publice ab usuris, excommunicentur similiter nominatim cum eis, qui solvunt usuras, nec accusant, post communicationem factam eisdem infra mensem. Ab usurariis autem manifestis juxta Lateranense Concilium nullus omnino oblationes recipiat, nec ad communionem admittantur altaris, & si in hoc peccato decesserint, non recipiantur ad Ecclesiasticam sepulturam. Qui autem contra premissa fecerit, eosque recepit, restituere compellatur, & donec secundum sui Episcopi, vel ejus in Spiritualibus Vicarii arbitrium satisfecerit, ab officii sui maneat suspensus executione. Tales, si resipiscere non curaverint a peccato, deinde post restitutionem, que male extorserunt per usurariam pravitatem, si ad restitutionem omnium eorum suffecerint facultates: vel si in toto solvendo non fuerint, prius restituta ea, ad quam suffecerint, portione, de reddendo residuo fortuitu tempore sufficientem cautionem adhibeant eis, vel eorum heredibus, si existant, ex quibus extorserunt usuras: alioquin pauperibus, vel piis locis juxta ordinationem suorum Episcoporum, vel ipsis in Spiritualibus satisfactione idonea, prestita cautione ab eisdem suis Episcopis, vel eorum Vicariis in Spiritualibus absolutionis Beneficium consequantur. Nos enim solum predictis absolutionem talium duximus committendam, ne per quorundam Sacerdotum simplicitatem, & per malitiam aliorum, qui contra restitutionem hujusmodi proprium questum querunt, non salutem animarum, vel commodum proximorum, quibus est merito restitutio facienda, contra usurarios aliquid incongruum statuatur. Quod si usurarii prescripti, spe finalis penitentie, & absolutionis extreme claves Ecclesie sani contempserint, & temere sustinuerint anathema, seque in extremis absolvi petierint; juxta provisionem statuti Lateranensis Concilii non statim sub proprio juramento est eis absolutio impendenda, nisi prius male cuncta extorta restituant, dummodo in bonis mobilibus & immobilibus tantum habeant, quod restituere valeant universa: vel saltem refundant, in quantum ipsorum facultates se extendunt, & de reliquo refundendo & satisfaciendo Ecclesie, sanitate recepta, & copia rerum nacta, dederint fidejussores idoneos, consanguineos, & affines. Quod si fidejussores tales non extiterint, & in eis appareant vere penitentie signa, recepto sub forma prescripta proprio Sacramento, admittantur ad Penitentie, & Eucharistie Sacramentum: sed in penam tam diuturni contemptus clavium ad terrorem aliorum negetur eis extrema Unctio, & Ecclesiastica sepultura, nisi forte, suadente causa legitima, hoc a Nobis eis ex gratia contigerit indulgeri: ad que etiam duo ultima consequenda non sufficient proprium juramentum, & penitentie signa premissa, cum pater & mater male acquisita restituere sint parati, sed forsitan fidei contradicunt, vel properantibus nolunt per premissas exponere cautiones, vel cum uxor pro marito, vel e converso maritus pro uxore similia facere detractant: adjicientes, quod si usurarii manifesti per mensem unum temere in excommunicatione duraverint, ex tunc uxoribus & filiis, ac propriis ipsorum mancipiis Divina & Sacramenta Eucharistie subtrahantur, Baptismate parvulorum, & penitentia morientium exceptis, servientibus aliis & ancillis conductitiis, & colonis eorum excommunicationis gladio feriendis.

Preterea, cum delicta privilegium emunitatis non habeant, & delinquentem pena, non dignitas merito comitetur, statuimus, ut quilibet, sive Miles, sive Mini-

Ministerialis noster existat, seu ex quocunque privilegio, sive prescriptione refulserit super usuris, cessante in hoc crimine omni privilegio, sub officio Fratrum nostrorum Episcoporum nostre Provincie conveniri debeat, cum privilegium mereatur amittere, qui sui honoris & sacri tam viliter abutitur potestate, nihilominus & hoc contra captivatores, spoliatores Ecclesiarum, & Clericorum, Ministeriales sint, vel alias gaudeant privilegio, & contra fidejussores datos ab usurariis, volumus observari, videlicet, quod per nostros Officiales, vel nostrorum fratrum Coepiscoporum, valeant coarctari.

Rubrica de Crimine falsi.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburgens.

Et quia plerique Falsarii literis Apostolicis, & aliorum Prelatorum testimoniis afferunt se munitos, hoc Sanctum decrevit Concilium, ne tales, qualiacunque scripta deferunt, a Clericis, vel a quibuscunque aliis personis recipiantur in Ecclesiis, vel in domo; nisi prius ipsorum litere per Episcopum Diocesis, si ejus copia possit haberi, alioquin ejus in Spiritualibus Vicarios examinate fuerint diligenter, & nisi ipsius Episcopi, vel Vicarii literis testimonialibus sint muniti, & hoc ideo, quia per Sacerdotes simplices non possit de facili literarum veritas, vel falsitas indagari. Sane quecunque persona Ecclesiastica ultra hanc formam, tales receperit, ipso jure ab officio & beneficio per triennium sit suspensa, alia pena nihilominus juxta Superiorum arbitrium punienda. Istud quoque presentis authoritate Concilii huic Capitulo duximus admittendum, ut si tales, sine dictis literis testimonialibus petitiones suas presumpserint promovere; Plebani civitatum, ac villarum, ae alii, ad quos veniunt, eos cum rebus eorum (*per*) seculare judicium, si alias detineri non possint, non dubitent occupare, Diocesano, seu Archi-Diacono presentandos.

Rubrica de Sortilegiis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Excommunicamus, & anathematizamus omnes sortilegos, firmiter prohibentes, ne ab alio, quam suo Episcopo, nisi forsan in mortis articulo, absolvantur, & hanc excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis & Festivis per Sacerdotes in eorum Ecclesiis, & Capitulis precipimus publicari.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum scriptum sit in Lege Domini, quod quicunque non obtemperasset Sacerdotibus, extra castra positus dilapidabatur a populo, aut gladio cervici subjecta expiabat contemptum, & in presentia Ecclesie inobedientes cuncti de Ecclesia rapido ore demonum trahebantur. Multi, nomine Sacerdotes, censuram Ecclesie contemnentes, excommunicati, vel suspensi a Prelatis suis, exigentibus culpis eorum, immemores, quod Episcopis, & Prelatis clavium Celorum sit collata potestas, attemptare sibi interdicta ministeria non verentur, contra quos volumus rigorem Ecclesiasticum exercere; statuimus igitur, ut tales sine spe restitutionis ab officiis deponantur, & infames, ac detestabiles facti, de cetero ad Beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per penitentiam approbatam, & conversationem laudabilem Sedis Apostolilce gratiam meruerint obtinere.

Rubrica de Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Preterea statuimus, ne Religiosi cujuscunque ordinis, vel religionis ex.stant privilegiati, fines excedant suorum privilegiorum, cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Si qui etiam Religiosorum per donationem, vel alium legitimum titulum, jura Patronatus aliquorum Beneficiorum Ecclesiasticorum acquisierint, talia Beneficia propria temeritate suis usibus non usurpent, sed, ipsis vacantibus, ad ea Sacerdotes idoneos, per quos regi consueverint, & sunt recte, pervertent, nulla bona, detractis predictis Beneficiis, usibus suis reservent, Abbatie, Prioratui, Conventui, seu aliquibus officiis applicando.

Sed Ordinarius institutionem exacta diligentia faciet instituti, ad presentationem dictorum Religiosorum, vel quem ipse ex officio suo instituerit, Beneficia ad ipsum devoluta ex negligentia dictorum Religiosorum, de temporalibus ad dictum Beneficium, juribus corporalibus, & incorporalibus integre faciat responderi; alioquin elapso tempore a jure statuto, Ordinarius loci, prout Ecclesie expediat, providum virum instituat in curatum. Si quas etiam Ecclesias Parochiales, & in eorum limitibus grangia, & Monasteria habuerint, terras, agros, prata, & vineas, aut alia bona, de quibus jure decimam solvere tenentur, & decimationem defraudaverint; omnes, ipsis ad hoc opem, vel operam dantes, vel ipsorum servitiis intendentes, decernimus ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse. Quicunque vero ausu temerario contra predictam constitutionem venerit, cujuscunque status fuerit, vel conditionis, ipso facto sit anathematis vinculo innodatus. Et, si Clericus fuerit, qui talia commiserit, aut opem, vel operam, consilium, auxilium predictis, vel alicui predictorum exhibuerit perpetrandi, omnibus sit Beneficiis Ecclesiasticis, & dignitatibus privatus, & ad ulteriora percipienda omnino inhabilis, & indignus. Laicorum etiam contra presentem nostram constitutionem in aliquo venientium filii, & nepotes, usque in quartam generationem, nisi sufficienter injuriam passo satisfactum fuerit, ad omnem honorem, & dignitates Ecclesiasticas inhabiles sint, & eos etiam inhibemus, sub anathematis pena, quam exnunc in omnes contrarium facientes ferimus, in Ecclesia Dei ulterius promoveri. Et quia de Canonicis, & Clericis conviciatoribus, & percussoribus per Predecessorum nostrorum Concilia, seu Statuta, nulla certa forma vel pena, preter eam, que jure communi comprehendi invenitur, expressa; Nos attendentes, quod plus timeri solet, quod specialiter alicui precipitur, quam generaliter imperatur; approbatione totius Concilii necessario duximus statuendum: ut Canonicus, qui sue, vel alterius Ecclesie Canonicum verbis probrosis afficit manifeste, per quartam: si vero convicia manifesta dixerit in Prelatum, per mediam partem anni a tractatu, & consortio sui Capituli, nec non a perceptione fructuum sue Prebende penitus sit exclusus. Si quis autem Canonicorum in predictas personas, etiam citra sanguinis effusionem, manus injecerit temere violentas, penas predictas dupliciter patiatur: pro vulnere vero hujusmodi personis ab aliquo Canonicorum illato, si etiam nullius membri mutilatio ex tali vulnere fuerit secuta, sine omni remissione quadrupliciter puniatur, & insuper in utroque casu, juxta sui Dioces. arbitrium, leso satisfacere competenter debet, antequam restitutionis Beneficium assequatur; sed pro temeraria membri mutilatione omni Beneficio Ecclesiastico ipso jure sit privatus. Que omnia, & singula circa alios Clericos Beneficiatos, si Personas Ecclesiasticas predictis modis ledant, seu ledantur ab ipsis, juxta premissam formam, & ordinem sub penis eisdem observari mandamus; salvis tamen aliis penis, in sacris Canonibus contra temerarios violentarum manuum in Clericos injectores expressis, salvis etiam aliis juribus, que vim repellere permittunt.

Rubrica de Penis.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Statuentes presenti constitutione, ut si quando contigerit personam Ecclesiasticam, vel ejus familiam domesticam captivari, & ad aliquam civitatem, oppidum, castrum, villam, captum duci, & in dicta civitate, oppido, castro vel villa captivum detineri, in vinculis incarceratum, vel alias quocunque modo, aut infra terminos ipsorum in aliquo loco, seu res ipsarum spiritualium Personarum abduci, vel abducta detineri; Sacerdotes, vel Capellani civitatis, oppidi, castri, ville, cujuscunque eminentie, vel status fuerint, exempti, presentis nostre constitutionis vigore & authoritate, non exempti vero in subsidium juris, quos etiam requirimus per presentes, postquam sic sciverint, & ad eorum notitiam devenerint, & quousque predicte persone Ecclesiastice, vel eorum familie, consanguinei, vel nepotes eorum, bona sic in prædam, vel spolium abducta detineant, non expectato super eo Superioris mandato, cessent a Divinis, strictissimum Ecclesiasticum servantes interdictum: & nihilominus

minus predicti Sacerdotes, Capellani dicte civitatis, oppidi, castri, ville, presentis constitutionis authoritate in unum congregati adeant, & requirant Dominos civitatis, oppidi, castri, vel ville, ne predictas personas Ecclesiasticas aliunde ad bona sua adductas, seu eorum familiam, ipsorum nepotes & neptes cum suis rebus captivos detineri permittant, nec aliunde ad loca alia deduci ulteriora, seu ipsorum bona & res quecunque; sed mox personis predictis pristine redditis libertati, ipsis etiam ipsorum bona integraliter restituant. Quod si dicti Domini temporales civitatis, oppidi, castri, ville, vel alterius loci, seu alie Potestates temporales adimplere contempserint requisite; volumus ipsas sententia excommunicationis majoris, & quemlibet eorum fore ligatum, & tamdiu excommunicatos denuntiari, & loca predicta, in quibus visi fuerint, & moram traxerint, & in eorum presentia, quamdiu ibi fuerint, esse supposita Ecclesiastico interdicto: nec absolvantur a predictis sententiis, nec interdum relaxetur, nisi ad arbitrium Executoris loci personis lesis plenarie satisfaciant, maxime puellis & mulieribus, quas corruperunt, & quibus abusi sunt, & pro tante temeritatis excessu penam patientur, sicut occisores & mutilatores Clericorum, incedentes ante crucem nudi & discalceati, secundum quod occisores Clericorum, vel mutilatores, ultra omnes alias penas, eis inflictas, facere tenentur astricti: nec istam penam per quemquam Venerabilium Fratrum nostrorum, Coepiscoporum nostre Provincie, nec per Archi-Episcopum nolumus remitti.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Ex multorum querelis recepimus nostrorum subditorum, qui & ipsi, quod dolenter referimus, experientia didicimus evidenti, quomodo Mendicantium ordinum Fratres sue institutionis, & professionis observantie facti immemores, soli incedere in campis, in civitatibus, & villis nunc pedestres, nunc in equis, nunc in curribus: alii sine habitu, aliquando sue professionis habitum deferentes, presumunt, & Curatis nostre Provincie, quibus deputati terminarii, ad supportandum cum eis ipsorum onera in confessionibus, eorum subditis, dummodo tamen presentati fuerint, audiendo, jam facti sunt in gravamen. Et cum solum in Adventum Domini usque ad diem Circumcisionis Domini inclusive, & per Quadragesimam usque ad octavam Pasche, & per festum Pentecostes, ac Assumptionis B. Marie Virginis deberent in locis, ubi terminarii deputati sunt, in verbo Dei requisiti proponendo, & licentiati dumtaxat per Curatos in confessionibus audiendis prestare subsidium, suis sanctis moribus populum ad profectum incitare salutis; Nunc vero, privilegiis eis concessis ab universali Ecclesia, presumptuose abutentes, fere per totum annum in locis, ubi terminarii deputati sunt, & in domibus suis frequenter soli cum mulieribus, quas ipsorum *Martas* (ut eorum verbis utamur) habitare non verentur, ex quibus scandala plurima frequenter oriuntur in populo: nunc Medicorum officium exercentes, nunc se artifices in diversis artibus & artificiis mentientes, victum per tales abusus querentes, &, quod deterius est, in stubis communibus inter populares balneare non verentur. Volentes igitur predictorum Mendicantium Fratres ordinum, & presertim terminarios, terminis suorum privilegiorum esse contentos, nec ipsos debere presumere, que suam professionem dedecent, & scandalum ponunt in populo; unde, Sacro approbante Concilio, statuto presenti ordinamus, statuentes, & prohibentes, ne quis Mendicantium ordinum Frater de cetero presumat solus, etiam in habitu sue professionis, & nullatenus habitu deposito, Monasterium suum egrediendo, per quevis loca nostre Provincie incedere, vel morari, presertim in domibus, & in locis, ubi sunt terminarii deputati, extra tempora prescripta: nec Medicorum officium, aut aliud quodcunque artificium assumere, & exercere, quod sue religioni non congruit: nec balnea recipere in stubis communibus, & inter populares, ubi frequenter suspectarum mulierum se prebet copiosa presentia. Si qui vero Religiosi hoc salutare statutum violantes, presumpserint soli in civitatibus, castris, villis, vel per alia loca nostre Provincie incedere, sine socio sui ordinis, habitu sue professionis deposito, vel delato, vel incedentes in calo-

calopediis, Medicorum officium, vel aliud officium, quod sue religioni non congruit, presumpserint exercere, seu in locis, ubi sunt terminarii, & extra tempora prescripta, & eis concessa, habitare, vel balnea publica adire, & balneare in eisdem; volumus per Curatos, in quorum Parochiis sunt deputati, ad suos Superiores, & ad manendum amplius in suis claustris remitti, & de cetero eos pro terminariis minime sustineri. Si autem predictorum Mendicantium ordinum Fratribus sic solis, ipsorum habitu deposito, vel delato repertis, vel in stubis communibus balneantibus, injuria illata fuerit; volumus eis per Executorem statutorum nostrorum nostre Provincie, si injuriati fuerint, subveniri minime, nec ipsos ad predicandum Verbum Dei in Ecclesiis nostre Provincie, vel ad audiendum confessiones, vel ad petendum charitativa subsidia a populo nostre Provincie, per Plebanos & Curatos admitti.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Hoc sacro approbante Concilio statuimus, ut si quis in hoc Sacrilegii genus irrepserit, quod Archi-Episcopum, vel Episcopum nostre Provincie fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea acceptaverit, vel defensaverit eundem: sicut reus criminis lese Majestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus, & bannitus, sit intestabilis: dentur cuncta ejus edificia in ruinam, & ut perpetuam notam infamie perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur: nullus ei debita reddere, nullus in judicio respondere teneatur. Quicquid etiam in bonis reperitur ipsius, ipsi Ecclesie, cujus est Episcopus, applicetur, ut ex illis nihil transmittat ad posteros; sed potius cum ipso quodammodo damnentur & sua. Si que vero feuda, Officium, vel Beneficium Spirituale, aut temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso jure privatus, que sic libere ad Ecclesias convertantur, quod Ecclesiarum Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quodsi qui predictorum filios habens, vel nepotes, per rectam lineam descendentes, Beneficiatos, quivis Beneficio sit eo ipso privatus. Nulli preterea talium filiorum, atque nepotum, per virilem sexum descendentium, ab eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici, vel mundani. Et ut magis famosa eis sit infamia, ab omnibus actibus legitimis repellatur. Volumus etiam, & presenti statuto adjicimus, ut in executione predicta, sicut ex injectione manuum violenta ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & tam insecutor, quam supradicti alii, tanti mali participes, quamdiu in sua contumacia perduraverint, singulis diebus Dominicis, & Festivis pulsatis campanis, & candelis accensis per omnes loci illius Ecclesias, in quo tantum fuerit facinus perpetratum, nec non civitatis, Diocesis, vicinarum, excommunicati publice nuntientur, nec ab alio, quam a Provinciali Concilio, vel Summo Pontifice possint absolutionem, preterquam in mortis articulo obtinere. Cum autem primo fuerint absolvendi, primo sufficienter, & idonee caveant, quod inferende pene parebunt, & auxiliante Domino penitentiam peragent injungendam. Deinde per omnes illius loci Ecclesias principales, vicinorumque locorum, diebus Dominicis, & solennibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & virgas, seu fertilas ferentes in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice sustinentur, ituri postmodum ad Sedem Apostolicam, ibidem acturi penitentiam per annum integrum: nec inde postmodum reversuri, absque dicti Archi-Episcopi, vel Episcopi lesi, vel sic offensi, & Ecclesie sue licentia spirituali. Ceterum cum tales gratiam reconciliationis meruerint, Beneficio absolutionis obtento, indulgeatur licentia, ut suam, & suorum injuriam prosequantur, & debitorum illorum, que contracta fuerunt, post absolutionem acquisitam, repetitio non negetur. Preterea precipimus, ut Presides Provinciarum, Domini, seu Rectores, Schulteti, & alii temporales civitatum, oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, contra presumptores predictos presentis statuti tenorem districte observent, & faciant observari. Quod si non fecerint, tam ipsi, quam Officiales Episcoporum, infra mensem, postquam res ad ipsorum notitiam pervenerit, eo ipso sententiam excom-

excommunicationis incurrant; civitates vero, & universitates alie, que talia presumentes receptaverint, vel in his consilium, vel auxilium dederint, vel infra mensem taliter saltem delinquentes, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas eis affuerit, non duxerint puniendos, Ecclesiastico subjaceant interdicto.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallensi.

Ut autem penas premissas contra captivatores, vel detentores Personarum Ecclesiasticarum nostre Provincie, hoc Concilio generaliter promulgatas mitigare, remittere, interpretari, declarare, vel etiam ampliare, prout facti qualitas exegerit, valeamus; tam Nobis, quam cuilibet Fratrum Coepiscoporum nostrorum, in sua Diocesi libera sit facultas, penis prioribus super Archi-Episcopi, vel Episcopi captivitate, seu detentione statutis immutatis, nisi super hoc omnium nostrum accedente communi consilio, & consensu.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Cum non solum Clerici, sed etiam ipsorum familia utriusque sexus, sint, & esse debeant a secularium quorumcunque Judicum judicio, & Potestatum secularium potestate, invasione, oppressione, & in jure exempti; hoc tamen multe seculares persone, Potestates, Advocati, Ballivi, civitatum, castrorum, oppidorum, & villarum Rectores, per se, vel alium, vel alios, Curatorum, Plebanorum, & aliorum Clericorum familiares, vel ancillas, vel eorum consanguineas cum eis habitantes, vel alibi moram trahentes, in ipsorum Clericorum odium invadere per se, vel per submissas personas, verberare, vulnerare, captivas ducere, & eis abductis & captivis detentis abuti non verentur, ipsas etiam rebus suis spoliantes, & exactionantes. Attendentes, quod hujusmodi injurias, vel libertatis Ecclesiasticarum personarum violationem, non debemus sub aliqua dissimulatione sustinere; Eapropter presentis constitutionis authoritate, sacri approbatione Concilii, statuimus, ut quecunque singularis persona premissas personas, vel eorum aliquam verberaverit, vulneraverit, captivas duxerit, mutilaverit, eis abusus fuerit, rebus suis spoliaverit, vel exactionaverit, sit ipso facto excommunicationis sententia innodatus: & nihilominus ubi domicilia habuerit, vel moram traxerit, & in ejus presentia, servetur strictissimum interdictum, quousque hujusmodi personas, & presertim mulieres, puellas, seu virgines, quibus abusus est, pristine restituerit libertati, ac etiam rebus earum integre restitutis, atque satisfactio de injuriis eis illatis, ad arbitrium Executoris Diocesis, ubi predicta committi continget.

Borchardus Archi-Episcopus, ex Concil. Hallensi.

Insuper & is, qui submissione tam illicita, aut alicujus utilitatis, aut commodi temporalis cupiditate seductus, aut appetitu dominandi presumptuose deceptus, vel ad hoc quavis alia causa allectus, ad se receperit a tali submissione infra mensem, non recedere, atque infra eundem mensem, quicquid ad eum hujusmodi submissionis occasione, quocunque modo pervenit, vero Domino loci, in cujus injuriam est receptum, totaliter restituere teneatur; alioquin excommunicationis sententiam incidat ipso facto.

Rubrica de Confessionibus & Penitentia.

Albertus Archi-Epicopus, ex Concil. Magdeburg.

In Confessionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam Sacerdotes, ita, ut a penitente usitata peccata, & omnia sigillatim, inusitata vero tantum per quasdam circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante nescierant: ne verbo aut signo, vel aliquo modo prodant aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerint, illud absque omni expressione persone caute perquirant: quoniam qui peccatum in penitentiali judicio sibi detectum presumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendum penitentiam in artum Monasterium detrudendum. Verum quia quidam Confessores, etsi personam confitentis non exprimant, circumlocutionibus tamen

tamen confitentium peccata, & circumstantias sub quodam generalitatis involucro indirecte publicant confitentem; Concilium proxime celebratum clarius elucidando statuimus, ut nullus Sacerdos expressa religione, conditione, seu statu, alicujus peccatum recitet confitentis, immo nec peccati qualitas, locus, vel vicinia perpetrati facinoris indicetur, aut specificatione peccati humana fragilitas ad perpetrandum similia provocetur.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Et quia plerumque infirmos sua confiteri peccata propter multorum presentiam erubescere contingit, illud a Sacerdotibus precipimus districtissime observari, ut ipsi familiariter, & secrete audiant confessionem, si mortis periculum non subsistat, & postea ad eum deferant cum devotione, habitu, & reverentia condecenti hostiam salutarem.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Prohibemus etiam, ne quis Sacerdos ab uno sibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expressis, inquirat, & ne Missas, quas penitenti procurandas injunxerit, ipsemet celebrare presumat, & ne pro vivis fiat aliquod tricenarium, vel annuale.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quamvis Ecclesia toleret, quod de conniventia proprii Sacerdotis subditi Presbyterorum & Plebanorum, pro majori consilio adipiscendo, religiosis quibusdam confiteantur interdum; volumus tamen, immo sacri Concilii authoritate, sub pena excommunicationis late sententie inhibemus omnibus Religiosis, ne subditis Plebanorum, maxime autem Beguinis, Vagerdinis, & inclusis, aut aliis personis hujusmodi communicent Corpus Domini, aut alia porrigant Ecclesiastica Sacramenta, parvulis, vel adultis. Hoc etiam sub eadem pena Religiosis omnibus firmiter inhibentes, ut cum processiones, & stationes solennes, quas observat Ecclesia generalis ex institutione Ecclesie, & magne authoritatis, & multe opitulationis existant, utpote in quibus Dominus honoratur votis communibus, & placatur; ne populum abstrahant ab eisdem, predicationes tunc ipsis instaurando: immo in predicationibus sedulo proponant eisdem, quod totaliter tenentur interesse festivitatibus, & quod peccent se ab hujusmodi Processionibus abstrahendo. Eidem populo exponant, quod Matricem Ecclesiam in precipuis festivitatibus tenentur accedere, ac illam sua presentia honorare, a qua Sacramentorum gratia in eos, quasi ex fundamentali gurgite influit & descendit: ipsique tunc abstineant ab omnibus allectivis, quibus abstrahi posset populus, quominus ad solennitatem veniat sue matris. Interdicimus etiam omnibus religiosis mendicantibus, ne ipsi presumant de cetero novas facere adinventiones in Processionibus & aliis, nec Dominicis diebus, & aliis festivis circuitum faciant processionaliter per ambitus, cimiteria, & Ecclesias, secum reliquias deferentes, nisi diebus Dedicationis Ecclesiarum suarum, nec cereos in die Purificationis populo solenniter benedicant, nec ramos, palmas, seu frondes in die Palmarum, neque herbas, vel alios fructus in die Assumptionis B. Marie Virginis, vel alio quocunque die, premissa vel consimilia de cetero facere presumant. Requirimus igitur omnes Fratres & Coepiscopos nostre Provincie, & ipsorum Officiales, ut diligenti cura invigilent, ut Mendicantium ordinum Fratres in premissis culpabiles repertos, ab hujusmodi excessibus supra modum exquisitis, & a jure non permissis, cessare compescant, & Episcopo loci de tante temeritatis excessu satisfacere per districtionem Ecclesiasticam compellant, Executore statutorum loci hoc efficiente.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

In furto, usura, rapina, & fraude ante omnia injungant penitentibus, ut si possint, ablata restituant: alias nulla valebit eis satisfactio ad salutem, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Albertus Archi-Episcopus, ex Concil. Magdeburg.

Sunt autem tria peccata, que in satisfactio-

tisfactionibus injungendis ſunt Domino Apoſtolico reſervanda, ſcilicet: in Clericos, vel alias perſonas, vel alios quoscunque Religioſos injectio manuum violenta, Eccleſiarum, vel Religioſorum locorum incendia, & Symonia in ordine perpetrata. In aliis peccatis minoribus ſecundum quantitatem culpe, & pluralitatem confitentis, rationabilem ſatisfactionem temperent Sacerdotes.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg

Statuimus, quod Sacerdotes in ſatisfactionibus injungendis, in religione ſedentibus, ac majoribus majora reſervent, utpote homicidia, ſacrilegia, incendia, peccatum contra naturam, concubitum perſonarum conventualium in ſacris Ordinibus conſtitutarum: inceſtus, videlicet cum conſanguinea, vel affine, vel cum ea, que votum caſtitatis emiſit: injectiones manuum in parentes, oppreſſiones parvulorum, negligentiam parentum in ignem vel aquam natos amittentium, Beneficiatorum perjuriam, ſolennes fidei fractiones, votorum transgreſſores, Symoniam, adulteria, hereſes, apoſtaſias, maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ne poſſint coire, vel qui procurant ſterilitatem mulierum, vel abortum: falſarios, qui ſigilla, literas, vel monetam falſificant. In hujusmodi peccatis, & ſimilibus detentos mittant Sacerdotes ad Epiſcopos abſolvendos, nec abſolvant, preterquam in mortis periculo, abſque loci Epiſcopi licentia ſpeciali. Declarantes, quod illi, quibus hanc duximus committendam, poteſtatem illam aliis perſonis non habeant committendi. In dubio autem conſulant Epiſcopum, vel ejus vices gerentem, vel alios ſapientes, quorum conſilio penitentem abſolvant, vel transmittant ad alium abſolvendum.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Quia Clerici quidam & laici, vinculo excommunicationis aſtricti, fiducia finalis penitentie & abſolutionis extreme claves Eccleſie contemnunt tempore ſanitatis; Hujus Sacri Concilii authoritate ſtatuimus, ut tales in extremis ad reconciliationis Beneficium nullatenus admittantur duntaxat ſub proprio juramento, niſi idoneam cautionem preſtent, quod ſive moriantur, ſive convaleſcant, per ſe, vel per ſuos, in quantum ipſis eſt poſſibile, ſatisfaciant de commiſſo.

Rubrica de Sententia Excommunicationis.

Albertus Archi Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Si Epiſcopus aliquem excommunicat certa de cauſa, denuntiet vicinis Epiſcopis per ſuas patentes literas, ut excommunicatum faciant denuntiari, & vitari: ex tunc ſine aliqua difficultate vicini Epiſcopi excommunicatum faciant publice nunciari, & in Diocesibus ſuis arctius evitari. Si vero Epiſcopi in hoc fuerint negligentes, vel excommunicatis communicaverint; tamdiu Kathedralium Eccleſiarum Canonici ſibi non communicent, quamdiu huic ſalubri ſtatuto preſumpſerint obviare.

Rubrica de Verborum ſignificationibus.

Albertus Archi-Epiſcopus, ex Concil. Magdeburg.

Parum enim eſſet malitiis hominum occurrere per bonorum jurium ſanciones; niſi quibus date, ad ipſorum obſervantiam, prout ſui ſtatus concernunt decorem, juſto modo compellantur; Sacro igitur approbante Concilio ordinamus, quod licet Statuta Provincialia preſentis opuſculi ſint ab omnibus ſubditis noſtre Provincie debita reverentia, & obſervantia amplectenda; tamen non omnia omnibus communiter precepta videntur, ſed aliqua Prelatis, aliqua Canonicis ſecularibus, aliqua Curatis, & Plebanis, aliqua vero Religioſis ſexus utriuſque. Quapropter volumus & precipimus, ut Plebani, & Curati Statuta preſentis opuſculi habeant, & frequenter perlegant, que ſpecialiter eis loquuntur, ad menſem ſemel cum diligentia perlegant, & memorie ſue commendent; ne penas ipſorum incurrant laqueati. Etiam ſtatuta preſentis opuſculi habeant, & perlegant Monachi, & ipſorum Prelati, & quique regulares ſtatuta ipſos concernentia, per que vita & ſtatus ſue Pro-

Professionis conservatur in decore. Volumus, singulis septimanis, & feriis sextis ipsis congregatis, in unum lectione diligenti recitari, & istum modum precipue volumus per Prepositos Sanctimonialium, & per ipsas Moniales observari, ut semel in septimana, videlicet feriis sextis hora Capitulari, ipsis in unum congregatis, statuta, que de emendatione status ipsarum in presenti opusculo conscripta videntur, ipse habeant, & perlegant studio diligenti, & observent, ne improvide penis eorum laqueentur.

Albertus Archi-Episcopus, ex Conc. Magdeburg.

Cum in aliquo Statuto Sedis Apostolice, ejus Legati, vel nostre Provincie Judicum dicte sedis Executorum, & Conservatorum, processibus, vel Ordinariorum mandatis ponitur ista oratio: Supponimus civitatem, oppidum, castrum, villam, vel aliquem locum Ecclesiastico, vel strictissimo interdicto. Vel ista oratio: Cessetis per civitatem, oppidum, castrum, villam, vel alium locum a Divinis, vel penitus a Divinis: iste orationes parem vim habent, & tunc per totam civitatem, & ejus suburbia debet servari strictissimum interdictum: & exempti, quacunque exemptione non obstante, tenentur ad ipsius observationem, & tunc est interdictum generale, & comprehendit omnes Ecclesias civitatis &c.

Cum vero in aliquo statuto predictorum dicitur: Ecclesiam talem, Monasterium, vel Capellam supponimus districtissimo interdicto; tunc solum illa Ecclesia est interdicta, & in illo interdicto non habet locum Capitulum, Alma mater; quia est interdictum speciale. Idem esset, si in aliquo statuto, vel processu diceretur: interdicimus, seu supponimus Ecclesiastico interdicto civitatis, castri, vel ville Ecclesiam: tunc in tali Ecclesia est interdictum speciale.

Item si diceretur in aliquo statuto, processibus, seu mandato: Volumus per civitatem, oppidum, castrum, vel villam, & mandamus cessari a solenniis Divinorum: vel dicitur sic: Cessetis in Ecclesia Sancti Martini a solenniis Divinorum; & in hoc casu omnia Divina Officia peraguntur, sicut prius, legendo, & Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, non prohibitis sanis, & infirmis, ut prius, sed solum tunc cessatur a cantu, & ab organis.

Regule Juris.

Omne statutum presentis opusculi, aut continet mandatum, aut consilium.

Statutum, continens mandatum, seu preceptum, obligat omnes subditos nostre Provincie, quibus dirigitur sub pena peccati.

Statutum, continens consilium, licet transgressor penam non meretur, tamen perfectius viveret, ipsum adimplendo. Sicut diversi sunt status hominum nostre Provincie, ita opportunum fuit, diversa statuta edere, quibus mali retrahantur a noxiis, & boni dirigantur, vel ministrentur ad opera virtutis.

Omne statutum continens preceptum presentis nostri opusculi, sive affirmativum, sive negativum, ligat, & constringit subditos nostre Provincie, quibus dirigitur, secundum suam limitationem & adjectas conditiones.

Sanctorum Patrum regulis, & statutis Christianus regatur in vita, verbis, & factis, ut sciat, & faciat, quod acceptum est Omnipotenti Deo, qui vivit, & regnat per omnia secula seculorum.

Cl. Lunig in Continuat. II. Spicilegii Eccles. pag. 270. & sequentibus.



JOAN-

JOANNIS XXIII. Papæ Mandatum ad Magiſtratum Luneburgenſem, ut Curiam Luneburgenſi in urbe ſitam reſtitui faciant HENRICO Verdenſi Epiſcopo, aut ejus Procuratori. Ex Concilio Conſtantienſi.

Anno Chriſti MCCCCXV. Joannis XXIII. Pp. V. Sigismundi Regis VI.

JOHANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS PROCONSULIBUS, ET CONSULIBUS OPPIDI LUNEBORGENSIS, VERDENSIS DIOCESIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

AD ea, que Apoſtolice Fidei augmentum reſpiciunt, libenter, prout ex debito Paſtoralis officii tenemur, intendimus, & ut Chriſti fideles in fide perſeverare, & a tramite fidei deviantes redire valeant, ſolicitudinis noſtre partes libenter impendimus, illasque perſonis, quas Nobis, & Sanĉte Romane Eccleſie devotas eſſe conſpicimus, ducimus committendas.

Sane ad audienciam noſtram fide dignorum inſinuacione pervenit; quod nonnulli *in Dioceſi Verdenſi* moram trahentes, poſt & contra generale Concilium Piſanum: in quo Angelus Corario, Gregorius XII. & Petrus de Luna, Benedictus XIII. tunc in eorum obedienciis nuncupati, ac inſimul de Papatu contendentes, notorii ſchiſmatici, & pertinaces heretici ſentencialiter declarati fuerant: eidem Angelo notorie adherere, & favere, nec non quandam Curiam *ad Epiſcopalem menſam Verdenſem* juſto titulo pertinentem, & in oppido Luneborgenſi dicte Dioceſis conſiſtentem, in fomentum ſchismatis detinere & occupare preſumpſerint, & preſumant. Nos igitur, qui orthodoxe fidei cultum augeri, & eidem fidei pertinaciter reſiſtentibus obviare, quantum cum Deo poſſumus, intenſis deſideriis affectamus, diſcretionem veſtram, de qua in Domino fiduciam gerimus ſpecialem, rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus poſt receptionem preſencium dictos detentores, & occupatores perſonaliter accedentes, ipſos auctoritate Apoſtolica moneatis, & mandetis eisdem, ut poſt ſex dies, monitionem & mandatum hujusmodi immediate ſequentes, prefatam Curiam cum omnibus juribus & pertinenciis ſuis Venerabili Fratri noſtro HENRICO, *Epiſcopo Verdenſi*, ſponte & libere dimittant, ipſumque ad eandem Curiam abſque impedimento quolibet admittant: alioquin detentores & occupatores prefati excommunicacionis ſentenciam eo ipſo incurrant: quodque ſi eandem excommunicacionis ſentenciam per alios ſex dies animo ſuſtinuerint indurato; vobis ſub pena excommunicacionis, quam ferimus in his ſcriptis, trina tamen Canonica monitione premiſſa, precipimus & mandamus, quatenus infra alios ſex dies ex tunc immediate ſequentes, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino prefigimus & aſſignamus, ipſos occupatores & detentores brachio ſeculari ab eadem Curia auctoritate prefata amoveatis, dictumque *Epiſcopum*, vel Procuratorem ſuum ejus nomine, ad Curie, nec non jurium & pertinentiarum predictarum corporalem poſſeſſionem auctoritate prefata admittere ſtudeatis, contradictores diſtrictione, qua convenit, compeſcendo, preces, & mandatum hujusmodi taliter impleturi, quod devotorum filiorum affectum habere dignemini erga matrem, & nos devocionem veſtram dignis attollere laudibus, & congruis graciarum actionibus proſequi valeamus. Datum Conſtantie VII. Id. Februarii, Pontificatus noſtri anno quinto.

Jo. Langhe.

Presentata est hæc Bulla Consulibus in Luneborgh ipsis in loco consulariter congregatis, per Magistrum Nicolaum Poppen, Officialem Curie Verdensis, anno Domini M. CCCCXV. die Veneris, XXVI. mensis Aprilis, hora nona vel quasi &c.

Item eadèm quasi hora in mei Lippoldi de Wendeborffelde, alias dicti Bödeker, Notarii publici, & testium, videlicet Lamberti de Langhen, & Bernardi de Bornum, laicorum, Osnabrugensis & Hildensemensis Diœcesium, presencia personaliter coram prefatis Consulibus constituto honorabili viro Domino Borchardo de Monte, Priore Monasterii Sancti Michaelis, Conrado de Elstorp Advocato, nec non quibusdam pretensis familiaribus Ulrici de Albek, videlicet Johanne Hassone, & Ulrico Swevo, occupatoribus &c. Curie Episcopalis in Luneborg, prefati Consules presentem Bullam legi, & insinuari fecerunt, ipsisque copiam exinde dederunt, requirentes & mandantes, prout in Bulla continetur.

Communicavit Cl. ab Erath, Nassovico-Dillenburgensis Consiliarius.

Concilium Constantiense mandat Consulibus, & Scabinis oppidi Lunebergensis, ut HENRICO Verdensi Episcopo, jam cum ULRICO Antecessore conciliato, faciant omnia bona Verdensis Ecclesiæ restitui.

Anno Christi MCCCCXVII. Apostolica Sede vacante. Sigismundi Regis VIII.

SACROSANCTA ET GENERALIS SYNODUS CONSTANTIENSIS, DILECTIS ECCLESIE FILIIS, SCABINIS, ET CONSULIBUS OPPIDI LUNEBURGENSIS, VERDENSIS DIOCESIS, SALUTEM, ET DEI OMNIPOTENTIS BENEDICTIONEM.

ETsi propter universalis Ecclesie scissuram jam diu, quod dolenter referimus, vigentem, eciam in particularibus diversis Ecclesiis per contendentes ad invicem fuerit suborta divisio, adeo, quod in plerisque partibus una Ecclesia duos aut tres habeat incumbentes; Nos qui ad ipsius universalis Ecclesie reparacionem convenimus, tribus obedienciis conjunctis in unum, Deo auspice, sedaverimus scissuram hujusmodi, decens est, ut ipsarum particularium, maxime Cathedralium Ecclesiarum, divisionem cum omni solicitudine, quantum Nobis possibile fuerit, etiam reparemus, & earum specialius, ad quarum reparationem nostrorum Decretorum tenore hactenus editorum dignoscimur obligati. Sane cum nuper, dum pro parte Venerabilis Fratris nostri, Angeli, Episcopi, Sancte Romane Ecclesie Cardinalis, tunc Gregorii XII. in sua obedientia nuncupati, cessio juris, si quod sibi in Papatu competebat, fieri deberet, prout & demum facta fuit, declaravimus, & in publica Sessione pronuntiari fecimus, quod ubi duo, vel plures in eodem titulo ex diversis obedientiis concurrerent, cum debita mansuetudine, & rationabili equitate, utriusque obedientie honore, quantum fieri posset, salvo, super hoc provideremus modo & tempore opportunis, compertumque sit, quod alias ad Ecclesiam *Verdensem* Venerabilis Frater *Ulricus*, per dictum Angelum dudum ante cessionem ipsam, ac Venerabilis Frater *Henricus*, successive per ALEXANDRUM Papam V. in sua obedientia nuncupatum, promoti essent, & alter civitatem cum magna parte Diocesis, alter vero etiam aliquam partem Diocesis obtinerent, cujus tandem occasione hoc sacro incepto Concilio fuerat inter eos coram Judicibus per sacrum Concilium ad hoc deputatis, questionis materia suscitata, & aliquamdiu inter eos disceptatum. Et quoniam nuper idem Dominus *Ulricus* per Venerabilem Fratrem nostrum *Everbardum*, Archi-Episcopum Salzeburgensem, ad quem ipsius Ecclesie dispositio de antiqua consuetudine dicitur pertinere, ad Ecclesiam *Seccoviensem* tunc

tunc vacantem aſſumptus eſt, & ipſius poſſeſſionem pacifice adeptus. Nos deſiderantes, quantum nobis ex alto conceditur, hujusmodi *Verdenſis*, & aliarum Eccleſiarum ſciſſuram & diviſionem reparare, nec non Decreta predicta, ac reſervationem & declarationem hujusmodi ad debitum effectum, prout tenemur, deducere; Univerſitatem veſtram rogamus attente, & hortamur in Domino, quatenus ut fideles filii Matri ſeſe ſuccurrentes, commoditate data, modis honeſtis, quibus expediet, quantum in vobis fuerit, ut ipſa Eccleſia *Verdenſis* jurium, bonorumque & caſtrorum ſuorum integritate gaudere, & deperdita recuperare, ipſeque Dominus *Henricus* ejus plena & pacifica poſſeſſione gaudere, & perfrui valeat cum effectu, operam velitis adhibere efficacem, ex hoc ultra hujus ſeculi laudem & gloriam, que inde vobis uberrime provenient, meritum ab eo, qui bonorum omnium largifluus retributor eſt, uberrime recepturi, Nosque ex hoc votis veſtris, ſi que vobis grata poterimus, tenacius aſtringemur.

Datum *Conſtancie* XIV. Kal. Octob. Anno a Nativitate Domini Milleſimo, quadringenteſimo, decimo ſeptimo, Apoſtolica Sede vacante.

Jo. LANGHE.

Ineditum communicavit Cl. ab Erath, Naſſovico-Dillenburgenſis Conſiliarius.

CONCORDATA inter MARTINUM V. Roman. Pontificem,

E T

Nationis Germanicæ Procuratores, Ambaſiatores inita: Miſſa in dupliei Exemplari authentico ad Univerſitatem Colonienſem.

Anno Chriſti MCCCCXVIII. Martini V. Pp. I. Sigismundi Regis IX.

UNiverſis & ſingulis JOHANNES miſeratione Divina Epiſcopus Oſtienſis Sancte Romane Eccleſie Cardinalis & Vice-Cancellarius ſalutem in Domino & preſentibus fidem indubiam adhibere Si juxta laudabilem antiquorum ſententiam & providum ſapientum conſilium dignum eſt ea que majorum conſultiſſima providentia in ſubditorum gratiam & commoda geruntur ſcripture teſtimonio redigere dignum per conſequens eſt & rationi conſentaneum ut adeo nota fiat eorum veritas (*a*) quod inde nec deſit pacifices (*b*) opportuna proviſio Nec uſquam perverſis ſub ignorantia variandi ſupina facilitas relinquatur Cum itaque nuper inter Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum (*c*) Dominum MARTINUM Divina providentia Papam quintum & Reverendos Patres Prelatos nec non egregios & circumſpectos Viros Ambaſiatores (*d*) Procuratores Doctores & Magiſtros ceterosque venerabilem nationem Germanicam in Generali Conſtancienſi Concilio repreſentantes & facientes nonnulla Capitula concordata & ab utraque parte ſponte ſuſcepta nec non de dicti Domini noſtri Pape mandato & libro Cancellarie Sancte Romane Eccleſie in quo Romanorum Pontificum conſtitutiones & ordinationes ſolent conſcribi ad futuram rei certitudinem Nos operam dando prout ad noſtrum ſpectat officium die XV. menſis Aprilis Pontificatus dicti Domini noſtri Pape anno primo conſcripta fuerunt ac de particulari mandato in audientia contradictoriarum (*e*) die ſecunda menſis Maji anno quo ſupra lecta & publicata adjecto, quod ſub noſtrarum

(*a*) *Aliud exemplar habet*: veracitas
(*b*) pacifica
(*c*) noſtrum
(*d*) Ambaxiatores
(*e*) contradictarum

rum literarum teſtimonio indigens quisque ſibi teſtimonium ſumere valeat in toto vel in parte qua indiget earundem Nos ad Venerabilium Nuntiorum Univerſitatis ſtudii Colonienſis inſtantiam Capitula hujusmodi ſic ut prefertur concordata & ſponte ſuſcepta ex integro ex libro predicto de verbo ad verbum fideliter conſcribi & preſentibus adnotari fecimus quorum tenor ſequitur in hunc modum

Statuimus ut (*f*) deinceps numerus Cardinalium Sancte Romane Eccleſie adeo ſit moderatus quod non ſit gravis Eccleſie qui de omnibus partibus Chriſtianitatis proportionabiliter quantum fieri poterit aſſumantur (*g*) ut notitia cauſarum & negotiorum in Eccleſia emergentium facilius haberi (*h*) poſſit & equalitas regionum in honoribus Eccleſiaſticis obſervetur ſic tamen quod numerum XXIV. non excedant niſi pro honore Nationum que Cardinales non habent unus vel duo pro ſemel de conſilio & conſenſu Cardinalium aſſumendi viderentur Sint autem viri in ſcientia moribus & rerum experientia excellentes Doctores in Theologia aut in jure Canonico vel civili preter admodum paucos qui de ſtirpe Regia vel Ducali aut magni Principis oriundi exiſtant In quibus competens literatura ſufficiat non fratres aut nepotes ex fratre vel ſorore alicujus Cardinalis viventis nec de uno ordine Mendicantium ultra unum non corpore vitiati nec alicujus criminis vel infamie nota reſperſi nec fiat eorum electio per auricularia vota ſolummodo ſed etiam cum conſilio Cardinalium collegialiter ſicut in promotione Epiſcoporum fieri conſuevit qui modus etiam obſervetur quando aliquis ex Cardinalibus in Epiſcopum aſſumetur

De Proviſione Eccleſiarum Monaſteriorum Prioratuum Dignitatum (i) & aliorum Beneficiorum.

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa MARTINUS quintus ſuper proviſionibus Eccleſiarum Monaſteriorum & Beneficiorum quorumcunque utetur reſervationibus juris ſcripti & (*k*) Conſtitutionis *Execrabilis* & *Ad regimen* modificate ut ſequitur Ad regimen Eccleſie Generalis quamquam immeriti ſupina (*l*) diſpoſitione vocati gerimus in noſtris deſideriis ut debemus quod per noſtre diligentie ſtudium ad quorumlibet Eccleſiarum & Monaſteriorum regimen & alia Beneficia Eccleſiaſtica juxta Divinum beneplacitum & noſtre intentionis affectum viri aſſumantur idonei qui preſint & proſint committendis eis Eccleſiis Monaſteriis & Beneficiis prelibatis Premiſſorum namque conſideratione inducti & ſuadentibus Nobis aliis rationabilibus cauſis nonnullorum Predeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inherentes (*m*) omnes Patriarchales Archi-Epiſcopales Epiſcopales Eccleſias Monaſteria Prioratus Dignitates Perſonatus & Officia nec non Canonicatus & Prebendas & Eccleſias ceteraque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura ſecularia & regularia quecunque & qualiacunque fuerint etiamſi ad illa perſone conſueverint ſeu debuerint per electionem ſeu quemvis alium modum aſſumi nunc apud Sedem Apoſtolicam quocunque modo vacantia aut impoſterum vacatura nec non per depoſitionem vel privationem ſeu translationem per Nos ſeu authoritate noſtra factas & in antea faciendas ubilibet nec non ad que aliqui in concordia ſeu diſcordia electi vel poſtulati fuerint quorum electio caſſata ſeu poſtulata (*n*) repulſa vel per eos facta renuntiatio & admiſſa authoritate noſtra extiterit ſeu quorum electorum vel poſtulatorum repelli aut renuntiationem admitti per Nos aut authoritate noſtra continget (*o*) apud ſedem predictam vel alibi ubicunque & etiam per obitum Cardinalis ejusdem Eccleſie Romane ac Officiariorum dicte ſedis quamdiu ipſa officia actualiter tenebuntur videlicet Vice-Cancellarii Camerarii ſeptem Notariorum Auditorum literarum contradictarum & Apoſtolici Palatii cauſarum auditorum correctorum centum & unius ſcriptorum Literarum Apoſtolicarum &

XXIV

(*f*) De numero & qualitate Cardinalium (*g*) aſſumatur (*h*) poterit
(*i*) Dignitatum *omiſſum.* (*k*) conſtitutionibus (*l*) ſuperna
(*m*) inherendo (*n*) poſtulatio (*o*) contingit

XXIV Primarie (*p*) prefate Sedis & XXV Abbreviatorum nec non verorum (*q*) commensalium nostrorum & aliorum XXV. Capellanorum sedis ejusdem in Pithaphio (*r*) descriptorum & etiam quorumcunque Legatorum seu Collectorum ac (*s*) in terris Ecclesie Romane (*t*) Procuratorum & Thesaurariorum Deputatorum seu Missorum hactenus vel Deputandorum ac mittendorum in posterum vacantia & in antea vacatura ubicunque dictos Legatos vel Collectores seu (*u*) Procuratores aut Thesaurarios antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint rebus eximi contigerit ab humanis nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium vel etiam recedentium ab eadem si in locis (*x*) a dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint, vel eos in antea transire de hac luce contigerit & etiam simili modo quorumcunque curialium peregrinationis infirmitatis aut recreationis seu alia quacunque causa ad quevis loca secedentium si eos antequam ad dictam curiam redierint in locis ultra duas dietas ab eadem curia ut premittitur non remotis dummodo eorum proprium domicilum non existat ibidem jam forsitan decesserint vel inposterum eos contigerit de medio submoveri nunc per obitum hujusmodi vacantia vel inposterum vacatura rursus Monasteria Prioratus Decanatus Dignitates Personatus Administrationes Officia Canonicatus Prebendas & Ecclesias ceteraque Beneficia Ecclesiastica secularia & regularia cum cura vel sine cura quecunque & qualiacunque fuerint etiam si ad illa persone consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi que promoti per Nos vel authoritate nostra ad Patriarchalium Archi-Episcopalium & Episcopalium Ecclesiarum nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum nunc quocunque modo vacantia seu in posterum vacatura nec non etiam que per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum Personatuum Officiorum Canonicatuum Prebendarum Ecclesiarum aut Beneficiorum aliorum per Nos aut authoritate literarum nostrarum immediate collatorum seu conferendorum in posterum preterquam si virtute gratie expectative assecutio fiat nunc vacantia & in antea vacatura plena super premissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione prehabita & matura deliberatione secuta ordinationi dispositioni ac provisioni nostre usque ad quinquennium de ipsorum fratrum consilio authoritate Apostolica reservamus Decernentes exnunc irritum & inane si secus super premissis & quolibet eorum per quascunque quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari Non obstantibus quibuscunque constitutionibus a Predecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis quatenus obsistere possent superius enarratis articulis vel alicui seu aliquibus eorum dicto quinquennio durante Nulli igitur &c.

In Ecclesiis Cathedralibus & etiam Monasteriis Apostolice Sedi immediate subjectis fiant electiones Canonice que ad Sedem Apostolicam deferantur quas etiam ad tempus constitutum in Constitutionibus NICOLAI III. que incipit *Cupientes* Papa exspectet quo facto si non fuerint presentate vel si presentate minus Canonice fuerint Papa eas confirmet nisi ex causa rationabili & evidenti & de fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerit providendum provisoque (*y*) confirmati & provisi per Papam nihilominus Metropolitanis & aliis prestent debita juramenta & alia ad que de jure tenentur

In Monasteriis que non sunt immediate subjecta Sedi Apostolice nec non in aliis Beneficiis regularibus super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad Sedem Apostolicam non teneantur venire electi seu illi quibus providendum est ad curiam ad habendam confirmationem seu provisionem nec etiam dicta Beneficia regularia cadant in gratiis exspectativis Ubi autem in Monasteriis ad curiam Romanam

(*p*) Pœnitentiarii (*q*) Vicariorum
(*r*) (*Credo idem significari, quod* Pittacio, *catalogo*) (*s*) Matris Ecclesiæ
(*t*) Rectorum, *non* Procuratorum (*u*) Rectores, *non* Procuratores
(*x*) ad eam Curiam (*y*) proviso quod

nam pro confirmatione venire vel mittere consueverunt Ibi Papa non aliter confirmet aut provideat quam superius de Ecclesiis Cathedralibus est expressum (z) De Monasteriis Monialium Papa non disponet nisi sint exempta & tunc per commissionem in partibus &c.

De ceteris Dignitatibus & Beneficiis quibuscunque secularibus & Regularibus vacaturis ultra reservationes jam dictas majoribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus & principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores ad quos alias pertinet nec computentur in turno seu vice eorum Idem Dominus noster Papa declarat quod per quamcunque aliam reservationem gratiam exspectativam aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per eum aut ejus authoritate factam vel faciendam non velit neque vult neque intendebat nec intendit facere aut fieri quominus de media parte illarum & illorum cum vacabunt alternis vicibus libere disponatur per illos ad quos collatio provisio presentatio electio aut quevis alia dispositio pertinebit (a) prout ad ipsos spectabit de consuetudine vel de jure Itaque (b) cum de una dignitate personatu officio vel beneficio ex illis ad electionem provisionem collationem seu quamvis aliam dispositionem alicujus spectantem fuerit authoritate Apostolica provisum aut alias dispositum ille ad cujus electionem collationem vel quamvis dispositionem primo loco pertinebit de alio immediate postea vacaturo provideat aut disponat prout ad eum pertinebit & ita consequenter de singulis hujusmodi dignitatibus personatibus officiis & beneficiis vacaturis authoritate ejusdem Domini nostri Pape (c) & aliorum predictorum alternatis vicibus disponatur reservationibus aut aliis a premissis dispositionibus authoritate ejusdem Domini nostre Pape factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque Quotiens vero aliquo vacante beneficio cadente in vice & gratia expectativa non apparuerit infra tres menses a die note vacationis in loco beneficii quod alicui de illo secundum predictas ordinationes fuerit Apostolica authoritate provisum Ordinarius vel alius ad quem illius dispositio pertinebit de illo libere disponat nec sibi in sua vice computetur beneficia etiam que per simplicem renuntiationem aut permutationem vacaverint neutri parti computentur

Sanctissimus Dominus noster Papa MARTINUS quintus ad exaltationem Fidei Catholice & spiritualem profectum populi Christiani de consensu & beneplacito Nationis Germanice statuit ordinat & decernit quod deinceps in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis Nationis Germanice ejusdem sexta pars Canonicatuum & Prebendarum sit pro Doctoribus aut Licentiatis in sacra pagina aut altero Jurium vel in Theologia & Baccalaureis formatis aut Magistris in Medicina qui per biennium seu Magistris in artibus qui per quinquennium post Magisterium in Theologia aut altero Jurium studuerunt in studio generali sic videlicet quod ubicunque non fuerit saltem sexta pars Canonicorum prebendatorum in Metropolitana vel Cathedrali Ecclesia taliter graduatorum ibi quecunque (d) deinceps vacaverint Canonicatus & Prebenda quacunque etiam Apostolica vel alia auctoritate nonnisi taliter graduatis conferatur quousque dicta sexta pars compleatur taliter graduatis Si tamen infra mensem a tempore vacationis cujuslibet Prebende numerandum (e) repertus fuerit taliter graduatus & alias idoneus qui per se vel Procuratorem voluerit acceptare

Rr (f) postmodum continuetur ut ad minus dictus numerus sexte partis Canonicorum taliter ut premittitur graduatorum in ipsis Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis habeatur ubi autem soli consueverunt Illustres aut de Comitum & Baronum genere vel ex utroque paren-

(z) Caput III. De (a) prout *omissum* (b) ita quod

(c) factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque, *cætera omissa usque ad verbum* Quotiens. (d) quomodocunque (e) numerandi

(f) *Cl. Leibnitz legit*: qui postmodum continetur, *stella interposita, quæ dubiam lectionem significat: tolerabilior foret hæc*, qui postmodum continuetur, *sed* To *qui non respondet Abbreviationi.*

parente militares in Canonicos admitti taliter graduati qui acceptare voluerint si taliter Nobiles ut premittitur fuerint in illis Ecclesiis ceteris etiam Nobilibus alternatim usque ad dictum numerum proferantur

Item quod in aliis Collegiatis Ecclesiis ejusdem Nationis similiter sexta pars Canonicatuum & Prebendarum deinceps premisso modo conferatur sic ut premittitur graduatis aut saltim in medicina vel in artibus Magistris vel Licentiatis aut in Theologia vel altero jurium & (*g*) Baccalaureis examinis (*h*) per rigorem

Item quod Parochiales Ecclesie habentes coi ext. (*i*) que secundum famam publicam attendatur duo milia communicantium vel plures (*k*) deinceps non conferantur etiam Apostolica vel quacunque alia authoritate nisi Doctoribus aut Licentiatis in sacra pagina aut jure Canonico vel civili vel Baccalariis in Theologia formatis si tamen infra mensem a die vacationis Ecclesie numerandum reperiatur taliter graduatus qui per se vel Procuratorem suum voluerit acceptare decernentes irritum & inane si secus in premissis tam circa Canonicatus & Prebendas quam Parochiales Ecclesias vel eorum aliquod a quoquam quavis authoritate etiam Apostolica fuerit attemptatum salvis semper laudabilibus consuetudinibus & statutis Ecclesiarum que premissis non adversantur In contrarium autem facientibus non obstantibus quibuscunque

Item quatenus predicta ordinatio pluribus prosit & humane ambitioni frenum imponat ordinat statuit & decernit idem Dominus noster Papa quod (*l*) vigore presentis constitutionis seu ordinationis nemo graduatorum possit ultra unum Beneficium Ecclesiasticum adipisci

Item vult quod in pari data ad eandem collationem graduatus non graduato preferatur prerogativis & diligentia non obstantibus quibuscunque

Item quod Vicarie ad certa chori officia in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis deputata non conferantur etiam authoritate Apostolica nisi talibus qui hujusmodi officia cantando legendo & alias sciverint & potuerint personaliter adimplere

De Annatis

De Ecclesiis & Monasteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis solventur pro fructibus primi anni a die vacationis summe pecuniarum in libris Camere Apostolice taxate que communia servitia nuncupantur Si que vero excessive taxate sunt juste retaxentur & provideatur specialiter in gravatis (*m*) regionibus secundum qualitatem rerum temporum & regionum ne nimium pregraventur ad quod dabuntur Commissarii qui diligenter inquirant & retaxent Taxe autem predicte pro media parte infra annum a die habite possessionis pacifice totius vel (*n*) majoris partis solventur & pro media parte alia infra sequentem annum & si infra illud tempus bis vel pluries vacaverint (*o*) semel tantum solvetur nec debitum hujusmodi in Successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat De ceteris autem Dignitatibus Personatibus Officiis & Beneficiis secularibus & regularibus que authoritate Sedis Apostolice conferentur vel providebitur (*p*) de eisdem preterquam vigore gratiarum expectativarum (*q*) aut causa permutationis solvatur annata seu medii fructus juxta taxam solitam tempore unionis (*r*) infra annum & debitum hujusmodi in Successorem in Beneficio non transeat De Beneficiis vero que valorem XXIIII. fl. de Camera non excedunt nihil solvatur debitis omnibus preteriti temporis usque ad Assumptionem Domini nostri communium servitiorum & annatarum pro medietate relaxatis solventibus aliam medietatem infra sex menses a die publicationis

De

(*g*) & *omissum.* (*h*) examinatis
(*i*) *Cl. Leibnitz legit:* anni extimationem, *mihi videtur:* communi existimatione
(*k*) plebis (*l*) qui (*m*) gravatorum
(*n*) amplioris (*o*) vacaverit (*p*) providebuntur
(*q*) expectantiarum (*r*) immissionis

De causis tractandis in Romana Curia vel non

Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus quintus statuit & ordinat quod nulle cause in Romana Curia committantur nisi que de jure & natura cause in Romana Curia tractari debebunt & quod cause que ad forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine non pertinent per Romanam Curiam etiam pretextu crucesignationis laicorum extra tempus passagii generalis non recipiantur de illis cognoscendo in Curia vel extra committendo nisi (s) de consensu partium que vero ad forum Ecclesiasticum pertinent & de jure sunt per appellationem aut alias ad Romanam Curiam devolute ac de sui natura in eadem tractande tractentur in ea cetere committantur in partibus nisi forsan pro causse & personarum qualitate in commissione exprimenda illas tractari in Curia expediret (t) pro justitia consequenda vel de partium consensu in Curia tractarentur

De Commendis

Ordinat Dominus noster Papa quod in posterum Monasteria aut magni Prioratus Conventuales his temporibus ultra X Religiosos & officia claustralia dignitates majores post Pontificalem in Cathedralibus sue Ecclesie Parochiales nulli Prelato etiam Cardinali dentur in commendam date autem & dati quamprimum commendatariis loco illarum de equivalenti providebitur post pacificam possessionem adeptam illas dimittant una etiam Ecclesia Metropolitana uni Cardinali vel Patriarche concedi poterit provisionem alias sufficientem (u) non habenti

De Symonia

Ut autem considerata malitia aliquorum temporum proxime preteritorum quibus labes Symoniaca tam in Ordinibus quam Beneficiis Ecclesiasticis tunc conferendis & percipiendis ac Religionibus ingrediendis fuit heu nimium frequentata lesis in hoc conscientiis ad puriorem administrationem & perceptionem (x) Sacramentorum Ecclesiasticorum salubriter consulatur omnibus & singulis Patriarchis Archi-Episcopis Episcopis Abbatibus Abbatissis ceterisque Prelatis nec non Clericis ac personis Ecclesiasticis Religiosis & secularibus utriusque sexus ut quilibet eorum infra tres menses post publicationem aut insinuationem presentium sibi aut in Dioceſi ubi domicilium habuerint (y) aliquem in sacra pagina vel in jure Canonico Doctorem aut Licentiatum vel Baccalarium formatum ubi talis commode reperiri poterit vel ubi talis reperiretur (z) Rectorem aut alias intelligentem Sacerdotem discretum ac bone fame Curatum vel non Curatum eligere valeat Confessorem qui infra predictum tempus quantocius commode fieri poterit ejus confessione audita ipsam personam confitentem a suis peccatis & a quibuscunque excommunicationum suspensionum & interdicti aliisque sententiis censurarum (a) atque penis quas forsan propter simoniacam (b) in ordine vel Beneficio Ecclesiastico religionis ingressum aut alias qualitercunque active vel passive commissam usque ad tempus publicationis predicte dinoscitur incurrisse in foro conscientie duntaxat absolvere nec non secum super irregularitate pro eo quod hujusmodi sententiis aut earum aliqua ligata forsan Missas vel alia Divina Officia celebrasse aut se illis immiscuisse censebitur usque ad tempus predictum contracta ipsaque propter premissa aut eorum aliquod a suorum ordinis vel officii executione suspensa quod in illis nihilominus ministrare illa exercere adepta Beneficia vel statum in quo est retinere & ad ulteriora promoveri possit in dicto foro valeat dispensare ac eidem Beneficia que obtinet ob hoc forsitan vacantia vel vacatura si & postquam dimiserit reconferre omnemque inhabilitatis irregularitatis nec non infamie maculam sive notam atque aliam labem per eam occasione predicta usque ad tempus predictum contractam in eodem foro totaliter abolere fructus quoque Beneficiorum Ecclesiasticorum quos forsitan indebite perceperit & quos per-

(s) nec de consensu (t) expedietur (u) *male apud Leibnitz* officientem
(x) præceptorum, *Senckenb. erronee.* (y) factum, *legerem* fixum, *si conjecturæ locus esset.*
(z) Lectorem (a) censuris (b) Simoniam

percipere potuisset (*c*) ac quicquam occasione predicta fuerit refundendum dummodo persona ipsa ad refusionem faciendam deducto ne egeat in statu in quo tunc fuerit aut alias absque nota vel scandalo sufficiens non fuerit in dicto foro remittere ac eam de his quittare & liberare tenore presentium nunc (*d*) indulgemus constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque

Insuper ad vitandum scandala & multa pericula subveniendique conscientiis timoratis omnibus Christi fidelibus tenore presentium (*e*) nunc indulgemus quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque Divinis vel extra pretextu cujuscunque sententie aut censure Ecclesiastice a jure vel homine generaliter promulgate teneatur abstinere vel aliquem vitare aut interdictum Ecclesiasticum observare nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam Collegium Universitatem Ecclesiam communitatem aut locum certam aut certum a Judice publicata vel denuntiata specialiter & expresse constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a Can. adeo notorie constiterit incidisse quod factum non possit aliqua tergiversatione celari nec aliquo juris suffragio excusari nam a communione illius licet denuntiatus non fuerit volumus abstineri juxta Canonicas sanctiones.

De Dispensationibus

Ordinat etiam Dominus noster (*f*) quod ad Ecclesias Cathedrales Monasteria Prioratus Conventuales aut Parochiales Ecclesias super defectu etatis ultra triennium nullatenus dispensetis (*g*) nisi forte in Ecclesiis Cathedralibus ex ardua & evidenti causa de consilio Cardinalium seu majoris partis eorum videretur aliter dispensandum

Item Dominus noster in gravibus & arduis casibus sine consilio Cardinalium non intendit dispensare

De provisione Pape & Cardinalium.

Romano Pontifici & Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus pro illorum sustentatione rebus Romane Ecclesie stantibus ut sunt non videtur aliter posse provideri quam hucusque factum est scilicet per beneficia & communia servitia que *vacantie* nuncupantur (*h*) verum circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum quod nulli Cardinalium Monasterium Prioratus conventualis ultra numerum X Religiosorum secundum moderna tempora habere consueti nulla major dignitas post Pontificalem in Cathedralibus aut Parochialibus (*i*) Ecclesia nullum officium claustrale nullum Xenodochium Hospitale Elemosinarium seu Leprosaria in titulum vel administrationem conferantur & si que talia nunc obtinent quamprimum Papa loco illorum de alio equivalenti providebit illa dimittere teneantur sicut superius de Commendis est dictum

De Indulgentiis

Cavebit Dominus noster Papa in futurum nimiam indulgentiarum effusionem ne vilescant & in preteritum concessas ab obitu GREG. XI. adinstar alterius indulgentie revocat & annullat

Item Sanctissimus Dominus noster & *inclita Natio Germanorum* consenserunt & protestati sunt quod omnia & singula supradicta durare & tollerari debeant *usque ad quinquennium duntaxat* a data presentium numerando Constitut. Apostol. Regulis Cancell. factis & fiendis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque Quodque per observantiam eorum nullum jus novum Romano Pontifici aut alicui alteri Ecclesie vel persone acquiratur seu prejudicium generetur sed lapso dicto quinquennio quelibet Ecclesia & persona pre-

(*c*) potuissent ut quotquot occasione predicta
(*d*) misericorditer, *loco*: nunc
(*e*) misericorditer, *pro*: nunc
(*f*) quod, *abest*.
(*g*) dispensare, *Cl. Leibn.*
(*h*) unde, *pro*: verum
(*i*) Parochialis *habet unum exemplar.*

predicta liberam facultatem habeat utendi quolibet jure suo non obstantibus (k) supradictis Et quod (l) Capitula predicta & quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti communiter aut divisim in autentica forma sub sigillo Domini (m) Vice-Cancellarii cum subscriptione Notarii sic quod fidem faciant exhibita ubicumque (n)

Hec itaque Universitati vestre tenore presentium firmiter attestando (o) easdem nostras presentes literas in horum fidem & testimonium prefatorum concedimus nostri sigilli munimine roboratas Datum Constant. Provincie Magunt. in domo habitationis nostre anno quo supra die III. mensis Maji Pontificis (p) Domini nostri Pape anno primo.

(L.S.) LOBENXIUS

Ex Archæi Universitatis Coloniensis gemino exemplari authentico, sigillo cereo rubro munito, & integerrimo, asservato N.44. & 79. inedito, summa diligentia collationato a me *Jos. Hartzheim* 1762. 27. Junii.

Contuli & utrunque Exemplar cum Senckenbergiano coævo, ex Archæo Monastico descripto exemplari, quod legitur in dem 1. Theil des Teutschen Reichs-Abschied: habet hic *Commata*, *Puncta*, *Enumerationes Paragraphorum*, *Capitum*, quibus exemplaria Coloniensia omnino carent.

(k) omnibus (l) que, *pro*: quod. (m) Domini *omittit Leibn.*
(n) pro toto autem non solvantur nisi duodecim grossi Turonenses: *addit Senckenberg. & Leibn. sed nec primum nec secundum Exemplar Coloniense hæc habet.*
(o) attestantes (p) Pontificatus



SIGISMUNDUS Rex Capitulo Verdensi mandat: ut HENRICO ab HOYA Episcopo obedientiam præstet, & bonorum omnium possessionem concedat.

Anno Christi MCCCCXVIII. Martini V. Pp. I. Sigismundi Regis VIII.

SIGISMUNDUS &c. HONORABILIBUS, EGREGIIS, ET DISCRETIS, DECANO, CAPITULO, AC UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOCESEOS VERDENSIS, NOSTRIS ET SACRI IMPERII DEVOTIS FIDELIBUS DILECTIS, GRATIAM &c.

Honorabiles &c. Quoniam, ut experientia, optima rerum magistra, de se nuntiare & testari poterit, propriis nostris postpositis negotiis jam aliquorum annorum retroactis ad hoc solum, ut scissuram templorum domus Dei, quantum Nobis ex alto concederetur, sedare, ac ad reparationem quietis status universalis Ecclesiæ militantis intendere possemus, studia nostra flagrantibus, atque summis desideriis convertimus, tandem misericors & miserator Dominus, nesciens continere, in ira misericordias suas, tempore, quo exigentibus erroribus nostris majora supplicia merebamur, argumentum salvationis ostendit, factumque est eo annuente, qui omnium bonorum largitor est munificus, ut tres hucusque obedientiæ propemodum divisæ, conjunctæ sint in unum. Restat, ut particularium Ecclesiarum conquassatio, & scissura sublevetur. Et quoniam jam pridem inter Venerabiles HENRICUM DE HOYA (a) ex una, & ULRICUM (b) occasio-

(a) Henricus de Hoya ab Alexandro V. provisus de Ecclesia Verdensi. Renuntiat 1426.
(b) Ulricus Albanensis ab Gregorio XII. provisus de Ecclesia Verdensi: postea promotus ab Salisburgensi Archi-Episcopo ob Sigismundi Cæsaris instantiam ad Episcopatum Seccoviensem.

casione Ecclesiæ Verdensis, quam quilibet eorum ad se prætendebat pertinere, aliquamdiu fuerat materia quæstionis ventilata. Tandem quia nuper idem Ulricus ad nostram instantiam ad Ecclesiam Seccoviensem, tunc vacantem, assumptus, & promotus est, & illam in præsentiarum pacifice tenet, & possidet. Sic hujusmodi dissensionum acerbitas demonstratur mitigata, & juxta hujus Sacri Concilii Decreta amplius unici Pastoris, & Patris animarum vestrarum, videlicet ipsius HENRICI, estis custodiæ relicti, & commissi. Quocirca Universitatem vestram attente rogamus, & hortamur in Domino, quatenus eidem Henrico, ut unico animarum vestrarum Custodi, & Pastori, obedientiam debitam, & devotam exhibeatis, & ipsum ad plenam & pacificam possessionem ipsius Ecclesiæ, tam in Spiritualibus, quam etiam in temporalibus admittatis, & ab aliis admitti procuretis, ac alias sibi pro ipsius Ecclesie jurium distractorum recuperatione, ut fideles filii, fructuose assistatis. Nobis in hoc ultra meritum a Deo consequendum singularissimam complacentiam ostensuri. Datum *Constantiæ* XVIII. die Septemb. Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XXXI. Romanorum vero octavo.

Ineditum communicavit Cl. ab Erath, Nassovico Dillenburgicus Consiliarius.

SIGISMUNDI Imperat. Mandatum

Ad WILHELMUM, Ducem Brunsw. Luneb.

Ut Castrum Verdense de Rodenburg HENRICO Episcopo restituat.

Anno Christi MCCCCXVIII. Martini V. Pp. I. Sigismundi Reg. VIII.

ILLUSTRIS PRINCEPS, AVUNCULE NOSTER CHARISSIME!

MUltorum assertione didicimus, quamvis vix credamus, jam aliquibus elapsis temporibus Castrum de *Rodenburg* ad Ecclesiam Verdensem nullo medio pertinens, per gentes felicis recordationis *Henrici*, Genitoris tui, *Ducis Lunenburgensis*, *Avunculi* nostri, nocturno tempore fuisse invasum, & usurpatum, & per ipsum tuum Genitorem, quamdiu vitam agebat in humanis, fuisse occupatum & detentum, teque in ipsius Castri possessionem successisse, & ipsum hodie occupatum detinere. Et quia hic ad istud Concilium (nostris multifariis incumbentibus Nobis negotiis postpositis) intentione & desiderio inter alia convenimus, ut post unionem habitam jam (*Laudes Altissimo*) in capite, tribus obedientiis in unum conjunctis, evidentem operam & diligentiam ad hoc impenderemus, ut singulæ Ecclesiæ ab earum oppressionibus liberarentur. Et quoniam, Avuncule dilecte, prout nosti, testimonio Veritatis instruimur, ut demus Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei, nec decet Nos illos impugnare, quos tenemur tueri, & defendere, cumque, ut Nobis suggeritur, tu ipsius Ecclesie Vasallus, & sibi juramento fidelitatis adstrictus, dignosceris, decet claræ memoriæ Progenitorum tuorum inhærendo vestigiis, ipsius Ecclesiæ bona non solum non invadere, sed ipsam etiam pro posse tuo ab ipsius oppressionibus relevare. Quapropter te rogamus attente, & requirimus, ut ipsum Castrum cum attinentiis suis ipsi Ecclesiæ Verdensi, & Henrico moderno ipsius Ecclesiæ Episcopo, & Pastori absque contradictione restituas, & relaxes, Deo in hoc debitum impendens, & Nobis complacentiam singularem ostensurus. Quoniam intentionis nostræ, & ipsi Henrico Episcopo pro ipsius Castri recuperatione pro viribus nostris assistere, & favere. Datum *Constantiæ* d. XXIIII. Sept. Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XXXI. Romanorum vero VIII.

Ineditum communicavit Clar. ab Erath, Nassovico-Dillenburgicus Consiliarius.

SIGISMUNDUS Imp. ULRICO olim Verdensi, nunc Seccoviensi Episcopo, ultimi anni redditus Verdensis Diœcesis exsolvendos mandat Consulibus, & Magistratui Lunenburgensi. Constantiæ A. 1418.

Anno Christi MCCCCXVIII. Martini V. Pp. I. Sigismundi Reg. VIII.

WIr SIGMUND von Gotes Gnaden Romischer Kung, zu allen zyten Merer des Richs, und zu Ungern, Dalmacien, Croatien &c. Küng, Embieten den ersamen Burgermeistern, Ratmannen, und Bürgern der stat zu Lünemburg, unsern und des Richs lieben Getruen, unser Gnad, und alles Gut.

Ersamen lieben Getreuen, wann der erwirdig *Ulrich*, Bischoff zu Sekow, *unser Fürst*, Rate, und lieber Andechtiger, durch siner sunderlicher Redlikeit und Vernunfte willen, die er an im hat, dem Stifft *zu Sekow* kürtzlich fürgesetzet ist, und wann er Bischoff zu Verden bis uf die zyt derselben Fürsetzung gewezt ist, also das im als eym *Bischoff zu Verden*, desselben Bistums Tzinse, Rente, Zehenden, und Nucze, die dann von disem vergangenen Jare erschinen sind, von Rechts wegen, und billich gefallen, und werden sollen, dorumb begeren Wir, und bitten euch ouch mit sunderlichem und ernstlichem Flisse, das ir günstlich und ernstlich dortzu tun und beholffen sin wollet, das solich itzigen Tzinse, Rente, Tzehenden und Nutze, dem vorgenanten *Ulrich*, und sinen Botten, dem, oder den er dann das befilhet, gentzlich gericht, betzahlet, und geantwott werden, und das ir ouch nicht gestattet, das in, oder die sinen yemand, wer die sin, doran hindern oder irren in kein Wis, als Wir des besunder und gantz zuversiht und getruen zu euch haben, wenn doran tut ir uns dankneme und besunder anneme Lieb und Wolgefallen. *Geben zu Costentz des nechsten Sampstags nach Sant Francisci tag, unserer Riche des Ungrischen &c. in dem XXXI. und des Romischen in dem achten Jaren.*

P. D. Frideric. March. Brandenb. &c.

Johannes Kirchen.

Ineditum communicavit Clar. ab Erath, Nassovico-Dillenburgensis Consiliarius.

SIGISMUNDI, Regis Romanorum, Ad Luneburgensem Senatum, Ut Castrum Rodenburg, ab Henrico Duce Luneburgensi occupatum, restitui faciant HENRICO Verdensi Episcopo.

Anno Christi MCCCCXVIII. Martini V. Pp. I. Sigismundi Reg. VIII.

SIGISMUNDUS, DEI GRATIA, ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS, AC HUNGARIE, DALMACIE, CROATIE &c. REX.

HOnorabiles, & Circumspecti, Fideles Dilecti. Cum quilibet ex talento, in hoc fluctuanti seculo sibi credito, in districto extremi judicii examine, ubi teste Scriptura judicabimur, Deo testi, atque Judici sit exactam redditurus rationem, Nobis debitum reputamus, ut posteaquam ad universalis Ecclesie, quam lustris

ftris jam labentibus octo fastuoforum defedavit impunitas, reparationem, & folida, & quodammodo infallibilia, tribus obedientiis per mundi climata fparfis, Deo directore, conjunctis in *unum*, funt pofita fundamenta; ad hoc ut particulares etiam Ecclefie ab earum violentiis, & oppreffionibus liberentur, aciem confiderationis noftre convertamus. Equidem occafione Ecclefie *Verdenfis*, jam pridem inter Venerabiles *Henricum*, modernum Epifcopum ex una, & *Ulricum*, nunc *Seccovienfem* Epifcopum parte ex altera, fuit aliquamdiu queftionis ventilata materia. Sed quia idem *Ulricus* tandem ad Ecclefiam Seccovienfem, tunc Paftoris folatio deftitutam, per Venerabilem . . *Archi-Epifcopum Saltzeburgenfem*, *noftre interceffionis intuitu*, affumptus, & promotus eft, hujusmodi diffenfio in fe ipfam refoluta & mitigata dignofcitur. Et quoniam multorum fide dignorum teftimonio reperimus, hujusmodi inter eos in hoc Sacro Concilio durante lite, ipfum Henricum poffeffione peculiaris fui Caftri in *Rodenburg*, ad ipfam Ecclefiam *Verdenfem* fimpliciter titulo directi Dominii, a tempore, quo in contrarium non extitit viventium memoria, pertinentis; per bone memorie Illuftrem *Henricum*, *Ducem Luneburgenfem*, fuiffe nocturno tempore fpoliatum, & hujusmodi fpoliationem per ejus heredes, hucusque non abfque Divine Majeftatis offenfa continuari. Quapropter Univerfitatem veftram rogamus feriofe & attente, ut ipfum *Henricum* amplius, tanquam unicum animarum veftrarum Patrem, & Paftorem debitis & reverentia, & honoribus venerantes, fibi ut ad plenam & pacificam ipfius Ecclefie jurium, & pertinentiarum omnium poffeffionem realiter & integraliter perveniat, ipfumque Caftrum, & alia ipfius Ecclefie jura, ut afferitur, diftracta, & deperdita recuperare valeat, noftre confiderationis intuitu, fructuofis veftris auxiliis, & confiliis affiftatis, veftris votis, ubi expediet, Nos per hoc fortius aftringentes. Noftre enim omnino intentionis eft, ipfi *Henrico*, ut ipfius Ecclefie, Sponfe fue, lacrimabilis fciffura reparetur, pro viribus adherere. *Datum Conftantie vicefimo tertio die menfis Decembris*, *Regnorum noftrorum anno Hungarie &c. Tricefimo primo*, *Romanorum vero octavo.*

Ad Mandatum Domini Regis

JOHANNES DE STRIGONIO, Præpofitus, & Vice-Cancellarius.

Ineditum communicavit Cl. ab Erath, *Naffovico-Dillenburgicus Confiliarius.*

LEODIENSIS SYNODUS
Anno Chrifti MCCCCXXIV. Martini V. Pp. VII. Sigismundi Reg. XIV.

JOANNES DE HEYNSBERCH, (*a*) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS LEODIENSIS, DUX BULLION. ET COMES LOSSENS. UNIVERSIS ET SINGULIS PRÆSENTES ORDINATIONES VISURIS, ET AUDITURIS, SALUTEM IN DOMINO.

CUm Nos alias una cum Venerabili Capitulo noftro Leodienfi nonnullas ordinationes fecerimus pro communi bono, & evidenti utilitate reipublicæ, & fubditorum noftrorum, nec non ftatuta, feu moderationes per recolend. Memoriæ Dominum ADULPHUM *de Marcka*, quondam Epifcopum Leodienfem, Prædeceffores noftrum, pro & fuper reformatione ftatus, & Officiatorum Curiæ noftræ Leodienfis, & aliarum Curiarum Spiritualium, Nobis fubjectarum

(*a*) Joannes de Heinsberg ex Canonico S. Lamberti, & Archi-Diacono Hannoniæ eligitur Epifcopus anno 1419. Refignavit Cathedram Ludovico Borbonio anno 1456.

ctarum, dudum edita renovaverimus, & mandaverimus inviolabiliter observari; Quia tamen contra fraudes & abusus, qui, & que ab Officiatis a multis retroactis temporibus committebantur, & de die in diem committuntur, non fuit, nec est per statuta, & moderationes antedictas sufficienter, & plene provisum, & novis supervenientibus morbis nova convenit antidota præparari, & quæ noviter emergunt, novo indigent auxilio; idcirco pro communi utilitate nostrorum subditorum, & convenientium reformatione abusuum predictorum, & statusdictarum Curiarum, ad predictas moderationes prælibati quondam Domini ADULPHI pridem publicatas adjicimus, & fecimus ordinationes, & statuta predicta, quas per omnes & singulos Notarios, & Procuratores curias prædictas frequentantes, præsentes, & futuros mandamus, & præcipimus sub pœnis infra scriptis inviolabiter observari.

In primis, siquidem cum temporibus retro præteritis quamplures nedum Clerici idiotæ, & experti, sed etiam laici penitus illiterati, latinumque congrue loqui nescientes, alii autem turpis, & inhonestæ vitæ, tabernasque publice, continueque frequentantes, ac alii de criminibus, & publice vitiis diffamati, Notariatus, & Procurationis officia indifferenter exercuerunt in Curia nostra prædicta, & de die in diem exercere, fraudesque quamplures in hujusmodi officiis committere, nec non Curiam nostram sub nequitiis, & fraudibus fama publica attestante, diffamare consueverunt in subditorum nostrorum damnum non modicum, & gravamen; Idcirco Nos volentes præmissis obviare, statuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus admittetur ad exercendum officium Notariatus, vel Procurationis in Curia nostra, vel aliis Curiis prædictis, qui sit illiteratus, aut latinum competenter loqui non sciat, aut sit malæ famæ, vel de aliquo gravi crimine diffamatus, aut etiam communiter, & publice tabernas frequentantes. Inhibemus universis & singulis Procuratoribus sub pœna decem florenorum Rhenensium Fisco Curiæ nostræ applicantes, ne deinceps aliquis Officium Procurationis inter partes in dicta Curia nostra exercere præsumat in Spiritualibus, vel aliis gravibus, & magnis causis, aut illis, qui judiciarium ordinem in ipsis observari requirunt, & quæ valorem decem floren. Rhenensium excedunt, nisi prius per Officialem nostrum fuerit diligenter examinatus, ac approbatus, ac ad exercendum hujusmodi Procurationis officium in causis prædictis admissus, ipsiusque nomen ad exercendum Procurationis officium in causis prædictis fuerit in loco publico per dictum Officialem nostrum deputatum, scriptum, & annotatum.

Quodque Notarii nullum ad expeditiones causarum prędictarum in Procuratorem admittant, nisi fuerit de infra scriptis, & nominatis supradictis; & hoc idem mandamus in Curiis Spiritualibus Capituli, Præpositi, & Archi-Diaconorum prædictorum fieri, & observari.

Item cum Procuratores, & Notarii Curiæ prædictæ, Dominis, & Advocatis ejusdem Curiæ, veluti Patronis causarum, & partium, in judiciis merito deferre debeant, hinc est, quod omnibus Curiæ nostræ Procuratoribus, & Notariis inhibemus, ne quis deinceps loca, & sedes Advocatorum in dicta Curia pro tempore, quo Officialis noster, vel vices ejus gerens, ibidem pro tribunali ad jura reddenda sedent, subintrare, vel occupare, seu stare, vel sedere præsumat sub pœna quatuor grossorum veterum, Fisco Curiæ nostræ applicantes, quam contrarium facientes, toties, quoties incurrere volumus ipso facto.

Item sub pœna consimili, &, ut præfertur, applicantes, prohibemus universis Procuratoribus prædictis, ne deinceps absque mandato, vel licentia Officialis nostri, vel vices gerentis, præsumant, aut attentent in judicio causas, seu allegationes pro partibus suis, seu aliqua ipsarum, presentibus vel inconsultis Advocatis earundem proponere. Cum hoc ad Advocatorum officium spectare dignoscatur, & per id insipientiæ Procurator. consulatur, ac honestati judicii prædicti Officialis nostri provideatur.

Item sub prædicta pœna quatuor grossorum veterum, ut præscribitur, applicandorum, inhibemus omnibus & singulis Notariis, ac Procuratoribus dictæ

Cu

Curiæ noſtræ, ne deinceps aliquis ipſorum pro confectione, & dictamine, & ſcriptura literarum, monitorum, vel inhibitorum a Curia noſtra prædicta emittendarum, ultra quadraginta ſolidos communis pegamenti Leodienſis recipere præſumat.

Item ad vitandum fraudes, quæ in literis excommunicatoriis, aggravatoriisque, & reaggravatoriis, & ipſarum executionum ſæpiſſime commiſſæ ſunt, ſtatuimus & ordinamus, quod exnunc in antea per noſtrum Officialem deputetur unus Notarius, qui nomina citatorum contumacium, & monitorum, ac literas monitorias, ſeu contumaciales deſuper emanatas, nec non primas aggravationes reſignare habeat, & de reſignatione citatorum, & monitorum, ac literarum contumacialium, & primarum aggravationum prædictarum, ſimul ſex duntaxat denarios monetæ communiter in Civitate Leodienſi currentis, ratione officii ſui hujusmodi recipiat: inhibemusque ſub prædicta pœna quatuor groſſorum veterum, ut præſcribitur, applicandorum, ne deinceps aliquis Notarius Curiæ noſtræ ſignet aliquas literas ſecundas, aut ulteriores aggravationes, niſi viderit, & conſtiterit ſibi, predictas literas contumaciales per Notarium prædictum eſſe regratiatas, & de hoc in ſignaturis ſuis teneantur facere mentionem.

Item committimus Officiali noſtro Leodienſi, quod de perſonis, & ſtatibus Notariorum, & Procuratorum dictæ Curiæ noſtræ toties, quoties ſibi videbitur expediens, ſe informet, & inquirat: & quæ circa ipſos, & eorum officia invenerit corrigenda, & informanda, corrigat, & reformet, prout ſecundum qualitates, & circumſtantias perſonarum, & exceſſuum videbitur eidem expedire, taliter faciat, quod Curia noſtra prædicta in melius reformetur, & ſubditi noſtri per Officiatos ejusdem Curiæ noſtræ non graventur. Cæterum inhibemus omnibus Notariis, & Procuratoribus Curiæ noſtræ prædictæ, pro, vel ſuper conviciis, ſeu injuriis verbalibus eis per Advocatos, Notarios, aut Procuratores hujusmodi illatis, vel factis, ipſos coram alio judice, quam coram Nobis, aut Officiali noſtro impedire, vel ad judicium trahere præſumant: alioquin contrarium facientes, pœnam decem florenor. Rhenenſium Fiſco Curiæ noſtræ applicantes, toties, quoties fecerint, incurrant ipſo facto, quia non eſt rationi conſonum, ut predicti ſuper conviciis, vel rixis verbalibus hujusmodi forenſes judices adeant cum Nos, & Officialis noſter parati ſumus eis ſemper miniſtrare juſtitiæ complementum; & inſuper præcipimus omnibus Procuratoribus Curiarum predictarum ſub pœna privationis officii ſui perpetuæ, nec non decem floren. Rhenenſ. auri, Fiſco Curiæ noſtræ applicantes, quatenus de ſingulis pecuniis per ipſos a partibus pro deductione cauſarum ſuarum receptis, tradere teneantur eisdem partibus receſſum, ſeu ſcedulam ſua manu propria ſcriptam, aut ſubſcriptam, continentem ſummam, ſeu quantitatem hujusmodi pecuniarum: & nihilominus toties, quoties requiſiti fuerint, vel ſaltem in fine cauſæ teneantur, partibus ſuis aſſignare in ſcriptis, & rationem reddere, ubi, & apud quos, aut qualiter hujusmodi pecunias conſumpſerunt, & expenderunt.

Item ſtatuimus, quod partes in Curia noſtra prædicta litigantes, ſeu Procuratores ipſarum, in principio cujuslibet cauſæ conveniant ad invicem de Notario communi, qui acta totius cauſæ a principio uſque ad finem conſcribat: & ſi in unum Notarium convenire nequierint, tunc per judicem deputetur Notarius communis, qui acta cauſæ conſcribat, ne liceat ipſum per unam partium, ſeu Procuratorem ejus, invita, vel contradicente parte altera mutare, ſeu alium Notarium abſque Decreto, & ante Judicem aſſumere, ſub pœna duorum florenorum Rhenenſium Fiſco Curiæ noſtræ, toties, quoties ſecus factum fuerit, applicantes, ſalvo tamen & excepto, quod una partium hujusmodi poterit in reſcriptionibus partium, & teſtium auditione adjungere ſuis expenſis alium Notarium, ſi velit.

Item præcipimus omnibus Notariis Curiæ noſtræ ſub pena decem florenor. Rhenenſium auri, Fiſco Curiæ noſtræ applicantes, ne pro ſcripturis, vel ſalariis ipſorum in cauſis a Sede Apoſtolica in noſtra Diœceſi Leodienſi delegatis, plus reci-

recipere præſumant, quam per ſtatuta, & moderationes noſtras, & Curiæ noſtræ prædictæ, in cauſis ordinaria authoritate coram Nobis, aut Officiali noſtro ventilatis recipere permiſſum eſt, alioquin id, quod ultra hoc receperint, omnino reſtituere teneantur, & pœnam prædictam incurrant ipſo facto.

Item ſtatuimus, quod per Officialem noſtrum deputetur unus fidelis, & juratus Procurator, qui contra ſtatuta, & moderationes, ac ordinationes noſtras prædictas venientes, denuntiet Officiali noſtro Leodienſi, qui contra ipſos ſimpliciter, ac ſummarie, & de plano ſine proceſſu aliquo judiciali procedat, & per quemlibet transgreſſorem pœnas præſcriptas ſolvi faciat, & compellat, prædictusque denuntians a quolibet transgreſſore convicto quatuor Baddragenſ. communis pagamenti Leodienſis habeat pro ſuo ſalario, & ſi idem denuntiator negligens fuerit, deponatur, & loco ejus, vel ipſo mortuo, alius fidelis ſurrogetur. In quorum omnium robur, & teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus literis duximus appendi. Sub anno a Nativitate Domini *Milleſimo, quadringenteſimo, viceſimo quarto, Menſis Octobris die viceſima.*

Cl. Lunig Spicilegii Eccleſiaſtici Continuat. III. pag. 1085.

Impreſſa fuit hæc Joannis Heinsbergii Conſtitutio Pariſiis anno 1518. *pag.* 38, 39, 40, 41. *ex Chalcographia Jacobi Badii, expenſis honeſti viri Guillelmi Vorſtermanni, Bibliopolæ Antverpienſis.*

Monaſterio Quedlinburgenſi, Diœceſis Halberſtadenſis, a Concilio Baſileenſi datur facultas poſt abitum Excommunicatorum ſtatim Divina publice celebrandi.

Anno Chriſti MCCCCXXXIII. Eugenii IV. Pp. III. Sigismundi Reg. XXIV.

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU S. LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, DILECTIS ECCLESIÆ FILIIS, CLERO, ET UNIVERSITATI, SEU COMMUNITATI QUEDELINGBURGENSI, HALBERSTAD. DIŒC., SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM!

SInceræ devotionis affectus, quem ad univerſalem Eccleſiam gerere confitebamini, promeretur, ut votis illis, præſertim quæ in Divini cultus augmentum, & animarum veſtrarum ſalutem cedere dignoſcuntur, quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuamus. Cum igitur Nobis pro parte veſtra expoſitum extiterit, quod ſæpe contingit, oppidum veſtrum ex eo, quod perſonæ excommunicatæ, & quibus Eccleſiæ eſt interdictus ingreſſus, ad ipſum oppidum declinant, & in eo aliquamdiu perſeverando moram trahunt, Eccleſiaſtico ſubjici & ſupponi interdicto, propter quod vos, & alios, ipſum oppidum inhabitantes, etiam poſt dictarum perſonarum excommunicatarum receſſum per certos dies ſubſequentes ceſſare oportet a Divinis, in Divini cultus detrimentum, ac Chriſti fidelium præjudicium, & periculum animarum. Quare Nobis pro parte veſtra fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis ſuper his de remedio providere dignaremur. Nos igitur veſtris devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut quotiescunque hujusmodi perſonas excommunicatas, ſeu interdictas a jure, ut ab homine, quavis etiam auctoritate ad veſtrum oppidum declinare contigerit, mox poſt receſſum earum extra oppidum hujusmodi abſque cujusvis moræ intervallo, oppidi alicujus alterius ſuper hoc licentia minime requiſita in ſingulis Eccleſiis, Monaſteriis, & Capellis ipſius oppidi in ibi pro tempore confluentium, & degentium præſentia, apertis januis, & campanis pulſatis, excommunicatis tamen & interdictis excluſis, Miſſas, & alia Divina Officia publice, ſolenniter, & alta voce reſume-

re, & celebrare, ac quæcunque alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare libere, & licite valeat, dummodo vos, aut confluentes, seu degentes ipsi causam hujusmodi non dederitis, & dederint interdicto, nec id vos specialiter interdici contigerit, vobis, & vestrum cuilibet indulgemus non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non *Statutis Provincialibus*, & *Synodalibus*, *cæterisque* quibuscunque. Datum in *Basilea* XIII. Cal. Decembr. Anno a Nativitate Domini *Millesimo*, *quadringentesimo*, *tricesimo tertio*.

Ineditum communicavit Clar. ab Erath, Consiliarius Nassovico Dillenburgicus.

Conservatorium Ecclesiæ S. SERVATII Quedlingburgensis, ex Originali emendatum.

Anno Christi MCCCCXXXIV. Eugenii IV. Pp. IV. Sigismundi Regis XXV.

SACRO SANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU S. LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, DILECTIS ECCLESIÆ FILIIS - - PRÆPOSITO B. MARIÆ ERFFORDIENSIS, MAGUNTINÆ DIOCESEOS, ET S. NICOLAI MAGDEBURGENSIS, AC B. MARIÆ HALBERSTADENS. ECCLESIARUM DECANI, SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM.

AD compescendos conatus nepharios perversorum, qui personas, & loca Ecclesiastica super bonis, & juribus suis offendere, & multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis decet per Nos oportuno remedio providere, quanto per amplius turbationes hujusmodi, & molestiæ in Divinæ Majestatis offensam, nec non Ecclesiasticæ libertatis redundare dispendium dinoscuntur. Dudum siquidem, cum in diversis mundi partibus Consules civitatum, & Rectores, nec non alii, qui potestatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui Legis Divinæ notitiam non habebat, quique omnibus aliis servituti subactis, Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. *In Concilio Lateranens.* Ecclesiæ immunitati providendo sub anathematis districtione prohibitum extitit, ne Consules, Rectores, aut alii prædicti Ecclesias, & Viros Ecclesiasticos talliis, seu collectis, aut exactionibus aliis aggravare præsumerent, transgressores, & fautores eorum præcipiendo anathematis sententiæ subjacere, donec satisfactionem impenderent competentem. Et etiam deinde in generali Concilio editum fuerit, quod si Episcopi forte simul cum Clericis, etiam si tantam necessitatem, vel utilitatem inspicerent, ut absque ulla coactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppeterent facultates subsidia per Ecclesias laicis ducerent concedenda, minime super hoc consulto Romano Pontifice, concessiones & sententiæ, quæ a talibus, vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, essent irritæ & inanes, nullo unquam tempore valituræ: Ac etiam in ipso generali Concilio Decretum extitit, illum, qui infra tempus sui regiminis propter fractionem Constitutionum vel Sanctionum hujusmodi sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus, nec non ipsius successorem, qui non satisfaceret infra menses, manere Ecclesiastica Censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere, qui substitueretur in honores; Postmodum vero felicis recordationis HONORIUS Papa III. attente considerans, quod quondam FREDERICUS Secundus, olim Romanorum Imperator, tunc sub obedientia & devotione S. Ro-

manæ Ecclesiæ persistens ad laudem ejusdem Ecclesiæ, & sacri decus Romani Imperii cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent, ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo habundaverat, ut non dubitaret contra Ecclesiasticam disciplinam, & Sacros Canones statuta sua confingere adversus Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem, edictali lege hujusmodi statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita nunciari, & omnia statuta, & consuetudines, quæ civitates, & loca, Potestates, vel Consules, aut quæcunque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas hujusmodi edere, aut servare temptarent contra Canonicas, vel Imperiales Sanctiones, de ipsorum Capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem penitus aboleri facerent, & si de cetero talia attemptarent, illa ipso jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos, nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, Banno mille marcharum auri Fisco Imperiali præceperat subjacere, Potestates vero, Consules, Statutarii, & Scriptores statutorum prædictorum, nec non Consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata judicarent, ex tunc essent ipso jure infames, quorum sententias, & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere. Quodque si per annum præfatarum Constitutionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum suum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in eisdem generalibus Conciliis promulgatis. Et insuper voluit idem tunc IMPERATOR, quod nulla Communitas, vel persona publica seu privata collectas, exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis hujusmodi imponere, seu invadere Ecclesiastica bona præsumeret, quod si secus faceret, & requisita ab Ecclesia, vel Imperio hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus Banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quod quæcunque Communitas, vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso jure similiter dicto Banno Imperiali subjaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in Criminali quæstione vel Civili ad Judicium seculare trahere presumeret contra easdem Canonicas Sanctiones, & Constitutiones Imperiales, quod si secus faceret, actor a suo jure caderet, & judicatum non teneret, & Judex ex tunc foret judicandi auctoritate privatus. Quodque Judices temporales, qui Clericis, & personis Ecclesiasticis justitiam denegare presumerent, tertio requisiti jurisdictionem suam amitterent, Constitutionem ipsam de consilio etiam Fratrum suorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc erant, auctoritate Apostolica approbans, & confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari, nec non Statutarios, & Scriptores, ac violatores prædictos excommunicatos eadem auctoritate nunciari. Et deinde ad audientiam Divinæ memoriæ KAROLI Quarti etiam Roman. Imperatoris semper Augusti deducto, quod nonnullæ seculares personæ, in Potestatibus, & officiis publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, & alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, opidorum, villarum, & locorum Rectores in diversis Provinciis ejusdem Imperii, Dei timore postposito, statuta singularia, & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra ipsas personas Ecclesiasticas, & Ecclesiarum libertates, & eorum privilegia condiderant, illisque de facto, & publice utebantur contra Canonicas & Legales Sanctiones, utpote quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferrentur, & ne Clerici, in sacris Ordinibus constituti, ad agendum, & testificandum in Civilibus, & maxime in piis causis aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici, & publice denunciati in Civili foro minime repellerentur; Et insuper prædicti Domini temporales, Consules, & Rectores per secularem Potestatem res & bona Clericorum occuparent, arrestarent, & oblationes Christi fidelium minuerent, atque restrin-

reſtringerent, exactiones, & tallias indebitas de bonis & reditibus Eccleſiarum exigerent, & extorquerent, poſſeſſiones Eccleſiarum, & perſonarum earundem devaſtarent incendiis & rapinis. Contractus inter Clericos & laicos legitime factos ad libros civitatum, villarum, & locorum prædictorum inſcribere, & ſigillare recuſarent, donataque & legata ad fabricas, & Eccleſiarum ſtructuras contra Prælatorum voluntatem, & aliorum, quorum intererat, temere uſurpare præſumerent, ac in fraudem & odium Clericorum, de bonis etiam & rebus eorundem Clericorum, quæ non cauſa negotiationum, ſed pro eorum propriis uſibus per eorum terras ducebant, ſeu duci faciebant, theolonium exigere, & recipere non verebantur, & confugientes ad Eccleſias, & eorum cimiteria, inde extrahere contra Canonicas & Imperiales Sanctiones hujusmodi præſumſerant, & præſumebant. Idem CAROLUS Imperator, tanquam Chriſtianiſſimus Princeps, volens in præmiſſis providere de remedio ſalutari, etiam de quorundam Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Militum, Fideliumque aliorum Sacri Imperii ſæpe dicti conſilio, auctoritate Imperiali, quæcunque ſtatuta ac conſuetudines prædicta, tanquam per Canonicas & Civiles Sanctiones expreſſe reprobata, caſſavit, irritavit, & annulavit, ac caſſa, irrita, nulliusque eſſe voluit roboris, vel momenti præcipiens ſub Imperialis Banni pœna univerſis & ſingulis Principibus, & Dominis temporalibus, Conſulibus, Poteſtatibus, & aliis in officiis publicis in eodem imperio conſtitutis, quatinus ex tunc ipſorum ſtatuta, & ordinationes, ſicut in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis, edita fuerant, omnino revocarent, & de luce tollerent, quodque ſecundum ea non judicarent amplius, nec ſententias dictarent, aut de eisdem in judicio, vel extra judicium quodlibet pro ſe, & contra Eccleſiaſticam libertatem eandem potirentur. Pronunciavit inſuper, & eadem decrevit auctoritate, quod quicunque laicus, cujuscunque ſtatus, aut conditionis exiſteret, auſu ſacrilego, & propriæ temeritatis audacia Sacerdotem, vel Clericum ſecularem, vel Religioſum diffidaret, proſcriberet, ſpoliaret, captivaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, vel hujusmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaret, vel eis favorem præſtaret, præter pœnas a ſacris Canonibus, & legalibus ſanctionibus in tales inflictas, eo ipſo redderetur infamis, & omni honore privatus, nec ad placita vel conſilia Nobilium admitteretur quovis modo; Hortans inſuper in Domino, & requirens Eccleſiaſticos Prælatos in illis partibus, in quibus committerentur talia, conſtitutos, ut legem Imperialem hujusmodi per eorum *Eccleſias*, & *Synodos* publicarent, ne transgreſſores hujusmodi per ſimulatam ignorantiam ſuam valerent in hac parte malitiam excuſare, prout in *Conſtitutionibus*, & *Sanctionibus Conciliorum*, & *Honorii* prædictorum, ac *Imperialibus* præfatis plenius continetur. Cum autem ſicut lamentabili querela dilectarum Eccleſiæ Filiarum Abbatiſſæ, & Capituli ſecularis Eccleſiæ *Quedlingborgen.* Rom. Eccleſiæ immediate ſubjectæ, nec non univerſorum perpetuorum Beneficiatorum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum in eadem, aliisque Eccleſiis, & Monaſteriis eidem ſubjectis *Halberſtad. Dioceſeos* nuper accepimus, nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones, Communitates, & alii ſeculares poteſtates earundem Conſtitutionum, & Sanctionum Canonicarum, & legalium forſan ignari contra ipſas ab Abbatiſſa, & Capitulo, Beneficiatis, & perſonis prædictis communiter, vel diviſim forſan tallias, & gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus extorſerint, & adhuc extorquere nitantur, ac etiam bona *Abbatiſſæ*, Capituli, Perſonarum, & Beneficiatorum prædictorum invaſerint, arreſtaverint, occupaverint, detinuerint, & ſuis uſibus applicuerint, nec non occupare, invadere, arreſtare, detinere, ac eadem ſuis uſibus applicare ſimiliter de facto præſumant, in animarum ſuarum periculum, nec non prædictorum Abbatiſſæ, Capituli, Beneficiatorum, & Perſonarum non modicum præjudicium, atque damnum, Nos ipſis Abbatiſſæ, Capitulo, Beneficiatis, & perſonis de oportuno remedio providere volentes, diſcretioni veſtræ pro hæc noſtra ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatinus Vos, vel duo, aut unus veſtrum per Vos, vel alium, ſeu alios Abbatiſſæ, Capitulo, Beneficiatis, & perſonis predictis contra quoscunque

transgressores, & violatores Constitutionum, & Sanctionum eorundum, cujuscunque gradus, dignitatis, & excellentiæ fuerint, efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis eos contra Canonicas, & legales Sanctiones, & Constitutiones hujusmodi indebite molestari, nec non easdem Constitutiones, & Sanctiones, ubi & quando expedire videritis, solemniter publicantes, faciatis transgressores, & violatores hujusmodi, si & prout justum fuerit, aut ubi & quoties expedieret, tam diu excommunicatos, aut anathematizatos publice nunciari, donec ab earundem talliarum, collectarum, impositionum, & quarumlibet extorsionum, nec non bonorum Abbatissæ, Capituli, Beneficiatorum, & personarum prædictarum hujusmodi invasione, arrestatione, occupatione, defensione, & applicatione omnino desistant, nec non etiam efficaciter restituant eisdem Abbatissæ, Capitulo, Beneficiatis, & personis occasione præmissorum per eos communiter, vel divisim læsis, seu gravatis, tallias, gabellas, & exactiones ipsas, ac etiam bona prædictorum Abbatissæ, Capituli, Beneficiatorum, & Personarum arrestata, occupata, detenta, & applicata, ipsis, aut quæ per se, vel alios illo prætextu quomodolibet receperint, imo verius usurpaverint temere & illicite, a se libere omnino relaxent, ac in manibus vestris juraverint, quod de cætero talia non committant, & ea committentibus non præstent auxilium, consilium, vel favorem, contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia juris oportuna remedia compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Cæterum si forsan hujusmodi transgressorum, & violatorum, vel ea fieri mandantium, ipsisque consentientium, seu illis per se, vel alium, seu alios dantium, directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem præsentia.. pro monitionibus, & requisitionibus per vos de ipsis fiendis tute, secure, vel commode haberi nequiret, Nos vobis monitiones, & requisitiones hujusmodi, ac citationes quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam dictorum citatorum, & monitorum pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem; Volentes, quod monitiones, requisitiones, & citationes hujusmodi perinde ipsos citatos, requisitos, & monitos, ut præmittitur, arctent, ac si factæ, & insinuatæ præsentialiter, & personaliter extitissent. Non obstantibus piæ memoriæ *BONIFACII Papæ VIII.* quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem, vel Diocesin, nisi in certis exceptis casibus, & in ultra unam diætam a fine suæ Dioceseos ad judicium evocetur. Seu ne Judices extra civitatem, vel Diocesin, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere; aut alii, vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fine Dioceseos eorundem trahere præsumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, ac de personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, quam aliis Constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad Judicium evocari non possint per litteras non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. *Basileæ* VIII. Kal. Novembris, anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo quarto.

S. deficit. C. de Bionis.

Ineditum communicavit Cl. ab Erath, Nassovico-Dillenburgensis Consiliarius.



Literæ

Literæ THEODORICI Archi-Episcopi Coloniensis, & Administratoris Ecclesiæ Paderbornensis, ad Concilium Basileense, pro impetranda conjunctione Ecclesiæ Paderbornensis, cum Metropolitana Coloniensi.

Anno Christi MCCCCXXXIV. Eugenii IV. Pp. IV. Sigismundi Regis XXV.

REVERENDISSIMIS, REVERENDISQUE PATRIBUS, ET VENERABILIBUS DOMINIS, IN SACRO-SANCTA BASILIENSI SYNODO CONGREGATIS, DOMINIS, ET AMICIS PERCARISSIMIS, SACRO-SANCTÆ BASILEENSI SYNODO IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATÆ, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANTI, THEODORICUS, DEI GRATIA, ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS ELECTOR, ET PER ITALIAM VICE-CANCELLARIUS, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, REVERENTIAM DEBITAM ET DEVOTAM.

Reverendissimi, Reverendi Patres, propter diuturnos guerrarum turbines, quos intestina clade obice a longa ætate Ecclesia Paderbornensis pertulerat, cum desperatis rebus illi undique præsidia defecissent, ac crudeli congressu decertaret cum antistite Clerus, laic. vero vulgus voto diviso dispersum partibus hinc inde faveret; perniciosa adeo terræ, & Diœcesi illi plaga accrevit, quod invasa seditione intranea, tellus etiam ab cæteris pro libito vastaretur. Unde mutuis jaculis membrorum,& capitis universa corporis armonia tabescens adeo sterneretur, ut pene careret incolis patria, & incendiorum voragine domiciliis destituta ea tempestate non solum civilibus, & suburbanis, sed nec sacris ædibus parceretur; nihil enim Rmi Rdique Patres, contuentibus patriam occurrebat, quam desert. - & - ruinarum vestigia, vepres, & arva latissima cultura omni orbata; videbantur enim se primo - - quandam vastissimam Trojam, aut Babylonis reliquias in ipsis - - - Cum vero Capitulum prædictum Paderbornense longo certamine contra Præsulem fessum fortunam meliorem timeret illius, qui magnificum Ducem Montensem Fratrem, & inclitos multos favoribus attraxerat opportunis, quamvis pœnitudine sera finale sibi,& patriæ excidium metuens, crescente illi dietim calamitatum procella, ad me, & Coloniensem Ecclesiam veluti prout tunc proficiebatur ad fiduciam anchoram suppliciter recurrebat, patriæ me tutorem contra domesticos hostes instantissime postularet. Verum licet eo tempore gravibus æmulis, & guerris Coloniensis Ecclesia vexaretur, nec commode rebus propriis intentus alienis poteram otiari, diuturna repulsa ipsorum instantiam repellebam, ut tandem cum nihil inviolatum rapinis adesset, quod raptoribus, & hostibus exteris, & intraneis in spolium occurrere posset, coact. penuria, & fame armati,& proceres loca meæ Diœcesis eis vicina rap. - - incursibus molestabantur, unde ratus fore utilius vicinam patriam protegere, quietam,& pacificam facere, quam inimicam sufferre, aut exterminio dare, & metuens, ne favore guerræ lassati in magnificum Ducem Montensem Fratrem electi eorum mihi tunc,& Coloniensi Ecclesiæ adversantem intenderent, sic quod juncta illi Paderbornensis patria me, & Ecclesiam meam fortius perturbaret, indefessis Capituli, & patriæ instantiis inclinatus tutoris officium sumpsi, rebus Ecclesiæ illius,& patriæ publicis, & privatis sinceritate amica intendens, adversum enim eis Ducem WILHELMUM, ut præfertur, eorum electum ex ferocissimo hoste placatum faciens, pacem cum eo illis emi viginti trium millium precio florenorum de ære Coloniensis Ecclesiæ exhausto, vicinosque Principes,& Dominos, Ecclesiæ, & patriæ Paderbornensi molestos, qui fines eorum depopulabantur jugiter, muneribus,& donis permaximis, ac fœderibus, sanctionibus adeo mihi devinxi, quod ab eo tempore optima & secura

ſecura pace fruatur, niſi quod ipſi ſæpe pact. infractis etiam ſponte infringant, quam ſemper laboribus, & impenſis per me,& meos reintegrare oportet. Interea priusquam ingenio, & ſolertia mea adverſantia ſingula pactata fuiſſent, videns Capitulum prælibatum multo proficere, quod me tutore pace optima potiretur, dubitans,ne per novi proviſionem antiſtitis ab illa rebus mutatis diſcederet, per multa temporis intervalla me ſimul cum opidanis, & militaribus accuratiſſime profligavit, ut darem conſenſum, quod per Pontificem maximum tunc JOHANNEM XXIII. illa mihi Eccleſia ex tutore adminiſtrationis titulo traderetur ad vitam. Cumque per ſpectabiles nuncios ſuos Capitulum prædictum aſſentiente patria impetraſſet mihi non roganti, non ſatagenti,non operam danti,adminiſtrationis prædictæ Bullas allatas per ſuos alacriter tradiderunt, & exercitui pro patria eorum tuenda præſidentem deductum obviis Crucibus, & ſacris Reliquiis cum juramento obire, & fidelitatem præſtantes, a quibus militia, & patria nullo modo diſcederet., tanquam Patrem patriæ in Paſtorem,& Dominum receperunt. Tanta quoque voluptate unusquiſque ſtatus refectus eſt, propter habundantiam pacis, quæ eis cotidie concreſcebat, quod unionem illam,quam cum Colonienſi Eccleſia ad vitam meam contraxerat, brevi ſpatio vitæ hominis deficere ambigens, firmum tractatum facerent, & conſenſum darent per literas Capituli ſigillo munitas manendi apud Eccleſiam Colonienſem uniri, & . . . . ab obitu meo annis centum complendis abſque Epiſcopo proprio optantes hæc Apoſtolica,& Concilii Conſtantienſis auctoritatie firmari; dicebant enim a certo . . eis impoſſibile fore proprium ſuſtentare Epiſcopum, allodiis deſtructis,. & munimentis Epiſcopalis menſæ, aut deperditis, aut pignoribus permaximis obligatis; quæ ſi redimerentur in integrum, non manerent Epiſcopo pro ſumptibus ad numerum ſex florenorum annuatim, unde oporteret cum egeſtate fore mendicum, niſi vellet ſubditorum, & vicinorum rapinis inſiſtere, unde tam fructuoſa pax facile poſſet infringi; & hæc omnia ipſi JOHANNI tunc Romano Pontifici, ac ſacro demum Conſtantienſi Concilio, ac invictiſſimo Principi Domino meo Gratioſiſſimo Imperatori moderno, tunc Romanorum Regi, per Capituli literas apertiſſime profitentes per ſuos inſtanter orarunt, quatenus me Adminiſtratore, ut ſupra ſcribitur, potirentur. Neque quidem tempore mei introitus ad adminiſtrationem prædictam caſtrum erat, aut municipium aliquod Epiſcopalis menſæ, quod non foret ſuper denario uno in quindecim denariis pignoribus obligatum. Ulterius,ut mea ad eos pietas magis clareſceret, octo millia florenorum de Camera Archiepiſcopali tradita expoſita manualiter tradidi Capitulo memorato, antiquum debitum quitando, quo olim mea illi tenebantur Eccleſia, pollicentibus literis, & ſigillis ſub jurejurando, dictam ſummam ſolum ad redemptionem bonorum Epiſcopalis menſæ, vel partis ipſorum exponere, licet demum juramenti immemores in proprios illos uſus vertiſſent; nec hoc tacentibus, quod pro reiſis, & expeditionibus multiplicibus, & armatorum ſtipendiis, ſine quorum potentia patriam tutari non poteram, ſummam ultra triginta millium florenorum, præmiſſis exceptis de Camera Eccleſiæ Colonienſis ad Capituli inſtantias expendidi voventis literis, & ſigillis, ſe ſummam prædictam Eccleſiæ meæ fideliter, & integraliter ſoluturos. Ejus promiſſi gratia, quia ego caſtrorum Capitaneis, & cuſtodibus juramento eis dari ſueto juxta conſuetudinem Paderbornenſis Eccleſiæ,de non reſignando fortalitiis de manu Eccleſiæ Colonienſis, niſi debito illi prius ſoluto, addidi, accuſor veluti illicitorum, & inſuetorum juramentorum prædictis Officialibus, adinventor. Ad hoc Rdi Patres me fides Eccleſiæ meæ promiſſa coegit, ne ipſius retento theſauro conſpiratores me a patria propulſiſſent. Impingunt mihi Rmi Patres prætenſis querelis, quod Paderbornenſem Eccleſiam incorporari perpetuo Colonienſi Eccleſiæ impetraverim, quod eſt potius ad ipſorum acta præterita retorquendum; felicis enim memoriæ MARTINUS Papa V. examinato diligentius Eccleſiæ ſtatu & viſo, quod non ſolum poſſent ammodo cum honeſtate ſuſtentare Epiſcopum, ac quod debitis Colonienſis Eccleſiæ difficilius ſatisfaceret, & intellecto Capituli, & Patriæ voto de ſtando apud Colonienſem Eccleſiam annis centum, providit prudenter,

denter & decrevit ſagaciter melius fore dictam Eccleſiam Paderbornenſem Colonienſi uniri, & incorporari, quam centum annorum curriculo miniſtrari; tollebat enim inde ſtatum ambiguum Eccleſiæ memoratæ, & illam fortiori capiti adjungebat, ut ſic paci ejusdem perpetuo provideret. Incorporationem illam, Rmi Patres, digeſte & mature Summus Pontifex declaravit: Militia & oppida & Barones, Prælati, & de Clero pars ſanior Paderbornenſis Eccleſiæ per ſuas literas acceptarunt, Sereniſſimus Dominus meus Imperator illi adhæſit, & regalia mihi, & Eccleſiæ Colonienſi conceſſit; per veram & realem poſſeſſionem dicta incorporatio ſuum eſt ſortita effectum, nec ſub clauſula generali revocatoria, per Dominum EUGENIUM Papam facta, intelligitur annullata; quod ſi quorundam præſumptio, qui nomine Capituli Paderbornenſis callide pacem illius Eccleſiæ perturbare nituntur, incorporationem prædictam moleſte ſufferant, nihil, Patres ampliſſimi, profecto, quam juſtitia, quam pax, quam honeſtas Reipub. illos ad iracundiam concitarunt: priſcos enim Antiſtites, quos captivare, maximisque dare conviciis aſſuebant, potentia debiles nulla obedientia venerantes, quorum ſimiles habere affectant ad illicita, ut communis foret Clerico, & laico galea & rapina, & homicidio pollutam geſtare coronam liceret. Quæ quia deteſtatus ad religionis illas metas conabar abducere, coram veſtro ſanctiſſimo cœtu virtutem, & mei famam honoris deturpare procurant. Idcirco veſtram ſanctiſſimam concionem deploro humiliter, filialiter, & devote, quorum ſuper præmiſſis & omnibus ſtatum meum, & Eccleſiæ meæ concernentibus honor. Albertum Varentrap, Official. Colonienſ. Decretorum, Henricum de Erpell, S. Severini Colonienſ. Legum, Tilmannum de Lins, S. Florini Confluentiæ Præpoſitos, Decretorum Doctores, & ſtrenuos ac nobiles Viros, Rolmannum de Dadenberg Militem, ac Johannem de Gunenberg, Dominum in Landtscron, Ambaſſiatores, & Conſiliarios meos Baſileæ exiſtentes, benigne, & favorabiliter audire dignemini, ſcriptis, & actis Sanctam Synodum informaturos: ſuppliciter deprecando, quatenus dignetur Synodus Sancta me, & Colonienſem Eccleſiam noſtris conſervare in juribus, & auditis, & examinatis per eos Præpoſitis litigiorum occluſis ambagibus adverſariis ſilentium imp. . . . . ac ad obediendum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutis, & mihi inducere; difficile enim Nobiles & Militia Colonienſis Eccleſiæ, qui pro reformando Paderborn. Eccleſiam vitam expoſuere & bona, jam rebus integris ære expoſito, & jure Eccleſiæ privaretur, unde poſſent acerbiora ſcandala, & diſcordiæ eminere. Valeat juſta ſanctiſſima Congregatio, cui me, & Eccleſiam meam filialem recommendo. Datum in caſtro meo Poppelstorp, menſis Maji die quinta, ſub ſigillo, anno Domini MCCCCXXXIV.

Ex Annalibus Paderbornenſibus Parte II. Lib. XVI. pag. 583.

Literæ Paderbornenſium ad Concilium Baſileenſe, quibus oſtendunt æquum non eſſe, ut Eccleſia Paderbornenſis Colonienſi uniatur.

Anno Chriſti MCCCCXXXIV. Eugenii IV. Pp. IV. Sigismundi Regis XXIV.

Reverendiſſimi Patres & Domini, pro brevi, & ſummaria informatione veſtrarum Reverendiſſimarum Paternitatum, qui in materia cujusdam aſſertæ unionis & incorporationis de Eccleſia Paderbornenſi Eccleſiæ Colonienſi, ut dicitur, factæ, mandaſtis cauſas aſſignari, quare hujusmodi aſſerta unio, ſive incorporatio fieri, ſeu effectum ſortiri non debeat, cum omni humilitate damus, & exhibemus infra ſcripta, quibus viſis V. R. Paternitatibus clare conſtabit, &

& luculenter apparebit, dictam prætensam unionem & incorporationem, si qua sit, merito revocandam, cassandam, annullandam, & irritandam fore, ac revocari, cassari, annullari, & irritari cum omnibus inde secutis, & attentatis debere. Et primo dicimus, proponimus, & protestamur, quod per præsentem & quamcunque aliam comparitionem, sive actum per nos factam, seu factum, vel in antea quomodolibet faciendam, seu faciendum, non intendimus, neque volumus ab appellatione pro parte Dominorum Præpositi, Decani, & Capituli, atque personarum Ecclesiæ Paderbornensis, ac aliorum ipsis adhærentium, ab ipsa prætensa unione & incorporatione ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam male informatum, sed melius informandum interposita resilire.... Primo ista unio prætensa, si qua est, expedita est cameraliter, & non in Consistorio Sanctissimi Domini nostri, in quo tales causæ consueverunt tractari, parte vocata, & audita, & quod pejus est, nondum potuit haberi copia ipsius unionis de Registr. Est autem hæc prætensa unio facta, Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis, & aliis, quorum intererat, ad hoc non vocatis, neque consentientibus, imo penitus ignorantibus. Item cum Ecclesia Paderborn. sit Provinciæ Mogunt. debebat vocari etiam Capitulum Mogunt. nec sufficit assensus Domini Archi-Episcopi Mogunt. sine assensu sui Capituli.

Præterea per sexingentos annos, & ultra Ecclesia Cathedralis, prout hodie est, bene & sufficienter dotata ad sustentandum Episcopum, & Pastorem suum proprium habuit, prout habuit proprium suum territorium, propriam Diœcesim, oppida murata multa, atque castra, fortalitia diversa, & pluralitatem villarum munitarum, & etiam militiam, & diversa Dominia, atque quamplures Comites, & Barones, ac plures Milites, & multos Militares, & alios Nobiles sub se, & etiam plura loca murata, & munita popularia, & adeo fortia, quod hodie si non esset constituta Sedes Episcopalis in civitate Paderbornensi, merito deberet hodie, si non esset ibidem, constitui, erigi, & collocari. Non ergo debet supprimi tam solennis Cathedralis Ecclesia contra mentem & intentionem Regum, Imperatorum, & Reginarum, qui eam fundarunt, & dotarunt. Insuper ex antiquis statutis ejusdem Ecclesiæ Paderbornensis, & privilegiis a centum annis, & ultra, in ea nullus receptus fuit, aut etiam admittitur in Canonicum Capitularem ejusdem Ecclesiæ, vel ad aliquam dignitatem in eadem, nisi fuerit, aut sit de Baronum, aut Nobili, aut saltem de Militari genere procreatus ex utroque parente, aut alias vir maturus, Doctor, vel Licentiatus in jure Canonico, vel Civili, seu Magister in sacra Theologia.

Est præterea Ecclesia Paderbornensis in civitate Paderbornensi constituta in loco bene solemni, & populoso, forti, murato, & bene munito, nec subest aliqua rationabilis causa, quare debeat supprimi, & Ecclesiæ Coloniensi uniri; Non enim propter paupertatem Ecclesiæ Coloniensis, quæ valet annuatim C millia, nec propter paupertatem Ecclesiæ Paderbornensis, cum sit sufficienter dotata, & multos habuit Episcopos nobiles & illustres, quos notabiliter, & solenniter sustentavit. Est etiam absurdum quid, quod tam notabilis Ecclesia, prout fuit & est præsens Paderbornensis Ecclesia, ad preces unius duntaxat, & ex assumpta occasione, scilicet de consensu alterius, deberet sic supprimi, & extingui, & in Collegiatam redigi, sedesque Cathedralis ita deleri, seu cassari, & ejusdem Ecclesiæ honor alteri Ecclesiæ sine maxima necessitate applicari: & illud cum dissimulatione sic transiri, utique nullatenus apud rationabiles & mansuetos quovis modo debet admitti, neque per quempiam rationabiliter tolerari.

Et deinde, quia in eadem Bulla, seu ejus impetratione asseritur, suggestum fuisse, Ecclesiam Paderbornensem fore in redditibus, & proventibus annuis adeo destitutam, & depauperatam, quod ejus redditus, & proventus annui ultra quadringentos florenos auri de Camera annuatim se non extendant, quod veritate caret, quinimo ejus redditus, & proventus annui prædictam taxam in duplo, & ultra annuatim excedunt, salva alienatione, & impignoratione quorundam castrorum, locorum, & redditūum annuorum, quam R. Pater Dominus THEODORICUS modernus Archi Episcopus Coloniensis, tanquam Administrator,

tor, & Commendatarius Ecclesie Paderborn. prætextu cujusdam prætensæ Commendæ, per quondam Dominum JOHANNEM Papam XXIII. cessæ & factæ, fecit, & alienavit, seu impignoravit, absque requisitione, & consensu Capituli Ecclesiæ Padeborn., imo ut præsumitur, contra ejus juramentum per eum Ecclesiæ, & Capitulo Paderborn. in sua admissione Administrationis ratione commendæ prædictæ præstitum, ejus reverentia tamen semper salva, & sic utique ex falsa suggestione de annuo valore ipsius Ecclesiæ Paderborn., & ultra dimidium justi & veri, imo ad duplum ejus. Quare merito hujusmodi unio prætensa, si qua sit, rescindi, seu tolli & annullari, aut revocari jure, & æquitate suadente debet.

Insuper descendendo ad speciem idem Dominus THEODORICUS Archi-Episcopus, postquam fuit præfectus Administrator Ecclesiæ Paderborn. insigne castrum cum oppido Dringhenberg murato, & munito inter alia oppida, & castra ejusdem Ecclesiæ, & in quo pro tempore Episcopi Padeborn. pro majori parte temporis consueverunt facere veram personalem residentiam, pro & ex eo, cum fuerit, & sit cum pleno Dominio, & proprietate Ecclesiæ Padeborn., & pro tempore Episcopi Padeborn. ipsius in spiritualibus, & temporalibus, præfatus vero Dominus THEODERICUS Archi-Episcopus idem castrum cum oppido, & ejus districtu, etiam absque requisitione Capituli, & eo non consentiente, impignoravit pro magna pecuniarum quantitate jam ante plures annos, & fortassis, nisi super hoc per Dominum nostrum Papam provideatur consulte, etiam in perpetua alienatione castrum, & oppidum prædicta remanebunt, fertur enim in publicum, quod ipse Dominus Archi-Episcopus armigerum, in quem transtulit hujusmodi castrum cum oppido, strinxerit ad insolitum juramentum, ut puta, jurare fidelitatem Ecclesiæ Coloniensi, & ejus pro tempore Archi-Episcopo, nihil enim penitus exprimens in hoc de fidelitate Ecclesiæ Padeborn., aut illius pro tempore Episcopo, & Capitulo.

Item est aliud castrum notabile muratum, munitum, & forte, appellatum Castrum *To den Nyghenhuse*, sive *ad Novam Domum*, in quo etiam idem Dominus pro tempore Episcopus Pad. suam consuevit facere personalem residentiam propter vicinitatem ejus cum civitate, & Ecclesia Pad. quod etiam castrum irrequisito Capitulo, & eo inconsulto impignoravit, seu alienavit, etiam cum simili constrinxione juramenti, ut fertur. Considerent modo R. P. V. si idem Dominus THEODORICUS Archi-Episcopus servaverit bene contenta in Bulla commendæ suæ, aut ultimæ videlicet unionis prætensæ de non alienando ab Ecclesia Pad. immobilia, & stabilia, aut etiam mobilia preciosa, ut ipse Dominus THEODORICUS Archi-Episcopus ponderaverit verba juramenti sui solemniter præstiti, fidelis esse Ecclesiæ Padeb. ubi per ultimam Bullam videtur intendere, quod Domina supprimatur, & ex ea constituatur ancilla. Patet ergo, etiam per præmissa, quod culpa ipsius Domini Archi-Episcopi Ecclesiæ Padeb. est in fructibus diminuta. Placeat ergo Reverendissimi Patres, super præmissis recipere informationes, & illis receptis, fideliter, sicuti firmiter speramus, referre Sanctissimo Domino nostro, ut Ecclesia Padeb. maneat, in statu suo, & compellatur Dominus Archi-Episcopus, ut castra, & oppida per eum sine consensu Capituli impignorata redimat, & Ecclesiæ restituat.

Item dicitur contineri in dicta prætensa Bulla assertæ unionis, & suppressionis Cathedræ, & Ecclesiæ Padeborn. eandem esse taxatam in Apostolica Camera ad centum florenos auri de Camera, & ejus redditus mensæ Episcopalis ascendere ad quadringentos similes florenos ad mulcendum Principem, ut annueret unioni, & suppressioni, & dolo se tacuit ille, qui non habuit ignorare, ex quo præfuit Administrator Ecclesiæ Paderbornensis quindecim annis & ultra, quod ipsa Ecclesia Paderbornensis abundabat tot, & tantis castris, & oppidis muratis, atque munitionibus & villis, & etiam habundavit, & habundat multitudine Nobilium, & armatorum Vasallorum ejusdem Ecclesiæ, & sub qua etiam revera plures magni Nobiles, imo Duces, Landgravius Hassiæ, & quam plures Comites, & Barones eidem Ecclesiæ Pa-

Paderbornensi juramento fidelitatis astricti sunt jure Vasallano, ratione castrorum, & bonorum, quæ possidet intra, & extra Diœcesin Paderbornensem.

Et ut de his tangatur exemplum, nam immediatus Prædecessor ipsius Domini moderni Archi-Episcopi Coloniensis, quondam FRIDERICUS tunc Archi-Episcopus Coloniensis, causante temporis malitia, aut suadentibus adversis eventibus, odioque, & rancore per eum contra Ecclesiam Paderbornensem præconceptis, captata sibi temporis opportunitate, prout putabat, animo invadendi Ecclesiam Paderbornensem, ac subditos ejusdem Ecclesiæ damnificandi, idem quondam Dominus Archiepiscopus congregavit sibi validum exercitum armatorum forte in numero M. & V. c. Equitum, & etiam CCCC. Balistariorum cum alia Comitiva eis hostiliter intravit Diœcesin Paderbornensem, quærens subditos Ecclesiæ Paderbornensis, & eorum bona invadere, & eorum oppida, castra, & villas incendio concremare, & spolia atque captivos abducere, quæ subito percipiens tunc electus Ecclesiæ Paderbornensis cum ejus Vasallis, & subditis in continenti se aggregarunt, quærentes modum resistendi, & cum Adjutorio Dei resistendo adversariis dictam multitudinem Armatorum dicti quondam Archi-Episcopi quasi totam, seu majorem partem in sua Diœcesi Paderbornensi detinuerunt captivam, ita quod ipse tunc quondam Dominus FREDERICUS Archi-Episcopus cum paucis personaliter vix evasit, de quibus etiam debet recordari ipse Dominus THEODORICUS modernus Archi-Episcopus Coloniensis, si saltem tunc fuit in patria, cum hæc res gesta sit circa spacium viginti annorum, vel modicum ultra, & plures adhuc superstites sunt in humanis, qui eidem conflictui interfuerunt. Non ergo debuit impetrans in prætensa unione suggerere Romano Pontifici Ecclesiam Paderbornensem fore ita exilem cum revera Diœcesis Paderbornensis in fructibus superhabundet, prout notum est omnibus de patria ejusdem Diœcesis, & quam pluribus aliis de partibus circumvicinis existentibus.

Et forte quærens hujusmodi unionem, & suppressionem Cathedralis Ecclesiæ, voluit bona, castra, & oppida ejus distrahere, seu impignorare, ut posset eam exilem dicere, & citius suppressionem Ecclesiæ Cathedralis obtinere.

Item, & ex eo merito revocanda, cassanda, irritanda, & annullanda est eadem unio, seu incorporatio prætensa, quia facta est citra, & præter consensum, & assensum Dominorum, Præpositi, Decani, & Capituli ipsius Ecclesiæ Paderbornensis, imo eis nescientibus & ignorantibus, & adhoc minime requisitis, & simili modo præter consensum Dominorum Decani, & Capituli ipsius Ecclesiæ Moguntinensis, cui Ecclesia Paderb. jure Metropolitico est subjecta, imo eisdem etiam ignorantibus, nescientibus, & irrequisitis fuit, & est obtenta; de quorum tamen omnium, & singulorum per eandem prætensam unionem agitur præjudicio, detrimento, gravamine, & destitutione, & depressione perpetuis Ecclesiæ Paderbornensis.

Item nec etiam ea de causa prætensa incorporatio, sive unio locum sibi vendicare habet, quod ipsa Ecclesia Paderbornensis ad tantam devenerit depressionem, & inopiam, quod ipsa pro Pastoris, & Episcopi sustentatione ipsius, etiam decenti, & competenti non sufficiat. Absit hoc dicere, cum ipsa Ecclesia Paderbornensis habeat solemnem civitatem, & in se ipsa, etiam a primæva ejus fundatione sit Ecclesia solemnissima adinstar aliarum Ecclesiarum Cathedralium per partes Alemanniæ, non solum in structura, & fabrica, sed imo etiam copiosa multitudine Beneficiatorum in eadem, & cum congruentibus redditibus, habet enim Ecclesia Paderbornensis post principalem dignitatem, videlicet Pastoralem, omnes alias in ordine Dignitates, & Prælatos inferiores adinstar aliarum Ecclesiarum Cathedralium, & imo VIII. Archidiaconos, & totidem sedes Archidiaconales per Diœcesin, & XXIV. Canonicos majoribus Præbendis Præbendatos, qui omnes sunt Nobiles, vel Militares, ex utroque parente, vel ad majus Doctores, vel Licentiati in jure, vel sacra pagina, & maturi viri, & copiosum numerum perpetuorum Vicariorum, & Beneficiatorum ultra XL, nec non alios Ministros quam plures in eadem Ecclesia Divinis Officiis inter-

intereſſentes, ipſique Eccleſiæ ſervientes.

Eſt etiam ipſa Civitas Paderbornenſis adeo inſignis, quod in ea ultra dictam Eccleſiam Cathedralem fuit, & eſt quædam alia ſolemnis Collegiata Eccleſia ſæcularis, habens etiam Prælatos ſuos, & Canonicos, & perpetuos Vicarios in numero condecenti, & congruo, & congrua ſuſtentatione annuorum redituum beneficialiter expeditos, & ultra in eadem Civitate Paderbornenſi ſunt plures Eccleſiæ Parochiales curatæ, & ſolemnia Monaſteria, atque Conventus diverſorum ordinum, etiam intra muros ejusdem civitatis, ac fuit, & eſt eadem civitas Paderbornenſis, tam magna & populoſa, potens ac fortis, quod una de ſolemnioribus civitatibus, & oppidis totius Alamanniæ reputatur, quam Eccleſia Paderbornenſis, & Epiſcopus ratione ipſius cum mero, & mixto Imperio in Spiritualibus, & temporalibus poſſidet, & habet pleno jure.

Habet etiam ſupradicta Eccleſia Paderbornenſis, & Epiſcopus ejus pro tempore exiſtens nomine ipſius plurima & inſignia oppida, caſtra, & fortalitia in numero ultra XXX, & quam plures alias munitiones, villas, & villagia, quod faſtidium audientibus, ſi ſingulariter nominarentur, procul dubio generaret, in quibus, vel majori parte Eccleſia Paderbornenſis, & Epiſcopus nomine ipſius habet merum, & mixtum Imperium, & nomine Eccleſiæ ea omnia, & ſingula, ſeu omnes, & ſingulas, vel majorem partem eorundem tenet, & poſſidet cum jurisdictione ſpirituali, & temporali pleno jure, nec alium recognoſcunt, etiam Dominum temporalem, quam Epiſcopum Paderbornenſem pro tempore exiſtentem.

Item ſunt etiam inter hæc oppida plura, & tam ſolemnia, & inſignia ad Eccleſiam Paderbornenſem ſpectantia in numero ultra tria vel quatuor, quod congruenter, & optime ſufficerent pro Cathedrali Eccleſia in eisdem de novo fundanda & erigenda, imo plures civitates, in quibus jam ſedes Cathedralis fundata eſt, eis æquiparare non poſſent. Nam ſi licitum eſſet, ac neceſſitas, & cauſa rationabilis hoc exigerent, quod Eccleſia Paderbornenſis, ſive Epiſcopus cum conſenſu Capituli aliquod ipſorum vendere, & alienare vellent, & poſſent alicui alteri Archi-Epiſcopo, vel alteri Principi, ſeu Domino temporali circumvicino, tantam pro eo poſſent habere pecuniæ ſummam, quod cum eisdem pecuniis novi reditus, & proventus annui ſine dubio poſſent emi & comparari, qui pro unius Epiſcopi, vel etiam Archi-Epiſcopi ſuſtentatione congruenti, & competenti ſufficerent habunde.

Item ultra præfatas Eccleſias ſcilicet Cathedralem, & Collegiatam in civitate Paderbornenſi, in Diœceſi fuerunt, & ſunt aliæ ſolemnes Collegiatæ Eccleſiæ ad minus in numero tres, vel quatuor habentes, ſalvis vacationum temporibus aliquæ ex eis Præpoſitos, Præpoſituras, Dignitates principales in eisdem exiſtentes, Decanos, & Decanatus, Scholaſticos, & Scholaſtrias, & alias dignitates inferiores, & officia in eisdem, & in qualibet earum, etiam quam plures Canonicos Capitulares, & totidem Præbendas Canonicales, & Vicarias perpetuas, & Beneficia perpetua in magno numero, quarum una eſt in oppido Hervordenſi, una in oppido Huxarienſi, & alia in Bilveldenſi.

Item ſunt etiam in dicta civitate & Diœceſi Paderbornenſi, quam plura Monaſteria regularia & ſæcularia, virorum & mulierum diverſorum ordinum, ut puta Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Canonicorum Regularium, Canonicorum ſæcularium, ordinis Mendicantium, etiam Monialium, quorum aliqua etiam ſunt regularia, ac ſolemniter, & opulente per Romanorum Imperatores fundata, erecta, & dotata, quæ etiam in recitando tædium generaret, & faſtidium in ſpecie nominari.

Item habet eadem Eccleſia, & Epiſcopus pro tempore exiſtens, ſub ſe, & ejus Dominio quam plures Comites, Nobiles, Barones, ac innumerabiles Militares eundem Epiſcopum pro Domino ſpirituali, & temporali duntaxat recognoſcentes, & ab eo tenentes bona feudalia, ac Empheteotica, ac ſibi propterea aſtricti juramento fidelitatis.

Item habet Eccleſia Paderbornenſis quam plures potentes Principes, Comites, Barones, & terrarum Dominos feudum ab eo tenentes, & recipientes, & cum

eum etiam recognoſcunt pro Domino temporali.

Item habet Eccleſia Paderbornenſis largam & latiſſimam Diœceſin extenſam per proprium ipſius Eccleſiæ Patrimonium, & Dominium, ſeu territorium temporale ſuperius expreſſum, nec non per territoria quam plurimorum Principum, Comitum, Nobilium, & Dominorum temporalium, videlicet Ducum Brunsvicenſium, & Luneburgenſium, Comitum de Waldeg, Comitum de Ravensberg, ac Comitum de Swalenberg, Comitatum de Sterneberg, Comitatum de Redberg, & Comitatum de Pirmunt, nec non territoria Dominorum Baronum de Lippia, Baronum de Büren, Baronum de Schœnenberg, in quibus etiam Comitatibus, & territoriis ſunt quam plura ſolemniſſima, populoſa, murata, fortia, & inſignia oppida, Diœceſis Paderbornenſis exiſtentia, quorum quodlibet habundanter, & peroportune ſufficeret pro Cathedrali Eccleſia, & Epiſcopali Sede, imo etiam Archi-Epiſcopali de novo ibidem fundanda, & erigenda.

Eſt etiam prædicta Eccleſia Paderbornenſis in omnibus Dominiis, bonis temporalibus, reditibus, proventibus, & territoriis, nec non poteſtate temporali ſolemnior, amplior, & uberior, & magis excellens, ſecluſis Archi Epiſcopalibus Eccleſiis, quam aliqua Cathedralium Eccleſiarum, & Diœceſ. circumvicinarum, & antiquarum, videlicet Hildeſemenſis, Osnabrugenſis, Mindenſis, & Verdenſis, quæ omnes tamen habent & tenent ſuos Prælatos Epiſcopos, & Paſtores. Quare merito & ſæpedicta Eccleſia Paderbornenſis manebit in ſuo ſtatu, libertate, honore, & conſuetudine, ac jure, & privilegiis, quas jam ultra ſeptingentos annos ſalva vacationis tempore habuit, tenuit, & pacifice præſcripſit, & poſſedit.

Concluditur ergo tam ad ſcripta Capitulorum Moguntinenſium, & Paderbornenſium Eccleſiarum, & etiam æquitate & ratione ſuadente, & etiam ut obvietur ſcandalis, periculis, & diſcordiis, atque guerris, & ne incendia, homicidia multifarie, & multimode ſequantur, poſtquam V. P. R. receperunt ſummariam informationem de veritate eorum, quæ ſuperius dicta ſunt, ſaltem ſummariam, & pro ſummaria informatione per paucos, qui in Curia Romana poterint haberi, & etiam per copioſam multitudinem teſtium in partibus, ſi expedit, ubi veritas habundat, & eſt in luce, de habundantia Eccleſiæ Paderbornenſis tam in Vaſallis, quam in Nobilibus, & armatis, atque aliis ſubditis, & reditibus, ac opulentia oppidorum notabilium, atque caſtrorum, & villarum multitudine, & amplitudine diſtrictus in hujusmodi Diœceſi, tunc utique his habitis Sanctiſſimo Domino noſtro eſt ſumme perſuadendum, ut caſſet, ſeu irritet, ſeu revocet ipſam prætenſam unionem, & applicationem, ac ſuppreſſionem Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis, ex quo nondum ſortita eſt effectum, neque aliquo modo poterit effectum conſequi, niſi cum maximo diſpendio, pro eo, quod a maximo uſque ad minimum, & nullo medio quodammodo prætermiſſo reclamant, & ſe opponunt, expreſſe dicentes: Vivat Eccleſia Paderbornenſis, in libertatibus ſuis ab antiquo adductis, & introductis illæſa, & gaudeat amodo ſuo proprio Prælato, prout a ſeptingentis annis citra gaudere conſuevit. Et ſic pariformiter etiam tollatur commenda prædicta ab ipſa Eccleſia Paderbornenſi, quæ ſatis diu duravit, & ipſi Eccleſiæ per alienationem ſatis oneroſa fuit, & amplius ipſius Eccleſiæ Paderbornenſis eſſet deſtructio. Et quæ Commenda, ſi ipſius data bene inſpicetur, quæ eſt data Friburgi, Conſtantienſis Diœceſis, Yd. April. Anno quinto, ubi tunc ipſe Dominus JOHANNES XXIII. fuerat in motu & fuga de Concilio Conſtantienſi, & ſic illa litera, & plures aliæ etiam exorbitantiſſimæ tranſiverunt abſque deliberatione, & ſine conſilio, ymo præter ſcitum Dominorum Cardinalium, & fortaſſe prædicta Commenda etiam ſine deliberatione ipſius olim Domini JOHANNIS, prout conſtat adhuc antiquis multis curialibus, qualiter literæ Friburgi, & in aliis locis, tempore, quo fuit in motu & fuga ipſe Dominus JOHANNES, tranſiverunt, etiam ipſa Commenda tranſivit. Et maxime tollatur ipſa Commenda, cum ipſe Archi Epiſcopus Colonienſis potens & habundans ſit, & ſic aſtringi non poſſet amplius ad fidelitatem Eccleſiæ Paderbornenſis, tanquam Adminiſtrator, niſi cum juramento ſuo, contra

contra quod videtur voviſſe in prioribus alienationibus, & in ſuppreſſione ejusdem Eccleſiæ ultimo quæſitæ. Ergo tollatur, & detur Capitulo Eccleſiæ Paderbornenſis amodo licentia & poteſtas eligendi de gremio ejusdem concorditer proprium Prælatum, ac Dominum Eccleſiæ, civitati, Capitulo, & Diœceſi, utilem & idoneum, qui multo melius cognoſcitur in gremio Eccleſiæ, quam extra, cum ipſa Eccleſia de gratia Dei habundat Nobilibus, & literatis inter ſe, & eo concorditer electo, requirat hac vice confirmationem a Sede Apoſtolica; cum revera eorum Metropolitanus ex inordinato conſenſu per eum, ut dicitur, dato, ſi eum dedit, videatur ſe reddidiſſe indignum ad dandam confirmationem electioni, & præmiſſa fiant cum mandato pœnali Apoſtolico ad ipſum Dominum Archi-Epiſcopum Colonienſem, ut amplius deſiſtat ab inceptis, tam in Commenda, quam in unione præmiſſis, ſeque amodo nullatenus de aliqua ex eis quovis modo impediat, remanendo in metis Eccleſiæ, & Diœceſis ſuæ propriæ Colonienſis. Tunc ponetur Eccleſia, civitas, & Diœceſis Paderbornenſis, & tota illa patria in pacis tranquillitate, quam Deus unicuique deſideranti concedat ubique.

His primum ad Patres Concilii transmisſis, ſubjunxere mox alias Paderbornenſes ad Concilium literas, quibus multo plenius accuratiusque ſtatum Paderbornenſis Eccleſiæ explicant, unice ſolliciti, ne veterem illum Epiſcopatum Paderbornenſem, a Carolo Magno conditum, & tot exinde Cæſarum, ac Regum privilegiis exornatum, tot poſſeſſionibus bonorum, tot urbibus, oppidis, caſtris, Collegiis Canonicorum, & Cœnobiis Monachorum, & Monialium, Parochiis, Vaſallorum, & Nobilium multitudine, etiam ſupra Oſnabrugenſem, Mindenſem, Hildeſimenſem, & Verdenſem Epiſcopatus Carolinos accumulatum, quam latiſſima Regione Diœceſis, & jurisdictione per tot circum Comitatus explicatum, ſero tandem poſt ſeptingentos annos extingui paterentur.

REVERENDISSIMI PATRES, pro brevi ſummaria informatione pro cauta ſequenti, ſic quod ex hujusmodi brevi informatione in Curia detur via ad concedendam pleniorem habendam in partibus, & magis certam ad obviandum, & providendum periculis, & ſcandalis, quæ obmiſſis remediis poſſent veriſimiliter evenire, quodſi & in quantum in Romana Curia infra ſcripti Articuli ita exacte, & ſpecifice non poſſent deduci.

Et recipiatur conſideratio prima in præſenti in primo Articulo. Si enim ipſa Eccleſia Paderbornenſis a centum annis proxime præteritis citra fuiſſet, & eſſet Collegiata, qui, & quantus labor, & qualis neceſſitas expediret, obtinere, ut erigeretur in Eccleſiam Cathedralem ſolemnem, prout ipſa eadem Eccleſia Paderbornenſis per ſexingentos annos & ultra fuit Cathedralis uſque in præſens, & habens omni tempore præterito ceſſantibus vacationum ipſius temporibus Paſtorem ſuum proprium, proprium territorium, propriam Diœceſin, propria oppida murata multa, atque caſtra, & fortalitia diverſa, tacendo de pluralitate villarum munitarum, & etiam militum, & diverſa Dominia, atque quam plures Comites & Barones, ac plures milites, & multos militares, & alios Nobiles ſub ſe, & etiam quam plura loca, murata, & munita popularia adeo fortia, quod hodie ſi non eſſet conſtituta Sedes Epiſcopalis in dicta Civitate Paderbornenſi, poſſet hodierno tempore licite Sedes Epiſcopalis conſtitui, erigi, & collocari de novo infra eandem Diœceſin in aliis diverſis locis inſignibus.

Nunquid ſi de novo ex caſu præmiſſo de ipſa, ſi foret Collegiata, deberet erigi in Cathedralem, & in ea collocari Sedes ſive Cathedra, & in illa creari Præſul, prout a ſeptingentis annis citra fuit, & ceſſantibus infra ſcriptis, etiam ad ipſius erectionem requirerentur varii labores, variæ interceſſiones, majores preces, ſupplicationes, & mandata, ut puta, quod pro tempore Imperator, ac Reges, Duces, Comites, & Barones ſcriberent ad Sanctiſſimum Romanum Pontificem, exprimendo cauſas, & neceſſitates propter quas peterent exaudiri, & ſic fieri, ut de Collegiata efficiatur Cathedralis, & erigeretur Cathedra, & in illa crearetur, & præficeretur Præſul, & quod per exhortationes hujusmodi ſcriptorum ipſe Romanus Pontifex induceretur ad conſulendum ejus ſacrum Collegium

gium Dominorum Cardinalium, an expediret ita rationabiliter fieri, & non est dubium, quin apud ipsam Ecclesiam Paderbornensem a primæva ejus erectione in Cathedralem ita factum fuerit & existat.

Claret enim hodie apud eandem, quia ex antiquis statutis ejusdem Ecclesiæ, etiam approbatis a centum annis, & ultra, in ea nullus repertus fuerit, aut etiam admittitur in Canonicum Capitularem ejusdem Ecclesie, vel ad aliquam dignitatem in eadem, nisi fuerit, vel sit Baronum, aut Nobili, aut saltem de militari genere procreatus ex utroque parente, aut alias vir maturus, Doctor, vel Licentiatus in jure Canonico vel Civili, seu Magister in Sacra Theologia, alias dignus, & idoneus ad Præbendam, vel dignitatem sub eadem Cathedra, & in eadem Ecclesia habendam.

A contrario autem sensu deberet concurrere multo major labor, necessitas, scriptura, & deprecatio major ad Romanum Pontificem, & ad ejus cœtum Dominorum Cardinalium, ut talis honorabilis Ecclesia Cathedralis ita solemniter erecta, notabiliter dotata, & præpollens Vasallis, Dominio, Baronibus & Nobilibus, ac Militaribus, nec non diversis oppidis, castris, atque fortalitiis muratis, & quæ hæc præscripsit sex vicibus præscriptionum, quæ currit contra Romanam Ecclesiam, videlicet spatio centum annorum, ad septies centum annorum spatio habuerit Cathedram, & cessantibus vacationum temporibus pro tempore Episcopum, & præmissa singula in præsenti articulo superius expressata, prout est præsens Paderbornensis Ecclesia, quod contra hujusmodi præscriptiones eadem Paderbornensis Ecclesia ad preces unius duntaxat, & ex assumpta occasione, scilicet consensu alterius, deberet sic supprimi, & extingui, & in Collegiatam redigi, & sedes Cathedralis deleri seu cassari, & ejusdem Ecclesiæ honor alteri Ecclesiæ sine maxima necessitate applicari, & illud cum dissimulatione transire, utique nullatenus apud rationabiles & mansuetos quovismodo debet admitti, aut per quempiam rationabiliter tolerari.

Ad propositum ipsius informationis, & pro brevi summario dicitur, quod longissima præscriptione, & in memoria hominum non existit de contrario, quod ipsa Ecclesia Paderbornensis, & ejus Cathedra constituta fuit, & est in civitate, loco bene solemni, atque populoso, forti, murato, & bene munito, ita quod a nemine dici potest, eam constitutam in rure, sed in loco populoso, munito, murato, forti atque apto, & satis amplo.

Item habuit, & habet etiam eadem Ecclesia Paderbornensis universa, quæ consueverunt habere intra se communiter singulæ aliæ Ecclesiæ Cathedrales per Alamanniam, tam in dignitatibus, quam Canonicatibus prædictis, quam etiam perpetuis Vicariis.

Habuit etiam, & habet eadem Ecclesia Paderbornensis, cessantibus saltem vacationum temporibus, post Episcopum, Præpositum & Præposituram, Decanatum & Decanum, Scholastriam & Scholasticum, Cantorem & Cantoriam, Thesaurariam & Thesaurarium, Camerarium & Camerariam, ac diversos Archidiaconatus sedium, diversas sedes per Diœcesin, & totidem Archidiaconos, & quilibet suam jurisdictionem juxta distincta loca & Diœcesin, videlicet sedes Archidiaconi Horhusen, sedes Archidiaconi Wartbergensis, sedes Archidiaconi Huxariensis, sedes Archidiaconi Steinhemensis, sedes Archidiaconi Lemegen, sedes Archidiaconi Bracklen, & plures Archidiaconatus, & sedes Archidiaconales in Civitate & Diœcesi Paderbornensi prædictis, & quam plures alios Canonicos Capitulares ejusdem Ecclesiæ, & totidem Præbendas Canonicales, & Capitulares, & ubi in singulis ejusdem personis requiritur, quod singulariter singuli sint nobiles ex utroque parente, aut saltem minus militares ex utroque parente, seu saltem alias viri maturi ætate, vita, moribus, & scientia, videlicet Doctores, Magistri, aut Licentiati, aut in studiis approbati privilegiatis, alias nullus in præmissis admittitur ad dignitates, aut Præbendas Ecclesiæ ejusdem.

Item in eadem Ecclesia ultra præmissas dignitates, & Præbendas Canonicales sunt in numero XL & ultra perpetui Vicarii, & Beneficiati, & Clerici sæculares, & totidem perpetua Beneficia Ecclesiastica a se invicem distincta eorum quod-

quodlibet ab alio , & quorum quodlibet nutrit suum Possessorem satis congruenter , ut serviatur eidem Ecclesiæ more consueto in Divinis Officiis , & in horis consuetis in cantando & legendo , sicut moris est , & ultra prædicta quam plures ministri, & servitores Clerici diversorum officiorum.

Item ultra præmissa etiam a tempore præscirpto ut supra, intra muros ejusdem civitatis fuit,& est quædam notabilis solemnis Collegiata Ecclesia,appellata Ecclesia Ss. Petri,& Andreæ Paderbornensis, in vulgari autem appellata to Bustorp , habens salvis vacationum temporibus Præpositum & Præposituram,dignitatem principalem in eadem, ac Decanum & Decanatum , Scholasticum & Scholastriam , Cantorem & Cantoriam, Thesaurarium & Thesaurariam , & in eadem dignitates, & officia,& quam plures Canonicos, Præbendatos,& totidem Præbendas Canonicales, & ultra prædictos,& prædicta perpetuos Vicarios, & perpetua Beneficia in multitudine copiosa, ita quod est solemnis Collegiata Ecclesia, etiam sub multitudine Beneficiorum continua singulis temporibus consuetis cum solemnitate, sicut Cathedralis Ecclesia , Divina celebrans officia, & horas nocturnales, & diurnales juxta temporum intervalla.

Item ultra præfatas Ecclesias, Cathedralem scilicet,& Collegiatam Ss. Petri & Andreæ , in ipsa Diœcesi Paderbornensi fuerunt, & sunt etiam diversæ Ecclesiæ aliæ Collegiatæ ad minus quatuor , una videlicet Ss. Johannnis & Dionisii Hervord. Paderborn. Diœcesis habens salvis vacationum temporibus Præpositum & Præposituram dignitatem principalem in eadem, ac Decanum & Decanatum,Præpositum & Præposituram , Scholasticum & Scholastriam, ac alios in dignitatibus,& officiis constitutos, & plures Canonicos Capitulares,& totidem Præbendas Canonicales , & Vicarios perpetuos, ac Beneficia perpetua in magno numero & constituta in magno loco,& murato, & bene munito oppido Hervordensi, bene populoso , & de quo oppido natus fuit quondam bonæ memoriæ Dominus Hermannus Duvers, Apostolicæ Sedis Prothonotarius,qui si viveret, de supradictis, & infra dicendis relationem facere posset debitam.

Item etiam in eodem oppido insigni & bene notabili fuit,& est quoddam aliud notabile, & insigne Collegium, vocatum communiter & appellatum S. Pusinnæ , duplici consideratione. In una consideratione habet Abbatissam & Canonicas sæculares, revera tamen religiose viventes in bona multitudine,& ad illud Collegium non recipiuntur, nisi mulieres illustres, & Ducum, Comitum, Baronum , Militum , & ad minus Militarium genere procreatæ: prout hodierno tempore Abbatissa ejusdem Collegii est nata Comitissa, & soror carnalis unius magni Comitis, videlicet Comitis de Waldeghe. Est etiam pro mensa Abbatissæ ejusdem, & mensa Abbatissali ab antiquo, prout hodie, valde sufficienter provisum & opulente. Est etiam sufficienter aliis Canonicabus,vel Canonissis in eodem Collegio habitantibus, quantum ad Præbendas Canonicales, sufficienter provisum.

Item in secunda parte ejusdem Collegii sunt Canonici sæculares, Capitulum cum ipsis Abbatissa, Canonicabus & Canonissis repræsentantes vel facientes, & de communi utilitate,& commodo ipsius Collegii tractantes , insimul commune Capitulum facientes: & vacant in horis Canonicis Divinis Officiis cantando, & legendo , sicut cæteræ Ecclesiæ Collegiatæ , ac eis , & unicuique pro Beneficio suo, & secundum ejus statum sufficienter est provisum apud eundem locum, & in eodem Collegio, sive Ecclesia, secundum ejus statum deservientes.

Item a supradictis temporibus citra in Diœcesi Paderbornensi fuit , esseque consuevit , & hodie est quoddam aliud solemne oppidum muratum, insigne munitum, forte , atque valde populosum, appellatum communiter,& vocatum oppidum Huxariense, & in illo est etiam alia solemnis Collegiata Ecclesia, vocata Collegiata Ecclesia S. Petri Huxariens. Paderbornensis Diœcesis , habens salvis vacationum temporibus Præpositum & Præposituram , dignitatem Principalem in eadem, Decanum & Decanatum, & in eadem Ecclesia cæteras Dignitates & officia inferiora, & quam plures Canonicos Capitulares ejusdem Ecclesiæ, & totidem Præbendas Canonicales, & plures perpetuas Vicarias & perpetua Beneficia in eadem , & notabile Collegium repræ-

ſentans, & horis Canonicis, & Divinis, temporibus conſuetis vacans, ſicut cæteræ Eccleſiæ Collegiatæ.

Item a dicto tempore citra in præfata Diœceſi Paderbornenſi fuit, erat, & eſt quoddam aliud inſigne, & notabile oppidum, etiam muratum, magnum & forte, appellatum communiter oppidum Bilevelde, Paderbornenſis Diœceſis, habens ſibi multum populum, & eſt locus inſignis, habens etiam intra ſe ſolemnem Collegiatam Eccleſiam, appellatam communiter & vocatam Eccleſiam Ss. Mariæ & Georgii Paderbornenſis Diœceſis, habens etiam pro tempore Decanum & Decanatum in eadem Eccleſia-dignitatem principalem, & cæteras inferiores dignitates, & officia, & plures Canonicos Capitulares, & totidem Præbendas Canonicales, ac etiam diverſas perpetuas Vicarias, & perpetua Beneficia, ita quod etiam eadem Eccleſia repræſentat ſolemnem Eccleſiam Collegiatam, & perſonæ ejuſdem etiam vacant Divinis Officiis, & horis Canonicis temporibus conſuetis, prout in cæteris Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis ſolitum eſt fieri, de quo etiam oppido natus fuit quondam Dominus Johannes Bileveldenſis, dum vixit, Auditor cauſarum Palatii Apoſtolici, multo tempore notabilis Curteſanus.

Deinde quod etiam non taceatur, ſed aliquid dicatur de Ordinibus & Monaſteriis per civitatem & Diœceſin Paderbornenſem in diverſis locis conſtitutis, & ſituatis, & lege Diœceſis Paderbornenſis fruentibus, dicitur, quod quaſi ſinguli ordines in eadem Diœceſi Paderbornenſi reperiuntur infra eandem Diœceſin Monaſteria habentes.

Ordo enim Ciſtertienſis habet Monaſteria diverſa ad minus tria, & inter illa unum ſolemne Monaſterium appellatum Herdehus, bene opulentum, & in magno numero fratrum & converſorum, exiſtens adeo inſigne, quod ejuſdem Monaſterii in Herdehus pro tempore Abbas conſuevit reputari ſaltem, quoad partes illas, & circumvicinas, Pater Abbas in ordine hujusmodi, ut puta, quod conſuevit viſitare, alia Monaſteria ſui ordinis.

Aliud Monaſterium in Breydelar communiter appellatum.

Item aliud quoddam Monaſterium Monialium ejuſdem ordinis . . Monaſterium in Beringhuſen communiter appellatum.

Item aliud Monaſterium ejuſdem ordinis, appellatum Almelhusborn, Paderbornenſis Diœceſis, Ordinis Ciſtertienſis, verſus Saxoniam, in Diœceſi Paderbornenſi, & ſit a confinatione ejuſdem Monaſterii ad contrarium ſitum, ejuſdem Diœceſis Paderbornenſis . . . fere uſque ad oppoſitam partem ejuſdem Diœceſis, quaſi tres dietæ vulgares, & longe.

Item quam plura etiam Monaſteria Ordinis Sancti Benedicti, in & ſub eadem Diœceſi, etiam notabilia, & bene dotata, & in numero ad minus ſex, quorum unum infra civitatem Paderbornenſem, appellatum Monaſterium Ss. Petri & Pauli, Abdinchove nuncupatum, Ordinis Sancti Benedicti, ſatis ſolemne, habens Abbatem, Priorem, & Conventum, & eſt Monaſterium opulentum, & ſatis notabile viventium ſub regula.

Item unum aliud Monaſterium notabile, & inſigne, regale, vocatum communiter, & appellatum Corbeja, per Karolum Magnum erectum, dotatum, & fundatum, Ordinis Sancti Benedicti, Paderbornenſis Diœceſis, & eſt ſolemniſſimum Monaſterium, tam in dotatione, quam fundatione, & non ſolum Regale, verum etiam Imperiale, & eſt Monaſterium ab antiquiſſimo tempore, & adeo ſolemne, quod ab antiquo Abbas pro tempore ejuſdem Monaſterii conſuevit habere ſub ſe, prout hodierna die habet, etiam mero & mixto Imperio notabiliſſima oppida, & caſtra quam plura, etiam Paderbornenſis Diœceſis, & idem Abbas pro tempore conſuevit eſſe de curia Romanorum Imperatorum, & curiam ejus ſequi, ſerviens in aliquo ſolemni officio, habens etiam ſub ſe aliqua Monaſteria ejuſdem ordinis, Paderbornenſis Diœceſis, & etiam extra ab illo dependentia. Et ut veritas dicatur, qui in impetratione prætenſæ unionis Eccleſie Paderbornenſis ad Colonienſem taxatam ad centum florenos duntaxat non expreſſit, quamquam forte ſcivit, quod ipſum Monaſterium Corbejenſe, ſeu illius Abbatia, quæ eſt ſub lege Epiſcopi, & Eccleſiæ Paderbor-

bornenſis, ſeu in ejus Diœceſi ſita, taxatum reperitur in Camera Apoſtolica ad florenos quadringentos de Camera.

Item aliud Monaſterium ejusdem ordinis, vocatum communiter, & appellatum Monaſterium S. Petri, ſitum in oppido notabili, murato & munito, & Helmeshuſen nuncupato; habens Abbatiam & Conventum &c. ut ſupra.

Item unum aliud Monaſterium, vocatum communiter,& appellatum Monaſterium in Monſter, Paderbornenſis Diœceſis, habens Abbatem & magnum Conventum, ut ſupra.

Item unum aliud Monaſterium ordinis & Diœceſis prædictorum, vocatum communiter, & appellatum Monaſterium in Wiechtorp,habens Abbatem & Conventum, ut ſupra.

Item unum aliud Monaſterium ordinis, & Diœceſis prædictorum, vocatum communiter, & appellatum Monte Martis, habens Præpoſitum pro tempore tanquam caput, & Superiorem, & plures Conventuales.

Sequuntur nomina Monaſteriorum, & Eccleſiarum Collegiatarum Canonicarum ſæcularium, videlicet Abbatiſſæ Hervord. Heriſienis, Schildeſche. De Conventibus Monaſteriorum Conventualium, ut puta Canonicorum Regularium, ordinis Mendicantium diverſorum ordinum in civitate & Diœceſi Paderbornenſi, tædium generaret referre.

Item de quam pluribus Monaſteriis Monialium diverſorum ordinum, copioſe, & diffuſe per civitatem & Diœceſin Paderbornenſem prædictas conſiſtentibus, in recitando tædium generaret audientibus, quorum aliqua opulentiſſime fundata exiſtunt tam in civitate, quam oppidis dictæ Diœceſis.

Sequuntur Parochiales Eccleſiæ in civitate & Diœceſi Paderbornenſi conſtitutæ. Eccleſiæ Parochiales ſitæ, & conſtitutæ in civitate & tota Diœceſi Paderbornenſi plures centenarias in numero continent, quarum quatuor ſolemnes in ipſa civitate Paderbornenſi exiſtunt notabiles & bonæ: quatuor in magno oppido Hervordenſi bonæ & notabiles: duæ in oppido magno Lemegen: duæ in oppido Bilveldenſi: quatuor in magno oppido Warburgen,intra & extra: duæ in oppido magno Huxarienſi: duæ in magno oppido, intra & extra Monte Martis. Aliqua vero fuerunt,& ſunt diſperſim, hinc inde ſub conſideratione oppidorum, caſtrorum, & villarum in ipſa Diœceſi late ſitarum, quarum Eccleſiarum Parochialium, aliquæ earum quælibet,ſi non habet plura millia communicantium, tunc ad omne minus habet mille communicantes in conſideratione dictorum oppidorum, villis,& villagiis diverſis locis dictæ Diœceſis & ſituat.

Et ſi placeret aliquæ earum nominari in ſpecie, ſequuntur nomina earum, quæ omnes,& plures aliæ hic in Romana curia ſpecifice nominari non poſſunt. Sunt ſub lege Eccleſiæ Paderbornenſis & Diœceſis ejusdem, & quælibet earum ſit in ſedibus Archidiaconalibus, ſecundum ſua confinia, prout etiam hoc ſuperius tactum eſt.

Sequuntur nomina Comitatuum, & Baroniarum,ſitarum in Diœceſi Paderbornenſi, quorum aliqui Comitatus, etiam pleno jure,tam temporali, quam Spirituali ad Epiſcopum Paderbornenſem pro tempore exiſtentem,& Paderbornenſ. Eccleſiam ſpectant. Et primo antiquus Comitatus inſignis, notabilis, Comitatus Warbergenſis, de quo tactum eſt ſupra, qui etiam antiquo tempore poſt ipſius Eccleſiæ Paderbornenſis primævam fundationem, poſt quondam bonæ memoriæ mortem Dedoconis, ipſius Comitatus ultimi Comitis, qui cum pura devotione ipſi Eccleſiæ Paderbornenſi contulit,& donavit.

Item Comitatus Swalenberg, quem Eccleſia Paderbornenſis poſt ejus primævam fundationem cum totali ejus diſtrictu pacifice,& quiete habuit.

Item magnus Comitatus Waldeck, cujus etiam totum Dominium,modico excepto,ſub lege Eccleſiæ Paderbornenſis in Spiritualibus regitur.

Item pariformiter notabilis Comitatus Ravensberg, qui ut ſupra immediate dictum eſt de Comitatu Waldeck, etiam vivit ſub lege in Spiritualibus Eccleſiæ Paderbornenſis.

Item Comitatus Sternebergh, cujus bonam partem Paderbornenſis Eccleſia, &

& ejus Episcopus pro tempore existens, in temporalibus Dominus est.

Item Comitatus Redberg, & magna pars Comitatus Everstein, ac similiter magna pars Comitatus Pairmunt, Humberg, & territoria, & districtus dictorum Comitatuum, sub lege Ecclesiæ, & Diœcesis Paderbornensis vivunt.

Item est & alius Comitatus, appellatus Comitatus Spegelberch, & est pro majori parte Diœcesis Paderbornensis, & sub lege Diœcesis pro tempore Episcopi Paderbornensis cum suo districtu pro majori parte.

Et hi Comites . . . supradictorum Comitatuum sunt Vasalli Ecclesiæ Paderbornensis, & servire tenentur ad ipsius Ecclesiæ requestam.

Sequuntur nomina Baroniarum: primo magna Baronia Lippensis, quæ in magnis oppidis, villagiis, & potestate, ac dando, veniat æquiparando magno Comitatui, cujus Baroniæ districtus, præterquam oppidum Lippens. in spiritualibus subest Episcopo, & Ecclesiæ Paderbornensi.

Baroniæ de Buren de mero jure spectant ad Ecclesiam Paderbornensem, & per ipsam Ecclesiam Paderbornensem post ejus primam fundationem acquisitæ sunt sub lege Diœcesis Ecclesiæ Paderbornensis.

Item Baronia Schœnenberg pro ejus majori parte Paderbornensis Diœcesis.

Item Baronia Padberg etiam Diœcesis Paderbornensis.

Et hi omnes & supradicti Barones sunt Vasalli Ecclesiæ Paderbornensis, & servire tenentur ad ipsius Ecclesiæ Paderbornensis requestam.

Est etiam sciendum, quod plures Duces, in aliis Diœcesibus constituti, Landgravii Hassiæ, ad fidelitatem & homagium præstandum Episcopo Paderbornensi pro tempore existenti, sunt astricti Ecclesiæ Paderbornensi, dum in periculis & necessitatibus constitueretur, requisiti ad subveniendum.

Sequuntur nomina civitatum & oppidorum, quæ ad Ecclesiam Paderbornensem spectant tam in temporalibus, quam spiritualibus pleno jure. Et primo civitas Paderbornensis, quæ in Alemannia notabilis inter alias civitates existit, & insignis, fortissima, murata, & bene munita, habens in se Ecclesiam Paderbornensem, ut Dominam, & Magistram, aliam magnam Collegiatam Ecclesiam notabilem, & alia Monasteria virorum, & mulierum diversorum Ordinum, & IV. magnas Parochiales Ecclesias, de quibus supra, magnam, præpollentem, divitem, populosam, unitissimam in hac materia unionis prætensæ cum Capitulo Ecclesiæ, Paderbornensibus reclamantibus & renitentibus a majori usque ad minimum contra dictam prætensam unionem, & potius mori parati sunt, quam perdere statum & libertatem Matris & Dominæ suæ Ecclesiæ Paderbornensis.

Deinde duo oppida Warberg, Diœcesis Paderbornensis, in se contigua per muros distincta, unum videlicet oppidum novum, & aliud oppidum antiquum cum ejus castro, & duobus suburbiis, magna, fortia, insignia, murata, populosa, & bene munita, in quibus sunt IV. Parochiales Ecclesiæ ab intra & extra, prout supra, & alias in ipsis bene viginti quatuor Beneficia sine cura pro Clericis inibi deservientibus, & antiquitus consuevit esse Comitatus magnus, &, ut præmittitur, ex donatione devenit ad Ecclesiam Paderbornensem.

Et ad quæ oppida nuper de mense Octobris proxime præterito, dum Reverendus in Christo Pater, Dominus THEODORICUS Archi Episcopus Coloniensis causa, ut animum suum darent, & se inclinarent ad dictam prætensam unionem, dum hæc attemptata forent, per aliquos ex Consiliariis Domini THEODORICI præfati in theatro, vel in domo consulari dicti novi oppidi Warberg existen. Etiam ibi aliquibus Magistris civium, & Consulibus aliorum oppidorum ad ipsam Ecclesiam Paderbornensem spectantium infra dicendorum, & aliis hominibus in numero & multitudine copiosa, & dum præstare deberent assensum, & consensum ad hujusmodi unionem fiendam Ecclesiæ Paderbornensi ad Coloniensem, unanimiter, una voce, & uno animo, a majori usque ad minimum male contenti dixerunt, & acclamarunt: Vivat Ecclesia Paderbornensis, & ejus libertas. Et adeo idem oppidum est insigne, quod sufficeret pro erectione unius Cathedræ Episcopalis, & habet duos Magistros civium, & duos Consulatus, unumquodque ipsorum per se.

Item

Item unum aliud oppidum insigne, pulchrum, muratum, & notabile, ac populosum, munitum, appellatum oppidum Bracle, Paderbornensis Diœcesis, & in eodem est una de sedibus Archi-Diaconalibus, sedes Braclen in Ecclesia Paderbornensi nuncupata, & habet unam solemnissimam Parochialem Ecclesiam, præpollentem, & notabilem, & plura alia Beneficia in eadem Ecclesia, Clericis sæcularibus assignari consueta in titulum Beneficii. Et est oppidum adeo insigne, & notabile, quod in eodem moneta cudi consuevit, de voluntate tamem Episcopi Paderbornensis pro tempore existentis; Est etiam idem oppidum adeo insigne, quod Cathedra Episcopalis de novo institui, & erigi posset.

Item unum aliud notabile, insigne oppidum muratum, & bene munitum, magnum, & populosum, vocatum, & appellatum Borgentrick, habens unam solemnem Ecclesiam, & Parochianos multitudine copiosa, & opulentum, & fulcitum in victualibus inter cætera oppida illarum partium, & propter amœnitatem & ubertatem illorum trium oppidorum prædictorum vocatur patria illorum districtu, patria Lilii, id est Lilienland.

Item unum aliud notabile, insigne, pulchrum, munitum, ac populosum, & bene munitum oppidum, vocatum communiter & appellatum Nyhem, Paderbornensis Diœcesis, habens solemnem Parochialem Ecclesiam adinstar dictorum oppidorum ut supra, de quo olim oriundus fuit quondam bonæ memoriæ Magister Theodoricus Nyhem inter præsidentes in Cancellaria Domini nostri, unus de Majoribus, & toti Curiæ tempore suo notus.

Item unum aliud oppidum, ut supra, non minus insigne, quam oppida, de quibus dictum est, vocatum communiter & appellatum oppidum Stenhem, Paderbornensis Diœcesis, in quo etiam est una de sedibus Archi-Diaconalibus, ut supra.

Item est unum aliud oppidum, ut supra, insigne, muratum, & munitum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Soltkotten, Paderbornensis Diœcesis, & inibi est vena salis, & decoquitur sal pro usu illius patriæ.

Item unum aliud oppidum solemne, & insigne, ut supra, vocatum, & communiter appellatum Lechtenowe cum castro suo, Paderbornensis Diœcesis, notabile adinstar prædictorum oppidorum.

Item unum aliud oppidum insigne, ut supra, vocatum communiter & appellatum oppidum Büren cum castro suo, Paderbornensis Diœcesis, etiam multum notabile adinstar oppidorum prædictorum.

Item unum aliud oppidum cum castro suo, ut immediate supra, vocatum communiter, & appellatum Peckelsen, notabile, muratum, & insigne, ut supra, Paderbornensis Diœcesis.

Item unum aliud oppidum, vocatum Levenowe cum castro suo, Paderbornensis Diœcesis.

Item unum aliud notabile oppidum, vocatum, & appellatum Lude cum castro, Paderbornensis Diœcesis, & est Baronia, & spectat in temporalibus & spiritualibus, ut supra, ad Paderbornensem Diœcesin.

Item unum aliud oppidum, vocatum & appllatum Dringhenberg cum castro, murato, & bene munito, ut supra, & est adeo notabile, quod Episcopi Paderbornenses in eo aliquando consueverunt facere residentiam personalem.

Item unum aliud oppidum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Beverunghen cum castro, ut supra, Paderbornensis Diœcesis.

Item unum aliud oppidum, vocatum, & communiter appellatum oppidum Cleneberg, Paderbornensis Diœcesis, muratum, & munitum, ut supra.

Item unum aliud oppidum cum castro, vocatum communiter, & appellatum oppidum Wunnenberg, Paderbornensis Diœcesis, muratum & munitum, de quo oriundus etiam fuit quondam bonæ memoriæ Dominus & Magister Fridericus Deys, Decanus Ecclesiæ Paderbornensis, & Sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, & cæteræ curiæ tempore suo bene notus.

Item unum aliud oppidum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Bredenborne.

Item unum aliud oppidum, vocatum & communiter appellatum Vorde cum ca-

castro, Paderbornensis Diœcesis, ut supra.

Item unum aliud oppidum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Gerden, Paderbornensis Diœcesis, forte, ut supra.

Item unum aliud oppidum, vocatum & communiter appellatum Wilbodessen, Paderbornensis Diœcesis, ut supra.

Et est sciendum, quod omnia oppida supra descripta sic pleno jure ad Ecclesiam Paderbornensem spectantia, sint notabilia oppida, murata, munita, & fortia, populosa, & habundantia secundum majus & minus, habentia magnum populum, Magistros civium, Consules juratos, & consilium, & magnam communitatem.

Item est unum aliud oppidum, vocatum, & communiter appellatum oppidum Drendeborg cum suo castro, Paderbornensis Diœcesis, quod pro medietate spectat ad Episcopum & Ecclesiam Paderbornensem, munitum & forte.

Item est unum aliud oppidum, ut supra, vocatum & communiter appellatum oppidum Helmershusen cum suo castro, Paderbornensis Diœcesis, cujus certa pars tam oppidi, quam castri ad Episcopum Paderbornensem, pro tempore existentem, & Ecclesiam spectat.

Sequuntur castra, quæ pleno jure spectant ad Episcopum pro tempore existentem, & Ecclesiam Paderbornensem.

Et primo castrum Nyehus, Paderbornensis Diœcesis, insigne, forte, muratum, & bene munitum, bene situantum, & in eodem castro consuevit esse Residentia Episcoporum Ecclesiæ Paderbornensis, pro tempore existentium, quod prædictus Reverendus Dominus THEOTORICUS Archi-Episcopus Paderbor. inpignorando ad manus dedit alienas.

Item unum aliud castrum, forte & muratum, Paderbornensis Diœcesis, vocatum Lippespringhe cum ejus suburbio.

Item unum aliud castrum, forte & muratum, vocatum communiter, & appellatum castrum Dregborg, Paderbornensis Diœcesis, ut supra.

Et est advertendum, quod memoratus Dominus THEODORICUS Archi-Episcopus Coloniensis, duo meliora castra superius descripta, unum videlicet oppidum cum castro suo Dringheberg nuncupatum, & aliud etiam insigne castrum suprascriptum Nyehus appellatum, & de quibus Episcopus Paderbornensis, pro tempore existens, residentiam personalem facere consuevit, impignorando dedit ad manus alienas, ita & taliter, quod prædicta duo castra, notabilia & insignia, una cum prædicto oppido non sunt in posse, nec potestate Capituli Ecclesiæ Paderbornensis.

Sequuntur oppida insignia, & notabilia, quæ ad Ecclesiam Paderbornensem non spectant, sed tantum eidem subsunt sub lege Diœcesana. Et primo oppidum Hervorden, de quo modicum tactum est in titulo de Collegiatis Ecclesiis, Paderbornensis Diœcesis. Nam idem oppidum est oppidum solemne, Imperiale, muratum, munitum, & insigne, ac populosum & præpollens, non recognoscens alium Dominum, nisi Romanum Regem: unde, ut supra dictum est, habet in se duo Collegia, duos Conventus, & plures Parochiales Ecclesias, & plura Monasteria Monialium: & idem oppidum valde sufficeret propter ejus amœnitatem, & ubertatem, & divitias pro Cathedra Episcopali nova erigenda.

Item est unum aliud oppidum in Comitatu Ravensburgensi, de quo supra, situm, solemne, insigne, muratum, & munitum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Bilveld, Paderbornensis Diœcesis, habens in se, ut præmittitur, unam notabilem Collegiatam Ecclesiam, de qua supra, quod sufficeret pro Cathedra Episcopali nova erigenda.

Item unum aliud oppidum insigne, muratum, & bene munitum, ut supra, vocatum communiter, & appellatum oppidum Lemegen, in quo etiam sunt, ut præmittitur, duæ Parochiales Ecclesiæ notabiles, situm in Dominio magnæ Baroniæ Lippiensis, & adeo notabile, & magnum, & divitiis, ac structura præpollens, quod etiam sufficeret pro Cathedra Episcopali inibi erigenda.

Item est unum aliud oppidum insigne, & notabile, forte, populosum, & famosum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Mons Martis, in quo etiam est unum notabile Monasterium Ordinis Sancti Benedicti, de quo oppido oriundus est Venerabilis Vir Magister Johannes de Monte Martis, Decretorum Doctor, & Literarum Apostolicarum Scrip-

Scriptor, & Abbreviator, quod etiam sufficeret pro erectione unius novæ Cathedræ Episcopalis.

Item unum aliud oppidum pulchrum, forte, bene muratum, & bene munitum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Huxariense, Paderbornensis Diœcesis, habens in se notabile Collegium Canonicorum sæcularium, & alia Monasteria tam virorum, quam mulierum, & duas notabiles Parochiales Ecclesias. Est etiam in eo sedes Archi-Diaconalis in Ecclesia Paderbornensi, vocata communiter sedes Huxariensis, adeo insigne, quod ad instar aliorum oppidorum etiam posset institui de novo sedes Episcopalis.

Item est unum aliud oppidum notabile, & insigne, populosum, valde muratum, & bene munitum, vocatum communiter, & appellatum oppidum Corbecke, in Comitatu Comitis de Waldeck situm, & est adeo tale, taliter insigne, quod in eo etiam possit sedes Episcopalis de novo collocari.

Sunt & quamplura alia magna, & parva oppida & castra, villæ & villagia, numero & multitudine copiosa, de quibus hic nihil tangitur, ne fastidium generetur, quæ omnes subjacent legi Ecclesiæ Paderbornensis, & Episcopo pro tempore existenti.

Confinia Diœcesis Paderbornensis. Imprimis ut recipiatur consideratio confiniorum Civitatis, Ecclesiæ, & Diœcesis Paderbornensis respective ad alias civitates, & Diœceses eidem confines, dicitur, confinat enim Diœcesis Paderbornensis in una parte ad Diœcesin Hildesimensem, sub qua & Episcopus, Civitas, & Ecclesia Hildesimensis, & considerative Ecclesia Paderbornensis plus habet de castris, & oppidis muratis, atque munitionibus, ac de latitudine Patriæ & Diœcesis, quam habet Ecclesia, Civitas, & Diœcesis Hildesimensis.

Item confinat etiam eadem Diœcesis Paderbornensis alteri Diœcesi, appellatæ Diœcesi Mindensi, habens pro tempore Episcopum, Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesin. Et ipsa Ecclesia, Civitas, & Diœcesis Paderbornensis etiam præeminet in oppidis, castris, & munitionibus, atque in latitudine & longitudine ultra Diœcesin & civitatem Mindensem, immo, ut veritas dicatur, nunc Ecclesia, civitas, & Diœcesis Paderbornensis in oppidis, castris, munitionibus, longitudine, & latitudine cuilibet Diœcesi proxime dictis - - - videlicet Hildesimensi, & Mindensi prævalet, & præeminet.

Item confinat etiam Diœcesis Paderbornensis ab alio situ cum Diœcesi Osnabrugensi, quæ Diœcesis etiam pro tempore habet Episcopum, civitatem, & Diœcesin, & revera civitas, Ecclesia, & Diœcesis Paderbornensis in oppidis muratis, castris, & munitionibus præeminet, quo ad Diœcesin, Ecclesiam, & civitatem.

Item confinat etiam ab alia parte ad Diœcesin Paderbornensem quædam alia Diœcesis, appellata communiter Monasteriensis, habens civitatem, Ecclesiam, & Diœcesin solemnes, & pro tempore Episcopum, & revera Ecclesia, civitas, & Diœcesis Paderbornensis in oppidis, castris, & munitionibus, præeminet Ecclesiæ & Diœcesi Monasteriensi.

Tantum hæ literæ ad priores pondus attulere, ut nemo exinde Patrum conjunctionem Paderbornensis Ecclesiæ cum Coloniensi probaret. Anno demum 1444. Theodoricus Archi-Episcopus, acri cum Susatensibus bello implicitus, cum adverteret, quantum sibi in utramque partem accessurum esset, si Paderbornenses aut hostes, aut amicos haberet, cum illis redire in gratiam voluit, & omne jus, quod a Pontifice sibi datum obtendebat, ultro remisit, suamque cessionem publicis Tabulis consignavit. Tabulas has exhibet *Schatenus in Annal. Paderb. Tom. II.* ex quo etiam, quæ ad causam hanc Paderbornensem, in Concilio Basileensi agitatam, pertinent, deprompsimus.



Com-

Compendiosa Enarratio,

Quomodo Bohemi vocati, productique sint ad Basileensem Synodum Oecumenicam, & quid illic egerint. (*)

CUm Bohemi in erroribus suis persisterent, & primitivam, ac Apostolicam Ecclesiam jactantes, a Romana Sede pertinacius eviarent, exulceratis nimirum illorum animis ob Johannis Hussi, & Hieronymi Pragensis exustionem, missus est in Germaniam Legatus Julianus Cardinalis, titulo Sancti Angeli, ut expeditionem appararet in rebelles Bohemos, quam Romana consuetudo cruciatam appellat. Putabat enim Romanus Pontifex, hanc gentem a Germanis facile posse superari. Verum res aliter evenit: nam nostris sæpius in fugam versis, tantum vicinis omnibus terrorem incusserunt, ut nihil aliud quam pacem optaret Germania. Rebus itaque non succedentibus, cum semper Bohemi superiores essent, quamquam a novo jam Pontifice EUGENIO sententia anathematis damnati; optimum factu visum est, si Basileam, ubi nuper indictum erat Concilium, vocarentur. Quare Cardinalis Julianus eo loci præmisit Johannem Polemarium Pontificii Juris Doctorem, Sacrique Palatii Auditorem, & Johannem de Ragusio, Theologiæ Professorem, Ordinis Prædicatorum, tum Procuratorem generalem, qui postea Episcopus Argensis factus, etiam in Cardinalium numerum meruit recipi, titulum Sancti Sixti indeptus. Qui cum Basileam venissent Anno MCCCCXXXI. mense Augusto, vocarunt literis ad Concilium Johannem Mulbrunæ Abbatem, & Johannem Gelhusium, ejusdem Cœnobii Monachum. Nam hoc nomen propter dexteritatem ingenii, ac regionum, ac rerum experientiam imprimis opus erat ad obeundas legationes. Abbas aliis negotiis distentus non venit: Johannem tamen morbo paulo ante vexatum, & adhuc valetudine non satis confirmata Basileam misit; Quo non multis post diebus Julianus quoque pervenit, ut promiserat. Is statim Johannem Gelhusium, & Hammanum Offenburgium, Consulem Basileensem, primum ad SIGISMUNDUM Cæsarem, Feldkirchii tum agentem, deinde ad FRIDERICUM Ducem Austriæ mittit, pro componendo bello, quod huic erat cum PHILIPPO Duce Burgundiæ. Fiebat hoc, ut reddita pace tuto liceret Basileam venire non solum proceribus Ecclesiasticis, sed & mercatoribus, atque adeo omnia, quæ ad victum pertinent, importare; Hanc legationem obeuntes, literas acceperunt a Sancta Synodo, SIGISMUNDO Cæsari reddendas, quibus Bohemi, Moravi ad Concilium vocabantur: has ille mox in Bohemiam perferendas curavit. At cum in Italiam proficisceretur, Imperialem a Pontifice coronam suscepturus, Protectorem interim velut Vicarium Sacro Concilio dedit WILHELMUM Bavariæ Ducem. Porro cum Synodus monita fuisset, nostros conditiones pacis a Bohemis accipere velle post fœdam illam fugam; arbitrans, hoc ignominiosum esse, misit Johannem Niderium Ordinis Prædicatorum Theologum, & Johannem Gelhusium, qui commodum redierant, ut vicinum Bohemis populum consolarentur, & Moravos Bohemosque ad Concilium ante vocatos, ad veniendum sedulo urgerent. Hi tertio Kalendas Novemb. Basilea discedentes, Monachium versus (id est, oppidum Bavariæ) iter instituerunt. Ubi cum primum WILHELMUM Ducem, & hujus Fratrem ERNESTUM, atque ERNESTI Filium ALBERTUM salutassent, & mandata legationis suæ exposuissent; ipsumque WILHELMUM monuissent, ut quamprimum Basileam veniret, quod ei tutela Concilii commissa esset a Cæsare; mox FRIDERICUM Marchionem Brandeburgii, JOHANNEM Ducem Bavariæ, & Senatum Nurenbergensem, ac alios Principes & Dominos, partim literis

(*) Ex rerum expetendarum fasciculo, quem M. Ortwinus Gratius non satis fideliter & prudenter congessit, desumpta. Refertur ead. narratio in *Editione Conciliorum Regia Tomo XXX.* & ab *Harduino*, *Concil. Tomo VIII.*

teris Synodalibus, partim etiam ore suo sunt adhortati, ut nullo pacto fœdus cum Bohemis inirent, quod Ecclesiæ nocere posset; adfuturum mox auxilium: Rogabantque nomine Concilii, ut, si Bohemi Legatos suos Basileam mittere vellent, deducerent eos per suam quique regionem salvos. Omnes se hoc facturos receperunt. De vocatis Bohemis dici non potest, quam gavisi fuerint omnes, præsertim laici, cum etiam lacrymas emitterent affectus vehementissimi testes. Deinde cum Senatum Nurenbergensem consuluissent, de mittendis in Bohemiam literis Synodalibus, visum est melius esse, si prius sciscitarentur ab Egrensibus, num aliquid ad Superiores Concilii literas Bohemi respondissent, quas ipsi perferendas curassent. Egrenses per literas moniti, tabellarium illum Nurenburgam miserunt, qui literas Concilii in Bohemiam ante pertulerat. Is retulit, quanta cum reverentia literas accepisset Consul majoris Civitatis Pragensis, & quibus ipse præmiis fuisset donatus. Unde spem Legati conceperunt rem bene processuram. Itaque consilio Senatus Nurenbergensis usi, & aliorum, præsertim Abbatis Sancti Ægidii, Albertique Pastoris apud Sanctum Sebaldum, & Conradi Cuonhoferii, remiserunt ad Egrenses tabellarium illum, & suis privatim, & Concilii literis oneratum: neque enim commodior erat ratio, literas in Bohemiam mittendi; Multum porro laboratum est in hac re, cum ab Egrensibus ipsis, tum a Friderico Marchione Brandeburgensi, & Johanne Duce Bavariæ, & a Senatu Nurenbergensi; tantopere cupiebant hi inter Christianos pacem instaurari. Exempla literarum, quibus Sacra Synodus Bohemos denuo invitat, & alias item exhortatorias, ac literas Oratorum ad eosdem, & ad hos Pragensium respondentes causa brevitatis omisimus. Porro Bohemi non per omnia nostris fidentes, in literis petebant, ut Oratores Concilii cum Principibus vicinis ad Egram venirent: suos illic quoque adfuturos, ut de commeatu, seu publica fide danda, quem salvum conductum appellant, & aliis rebus tractaretur. Decretus fuit ei Conventui dies Dominicus, qui Pascha proxime sequebatur. Erat is mensis Aprilis dies vigesimus septimus. Itaque venerunt Egram Oratores Sacri Concilii, Henricus, Abbas Sancti Ægidii Nurenbergensis, Johannes Nider, Theologiæ Professor, ac Prior Domus Prædicatorum apud Basileam, Fridericus de Parspergo, Decanus Ratisponensis, Juris Pontificii peritus; Magister Henricus Tocgius, Canonicus Magdeburgensis, Theologus, Albertus, Pastor apud Sanctum Sebaldum Nurenbergæ, & Johannes Gelhusius, Cœnobita Mulbrunensis, cum Illustribus Principibus Friderico, Marchione Brandeburgii, & Johanne, Bavariæ Duce, ac aliis Proceribus, fere cum ducentis & quinquaginta equis. Verum de Bohemis nullus aderat, quod Bilsenenses, & Dominus Suanbergius salvum conductum non misissent. Id cum ex literis intellexissent, effecerunt, ut ab Egrensibus, & Elenbogensibus Nuntii Bohemorum Nicolaus Humpoltzius, Secretarius majoris civitatis Pragensis, & Matthias Clumpezanus, Præfectus Piestensis, producerentur, veneruntque Egram cum decem & novem equis octavo die mensis Maji. Postridie apud Marchionem Henricus Tocgius eleganti oratione Bohemorum Nuntios salutavit, Evangelicum illud usurpans, declaransque: *Pax vobis.* Mox ipsi proposuerunt, quam atrocibus injuriis a nobis fuissent hactenus affecti, eamque rem extitisse causam tot utrimque cladium. Gaudere se, quod tandem spes affulsit, ut audirentur aliquando; deinde de commeatu præstando disputatum est. Obsides postulant Bohemi, non quosvis, sed Principes & Nobiles. Id cum nostris non placeret, & res ita differretur, cœpit vulgus apud Egram clamare, quo minus cum Bohemis procederet concordia, per Ecclesiasticos stare & Principes. Proinde pientissimi Principes Fridericus, Marchio Brandeburgensis, & Johannes, Bavariæ Dux, suapte sponte se obligarunt. Hoc idem paulo post rogante Synodo fecit Protector Concilii Wilhelmus, Dux Bavariæ, item ipsa Synodus, & Sigismundus Cæsar. Præterea promissio facta est, hoc idem omnes Principes & civitates præstituros, per quorum ditionem essent profecturi Bohemi, atque adeo civitatem ipsam Basileensem. Quæ de commeatu di-

diplomata paulo post sunt Pragam missa. Postulatum & hoc est a Bohemis, ut ipse Cæsar præsens adesset in Synodo, quam fieri posset, plene congregata. Conventus Egrensis duravit dies viginti unum. In quo etiam fuerunt Ornatissimi Viri Petrus Volkamer, Consul Nurenbergensis, & Conradus Cuonhofer, jussu, sumptuque civitatis suæ. Verum Bohemi, quanquam audissent, nostros miranda pollicentes, adhuc non plane fidebant; quare elegerunt duos Nuntios Nicolaum Humpoltzium, & Johannnem Zaczensem, qui Basileam irent, & cuncta diligenter explorarent. Hos Conradus, Episcopus Ratisponensis, & Conradus Seglawer, Decanus Eistettensis, Carelspurgum usque, ubi Marchio Badensis degebat, deduxerunt, in hoc a Synodo paulo ante emissi, ut expiscarentur, an essent venturi Bohemorum Legati. In comitatu vero erant e nostris Abbas Eberacensis, & cæteri Nuntii Sacri Concilii. Cum Biberacum venissent, quidam infeliciter curiosus ex altero Bohemorum Nuntio quæsivit, undenam esset. Respondit is, se Zaczensem esse. Illic (inquit ille) sunt execrabiles hæretici, & pessimi homines &c. Qui propter hujusmodi convicium, veluti violator publicæ fidei, statim in carcerem raptus est, plus pœnæ depensurus, nisi ipsi Nuntii Bohemorum, & Abbas Eberacensis precibus hominem liberassent. Cum venissent Basileam, vino & piscibus fuerunt a Senatu donati. Manserunt illic dies quinque & dimidiatum. Decimo Octobris die venerunt ad Synodum, quæ convenerat apud Prædicatores. Hi Nuntii, cum domum fuissent reversi cum Diplomatibus Concilii, indicassentque, quæ viderant, rem videlicet agi serio, nec subesse dolum; delecti sunt Oratores ad Concilium mittendi de Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, Joannes de Krainitz, Jacobus de Wurcziessonitz Benesius de Makrowitz, Joannes Velwar de Praga, Matthias de Clumpezan, Laurinus de Hradisse, Gregorius de Curia, Nicolaus Scriba Pragensis, Magister Joannes de Roccizano, Magister Petrus Payne de Anglia, Procopius Ductor Exercitus Taboritarum, Nicolaus de Peletznnau, Marcoldus de Zbraslavitz, Martinus de Chrudim, & Petrus Zaczensis. Qui cum in tusca convenissent, illinc per nostros in Chambiam sunt producti cum triginta duobus equis per nobiles viros Hinskoverum, Pflugium, Pavelstorferum, Fridericum Præpositum Ratisponensem, & alios: ubi Conradus Ratispoponensis Episcopus substiterat; ex Chambia Suenckendorphium itum est. Atque cum jam Nurenbergæ essent vicini, Matthias Clumpezanus Præfectus Piestensis vexillum protulit: cujus una pars Crucifixi imaginem depictam, altera calicem Eucharistiæ figura superposita, sicque Nurenbergam ingressi sunt. Verum cum a nostris moniti essent, id postea nusquam fecerunt. Nurenbergenses, præter vinarium, atque piscarium munus, etiam viginti duo Equites concesserunt, qui illos Ulmam comitarentur. Ex Nurenberga Albertus, Marchionis filius, in Guntzenhusium produxit, Oringensis Comitis Ministri Nordlingam, & postero die Ulmam; Ulmensis porro Biberacum, & Sulgoviam usque: inde exceptos Jacobus Truchses de Walpurgo Eques auratus Stockacum produxit: Satellites Ducis Bavariæ Wilhelmi Schaffhusium post deduxerunt: illic naves ingressi quarta die Januarii Basileam venerunt. Porro nono die ejusdem mensis, cum Synodum accessissent, habuit orationem Julianus Cardinalis, de eo, quod, quidquid uspiam dubiorum est, id auctoritate Concilii definiri debeat; quandoquidem omnes mortales judicio Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam Generale Concilium repræsentat, se submittere tenentur. Quæ quidem oratio non omnibus Bohemis probabatur. Habuit & Roccizanus orationem nomine Bohemorum, diem postulans, quo audirentur. Is fuit destinatus decimo sexto ejus mensis, quo die Joannes Roccizanus pauca præfatus, primum articulum de Communione sub utraque specie proponere cœpit, usque in tertium diem, semper ante meridiem. Deinde Wenceslaus Taborita, secundum articulum de corrigendis, & eliminandis peccatis publicis in medium protulit per bidui spatium. Post quem Udalricus Presbyter orphanorum, tertium articulum de libera prædicatione Verbi Dei duobus item diebus proposuit. Postremo Petrus Payne Anglus de quarto articulo, qui erat de civili Do-

Dominio Clericorum, per tres dies disseruit. Fecerunt autem copiam suarum disputationum Sacro Concilio in scriptis, & gratias egerunt, quod auditi fuissent. Posterioresque tres satis inciviliter in nostros invexerunt, Joannem Wiclephum, & Joannem Hussum a doctrina laudantes, nihil veriti, Doctores Evangelicos vocare, quos pridem Ecclesia damnarat. Exigebat res, ut Bohemis aliquid responderetur. Itaque surgens Joannes de Ragusio, Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum Procurator generalis, petiit clara voce in medio Sacræ Congregationis potestatem sibi dari, ut responderet privato nomine ad primum Bohemorum articulum. Assensit Synodus. Octoque diebus respondit horis ante meridianis. Antequam inciperet respondere, Joannes, Abbas Cisterciensis, orationem ad Bohemos habuit, ut se submitterent determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam id Sacrum Concilium repræsentaret. Ea res Bohemos non parum offendit: inter respondendum Joannes Ragusinus, Theologorum istorum more, quos Scholasticos hodie vocant, crebro hæreseos, & hæreticorum vocabulum habebat in ore. Non poterat hoc tandem ferre Procopius Bohemus, quin surgens cum stomacho, de hac injuria apud Sanctam Synodum conquestus est. Conterraneus (inquit) iste noster injuria nos afficit, hæreticos nos subinde vocans. Ad hoc Ragusinus: Quia (inquit) conterraneus vester sum lingua, ac natione, propterea tam avide cupio vos ad Matrem Ecclesiæ redire. Erat is gente Dalmata. Constat autem Dalmatas in Bohemiam transgressos, ab occupata Regione nomen accepisse, parumque abfuit, quin ob eam offensionem Basilea abirent: vixque placari poterant. Quidam etiam ex Bohemis nolebant Ragusinum ad finem usque disputantem audire. Deinde respondit ad secundum articulum insignis Theologus Ægidius Carlerius, Decanus Ecclesiæ Cameracensis, per quatuor dies. Ad tertium articulum Henricus, cognomento Frigidum ferrum, Theologus Ordinis Prædicatorum, dies tres.

Ad quartum postremo Respondit Joannes Polemarius, Auditor causarum Sacri Palatii, tribus item diebus, afficiebatque Bohemos tædio nostrorum (ut illis videbatur) prolixitas. Quanquam vero nostri tam accurate respondissent, nihilominus illi suos articulos adhuc pertinaciter defendebant: præsertim primum, adeo ut Joannes Roccizanus responsiones Ragusini sex diebus fortiter impugnaret. Porro cum disputatio pareret disputationem, & non videretur, hoc pacto pax & concordia facile coitura, tentatum est aliud remedium ab Illustri Bavariæ Principe WILHELMO, Protectore Sacri Concilii, videlicet ut omissis disputationibus res amice componeretur. Utrimque deputati sunt aliquot de concordia tractaturi: qui cum undecimo Martii die convenissent, & jussi essent dicere sententiam suam, qui a parte Concilii erant, optimum, inquiunt, sibi videri, si illi nobiscum unirentur, & unum corpus efficerentur: quod corpus tum omnes diversitates opinionum, sive sectarum concordare, & declarare posset, atque definire, quid in singulis agendum foret, sive credendum. Bohemi cum aliquamdiu deliberassent, ajebant, hanc viam non videri satis aptam, nisi prius quatuor illi articuli exactius essent declarati, ita ut aut nos cum ipsis, aut ipsi nobiscum sentirent, alioquin rem ridiculam futuram, si jam uniti, in articulorum rursus decisione discreparent. Responsum est hic a nostris, si rite unirentur, invocato Spiritu Sancto, nequaquam eos in hujusmodi decisione erraturos, quando quilibet Christianus tali definitioni credere debeat. Quod si hoc facere vellent, adamantinam plane coalituram utrimque concordiam. Verum surdis (quod ajunt) fabula canebatur, sed & alii tres adversum responsiones datas pertinaciter disputabant. Id temporis Julianus Cardinalis Concilii Præsidens, talem ad Oratores Bohemorum habuit orationem: Audivit (inquit) hæc Sancta Synodus per decem dies cum magna patientia quatuor vestrorum articulorum propositiones. Et in fine subjunxit: Proposuistis (inquit) proximis diebus quatuor articulos, sed audimus præter hos quatuor multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus a nobis dissentitis. Necessarium est, si vestra unitas, & perfecta fraternitas inter nos sequi debet, ut omnia in hoc Sacro Con-

Concilio propalentur, quatenus per gratiam Spiritus Sancti, qui pacis & veritatis eſt auctor, debita, ac ſalubris proviſio fieri poſſit. Nec ex levibus conjecturis iſta accepimus. Partim enim a fide dignis perſonis audivimus, partim quidam, qui hic ſunt, propriis oculis in Bohemia viderunt, partim etiam ex veſtra relatione perpendimus. Magiſter enim Nicolaus ſecundo loco proponens, allegavit inter alia Johannem Wickleff Evangelicum Doctorem. Si illum creditis Evangelicum eſſe, conſequens eſt, ut dicta ejus authentica reputetis: ſi vero non ita putatis, æquum eſſet, ut hoc nobis innoteſcat. De iis igitur, & quibusdam aliis vos rogamus, ut nos certificare velitis, quid credatis, & quam ſuper his fidem adhibeatis. Nec ſic requirimus, ut motiva, & rationes veſtras nunc explicetis; ſed ſatis nobis nunc eſt, ut ad ſingulos articulos nobis reſpondeatis per verbum: Credimus, aut, non credimus. Quod ſi feceritis, ut ſperamus, tunc aperte cognoſcemus, vos cupere, ut bonam de vobis æſtimationem capiamus. Si quid autem eſt, de quo velitis per nos certificari, interrogate audacter, & confeſtim vobis reſpondebimus. Parati enim ſumus, (juxta Beati Petri doctrinam) unicuique poſcenti reddere rationem de ea, quæ in nobis eſt, fide. Ad hoc paucis reſponderunt Oratores Bohemorum, veniſſe ſe tantum, ut quatuor illos articulos proponerent, non tam ſuo, quam publico totius Regni Bohemici nomine. Nec aliud dixerunt. Quare rurſus Illuſtris conſilii Protector WILHELMUS, quatuor viris utrimque adſcitis, de re pacifice tranſigenda tractavit. Ex quorum Concilio decrevit Sancta Synodus inſignem Legationem cum Oratoribus Bohemorum Pragam mittere, ubi ad diem Sacratiſſimæ Trinitatis populus eſſet conventurus. Neque enim conditiones concordiæ, quas offerebant noſtri volebant accipere; ſed abire feſtinabant. Itaque decimo quarto Aprilis die, Philibertus, Conſtantienſis in Normannia Antiſtes, Petrus, Auguſtenſis Epiſcopus, Johannes Polemarius, Archidiaconus Barcinonenſis, juris Pontificii Profeſſor, Fridericus Parſperger, Præpoſitus Ratisponenſis, Ægidius Carlerius, Decanus Cameracenſis, Alexander Sparur, Juris Conſultus, Anglus, Thomas Haſelbachius, Theologus Viennenſis, Henricus Tocgius, Canonicus Magdeburgenſis, Theologus, Martinus Bernerius, Decanus Turonenſis, & Johannes Gelhuſius, Mulbrunnenſis Monachus, juſſu Concilii cum Oratoribus Bohemorum Pragam ſunt profecti. Longum eſſet narrare, quantum honoris fuerit impenſum noſtris cum paſſim in itinere, tum ab ipſis Bohemis, præſertim a Pragenſibus. Cæterum cum Pragæ conveniſſet ad præfixum diem ingens multitudo Bohemorum, ex Clericis, Magnatibus, & plebeiis, adhortati ſunt eos noſtri quod etiam ante ſæpe fecerant, ut primum Eccleſiaſticam unitatem amplecterentur: deinde ſi qua dubia eſſent, melius ea ſic diſcuti poſſe. Non placebat hoc Bohemis, quin volebant quatuor illorum articulorum inprimis habere declarationem. Quam ſi poſſent obtinere, promittebant ſe pacem & concordiam amplexuros. Cum noſtri viderent, rem aliter agi non poſſe, petierunt articulos illos in certa forma ſibi dari, quos ad Synodum miſerunt per tres Bohemorum Oratores. Declarationem vero poſtea Sacra Synodus in Bohemiam miſit, in publico Regni Conventu populo promulgandam, Legatis Philiberto, Conſtantienſi Epiſcopo, Joanne Polemario, Henrico Tocgio, & Martino Bernerio: qui juſſi ſunt hoc Bohemis referre nomine Concilii: Quod ſi trium illorum articulorum declarationem, & pacem Eccleſiaſticam ſuſcipere vellent, invenire poſſe rationem, qua de quarto articulo, hoc eſt, de communione ſub utraque ſpecie, res per concordiam transfigeretur. Propoſuerunt autem apud Pragam in publico Nobilium, & plebeiorum Conventu declarationes trium articulorum in forma ſequenti:

Quoniam circa Doctrinam veritatis ſic ſobrie, & caute incedendum eſt, maxime a Sacro Generali Concilio, ut veritas declaretur, verbis ſic ordinate conceptis, ut nulli ſit in futurum offendiculum, ubi poſſit impingere, & habere occaſionem erroris, & (ut verbis utamur Beati Iſidori) ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat. Circa materiam de cohibitione, & correptione peccatorum, in qua poſuiſtis articulum

lium sub iis verbis: Omnia peccata mortalia, & præsertim publica, per eos, quorum interest, rationabiliter, & secundum Legem Dei cohibeantur, corrigantur, & eliminentur. Ecce verbum: per eos, quorum interest, nimis est generale, & posset esse offendiculum. Et juxta scripturæ sententiam non debemus ponere offendiculum ante cæcum: & claudendæ sunt fossæ, ne bos vicini ibi lædatur; omnis talis occasio tollenda est. Dicimus ergo, quod secundum Scripturæ Sacræ sententiam, Sanctorumque Documenta Doctorum, sic Catholice est tenendum: Quod omnia peccata mortalia, præsertim publica, quantum rationabiliter fieri potest, secundum Legem Dei, & Sanctorum Patrum instituta, sunt cohibenda, corripienda, & eliminanda. Potestas autem puniendi criminosos, non ad privatas personas, sed ad eos tantummodo pertinet, qui jurisdictionem habent in eos fori, distinctione juris, & justitiæ ordine observatis.

Circa materiam de prædicatione Verbi Dei, in qua posuistis articulum hoc tenore: Quod Verbum Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis idoneis libere, ac fideliter prædicetur. Ne ex verbo, Libere, sumeretur occasio vagæ, & dispendiosæ libertatis, quam nec vos, ut sæpe dixistis, intenditis, circumstantionandum est. Dicimusque, quod secundum Scripturæ Sacræ sententiam, Sanctorumque documenta Doctorum, sic Catholice est tenendum: Quod Verbum Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis ad hoc idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis, & missis, libere, non tamen passim, sed ordinate, & fideliter prædicetur, salva auctoritate Pontificis, qui est Præordinator in cunctis, juxta Sanctorum Patrum instituta.

Circa materiam articuli ultimi sub his verbis expressi: Non licet Clero Christi tempore Legis gratiæ super bonis temporalibus sæculariter dominari; Meminimus, quod, dum in sacro Concilio super hoc disputatio ageretur publica & solemnis, ille, qui ad disputandum per Sacrum Concilium exstitit deputatus, duas conclusiones posuit sub his verbis: Prima, quod Clerici non Religiosi, seu qui voto se ad hoc non obligarunt, licite possunt habere, & possidere quæcunque bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, si eis relinquantur, & alia bona juste acquisita ex causa donationis, vel alterius liciti contractus, vel arte licita. Secunda, quod Ecclesia potest licite habere, & possidere bona temporalia mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, castra, & civitates, & in eis habere privatum, & civile Dominium. Ille siquidem ex vestris Ambasiatoribus, qui disputabat, concessit easdem, dicens illas sensui sui articuli bene intellecto non contradicere, cum ipse articulum suum intellexerit de Dominio civili formaliter intellecto. Ex quo, & aliis posset intelligi, quod verba: Sæculariter dominari, in præinserto articulo exposita, ad aliquem specialem dominantem modum, & usum videantur referri.

Sed quoniam doctrina Ecclesiæ non est verbis ambiguis pertractanda, sed plane; propterea id, quod secundum Legem Dei, & Sanctorum documenta Doctorum Catholice tenendum est, duximus exprimendum: Videlicet præmissas duas conclusiones esse veras, quodque Ecclesiastici viri bona Ecclesiæ, quorum sunt Administratores, debent fideliter administrare, juxta Sanctorum Patrum salubria instituta: Ipsaque bona Ecclesiæ ab aliis, quam ab his, quibus administratio Canonice est commissa, usurpari sine sacrilegii reatu non possunt.

Sacrum Concilium circa materias dictorum trium articulorum curavit, semota omni ambiguitate, secundum veritatem Evangelicæ doctrinæ veros sensus exponere. Verum si circa ipsas materias aliquid dubieratis adhuc restat, juxta informationes, quas in Sacro Concilio accepimus, parati sumus, super illis prima veritate (quæ Deus est) largiente vobis declarare veritatem. Si declarationem dictorum trium articulorum, quæ veritati Sacræ Scripturæ innititur, suscipitis, & amplectimini, prout tenemini; ac unitatem puram, simplicem, & perfectam realiter, & cum effectu vultis habere; super libertate Communionis Sacratissimæ Eucharistiæ sub duplici specie, quam postulatis, & desideratis, quamque sine licentia Sanctæ Matris Ecclesiæ, licite non potestis habere, Nos habemus potestatem a sacro generali Concilio, certo modo tractandi, & vobiscum

biscum concludendi: speramus taliter, ut mansuri sitis merito consolati.

His explicatis, quia Domini Bohemi habita sua deliberatione, dixerunt, se nolle super prædictis dare responsum, nisi prius, super materia Communionis quid esset eis offerendum, audirent, opus fuit, explicationem rei ita facere; quæ facta fuit, & in scriptis tradita sub forma sequenti:

IN Nomine Domini, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, de cujus Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramento tractaturi sumus, ut ipse, qui hoc sacratissimum Sacramentum instituit, quod est unitatis & pacis, illud in nobis effici faciat, quod designat, ut videlicet simus unum in ipso Domino JESU Capite nostro: & ut ipse conterat versutias Diaboli, qui sua maligna astutia ex Sacramento pacis & unitatis occasionem bellorum ingessit; ut dum de modo communicandi Christiani contendunt, communionis fructu priventur. Unde Beatus Augustinus in sermone de infantibus, in Decretis de Consecratione distinctione 2da. "Quia passus: Ita Dominus "noster Jesus Christus nos sanctificavit; "nos ad se pertinere voluit, mysterium "pacis, & unitatis nostræ in mensa conse-"cravit. Qui accipit mysterium unitatis, "& non tenet vinculum pacis, non my-"sterium accipit pro se, sed testimonium "contra se. Hoc ante omnia duximus præmittendum; quod consuetudo generalis Ecclesiæ (quam etiam Patres vestri, & vos ipsi olim observastis) per longissima tempora hoc habuit, & habet, quod non conficientes sub specie panis tantum communicant; quam consuetudinem ab Ecclesia, & Sanctis Patribus rationabiliter introductam, & diutissime observatam, non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu immutare. Igitur dictam consuetudinem immutando, assumere usum communicandi populum sub utraque specie, absque auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ licitum non est, sed illicitum.

Sancta vero Mater Ecclesia, suadentibus causis rationabilibus, facultatem communicandi populum sub utraque specie potest concedere, & largiri. Et talis Communio, quæ sine auctoritate Ecclesiæ attentata, esset illicita, cum de auctoritate & licentia sanctæ Matris fiet, erit licita, si alia non impediant. Si alia non impediant, propterea diximus: Quoniam (ut ait Apostolus) *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Unde Beatus Isidorus, & habetur de Consecratione Distinctione 2da: "Qui scelerate vivunt, & in Ec-"clesia communicare non desinunt, pu-"tantes, se tali communione mundari, "discant nihil ad emundationem proficere "sibi. Et Augustinus eadem distinctione: "Et sancta malis nocere possunt, bonis "sunt ad salutem, malis ad judicium. Sunt ad hoc plures auctoritates: etenim inter primos communicantes Apostolus Judas fuit: sed quia indigne suscepit, proditionis peccatum habens in corde, sibi nihil profuit: quin imo ex tunc Diabolus in eum exercuit potestatem. Ratio hoc magna demonstrat. Quis vestrûm Dominum suum in hospitium suscepturus, non cum omni cura domum suam studeret mundare pariter & ornare, ut ipsum Dominum posset honeste suscipere? Suscepturus igitur Dominum nostrum, & Salvatorem in hospitio animæ, debet illam animam diligenter ornare, & mundare, mundare per Sacramentum Pœnitentiæ, cum amaritudine, & contritione cordis, peccata sua humiliter, pure, & integre veraciter confitendo, & suscipiendo satisfactionem debitam, & pœnitentiam salutarem; ornare vero purpura sanctæ devotionis, ut sic corde purgato, & fervore devotionis ornato, accedat ad Divinissimum Sacramentum, in quo Deus est, mundum reconcilians sibi. Admonet igitur, exhortatur, & præcipit Sancta Synodus, ut omnes Sacerdotes exhortentur diligenter, & moneant populum, & omne studium, & solicitudinem adhibeant, ut nullus ad tam sacratissimum Sacramentum, nisi debite præparatus, accedat, cum magna reverentia, & devotione; ne quod pro animæ salute suscipitur, in judicium condemnationis redundet, dum suscipitur indigne.

Præterea dicunt Doctores, quod dicta consuetudo communicandi populum sub specie panis tantum, ab Ecclesia, & Sanctis Patribus fuit rationabiliter introducta propter rationabiles causas, specialiter propter duo pericula, scili-

ſcilicet erroris, & irreverentiæ. Erroris: fuit enim error Neſtorii, credentium, quod ſub ſpecie panis ſit ſola caro Chriſti, & ſub ſpecie vini ſolus ſanguis Chriſti, quod eſt error. Nam veritas eſt, quod ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus vivus & integer, caro, ſanguis, anima, & Divinitas. Et ſub ſpecie panis eſt totus Chriſtus vivus & integer; & ſub ſpecie vini non eſt tantum ſanguis, ſed totus Chriſtus vivus & integer. Quoniam (ut ait Apoſtolus) *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Semel ergo tantum mortuus eſt, jam non moritur, nec ſanguis a corpore ſeparatur. Ut igitur huic errori obviaretur, & magis imprimeretur fidelium mentibus, quod ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus, dum non ſolum verbo, ſed etiam ipſo ſigno indicaretur, viſum fuit utile eſſe ſub una ſpecie miniſtrari. Efficacius enim imprimitur, quando cum doctrina verbali ſenſuale aliud ſignum concurrit. Ideo Sacramenta & Sacrificia inſtituta ſunt, ideo & Dominus noſter JESUS CHRISTUS in parabolis loquebatur; & ſapientes in parabolis loquuntur, ut dum cum doctrina ſua ſimilitudo repræſentativa concurrit, efficacius mentibus imprimatur. Secundum periculum eſt irreverentiæ: etenim quamvis omnia Sacramenta cum magna reverentia ſint tractanda, iſtud tamen Diviniſſimum Sacramentum ſuper omnia alia cum maxima, & ſumma reverentia tractandum eſt. Alia ſiquidem Sacramenta ſunt vaſa gratiæ Divinæ, non tamen per ea realem Domini noſtri JESU Chriſti præſentiam obtinemus: in hoc vero Sacratiſſimo Sacramento Dominus noſter JESUS Chriſtus ſub alia quidem forma, in propria vero ſubſtantia eſt nobiſcum: ideo tractandum eſt cum omni ſtudio, & cautela, ne aliquid contingat, quod cedat in irreverentiam ipſius Sacramenti. Et cum in calice ſit ſub ſpecie liquida, multa poſſunt contingere; quæ cederent in irreverentiam ipſius Sacratiſſimi Sacramenti, tam ex parte miniſtrantis, quam ex parte ſuſcipientis, quam etiam ex parte ſpeciei vini, quæ eſt magis ad alterationem ſuſcipiendam diſpoſita, quam ſpecies panis. Vos qui practicaſtis, per experientiam noſtis. Nam Doctores de hoc multa dicunt, & nobis a fide dignis multa relata ſunt: quæ cum audivimus, exhorruerunt pili corporum noſtrorum, & animi noſtri nimio terrore concuſſi ſunt. Dictum eſt nobis, accidiſſe, quod cum Sacerdos ad infirmum Sacramentum ſub duplici ſpecie detuliſſet, quando infirmo voluit de calice miniſtrare, nihil ibi reperit, totum, dum per viam agitando veniret, diſtillaverit. Et alibi, cum mane diei Dominicæ miniſtraretur, quod ex præcedente die fuerat reſervatum, talis alteratio facta erat, ut qui ſuſcipiebat, ferre non valens emiſerit. Heu! caſus horrendi, & non ſine magna cordis amaritudine referendi! & multa alia hujuſmodi relata ſunt. Et quiſque volens prudenter advertere, poterit, quanta poſſint accidere, cogitare. At vero, quam ſint hæc gravia, ex decreti ſententia poteritis intelligere, *de Conſecratione Diſtinctione* 11*ma*: "Si quid per negligentiam de ſanguine "ſtillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur: ſi non fuerit tabula, ut "non conculcetur ſanguis, locus radatur, "& igne conſumatur, & cinis in Altari recondatur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si ſuper linteum Altaris, "& ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor "diebus pœniteat; ſi uſque ad tertium, "octo diebus pœniteat: ſi uſque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina, quæ tetigerit ſtilla, tribus vicibus "Miniſter abluat, calice ſubter poſito: & "aqua ablutionis ſumatur, & juxta Altare recondatur." Præterea audivimus, ſæpe contingere, quod Sacramentum in calice non ſufficit multitudini communicantium: & tunc fit noviter conſecratio calicis tantum, & a Presbytero non communicante: quod eſt a Sanctorum Patrum doctrina plurimum alienum. Et etiam dicitur, quod aliqui interdum vinum non conſecratum pro conſecrato miniſtrant; quod maximum periculum eſt.

Fiet igitur iſto modo, quod vobis ſuſcipientibus Eccleſiaſticam unitatem, & pacem realiter, & cum effectu, & in omnibus aliis, quam in uſu communionis utriusque ſpeciei, fidei & ritui univerſalis Eccleſiæ vos conformantibus: vos, qui talem uſum habetis, communicabitis ſub duplici ſpecie, cum auctoritate Eccleſiæ. Et articulus ille in Sacro Concilio diſcutietur ad plenum, & videbitis, quid

quid circa illum articulum pro veritate Catholica ſit tenendum, & agendum pro utilitate, & ſalute populi Chriſtiani. Et omnibus mature & digeſte pertractatis, nihilominus ſi perſeverantes in deſiderio veſtro hoc veſtri Ambaſiatores poſtulaverint, Sacrum Concilium Sacerdotibus veſtris communicandi ſub utraque ſpecie populum veſtrum, eos videlicet, qui in annis diſcretionis conſtituti, reverenter, & devote poſtulaverint, auctoritatem, & facultatem in Domino largietur: hoc ſemper obſervato, quod Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicant, quod ipſi debent firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum: ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer totus Chriſtus.

Hactenus decretum Sacri Concilii retulimus. Ad dubia autem, & quæſtiones Bohemorum, quas Magiſtri, & Sacerdotes poſtea movebant, ſic reſponderunt Oratores Sacri Concilii.

Primo dixerunt, quod non eſt intentio Sacri Concilii, permittere communionem ſub duplici ſpecie permiſſione tolerantiæ, vel ſicut Judæis fuit permiſſus libellus repudii: quia cum Sacrum Concilium viſcera maternæ caritatis exhibere dictis Bohemis, & Moravis intendat, non eſt intentionis Concilii permittere tali permiſſione, quæ peccatum non excludat; ſed taliter elargiri, ut auctoritate Domini noſtri JESU Chriſti, & Eccleſiæ veræ Sponſæ ſit licita, & digne ſumentibus utilis, & ſalutaris.

De punitione Peccatorum.

Item, cum circa materiam de punitione peccatorum fuiſſet per dictos Bohemorum Magiſtros, & Sacerdotes dictum, quod ex Scripturis ſacris habetur, quod interdum Deus excitat corda privatarum perſonarum ad correptionem, & punitionem peccatorum: & ſic videretur licere inferioribus, corrigere ſuos Superiores & punire.

Reſponderunt, & oſtendentes textum Sancti Auguſtini in Decretis XXXIII. " Qui percutit malos in eo, quod mali " ſunt, & habet cauſam interfectionis, " Miniſter Dei eſt: qui vero ſine aliqua " publica adminiſtratione maleficum, fu- " rem, ſacrilegum, adulterum, perju- "rum, vel quemlibet criminoſum inter- " fecerit, aut trucidaverit, vel membris de- " bilitaverit, velut homicida judicabitur: " & tanto acrius, quanto non ſibi a DEO " conceſſam poteſtatem abuſive uſurpare " non timuit." Et certe moleſtius ſuſciperet iſta civitas, ſi aliquis privatus attentaret punire unum criminoſum, & erigeret furcam in platea, & ibi eum ſuſpenderet; quam ſi unus homo interficeret unum hominem in rixa, & per inſidias. Et alios textus Beati Ambroſii & Hieronymi eidem concordes, etiam allegarunt. Dixerunt, quod nemo dubitat, quod lex Dei ſancte, & debite poſita eſt: & in ea legitur ſimpliciter: *Non furtum facies.* Et tamen mandato Dei Iſraël adſportarunt bona Ægyptiorum, quæ receperant commodata. Item in eadem Lege ſcribitur ſimpliciter: *Non occides.* Ex quo Beatus Auguſtinus libro 1. de Civit. Dei, probat, quod nemini licet occidere ſeipſum. Et cum facit inſtantiam de Samſone, reſpondet, & dicit hæc verba: Cum autem Deus jubet, ſeſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? Hic in propoſito verba Sancti Auguſtini habeatis pro reſponſo. Sed videat quiſque, ſi Deus jubet, & ſe jubere ſine ambagibus intimat, & probet ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Sed de talibus non eſt lex danda, nec eſt multum agitandum. Nam per hoc facile inſurget occaſio faciendi ſeditiones, & inferioribus inſurgendi contra ſuperiores. Et quando aliquis furatus eſſet, vel interfeciſſet, & diceret, quod Spiritu Dei motus eſt, certe, niſi de hoc bene conſtaret, puniretur.

Dixerunt denuo, quod aliqui ſint caſus, in quibus laici habent poteſtatem in Clericos.

Fuit reſponſum, quod certi ſint caſus in jure, in quibus laici habent poteſtatem ſuper Clericos, & etiam aliquando ſuper Cardinales. Nam ſi mortuo Papa Cardinales non vellent intrare Conclave ad electionem Papæ faciendam, Rex, Princeps, vel alius Dominus, ſeu Poteſtas ſæcularis poteſt eos compellere. Sed in illis caſibus jam ille non eſt privata perſona; ſed auctoritate juris utitur

juris-

jurisdictione. Similiter est intelligendum de aliis casibus in jure expressis.

Dixerunt ulterius, quod nullum jus fori habet justitiam, nisi jus poli illud approbaverit.

Fuit responsum, quod nullum jus fori habet justitiam, si sit contra Legem Dei, quia Lex Dei est regula omnium legum: sed exigitur magna peritia in applicando regulam ad regulatum. Nam interdum alicui videtur, quod sit tortuositas in regulato, & non est, sed est defectus in applicando, quia non applicatur debito modo regula ad regulatum.

De Prædicatione Verbi.

Circa articulum de Prædicatione Verbi Dei fuit motum, quod interdum aliquis Prælatus ex sua invidia, vel malitia, sine causa rationabili, bonum & idoneum Prædicatorem, bene & Catholice prædicantem, inhibet prædicare.

Fuit responsum, quod satis intellexerant, quod abusio Prælatorum inordinate agentium magnam occasionem præstitit his turbationibus, & quod in eorum partibus nunquam audiverunt tales querelas. Sed Prælati favent bonis Prædicatoribus, & eos ad prædicandum excitant precibus, favoribus, & honoribus. In talibus autem casibus jam sunt a jure prædicta remedia. Quando aliquis prohibetur uti jure suo, habet remedium appellandi, & si bene confidit, quod sit appellatio justa, utatur jure suo, omni violentia brachii utriusque, spiritualis videlicet & sæcularis, semota. Nam exitus causæ declarabit, si ipse habebat justam causam appellandi. Tunc declarabitur superiorem male prohibuisse, & appellantem juste fecisse. Et superior injuste prohibens debet corripi. Si autem juste fuerit prohibitus, & ipse sua temeritate superioris justum mandatum sprevit, dignum est, quod ipse digna animadversione puniatur.

De Dominio sæculari apud Clericos.

Circa quartum articulum fuit motum, an liceat Prælatis Ecclesiasticis actus sæcularis Dominii in propria persona exercere.

Fuit responsum, quod si per verbum: Actus sæcularis Dominii, intelligantur actus, quos unus sæcularis Dominus posset agere, seu exercere: sicut sunt vendere, impignorare, infeudare, modis & formis jure ordinatis; Aliqui sunt, quos non licet in propria persona exercere, sed debent habere Oeconomum, Vice Dominum, vel Procuratorem, qui hæc exerceat, de quibus actibus jure cavetur in Rubrica: Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant, & aliis in rebus.

Fuit motum, an illa Potestas coactiva, quæ debet exerceri per Oeconomum &c. sit apud Prælatum Ecclesiæ.

Dictus Johannes Polemair respondit, quod hæc quæstio præsupponit aliam; de qua sunt diversæ opiniones inter Doctores, apud quem sit Dominium Ecclesiæ. Et ulterius, an actiones sint in persona tutoris, vel procuratoris, vel licet non sint in earum persona, tamen per constitutionem actoris, vel procuratoris, cujus exercitium ipsarum demandant ipsi actori, vel procuratori, & alias intricationes, de quibus non est opus ad præsens agere. Sed cum multum instaretur, dicere opinionem suam, dixit: Quod si etiam otium haberent, & liberet solatiari in disputando daret optionem arguenti. Sed magis esset opinio sua, quod Dominium rerum Ecclesiæ est apud Christum, & Prælati, & alii Ecclesiastici sunt Canonici Administratores adinstar tutorum: sed ampliorem habent potestatem, seu administrationem, quam tutores. Et constituendo Oeconomum, seu Vice-Dominum &c. eorum constitutione debita facta, Oeconomus, seu Vice Dominus, habet illam potestatem coactivam, seu exercitium jurisdictionis.

Item circa quartum articulum, pro declaratione primæ conclusionis, est concordatum, quod verba: Juste acquisita, in ipsa posita, omnia in eadem contenta determinant.

Item circa secundam conclusionem, cum sacri Canones, & Doctores Sancti sic loquantur: Bona Ecclesiæ, res Ecclesiæ, facultates Ecclesiæ, & inter Doctores variæ sint opiniones, apud quem sit ipsarum rerum Dominium, prout notat *Glossa in Cap. Expedit. 12. Quæst. 1.* Ad nul-

nullam illarum opinionum intendunt aliquem coarctare, nec aliquam illarum opinionum excludere, sed sit unicuique facultas illam, quæ sibi melior videbitur, probabiliter sustinere.

Dixerunt præterea dicti Bohemi, quod ipsi tenent, quod Clerici, aut viri Ecclesiastici rerum temporalium Ecclesiæ sunt Administratores, & non Domini, ad modum loquendi Scripturæ, Doctorum Sanctorum, & Canonum.

Item Bohemi dicunt, quod in omnibus emergentiis stare volunt dictamini judicii, ex unanimi consensu in Egra compactati. Hunc in modum nostri Bohemis responderunt.

Tandem post multos tractatus ultro citroque habitos, inita est concordia, & manuum stipulatione firmata: promiseruntque se Bohemi declarationem trium articulorum, ac pacem, & Ecclesiasticam unitatem accipere. Factum est id anno Millesimo, quadringentesimo, trigesimo octavo, circa Festum Martini. Conventum est postea, cum a Legatis Sacri Concilii, tum ab Oratoribus Bohemorum, ut quæ reliqua erant, componerentur: primum Ratisponæ, deinde apud Brunnam, Diœcesis Olmutzensis, item apud Albam Regalem in Hungaria, coram SIGISMUNDO Cæsare. Verum nullibi res tota confici potuit: nunc enim erat consulenda Synodus, nunc alia sunt exorta impedimenta. Postremo apud Iglaviam, oppidum Moraviæ, concordia instrumentis, ac sigillis roborata est, Compactata vocant, V. die mensis Julii, Cæsare præsente.

Petitiones Bohemorum,

Postremo propositæ in Basileensi Synodo anno MCCCCXXXVIII. Mense Novembri.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBUS, ET DOMINIS NOBIS GRATIOSIS.

NOs Oratores Regni Bohemiæ humiliter, & quanta possumus affectione supplicamus, quatenus propter pacis & concordiæ initæ perpetuam conservationem, & omnium, quæ in compactatis sunt, felicem ac firmam conservationem dignemini nobis dare, concedere, & de vestra clementia elargiri, cum effectuali exsecutione omnes & singulas postulationes infra scriptas.

Primo & ante omnia petimus & supplicamus, quatenus pro tollendis universis litibus, jurgiis, & dissensionibus in populo nostro, ex diversitate communionis indubitanter, & infallibiliter sequentibus: & infinitis malis, quæ nec dicere sufficimus, sicut ea concepimus, prorsus auferendis, & abolendis, dignemini clementer pro vestra bonitate & liberalitate Regno nostro Bohemiæ, & Marchionatui Moraviæ dare, concedere, & demandare uniformem & unanimem omnibus & singulis sub utraque specie Sacræ Eucharistiæ Communionem, videlicet Archi-Episcopo Pragensi, nec non Episcopis Linthomisliensi, Olmuzensi, & aliis Prælatis singulis Regni, & Marchionatus, curam animarum habentibus, & eorum Vicariis, nec non & plebibus eorum singulis, & subjectis: & hoc secundum ea, quæ in mandato Bullæ Legatorum, & in Compactatis nomine Sacri Concilii sunt inserta in Cap. *Pro firmitate*: ubi sic dicitur: Et omnia alia fient, quæ pro observatione dictæ pacis & unitatis necessaria fuerint, & opportuna. Nam hoc facto ex vestro beneficio Regnum totum, supra quam dici potest, consolabitur, & in dilectione fraterna firmabitur: ex quibus uniformis subjectio, & obedientia Sacrosanctæ Ecclesiæ perpetuo tribuetur.

Item supplicamus ut supra, quatenus pro amputanda falsa suspicione, & vacillatione multorum, putantium, quod sacrum Concilium præfatam Communionem sub utraque specie Nobis concessam, ad tempus duntaxat concederet, non utilem & salutarem, sed ut libellum repudii, dignemini juxta illud Capitulum, in Compactatis positum: Primo dixerunt, quod non est intentionis sacri Concilii &c. Nobis, & vestræ concessioni salubriter, & mature providere, & illud Capitulum una cum aliis ipsum munus Legatorum vestrorum consequentibus,

bus, Bullis literarum veſtrarum firmare, & perpetuare.

Item ſupplicamus ut ſupra, quatenus pro conſolatione obedientiæ, & totius ordinis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & pro finali Compactatorum defenſione & obſervatione, & bono & optimo in ſpiritualibus regimine, dignemini nobis providere cum effectu de bono, & legitimo Paſtore, Archi-Epiſcopis, & aliis Epiſcopis, qui nobis pro regno magis idonei, & magis grati, & accepti viderentur ad illa officia ſalubriter exſequenda.

Item ſupplicamus ut ſupra, quatenus veſtræ Paternitates pro tuenda imposterum inclyta fama Regni, & Marchionatus, pro oſtendenda, & manifeſtanda noſtra innocentia, pro eo, quod communicaverunt, & communicant, & communicabunt ſub utraque ſpecie, dignentur dare, & ordinare, & deſtinare literas Sacri Concilii in modo, & forma magis oſtenſioni accommoda, & congrua, ad omnes Principes, tam ſæculares, quam ſpirituales, civitates, & communitates juxta compactata. Et hoc iidem Domini Legati nobis facere obligantur.

Item ſupplicamus, ut in diſcuſſione in materia communionis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, de ejus præcepto a Domino ad omnes fideles, non procedatur aliter, niſi ſecundum judicem in Egra compactatum, hoc eſt, ſecundum Legem Divinam, praxim Chriſti, & Apoſtolorum ejus, Concilia generalia, & ſecundum ſententias Sanctorum Doctorum, veraciter ſe in Lege Dei fundantium.

Item ſupplicamus, quatenus Paternitates veſtræ, conſiderata magna affectione populi noſtri, velint dare nobis deſideratam libertatem communicandi parvulos Sacra Euchariſtia. Nam ſi iſte uſus communicandi, quem Regnum noſtrum, pie motum, magnorum Sanctorum Doctorum ſcripturis, & exemplis inductum, ut Catholicum ſuſcepit, & a multis annis effectualiter exercuit, aboletur, certe magnum, & intolerabile ſcandalum in populo orietur, immo animus eorum plurimum ex hoc implacabiliter perturbaretur.

Item ſupplicamus ut ſupra, quatenus ex eiſdem cauſis veſtræ Paternitates dignentur permittere ad minus Evangelia, Epiſtolas, & Symbolum in vulgari in Miſſis, & Eccleſiis coram populo ad excitandam devotionem libertari, legi, & decantari. Nam in noſtro Linguagio Slavico ex indulto Eccleſiæ, olim ab antiquo in vulgari ſuo exercetur, etiam in noſtro Regno.

Item ſupplicamus in nomine ejusdem Regni, & almæ Univerſitatis Pragenſis, quatenus erga ipſius Univerſitatis deſideratam reformationem, veſtræ Paternitates dignentur curam adhibere, & operam dare ſolicitam, ut juxta modum, & formam aliarum Univerſitatum taliter per Eccleſiam reformatarum, Præbendæ, & Collationes Beneficiorum aliquorum Eccleſiarum Cathedralium, & Parochialium, eidem Univerſitati annectantur, conferantur, & incorporentur, ut per hoc Univerſitas augeatur, & promoveatur.

Item ſupplicamus ut ſupra, quantum ſufficimus, ſalva ſemper paterna reverentia, ex compactatis veſtras Paternitates requirimus, & inſtanter monemus, quatenus ad illam cunctis piis mentibus deſideratam, & Chriſtiani Religioni ſumme neceſſariam, & opportunam totius Eccleſiæ reformationem dignetur veſtra Paternitas toto ſtudio invigilare, & effectualiter inſudare pro exſtirpatione omnium malorum publicorum, in capite & in membris, prout Regno noſtro frequenter promittitis in compactatis, & prout articulus noſter quartus, de eliminatione omnium peccatorum publicorum, hoc manifeſte exigit, & requirit.

Reſponſiones ſequentes ordinatæ fuerunt, ſed non datæ.

Prima petitio videtur inniti obligationi, tanquam ex compactatis Sacrum Concilum hoc facere teneatur, ex illo Capitulo, quod incipit: Pro firmitate, & obſervantia pacis, & ſequitur: Per dictos Legatos ſacri Concilii dabitur omnis firma, & procurabitur Bulla Concilii, & mandata ipſius ſacri Concilii ad omnes Principes, & communitates circumſtantes, & alia, quæ neceſſaria fuerint, & oppor-

opportuna. Pro parte vero dictorum Regni & Marchionatus, dabuntur literæ cum sigillis firmis, ac munimentis opportunis: proclamabitur pax, & servari mandabitur: & omnia alia fient, quæ pro observatione dictæ pacis,& unitatis necessaria fuerint & opportuna. Sed certe ex illo Capitulo, neque competit jus sacro Concilio faciendi Bohemis, quod pro bono pacis & unitatis teneantur dimittere usum communionis sub duplici specie: cum promiserint omnia facere, quæ pro observatione pacis,& unitatis fuerint opportuna. Hoc esset valde opportunum observationi pacis, ut ipsi in hoc, sicut & in cæteris, se conformarent usui omnium aliorum vicinorum, & totius Ecclesiæ Latinæ. Neque contra ipsis Bohemis competit jus ad petendum, quod sacrum Concilium compellat omnes de Regno ad communicandum sub utraque specie, tanquam hoc esset opportunum observantiæ pacis. Quia cum super hac materia jam sit in dictis compactatis specialis, & certa dispositio, generalis, clara, quæ subsequitur, non se refert ad illa; maximeque, quia hoc contrariatur ei, de quo in ipsis compactatis specialiter agitur, scilicet de libertatione, cui contrariatur coactio. Nam & in libertatione concedenda, dicitur de illis personis, quæ in annis discretionis constitutæ, reverenter & devote postulaverint. Et si devotioni, & postulationi cujuslibet est relinquendum, non est ad hoc aliquis compellendus, secundum ipsorum compactatorum seriem, & tenorem. Et alias hoc de se manifestum est, quod illa verba non dant jus talia postulandi. Quod vero ad libertationem concedendam, de qua continetur in compactatis, sacrum Concilium intendit omnino servare ipsa compactata,& ab ipsis in nullo deficere. Ex quorum tenore manifeste apparet, quod declaratio istius Articuli, an sit de præcepto, præcedere debet ipsam libertationem. Sicut ergo sacrum Concilium in omnibus se offert, compactata adimplere, ita & ipsi Domini Bohemi facere tenentur.

Ad secundam petitionem respondetur, quod omnia, quæ sacrum Concilium tenebatur ratificare, jam ratificavit, & super hoc literas suas dedit. Illa non tenetur ratificare: quoniam pacta, & conventiones a Legatis sacri Concilii nomine ipsius facta habent ratificationis causam: Non autem responsa: quorum aliqua per omnes, aliqua per unum tantum ex ipsis facta fuerunt, ad interrogationes quorundam Magistrorum. Unde tam res ipsa, quam modus agendi, manifeste ostendunt, quod ad ratificandum sacrum Concilium non tenetur. Verum quantum ad illum punctum, qui in illa petitione specialiter exprimitur,non quia tenetur ratificare, sed pro consolatione populi Bohemici, & tollenda occasione aliis detrahendi, dicit sacrum Concilium: quod sicut consuetudinem laudabilem ab Ecclesia universaliter observatam, de communicando populum sub specie panis, absque auctoritate Ecclesiæ nemo debet immutare, ita postquam ab Ecclesia usus Communionis sub utraque specie aliquibus permittitur, talis permissio non est sicut de libello repudii,vel quæ peccatum non excludat, cum tales, qui ex licentia & auctoritate Ecclesiæ sic communicant, transgressores Ecclesiæ institutionis, vel consuetudinis dici non possint; dum tamen concessionis terminos non excedant. Erit igitur talis Communio auctoritate Eclesiæ concessa illis, quibus concessa fuerit licita, & digne sumentibus utilis, & salutaris.

Ad tertiam petitionem respondetur, quod justum & rationabile est, ut Ecclesiæ Pragensi de legitimo, idoneo, & utili provideatur Pastore. Sed quoniam verba expresserunt Magistrum Johannem de Roccozana, de quo non est rationabile, ut ad illam dignitatem promoveatur, cum ad impediendum, perturbandum, & disrumpendum pacem & unitatem, post firmata compacta, fuerit multipliciter machinatus. Et non diu est, quod a civitate Pragensi Serenissimo Domino Imperatore insalutato clam & furtive recessit: & jam prodire, & apparere incipiant, quæ post talem recessum, & ante in perturbationem pacis fuerit machinatus; cum ad Pontificem maxime pertineat unitatem & pacem amare, & ad eas alios provocare verbo pariter, & exemplo; ideo melius videtur, hoc pro præsenti suspendere, ut habita meliori deliberatione, & diligentia, cum Serenissimo Domino Imperatore possit eidem Ecclesiæ utiliter provideri.

Ad

Ad quartam petitionem reſpondetur, quod ex tota ſerie compactatorum, ſacrum Concilium non tenetur aliquas literas ad Principes, & Communitates circumſtantes dirigere; niſi juxta præinſertum Capitulum, quod incipit: In firmitate. Illas promptum eſt facere, & dirigere, juxta ſeriem ipſius in forma rationabili & honeſta.

Ad quintam petitionem reſpondetur, quod illa eſt intentio & voluntas Sacri Concilii, quod in diſcuſſione & deciſione Spiritu Sancto Auctore facienda in materia Communionis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & de ejus præcepto a Domino ad omnes Fideles, ut verbis eisdem utamur, quæ in ipſa petitione continentur, non procedetur aliter, niſi ſecundum Legem Divinam, praxim Chriſti, & Apoſtolorum ejus, Concilia Generalia, & ſecundum ſententias Sanctorum Doctorum veraciter ſe in Lege Dei fundantium. Et ita debent ſperare, & credere omnes fideles, quod ille, qui Eccleſiæ ſuæ promiſit ſui aſſiſtentiam infallibilem, & Spiritum Sanctum cum Eccleſia in æternum manſurum, Salvator noſter JEſus Chriſtus, nullo modo permittit, quod ab ipſa Eccleſia aliqua deciſio fiat circa materiam talem, quæ eſſet contraria ſuperius memoratis. Sed debent firmiter credere omnes Chriſticolæ, quod Spiritus Sanctus per os Eccleſiæ docet Fideles omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem: & ita debent firmiter credere, & nullatenus dubitare.

Ad ſextam petitionem de Communione parvulorum reſpondetur, quod Communio parvulorum per compactatà expreſſe excluditur: cum ſolum ibi de illis loquuntur, prout ex tunc qui talem uſum hactenus habuerunt, & ad ultimum de illis, qui in annis diſcretionis conſtituti, hoc reverenter poſtulaverint, & devote.

Ad ſeptimam petitionem, quod illa eſt de directo contra compactata, & ipſorum Bohemorum promiſſionem, per quam tenentur ſe conformare ritibus Eccleſiæ. Cæterum autem eſt, quod ritus Eccleſiæ hoc non habet, neque in ipſa Pragenſi Eccleſia ante iſta diſturbia hoc fiebat. Unde juſtum & rationabile foret, quod confirmarent ſe ritibus Eccleſiæ, & in hoc, & in omnibus aliis compactata efficaciter adimplerent, & tunc poſſent honeſtius a Sacro Concilio petere, & rationabilius ſperare.

Ad Octavam, gratiſſimum eſt ſacro Concilio, quod Univerſitas Studii Pragenſis reformetur & reparetur: & ideo ſuper hoc faciet commiſſionem Legato ſuo, ut circa reformationem & reparationem Univerſitatis operam & ſtudium præbeat: ordinando de aliquo certo numero Præbendarum in aliquibus Eccleſiis civitatis Pragenſis, quod ad eas aſſumi habeant dictæ Univerſitatis Doctores, & Magiſtri, ſecundum ordinationem rationabiliter faciendam.

Ad nonam & ultimam petitionem reſpondetur, quod hoc Sacrum Concilium a ſuo exordio ſtudium, & operam circa deſideratam reformationem Eccleſiæ præbuit, & præbere, Deo auctore, intendit, multaque ſuper hoc Decreta edidit. Sed inimico humani generis procurante multa impedimenta circa hoc habuit: nihilominus in ſpe non deficit, nec per Dei gratiam in ſtudio deficiet & labore. Multa ſiquidem ſuper hoc aviſata ſunt, & concepta, quæ ubi, Deo largiente, opportunitas fiet, ad exſecutionem ponenda erunt ad Dei gloriam, & Eccleſiæ reformationem, honeſtatem, & decorem accommoda. Sed quoniam (ut Sapiens ait) *omni negotio tempus & opportunitas eſt*, omnia ſunt cum Sapientia ſuaviter, & opportune diſponenda: ne ea, quæ, ſi opportune fierent, poſſent eſſe multum accommoda, importunitas minus utilia reddat.



SUM-

SUMMA
CONCILIORUM BASILEENSIS, FLORENTINI, LATERANENSIS, LAUSANENSIS, &c. (*)

Auctore Augustino Patritio, Canonico Senensi, jussu FRANCISCI PICCOLOMINEI, Cardinalis Senensis, Anno reparatæ salutis humanæ MCCCCLXXX. conscripta.

PRÆFATIO.

CUm ad sedandum diuturnum, & perniciosissimum schisma, quod Ecclesiam Dei per annos circiter XL. non sine gravi Reipublicæ Christianæ detrimento vexaverat, *Generale Concilium Constantiæ* in Germania legitime congregatum esset, procurante SIGISMUNDO Cæsare, & Præsidente ab initio *JOHANNE XXIII. Pontifice Maximo*; tandem unio & pax reperta est, & omnis seditio sublata. Post mortem namque Gregorii XI. Romani Pontificis, cum Urbanus VI. Romæ illi substitutus esset anno salutis MCCCLXXVII. nonnulli Cardinales, secessione facta, quod dicerent illum per tumultum & impressionem Romanorum extortum esse, post tres menses Robertum, Cardinalem Gebennensem, in Romanum Pontificem apud Fundos (Johanne Reginæ præsidio) consecrarunt, Clementem VII. eum appellantes. Urbano deinde Romæ fatis functo, Bonifacius VIII. successit, & illi Innocentius VI., & paulo post Innocentio Gregorius XII. Clementi autem Antipapæ, post annos XVI. Avenioni decedenti, Petrus de Luna subrogatus est, Benedictus XIII. nominatus: qui per tempora Concilii Constantiensis, & etiam diu postea in sua pertinacia perseveravit. Cardinales utriusque Pontificis, Gregorii scilicet & Benedicti, cum illis abrogationem Pontificatus, quam pro unione Ecclesiæ in electione juraverant, persuadere non possent, communi consilio Pisanam Synodum celebrarunt. In qua Gregorio, & Benedicto exauctoratis, Alexandrum V. Romanum Pontificem legitimum dixerunt. Sed cum Gregorius, & Benedictus Decreta Concilii Pisani spernentes, dignitatem retinere conarentur, & pro duobus tres viderentur esse Romani Pontifices: statutum est aliud Concilium celebrari oportere post triennium in loco ab Alexandro, vel ejus Successore nominando. Verum extincto infra annum Alexandro, Balthasar Cossa Bononiæ a Senatu ei subrogatus est, Johannes XXIII. nominatus; qui instante tempore indicti Concilii, illud Romæ jussit conveniri. Bulla interim (ut ajunt) procurans, ne Concilium, quod timebat, rite celebrari posset. Pulsus deinde Johannes præter opinionem Roma a Ladislao, Rege Neapolitano, Florentiam concessit: ubi petente Sigismundo Cæsare, & urgentibus Cardinalibus, Generale Concilium Constantiæ in Germania, indixit ad Kalendas Novembris anno salutis MCCCCXIV. in quo Concilio Gregorius per Procuratores Pontificatu se abdicavit. Johannes de fuga retractus, ac privatus est: Benedictus etiam exauctoratus, & damnatus. Et communi omnium Patrum sententia Martinus V. Romanus Pontifex appellatus, quem omnes Christiani, aliis posthabitis, ut Christi Vicarium susceperunt unicum & verum. Hæc Sancta Synodus Con-

(*) Summam hanc, seu Historicam Epitomen Augustini Patritii, Harduinus *Tomo IX. Conciliorum* inseruit, quam ex ipso integram damus, recensendo simul, quæ Concilio Basilea Ferrariam, ac deinde Florentiam translato, gesta sunt: adeo enim utriusque Concilii res inter se connexæ sunt; ut aliæ ab aliis, quin historiæ series abrumpatur, separari non possint. Cur acta ipsa Concilii Basileensis omiserimus, in Digressione referemus.

Conſtantienſis inter alia multa, quæ ſanctiſſime ſtatuit ad confirmandam unionem fidelium, ad extirpandas hæreſes, quæ pluribus in locis invaleſcebant, & præſertim apud Bohemos: ad emendandos mores, & Clericorum vitam, Decretum illud promulgavit, quod *FREQUENS* appellatur: quo ſancitum eſt, ut quinquennio poſt finem Conſtantienſis Concilii, aliud Concilium celebraretur; & illo finito, aliud per ſeptennium, & deinde ſingulo quoque decennio conveniant Præſules ad Concilium Generale: locum autem futuri Concilii voluit ſemper nominari per menſem ante diſſolutionem præſentis a Romano Pontifice, approbante & conſentiente Concilio. Quod ſi Pontifex non adeſſet, voluit ab ipſo Concilio. Prædicti autem temporis prorogationem omnino prohibuit; abbreviationem ex cauſa conceſſit; locum vero Concilii ſemel nominatum a nullo voluit poſſe mutari: neque a Pontifice maximo, niſi urgentibus neceſſitatibus, bellorum vi, peſtis,& hujusmodi. Ex tunc de conſilio ſacri Senatus, ad votum Nationis Italiæ, Papia urbs nominata eſt pro futuro Concilio poſt quinquennium: & adventante fine quinquennii Martinus Pontifex anno VI. ſui Pontificatus Apoſtolicos ſacros Nuntios, qui vice ſua Concilio præſiderent, Petrum Archi-Epiſcopum Cretenſem, Jacobum Epiſcopum Spoletanum, Petrum Abbatem Roſacium, ac Leonardum Florentinum, Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum, Papiam tranſmiſit, cum plena poteſtate omnia tractandi, & agendi, quæ rebus recte conficiendis eſſent opportuna, & Concilium ipſum (ſi res ita exigeret) ad aliam ipſius nationis urbem transmutandi: ſedemque poſt ſeptennium pro alio Concilio ſtatuendi ſecundum Decreta Conſtantienſis Synodi. Verum cum ſæviente peſte Patres Papia pellerentur, communi conſenſu Senas Concilium transferre placuit. Convenerunt igitur undique Patres cum Apoſtolicis Legatis Synodum perficientes, ad annum ſalutis MCCCCXXIV. ibique poſt multa, quæ utiliter ſanxerunt, Baſilea urbs Germaniæ ſupra Rhenum pro futuro Concilio ad ſeptennium eſt nominata, Pontificis Martini anno VII. Præſidentibus ipſius Concilii Senenſis, & omnibus Nationibus pari voto decernentibus. Appetente termino, quo Baſileæ Concilium celebrari oportebat, Martinus Pontifex cum adverſa valetudine premeretur, anno ſalutis MCCCCXXXI, Pontifici vero ſui XIV Kalendas Februarii, Julianum Cæſarinum Cardinalem Sancti Angeli, Legatum Apoſtolicum, qui nomine ſuo, & S. R. E. Baſileenſi Synodo præſideret, præmiſit; cum plena poteſtate omnia agendi, tractandi, & concludendi, quæ ad reformationem Eccleſiaſtici ſtatus, ad hæreſes ubique exſtirpandas, ad reductionem Orientalis Eccleſiæ, ad conſervationem Eccleſiaſticæ poteſtatis, & ad communem omnium Chriſtianorum utilitatem, tranquillitatem,& pacem neceſſaria, & opportuna viderentur, ac de omnibus cognoſcendi, ſtatuendi, & concernendi cum conſenſu, & conſilio Patrum Sacri Concilii.

I.

Principium Concilii Baſileenſis.

Quarto igitur nonas Martii ejusdem anni, quo die ſecundum Decreta Conſtantienſis Synodi, inchoari oportebat Concilium Baſileenſe, Alexander Abbas Virziliacenſis (*), Ordinis Sancti Benedicti, Eduenſis Diœceſis, vir doctrina clarus, convocatis Canonicis, & Collegio Eccleſiæ Baſileenſis, ac plurimis aliis viris virtute præditis: Viri Fratres (inquit) noſtis, quod nudius tertius anni ſeptem completi ſunt a fine Concilii Senenſis; & ſecundum illius, & Sanctæ Conſtantienſis Synodi Decretum heri Baſileenſe Concilium in hac veſtra urbe erat incipiendum; ad quod Prælatos omnes, quorum intereſt, abſque alia vocatione ſub pœnis juris venire oportebat. Adſum ego obedientiæ filius, paratus alios, qui venturi ſunt ad Concilium, exſpectare, & nobiſcum interim, & cum his, qui venerint, omnia agere, quæ pro ſalute Chriſtianæ plebis in Concilio tractari conſueverunt, præſertim pro reductione Huſſitarum ad viam ſalutis, pro cenſura morum Eccleſiaſticorum,tam in capite, quam in membris, & pro pace, & quiete omnium Chriſtianorum; rogans vos omnes, ut locum aliquem

(*) Vezeliacenſis.

quem idoneum, & horam congruam statuere velitis, & rebus gerendis Concilii nomine mecum incumbere : protestans, per me non stare, quin Decreta Sanctorum Conciliorum impleantur.

II.
Confirmatur Legatio Cardinali Cæsarini ab Eugenio.

Inter hæc MARTINUS Pontifex Romæ moritur eodem anno, & EUGENIUS IV. ei subrogatus, Juliano Cardinali Sancti Angeli, pridie Kalendas Junii injunxit, ut rebus Bohemicis confectis, Basileam ad Concilium se conferret : ibique si Præsules justo numero convenisse cerneret, sicut Martinus statuerat, Apostolicæ Sedis nomine præsideret secundum Constantiensis Synodi Decreta. Julianus autem Cardinalis Legatus, acceptis mandatis ab Eugenio, cum occupatus adhuc esset in expeditione Bohemica: (Martinus enim ei injunxerat, ut si Basileæ congregatos Patres non inveniret, rebus Bohemicis incumberet:) suos Nuntios misit Basileam, qui nomine suo Concilio præsiderent, quoad ipse commode posset venire: neque multo post ipse secutus est, & Basileæ Concilium inchoavit.

III.
SESSIO PRIMA
Concilii Basileensis.

Anno salutis MCCCCXXXI. septimo idus Decembris, cum jam supra tres menses Patres, qui aderant, Basileæ una cum Legato Apostolico de rebus gerendis consultassent, primam Sessionem publice tenendam ad XIX. Kalendas Januarii statuerunt; idque publico edicto palam nunciarunt. Præcipiebat enim omnibus, quos Conciliis interesse more majorum oporteret, Apostolici Legati Præsidentis, & Concilii nomine, ut sub pœnis juris die dicta in Cathedrali Basilica convenirent. Ut autem statuta dies advenit, congregati sunt Patres in Basilica civitatis, & Perhibertus, Episcopus Constantiensis, rem Divinam celebravit, Spiritus Sancti gratiam expostulans; tum aliis supplicationibus, & precibus rite peractis, Legatus Apostolicus, Pontificali habitu præsidens, circumstantibus aliis Prælatis, mitra alba, pluvialique ornatis, concionem præclaram habuit : singulos exhortatus ad ea statuendum, quæ Deo grata, & Reipublicæ Christianæ salutaria esse cognoscerent. Deinde Constantiensis Præsul, ut suggestum ascendit, Sacrosanctæ Basileensis Synodi nomine Decretum Constantiensis Concilii, quod *FREQUENS* appellant, de Conciliis Generalibus frequentandis perlegit. Tum recensuit, ut Papiense Concilium per Constantiense fuerit indictum, & deinde Senas translatum. Inde Decreta Concilii Senensis recitavit, quibus Basileensis Synodus post septennium indicebatur. Postremo approbationem primam Martini V. Pontificis Maximi, & facultatem præsidendi in Concilio Basileensi Juliano Cardinali Sancti Angeli datam; & deinde Eugenii IV. publicis documentis omnibus ostendit.

Demum Decreta infra scripta, legesque a Concilio sanciendas rogavit. In primis Concilium Basileense congregatum Canonice, ac legitime convenisse ex auctoritate Constantiensis & Senensis Conciliorum, & Martini V., & Eugenii IV. Romanorum Pontificum approbatione, & decreto: in eoque præsidere Apostolicæ Sedis Legatum: proinde Generale Concilium ab omnibus esse censendum, omnesque, qui ex lege Generalia Concilia obnoxii sicut adire, huc venire oportere. Versari autem debere hanc Sanctam Synodum totis viribus imprimis ad exstirpandas hæreses ex Ecclesia Dei; quæ multis in locis pullulant: tum ad pacandos Christianorum animos, sedandasque fidelium contentiones; postremo ad mores, vitamque Clericorum, & populi Christiani ubique restituendos, emendandosque: licere omnibus, qui in Synodo essent, libere loqui, proponere, & consulere de omnibus rebus, ad utilitatem publicam spectantibus.

Decretum Toletani Concilii de modestia, & gravitate servandis in sessionibus, & deliberationibus Concilii comprobandum. In eo continetur, in sacris Sessionibus nemini licere clamorosis, aut inconcinnis vocibus perstrepere, fallaciis vanis, immodestis risibus, obstinatis discepta-

ceptationibus, jurgiis, contumeliis, aut ineptis contentionibus Concilium perturbare: irrisores, perturbatoresque homines ejiciendos esse: prænominationes, aut prælationes in sedibus, aut titulos in rebus gerendis cuivis adscriptos, nemini nocere, aut prodesse: nemini jus, aut dignitatem quoquomodo addere, aut demere; sed unumquemque in pristino statu conditioneque, qua ad concilium venerat, permanere. Decretum Constantiensis Concilii, quo impedientes, aut quoquomodo molestantes eos, qui veniunt, morantur, aut redeuntes a Concilio gravissimis pœnis coercent, illis ipsis, quibus mulctantur excommunicati singulis annis in Cœna Domini, approbantur, & decernuntur in illos, qui quovis pacto perturbare, impedire, prorogare, seu dissolvere conarentur Basileense Concilium (*) graviter animadvertentur. Omnes, qui in Concilio intersunt, omnium suorum Beneficiorum fructus integre, ac si in ipsis Beneficiis residerent, percipere oportere. Postremo quosdam Deputatos Scribas Concilii, qui acta publica annotarent, alios, qui Scribarum scripta emendarent, alios, qui Concilii negotia promoverent: alios vero, qui pro meritis & dignitate cuique locum, & sedem in concionibus assignarent. His omnibus communi Patrum consensu legitime decretis, atque firmatis, prima Sessio soluta est.

IV.

Dissolutio Concilii Basileensis ab Eugenio.

Dum hæc Basileæ aguntur, Eugenius Pontifex Maximus, Romæ ad XV. Kalendarum Januarii, sui Pontificii anno primo, ex sententia sacri Senatus, auctoritate Apostolica Concilium Basileense dissolvit: Legatum suum Cardinalem Julianum revocat, & aliud Concilium Bononiæ, post annum cum dimidio celebrandum publice indicit: cui per se ipsum cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præesse pollicetur. Tum decennio post finem Bononiensis Concilii, aliam Synodum Avenione congregandam publicis edictis decernit. Vocatque ex eo tempore per Apostolicas literas omnes, quos Generalibus Conciliis interesse Sanctorum Patrum decreta volunt. Causas autem hujusmodi dissolutionis, & revocationis has esse disseminavit: Patres parvo numero, non supra decem, Basileæ convenisse; quamvis tempus præscriptum septennii ante octo menses esset elapsum: neque videri æquum, a tam paucis Episcopis universæ Ecclesiæ leges præscribi. Rigere hyemale tempus; neque verisimile esse, illos, qui nondum venerunt, in posterum venturos: bellum exortum esse inter (**) Joannem Burgundiæ, & Fridericum Austriæ Duces: omnemque circa Basileam regionem ex bello vexari: proinde non posse Patres illic tuto congregari: multos convenire non posse, paucos non esse idoneos tam multis & magnis rebus agendis. Jam pridem sub Martino Pontifice tractatum fuisse de unione Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali: Joannem Palæologum Imperatorem, & Joseph Patriarcham Constantinopolitanum Oratores ad se Romam misisse, qui exsecutionem conventorum cum Martino, nomine Ecclesiæ Græcianæ exposcerent. Expedire admodum reipublicæ hanc Græcorum, & Latinorum unionem: nihil utilius salubriusque hoc tempore fieri posse: illis Basileam adire non facile esse: & ex tribus Italiæ civitatibus oblatis Roma, Bononia, & Ancona, Bononiam elegisse. Non esse tantam occasionem omittendam, neque ullo modo spernendam tot populorum salutem. Non posse rursus vocari Patres ad Concilium Basileæ sine temporis prorogatione; interea diem Græcis promissam adventare: eodem tempore duobus locis congregari Ecclesiam non licere: neque, si id fieret, posse utrobique esse Synodum Generalem: & bis convenire laboriosum omnibus & plerisque impossibile. Audiisse præterea, Patres, qui Basileæ essent, hæreticos Bohemos, publice ac legitime damnatos Constantiensis, ac Senensis Conciliorum auctoritate, nunc iterum ad disputandum, & contendendum super damnatis Articulis provocasse, in dedecus & contemptum Apostolicæ Sedis, Sacrorum Conciliorum, Sanctorum Patrum Decretorum, & Imperialium Legum; jubentium, damnatos hæreticos non audiri. Ad hæc adjungi adversam valetudinem, qua in principio sui Pontificatus correptus sit: non facile esse cor-

(*) *manca sunt.*

(**) Philippum

pori per morbum confracto, tantum itineris conficere; & res magnas, quæ imminerent, præsentia Pontificis, & sacri Senatus admodum indigere. Fore, si ad annum cum dimidio res differatur, ut recuperata valetudine ad locum viciniorem, & ipse cum Romana Curia accedat, & tempore magis opportuno Orientales, & Occidentales conveniant frequentiores. Adesse prætereaque plures alias causas, quæ hoc fieri suadeant, quas literis explicare non esset tutum, neque reipublicæ expedire, omnibus esse notas: eas venturas in lucem cum tempus fuerit. Hæc, & multa alia Apostolicus omnibus Christianis manifestavit Eugenius, eademque utriusque ordinis Principibus præscripsit, jussitque Basilea Patres discedere, & ad Bononiense Concilium se omnes præparare.

V.

Literæ Basileensium contra dissolutionem Concilii.

Patres autem, qui Basileæ convenerant, his auditis, Literas & Epistolas per universum Christianum orbem pridie Kalendarum Februarii, anno salutis MCCCCXXXII. datas, disseminarunt: asserentes vago rumore se accepisse, vulgo ferri, Basileense Concilium dissolutum esse. Falsos esse hos rumores, neque a quopiam admittendos. Convenisse omnes Patres Basileæ ex omni orbe Christiano; constituisseque Generale Concilium auctoritate Constantiensis, & Senensis Synodorum, Martini V., & Eugenii IV. Romanorum Pontificum; adesse Apostolicæ Sedis Legatum, cum plena potestate, omnia rite servata. Non esse credendum, Eugenium Pontificem, virum integerrimum & sanctum, tot majorum & suis Decretis velle obviare, ac Spiritus Sancti opera velle impedire: Se autem in publica Sessione statuisse, in Concilio Basileæ legitime congregato perseverare; neque ante inde discedere, quam omnia, propter quæ convenerunt, Deo benevolente recte componantur. Proinde monere, orareque omnes, ut ad Concilium veniant, quorum interest; eique pro utilitate publica votis & opere, omnique studio & diligentia faveant. Titulus autem Literarum Concilii hujusmodi erat: Sacrosancta Generalis Basileensis Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, & universalem Ecclesiam repræsentans, &c. Dilecto Ecclesiæ Filio N. Salutem & Omnipotentis Dei benedictionem.

VI.

SESSIO SECUNDA.

Ad XV. Kalendas Martias deinde convenerunt secundo Patres in publica Sessione, & hæc communi consensu statuerunt: Sacrosanctam Synodum Basileensem, auctoritate Constantiensis & Senensis Conciliorum, jubenteque Apostolica Sede indictam, Canonice Basileæ congregatam, atque inchoatam esse. Decretum Constantiensis Concilii, quo declaratur, Generalia Concilia legitime congregata, a Christo Domino immediate potestatem habere, eique unumquemque obedire oportere, etiamsi Romanus Pontifex sit, in his, quæ pertinent ad fidem, & ad generalem Ecclesiæ reformationem, approbatum, instauratumque. Aliud Decretum etiam innovatum, quo Synodus Constantiensis statuit, non parentes Conciliis rite convocatis, gravi pœna mulctandos, etsi sit Romanus Pontifex. Basileensem Synodum legitime in Spiritu Sancto congregatam a nullo, neque etiam a Pontifice Maximo, dissolvi, prærogari, transferrive posse, sine expresso ipsius Concilii assensu. Patres in Concilio residentes, aut alios quoslibet ad Concilium pertinentes, non posse a quoquam, etiam a Romano Pontifice revocari, citari, aut quovis modo molestari, non assentiente Concilio: Neminem ad Concilium proficisci volentem impediri, aut retardari debere: Pœnas & censuras a quovis Judice, & a Pontifice Maximo contra tales irrogatas nullas esse: Neminem licere ante finem Concilii discedere sine venia Præsidentium Concilii: tunc autem recedentes, dimittant alium, qui vices suas gerat. Postremo additi sunt Promotores duo Sacri Concilii, & Notarius unus, & secundæ Sessioni finis datus est.

VII.

VII.

Bohemi invitantur ad Concilium.

Inter hæc, cum Synodus cum binis literis Bohemos ad reconciliationem, & concordiam provocaſſet ; tandem nuntios duos ad eos delegavit Johannem Nider Prædicatorum , & Johannem Mulubrum Ciſtercienſium Ordinum Profeſſores : qui cum non auderent Bohemiam ingredi , in hanc ſententiam ex Nurimberga ſcripſerunt Nonis Januarii MCCCCXXXII. Sacroſanctam Baſileenſem Synodum inter alias curas, quibus aſſidue pro ſalute fidelium urgetur, nulla magis ſollicitari, quam pro reductione,& reconciliatione Bohemorum : ferre iniquo animo tantam inter Chriſtiani nominis viros diſſenſionem, tam crudeles, & inexpiabiles inimicitias,tot animarum Chriſti Sanguine redemptarum jacturam. Monere igitur, orare, & obſecrare , ut depoſita jam tandem feritate, cogitare , quæ pacis ſunt, & unire ſe reliquo Chriſtianæ Reipublicæ corpori velint. Proinde deſignent Legatos ſuos ad Concilium cum plena poteſtate; inventuros ſanctam Synodum optime ad reconciliationem animatam , modo ipſi ſalutares conditiones honeſtasque afferant. Ut autem tuto ad Concilium proficiſci poſſint, miſſuros ſe ad eos fidem publicam, ſi velint, nomine Baſileenſis Synodi, & aliorum, quos deſideraverint. Mittant & ipſi publicam fidem , ut & noſtri ad eos poſſint commeare. His acceptis , Pragenſes cives (ea enim civitas Regni caput eſt) literis reſponderunt, accepiſſe ſe ſacri Concilii, & ſuas epiſtolas gratiſſimo animo: quandoquidem caritatis,& benevolentiæ plenæ eſſent , altricesque pacis & unionis : ſed quoniam ea, de quibus in illis agebatur, ſpectarent ad univerſum Regnum ; ſe non potuiſſe inconſultis aliis Provincialibus Concilio reſpondere. Indixiſſe igitur conventum totius Regni ad Idus Februarii Pragæ. Orare, ut Nurimbergæ aliquamdiu præſtolari velint: futurum, ut brevi bonam Procerum,& popularium Bohemiæ mentem cognoſcant. Interim Patribus, qui Baſileæ ſunt, cauſam, cur non reſcripſerint, nuntient, mittantque fidem publicam , quam ultro fuerant polliciti. Crebris hinc inde literis datis, tamdiu Bohemi ſtatuunt , Egræ, (urbe haud longe a Nurimberga) cum Oratoribus Concilii convenire , ubi tractaturi de modo conveniendi cum Concilio , & de fide publica pro Legatis ſuis conficienda.

VIII.

Congregatio Eccleſiæ Gallicanæ Bituris.

Interea Galliarum Prælati, dum contrariis Romani Pontificis , & Baſileenſis Concilii mandatis vexantur , hinc a Patribus vocantur ad Synodum , inde jubentur Bononiæ ad tempus convenire : juſſu Regis ad tertium Kalendarum Februarii Bituris congregantur : ibique Eccleſia Gallicana communi conſenſu declarat, Concilium Baſileæ legitime eſſe congregatum, neque inde poſſe,aut debere quoquomodo transferri : & non modo utile eſſe , & conveniens, Concilium non diſſolvi, ſed neceſſario Baſileæ eſſe perficiendum propter res Bohemicas. Bohemos hæreticos multitudine & ferocitate inſuperabiles eſſe, ſæpeque noſtros milites & nemine proſequente ab eorum facie fugiſſe: vocatos ad Concilium ſub ſpe reconciliationis,& pacis jam conditiones accepiſſe, & Legatos deſignaſſe : ſi veniant , & unionem recipiant , nihil felicius poſſe deſiderari, magnasque eſſe habendas Deo & Concilio gratias. Si enim in ſua perfidia pertinaciter perſeverent , facile ab univerſali Eccleſia poſſe decerni, quo pacto ſunt coercendi ; & ipſis auferri querelam illam, quam ſuper Catholicis inculcant, ſe inauditos fuiſſe damnatos. Nimis pernicioſiſſimum eſſe Eccleſiæ Dei , permittere hanc hæreſin diutius vivere, quæ jam pluribus in locis non ſine gravi periculo ſerpere incipiat. Si transferatur Concilium; Bohemos non venturos, prædicaturosque ubique, Eccleſiam Dei ab eorum facie fugiſſe. Proinde Galliæ Prælatos Concilium adire debere , & Legatos mittere ad Eugenium Pontificem , rogaturos pro Reipublicæ Chriſtianæ commodo, ut Concilii diſſolutionem revocet, ſinatque Baſileæ Synodum eſſe , in qua ſalubriter a Patribus incepta poſſint abſolvi. Delegatus eſt Eccleſiæ Gallicanæ Legatus ad Pontificem, Archi-Epiſcopus Lugdunenſis, qui hæc

hæc omnia Patribus, qui Basileæ erant, literis nunciavit: eosque exhortatus est, ut cum Summo Pontifice, qui Caput Ecclesiæ esset, modeste agerent. His auditis Patres Concilii literis Gallorum Regi, quod hoc fieri procuraverit, gratias agunt: orant, det operam, quamprimum Galliarum Prælati petant Concilium, ipseque legationem insignem mittat: Futurum, si hoc fiat, ut Synodus tantis Patribus aucta, & tanti Regis judicio approbata, tuto consulere Reipublicæ possit. Idem Consultoribus Regis, idem plerisque aliis, qui apud Regem auctoritate & gratia valebant, scribunt. Lugdunensem autem Præsulem, quod eum hujus Decreti auctorem putabant, maximis efferunt laudibus: illumque vehementer exhortantur, ut dimissa legatione ad urbem, quam inutilem arbitrabantur, Concilium quamprimum adeat: ita videri Spiritui Sancto, & sibi, magis expedire utilitati Ecclesiæ, quod auctoritate sua exemploque alii Prælati Concilium certatim sint petituri.

IX.

SESSIO TERTIA.

Tertia inter hæc Sessio publica Basileæ celebratur anno salutis MCCCCXXXII, pridie Kalendarum Maji, in qua hæc communi consensu decernuntur. Concilium Basileense legitime in Spiritu Sancto congregatum ad perniciosissimam Bohemorum hæresim, quæ armis opprimi non potest, Concilio exstirpandam; & bellorum rabiem sedandam, quæ Christianos Principes vexat; ac etiam Christianorum normam, moresque collapsos in melius restituendos; non posse a quopiam dissolvi aut prohiberi: dissolutionem Concilii Basileensis ab Eugenio Pontifice factam, nullam esse ac irritam: Patres in Concilio Basileæ perseverare oportere, usque ad consummationem rerum, pro quibus sunt congregati: Eugenium Pontificem Maximum literis & nuntiis sæpe requisitum, ut ad Concilium veniat, aut Legatos suos mittat, utque dissolutionem Concilii revocet; hæc facere recusantem rursus publico edicto ad Concilium vocandum, monendumque, ut dissolutionem revocet intra trimestre tempus: Cardinales etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ intra dictum terminum vocandos, quoniam ad tantas res conficiendas, Pontificis præsentia, & Cardinalium pernecessariæ sint. Quod si intra præscriptum tempus Pontifex & Cardinales venire neglexerint; daturos operam Patres Concilii, ne quid ob eorum culpam detrimenti respublica patiatur. Cardinalem sanctæ Crucis ab hoc edicto immunem esse voluerunt, quod is in tractanda pace inter Angliæ & Galliæ Reges esset occupatus. Hæc eadem mandaverunt notificari Romano Pontifici, & Cardinalibus per quoscunque ejusdem ordinis Principes, ac per omnes, cujuscunque dignitatis essent. Quod si ad eos tuto accedi non posset, voluerunt satis esse, in urbibus vicinis Sutrio, Viterpio, Senis, id publicari. Et si id fieri commode non posset, legitimam esse vocationem in Cathedrali Basileensi Ecclesia factam. Omnes & alios Prælatos quoscunque, secundum Sanctorum Patrum constitutiones venire ad Generale Concilium oportere, pari ratione vocandos, citandosque. His decretis, atque firmatis, dimissa Concio hujus diei est.

X.

SESSIO QUARTA.

Neque multo post ad XII. Kalend. Julii IVta Sessio est celebrata, in qua ad consulendum indemnitati Cardinalium, qui ad Concilium venissent, aliosque provocandum ad veniendum, statutum est, vacante Sede Apostolica, durante Concilio electionem Summi Pontificis futuri nullibi fieri posse, nisi in ipso Concilio, alibi factam irritam esse, ac nullam. Electores, Electum, & in eum consentientes, fidelium communione privatos, atque ab omnibus dignitatibus, a nullo alio, nisi a Sancta Synodo posse absolvi: Prælatos, Principesque omnes utriusque Ordinis, Ecclesiasticos & sæculares, ac omnes alios, quos ex lege Conciliis interesse oportet, absolutos a juramentis esse, quibus Summo Pontifici, alterive forsitan obligarentur, ne ad Concilium venirent; pœnas, censuras, mulctas, seu privationes dignitatum, beneficiorumve propter hanc rem in quemlibet attentatas, etiam a Summo Pontifice, irrita esse & vana: Concilium Basileense plumbea Bulla in

in suis literis more Romanæ Curiæ uti debere, cui ex uno latere Spiritus Sancti immissio in columbæ forma, in altero literæ hujusmodi: Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis, sint sculptæ: Pontificem Romanum, dum Concilium Basileæ sedet, neminem, quamdiu a Concilio ipse abest, ad dignitatem Cardinalatus sublimare posse: assumptos contra hujus Decreti auctoritatem, non modo illa, sed omnibus aliis dignitatibus & honoribus, quibus forsitan antea ornati erant, esse privatos: Ut Cardinales, aut eos honorantes, aut ita eos appellantes excommunicatos esse; Præfecturam administrationemque civitatis Avenionensis, & Venesini Comitatus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, Alphonso Cardinali Sancto Eustachii committendam pro pace & quiete illorum populorum, quod Præfectum ab Eugenio Pontifice missum recipere nollent, illeque in eos jam arma pararet. Post hæc, cum apud Egram inter Oratores Concilii, & Nuntios Bohemorum de forma, sub qua fide publica a Concilio, & Sigismundo Cæsare exigebant, convenisset, Synodus in hac Sessione illam publico edicto firmavit; & Johannem Mulubrum ad Cæsarem mitit, ut ejus etiam nomine publica fides Bohemis daretur. Ipsos autem Bohemos dulcissimis atque humanissimis literis hortatus est ad unionem & pacem. Et dum concordiæ hujusmodi tractatus penderent, induciæ utrimque statutæ, decretum inhibitionis, ne vacante Sede Apostolica, Concilio durante ad electionem alibi procedatur: Cardinalibus per literas Concilii nuntiatur, tempusque decernendum in Concilio Lugdunensi statutum ad intrandum Conclave post mortem Pontificis ad novum subrogandum, prorogatum est ad quadraginta dies; ut Cardinales, qui procul abessent, convenire ad electionem in Concilio commode possent: Hortatur, rogat, jubetque Synodus, ne Cardinales, Pontificis morte contingente, contra decretum electionem faciant, ne Ecclesiam Dei scindant, ne lacerent inconsutilem Christi tunicam, minaturque transgressoribus acerrimas pœnas, ac demum Divinam ultionem: Carolo Francorum Regi decretum & inhibitionem Cardinalibus missam literis indicat; rogatque magnis affectibus, ut Concilii statutis faveat, compescatque renuentes: nullumque pro Romano Pontifice cognoscat aliter electum: idem Senatui, populoque Romano præscribunt: monentque, ut æquo animo ferant pro utilitate Reipublicæ Christianæ, Romanam Curiam tantisper abesse.

XI.

SESSIO QUINTA.

Fit deinde quinta Sessio, in qua Judices in causa Fidei decernuntur Papiensis, & Ratisponensis Episcopi, & Abbas Cistercienfis cum plena potestate cognoscendi, & omnia agendi usque ad sententiam definitivam, quæ Concilio reservatur. Ordinatur deinde Procurator in causis fidei vir Theologiæ peritissimus: cui tamen inhibetur, ut nullam causam fidei agat, nisi prius examinatam per Deputatos fidei. Statuuntur in aliis causis, quæ ad Concilium spectant, alii Judices: Petragoricensis, Augustensis, & Parmensis Episcopi, cum potestate perficiendi rectum judicium. Reservatur tamen Concilio cognitio causarum Cathedralium Ecclesiarum: tum ne temere causæ a Judicibus admittantur; deputantur præcognitores causarum Julianus Cardinalis Sancti Angeli, Legatus Apostolicus, Dominicus Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis Firmanus, & quilibet præsidens Concilii. Tum Episcopus Gebennensis, & Henricus causarum Palatii Auditor, cum potestate declarandi, ac statuendi, quæ causæ, & quo ordine sint admittendæ, & finiendæ. Horum Magistratuum & Judicum potestatem trimestrem esse voluerunt. Statuitur etiam, ne quis ex his, qui in Concilio sunt, eruntve, aut iter ad illud acceperunt, trahi possit in causam ex Concilio a quocunque Judice, etiam a Summo Pontifice: In Concilio tamen omnibus justitiam administrari oportere. Henricus Hecel, Auditor Sacri Palatii, Judex ordinarius constituitur cum potestate Auditoris Cameræ, & Titianus Laudicensis Soldanus more Romanæ Curiæ. Datur facultas Congregationi Generali, ut alios Magistratus opportunos possit creare. Adduntur aliis Notariis, & Scribis Concilii quinque, qui gesta

Concilii scribant: inter hos Petrus de Noxeto. Et finis sit quintæ Sessioni.

XII.

SESSIO SEXTA.

Anno salutis MCCCCXXXII. VIII. Idus Septembris Sessio sexta celebrata est, in ea præsidente Episcopo Constantiensi, qui rem Divinam celebravit. Adfuerunt Julianus Cardinalis Sancti Angeli, Legatus Apostolicus, Cardinalis Placentinus, & Dominicus Firmanus cum XXXII. Prælatis, pluviali, & mitra ornatis. Sacris cærimoniis rite peractis, Promotores Concilii retulerunt Patribus, Eugenium Pontificem, & Cardinales Romanæ Ecclesiæ legitime ad Concilium vocatos secundum Decreta tertiæ Sessionis, & Pontificem requisitum, ut dissolutionem Concilii revocaret intra præfixum tempus, non paruisse. Proinde petere, ut contumaces censerentur, damnarenturque. Quod cum Patres legitime declarare vellent, palamque Eugenius, aut ejus Procuratores, tertio requisiti, non responderent; Tarentinus & Colossensis Archi-Episcopus, ac Magalonensis Episcopus, Oratores Eugenii Pontificis, qui aderant, cum potestatem in hujusmodi causa respondendi, non possent ostendere, impetraverunt, ut super declaratione contumaciæ aliquamdiu supersederetur. Tum cum peteretur declaratio contra XVII. Cardinales citatos, complures assurrexerunt asserentes, se mandatum habere ad eorum excusationem. Synodus commisit Frisingensem & Basileensem Episcopos, ut mandata & excusationes examinarent, omniaque Patribus deinde referrent. Gerardus Landrianus Episcopus Laudensis, ad Regem Angliæ per Concilium Legatus, qui luculentissima oratione coram Rege disseruit de legitima Concilii Basileensis congregatione, de Conciliorum summa auctoritate, & potestate, de causis necessariis congregati Concilii pro extirpanda perniciosissima Bohemorum hæresi, pro emendatione morum Cleri, & populi Christiani, ac pro sedandis Principum animis, & generali pace procuranda; demum hortatur, ut Legatos ad Concilium mittat, & Regni Prælatos, oratque, ut pacem cum hostibus suis amplectatur.

XIII.

Defensio Eugenii per Legatos.

Post hac audiuntur Basileæ in Conventu publico Legati Eugenii Pontificis, XI. Kalend. Septembris, Andreas Colossensis, & Johannes Tarentinus Archi-Episcopi. Et Colossensis quidem, qui primo auditus est, hæreses omnes a principio Ecclesiæ nascentis recensuit. Ex his duas in orbe Christiano adhuc super exstare admodum perniciosas Græcorum & Hussitarum, quas nullo pacto exstirpari posse contendit, nisi prius Catholici sint inter se concordes; Apostoli Pauli ad Corinth. præceptum crebro referens: *Non sit schisma in corpore.* Græcos sub Martino Pontifice cepisse agere de reconciliatione & unione cum Latinis, & nunc prosequi: ab Eugenio, si ipsi schismata non faciant, facile conversuros. Non esse deserendam nobilem ac doctam gentem, & de Ecclesia Dei optime meritam: Hortari, obsecrareque, ut Summum Pontificem, Ecclesiæ Caput, & Petri verum Successorem honorent, venerentur: caveantque, ne, dum Bohemos Ecclesiæ reconciliari studeant, se ipsos perdant, & majorem, periculosioremque faciant scissuram. Morum emendationem nullam fieri posse, qua maxime Clerus & populus indigent, nisi Pontifex concurrat, statuatque: illum nihil magis cupere, dummodo rite id fiat. Pacem autem, propter quam Concilium congregatum dicunt, nullo modo illos posse procurare inter alios, qui inter se dissentiunt. Proinde hortatur, ut Pontifici Romano se reconcilient, ut schismata in corpore Ecclesiæ non faciant.

XIV.

Oratio Tarentini Episcopi pro Eugenio.

At Joannes Tarentinus Præsul, post hæc ad VII. Kalend. Septembris, dicendi facultatem nactus, longo & docto sermone causam Eugenii peroravit in frequentissimo Patrum conventu. Principio Romani Pontificis plenissimam, atque absolutam potestatem ab ipso Salvatore nostro Jesu Christo concessam probat multis argumentis & auctoritatibus. Tum Eugenium

nium quartum Pontificem Maximum, summis laudibus effert: asserit illum, principio Basileense Concilium a Senensi Synodo, & Martino V. indictum confirmasse: sed postea cum pauci præscripto tempore ad Concilium adventarent Oratores Concilii, & nova convocatio peteretur, ac locus omnino tutus a violentia hæreticorum, bellorumque tempestatibus non videretur; Pontificem Concilium Bononiam transtulisse: tum, quia multis Principibus & Prælatis locus ille aptior esset ad conveniendum, tum maxime personæ Pontificis, qui ob adversam valetudinem Alpes transcendere, & tam longo itinere se committere sine aperto vitæ discrimine nullo modo posset, cujus certe præsentia cum sacro Senatu & Romana Curia magnam accessionem & auctoritatem rebus gerendis esset allatura: Unionem præterea Græcorum, quibus Basileæ nullo modo convenire placeret propter difficultatem itineris, idoneam causam esse transferendi Concilii: Hussitarum vocationem ad Concilium, tanquam ad Communionem Spiritus Sancti, & ad examinandas rursus damnatas opiniones, indignam esse, & contra honorem Apostolicæ Sedis ac Sacrorum Conciliorum Constantiensis, & Senensis, quorum decreta de fide in dubium revocari videantur, si ad disputationem rursus admittantur: Plures alias superesse legitimas causas transferendi Concilii, quæ tuto aperiri in præsentia non possent: Cæterum Romanum Pontificem ex plenitudine potestatis legitime posse dissolvere, & pro arbitrio suo transferre: Basileense autem Concilium, sive aliud, non posse judicare primam sedem, cui omnes subsunt; Neque Pontificem Romanum subesse judicio Ecclesiæ, nisi in causis fidei, quando a tota in fide dissentiret: Proinde Basileense non potuisse vocare ad Concilium Eugenium Pontificem, & ab injuriis cœpisse; multosque illuc confluxisse rerum novarum cupidos post exortam seditionem, qui in unione pace Domini quiescebant: non esse hoc judicium charitatis & pietatis Christianæ: impium esse & injustum, hominis unius causa quantumvis magni ac digni, Romanum Pontificem injuriis lacessiri, & ad causam dicendam vocari, qui a solo Deo est dijudicandus: Marcellinum Episcopum Romanum de idololatria convictum, & se sponte Concilii sententiæ submittentem, sanctam Synodum liberum dimisisse, dixisseque, Romani Pontificis Judicium Deo tantum esse reservatum: Eugenium hortari, atque obtestari Patres, ut ab injuriis temperent, injustum judicium remittant, paci, unioni, censuræ morum, instaurationi Ecclesiasticæ libertatis omni studio secum incumbant. Statuisse se, & velle omnino, ut Generale Concilium celebretur, cui interesse & præesse ex officio cupiat: mores, statum, vitamque suam omnem ab ineunte ætate censuræ Patrum libere permittere, ut reliqui corrigi, emendarique facilius possint: Concilium non prius dissoluturum, quam morum generalis censura, Principum reconciliatio, exstirpatio damnatarum hæresum sint plene absoluta, ut Christianus populus mundus & concors in hostes fidei communibus viribus possit insurgere: duo esse, quæ Basileenses præcipue damnent: loci dominationem, & temporis prorogationem: Placere Eugenio, ut Basileenses locum eligant, quem velint ex civitatibus Romanæ Ecclesiæ subjectis: Pontificem locum istum pro tempore Concilii libere dimissurum in potestate Patrum: Prorogationem autem omnem tollere, quam primum illi locum nominaverint: Concilium ibi incipiendum, ad quod statim Pontifex cum Romana Curia se transferret: injuriarum vero in Pontificem & offensarum oblivionem, & in futurum securitatem, ac libertatem polliceri: Bohemorum reductionem extra Germaniam facilius, quam in Germania; & præsente Pontifice, quam absente, fieri posse; illosque si reconciliari velint, non recusaturos loci mutationem: Neque Græcorum unionem propter Bohemos esse spernendam, qui Germaniam petituri nullo modo sint: Placere, quod si judicent, Bohemorum conversionem & Germanorum censuram extra Provinciam perfici non posse, quod Cardinalis Sancti Angeli, Apostolicus Legatus simul cum pluribus, qui Basileæ congregati sunt, ad ea negotia perficienda ibi permaneant, & illis confectis ad Concilium properent: Æquas esse has Eugenii conditiones, honesta & sancta Pontificis desideria accipienda grato animo;

mo; & curandum, ne qui concordiæ, unitatis, & censuræ auctores videri velint, dissidii, seditionis, & corruptionis fautores nutritoresque videantur.

XV.

Refutatio Basileensium contra Legatos Papæ.

Ad hoc responsum est Patrum nomine, Sanctam Synodum Basileensem summo mœrore, ingentique tristitia affici, quod pro necessitate Christianæ Reipublicæ, in Spiritu Sancto congregatæ, tam acriter impugnetur, ab his præsertim, ad quos protectio defensioque Conciliorum spectaret. Proinde hortari eos cum Apostolo ad Ephesios, ne Spiritum Sanctum contristent; id est, ne Spiritus Sancti opera impediant. Hæreses perniciosissimas plerisque in locis indies invalescere, bella per totum orbem Christianum desævire, mores ubique corruptos, collapsosque esse, ac vitia omnia in præcipiti stare. His omnibus detrimentis per Generale Concilium obviandum, jamque optima fundamenta jacta esse, ita ut spes pulcherrima omnibus data sit rei bene gerendæ. Hæc nunc, qui impediat, procul dubio Spiritum Sanctum contristare: quod quidem peccatum sine venia esse constat. Patres Concilii nihil pejus odisse, quam schismata; nihil vehementius detestari, quam divisiones; neque quicquam diligentius curare, quam quæ sunt unionis & pacis. Superfluum esse, eos monere, ne sit schisma in corpore: eam cohortationem ad Eugenium convenientius pertinere, qui a Concilio, quod duæ Synodi constituere, duo Summi Pontifices approbavere, decrevereque, ipse secesserit, scissuramque fecerit: & sæpe multum requisitus, & rogatus, ut universali se Ecclesiæ conjungeret, recusaverit. Patres Basileæ convenisse non sponte, non propria auctoritate, non temere, sed Conciliorum, & Romanorum Pontificum decreto & auctoritate. Quod autem Basileenses declaraverint dissolutionem Concilii ab Eugenio factam, nullam esse, & irritam, non esse novum; & licuisse Concilio ex Decreto Synodi Constantiensis, quæ statuit Pontificem Romanum non posse dissolvere Concilium Generale invitis Patribus: & Johannem XXIII. a Concilio Constantiensi recessisse, quod nihil aliud fuerit, quam quantum in ipso erat, Generale Concilium dissolvere: Permansisse tamen Patres Constantiæ, & declarasse, Concilium propterea non esse dissolutum. Quod seditiones & scandala necessario secutura sint, si perseveraverint Basileæ Patres: nulla eorum culpa id eventurum, qui secessionem ipsi non fecerint, sed secedentem reprehendant. Eugenium meminisse debere Salvatoris sententiæ, quæ ait, scandala necessario evenire, & comminationis in eum, per quem venit scandalum. Facile esse Romano Pontifici contentionem omnem, omnemque discordiam sedare: Non armis, non pecunia, non violentia aliqua opus esse, aut periculo. Tollat Concilii revocationem; uniat se universali Ecclesiæ, cujus est caput, & omnia tuta, omnia quieta erunt: Neque futurum est dedecori Pontifici Maximo, si pro tempore, rebus & causis, sententiam mutet pro salute Reipublicæ Christianæ, cui omnia debeat. Græcorum autem reconciliationem semper fuisse cordi Patribus, omniaque semper & cogitasse & egisse, quæ ad rem illam navandam conducere posse rati sunt. Sed Provinciam atque curam hanc cum plerisque aliis honoris causa dimisisse Summo Pontifici, a quo tamen pro reverentia despectum, pro honore contumeliam, pro obsequiis odium reportassent. Orare nunc Patres Colossensem Archi-Episcopum, ut Concilii nomine Legationem ad Græcos sumat: & qui causam hanc sæpius egerit, eam nunc tandem resumat, absolvatque: Patres commeatum & omnia opportuna ei plene suppeditaturos: Eugenio reverentiam & honorem, ut Romano Pontifici, & Ecclesiæ capiti se semper exhibituros, si ille ab Ecclesiæ corpore, extra quam non est salus, non discedat. Quod si contempserit, Pauli Apostoli exemplo, qui in faciem Petro palam restitit, non tacituros Patres, & Ecclesiam Dei omni studio, quoad vita suppetet, acriter defensuros. Græcos vero, si reconciliationem cupiant, cum parati sint Bononiam petere, non recusaturos & Basileam proficisci, qui alias & Lugdunum & Constantiam ad Concilia profecti sunt. Pestiferas hæreses tolli non posse, nisi

prius

prius tollatur dissensio, verissimum esse; sed hoc ad illum spectare, qui seditionem intulit, qui se ab universali Ecclesia alienavit, qui Sacrorum Conciliorum secreta scindit. Patres nihil aliud jam per annum magis curasse, quam ut Pontifex veritati & rationi acquiesceret, Concilio adhæreret, ut par est, & Decreta Constantiensis Synodi servaret: quæ si non servantur, frustra agi de reductione Bohemorum, quorum dogma in illo potissimum Concilio sit damnatum: Libenter audire Patres oblationem Eugenii Pontificis de censura suscipienda; libentius visuros effectum; Ordinem alium nullum scire, nisi qui in Concilio Constantiensi, cui & jam ipse interfuit, sit datus. Agendas esse Deo immortali gratias immensas pro virtutibus, quibus Eugenium decoratum dicunt, & orandum, ut hoc, quod deest, ut scilicet universali Ecclesiæ se coaptet, Divina benignitate addatur. Tum ad ea, quæ per Tarentinum dicta sunt, in hanc ferme sententiam est responsum: Non latere Sanctam Synodum, quæ de potestate & auctoritate Summi Pontificis Tarentinus dixisset; sed illa aperte profiteri, & curare, ut & alii profiteantur: & tamen dicere, Romanum Pontificem oportere, Synodi Basileensis, & cujusvis alterius legitime congregatæ, mandatis, atque statutis plene obtemperare in his, quæ ad fidem, extirpationemque schismatis, & morum censuram pertinent. Secundum Decreta Constantiensis Concilii non fuisse inconveniens, illum, qui tam multa de potestate primæ sedis dixisset, & aliquid dicere de potestate & dignitate Catholicæ Ecclesiæ, quam Concilium in Spiritu Sancto legitime congregatum repræsentare constat: & quæ sine ruga & macula existens, secundum omnium Sanctorum Doctorum sententias errare non potest: quod privilegium nulli alteri creaturarum a Deo concessum est. Conciliorum autem generalium dignitatem non fuisse tacendam, quæ eadem est, quæ & Ecclesiæ Catholicæ, quam repræsentant: quorum potestas (ut Constantiensis Synodus diffinivit) immediate a Christo est. Horum directorem, atque operatorem Spiritum Sanctum Paracletum esse, ut in Apostolorum actibus scribitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, cujus opera irreprehensibilia sunt: non esse dicendum, Concilium aliquod legitime congregatum invalidum esse, aut aliquo modo errare posse. Quod si de omnibus Conciliis, & de tota fide Catholica, quæ Conciliorum auctoritate probata est, dubitari posset: firmam ac stabilem esse Conciliorum auctoritatem, & potestatem etiam exercere in Romanos Pontifices; quorum plerosque non recte vadentes exauctoraverit, atque dejecerit: Pontifices Romanos sæpe errasse, & ab Ecclesia damnatos esse; nunquam autem universalem Ecclesiam errasse, aut fuisse damnatam a Pontifice. Itaque Pontificem Romanum tantum aliis singularibus personis cujusvis dignitatis præstare, quantum universalis Ecclesia privatis. Et quamvis in universali Ecclesia primus & major sit, non tamen majorem esse ipsa Ecclesia, in qua sit. Tum multa addita sunt, quæ universalis Ecclesiæ, & Sacrorum Conciliorum auctoritatem comprobarent. Deinde reliquis Tarentini propositionibus responsum. Constare, si Concilium Basileense (ut fatebantur) Senensis Concilii, & Martini auctoritate indictum esset, & ab Eugenio confirmatum, legitime congregatum esse, neque potuisse, aut debuisse dissolvi ab Eugenio: causasque dissolutionis, quas ostenderat, frivolas esse, ac nullas. Si parvo numero Patres Basileæ convenerant, oportuisse Pontificem (ut a Concilio petebatur) Prælatos omnes monere, & hortari, ut illuc irent, non autem revocare, qui jam venissent. Si propterea Bononiam Concilium transtulisset post annum cum dimidio, quod Concilio interesse cuperet, cum in præsentia valetudine impediretur; & hoc nihil esse: non enim constare Pontifici, si post annum cum dimidio liber ab adversa valetudine, aut si omnino vivus erit. Et quamvis Pontificis præsentia Concilio, & rebus gerendis multum prodesset, magis tamen nocere Ecclesiæ tantam dilationem & perturbationem Concilii, cum Ecclesiæ discrimina moram non patiantur. Concilia præterea Generalia magna ex parte celebrata esse absente Romano Pontifice: satis esse, si ea sua auctoritate, & per Apostolicos Legatos celebrentur; Dissolutionem matura delibera-

tione factam esse nullo modo videri, quæ inconsultis Patribus Concilii, ad quos spectaret, facta esset; damnarique ab omnibus bonis, etiam qui apud Pontificem in Romana Curia versarentur. Basileam propter Bohemorum vicinitatem tutam non esse, falso Pontifici renunciatum esse: distare enim Basileam a Praga Bohemorum Regia XV. dierum itinere: intermedios esse Principes, ac populos potentissimos, Regiones tutissimas, & hæreticis impenetrabiles: urbem præterea ipsam Basileensem opere & natura munitissimam esse, & populo fideli strenuoque refertam, vicina omnia loca pacatissima, & tuta; situm omnibus Nationibus accommodum, Italicis, Germanicis, Gallicis, in quorum finibus esset Basilea. Non esse tantæ audaciæ & temeritatis Patres, quod Basileæ perseverassent, si periculum imminere cognoscerent. Quod autem Bohemorum vocationem ad Concilium tantopere damnarent, assererentque illam honori Apostolicæ Sedis, & Sacrorum Conciliorum Constantiensis, & Senensis esse adversam, mirum videri. Non enim vocari Hussitas ad simul decernendum, sed instruendum; ut qui suis erroribus, aut superstitionibus jam fatigati, reconciliari Catholicis cupere videantur: nullibi apud Sanctam Scripturam vetitum esse orantes instruere, atque edocere: quin immo hoc proprium esse Episcoporum, & Sacerdotum officium, secundum Apostolum, exhortari omnes in sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere. Futurum, si Bohemi reconcilientur, ut Romani Pontificis, & Conciliorum auctoritatem & sententiam venerentur, & servent. Quod si putant, hæreticos semel damnatos non oportere amplius audiri, quod falsum est; cur nunc vocari ab Eugenio Græcos, quorum perversa dogmata non semel tantum, aut iterum, sed sæpius sint a Summis Pontificibus, & universali Ecclesia damnata: Nunc autem non modo propter eos Concilium Bononiæ indictum esse, sed & legitime congregatum Basileæ dissolvi? Non esse minus perniciosam Bohemorum hæresim, quam Græcorum; immo tanto periculosiorem, quanto viciniorem: cujus veneno nisi occurratur, propinqui populi facile inficiantur: & sæpe in sacris Conciliis damnatarum hæresum disputationes esse repetitas, atque iterum damnatas. Neque verum videri, Bohemos alibi potius, quam in Germania esse audiendos, si sint audiendi. Nam, ut ait Beatus Thomas; Sicut in loco, ubi nota non est hæresis, disputare periculosum est; ita ubi est nota, & Catholici ab aliis infestantur, necessarium differendo rem declarare. Neque propter hoc poni in dubium fideles, qui firmiores & certiores redduntur, videntes Patres non detractare certamen disputationis cum Bohemis: quos non aliter judicaturos, quam Constantiensis Synodus judicasset, non dubitant. Patres autem non paruisse Pontifici Concilium dissolventi; tum, quod placere Deo magis, quam hominibus voluissent; tum, quod illa dissolutio nulla esset: nec licuisse Pontifici, Patres legitime, & ex mandato Ecclesiæ congregatos, sua auctoritate dissolvere; sed ipsum Concilio Generali inobedientem, secundum Decreta Constantiensis Synodi acriter mulctandum: ex quibus etiam dissolutionem, aut prorogationem Generalis Concilii Romano Pontifici prohibitam esse constat. Neque licere Romano Pontifici, ut arbitrantur, Decreta Majorum, quæ pro utilitate publica summa cum maturitate edita sunt, pro suo arbitrio abrogare. Unde Gregorius: "Si " ea (inquit) destruerem, quæ Antecessores mei statuerunt, non constructor, sed eversor essem. Et iterum: " Absit a me, ut statuta majorum cum Sacerdotibus meis infringam. Et Gelasius: Confidimus, quod jam nullus " Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis " Ecclesiæ probavit assensus, nullam " magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate " confirmat, & continua moderatione " custodit. Et Zosimus: Contra statuta " Patrum concedere aliquid, vel mutare, " nec hujus quidem sedis potest auctoritas: apud nos non inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cujus Decretis " Patres sanxerunt reverentiam. Et " Leo: Ideo permittente Domino Pastores sumus hominum effecti, ut quod " Patres nostri sive in sanctis Canonibus, " sive in mundanis affixere legibus, excede-

" cedere minime debeamus." Ex Concilio Chalcedonensi: " A sanctis Patribus " usque nunc prolatas regulas tenere con-" stituimus." His, & multis auctoritatibus patere, Pontificem Decreta Constantiensis Concilii abrogare non potuisse, & proinde dissolutionem Concilii Basileensis nullam esse. Et cum constat ex Decretis dicti Concilii, Pontificem oportere Generalis Synodi dictis auscultare, atque parere; Patres merito monuisse, & in judicium vocasse Eugenium, non obtemperantem, & manifeste scandalizantem Ecclesiam. Quod autem dicerent, unius hominis causa, quantumvis digni, iniquum esse Romanum Pontificem vexari, id Patres intelligere, de Domino Cardinali Firmano. Quantum ad illud attinet, non potuisse sacrum Concilium oppresso justitiam denegare; qui publico consessu Patribus exposuisset, contra justitiam, & honestatem, & in maximum honoris ac status sui detrimentum, & publicum scandalum se a sacro Senatu, & ab Eugenio Pontifice summa injuria fuisse affectum. Ostendisse scedulam Romani Pontificis Martini V. & XI. Cardinalium manu subscriptam, in qua ipse cum aliis tribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales creati fuerant, addita conditione, ut si ante obitum Martini Pontificis non publicarentur, pro publicatis haberentur: & eos oportere ab aliis Cardinalibus admitti, etiam ad electionem futuri Pontificis: & in omnibus aliis rebus haberi, & tractari, ut veros & publicatos Cardinales. Tamen post obitum Martini ipsum Firmanum, cum adhuc publicatus non esset, instantissime efflagitasse a Collegio Cardinalium, ut ad electionem admitteretur, & servarentur promissa, adque jusjurandi obligationem excommunicationis pœna tenerentur; Cardinales ejus postulata sprevisse, atque ad electionem processisse, Eugeniumque deinde electum, non modo justitiam super eum administrare ei noluisse, sed urbe eum fugasse, & omni tam patrimoniali, quam Ecclesiastico privasse. Quin & Cardinales aliquos ante introitum Conclavis protestatos fuisse, Dominicum Firmanum, ut Cardinalem admittendum. Rem hanc non parvam esse, & dignam Concilii cognitione; ut in futura electione omnibus pateat, qui ad electionem summi Pontificis sint admittendi. Nihil fecisse Patres contra juris ordinem, & tamen paratos esse omnibus volentibus rationem reddere. Quod autem dicunt illum, qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum detrahit, in hæresim labi: idem & Patres asserere: sed tanto magis illum esse hæreticum, qui universalis Ecclesiæ, in qua & ipsam Romam esse constat, auctoritatem imminuit, quanto publica privatis præcellunt: & unumquemque censendum esse hæreticum, qui Concilium Generale Constantiense non repræsentare Ecclesiam Catholicam putat, aut in his, quæ ad fidem, seu ad bonos mores attinent, posse errare. Pacem autem & unionem illum frustra suadere, qui bellum infert, qui seditionem facit, verum esse. Cesset Eugenius a dissipatione Concilii, uniat se Ecclesiæ, & omnium erit finis. Quod si Concilium ipse petat, futurum; ut omnes illum cum honore & reverentia suscipiant benigne, ejusque pedes, ut Christi Vicarii, humiliter osculentur. De prorogatione autem futuri Concilii tollenda, & de loco per Patres nominando ex terris Italiæ Romanæ Ecclesiæ subjectis, Patres considerare; nihil aliud ea innuere, quam Eugenium Pontificem non modo non reputare Basileæ Concilium Generale esse, sed ne quidem velle omnino in futurum esse.

Proinde cum Concilium Basileæ legitime congregatum esse constet, oportere Pontificem sententiam mutare pro salute animæ suæ & Ecclesiæ universalis quiete; dissolutionem tollere, Concilium recognoscere, & illi tota mente cohærere. Patres tolerare non posse, ut Decretum Constantiensis Synodi, quod FREQUENS appellatur, ullo modo rescindatur: quod si fieret, præter alia incommoda, quæ inde Reipublicæ Christianæ sequerentur, videretur Ecclesiam errare potuisse, quæ decreta minus utilia edidisset, cum statuisset Pontificem Concilio, non autem Concilium Pontifici parere oportere. Pontificis præterea invaletudinem non satis esse causæ, ad Concilium transferendum. Illum, si Bononiam, non multo difficilius & Basileam petere posse: neque, si Concilio non interfit, propterea reipublicæ consuli non

posse. Bohemos ad hæc convenisse apud Egram cum Oratoribus Concilii, jamque se itineri accinxisse, ut Basileam veniant. Futurum, si transferat Concilium, ut sibi illusum putent, jactentque ubique vicinos populos illorum sententiam secuturos; putantes ideo Patres recessisse; quoniam nil haberent, quod ad eorum argumentationes respondere possent: neque utile aut honestum esse, Patres simul cum Legato sine Concilii nomine agere cum Bohemis Basileæ, aut censuram Germaniæ Provinciæ tractare; quoniam Bohemi ad Concilium tantum sunt vocati, & sine auctoritate Concilii nihil omnino proficeretur. Quod autem Pontifex in Italiam Concilium transferre velit, mirari admodum Patres, cum tota Italia acri bello vexetur: Ecclesiæ oppida, ac civitates factionibus, civilibus odiis, & omnium rerum summa penuria laborare; neque Bohemos ullo pacto Italiam petituros, quos Basileam deduci oporteat, maximorum Principum Germaniæ, qui hoc onus susceperunt, fide & pollicitatione: Basileæ autem e contra omnia tuta, omnia commoda, omnia quieta, & rerum omnium summam abundantiam & copiam. Esse & aliam causam urgentem, quæ non permittat Patres dissolutioni consentire: quia si fieret dissolutio, Concilium Basileæ nullum esset ultra, & aliud fortasse non fieret: & si fieret, nullos ad illud conventuros, qui viderent pro arbitrio Pontificis Concilium dissolvendum, & maxime in Italia. Quod si Pontifex promittat, non dissoluturum Concilium ante rerum omnium confectionem, non oportere multum illi credere: quoniam si duorum Conciliorum & duorum summorum Pontificum Decreto dissolvit Basileense Concilium, facilius dissolvet & aliud unius tantum auctoritate congregatum. Quod si Eugenius ipse non dissolvat, posse accidere, ut ille moriatur, & ejus Successor suo exemplo Concilium dissolvat. Intelligere omnes, quorsum ista tendant. Nihil aliud Eugenium quærere, nisi Concilii integram dissipationem, & Decretorum Concilii Constantiensis abrogationem. Proinde orare, atque obsecrare Patres Eugenium Pontificem, ut dimissa dissolutione se universali Ecclesiæ, cujus caput est, adhærere, & coaptare velit, & Concilii negotia (ut ex officio tenetur) omni studio promovere. Quod si fecerit, Patres ejus monita libenter suscepturos, osculaturosque ejus beatos pedes, ut Petri Apostolorum Principis veri Successoris & Christi Salvatoris Vicarii. Alioquin daturos operam, ne quid propter ejus secessionem detrimenti Respublica Christiana patiatur.

XVI.

Institutio quatuor Deputationum, & ordo rerum gerendarum.

Inter hæc Patres, ut rebus in Concilio gerendis certus daretur ordo, utque dispartitis oneribus communi labore & consilio omnia agerentur, hæc statuerunt. In primis conciliationes omnes divisere in quatuor conventus, quas sacras deputationes appellarunt diversis nominibus: nam unam fidei, alteram pacis, tertiam reformationis, ultimam communem appellabant. Has constare pari numero, ex quatuor Nationibus: (in totidem enim Latinam Ecclesiam divisere-runt) & ex omni Ordine: ita ut quisque conventus Cardinales, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, Magistros, Doctores, & inferioris viros Ordinis contineret. Quemque Conventum Magistratus suos habere, Præsidentem, Promotorem, Scribam, Apparitorem sive Nuncium. Præsidentis Magistratum menstruum esse: alios perpetuos: loca designari, ubi deputatio ter in hebdomada conveniat, Lunæ, Mercurii & Sabbathi. Non licere conventuales juramento adstringi, ut secreta sint, quæ apud eos traduntur: sed licere unicuique conferre cæteris Concilianibus de his, quæ geruntur: Sententias tamen singulorum, cum ita Magistratibus expedire videatur sub perjurii pœna non revelandas. Duodecim Virorum Collegium, quorum Magistratus menstruus erit, ex quatuor Conventibus institui, ternos ex singulo quoque conventu: finito mense, cum alii subrogandi sunt, quatuor ex antiquis remanere, qui octo de novo subrogatos instruant. Hos etiam ter in hebdomada convenire oportere: aliis tamen horis quosque quatuor Conventus;

ventus; quorum officium esse, negotia ad Conventus referenda prius discutere, eaque vel respuere, vel ad hunc, vel illum Conventum remittere, ut res exigit, si (†) Præsidentem singulis mensibus inter se constituent. Hujus Collegii Præsidenti potestatem esse, quatuor Conventus advocare, cum opus fuerit. Si quispiam Conventus, aut vir singularis, Collegio duodecim virorum, aliquid pro utilitate publica revelaverit, sub jurisjurandi religione occultum ejus nomen teneri, si id revelans exegerit. De his, quæ in Conventibus primum proponentur, nihil ea die decerni, nisi urgeat necessitas, sed ad aliam reservari. Ut interim quisque de re statuenda consultius posset deliberare. Nemini licere sententiam dicere in Conventibus, nisi super re a Præsidente proposita: si quid aliud proposuerit, ea die nihil omnino de ea re agatur, sed ad alium Conventum differretur, nisi forte aliter præsidenti expedire videatur. Quemlibet tamen, antequam inter Patres Concilii conscribatur, juramento obligandum, quod sententias libere & secundum Deum, & pro utilitate tantum publica feret; statuta communi consilio in uno ex Conventibus ad alios tres Conventus per unum aliquem deferri cum causis, quæ ita statuere suaserunt. Si vero duæ sint variæ sententiæ, quamvis altera alteram numero superet, deferri per duos ex unaquaque opinione cum argumentis utriusque, (*) & omnium judiciis cognitis, quid optimum sit, decerni possit. Primo tamen illum Conventum consuli oportere, ad quem res ipsa spectat, de qua agitur in Generali Conventu: Præsidentem Concilii nihil ad Patres referre, nisi quod primum a quatuor Conventibus sit deliberatum, aut saltem a duobus, nisi aliquid immerserit novi, quod differri non possit. Singulis sextis feriis Generalem Conventum haberi. Quod si is dies impeditus fuerit, transferri ad sequentem diem: Præsidentem Concilii tabellam habere, in qua per ordinem annotata sint, quæ in Generali Conventu sunt pertractanda, & à gravioribus semper sit incipiendum. In sententiis dicendis non reiteranda, quæ jam a primis sunt dicta, sed in illorum sententias pedibus eundum; nisi qui addere, demere, seu aliquid omnino afferre voluerint; Si in concione (**) aliquid super re proposita dixerint, se velle maturius rem domi considerare, differendum ad aliam concionem. Pridie, quam Generalis Conventus habeatur, quatuor Deputationum Præfectos, Præsidentem Concilii adire oportere, & in suis Conventibus meditata, aut Decreta aperire: in quibus, si omnes communi consensu, aut tres saltem Conventus consentiant, posse de illis ad Concilium referri. Licebit tamen unicuique alterius sententiæ ante relationem profiteri, quid sentiat, & cur aliter sentiat. Quod si videbit aliorum animos movere, poterit res differri, & rursus de ea in quatuor Conventibus agi: sin minus, tribus Conventibus adstipulantibus ad Concilium referetur. Conciliares omnes ad suos Conventus per proprios Magistratus convocandos summa diligentia, ita ut nullus negligatur: qui autem statuta hora non adfuerint, aut non dimisso Conventu sine Præsidentis venia discesserint, Præsidentis arbitrio mulctandos. Idem agendum in Conventibus & Sessionibus publicis contra eos, qui non venerint, vel supplicationibus, & rerum Divinarum celebrationibus non interfuerint. Antequam Conventus publici, seu particulares dimittantur, per Scribas Conventus palam recitanda omnia meditata, sive decreta in concione. Et si quid per Scribas erratum esset, illico emendandum. Episcopos, Abbates, inferioris ordinis viros, sive eorum Oratores, sine bona venia Præsidentis Concilii, & quatuor Deputationum, e Concilio recedere non oportere. Si duo ex Præsidentibus Conventuum cum generali Præsidente concurrant, satis esse ad commeatum concedendum. Inferiores Abbatibus, a suo Conventu, & ejus Præsidente satis sit veniam impetrasse. Quatuor viros eligi oportere, a singulis Conventibus unum, qui orationum inter Sacra agendarum curam gerant; easque viris idoneis demandent, auscultentque, antequam agantur; ne quid inepti, aut absurdi in tanto consessu proferatur. præterea ut Patres Divino numini acceptiores, probabilioresque hominibus, quibus leges laturi erant, merito fierent; utque non solum verbo,

[†] *forte*: ipsi (*) *forsan*: ut (**) *forte*: aliqui

verbo, sed etiam exemplo ad bene, recteque vivendum alios hortarentur, hæc ab ipsis servanda sanxerunt. Unumquemque conciliarem vitam agere oportere castam, quietam, ac omni labe mundam; ita ut exemplo Christianis omnibus esse possit. Sacerdotes sæpe rem Divinam facere, alios sæpe confiteri: in supplicationibus, piisque eleemosynis frequentes esse. Singulis cunctis feriis ad impetrandum Spiritum Sanctum publice & privatim Divina celebrari. Oblationes Deo inter Missarum solemnia fieri; orandamque assiduo Divinam Clementiam pro pace & unione Ecclesiæ. Conventus omnes, atque Collegia, antequam tractare aliquid incipiant, rei Divinæ communiter interesse, quæ in loco suæ concionis celebretur. Interea tacitos contemplationi intentos esse. Sexta feria omnes jejunent: qui id non poterit, eleemosynis satisfaciendum. In cibo & potu modestia, sobrietateque semper utendum: pretiositatem, multitudinem, varietatemque epularum vitandam. Inter edendum secundum statuta Toletani Concilii semper aliquid ex sacris libris audiendum, mensamque benedicendam, & sumpto cibo gratias Deo agendum. Sodalitia, consortiaque turpia fugienda, & mulierum contubernia consuetudoque omnis vitanda. Detractione, murmuratione, contentione pertinaci, jurgiis, ac illiberali scurrilitate abstinendum. In via cum modestia & gravitate incedendum; Choreas, ludos, ac publica spectacula non adeunda; Vestibus utendum modestis, secundum Canonum Sacrorum instituta, talaribus, non apertis, non sericeis, non variatis, neque limbis pelliceis ullo modo ornatis: colore vero neque rubeo, neque viridi aperto. Annulos non gestandos, nisi quibus ex lege licet, & illi unico contenti erunt. Aurum, argentumque singulis non addendum. Caligis soleatis non utendum. Tonsuram, quam coronam dicunt, pro gradus condecentia tondendam. Capillosque, qui aures non tegant. Equorum mularumve fræna, phalerasque nullo auro, argento, serico, coloreve rubeo, seu viridi ornanda, neque calcaribus deauratis, nec argenteis utendum. In familiis Prælatorum temperamentum modumque servandum, numero, ornatu, moribus, habituque: anteambulones Cardinalium, quos Scutiferos vocant, supra decem non præmittendos: Patriarchis octo, Archi-Episcopis sex, Episcopis quatuor. Sic vestibus, supra genu non utantur; non diversi coloribus, non arte laceris, aut pictis acu, coloreve, non ornatis auro, argentove: monilia, torques, catenulasve ad collum non ferant, gladio, nisi forte palmari, non accingantur. Alea non ludant, aves venaticas ante Dominos non deferant, modestiaque in omnibus utantur; ut sacrorum Sacerdotum, non autem sæcularium Principum familiæ videantur. Sacris initiatos, aut Sacerdotia obtinentes, Clericorum habitum gerere oportere. Religiosos vero ac Monachos habitum sui Ordinis; Religiosos Monachos, sive Mendicantes, cum primum ad Concilium veniunt, Prælatis suis sistendos, qui non paruerint, carceri mancipandos. In concionibus publicis & privatis modeste loquendum, neminem conviciis, aut maledictis taxandum. Sententias libere, & ad publicam tantum utilitatem secundum præstitum juramentum proferendas. Silentium servandum, audiendumque concionantem benigne & attente. Charitatem, pacem, & unitatem cum omnibus servanda. Patrum privatas sententias non revelandas: & ita agendum, ut Sanctorum Patrum veri imitatores merito nuncupari possint. Præsidentes crebro hæc in concionibus publicis & privatis recenseri curent, denique operam Magistratus, ut omnia diligenter serventur. Acta sunt hæc in Generali Congregatione, usque ad VIII. Idus Novembris anni MCCCCXXXII.

XVII.

SESSIO SEPTIMA.

Pontificis Electionem in Concilio esse faciendam.

Nec multo post septima Sessio publice celebrata est, & Decretum, si contigerit Eugenium mori, durante Concilio Basileensi, de electione Summi Pontificis in Concilio facienda post sexaginta dies innovatum: additumque, si Cardinales contra fecerint; illorum Sacerdotia omnia illico vacare, omnique dignitate

nitate, & Ecclesiastico censu privatos esse: licereque Ordinariis, quæ illi tenuerant, alteri conferre.

XVIII.

SESSIO OCTAVA.

Prorogatur terminus Eugenio ad sexaginta dies.

Ad XV. deinde Kalendarum Januarii in Octava publica Sessione solemni ritu statutum est, terminum, Eugenio Pontifici perscriptum, intra quod dissolutionem Concilii Basileensis, & convocationem Bononiensis Synodi abrogare mandabatur, ad sexaginta dies prorogari. Quod si juxta hoc tempus non paruerit, neque plene Concilio adhæserit, ex lege contra illum agendum, ut Spiritus Sanctus inspiraverit. Cardinalibus præterea, & cæteris Prælatis, omnibusque Curiam Romanam sequentibus, sub pœna privationis omnium beneficiorum, officiorumque, & dignitatum mandatum, ut intra viginti dies, sexaginta prædictos proxime sequentes, ab obsequiis & curia Eugenii Concilio non obtemperantis discedant: seque, qui ex lege tenentur, quam primum conferant Basileam ad Concilium Generale. Alii autem vel petant Concilium, si velint, vel ad Sacerdotia sua divertantur. Decretum est, durante Concilio Basiliensi nemini licere, neque Pontifici Romano, neque etiam Cæsari aliud Concilium convocare, sive celebrare. Accedentes ad quemquam locum sub nomine Generalis Concilii, schismaticos habendos, privatosque censeri omni dignitate, & Sacerdotio. Statutum etiam, ne quis Sacerdotia Conciliarium impetrare possit: neque ea etiam a Romano Pontifice ultro oblata accipere. Transgressores, ut schismaticos mulctandos; prohibitum quoque, ne liceat Pontifici Maximo Romanæ Ecclesiæ agrum minuere, sive ejus partem quoquo modo alienare. Audiverant enim Patres, Eugenium oppida aliqua Ecclesiæ ad emendos Principum favores vendere statuisse. Hæc ubi firmata sunt, ejus diei Sessio dissoluta est.

XIX.

SESSIO NONA.

Eugenii sententiæ contra Conciliares revocantur.

Celebratur paulo post alia Sessio, nona numero, XI. Kalend. Februarii, anno salutis MCCCCXXXIII. In qua processus & sententiæ omnes latæ, seu ferendæ per Eugenium Pontificem contra Sigismundum Cæsarem, vel Wilhelmum Ducem Bavariæ, Concilii defensorem a Cæsare institutum, aliosve quoscunque Concilii sequaces, irritæ & vanæ decernuntur, prohibeturque omnibus Christicolis, ne quis in ea re Eugenio pareat.

XX.

SESSIO DECIMA.

Accusatur contumacia Eugenii Pontificis.

Post quindecim dies, decima Sessio celebrata est: in qua confirmatur Decretum in octava Sessione editum; quod provisiones Ecclesiarum Cathedralium, & omnium Beneficiorum per Pontificem Eugenium fictæ in favorem dissolutionis Concilii sint nullæ & inanes: quodque judicium, an ob eam rem factæ sint, ad Concilium pertineat. Accusatur deinde contumacia Eugenii Pontificis per Promotores Concilii: & instanter petitur declarari, judicarique contumax; missis duobus Episcopis ad portas Ecclesiæ, ad requirendum, an Eugenius Pontifex adesset, aut quispiam alius pro eo. Cum nemo compareret, commissum est quibusdam Prælatis, ut processum rei diligenter considerarent, & omnia deinde Patribus referrent in prima Sessione.

XXI.

Tractatus concordiæ inter Eugenium Pontificem & Concilium Basileense.

Inter hæc varii tractatus habentur pro rebus componendis inter Eugenium Pontificem, & Patres Concilii. Julianus Cardinalis, Legatus Apostolicus, longissimis literis hortatus Eugenium, ut dissolutionem

nem Concilii tollat, tantam occaſionem reconciliandorum Bohemorum non ſpernat. Ipſe Concilium petat, adminiſtrationem agri Eccleſiæ Romanæ Vicariis credat: ſi non poteſt, bonam partem Sacri Senatus mittat. Probat multis argumentis Concilium Baſileæ legitime conveniſſe; nec poſſe a Pontificibus diſſolvi invitis Patribus: dicit ſe juſte potuiſſe convocare Prælatos ad Concilium, & non feciſſe præter commiſſionem, ſed ex officio; cum oporteat judicem reos ad judicium vocare, antequam damnentur: abrogandam igitur diſſolutionem Concilii, ſi ſeditiones & mala infinita velit evitare. Sigismundus Cæſar per Legatos ſuos idem monet: Bohemos nulla alia via, niſi per Concilium Baſileenſe reduci poſſe, neque melius conſuli ſaluti fidelium, paci, & quieti Eccleſiæ Dei, quam per revocationem diſſolutionis Concilii Baſileenſis. Græcorum unionem non tanti eſſe, ut propter eam Bohemi ſint ſpernendi; Græcos annis infinitis in ſua opinione perduraſſe, & ſibi tantum damno eſſe, neque timendum, ut aliquid ab eis innovetur. Non eſſe periculum, in prorogando tractatu in eis. Cum Bohemis autem moram omnem eſſe perniciosſam: ſævire Bohemiæ virus circa præcordia, omniaque circumcirca venenoſis opinionibus inficere, cæde, ferro, ignique omnia vaſtare: Fore, ſi nunc Concilium diſſolvatur, ad quod vocati non inviti veniunt, ut ſibi illuſum putent; aut noſtros ab eorum facie fugiſſe, quod eorum opinionibus reſpondere non potuerint, vicinosque hac occaſione quam plures in illorum ſententias tranſituros, & jam nonnullos incepiſſe, ut Magdeburgenſes, Wormatienſes, Bambergenſes, Patavienſes, & alios plerosque, qui contra Clerum ſuum inſurrexerunt. Proinde orare, monere, hortari, ut Concilium eſſe ſinat, illique omni ſtudio faveat. Quod ſi non fecerit, ſciat Cæſarem Concilii auctoritatem, quam ita expedire Reipublicæ Chriſtianæ putet, pro viribus defenſurum.

XXII.

Reſponſum Eugenii Pontificis.

Ad hæc reſpondit Pontifex, Cæſarem oportere Romani Pontificis, & Sanctorum Conciliorum Decreta reverenter ſuſcipere, & ea implere; non autem de illis judicare, quorum judicium ad Sedem Apoſtolicam tantum ſpectet. Ebredunenſis Archi-Epiſcopus, Cæſaris nomine Eugenium adit, multaque de concordia agit: conſcribuntur conditiones quædam, quæ ad Patres per Cæſarem miſſæ non recipiuntur.

XXIII.

Legatio Bohemorum ad Concilium.

Bohemorum Legati interim Baſileam ingrediuntur ad quartum idus Januarii, ſuſceptique ſunt a Patribus magna lætitia: & Julianus Cardinalis Legatus orationem habuit luculentiſſimam, aptiſſimamque ad concordiam & amicitiam. Erant Bohemorum Legati admodum duodecim, ex nobilitate, Sacerdotio, & plebe pari numero. Inter hos (*) Rochezana hæreſiarcha, qui etiam Legatione Univerſitatis Pragenſis fungebatur. Diſſenſionum capita, quibus ab univerſali Eccleſia diſſident, quatuor erant, quæ ipſi ſanctiſſimas veritates ſuæ genti pro ſalute fidelium revelatas aſſeverabant. Primum erat, Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & vini omnibus Chriſti fidelibus adminiſtrandum. Alterum, Verbum Dei libere, & ſine impedimento ordinate a Sacerdotibus prædicandum. Tertium, Clero non licere bonis Eccleſiæ donatis civiliter dominari. Poſtremo, omnia peccata mortalia, publica præſertim, & ordinationes Legi Dei contrarias in quolibet ſtatu rite, & rationabiliter per eos, ad quos ſpectet, prohibendas, ac deſtruendas.

XXIV.

Defenſio Eugenii Pontificis per Legatos.

Legati deinde Eugenii Pontificis ſub fide publica Baſileam petunt: Johannes Mella Protonotarius Apoſtolicus, & Epiſcopus Cervienſis, ac duo Abbates. Ii ad VIII. circiter idus Martii in magno Patrum conſeſſu, data copia fandi legationem ſuam expoſuerunt in hanc ſententiam ferme: Eugenium Pontificem Maximum, Eccleſiæ univerſalis Caput & Rectorem, JESU Chriſti Vicarium, & verum

(*) Rockyſana.

rum Beati Petri Succeſſorem, de plenitudine poteſtatis legitime potuiſſe Concilium Baſileenſe diſſolvere, & transferre: neque propterea Sanctionibus Conſtantienſis Concilii, ut multi falſo calumniantur, (quas tamen niſi ad fidem tantum ſpectent, Romanum Pontificem & moderari, & omnino tollere poſſe manifeſtum eſt,) contraveniſſe: quod etſi multis auctoritatibus & rationibus aſſeruiſſent, hoc tamen uno argumento rem comprobare annixi ſunt. Decretum de Conciliis præſcripto tempore celebrandis communi conſilio Patrum ſancitum fuisſe: illud tacito etiam conſenſu omnium abrogatum videri, quoniam ſtatuto tempore Patres non affuerint, quos ſine vocatione adeſſe oportebat. Non igitur Eugenium, ſed Eccleſiam, Conſtantienſe Decretum antiquaſſe. Placere tamen Eugenio pacis & concordiæ cupido, pro quiete populorum, pro civium ſuarum conſolatione aliquid etiam de jure ſuo cedere; Patribusque, quantum cum DEO, & honore Sedis Apoſtolicæ liceat, gerere morem. Orare tamen Patres (ſi fieri poteſt) ut translationem Concilii ad Civitatem Bononienſem æquo animo ferant, quam Pontifex pro utilitate tantum Reipublicæ Chriſtianæ, & ad nullius injuriam fecerit. In quo loco non ſine magno univerſalis Eccleſiæ commodo, & honore (ut ſperat) tum tota curia Romana, & Germanica Eccleſia cupit intereſſe. Polliceri Eugenium Decreta omnia per eum contra Patres publice,& privatim promulgata quamprimum abrogare; ſi & ipſi ſua in Pontificem,& ſuos edita revocent. Si Bohemi Bononiam petere recuſent, concedere Eugenium, ut Baſileæ Patres Concilii nomine inter præſcribendum tempus cum eis agant: & ſi interim de reconciliandis Principum animis agere velint, Pontificem laudaturum, dummodo elapſo termino Bononiam ad Concilium quamprimum ſe conferant. Quod ſi Bononia pro loco Concilii omnino non placet, indulgere Eugenium, ut locus alius per Patres,& Legatos ſuos eligatur in Italia, præſcriptis legibus, ubi Concilium celebretur, vel inceptum Baſileæ abſolvatur. Si vero hæc Pontificis poſtulata æqua non videantur, placere Eugenio, ut Prælati duodecim e numero Patrum eligantur, neutri parti ſuſpecti, qui ſimul cum Legatis Electorum Imperii, Regum, & Principum de his cognoſcant; & ſi judicaverint Concilium in Germania omnino eſſe oportere, placere, ut a ſuis Legatis cum conſilio Patrum locus alius propinquus, ſive remotus a Baſilea, pro Concilio Generali eligatur; ubi de univerſali cenſura,ac inſtauratione morum Chriſtiani populi agi poſſit. De reconciliatione autem Bohemorum & procuratione pacis agi poſſe in Concilio Baſileenſi, ut dictum eſt. Quod ſi Pontifex emendationem, ac cenſuram morum univerſalis Eccleſiæ fieri cupit in loco communi conſilio deligendo, non videri a ratione alienum: cum huic cenſuræ non modo curia, ſed ipſe perſonam ſuam ſubeſſe velit: ea tamen lege, ut nihil aliud decerni a Concilio poſſit, niſi adſit numerus ſeptuaginta Epiſcoporum. Non enim juſtum videri, ut minor Prælatorum numerus legem præſcribat toti Eccleſiæ. Placere etiam,ut nova Prælatorum convocatio fiat ad Concilium in loco deligendo celebrandum, ſive malint continuandum, nomine Romani Pontificis, & Sacri Concilii ad certum tempus: Interim vero Baſileæ a Concilio vacare rebus Bohemicis, & paci univerſali. Rogare igitur Pontificem Maximum, obſecrare, atque obteſtari Patres per viſcera miſericordiæ JESU Chriſti, ut dimiſſis contentionibus atque diſcordiis has leges, quæ ex juſto & æquo conſcriptæ ſunt, ſuſcipere velint; neque permittant, ut qui pro aliorum reconciliatione, unione, & cenſura conveniſſe ſe dicunt, diſcidia, contentiones, & confuſiones fovere videantur. Hæc ad VIII. idus Martii acta ſunt, anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo trigeſimo tertio.

XXV.

SESSIO UNDECIMA.

Ad IV. deinde Kalendas Maji undecima Seſſio habetur, in qua publice decernitur, Romanum Pontificem oportere ſemper Conciliis Generalibus intereſſe per ſe, vel per Legatum Apoſtolicum duarum partium Sacri Senatus ſuffragiis deſignatum: oportereque omnes Prælatos, qui ſecundum Sanctorum Patrum inſtituta Sacris Conciliis intereſſe coguntur, ſine alia vocatione Concilium legitime indictum adire

adire; quod si neglexerint, post quatuor menses a die indicti Concilii, administratio omnium dignitatum & officiorum eis sit interdicta, & administratio pro tunc Romani Pontificatus Generali Concilio cedit. Si vero per alios duos menses in contumacia perseveraverint, etiam Romanus Pontifex, a Concilio Magistratibus, ac Sacerdotiis abrogentur: licere unicuique per Sanctorum Patrum constitutiones obnoxio Concilia Generalia adire, etiam prohibente Romano Pontifice: & præsertim Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quibus veniam Concilii petendi Pontifici negare potestas non sit. Nemini omnino licere, neque etiam Summo Pontifici Concilium rite congregatum prorogare, transferre, dissolvere, nisi de communi consilio Patrum, quod per duas partes singulorum Conventuum, deinde Generalis Congregationis, postremoque publicæ Sessionis debeat approbari. Decretum Constantiensis Synodi de Conciliis celebrandis singulis decenniis, declarat ita intelligendum, ut finito decennio quamprimum facultatem esse Concilium aliud celebrandi. Quod si in ipso principio alterius decennii Patres non adfuerint, non propterea auferri Patribus facultatem conveniendi ad Concilium, sed curandum, ut quamprimum conveniant. Romanum Pontificem, sive ejus Legatum, Archi-Episcopum Provinciæ, ac Prælatos, a loco nominato intra quatuor dierum iter commorantes, ante viginti dies tempus inchoandi Concilii prævenire oportere, atque ibi ea, quæ ad Concilii celebrationem spectant parare. Die deinde præscripto rem Divinam facere, Spiritus Sancti illuminationem postulantes, & Concilium rite inchoare. Non tamen licere Patribus quidquam ardui statuere, nisi condecens Prælatorum numerus adsit: si autem locus pro Concilio nominatus bello, peste, seu aliis gravibus molestiis secundum Decreta Concilii Constantiensis impeditus esset; & Pontifex de consilio Sacri Senatus alium locum legitime non mutaret; licere Sacro Senatui locum ipsum nominare, si duæ Senatus partes convenerint, (*) juraverint prius, se id pro utilitate Reipublicæ, & ex causis legitimis agere: quemlibet ex Electoribus Summi Pontificis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ante electionem, cum celebranda erit, jurejurando promittere oportere, omnia hæc observare sine dolo malo, si ad Pontificatum eligatur: & electus idem promittat, idque mox publice profiteatur. Pontificem Romanum hujus Decreti prævaricatorem, seu publico, ac notorio crimine Ecclesiam perturbantem, judicio Generalis Concilii emendandum. Hanc professionem in literis assumptionis Summi Pontificis inscribendam: prohibitiones & mandata per Eugenium Pontificem, aut quemlibet alium quibusvis facta, ne Concilium Basileense petant, nulla & irrita esse.

(*) *forte:* & juraverint.

XXVI.

Coronatio Sigismundi Cæsaris.

Inter hæc Sigismundus Cæsar, cum Senis in Tuscia esset, Oratores suos Maticonem Comitem, & Gasparem Slichium Cancellarium suum Romam ad Eugenium mittit: per quos conditionibus quibusdam hinc inde susceptis, statuta est dies circa idus Junias, qua Cæsar a Pontifice Maximo coronari deberet. Et Cæsar quidem, ut convenerat, cum domestica familia tantum, Romam petiit, juramenta consueta præstitit; & per se, & per Legatos privilegia donationum agri Ecclesiæ confirmavit, atque instauravit. Juravit in verba Eugenii Pontificis: & Coronationis Sacris rite peractis Senas reversus est, anno salutis millesimo, quadringentesimo trigesimo tertio. Carolus autem Rex Franciæ per ea tempora Legatos suos viros primarios Basileam ad Concilium misit.

XXVII.

Defensio Curialium Eugenii Pontificis, & contestatio inter Legatos Avenionenses.

Eugenius vero, cum sui Curiales quotidie novis Basileensibus edictis terrerentur, publico Decreto statuit, non licere ordinariis, aut aliis quibuscumque, curiales in Sacerdotiis aut officiis suis aliquo modo molestare, privare, sive censuris, pœnisve mulctare: contra facientes extra sacra posuit, & eorum gesta irrita

rita fecit. Præfecturam Avenionensis urbis, & Comitatus Venaissini, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, demandaverat Eugenius Pontifex Petro de Fuxo, Cardinali Episcopo Albanensi: Patres in ejus odium annitentibus Provincialibus, antequam Petrus Magistratum iniret, illo abrogato, Alphonsum Cardinalem Sancti Eustachii in Provinciam miserant, Petrus autem cum Fratribus suis viris nobilitate & potentia claris, & plerisque ejus Regionis Episcopis, ac Proceribus bellum Alphonso, & Avenioni infert. Basileenses contra hunc & ejus socios censuris Ecclesiasticis agunt, eisque sacra interdicunt.

XXVIII.

Concordia Eugenii cum Concilio.

Instante per Legatos Sigismundo Cæsare paulo ante, & Electoribus Imperii adnitentibus; Eugenius Pontifex ad XVI. Kalend. Martii publico edicto tandem decrevit, Concilium Generale Basileæ per Legatos Apostolicos illuc transmittendos, celebrandum esse. Interim placere, ut Patres illic congregati reductioni Bohemorum, & paci universali inter Christianos operam darent: mandatque omnibus, quos secundum majorum Decreta Conciliis interesse oporteret, ut intra trimestre Basileam ad Concilium Generale petant. Tum ad ipsas Kalendas Martias Legatos ad Concilium, (de latere vocant) Cardinales quatuor designat, qui suo & Apostolicæ Sedis nomine Concilio præsint; Jordanum Ursinum Episcopum Sabinensem, Petrum de Fuxo Episcopum Albanensem, Nicolaum Sanctæ Crucis, & Angelottum Sancti Marci, Presbyteros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Hos jubet, ut simul cum Patribus intendant exstirpationi hæresum, paci & quieti populi Christiani, augmento, & honori, & commodo Catholicæ fidei, & Christianæ Reipublicæ, censuræ, ac reformationi totius Cleri, & Ecclesiastici status, unioni Orientalis Ecclesiæ, conservationi Romanæ Sedis, & Ecclesiasticæ libertatis, cum plena potestate de omnibus statuendi, & decernendi cum consilio Patrum Concilii. Sed cum propter adventum Sigismundi Cæsaris, qui Romam suscipiendæ Imperialis Coronæ gratia properabat, designati Legati Basileam petere tunc non possent, ne Concilium frustra sedere videretur, statuit Pontifex, ut Johannes Molla, Protonotarius, cum Archi-Episcopo Tarentino, & aliis Collegis suis, quos prius Basileam legaverat, quoad Legati Cardinales venirent, illorum subirent vices, ipsique absentium legatione fungerentur. Patribus vero in Concilio Basileæ congregatis mandat, ut illos ad præsidentiam admittant, honorentque ut Sedis Apostolicæ Legatos; & summis affectibus hortatur ad rerum prosecutionem cum charitate, & pace pro salute Reipublicæ Christianæ, & Divini nominis honore & gloria. Postremo addit aliis suis Legatis Julianum Cæsarinum Cardinalem Sancti Angeli, qui nunc Basileæ erat, jubetque cum aliis præsidere.

XXIX.

Refutatio concordiæ per Basileenses.

Ad octavo idus Majas anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, his Basileæ acceptis, diu multumque super conditionibus, singulisque verbis literarum Apostolicarum a Patribus consultatum est: tandem communi consilio in hanc sententiam responsum: Sacrum Concilium Basileense, cum semper sperasset, Eugenium longa Patrum tolerantia, ac mansuetudine delinitum iri, ac jam tandem a vexatione Synodi cessaturum, abrogaturumque perniciosam populo Christiano dissolutionem, & Concilio integre se conjuncturum; nunc non sine magno animi dolore aperte cognoscere obstinatam illius mentem, & genuinum in Sanctam Synodum odium: qui toties rogatus, toties interpellatus, etiam summorum Principum precibus, & totius Ecclesiæ, toties legitime requisitus ac monitus, pestiferam dissolutionem non revocaverit: sed nullo modo in delatis per Oratores suos conditionibus, Concilium esse voluit. In literis autem, ac Decreto ad decimo sextum Kalend. Martii editis, etsi Basileæ per Legatos suos certis conditionibus celebrari velit, non tamen profitetur Concilium hactenus Basileæ fuisse, sed celebrandum statuit, neque dis-

solutionem injuste factam revocat. Proinde Eugenium non paruisse monito & mandatis Ecclesiæ, ut par erat: & propterea Patres non posse suscipere conditiones oblatas, aut Decretum de novo Concilio Basileæ celebrando, sive Legatos ad Concilii præsidentiam: quoniam facere viderentur Basileæ Concilium hactenus legitime non fuisse, ac se fuisse schismaticos ac rebelles, qui temere & sine auctoritate convenissent. Quod autem Legatis suis det auctoritatem præsidendi in Concilio, & omnia statuendi, ac decernendi cum consilio Patrum; hoc ferri nullo modo posse: quia si Patres consulendi tantum potestatem haberent, possent Legati etiam contra Patrum consilia decernere. Statuere autem, ac decernere in Concilio, proprie ad Patres spectare, ad Pontificem autem Romanum laudare & consulere. Præterea non dari potestatem Legatis, agendi de emendatione, ac reformatione capitis Ecclesiæ: sine qua ne cætera quidem membra recte curari possunt. Collusionis igitur hæc esse manifesta judicia (*) non reconciliationis. Profiteatur Pontifex, Concilium Basileæ esse, & hactenus fuisse, ejus Decreta probet, ac suscipiat: dissolutionem revocet, uniat se Ecclesiæ, ut tenetur: inventurum Sanctam Synodum Basileensem nihil prætermissuram ex his, quæ ad honorem, augmentum, & reverentiam suæ Sanctitatis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinent. Quod si in sua pertinacia perseveraverit, Patres daturos operam, ne quid detrimenti Ecclesia Dei, pro cujus defensione vitam profundere statuerent, ob ejus contumaciam patiatur. Per hæc tempora Legati Johannis Regis Cypri, & Philippi Burgundorum Ducis, Concilium petiverunt, ut nomine Dominorum suorum Reipublicæ interessent: & pax Italiæ, quæ multo tempore fuerat agitata, tandem confecta est ad VI. Kalendas Martias ejusdem anni.

XXX.

SESSIO DUODECIMA.

Prorogatur terminus Eugenio.

Ad III. deinde Idus Julii Sessio XII. publice celebratur, qua Patres cum dies Eugenio bis præscripta ad quartum primo, tum ad tertium mensem, ut dissolutionem revocaret, Concilioque Basileensi integre consentiret, jam pertransisset, & ipse illorum monitis non pareret, iterum precibus Sigismundi Cæsaris coacti terminum ipsum ad sexaginta alios dies prorogant: statuuntque, nisi præfixo tempore Eugenius dissolutionem revocaverit, profiteatur Basileæ Concilium legitime convenisse, & hactenus legitime sedere; oportereque ad finem usque gerendarum rerum perseverare, & illi integre pleneque se conjunxerit: ut absque alio Decreto, aliaque monitione suspensus sit ab omni administratione, seu jurisdictione Summi Pontificatus: ipsiusque Romanæ Ecclesiæ administratio plene, atque integre ad Concilium spectet: & quidquid post id tempus egerit, statueritve Eugenius, irritum esse ac vanum; Mandat Curialibus omnibus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ut eo termino elapso, nisi Eugenius interim paruerit, a Romana curia statim intra viginti dies discedant, petantque Concilium, qui Conciliis interesse ex lege obnoxii sunt: alii autem ad sua quique municipia divertant. Non obtemperantes Sacerdotiis, dignitatibus, muneribusque omnibus privant, lites præterea, causas omnes, omniaque judicia ad se advocant: inhibentque curiæ judicibus omnibus post ipsum terminum omnem jurisdictionem, & gerenda omnia per eos irritant, & nulla faciunt. Tum ut Electiones Prælatorum, Ecclesiarum, & Monasteriorum rite fiant, hæc statuunt: Electiones Ecclesiarum, ac Monasteriorum secundum Patrum antiqua instituta per Collegia legitime fiant. Neque liceat Romano Pontifici, Ecclesiis, ac dignitatibus, quibus per electionem provideri fas est, aliter providere, nisi urgens & legitima instet causa, quæ in literis Apostolicis exprimatur. Ordinatio tamen Ecclesiarum, ac Sacerdotum in Imperio Romanæ Ecclesiæ plene ad Pontificem spectet. Quod Decretum integre servare, Romani Pontifices in electione jurabunt. Electores Prælatorum, antequam ad electionem conveniant, rem Divinam solemni faciant ritu, in qua Spiritus Sancti efflagitent inspirationem. Tum scelera & peccata per confessionem & Sacræ Eucharistiæ perceptionem expient: & demum, ubi Sacra-

[*] *forte:* indicia.

cramento se adstrinxerint, electionem se facturos secundum Deum, & pro Ecclesiæ honore & commodo; neque ullo pacto in eos consensuros, qui per corruptiones, aut sordes id ambierint, ad electionem Canonice faciendam procedant. Electio fiat in virum legitimæ ætatis, doctrina, & probitate clarum, & secundum majorum Decreta idoneum. Electiones præter has leges non rite factas, aut per simoniacam labem, irritas esse & nullas; Electores extra sacra positos, & jure eligendi privatos. Perperam electos non prius posse absolvi, quam Ecclesias, quas sortiti per sordes fuerant, libere dimittant. Nemini licere, etsi Principes sint cujuscumque dignitatis, ad aliorum preces cujuspiam electionem apud Collegia procurare. Neque licere ipsis Electoribus cuipiam in eligendo gerere morem; sed oportere ipsas electiones liberas esse, & omnino voluntarias. Archi Præsules, aut alii, ad quos Prælatorum confirmatio spectat, summa diligentia electiones examinent; & pro meritis legitime vel approbent, vel infringant; neque quidquam ad confirmationem accipiant. Scribis pro labore tantum modeste satisfiat. Prævaricatores hujus legis jure confirmationis careant, subjicianturque anathemati; a quo, nisi a Romano Pontifice non absolvantur; & confirmatio per sordes facta omnino nulla sit; sed neque ipsi Romano Pontifici licere quidquam pro confirmatione exigere. Daturum namque operam Sacrum Concilium, ut commoditati, necessitatique Pontificis & Cardinalium opportune consulatur. Quod si non fecerit, nolle hoc Decretum Romanæ Ecclesiæ præjudicare: & sic finis datus est huic Sessioni.

XXXI.

SESSIO DECIMA TERTIA.

Prorogatur terminus Eugenio ad triginta dies.

Habita deinde est decima tertia Sessio Idibus Septembris: in qua rogante per suos Legatos Sigismundo Cæsare, terminus Eugenio prorogatus est ad triginta dies, supra sexaginta præscriptos iisdem legibus: promisitque Cæsar se prorogationem ultra non petiturum: & si interea temporis Eugenius Concilio non satisfecerit, se omnia executurum, quæ Patres decreverint. Decretum est, non licere Pontifici Romano aliquo pacto contra Conciliares, cujuscunque status, aut gradus sint, quidquam agere; dignitatibus, Sacerdotiis, muneribusve privare, excommunicare, mulctare, seu quocunque modo damnare: privationes, pœnas, mulctas, censurasve a die dissolutionis per Eugenium factæ nullas esse, atque vanas.

XXXII.

Pontifex revocat omnia gesta Basileensia.

At Eugenius Pontifex his cognitis, asserens Basileæ congregatos omnia inique, omnia temere, aut variis passionibus affectos agere atque statuere; & non reformationem, quam prædicant Ecclesiæ, sed deformationem; non unitatem fidelium, sed scissuram; non pacem Christiani populi, sed bella & discordias in Ecclesia Dei assiduo procurare; & hæreses non modo veteres, ut jactitant, non exstirpare, sed novas indies nutrire, ac fovere; de plenitudine potestatis Apostolici Pontificatus, Sacro Cardinalium Senatu comprobante, gesta, acta, dicta, Decretaque omnia contra Romanum Pontificem, Apostolicæ Sedis auctoritatem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, seu quemlibet ex Curialibus Romanæ curiæ sancita, & omnia alia per illos statuta, quæ non pertinent directe ad illa tria, pro quibus Concilium fuit congregatum, & de quibus per literas Apostolicas facultas non datur, publico Decreto revocat, irritat, & annullat: & expresse Decretum illud, quo jubent (*) Cardinales, aliique curiales intra XX dies post terminum Pontifici assignatum, ab Eugenio & Romana Curia discedere; gravissimisque censuris illigat quoslibet, cujuscunque sunt dignitatis, Cæsareæ etiam, Regalis, seu Cardinalaris, & inferioris, si dicti decreti prætextu curiales suos quoquo modo vexare præsumpserint. Scribit præterea Pontifex ad Christiani Orbis Principes pro sua defensione in hanc ferme sententiam: Nihil magis cordi sibi semper fuisse, quam Ecclesiæ Dei unionem & pacem, & propterea se omnia egisse, & multa etiam, quæ sibi non expediebant, Basileensibus con-

(*) *lege:* jubentur

conceffiffe, ne a quibusdam Cardinalibus, qui illuc confugerant, fchifma, quod jam imminet, perniciofum fieret; fed nullo pacto placare illos potuiffe, qui fciffuram facere, & Jefu Chrifti Vicarium peffundare niterentur. Statuiffe fe in bono malum vincere, & tandem conceffiffe Bafileæ effe; non tamen iniquas mentes deftitiffe, quin omni ftudio curarent, multis confictis criminibus fe Pontificia poteftate deturbare. Proinde ne illorum falfis calumniis plebes feducantur, innocentiam fuam, & adverfariorum nequitiam ante oculos omnium ponere ftatuiffe. Objicere illos Romanum Pontificem Concilium Bafileenfe injufte diffolviffe, quod fine confenfu Concilii fibi non licebat, in fcandalum & maximam Ecclefiæ perturbationem. Ad hæc refpondere: Nunquam mentis fuæ fuiffe Concilium penitus diffolvendi, impediendique in hoc Decreta Conftantienfis & Senenfis Conciliorum, ne fieret Concilium, neve hærefum exftirpatio, cenfura morum & Chriftiani populi pacificatio procuraretur: ab initioque fui Pontificatus poteftatem dediffe Juliano Cardinali Sancti Angeli in Concilio præfidendi. Sed cum deinde per Joannem Pulcripatris, nomine eorum, qui Bafileæ erant, didiciffet, Bafileæ Prælatos non conveniffe, neque facile poffe convenire, nifi longo poft tempore, non omnino diffolviffe Concilium, fed illud Bononiam tranftuliffe, ut commodius, celerius, meliusque reipublicæ confuleret; menfes jam octo tunc effluxiffe, quo Concilium inchoari oportebat, & Epifcopos tantum tres & alios Prælatos quosdam numero non fupra decem conveniffe, Principum legationes, Profeffores Sacræ Theologiæ, five Canonici civilisque Juris nullos affuiffe, qui ardua negotia poffent difcutere: locum præterea tutum tunc minime fuiffe, tum propter Bohemorum propinquam potentiam, tum propter bella, quæ inter Philippum Burgundiæ, & Fridericum Auftriæ Duces imminebant: quibus de caufis non ut Ecclefiam perturbaret, quod obtrectatores calumniantur, Bafileenfem Synodum diffolviffe, & Bononiam tranftuliffe, quod ftatutum fuiffet ex confilio & affenfu facri Senátus, & illorum maxime Cardinalium, qui nunc Bafileam convenientes, mutationem damnant. Affuiffe & aliam caufam non contemnendam transferendi Bononiam Concilii, quod Sigismundus Cæfar tunc in Italia effet, quem fperaffet Bononiam ad celebrandum Concilium facile fecum perduci potuiffe. Quod fi per Bafileenfes licuiffet, Synodum celebratam (*) fuiffe magno numero Prælatorum, & Principum, ac fumma totius Ecclefiæ Dei auctoritate & laude. Mirari vehementer Cardinales illos, qui hæc quotidie fibi inculcabant, quique hujus translationis auctores fuere, nunc eam damnare; cum ipfi potiffimum a fe, tunc gravi morbo laborante eam mutationem extorferint; eo maxime argumento, quod in electione fua juraffe dicerent, illic Concilium celebrandum, ubi major pars Cardinalium cenferetur. Quin & licuiffe Romano Pontifici, & facro Senatui, Concilium ea caufa transferre, neminem fanæ mentis negare poffe: Non enim potuiffe Synodum Conftantienfem Romani Pontificis poteftatem, auctoritatemque arctare, quam a Chrifto Domino accepit: cum conftet, Synodum Pontifici effe inferiorem in omnibus, præter quam in his, quæ ad fidei fundamenta fpectant, & ad perturbationem manifeftam univerfalis Ecclefiæ. In cæteris autem licere Romano Pontifici Prædeceflorum fuorum, & Sacrorum Conciliorum Statuta, Decreta, & Ordinationes pro tempore, proque commoditate reipublicæ moderari, emendare, commutare, & omnia tollere, fi expedire putaverit. Contra quam opinionem qui fentiant, & Vicarii JESU Chrifti manus ligare conentur, non procul effe ab hærefi, & manifefto Sacrilegio. Diffolutionem igitur, five translationem Concilii ad hærefim non pertinere, neque ex ea univerfalem Ecclefiam potuiffe perturbari; cum non ob aliam caufam mutatio facta fit, nifi ut tractanda pro utilitate Ecclefiæ, quæ Bafileæ negligebantur, celerius, maturiusque abfolverentur. Accufare præterea Bafileenfes Romanum Pontificem, quod Sacro Concilio pure & fimpliciter non adhæreat, neque tollat perniciofam diffolutionem; cum fumma Synodus femper modeftia & manfuetudine in Pontificem fit ufa. Ad hæc, diffolutionem & mutationem Concilii non fuiffe perniciofam Ecclefiæ Dei manifeftum effe:

(*) *forte:* celebrandam.

esse: quia quæ tractari in Concilio Basileæ oportebat, & propter loci indispositionem & temporis non tractabantur, melius, celerius, commodiusque, & cum majori auctoritate potuissent tractari Bononiæ præsente Romano Pontifice, si paruissent; Ecclesiam vero non potuisse ea mutatione perturbari, quæ nulla ibi congregata erat; cum ad eam diem non ultra decem Prælatos convenissent: qui certe repræsentare universalem Ecclesiam non poterant. Mansuetudinem autem & modestiam Basileensium in se omnibus esse notam: qui contra omnia jura Divina & humana ausi essent, administrationem Summi Pontificis inrerdicere, nisi eorum insaniis auscultaverit. Persistentes vero in congregatione post translationem Concilii rite factam, sine auctoritate Apostolica Concilium non fecisse: Quamvis ipsi falso jactitent, se Synodum celebrare auctoritate Constantiensis & Senensis Conciliorum, ac Martini V. & Eugenii IV. Romanorum Pontificum: quoniam ipse auctoritates illas Conciliorum & Pontificum legitime & Canonice revocaverit. Nec Concilium ullum Generale constare posse, non suffultum auctoritate Romani Pontificis. Postulare igitur Basileenses rem indignam, sacrilegam, & hæreticam, cum exigunt a Pontifice declarari, Basileæ continuo fuisse Concilium, cum post dissolutionem Canonicam non fuerit; neque eorum gesta statutaque digna esse comprobari, quæ fere omnia contra Divina & humana jura acta sunt: & ita injusta & inepta, ut etiam, si Canonice statuta essent, irritanda reprehendendaque merito viderentur. Inaudita quippe temeritate ausos illos esse, unum ex suis complicibus Cardinalem Sancti Eustachii, Avenionensi civitati, quæ ad Romanam Ecclesiam sine contradictione spectat, præficere: quamvis Romanus Pontifex eam Provinciam alteri prius demandasset: unde bella & cædes multas esse subsecutas, quamvis adulterinus tandem Legatus sit ejectus. Romanæ Curiæ munera, atque officia omnia inter se pro eorum libidine divisisse. Præsidentes sibi ipsis statuisse, designatos a Sede Apostolica sprevisse, causarum privatarum Auditores, judicesque constituisse, quod nunquam altero Romano Pontifice Canonice sedente visum est, cum in Generalibus Conciliis rebus publicis, non privatis, sit incumbendnm: Vice-Cancellariatus officium sibi erexisse: generalia & publica Consistoria, & alia, quæ Romano tantum Pontifici attributa sunt, temere sibi præsumpsisse: omniaque tandem egisse, ac si Apostolica Sedes vacaret; seu omnis Pontificalis, ac Beati Petri potestas, quam apud se Romanum Pontificem esse constat, apud Conciliares esset, quod asserere nefas atque hæreticum. Beneficia præterea, & Sacerdotia temeraria auctoritate contulisse; jura Pontificalia, privilegiaque occupasse, & quod in Romanis Pontificibus damnarunt, administrationes Monasteriorum sæcularibus Clericis demandasse. Ut nuper officium Generalis Humiliatorum, ejus ordinis caput, & principale Monasterium sæculari Clerico commendarunt, cui supra centum Monasteria parent: omnia tandem illos facere, ut numerum Prælatorum, qui suæ insaniæ faveant, augere possint. Postremo sacrilega temeritate ausos esse Romanum Pontificem, & Sacrum Senatum, ad causam dicendam citare, minarique, nisi eorum superbissimis edictis pareatur, Pontificalem sibi potestatem, & Cardinalem dignitatem abrogandam. Hanc esse mansuetudinem, hanc modestiam Basieensium, hanc Ecclesiæ reformationem, has exstirpationes hæresum, has pacis & quietis procurationes, pro quibus congregati essent. Quæ omnia, quoniam approbare recusaret, cum negaret Basileæ Concilium esse, interdictionem Pontificatus minari: animam prius vitamque dimissurum, quam Romanæ Ecclesiæ dignitatem auctoritatemque occupari, minuive permittat. Placere tamen, ut omnes norint, sibi nihil antiquius esse, quam Concilii Canonicam celebrationem profiteri: atque indulgere, Basileæ Concilium continuo fuisse, si prius illi omnia acta, gesta, statuta & intentata contra Romanum Pontificem, Apostolicam Sedem, ejusque Majestatem, privilegia, libertatem atque auctoritatem, contraque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios Pontificem sequentes, revocaverint, atque deleverint: & Legatos Apostolicos, ut par est, admiserint ad Concilii præsidentiam. Quod autem tantopere accusant, se Legatis suis potestatem dedisse, omnia in Concilio statuendi nomine Apostolicæ Sedis cum consilio Sanctæ Synodi;

di; viderique Synodum ex judice consultorem fieri, privarique statuendi potestate; & secundum hanc normam Legatos statuere posse, etiam quæ Concilio non placerent: mirari se tantam inter tot jurisperitos juris ignorantiam: cum constet, institutiones, decretaque omnia in Conciliis Generalibus statui promulgarique a Romano Pontifice, vel ejus Legato, consentiente, seu approbante sacro Concilio: sicque in veteribus Conciliis, sic nuper Constantiæ, Senisque servatum: neque aliquid a Patribus statuendum sine auctoritate Pontificis; cum Romanus Pontifex supra omnia Concilia sit, nisi in his, quæ ad fidem Catholicam proprie spectant, sive ad perturbationem manifestam universalis Ecclesiæ, in quibus Generalis Concilii auctoritas sequenda est. Non auferre Pontificem Canonicam potestatem, sed suam sibi præservare: falli autem, errare, ac decipi Basileenses, qui se in omnibus Romano Pontifici Superiores esse putent, ut eorum gesta præ se ferunt: quod quidem hæreticum, & profanum esse constat. Quod autem nonnulli ita humanis passionibus succumbant, ut audeant Canonicam electionem suam ad Summum Apostolatum in dubium revocare, non posse satis mirari illorum perfidam temeritatem; cum illi ipsi, qui maxime calumniantur, se in Sede Beati Petri collocaverint, consecraverint, coronaverint, ac pluribus annis, ut legitimum Christi Vicarium adoraverint. Proinde orare obsecrareque Christianos Principes, ut Basileenses in viam reducere curent, illisque persuadeant Concilium canonice, & cum auctoritate primæ Sedis celebrare; & unionem, non scissuram nutrire; aut si in sua pertinacia persistere maluerint, ab eis recedant; neque permittant Ecclesiam, Dei Beneficio unitam, ab impiis lacerari. Scripsit etiam aliis literis agens gratias compluribus Principibus, quod per Oratores suos Romanæ Ecclesiæ auctoritatem tutati sint: oratque ut perseverent, ut cum Sigismundo Cæsare unioni intendant.

XXXIII.

SESSIO DECIMA QUARTA.

Adventus Sigismundi Basileam.

Post hæc cum V. Idus Octobris Dominica luce Patres in Basileam convenissent, suspensionis sententiam in Eugenium rite laturi, repente nuntiatur Sigismundum Cæsarem jam in urbem ingressum esse, & ad Templum properare. Effundunt se illi obviam Patres, & magna lætitia ad publicum consessum deducunt. Differturque negotium ob adventum Cæsaris ad octavum diem. Et cum dies Eugenio dicta, deinde sæpius prorogata esset, tandem septimo idus Novembris in publica Sessione XIV. assistente Cæsare Sigismundo, Imperiali paludamento, Corona, Sceptro, aureo pomo, nudoque ense, atque aliis Imperialibus Insignibus ornato, legitime sancitum est, adnitente Cæsare, terminum Eugenio sæpius prorogatum ad nonagesimum rursus diem differri. Ita tamen, ut nisi interea sub certis expressis conditionibus Concilio adhæserit, interdictam sibi omnem Pontificalem administrationem cognosceret, & alia omnia exequenda fore, quæ in Decreto duodecimæ Sessionis continentur.

XXXIV.

Pontifex tandem Concilio reconciliatur.

Eugenius interea assiduis Cæsaris persuasionibus pulsus cum Patribus in hanc sententiam convenit: Basileenses omnia contra Eugenium, Apostolicam Sedem, Cardinales Romanæ Ecclesiæ, & Pontificis sectatores, acta revocarent, ejusque Præsidentes admitterent: Eugenius vero profiteretur Concilium Basileæ esse, & hactenus legitime fuisse, & omnia contra Concilium & Conciliares quoslibet Decreta, Statutaque, maxime contra non citatos, aut defensos legitime, pariter revocaret: Concilioque plene adhæreret.

XXXV.

SESSIO DECIMA QUINTA.

De Synodis celebrandis.

Decima quinta Sessio celebratur, qua legitime statuitur, Synodos Episcopales singulis annis per Diœceses fieri oportere post octavas Resurrectionis Domini, nisi alia temporis consuetudo sit: in quibus Clerus ad ministranda Sacra instruatur, emendetur Ecclesiastica disciplina, & populi mores, ut saluti fidelium consulatur: deliganturque testes Synodales, viri graves & boni, qui gesta Cleri & populi clam perquirentes ad Synodum futuram referant: simili modo Concilia Provincialia singulis trienniis saltem celebrentur, ubi Diœcesani Episcopi de administratione Ecclesiæ, de sacris Ordinibus rite conferendis, de committendis Beneficiis, & animarum cura idoneis ministris, deque symoniaca labe penitus effugienda moneantur: instruanturque præcipue, ne novas opiniones, aut damnatas hæreses in suis Diœcesibus serpere permittant. Et si Metropolitanus in aliquo emendandus esset, per Concilium in charitate moneatur; quod si non satisfecerit, de eo referatur ad Summum Pontificem, vel ad alium Superiorem, si quem habet. Episcopi vero, sive etiam Metropolitanus negligentes Synodum congregare, sive ad Synodum venire, media parte fructuum unius anni, ultra juris pœnas mulctentur, quæ in reparatione Ecclesiæ suæ per alios convertantur. Intendant præcipue Episcopales & Provinciales Synodi ad componendas seditiones, inimicitias, & bella Provincialium, & vicinorum. Dum autem Concilium Generale sedet, hujusmodi Concilia non fiant.

XXXVI.

Legatio Pontificis pro Præsidentia Concilii.

Designaverat, ut diximus, Eugenius quatuor Cardinales Legatos Apostolicos ad Concilium. Hos rursus confirmat cum plena potestate Apostolicæ Sedis nomine in Concilio præsidendi; & omnia, quæ ad generalem reformationem, sive censuram Ecclesiæ in capite & in membris, ad exstirpationem hæresum, & ad pacem Christiani populi spectant, statuendi, & decernendi, deliberatione & approbatione sacri Concilii. Et quoniam Cardinales ipsi non poterant statim ad Concilium se conferre, ne res diutius differretur, eis subrogavit cum pari potestate Archi-Episcopum Tarentinum, Episcopum Paduanum, Abbatem sanctæ Justinæ, suos Oratores: quibus addidit Julianum Cardinalem Sancti Angeli, qui in Concilio tunc erat. Ingressi igitur Basileam Tarentinus, Paduanus, Abbas Sanctæ Justinæ, XII. Kalend. Februarii, anno salutis MCCCCXXXIV. & benigne suscepti, ubi in publica Congregatione mandata Apostolica exposuerunt, literas, Apostolica Bulla signatas, Patribus reddidere. In his Eugenius Pontifex de consilio Sacri Senatus declarat, confirmatque Concilium Basileense pro emendatione, reformationeque Ecclesiæ in capite & in membris, pro exstirpatione hæresum, proque Christianæ plebis reconciliatione, & pace legitime congregatum, a suo principio Canonice semper continuatum fuisse, omniaque ad ea, pro quibus convenerunt spectantia Decreta, & decernenda, rata firmaque esse oportere, perinde ac si nulla dissolutio facta esset. Quinimo dissolutionem ipsam abrogat, irritatque, & Sacro Basileensi Concilio pure & simpliciter adhæret; pollicetur deinceps Concilio in omnibus fauturum; literas omnes, & omnia contra Concilium, Conciliaresve, Decreta, statutave revocat, & annullat. Processus, censuras, & mulctas quaslibet contra quemlibet ex Conciliaribus non legitime citatis, aut non legitime defensis, & præsertim contra Cardinales de Cypro, Sancti Sixti, & Firmanum latas inflictasque, irritas, & nullas esse decernit, omniaque in pristinum statum restituit.

XXXVII.

SESSIO DECIMA SEXTA.

Declaratur Eugenius plene adhæsisse Concilio.

Fit igitur XVI. publica Sessio, in qua peractis ex more sacris, decernitur Eugenium Pontificem integre mandatis Con-

Concilii paruisse, ac publice, & simpliciter adhæsisse.

XXXVIII.

SESSIO DECIMA SEPTIMA.

Legati Eugenii decernuntur Præsidentes Concilii cum quibusdam legibus.

Ad VI. Kalend. Majas in publica Sessione XVII. statuit Sancta Synodus Nicolaum Sanctæ Crucis Presbyterum, Julianum Sancti Angeli Diaconum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Joannem Tarentinum, Petrum Paduanum Præsules, & Ludovicum Abbatem Sanctæ Justinæ, Apostolicos Legatos, tantum ad Præsidentiam Concilii Apostolicæ Sedis nomine esse admittendos: hac tamen lege, ut nullam jurisdictionem coactivam haberent, atque omnia in procedendo per Concilium statuto, consuetoque a Patribus ordine servarentur. Tum Decretum est, nullam publicam congregationem extra ordinem fieri oportere, cum singulis sextis feriis ordinaria sit habenda; si autem ingruerit necessitas aliter faciendi, prius per tres Conventus statuatur; & tum ex illorum Decreto Præsidentes Concilii Generalem Conventum indicent. Quod si neglexerint, alter e Promotoribus Concilii, vel unus ex Deputatis id agat, Conventum indictum non legitime (ut dictum est) nemini licere adire. Idem servare oportere in publica Sessione; meditata, deliberataque in publica congregatione mox per primum ex Præsidentibus approbanda, statuendaque, etiam si alii Collegæ absint. Quod si forte recusaverit, alius de Collegis statuat: & si nullus ex Præsidentibus id agere voluerit, sive ad Conventum non venerit, primus e Prælatis illo die Præsidentis officio fungatur. Gesta insuper omnia statutaque per Synodum, Sacri Concilii Bulla signanda decernendaque Concilii Basileensis nomine.

XXXIX.

SESSIO DECIMA OCTAVA.

Duo Decreta Constantiensis Concilii innovantur.

Neque multo post ad III. scilicet Kalend. Julii in XVIII. publica Sessione duo Constantiensis Concilii Decreta renovata sunt: Concilium scilicet Generale immediate potestatem habere a Christo, cui quilibet obedire teneatur, etiamsi sit Romanus Pontifex, in his præsertim, quæ ad fidem pertinent, ad emendationem Ecclesiæ, & ad Christianorum pacem: Alterum non parentes Concilio, puniendos esse, etiamsi sit Romanus Pontifex.

XL.

Conventio Græcorum Legatorum cum Basileensibus pro unione.

Venerant Basileam Legati Græcorum, Johannis Palæologi Imperatoris, & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, Demetrius Palæologus, Isodorus Abbas Sancti Demetrii, & Johannes Dissipatus (*) acturi cum Patribus de ordine & modo concordandi in Sacro Generali Concilio cum Latinis. Et tandem post multa in hanc sententiam convenerunt: Quoniam Græci assererent, Basileam se commode non posse accedere, placere, ut Patres locum aliquem deligant pro Concilio celebrando, in Calabria, sive Anconam in Piceno, sive aliam quampiam urbem Maritimam Italiæ, aut etiam Mediterraneam, ut Mediolanum, Bononiam, & aliam quam velint: extra Italiam vero Budam in Hungaria, & Viennam in Austria, & etiam, si malint, in Sabaudiam. Venturos ad illud Concilium Imperatorem, & Patriarcham Constantinopolitanum cum aliis Patriarchis, & Prælatis Græcis, cum Legatis Principum Christianorum Orientalis Ecclesiæ: Legatos Concilii mittendos Constantinopolim cum aureis nummis octo millibus; quibus Prælati Orientales constanter deducantur; mittendas etiam triremes quatuor;

(*) *pro* Dishypatus.

tuor ; duas quidem cum ccc. Militibus, quæ Portum Byzancii ſervent ; & duas grandiores , quibus Græci deducantur in Italiam: duas item alias majores apud Conſtantinopolim deducendas pro vectura Græcorum : aureos deinde quindecim mille Imperatori dandos, quibus ſibi ſuisque omnibus Græcis uſque ad numerum ſeptingentorum victum paret uſque ad portum ultimum Italiæ. Quamdiu autem Græci in continenti fuerint, ſive in Concilio, ſive in itinere, victum honeſtum a Concilio habeant: Legati Concilii quamprimum Conſtantinopolim cum triremibus petant, pecunias præſcriptas deferant : & præterea auri millia decem, quibus conducantur Milites pro præſidio urbis in abſentia Imperatoris: Milites & terreſtres, & Claſſiarii in verba Imperatoris jurent : Legati quamprimum appulerint, portum, quo ſint Græci applicaturi, & locum Concilii nominent ; curent tamen, ſi poſſunt illis perſuadere,ut veniant Baſileam ; Interea Patres Baſileæ in Concilio perſeverabunt ; quoad Græci in Italiam venerint: & intra menſem , poſtquam illi appulerint, locum dictum pro Concilio petent. Hæc omnia Synodus legitime ſtatuat, & Bulla ſignet. Item confirmet ſuis literis ſummus Pontifex , quæ ubi per Oratores Græcos cum plena poteſtate accepta fuerunt, Sancta Synodus omnia ſancivit in publica XIX. Seſſione, ſeptimo Idus Septembris MCCCCXXXIV.

XLI.

SESSIO DECIMA NONA.

Firmantur Conventa cum Græcis.

In eadem Seſſione ſtatuit Sancta Synodus in re Judæorum & Neophytorum hujusmodi Decreta : Eccleſiarum Prælatos per ſuas Diœceſes,ac Provincias ſacrarum literarum Doctores inſtituere oportere, qui certis diebus ſingulis annis publice non tantum noſtræ religionis hominibus, infidelibus etiam cujuscumque ſectæ,qui inter Chriſtianos habitant, fidem Chriſtianam explicent , errores illorum aperiant, & argumenta confirment, cum omni modeſtia & charitate : ipſos infideles utriusque ſexus ſub interdictione conſortii,commerciique Chriſtianorum cogendos, ut ad conciones hujusmodi veniant. Inſtituendos præterea, ſecundum Viennenſis Concilii Decreta, in publicis Gymnaſiis quatuor linguarum Doctores, Græcæ ſcilicet, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ, ut facilius harum linguarum infideles populi ad rectam fidem converti poſſint. Nulli infidelium licere ſervitiis Chriſtianorum uti ; neque licere Chriſtianis infidelium celebritatibus , conviviis, balneisve intereſſe, aut eis arctius quoquo modo converſari: non eſſe utendum eorum opera in medicinis, in contractibus, in mercimoniis, aut alia quavis cauſa: Magiſtratibus autem, aut publicis officiis nullo modo præficiendos : ſacram ſupellectilem, vaſa, libros, veſtes, & alia hujusmodi , ſive etiam fundos, aut alia Eccleſiarum bona pignori non accipiant , neque emant; quod ſi fecerint, rem & pecuniam perdant. Habitum utique deferant præcipuum , & a Chriſtianorum habitu omnino differentem : coganturque in urbibus & oppidis gregatim ſimulque inter ſe habitare , & procul ab Eccleſiis , ut minus commercii cum Chriſtianis illis ſit. Si qui ad fidem Chriſti convertantur, fortunas ſuas omnes,ut prius, poſſideant. Quod ſi ex uſuris, illicitoque quæſtu comparatæ ſunt , ſi ſuperſtant, notique ſunt,quibus ablatæ fuerunt, illis reſtituantur; ſin autem inveniri non poſſunt , quoniam ad pios uſus ſunt convertendæ, decernit Sancta piiſſimum eſſe , fidelibus converſis eas elargiri , vetantque illos ſuper his quempiam vexari. Eccleſiarum autem Præſules , aliosque ditiores quoslibet hortatur , monetque Sancta Synodus , ut pauperes converſos juvent , alant , & ab omni injuria tueantur : ſtatuitque, ut illius civitatis cives cenſeantur,ubi per Baptiſmum ſunt regenerati : inſtruendos præterea eſſe hujusmodi converſos in fide orthodoxa per Sacerdotes, & illos, qui a ſacro Fonte levarunt : neque permittendum , ut cum infidelibus converſentur. Matrimonia ab illis ineunda eſſe cum antiquis Chriſtianis : neque indulgendum, ut novitii multum inter ſe commercii habeant: ne forte mutua familiaritate in errores labantur antiquos : cogendosque omnino ritus, & obſervationes antiquæ legis dimittere, & Catholicos noſtros complecti: transfugas , deserto-

sertores, sive apostatas acriter puniendos, & eorum protectores mulctandos, ut hæresum fautores.

XLII.

Tractatus de unione Græcorum.

Et quoniam de Græcorum cum Latinis conventione agendum est, id altius aliquantulum repetamus. A Martino quinto Romæ Ecclesiæ Præsidenti agi cœptum de unione Orientalis Ecclesiæ cum Latina, & jam per Oratores utrimque missos deventum erat ad quasdam conditiones, quibus mediantibus Imperator & Patriarcha Constantinopolitani, cum Patriarcha Armenorum, Imperatore Trapezuntiorum, & aliis Prælatis, ac Legatis Principum Ecclesiæ Orientalis usque ad numerum septingentorum hominum ad Generale Concilium in Italiam unionis causa celebrandum, adnavigare promiserant. Martino interea e vita subtracto, cum ei Eugenius successisset, qui Cardinalis huic negotio intentus admodum videbatur, hujusmodi tractatus a Græcis instauratus est. Venerunt igitur Romam a principio Pontificatus Eugenii Græcorum Legati, qui post multas disceptationes de commodiori modo unionis perficiendæ, tandem præsente etiam Sigismundo Cæsare, & probante, cum Eugenio convenerunt; mittendos esse a Sede Apostolica Legatos cum multitudine congrua Doctorum, qui Constantinopolim Orientales omnes convocarent, ibique de unione agerent in Generali Concilio Apostolicæ Sedis nomine. Quæ cum Orientalibus renuntiata essent,& omnibus admodum placerent, Johannes tum Palæologus Imperator, & Joseph Patriarcha Constantinopolitanus legationibus Basileensium provocati, suos illuc Oratores miserunt: qui tandem cum Patribus legibus, quas supra narravimus, convenere: Basileenses vero, ut præscriptum erat, ad Eugenium pro confirmatione Conventorum miserunt; qui rei novitate non parum commotus, quamvis alteram sententiam commodiorem, utilioremque putaret: tamen, ut Basileenses non perturbaret, rem confirmavit. Posthæc Legati, quos prius Eugenius miserat in Græciam, Romam revertuntur, referunt placere Orientali Ecclesiæ, ut Latini Constantinopolim mittantur secundum sententiam Pontificis: orareque, ut illa sententia firmetur, resque quamprimum exsecutioni mandetur. Respondet Pontifex, tam diversas eorundem sententias se non parum mirari, alios jam Legatos Basileam petiisse, convenisseque cum Patribus de modo veniendi ad Concilium cum Latinis; seque pro pace & quiete Ecclesiæ conventiones eas confirmasse; quamquam prior sententia sibi potior videretur. Proinde si ipsis etiam magis placeret, Basileam peterent, & eam Patribus suadere conarentur. Iverunt Basileam Græci, sed Patres a sententia dimovere nullo pacto valuerunt. Pontifex autem, ne sententiarum variatio sibi posset adscribi, Legatos suos Constantinopolim misit, omnia, ut gesta erant, narraturos, polliciturosque, Pontificem cum universa Romana Curia Concilium petiturum, si in ea Italiæ parte fieri contingat, quo commode possit se transferre. At Græcorum Legati sententiam a Pontifice approbatam suscipientes, Patres orabant, ut locum eligerent Græcis & Pontifici accommodatum; cum putarent, sine præsentia Pontificis Romani nihil omnino firmi de unione transigi posse. Redierunt inter hæc & Legati, quos Concilium miserat Constantinopolim, & sæpius hinc inde missæ sunt legationes: nihilque magis cupere videbantur Græci, quam cum Latinis convenire: rogabantque maxima instantia, ut quamprimum conventa exsecutioni mandarentur. Nec multo post quemdam e suis Basileam miserunt Græcorum nomine, asserentem Orientalis Ecclesiæ Prælatos, Principesque omnes præsto esse ad statutam diem Italiam petere ad generale Concilium. Proinde se missum esse, ut Basileenses hortaretur, moneretque conventa quamprimum adimplerent: cognosceret, an locus pro Concilio designandus esset ex nominatis, & commodus Summo Pontifici: sine cujus præsentia Græci non putarent aliquid boni agi posse. Demum ut videret, an triremes, quibus Græci essent advehendi, satis solidæ ac firmæ essent: verum audire sese a nonnullis susurrari, Patres statuisse, Avenionem pro futuro Concilio deli-

deligere: mirari se horum sententiam, qui tam aperte a conventis discedere cogitent: non laturos ista Græcos æquo animo, neque ullo pacto e Græcia discessuros, nisi prius noverint locum unum ex nominatis, in conventibus, esse delectum. Proinde orare, ut conventa servent; quod si non fecerint aperte Orientalium nomine protestari, per illos non stare, quin pacta non serventur, ut unio fiat; sed per Basileenses, qui a conventis discedant. Verum cum videret, Patres statuisse omnino se Avenionem eligere, iterum palam protestatus est, græcos Avenionem nequaquam venturos; se vero iturum ad Pontificem, & eadem apud eum testaturum, & omnibus demonstraturum, per Græcos non stare, quin fiat unio. Tamen Patres, quamvis multa ultro citroque acta, dictaque essent, Avenionem pro Concilio, in quo Græci cum Latinis convenirent, publico Decreto delegerunt. Quod neque Romanus Pontifex, neque Græcorum Legati suscepe runt: asserentes Avenionem in conventionibus non comprehendi, neque Græcis esse opportunam, cum per multa maria & maximos sinus sit illuc e Græcia eundum. Habere se domi continuos hostes potentissimos Turcas: neque posse longius abesse sine præsenti & magno periculo: servandas esse conventiones publico Patrum Decreto jam pridem initas; & Græcos ad locum tam remotum nullo modo venturos. Eugenium vero Pontificem propter adversam valetudinem, propter res novas, & periculum Provinciarum Ecclesiæ, Italia excedere minime posse; Florentiam Hetruriæ urbem pro Concilio cupere sibi, ut Græcis accommodam, & Imperator quidem Constantinopolitanus suis literis aurea Bulla signatis promisit, & juravit, se omnino cum Patriarcha, & ad Concilium venturum, soluturumque e patria ante Kalend. Junias anni salutis trigesimi sexti supra mille & quadringentos, si Basileenses perfecerint omnia, quæ cum suis Legatis convenerant. Cæsar vero omni studio hortari Patres, ne ante Basilea discederent, quam Ecclesiæ reformationem, & Bohemorum reconciliationem absolverent: sperare se, & Pontifici, & Græcis posse persuadere, ut Basileam ad Concilium petant. Eugenius autem Pontifex his auditis Legatos suos de latere Nicolaum Sanctæ Crucis, & Joannem Sancti Petri ad Vincula cum plena potestate ad Concilium misit, ut locus pro futuro Concilio communi omnium consensu eligeretur: qui summa diligentia, & multis rationibus hortati sunt Patres ad servandas conventiones cum Græcis initas. Cogitaverant Basileenses indulgentias certo modo publicare his, qui pecunias contribuissent, pro conducendis Græcis, petebantque, ut Pontifex confirmaret. Legati ad hæc respondebant, Pontifici non videri reipublicæ expedire has indulgentiarum elargitiones, quæ contemptum inducerent, & necessitati non satisfacerent: quod paulo ante in aliis rebus perspicuum fuerat: tamen si Patribus ita videretur, concessurum se indulgentias ritu & more Romanæ Ecclesiæ. Verum si convenire cum Pontifice vellent de loco Concilii, offerre Pontificem aureorum sexaginta millia pro conducendis Græcis, quantam summam indulgentiæ nunquam conficerent. Julianus autem Cardinalis Sancti Angeli post hæc, qui Apostolicæ Sedis nomine Concilio præsidebat, cum quædam alia tractari contra Romanam Ecclesiam cognosceret, publice in Generali Conventu Patres obsecravit, atque obtestatus est, ne quid amplius statuere, deliberareque velint, quod ad Romanam Ecclesiam, Summum Pontificem, ejusque privilegia, auctoritatem, Majestatemque, aut Sacrum Senatum spectaret, nisi prius ipse audiretur. Cum in Sacra Constantinopolitana Synodo cautum sit, si qua controversia in Conciliis Generalibus de Romana Ecclesia oriatur, oportere cum omni reverentia super ea re sciscitari Romanum Pontificem, ejusque solutionem suscipere: proinde si quid contra agatur, protestari se nullo pacto ei rei consensurum.

XLIII.

SESSIO VIGESIMA,

In qua multa decreta sunt.

Ad XI. Kalend. Februarii anni salutis MCCCCXXXV. vigesima Sessio publice celebratur. In qua solemni ritu statuitur: nemini ex Clero, cujuscunque sta-

tus, ordinis, dignitatisve ſit, quoquomodo licere, publice concubinas tenere; publicos concubinarios poſt duos menſes ab hujus Decreti conſtitutione, ſi perſeveraverint in ſcelere, omnium Beneficiorum ſuorum fructibus per tres menſes privandos: quorum pretium in inſtauratione, ornatuque Beneficiorum noxii exponantur: & niſi moniti deinde a ſuis Præſulibus e veſtigio concubinas denuo ejecerint, ſive aliam quoquomodo ſuperinduxerint, omnibus Beneficiis, dignitatibus, & honoribus privandos, neque ultra ad ea admittendos, niſi poſt manifeſtam vitæ morumque emendationem. Quod ſi rurſus redierint ad vomitum, perpetuo fore inhabiles ad quæque munera Eccleſiaſtica. Præſules autem, minoresve dignitates, qui hujusmodi noxios ex officio punire neglexerint, a majoribus Antiſtitibus, Archi-Epiſcopis, Patriarchis, ſive a Conciliis Provincialibus, Synodalibusve, acriter puniendos. Publicos vero concubinarios non ſolum illos cenſendos eſſe, quorum ſcelus per ſententiam, aut confeſſionem in Judicio factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poteſt tergiverſatione celari, manifeſtum eſt; ſed omnes etiam, qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, infamatam domi habent, & moniti per Superiorem non ſtatim dimittunt. Præſides autem, qui per ſordes ſpe quæſtus concubinarios hujusmodi punire negligunt, ultra alias pœnas negligentibus infligendas, duplum ejus, quod acceperint, ad pios uſus exſolvere cogantur: concubinas vero ipſas, niſi ſponte a Clericis diſceſſerint, per auxilium etiam brachii ſæcularis, ſi opus ſit, expellendas: neque permittendum filios ex hujusmodi concubinatu procreatos apud parentes enutriri. Hunc Canonem juſſit Sancta Synodus ubique per Eccleſiarum Prælatos publicari: hortataque eſt Chriſtiani nominis omnes homines, cujuscunque ſint dignitatis, a concubinatu tanquam a capitali peccato abſtinere. Declaratum præterea atque ſancitum eſt in eadem Seſſione; neminem a communione alicujus in quibusvis Sacris abſtinere oportere, niſi excommunicatio, ſuſpenſio, interdictio, ſeu quævis alia cenſura in hominem, Collegium, Univerſitatem, ſeu locum certum & expreſſum ſint lata: aut ſi aliquem ita manifeſte in excommunicationis ſententiam incidiſſe conſtiterit, quod nulla ſe poſſit juſta excuſatione tueri: & ne Sacris interdici vulgo omnibus liceat, quod ſæpius & ſine urgenti cauſa fieri contingit; ſtatuit Sancta Synodus, nemini omnino licere, civitatibus, oppidis, villis, aut quibusvis locis Sacra interdicere, illave quovis modo Eccleſiaſtico interdicto ſupponere, niſi ex culpa ipſorum locorum, aut Principis, Domini, Magiſtratusve ipſorum. Ob culpam autem, aut cauſam privati hominis, Sacra nullo modo interdicantur: niſi forte Magiſtratus quempiam excommunicatum requiſiti infra biduum a Fidelium conſortio non ejecerint, quo rejecto Sacra reſumantur. Nemini etiam licere decrevit ſuper eodem gravamine, aut eadem interlocutoria, vim definitivam non habente, ſecundo appellare. Appellantes vero a diffinitiva, frivole vel injuſte, ultra condemnationem expenſarum, & damnorum, & intereſſe, aureis XV. eſſe mulctandos, qui adverſario cedant.

XLIV.

Controverſia de tollendis Annatis.

Actum eſt deinde diu, & acriter inter Patres diſputatum, de tollenda conſuetudine ſolutionis annatarum Cameræ Apoſtolicæ. Ita enim appellant medios fructus unius anni, quos pro novis Beneficiis acceptis Pontificis ærario inferunt. Et tandem cum inter quatuor Collegia jam conveniſſent, ſtatuiſſentque, Decretum legitime ſanciendum, Archi-Epiſcopus Tarentinus, & Epiſcopus Paduanus, Legati Apoſtolici, Pontificis nomine proteſtati ſunt: rem iniquam eſſe inaudito Pontifice tantum præjudicii, tantum detrimenti Romanæ Eccleſiæ inferri, & annatarum, & minutorum ſolutiones jam pridem a Romanis Pontificibus introductas, ab univerſo Clero ſuſceptas, a pluribus generalibus Synodis non violatas, injuſte nunc aufferri. His non modo Pontificem ali, ſed & ſacrum Senatum, ac Romanæ Curiæ Miniſtros fere omnes. Quod ſi tollantur, dignitatem Pontificiam ſine viribus ruituram; Curiales omnes Pontificem relicturos.

Unde

Unde præterea Legationes per universum Orbem Christianum ob utilitatem Reipublicæ crebro mittendæ sustentabuntur? Unde ejectis suis sedibus Principibus, aut Prælatis subvenietur? Unde hæreticis, & aliis hostibus fidei obsistetur? Non tanti esse Romanæ Ecclesiæ patrimonium, atque provincias, ut a Tyrannis suis sumptibus defendi possint. Supersedendum igitur ab hoc Decreto, aut prius cum consensu Pontificis indemnitati Ecclesiæ Romanæ consulendum. Hanc Legatorum sententiam complures probi viri Ecclesiarum Prælati laudarunt: sed Patres asserentes necessitati Ecclesiæ Romanæ opportune se consulturos, postquam Decretum sancitum, susceptumque esset pari consensu, Juliano Cardinali Sancti Angeli, uno ex Legatis concludente, decretum sanciendum statuunt: aliis Legatis cum suis frustra reclamando.

XLV.

SESSIO VIGESIMA PRIMA.

Nemini licere, quidquam pro collatione Beneficiorum accipere.

In publica igitur vigesima prima Sessione, quæ habita est III. Idus Junii ejusdem anni solemni ritu Patres in hanc sententiam Decretum sanciverunt: nemini omnino licere, neque in Curia Romana, neque alibi usquam, pro confirmatione electionum, postulationum, admissionum, præsentationum, provisionum, collatione, seu quavis concessione, aut dispositione quarumcunque Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, dignitatum, seu cujusvis Ecclesiastici beneficii, aut officii, ordinis, sacræ Benedictionis, aut Pallii, imposterum quidquam penitus antea vel post exigere ratione litterarum, vel sigilli, annatarum, communium, & minutorum servitiorum; primorum fructuum, aut sub quocunque alio nomine, prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii, aut statuti, quovis quæsito colore: Scriptoribus tantum, Abbreviatoribus, & Registratoribus pro ipsorum labore congrue satisfacto. Hujus sacri Canonis transgressores, eadem pœna plectendos, qua Simoniaci puniuntur; ut Sacerdotiis, dignitatibusque hac via acquisitis omnino careant. Promissiones autem sub quibusvis censuris & juramentis pro hujusmodi solutionibus factas, nullas esse, atque irritas. Quod si Romanus Pontifex hujus sacræ legis prævaricator fuerit, Concilio deferatur; reliqui per Superiores digna pœna plectantur. Ecclesiasticorum Beneficiorum quorumcunque non violentos possessores, qui cum titulo colorato per triennium pacifice possederunt, a nemine perturbari posse, etiam ratione juris noviter impetrati; nisi forte quispiam legitimo casu impeditus, jure suo prius uti non potuerit: quod juxta (*) biennium Concilii Sanctionem prius, quibus potest, significare oportet, & pro viribus de jure suo experiri. Præsules diligenter perquirere oportere, an quispiam sine titulo Sacerdotia obtineat: eos abjiciendos, seu, si utiles videbuntur, & sine dolo factum sit, nova collatione confirmari poterunt. Et ut Divinæ, Sacræque ceremoniæ agantur rite sancteque, statuit sancta Synodus in laudibus Divinis hæc servari: Sacerdotum Collegia in Templis suis, statutis, consuetisque horis, post data signa convenire oportere: Divinas laudes canere, voce, gestu, prolationeque condecenti: ut distincte proferentes intelligi facile possint. Ita tamen, ut differentia sit inter solemne Officium & feriale. Dum sacra fiunt, dicunturve, talari tunica utantur Sacerdotes, & super eam lineam vestem, quam superpelliceum vocant, sive habitus ad sacrum ministerium pro Ecclesiarum consuetudine deputatos habeant; caputiis in Ecclesia non utantur, sed almutiis aut birretis. In choro quisque loco suo sedens, aut stans gravitatem servet. Laudes Deo cum aliis modeste canat, cum Gloria Patri in fine Psalmorum dicitur, reverenter assurgat, genu flectatq; cum Jesu Salvatoris nostri nomen recitatur. Inter Psallendum alias res non agat, non risui, confabulationiq; indulgeat; privatas litteras non legat; sed neque privatas laudes psallat in choro. Assistat denique sacris non solum corpore, sed & mente, atque animo toto. Transgressores a Prælatis suis debite puniantur. Non venientes autem statutis terminis ad sacras laudes, aut ante finem sine legitima causa, ac non impetrata venia discedentes, per-

(*) *Forte:* intra biennium juxta Concilii Sanctionem.

perinde haberi, acsi non venissent. Distributiones autem, quas quotidianas appellant, pro labore ac assiduitate venientium, & in Ecclesia servientium, esse erogandas, etiam ex portione majori, quam dicunt massam, sive fructus grossos: constitutione illarum Ecclesiarum prorsus damnata, in quibus una hora servientes integram totius diei portionem accipiunt. Initiati Sacris, quive Beneficia sacra obtinent, cum obnoxii sint, ubicumque degant, Divinas laudes quotidie Deo recitare, si in Divinis cum multitudine & choro non intersunt, laudes Divinas, nocturnasque soli, sive cum socio devote, distincteque ac integre persolvant: non verba deglutiantur, truncenturve. Non inter orandum aliis confabulationibus, sive actionibus quibuslibet se immisceant: sed tanquam cum Deo loquentes, loco convenienti, ore pariter ac mente orent. Dum Divina aguntur, si quis Sacerdotum illis relictis, per Ecclesiam, seu forum deambulet, seu ad alia negotia divertat, distributione integra totius diei mulctetur; si monitus id iterum egerit, menstrua distributione careat: si vero pertinaciter perseveraverit, mulctetur graviori pœna; propellanturque tumultus omnes ab Ecclesia, dum sacra fiunt. Tabula in loco publico assidue affigatur, in qua per hebdomadas descriptum sit, quid quemque in sacris operari oporteat; negligens in suo munere integra distributione mulctetur. Illarum Ecclesiarum abusum, in quibus in sacrificio solemnis Missæ symbolum fidei, præfatio, sive Oratio Dominica inchoata cantilena non perficiuntur, aut omnino sine cantu dicuntur, damnavit, atque abolevit: Vetuitque inter Missarum solemnia cantilenas vulgari sermone conditas cantari; & in privatis Missis jussit omnia pronunciari alta, & intelligibili voce, præter ea, quæ secreta nuncupantur. Prohibuit etiam sub graviore censura, ne cui liceret Divinum cultum pignori opponere. Consuevere namque nonnulla Canonicorum Collegia propter æs alienum se obligare, ut nisi statuto tempore satisfacerent, Divina exercere non possent. Hujusmodi obligationem, etiam cum juramento, irritam Synodus decrevit, & prævaricatores trium mensium fructibus privavit, qui in Ecclesiæ reparationem converti debent. Vetuit etiam, ne, dum Missarum solemnia peraguntur, celebrentur a Canonicis Capitula, aut aliqui actus Capitulares, nisi urgente necessitate: transgressores ejus diei distributione privandos. Demum gravioribus pœnis sancivit, nemini licere, quod multis in locis frequentabatur, scenas, jocos, fabulas, repræsentationes, larvas, seu aliquas fictiones Episcoporum, Regum, Principum, & similia in Ecclesiis, aut earum Cœmeteriis quoquomodo celebrare: aut permittere in his locis mercaturas, negotiationes, sive nundinas fieri: locorum Præsules sub censuris Ecclesiasticis hæc puniant.

XLVI.

Legatio Eugenii ad Concilium de multis rebus.

Hæc igitur sancita sunt ad III., ut diximus, Idus Junii, anni trigesimi quinti supra mille & quadringentos: quo tempore Eugenius Pontifex Florentiæ agens Concilii Legatos de pluribus rebus, & maxime de observandis Decretis suscepit. Remisitque ad Concilium suos Legatos, per quos in hanc sententiam respondit: Eugenium Pontificem, Græcorum reductionem, ad quam eum hortarentur, ardentissime semper desiderasse, & multum in ea re desudasse Constantiæ, & etiam Romæ, dum in minoribus esset, vivente Martino Pontifice. Postquam vero ad Apostolatum pervenisset, multos scire, quæ egerit ad hanc rem navandam. Nunc vehementer lætari, quod Concilio res facilis videatur, cum plerique a principio rem a Pontifice propositam, antiquam filacteriam, & cantilenam appellarent. Quod autem de indulgentiis concedendis pecuniarum gratia pro Græcorum reductione petitur, Pontifici non videri expediens, aut utile Reipublicæ; tum ne videantur lucri causa concedi; tum, quia, si indulgentiæ jam concessæ suspendantur, Insulas Cypri & Rhodi fortissima Christianorum propugnacula, in discrimine necessario remansuras. Et si promulgatis indulgentiis Græci aliquo forte casu impediti ad Concilium non venerint, omnes Concilium & Papam damnaturos, tam-

quam

quam ſubtili ingenio pecunias a Fidelibus extorqueant. Exſpectandam prius certitudinem de adventu Græcorum; & tum daturum operam Eugenium cum Concilio per indulgentias, aut alias commodiores vias, ut pecuniæ inveniantur. Pontificem tum miſſurum ad Concilium viros ſacrarum litterarum ſcientia claros, qui cum Græcis poſſint diſſerere: & etiam, ſi detur, ut in loco congruo ſibi Concilium celebretur, venturum Pontificem cum univerſa Romana Curia. Interim vero deputaturum aliquos, qui in ejus rei diſputatione aſſiduo ſe exerceant. Quoad obſervantiam vero Decretorum Concilii, Eugenium Pontificem reſpondere, ſe Concilii Decreta ſemper ſuſcepiſſe, & obſervaſſe. Si vero in quibusdam privatis rebus aliter aliquando ſit factum, id ex cauſa eſſe factum: non propterea non obſervata Decreta dici debere. Cauſas autem in Curiam Romanam non ſuſcipere perturbationis, aut ſcandali alicujus gratia. Sed cum conſueverit ſemper Apoſtolica Sedes miniſtrare omnibus juſtitiam petentibus, non poſſe id exigentes rejicere. Curaturum tamen Romanum Pontificem, ut lites, quam brevius fieri poterit, excidantur. Sed mirari complures, quod Concilium pro maximis (ut ajunt,) congregatum, ita indiſtincte rebus privatis incumbat, cauſasque etiam minimas admittat; & aliquando, quæ in Curia Romana agitantur, ad ſe attrahat, non ſine partis alterius damno. Dictum autem contra Scriptores, & Abbreviatores emanatum, non illos comprehendere, qui tunc in Concilio erant, ſed contra diſceſſuros: propterea non eſſe contra Concilium. Quantum autem attinet ad Decretum annatarum non parum mirari Pontificem, & Curiales omnes, tantam rem cum tanto Romanæ Eccleſiæ, & totius Curiæ præjudicio & damno Patres tractaviſſe, & tam repente irrequiſitis partibus ſtatuiſſe; cum præſertim earum uſus ab antiquis & ſanctis Patribus inventus, per longa tempora ab omnibus ſit obſervatus. Conſiderandum prius fuiſſe, unde Romanus Pontifex oneri reipublicæ poſſet ſatisfacere; unde Prælatis ejectis ſubvenire; unde Legationes per univerſum Chriſtianorum Orbem mittere; unde denique alerentur Curiales, ſi annatarum, & minutorum ſervitiorum uſus tolleretur. Et ſtatuendum prius modum, per quem his neceſſitatibus ſubveniretur, Pontificem non ſpreturum annatarum abolitionem.

XLVII.

Literæ Græcorum pro loco Concilii.

Dum hæc aguntur, literæ ab Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopolitanis mittuntur, rogantes, Concilium pro unione decerni in loco littorali, ſibi & Pontifici accommodato.

XLVIII.

Monetur Eugenius, ut revocet, quæ contra Concilii Decreta fecerat.

Interim Baſileæ multæ fiunt quærimoniæ, Eugenium Pontificem Decreta Concilii non ſervare. Conveniunt igitur ſingulatim quatuor deputationes, & tandem ſtatuunt, monendum eſſe Eugenium, ut revocet omnia, quæ contra Decreta Concilii, & maxime ſpectantia ad Generalem Reformationem in capite & membris quoquomodo attentaſſet, intra certum tempus, & præſertim in cauſa Graſſenſi: alioquin Patres daturos operam ſecundum Decreta Concilii, ne quid interea detrimenti reſpublica patiatur. Hæc antequam publico Decreto ſancirentur, Tarentinus & Paduanus Præſules, Apoſtolicæ Sedis nomine in Concilio præſidentes, multis rationibus intercedere & prohibere conati ſunt, aſſerentes, nihil a Pontifice contra Decreta Concilii innovatum. Quod ſi aliquid particulariter ſit factum, licuiſſe Pontifici, ex cauſa diſpenſare, neque propterea cenſendum, actum eſſe contra Decreta. Nunc vero tam aperte inſurgentibus Patribus contra Pontificem, nihil aliud eſſe, quam ſchisma introducere: inventurum enim Pontificem viam, qua ſe ſuosque tueatur: & ſi (*) Concilium, quod propter unionem Bohemorum, & reformationem morum coactum dicunt, cauſam futuram diſſidii ac ſcandali. Ita ut neque Græci, neque Bohemi, ab his, qui inter ſe diſcordias nutriunt, unionem poſſint ſperare. Orare igitur, atque obſecra-

(*) *forte:* ſic

fecrare, ut deputationum deliberata non fuscipiant: abstineantque omnino ab injuriosis Decretis, & Romanam Sedem, Christianorum Caput, non impugnent. Quod si quid cupiant ab Eugenio, mittant Oratores, impetraturos procul dubio quidquid honeste petierint: sin autem in sententiam deputationum descendere eis omnino esset animus, Apostolicæ Sedis nomine prohibere, ne id fiat, publiceque protestari, & contradicere: seque cum suis nullo modo ei Decreto consentire.

XLIX.

Excommunicantur Veneti propter Aquilejæ Principatum.

Agitata est inter hoc tempus causa inter rempublicam Venetorum, & Ludovicum Patriarcham Aquilejiensem super principatum Aquilejensem, quem Veneti jam pridem occuparant. Et tandem lata est sententia contra Venetos ad IX. Kalendas Januarii MCCCCXXXV., in qua Dux, Consiliarii, Procuratores, Advocati, Communitas, Nobiles, loca tenentes, & alii Venetorum obnoxii, declarantur excommunicationis, Anathematis, & interdicti sententias incurrisse: neque prius absolvi, aut reconciliari Ecclesiæ debere, quam civitates, oppida, terras, villas, & loca omnia pleno jure Patriarchæ Aquilejensi restituissent integre & pacifice.

L.

SESSIO VIGESIMA SECUNDA.

Damnatur libellus Augustini, Episcopi Nazareni.

Et circa idem tempus cujusdam Augustini Romani Episcopi Nazareni libellum, qui de Sacramento unitatis Christi, & Ecclesiæ suæ, ac de Christo integro intitulatur, cum pluribus aliis tractatibus, Sancta Synodus damnavit, ac reprobavit, tanquam falsam & hæreticam doctrinam continentem, in publica Sessione celebrata Idibus Octobris MCCCCXXXV.

LI.

SESSIO VIGESIMA TERTIA.

In qua multa decernuntur.

Celebrata est post hæc XXIII. Sessio publice: in qua circa electionem Pontificis Romani, & ejus administrationem, hæc legitime sunt decreta IX. Kalendas Aprilis MCCCCXXXVI. Cum Apostolica Sedes vacare contigerit, S. R. E. Cardinales, qui præsentes sunt in loco, ubi electio est celebranda, decima die, postquam Sedes vacaverit, in sacellum aliquod Conclavi proximum simul conveniant. Tum præeunte Cruce, Sancti Spiritus inspirationem exorantes, præcinentibus Cantoribus Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, locum conclavis petant. Intrent locum ipsum Cardinales, duobus tantum Ministris quilibet sociatus; aderunt, & duo Clerici cærimoniarum, quorum alter sit Notarius. Camerarius primum, & post, scrutetur locum, videatque, ut omnia bene sint clausa: undique scrutetur & Cardinalium cubicula, nihilque omnino quod esui, potuive sit, nisi medicinalia, dimittat. Exiens deinde singulis portis custodias fideles diligentesque statuat. Cibos Cardinalium, cum ad eos deferuntur, intro adspiciat, neque admittat, nisi quæ ad modestiam sunt. Sequenti die re Divina peracta cuncti Cardinales sacram Eucharistiam communicabunt. Tum tactis sacris Evangeliis Deum attestantes, sub jusjurandi religione promittant, se nullum in Romanum Pontificem electuros, nisi quem utilem, & tanto munere dignum putabunt: neque ullo pacto in illum consensuros, qui prece, præmio, seu minis, per se, vel per alium Pontificatum ambierit. In scedula, qua Cardinalium vota exarantur, ultra tres Cardinales non ponantur; si quis autem quartum addere voluerit, extra Collegium aliquem nominet. Eodem die nunquam nisi semel scrutinium fiat. Post Missam lectis scedulis, nisi duæ Collegii partes in unum quempiam convenerint, comburantur scedulæ: nec prius ad quempiam accessus fiat, quam sexies scrutinium sit legitime tentatum. Interim cogitent Cardinales, quantam rem tractent; & ita agant, ne Dei indignationem, & mortalium accusatio-

ſationem incurrant. Electus in Pontificem Romanum Canonice per Collegium, ſi eſt intus, ſive per aliquem Cardinalium, ſi eſt extra Conclave, coram Notario, & decem teſtibus requiratur, ut electioni conſentiat. Quod niſi intra integrum diem fecerit, electio nulla, atque irrita ſit. Conſentientem ſtatim Cardinales omnes venerentur, & ut Romanum Pontificem adorent, neque ultra de ejus Pontificatu cuipiam liceat dubitare. Tum publice profitebitur, & Deum Omnipotentem, Sanctamque Trinitatem teſtabitur, atque promittet, ſe quoad vixerit, Sanctam Fidem Catholicam amplexurum, ac perpetuo defenſurum ſecundum traditionem Apoſtolorum, & Generalium Sanctorum octo Conciliorum: videlicet Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis; ſecundi, & iterum tertii Conſtantinopolitani, ſecundi item Nicæni, & rurſus quarti Conſtantinopolitani; tum etiam Lateranenſis, Viennenſis, Conſtantienſis, & Baſileenſis. Ritum præterea ſervaturum Eccleſiæ jam traditum; Catholicam fidem, etiam ſi mortis periculum immineat, protecturum: daturumque operam, quantum fieri poterit, ad exſtirpationem hæreſum, morum reformationem, & pacem populo Chriſtiano procurandam. Juret etiam celebrationem Conciliorum, confirmationem, electionem ſe ſervaturum, ſecundum Decreta Baſileenſis Concilii. Quod votum manu ſua conſcriptum ſuper ſacram aram publice deponat, ipſumque deinde in publico primo conſiſtorio palam repetat. Quæ profeſſio ac promiſſio, ut recens ſemper firmaque in Pontificis mente permaneat, ſtatuit Sancta Synodus, quot annis in die ſuæ incoronationis votum id per unum ex Patribus inter Miſſarum ſolemnia publice recitari, cum exhortatione vehementi ad præſtandum, quod DEO teſte, univerſali Eccleſiæ promiſſum erat; monendumque Pontificem, ne ſibi, aut ſuis Eccleſiæ pecunias acquirat, ne perſonarum acceptor quoquomodo ſit. Non carni, non ſanguini, non præmiis, non gratiæ, ſed meritis & virtutibus honores, ac dignitates conferat. Pro meritis unumquemque tractet, & unicuique reddat, quod ſuum eſt. Quot annis poſt coronationis ſolemnitatem Pontifex cum Patribus per octo dies continuos agat de his, quæ ad Rempublicam tantum ſpectant; recenſeanturque, quæ Provinciæ, qui populi a Turcis, Saracenis, aliisve fidei hoſtibus vexentur; in qua Orbis Chriſtiani parte ſchisma, hæreſis, vel prava aliqua ſuperſtitio invaleſcat: ubinam Eccleſiaſticorum mores, aut Divinus cultus collabantur: ubi tyrannides, ubi publica ſcelera, ubi odia, ubi aperta bella inter Principes populosve Chriſtiano nomine ſæviant: hæc omnia tollere, emendare, periculisve imminentibus providere omni ſtudio curet. Familiam deinde ſuam Pontifex, moxque reliquos omnes Curiales inſtruat, ordinet, & ita in moribus emendet, ut omnibus aliis Chriſtianis exemplo eſſe poſſint. Simoniæ, libidinumque ſordes omnes procul pellat; juſtitiam recta lance, ac mundis manibus adminiſtrari curet: nec permittat, ut quicquam præter conſtitutum quoquomodo extorqueatur. Clerum Romanum in primis reformet, & circa Divinum cultum, & circa mores. Tum etiam populum, qui ſibi peculiaris eſt, verbo & exemplo ad virtutem exerceat. Cardinales vero ipſos cogat demendatas ſibi in urbe Parochias & cultu, & ſtructura reparare. Statuatque Epiſcopum quempiam virtute clarum, qui vice ſua Epiſcopalem in urbe gerat curam. De adminiſtratione deinde Provinciarum cum Patribus agat, ut recte, benigne, pacificeque gubernentur: non Tyranni, aut Domini, ſed optimi Patris more, ut optimos decet Sacerdotes: curetque omni ſtudio, ut factiones ſeditionesque omnes ex urbibus, locisque Eccleſiæ, & earum nomina prorſus tollantur. Provinciis ac civitatibus Eccleſiæ præficiat Cardinales, aut Prælatos, virtute, integritate, experientiaque præſtantes: eosque intra biennium aut triennium ad plus finire Magiſtratum cogat: quibus Cenſores poſtea conſtituat, qui ſubditorum querelis auditis, Præfectos ipſos aut abſolvant, aut damnent. In majoribus autem rebus omnia ad Pontificem deferant, qui unumquemque pro meritis tractet. Perveſtiget & crebro Pontifex, an Provinciarum Præfecti, ſive etiam civitatum Vicarii, ſeu Feudatarii aliquid injuſti aut inconſueti oneris ſubditis imponant: an dure, inſolenter, avareque ſe gerant: neque ſinat populos, quos Vicariis credidit, tyrannice regi, cum

ſui benigne gubernentur. Statuta Provincialia, quæ ſalubria ſunt & honeſta, ſervari jubeat: quæ autem ad factiones, aut inſolentias pertinent, ſubvertat. Intra annum ſuæ coronationis Provinciarum ac civitatum ſuarum Legatos ad ſe vocet, ab eisque inquirat ſtatum, & neceſſitates populorum, conſulatque utilitati, & commodo eorum paterno amore. Idem ſingulis bienniis repetere non erit inutile. Inter cætera, quæ Præfecti Provinciarum, civitatum, arcium, Vicarii, Feudatarii, aliique Magiſtratus, tum urbani, quam externi, jurare ſolent in principio ſuæ inſtitutionis, hoc addatur: quod ſede vacante, Provincias, civitates, oppida, & cætera, tenebunt nomine Sacri Senatus Cardinalium, eique plene obtemperabunt. Ne carni potius, quam ſpiritui ſatisfacere Romani Pontifices videantur; nemini impoſterum licere, quempiam ex ſua cognatione, ſive affinitate uſque ad tertium gradum in Ducem, Marchionem, Comitem, Feudatarium, ſive Vicarium locorum Romanæ Eccleſiæ aſſumere, illisve Legationes, Præfecturas Provinciarum, civitatum, ſive Arcium, aliosve Magiſtratus committere: neque eorum quempiam rei militari quoquomodo præficiat. Pontifici hæc molienti Cardinales omnes adverſentur: omnia autem contra hoc decretum acta a Succeſſore quamprimum irrita fiant. Redditus, cenſus, vectigaliaque omnia Romanæ Eccleſiæ undecumque venientia, ſecundum inſtitutionem Nicolai IV. ad ſacrum Senatum pro medietate pertinere. Neque licere Pontifici, Præfectos, aut aliquos Magiſtratus creare ſine conſilio, & aſſenſu Senatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Cardinales oportere Provinciarum Eccleſiæ ſolertem gerere curam, ſubditorumque paci, tranquillitati, & commodo omni ſtudio ſimul cum Pontifice incumbere: diligentiori tamen cura erga Romanam ipſam urbem, Romani Pontificis præcipuam ſedem, & tot Chriſti Sanctorum venerandum receptaculum. Pro reparatione igitur Eccleſiarum, mœnium, viarum, pontiumque, ac pro ſecuritate commeantium peregrinorum, pecuniæ aliquæ ſtatuantur, ex vectigalibus ipſius urbis, quæ in eos uſus fideliter (*) exponantur; ut Servi ſervorum Dei officium, quod profitetur, impleatur. Pontifex benignum, facilemque in audiendo ſe præbeat, pauperibus præſertim atque oppreſſis; eorumque neceſſitatibus opportune, quantum licet, conſulat. In ſingulas hebdomadas unum ſaltem diem audientiæ publicæ ſtatuat, audiatque omnes æquo animo; quod ſi per valetudinem non licet, quempiam virum auctoritate, & dignitate clarum ſubſtituat, qui ſuo nomine audiat & referat. Vice Cancellario, Pœnitentiario, Camerarioque, atque aliis curiæ Officialibus mandet, ut pauperes mature & ſine præmio, aut ſolutione aliqua expediant. Diebus Feſtivis & Dominicis ad Miſſam in publicum prodeat Pontifex, & re Divina peracta audiat ſupplices. Octavo quoque die, vel ſaltem bis in menſe publica conſiſtoria celebret; in quibus cauſas majores audiat, Eccleſiarum ſcilicet Cathedralium, Monaſteriorum, ac Principum. Minores autem cauſas per Vice-Cancellarium agat, neque ſe illis occupet gravioribus rebus neceſſarium. Pontifici non licere ſine conſilio & aſſenſu Patrum graviora negotia tractare aut finire, fidei ſacras deciſiones, Canonizationes Sanctorum, erectiones, ſeu oppreſſiones, diviſiones, ſubjectionesve Eccleſiarum Cathedralium, Monaſteriorum; tum promotiones Cardinalium, confirmationes, ac proviſiones Eccleſiarum Cathedralium, ſive Monaſteriorum; privationes, ſive translationes Abbatum, Epiſcoporum, ſive ſuperiorum; legum, & ſtatutorum conſtitutiones, Legationes de latere, commiſſiones Vicariorum, ſeu Nunciorum cum poteſtate Legati de latere, novas religionis inſtitutiones, & hujusmodi alia. Tum ne ſacer Cardinalium Ordo nimia numeroſitate Eccleſiæ ſit gravis, aut vileſcat multitudine, ſtatuit ſancta Synodus, ut numerum viginti quatuor nullomodo excedant; utque omnibus nationibus, atque Provinciis fidelium ſatisfaciat, curandum, ut ex omnibus, quantum fieri poteſt, pro regionum proportione aſſumantur. Ita tamen, ut de una natione ultra tertiam partem aſſumi nullomodo poſſint ad eam dignitatem, neque ex una civitate, aut Diœceſi, præter unum. Quod ſi nunc ſupra tertiam partem ex aliqua natione Cardinales inveniantur, neque amplius ex eadem aſſumendum, quoad infra tertiam

(*) *forte:* expendantur

tiam partem venerint. Assumendos præterea esse ad tantum fastigium viros scientia, moribus, ac rerum experientia claros, non minores XXX. annorum, Professoresque sacrarum litterarum, sive Divini aut humani juris rigorosa examinatione probatos. Viginti quatuor Cardinalium Senatus tertia, aut quarta saltem pars ex Professoribus sacrarum literarum constet. Poterunt tamen in hoc numero aliqui filii, fratres, aut nepotes Regum, aut magnorum Principum admitti, sed admodum pauci: in quibus, si probitas, & morum gravitas aderit, mediocris litteratura sat erit. Nepotes ex fratre, vel sorore Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis, nullo modo ad Cardinalatum admittantur. Poterunt tamen huic numero duo adjungi, etiamsi professionis gradus non habeant, si sanctitate vitæ, aut præclara virtute sint præditi: & etiam aliquis ex Græcis, si ad unionem venerint. Cardinalium electio per vota auricularia nequaquam fiat, sed viva omnium voce, ac per subscriptionem propriæ manus majoris Patris Cardinalium in Collegio factam: fiant etiam super ea Apostolicæ literæ cum subscriptione Cardinalium. Cardinales novi, cum suscipient insignia suæ dignitatis, in consistorio, si sint præsentes, absentes vero in manibus alicujus Episcopi, cui id munus demandatum erit, publice jurejurando promittent, se deinceps futuros fideles Beato Petro, Romanæ Ecclesiæ, Summo Pontifici, & ejus legitimis Successoribus: daturos operam pro viribus defensioni fidei, exstirpationi hæresum, emendationi morum, paci & quieti populi Christiani. Non consensuros alienationi bonorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sive aliarum quarumcunque Ecclesiarum, nisi in quantum jura permittunt: sed potius omni studio invigilaturos recuperationi, & augmento rerum Ecclesiasticarum. Romano Pontifici non suasuros, nisi quæ secundum Deum esse cognoscent, neque in contrariis votum suum daturos, seu ullo modo subscripturos. Mandata Apostolica fideliter exsecuturos, & Divinum cultum in titulo sibi commisso, & aliis suis Ecclesiis, pro viribus curaturos. Decima pars proventuum, quos Cardinales ex vectigalibus Romanæ Ecclesiæ percipiunt, reparationi templorum, & celebrationi Divini cultus titulorum Cardinalium attribuatur. Constituatque præterea quisque Cardinalis in suo titulo Sacerdotium unum perpetuum cum opportuno proventu: quod si vivens, aut moriens quis non instituerit, tantum ex ejus bonis titulo remaneat obligatum, ut pro decimis & Sacerdotio satisfiat. Cujus Decreti Exsecutor erit senior Cardinalium sui ordinis. Quilibet Cardinalis, per se, si præsens erit; sin minus, per Vicarium titulum suum, & Parochias sibi commissas singulis annis visitet, agatque diligenter Visitatoris officium. Et ut dispartitis oneribus, atque Provinciis omnia facilius diligentiusque curentur, Episcopi Cardinales diligenter inquirant, in quibusnam Regionibus hæreses pullulent, errores in fide nutriantur, aut vanæ exerceantur superstitiones. Presbyteri vero pervestigent, ubinam mores, & Divinus cultus, mandatorumque & legis observantia collabantur, negliganturque. Diaconi autem sedulo explorent, qui Reges, qui Principes, aut populi, & quamobrem seditiones bellaque inter se gerant, ac omnia Pontifici referant: curentque cum eo omnium necessitatibus, & calamitatibus, quantum pro viribus possunt, providere. Si Cardinales viderint Romanum Pontificem non bene vadentem, aut negligentem Pastoralem curam, & quæ Pontifici sunt indigna, facientem; sigillatim primo, & cum debita reverentia, & absque arbitris illum moneant, aperiantque ejus errata. Sin minus eis auscultaverit, in Collegio, adhibitis etiam aliquibus claris Prælatis id aperte agant, prædicantque, nisi se emendaverit, ejus gesta ad proximum Concilium se delaturos. Neque in hoc odium Pontificis curent, dum publicæ saluti consulant, modo cum caritate & reverentia omnia faciant. Idem etiam Pontifex in Cardinalibus faciat: & ita inter se gerant, ut pater in filios, & filii in patrem, sine æmulatione & rancore. Prælatos insignes, atque viros præclaros ad Curiam venientes, Cardinales benigne suscipiant: atque eorum negotia apud Pontificem, quantum per honestatem licet, promoveant, sine spe præmii, aut lucri. Neque particulari affectu quicquam persuadeant Pontifici, seu decernant contra justitiam, aut honestatem,

etiam ratione Patriæ, aut Principum suorum, sed ut Judices collaterales sine ulla personarum acceptione Reipublicæ consulant & honori Romanæ Ecclesiæ. Gravitatem simul & benignitatem servent Cardinales dignitati eorum condecentem. In suos, aut bene meritos, (*) & pauperes ita munifices sint, ut de nimia affectione reprehendi non possint: neve ita eos opibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis cumulent, ut obloquendi occasionem aliis præbeant. Excedentes in his Pontifex corrigat, & emendet. Pontificis, & Cardinalium familia, mensa, vestis, supellexque omnis, neque fastu, neque pompa, neque numero invidiam plebi contrahant: sed cum modestia & honestate omnia moderentur, ut aliis exemplo bene vivendi, non autem scandalo esse possint. Romanus Pontifex Gregorii Sanctionem in Concilio Generali editam servet. Habeat siquidem cubiculi sui Ministros ex Clericis, aut Monachis viros probos atque honestos in testimonium suæ conversationis. Oportet enim exemplum etiam dare his, qui foris sunt, juxta sententiam Paschalis Pontificis, qui ait: " Episcopi lectioni & orationi vacent: " & semper Presbyteros, & Diaconos, aut " alios boni testimonii Clericos habeant." Cardinalibus causæ tum Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, Principum, & majoris ponderis committantur: in aliis non occupentur, sed in Auditorio Rotæ expediantur. Pontifex, atque etiam Cardinales non mittant familiares suos ad promotos, sive confirmatos, quasi munera pro nuncio accepturos; quod hactenus factum est. Neque Pontifex quidquam ex bonis Cardinalis defuncti ratione annuli, (ut dicunt) accipiat. Et quamvis in alia Sessione abolita reservatione Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Dignitatum electivarum, statutum sit, Romanum Pontificem contra hujusmodi electiones canonice factas, nihil intentare posse, nisi ex magna, rationabili, evidenti causa in litteris Apostolicis exprimenda: quia tamen non pauca præter hujus legis mentem acta sunt: statuit Sancta Synodus, electiones fieri rite, & sine aliquo impedimento. Quod si forte aliqua electio tandem canonice facta asseratur Provinciæ, aut populo perturbationem afferre; Summus Pontifex, si rem periculosam cognoverit, audita parte ac defensa, de consensu majoris partis Senatus, cum subscriptione propriæ manus, rejecta scandalosa electione ad Capitulum illam remittat: infra tempus juris mandans, ut ad aliam electionem magis utilem procedant. Reservationes item omnes quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per Romanos Pontifices, quandocunque quovis pacto factas, revocat Sancta Synodus, & annullat tanquam inutiles, & Ecclesiis onerosas: præter eas tantum, quæ in corpore juris expresse continentur, & quæ in Provinciis, vel locis Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, fieri placuerit. Has quidem firmas, ratasque esse vult. His omnibus communi consensu rite firmatis, atque decretis in publica Sessione, confessus hujus diei solutus est.

LII.

SESSIO VIGESIMA QUARTA.

Alia deinde Sessio publica vigesima quarta, haud multo post habita est ad XVIII. Kalendas Maji anni ejusdem: in qua primum tempus, in quo Græci Italiam petere debebant secundum priores conventiones elapsum, prorogabatur ad totum mensem Maji anni sequentis. Tum decreta est Græcis ad Oecumenicum Concilium venturis publica fides, ut salvi venire ac redire in patriam possent: permissumque eis usque ad numerum septingentorum hominum, ut libere in Concilio & alibi loqui, & differere de fide, & opiniones suas rationibus & auctoritatibus adstruere possint; quos sancta Synodus salvos in patriam reducere suis sumptibus promisit, etiamsi unio non sequatur. Indulgentiarum vero Decretum sancitum est, quamvis toties a Pontifice improbatum. Concessum est enim his, qui tantam pecuniarum summam pro unione Græcorum conferrent, quantam integra hebdomada cum tota familia pro victu suo assumerent, semel in vita, & in articulo mortis plena indulgentia omnium peccatorum, atque eadem omnino, quæ anno Jubilæi Romæ conceditur, aut proficiscentibus in

(*) *forte:* aut.

in ſubſidium terræ ſanctæ ; aut ſi per annum ſingulis ſextis feriis, vel aliis diebus, ſi religione, aut alia re impediti ea die non poſſent, jejunarent, & preces quasdam effunderent: data eorum Confeſſoribus plena poteſtate abſolvendi omnes a quibuscunque exceſſibus, ſive cenſuris, ac diſpenſandi, etiam cum Clericis ab irregularitate occulta, præterquam occaſione bigamiæ, ſive voluntarii homicidii ; diſpenſandi etiam cum votis omnibus peregrinationis, ſive abſtinentiæ; & ab omni turpi quæſtu, uſura, ſive raptu: dummodo expenſæ, quæ in peregrinatione faciendæ erant, & male parta, ſi propriis perſonis reſtitui non poſſint, in hoc Græcorum negotium ſecundum Confeſſoris æſtimationem convertantur; abſolvendi etiam eos, qui ad hoſtes fidei prohibita adduxiſſent, ſi lucrum inde ſumptum huc conferant. Has autem indulgentias per biennium durare voluerunt. In hac vero publica Seſſione (ut ajunt) tres tantum & viginti infulati interfuerunt. X. Epiſcopi: & reclamantibus Legatis Apoſtolicis, ac ne hujusmodi Decretum indulgentiarum ederetur, fruſtra intercedentibus.

LIII.

SESSIO VIGESIMA QUINTA.

De Communicatione ſub utraque ſpecie.

Publica deinde Seſſio vigeſima quinta habita eſt Baſileæ ad decimum Kalendas Januarii, anni a Nativitate Domini trigeſimi ſeptimi ſupra mille & quadringentos : in qua communi conſenſu decretum & declaratum eſt : Communionem ſub utraque ſpecie, quoad non conficientes, & rem Divinam non operantes, non eſſe neceſſariam, neque de præcepto Salvatoris: ſpectareque ad Eccleſiam Chriſti ordinare, ac ſtatuere, quonam pacto non conficientes oporteat de Chriſti Sacramento communicare. Et cum ſub qualibet ſpecie, panis ſcilicet & vini, totus, atque integer Chriſtus ſit, obſervantes tamen Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, & ſub una ſpecie tantum communicantes, laudandos eſſe : neque illos ferendos, qui antiquum Eccleſiæ Latinæ ritum, a ſanctis Patribus non ſine urgenti cauſa approbatum, temere auderent permutare, cum pro firma & ſtabili lege ſit habendus.

LIV.

Contentio inter Patres de loco eligendo pro futuro Concilio cum Græcis.

Magna per hoc tempus inter Patres Concilii diſſenſio orta eſt, ingensque & periculoſa ſeditio. Nominaverat ſiquidem major pars Patrum pro loco Oecumenici Concilii cum Græcis celebrandi Avenionem, Baſileam, & Sabaudiam, Præſidentibus Concilii, & Legatis Apoſtolicis fruſtra reclamantibus: advenerunt & Legati Græcorum, qui acriter conquerebantur, conventa non ſervari, quando Avenio & Baſilea in Decreto concordiæ nominatæ non eſſent. Dure autem nimis agi ſecum, ſi Sabaudiam Græcos petere velint, quoniam ſit in Decreto : cum Græci ad ultimum dixerint Sabaudiam, quaſi aliis deficientibus; & cum etiam intelligerent pro Sabaudia, aliquem Italiæ locum Duci Sabaudiæ ſubjectum. Græcorum Imperatorem & Patriarcham, plerosque alios Prælatos, & proceres eſſe annis, & valetudine graves, neque illos poſſe Alpes ſuperare, ut Sabaudiam petant; neque etiam ob iter longum eis eſſe facile, aut tutum, petere Avenionem, Turcis eorum urbem aſſidue infeſtantibus. Tandem bonorum opera, diffidentes his legibus in concordiam tunc venere publico conſenſu: ſi Avenionenſes intra dies XXX. promiſſum mutuum ſeptuaginta millium aureorum numerata pecunia non ſolverint ; & inter alios XII. dies ſe id integre perfeciſſe, Patres legitime non docuerint, Concilium poſſe & teneri procedere ad electionem alterius loci. Appetente hujus termini fine, Avenionenſes paratam pecuniam habere ſe affirmant : ſed antequam mutuum faciant, petunt, ut publico Concilii Decreto firma electio de Avenione fiat: portus vicinus nominetur : decimæ ſtatuantur, quarum pecuniæ ſimul cum his, quæ ex indulgentiis provenient, occaſione mutui ſibi obligentur. Negabantur hæc, quod

quod præter conventa essent. Tandem elapso termino XXX. & XII. deinde dierum, Præsidentes Concilii, & Legati Apostolici convocant Patres ad novam loci electionem, quando Avenionensis nominatio esset exspirata. Secedit magna pars Patrum, quæ Pontifici erat infensa, & Concilium in Italia nullo pacto volebat: hæc factio ex vili plebe magna ex parte constabat; quamvis Ducem haberent Cardinalem Arelatensem, & nonnullos alios Prælatos. In alia parte, Sanctæ Sabinæ, qui & Sancti Angeli dicitur, Sancti Petri ad Vincula Cardinales erant, & plerique alii digni Prælati, numero tamen longe superabantur. Præsidentes per illos, qui conventa servare, & novam electionem procedere volebant, cum alii vocati non venirent, primo in deputationibus, tum in Generali Congregatione legitime concludunt, Florentiam & Utinum in Forojulii, ponendam in manu Concilii: seu quemcumque alium locum tutum, in Decreto conventionis contentum, Summo Pontifici, & Græcis accommodum, esse eligendum pro Concilio: illum videlicet, qui citius paraverit, & expediverit pecunias, triremes, & alia opportuna: asserunt hoc sibi licere, etiam majori parte Concilii contradicente. Quod cum ipsa major pars non velit convenire ad electionem, ut ex communi Decreto tenebatur; & terminus sit jam elapsus, urgeatque necessitas locum eligendi, cum jam finis mensis Aprilis instet, & per totum sequentem Mensem Maji oporteat secundum conventionem & fidem Græcis datam, naves Constantinopolim appulisse, omne jus Concilii restet in eos, qui Decretum Concilii exsequi, & Reipublicæ consulere velint: sicut si in electione Episcopi intra tempus major pars Collegii eligere non vellet, minor potest eligere, & tota Capituli potestas in volentibus eligere permanet. At pars adversa asserens, nihil decerni posse sine consensu majoris partis, acrius irritata, Præsidente Cardinali Arelatensi concludit, Avenionensium postulata esse admittenda. Neque his contenta, publicam Sessionem indicit, ut Decretum firmet. Legati vero Apostolici, & qui Pontificis dignitatem tuebantur, concordiam quærentes, hortantur Patres, ut suæ sententiæ, quæ reipublicæ utilissima esset, vellent acquiescere; sin minus communi Decreto Avenio, sive Sabaudia pro Concilio eligeretur, hac conditione, ut, si adhibita omni diligentia, per Patres Græci non vellent ea loca acceptare, ut protestati erant, tum alius locus eligeretur, Græcis & Pontifici accommodus: quod si etiam hoc non placeret, mitterentur Legati ex Concilio Constantinopolim, qui Græcos ad quamcumque Latinorum terram possent, sive ad quam vellent, omnino deducerent; ita, ut non tam locorum utilitas, quam Græcorum salus quæri videretur, neve ob aliquorum passiones Latinæ Ecclesiæ fides inanis redargueretur. His tamen omnibus neglectis atque spretis, adversæ factionis capita Clericos undique cogunt: veniunt turmatim ex vicinis oppidis & civitatibus Sacerdotes, & qui etiam in urbe Patribus serviebant; plerique & in Ecclesia togati convenientes jussa præstabant suffragia.

LV.

SESSIO VIGESIMA SEXTA.

In qua per seditionem duo contraria Decreta statuuntur.

Celebratur igitur XXVI. Sessio magna frequentia, majorique dissensione Nonis Maji anni salutis MCCCCXXXVII. in qua sedentibus seorsim factionibus, a Præsidentibus Concilii, & Legatis Apostolicis Florentia & Utinum decernuntur, ut supra conclusum fuerat: portus autem nominantur Venetiæ, Arimini, Ravennæ, quem malint Græci. Decimas non ante esse imponendas statuitur, quam Græci portum Italiæ appulerint unum de nominatis. Ne si forte aliquo fato impediti non venerint, illusum sibi Clerus conqueratur. Concilium interim Basileæ perseverare oportere. Legatos Constantinopolim mittendos, qui hæc Græcis nuntient, dentque operam, si possunt, omni studio, ut Græcos Basileam perducant. Altera factio, quæ multitudine & numero se tuebatur, eodem die & eodem loco decernit, Avenionensium postulata esse admittenda, Avenionem & Sabaudiam

am pro futuro Concilio ſtatuit. Portum illis viciniorem nominat: decimas & indulgentias decernit Avenionenſibus concedendas. Duobus igitur Decretis omnino contrariis, & eadem Seſſione editis creſcit in dies ſeditio: & cum Baſileenſes, (ſic enim factionem Pontifici adverſam appello) non permitterent, ut Concilii ſigno decretum adverſæ factionis ſignaretur; Præſidentes facto novo Decreto, ſtatuerunt Bullam Concilii Cardinali Sancti Petri ad Vincula, Archi-Epiſcopo Panormitano, & Epiſcopo Burgenſi eſſe credendam, qui litteras Decretorum ab ipſis factorum ſignarent, & debitæ exſecutioni mandarent. Quorum poſtea opera, & Bulla munitæ ſunt litteræ, & Arca, in qua Bulla ſervabatur, ad Sacrarium Sancti Leonardi eſt translata. Unde major & periculoſior tumultus poſtea exortus eſt, & tandem Arca ipſa multitudinis violentia ad priſtinum locum reducta. Eugenius autem Pontifex, qui tum Bononiæ erat, inſtantibus Græcorum Legatis, nominationem Florentiæ & Utini pro Oecumenico Concilio approbavit, & confirmavit ad IV. Kalend. Junii ejusdem anni.

LVI.

Legatio Baſileenſium ad Venayſinos.

Baſileenſes vero, ut rem Avenionenſem ſibi curæ eſſe oſtenderent, Legatos ad Comitatum Venayſinum mittunt, qui Concilii nomine petant, Venayſinos commeatu & aliis ad victum opportunis Avenionenſes juvare, ſi Concilium illuc transferatur. Provinciales facto Conventu communi conſenſu reſpondent, jucundo animo ſe audire Concilii adventum ad Avenionenſem urbem; cum maxime intelligant, id fieri Romano Pontifice, & Sacro Senatu benevolentibus. Se autem & Patres ſuos ſemper fuiſſe, & eſſe fideles ſubditos Romanæ Eccleſiæ, & in ejus ſemper poteſtate futuros. Proinde ſi Romani Pontificis, & ſacri Senatus voluntatem aperte cognoverint, in nulla re Concilio defuturos. Et cum jam promiſerint Avenionenſibus quartam partem frumenti & vini unius anni ex tota Provincia mutuo concedere, nunc paratos eſſe in gratiam Patrum Concilii, partem illam dono dare, ſi id gratum futurum eſſe ſciant Summo Pontifici.

LVII.

SESSIO VIGESIMA SEPTIMA.

In qua citatur Eugenius ad Concilium intra ſexaginta dies.

Creſcente in dies ſeditione, cum Baſileenſes audiiſſent Eugenium adverſariorum Decreta confirmaſſe, acrius irritati contra ipſum hujusmodi edictum decernunt, prohibente tamen, & proteſtante Juliano Cardinale Sanctæ Sabinæ, Præſidente Concilii, & conquerente, quod ſuper defenſione Pontificis non audiretur: quem & Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, & plerique optimi Patres ſequebantur: quibus etiam dilatatio ad tertiam diem denegata eſt, & præter ordinem eodem die generalis Congregatio, & publica Seſſio eſt habita: Eugenium Pontificem, quem ex officio par erat alios monere, & ſua auctoritate cogere ad obſervandum Sacri Concilii leges, præcipuum eſſe, ſemperque fuiſſe omnium Decretorum ac Statutorum Concilii prævaricatorem, contemptoremque. Hunc Patres litteris, Nuntiis, Legationibus perſæpe rogaſſe, ac monuiſſe, ut electionem Prælatorum per Collegia Canonica fieri ſineret: ut confirmationes Eccleſiarum, collationes Eccleſiaſticorum Beneficiorum, & aliarum gratiarum conceſſiones ſine pecuniis, gratisque faceret, cæteraque alia impleret, quæ Sancta Synodus ſervanda ſtatuiſſet: cum ex declaratione Sacri Concilii Conſtantienſis oporteat Romanum Pontificem in his, quæ ad reformationem morum Eccleſiæ pertinent tam in Capite, quam in membris, ſtatutis Concilii obtemperare: Eugenium tamen, etſi alias monitus, promiſit Concilii Decreta obſervare, nunc tamen Eccleſiam Dei publice perturbare. Electiones Prælatorum Canonice factas infringere, translationes Eccleſiarum, etiam invitis Prælatis, contra Patrum Decreta agitare, Concilio parentes pœnis & cenſuris injuſte afficere, dignitatibus, & beneficiis privare, pecuniarum graves ſummas ex collationibus

bus Beneficiorum, ac conceſſionibus gratiarum per ſimoniacam labem extorquere in animarum Chriſti fidelium perditionem, Eccleſiarum Chriſtiani orbis ruinam, & omnium Provinciarum expilationem; Beneficia vero & dignitates non tam bene meritis, quam ſanguine & amicitia junctis conferre, ſive his, quibus magni Principum favores, munera, ſeu ſpecialis gratia ſuffragantur. Inde fieri, ut indigni plerumque aſſumantur. Appellationes præterea a Concilio factas paſſim admittere, & contra ejus declarationes ſententias ferre. Excommunicatos a Concilio ſine aliqua ſatisfactione abſolvere, ardua & graviora negotia etiam ſine legitimo conſenſu ſacri Senatus plerumque tractare, Eccleſiæ Romanæ patrimonium dilapidare: urbem Præneſte Burganum, & pleraque alia Eccleſiæ loca per Milites ſuos ſine cauſa evertiſſe, impedimenta etiam complura intuliſſe, ne unionis cum Græcis tractatus inceptus abſolvi poſſet; indulgentias plenarias multis conceſſiſſe in præjudicium indulgentiarum per Concilium conceſſarum. Juramentum, quod in ſua Electione ad Pontificatum præſtitiſſet, aperte violaſſe, & perjurii crimen temere incurriſſe: Eccleſiæ Romanæ agros, urbes, & loca complura alienaſſe, alia ſua culpa perdidiſſe: dediſſeque occaſionem, ut cædes, incendia, direptionesque multæ factæ ſint: & denique obſtaculo atque impedimento eſſe, ne Reipublicæ neceſſitati per Concilium conſuli poſſit. Proinde cum hæc publica ſint Pontificis geſta, quibus univerſalis Eccleſia perturbatur, non amplius eſſe diſſimulandum. Igitur Sanctam Synodum diem Eugenio dicere, utque intra ſexageſimum diem ad cauſam dicendam Baſileæ compareat, monere: quod ſi non fecerit, daturum operam Concilium, ne quid detrimenti ob ejus contumaciam Reſpublica Chriſtiana patiatur. Jubere etiam omnes Romanæ Eccleſiæ Cardinales intra eundem terminum in vim præſtiti juramenti, & ſub pœna amiſſionis omnium Beneficiorum ſuorum Baſileam ſe ad Concilium transferre, Reipublicæ conſulturos. Hæc ſancita ſunt Baſileæ in publica Seſſione pridie Kalendas Auguſti anni MCCCCXXXVIII. non tamen ſine magna contentione.

LVIII.

SESSIO VIGESIMA OCTAVA.

Irritatur Creatio Cardinalis ab Eugenio facti.

Nec multo deinde poſt, ad VIII. ſcilicet Kalend. Octobris ejusdem anni, cum didiciſſent Baſileenſes, Eugenium Pontificem ſacro Senatui adſcripſiſſe Johannem Patriarcham Alexandrinum contra eorum ſtatuta; alia duo Decreta jam pridem edita inſtaurantur: primum, Pontifici Romano a Generali Concilio abſenti non licere novos Cardinales creare ſedente Concilio. Alterum, de numero & qualitate creandorum tum publico Decreto ſanxerunt. Aſſumptionem Patriarchæ ad Cardinalatum nullam eſſe atque irritam: juſſitque Eugenium, illam, ut temere factam, revocare. Facta ſunt hæc in publica XXVIII. Seſſione.

LIX.

SESSIO VIGESIMA NONA.

Revocatur Decretum de Florentia & Utino.

Poſtridie ejus die ſtimulante factione Baſileenſium publica Seſſio habita eſt, in qua prævalente factione, Decretum Florentiæ & Utini per Præſidentes Concilii revocatum eſt & irritum factum: declaratumque, litteras ſuper ea re ſigno Concilii confectas adulterinas eſſe, & nullius momenti, ſive valoris, neque his fidem adhibendam: tum ſtatutum in eadem Seſſione, nemini unquam licere, neque etiam Pontifici Maximo, civitatem Avenionenſem, Comitatum Venayſinum, & ſubjectum in ea regione agrum Romanæ Eccleſiæ quoquomodo alienare. Quod ſi forte temere ab aliquo fiat, id irritum eſſe & inane. Civitatem ipſam Avenionenſem, agrumque prædictum, & incolas omnes ſub protectione ac tutela eſſe Sacri Concilii: perturbantes, vexantesque, aut quovis pacto illos moleſtantes, excommunicatos eſſe: Eccleſiæ etiam prærogativa gaudere oportere Epiſcopum Alba-

Albanenſem Cardinalem de Fuxo, Legatum Apoſtolicum, ejus Provinciæ Præfectum, quando & civitas, & Legatus optime de ſacro Concilio ſint meriti: & hæc ad VIII. Kalendas ſunt acta.

LX.

Baſileenſes, litteris Cæſarem in ſententiam trahere conantur.

Dicta fuerat dies Eugenio Pontifici, & citatio in eum decreta magna Patrum ſeditione, ut diximus: Cum Baſileenſis factio numero prævaleret, plerique tamen Prælatorum & Legatorum Principum, qui (*) erant, & præſertim Hiſpani, adverſa ſentiebant: neque putabant reipublicæ expedire hujuſmodi cum Pontifice concertationem. Baſileenſes vero, ut Sigiſmundum Cæſarem in ſuam traherent ſententiam, litteris ſuis diligentiſſime nuntiant, triremes ſe jam miſiſſe Conſtantinopolim, ut Græcos advehant, ad unionem navandam: verum Eugenium Pontificem, ſuosque ſectatores rem admodum interturbare: Archi-Epiſcopum Tarentinum litteras Concilii nomine ſuper electione Florentiæ & Utini falſo ſignaſſe. Patres vero, ut reipublicæ conſulerent, Eugenium in cauſam vocaſſe: dixiſſeque ei diem, ut prævaricatori & contemptori Concilii Decretorum, perturbatorique manifeſte Eccleſiæ Dei. Proinde orare Cæſaris Majeſtatem, ut ſuo auxilio, ſuaque auctoritate ſacrum Concilium tueri velit. Ad ea Cæſar reſpondet, moleſtiſſimo ſe animo audire hàs novas ſeditiones inter Pontificem & Concilium exoriri; hortari ut maturius in tanta re ſe gerant, neque ea agant, quæ diviſionem, & ſchiſmata ſint paritura; quo nihil rebus gerendis perniciosius evenire poteſt. Inveniſſe eos Eccleſiam Dei pacificam, & longo magnoque ſuo labore unitam. Meminiſſe debere Patres ſuæ profeſſionis, cum prædicent ſe ideo conveniſſe, ut Chriſtiani populi mores emendent, hæreſes pellant, & diffidentium animos componant: cavendum ne contrarios effectus pariant; ut qui Græcos ſe unituros pollicentur, Latinos ſæpe ipſos ſcindant. Conſuluiſſe ſe ſuper hac re Imperii Principes: omnium eſſe ſententiam ſuperſederi oportere ſuper proceſſu contra Pontificem; exquirendaque prius Regum, atque Principum conſilia: & quorum poſtea eſſent auxilia imploraturi, prius cognoſcerent, ſententias. Interim curandum, ut Principum opera ſeditio componatur. Si Patres hoc fecerint, daturum operam Cæſarem, ut Concilii Decreta ſerventur. Sin minus, ſe cum Regnis, ac Principibus ſuis Romano Pontifici non defuturum, ejusque dignitatem adverſus perperam impugnantes tutaturum. Hæc eadem paulo poſt; & Legati Principum electorum Concilio iterarunt.

LXI.

Baſileenſes Eugenium contumacem declarant.

At Baſileenſes in eorum pertinacia perſeverantes, ſpretis Cæſaris & Principum conſiliis, elapſo termino contumacem Eugenium declarant. Secedunt Hiſpaniarum Regis Legati; aperteque aſſerunt, ſe Regis ſui, Prælatorum ac Principum ſuæ nationis nomine, ei declarationi non conſentire: proteſtarique, ſi proinde ſchiſma aliquod oriatur, Hiſpanicæ nationi adſcribendum non eſſe. Eugenius autem his perceptis perverſorum hominum temeritati obviare cupiens, & per litteras ſuas Baſileenſium objecta diluit, & plenitudine poteſtatis, & de conſilio ſacri Senatus, Baſileenſem Synodum perperam ſe gerentem, ac nutrientem ſchiſmata diſſolvit: Patresque ſub gravibus pœnis & cenſuris juſſit abire, & novum inducit Concilium in civitatem Ferrarienſem: ad quod omnes Eccleſiarum Prælatos convocavit, multa afferens, cur ita facere reipublicæ expediret.

LXII.

SESSIO TRICESIMA.

Revocantur Eugenii geſta contra Concilium, & damnatur Ferrarienſis Synodus.

Hæc, ubi Baſileæ cognita ſunt, acrior ſeditio exoritur: conveniunt partes turmatim, hi præſertim, qui Pontifici adverſabantur, & poſt multas conſultationes publicam celebrarunt Seſſionem (**) XXX.

(*) *forte:* aderant. (**) *Diſſentit ab actis Concilii in ordine & numero Seſſionum.*

XXX. IV. Idus Octobris ejusdem anni; ubi Statuta, atque Decreta omnia Eugenii contra Concilium Basileense revocant, irritant & annullant: dissolutionem Basileensis Concilii, censuras, ac pœnas in non discedentes latas, indictionem Ferrariensis Synodi, ac Prælatorum illuc convocationem damnant, nulliusque esse momenti statuunt. Et, cum Concilium supra Pontificem potestatem habere affirment, monent Pontificem, nisi intra quatuor menses resipuerit, & omnia contra Concilium, conciliaresve statuta revocet, a Papali administratione secundum Decretum in XI. Sessione editum ipso facto esse suspensum, ipsamque Summi Pontificatus administrationem ad sacrum Concilium devolvi. Quod si per duos menses post interdictionem Pontificatus in sua pertinacia perseveraverit, procedendum esse contra Eugenium, etiam ad privationem Pontificatus. Cardinalibus & aliis Prælatis omnibus, qui in Romana Curia apud Eugenium essent, mandant, ut ad Basileense Concilium se conferant; alii ad sua quique Beneficia revertantur, sub privatione omnium Beneficiorum ac dignitatum: prohibent quempiam, cujuscumque sit dignitatis aut ordinis, etsi Cardinalaris, aut inferioris dignitatis, a Concilio discedere, prætextu dissolutionis, aut mandati Eugenii Pontificis. Jubentque omnes ad Concilium indictum, aut indicendum properare, & rempublicam ita tractare, ac si nulla dissolutio Concilii facta fuisset a Pontifice: Qui impedimento, aut molestiæ essent venientibus ad Concilium indictum, aut indicendum, seu ad illud Legatos, nunciosve mittentes, excommunicatos esse, etiamsi Imperator, Rex, aliusve Princeps sit, sive Cardinalis, Patriarcha, Archi-Episcopus, Episcopus; Universitates, Collegiaque Sacris sint interdicta. Pontificem vero ipsum magnis edictis prohibent, ne deinceps quidquam agat contra Concilium Basileense, Conciliaresve, neve in suis cœptis contra Concilium perseveret. Impetrationes, sive collationes Beneficiorum Conciliarium factas in Curia Romana per Pontificem, aut alias per viam privationis, cassat, atque irritat. Fautores, sive adjutores ad possessiones talium Beneficiorum consequendas excommunicat. Ordinarios, sive Collegia hujusmodi admittentes, sive literis Apostolicis parentes in hac re, censuris gravissimis ligat, quas decernit a nemine solvi posse, nisi a Concilio. Jubetque hujus Decreti paginam præ foribus Basilicæ Basileensis affigi, ut nullus ejus rei ignorantia possit excusari.

LXIII.

Divisio Christianorum in varias obedientias.

Dividitur Christianus Orbis his variis edictis. Alphonsus Rex Aragonum, qui Eugenio propter Regnum Neapolitanum erat infensus, Basileensis Decreta laudat, & probat. Amedeus Sabaudiæ Dux Legatos ad Eugenium mittit, rem Basileensium protegens: quibus Eugenius rei seriem diligentissime pandit, ostenditque multis rationibus, Basileenses non recte ambulare, & divisiones, scissurasque in Ecclesia quærere. In Concilio autem non suffragiis legitimis, & consuetis uti, sed multitudinem conductam convocare, ut numero vincant. Proinde ut necessitati Ecclesiæ consuleret, Concilium Ferrariam transtulisse, quod & Græci, qui aderant, & reliqui Latini approbarent, laudarentque. Placere tamen Pontifici, ut Dux operas suas interponeret pro honesta concordia inter se, & Basileenses: pollicerique illis commissorum impunitatem, si Basilea disedant; & futuros in omnibus salvos, si Ferrariam ad legitimum Concilium velint proficisci. Et Basileenses quidem litteris, & Nunciis apud Cæsarem, & alios Principes per se gesta in Eugenium justificare conantur: illumque affirmant, publice, & enormiter Ecclesiam Christi perturbare. Idem & Pontifex contra illos agit: alter alterum accusat, reprehendit, damnat: hic excommunicat, illi absolvunt: illi decernunt, iste abrogat: isti Basileæ, iste Ferrariæ Prælatos advocat. Quisque per se agit, & curat, ut alterius gesta injusta, sua Sancta videantur.

LXIV.

Legati ad Græcos per partem Concilii Eugenio Papæ faventem.

Cum pars Concilii, quæ Præsidentes & Legatos Apostolicos sequebatur,

in ſeditione (ut diximus,) Florentiam, & Utinum pro Concilio Oecumenico ſtatuiſſent, & approbantibus, petentibusque Legatis Græcorum, Eugenius id confirmaſſet, decreti ſunt ab ea parte Legati Concilii nomine ad Græcorum Principes, Dinienſis, & Portugallenſis Epiſcopi: qui menſe Junii Bononiam peterent, ubi Romanus Pontifex erat. Poſtquam omnia per Pontificem intellexerunt, ad Græcos in Italiam conducendos una cum Epiſcopo Coronenſi, Pontificis Oratore, Venetias profecti ſunt: ubi conſcenſa triremi, Cretam primum circa Idus Auguſti appulerunt. Ibi conſcriptis trecentis Balliſtariis, quos ad præſidium urbis Conſtantinopolitanæ, abſente Imperatore, conduxerunt; tertio Nonas Septembris Conſtantinopolim adnavigarunt: qui ab Imperatore & Patriarcha ſuſcepti, & auditi, eis perſuaſerunt, ut ſe ad navigationem pararent, ad Concilium in Italia celebrandum. Ornabantur igitur Conſtantinopoli triremes tres, una Major, duæ minores. Archi-Epiſcopus Tarentaſienſis, ac Nicolaus de Cuſa, Natione Germanus, qui poſtea fuit Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, ex Creta alias triremes tres majores paulo poſt adduxerunt, quibus Pontificis nomine Græci erant traducendi. Dum Græci ſe ad transfretationem accingunt, ecce quinto Nonas Octobris Avenionenſes triremes appellunt, Præfectis Viſenſi, & Lauſanenſi Epiſcopis; quorum adventus eo viſus eſt Græcis ineptior, quo aperte per Legatos Baſileæ proteſtati fuerant, ſe Avenionem nullo modo venturos. Ii, ubi data eſt copia fandi, Concilii Baſileenſis, ac multorum Principum litteras Imperatori primum reddiderunt: tum Concilii nomine, cujus ſe Legatos eſſe profitebantur, in vim præſtiti juramenti expoſtulant Græcos, ut Baſileam, Sabaudiam, ſive Avenionem, ad Concilium ſe quamprimum conferant. Oſtendunt Monitorium in Eugenium Pontificem editum: aſſeruntque, ſi in ejus triremibus navigare pergant, prius Eugenium a Concilio Pontificali dignitate dejectum iri, quam ad eum perveniant, atque eo pacto fruſtra illos ituros; cum exauctoratus Eugenius Concilium dare non poterit. Dinienſem, & Portugallenſem Præſules non eſſe Concilii veros Legatos, ſed adulterinos, & præter Patrum Decreta miſſos; quod & litteris Concilii approbabant. Niſi ad unum de nominatis locis ſe conferrent, Principes omnes, quorum litteras attulerant, ſimul cum Baſileenſi Concilio eis futuros hoſtes; daturosque operam, ut aliud Concilium celebrari non poſſit. Sin autem ſecum navigarent, Concilium, & Principes fauturos eis contra Turcas; decreturosque generalem expeditionem & cruciatam in hoſtes. Eadem & Patriarchæ Conſtantinopolitano retulerunt; qui ubi criminationes Eugenii ex Monitorio audire cœpit, Avenionenſes ſilere juſſit, & ab ſe dimiſit. Sed cum Legati Papæ, Dinienſis, & Portugallenſis, objecta omnia & difficultates Avenionenſium diſſolviſſent, Imperator, & Patriarcha ſe cum eis in Italiam navigaturos promiſerunt: multisque verbis hortati ſunt Avenionenſes, ut depoſitis odiis & diſſenſionibus ſimul Venetias vellent petere; ubi de loco Concilii commodiori eſſet diſceptandum. Illi vero indignati, minarum pleni ſolutis ancoris Peram petunt, & poſt quindecim dies quarto Nonas Novembris in Patriam revertuntur. Græci vero cum Imperatore, Patriarcha, & aliis Patribus ad VII. Kalend. Decembris cum novem triremibus iter ingreſſi ſunt. Venetiasque tandem appulerunt ad VI. Idus Februarii. Quod, cum Baſileæ renunciatum eſſet, illos ſcilicet e Græcia ſolviſſe cum Legatis Papæ, variæ inter Patres ſententiæ, multæque contentiones agitabantur. At Julianus Cardinalis, Legatus Apoſtolicus, convocatis Patribus, longa & ardenti oratione primum hortatur Patres, ut dimiſſis odiis atque contentionibus, Græcis jam jam Latinorum terras appetentibus obviam irent; & quos tantopere abſentes optaverant, nunc præſentes non ſpernerent: mitterent Legatos ſuos, qui eos (ſi poſſent) Baſileam, Avenionem, Sabaudiamve perducere curarent. Quod ſi non perſuaderent, agerent cum eis de loco Concilii, ita ut Græcos non propter locum, ſed locum propter Græcos amare videantur; Eugenio Pontifici reconciliarentur, ne venientibus Græcis ludibrio eſſent; ut qui aliorum concordiam quærerent, inter ſe diviſi reperirentur. Placere Eugenio, ut Sigismundi Cæſaris arbitrio cuncta componantur. Nefas eſſe Patribus, talem arbitrum recu-

recusare, cum Cæsar præcipuus semper auctor, fautorque Concilii fuerit. Tollatur a Patribus Monitorium, tollet & Eugenius translationem Concilii, promittetque Decretorum Concilii observationem, si talia fuerint, quæ & reformationi, & honori Sedis Apostolicæ consulant. Sed obstinatis animis frustra narrabatur fabula. Perstant in sententia Basileenses, &, nisi in loco a se delecto, non videntur passuri Concilium celebrari.

LXV.

Albertus Sigismundo Cæsare defuncto substituitur.

Moritur inter hæc Sigismundus Cæsar ad V. Idus Maji, salutis anno MCCCCXXXVIII. eique deinde in Imperio, & Regnis subrogatur Albertus, Dux Austriæ, ejus gener; & Principes Electores Imperii Legatos ad Eugenium mittunt, qui Ferrariæ cum Græcis jam Oecumenicum inchoaverat Concilium. Summa Legationis hæc erat, ut Pontifex pro unione & pace Ecclesiæ pateretur alium locum eligi pro Oecumenico Concilio, nihil amplius contra Basileenses innovaret. Ad ea respondit Pontifex, quamvis Concilium legitime Ferrariæ inchoatum esset, & a Græcis approbatum, non expediret rebus gerendis, & utilitati publicæ illud transferre; velle tamen exspectare Alberti novi Cæsaris Legatos, & aliorum quamplurimorum Regum, ac Principum Christiani orbis, quos propediem ad se venturos cognovisset; quorum consilio & auctoritate statuisset se rem hanc pertractare: rogare autem Principes Electores, ut interim in aliquo Germanicæ Nationis loco convenirent cum Cæsare ad conventum celebrandum, ad quem ipse Legatos suos mitteret; qui optimam ejus mentem ad pacem & unionem Ecclesiæ, efficacem & diligentem operam ad unionem cum Græcis navandam, justitiam, innocentiamque suam in administratione Pontificatus, & Basileensium injurias, ac falsas calumnias omnibus plane ostenderent; cum plena tamen potestate Cæsaris, & Principum arbitrio conveniendi cum Patribus, qui Basileæ remanserant; sive etiam, si reipublicæ conducere videatur, alium locum nominandi pro Concilio universali. Quantum autem ad Basileenses attineret, quamvis ab eis quotidie injuste multipliciter vexaretur, impetaturque, placere tamen, ut contra eos judicia suspendantur, si & ipsi interim quiescant. Quod si non fecerint, protestari coram Deo, & hominibus, per se non stare, quin pax & unitas in Ecclesia Dei perseveret.

LXVI.

SESSIO TRIGESIMA PRIMA.

Eugenius ab administratione Pontificatus suspenditur.

Basileenses vero post hæc, cum audirent Ferrariense Concilium in dies augeri, ad IX. Kalend. Februarii publicam Sessionem (ut consueverant) tenent, anno salutis MCCCCXXXVIII. in qua quidem Sessione trigesima prima secundum Decreta Constantiensis Synodi, quæ jubet Romanos Pontifices dissolventes, aut transferentes Concilia Generalia sine Patrum communi consensu, nisi intra quartum mensem resipuerint, & dissolutionem revocaverint, suspendendos esse ab administratione Papali; & post duos alios menses, si in pertinacia perseveraverint, privandos omni Pontificis dignitate; Eugenium IV. Romanum Pontificem, ut manifestum contumacem, & in aperta rebellione perseverantem, ac notorie incorrigibiliterque Dei Ecclesiam scandalizantem, ab omni administratione Papatus suspenderunt: comminatique sunt, se ad ulteriora processuros, si opus fuerit, absque alia vocatione. Administrationem autem omnem Pontificatus, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, ad sanctam Synodum spectare declaraverunt. Decernentes irritum & inane, quidquid deinceps ageretur ab Eugenio. Principes omnes Christianos monent, hortanturque, Prælatos autem Ecclesiarum, cujuscumque dignitatis aut ordinis Vicarios, Feudatarios, Vasallosque omnes Ecclesiæ Romanæ jubent, ut Eugenio minime pareant durante suspensione: eosque omnes per id tempus ab

ab omni juramento, quo illi tenerentur, absolvunt: mandant præterea omnibus Cardinalibus, aliisque Prælatis quibuscumque, atque aliis Officialibus, & quibusvis Romanam Curiam sequentibus, sub pœna excommunicationis, & privationis omnium Beneficiorum, ut intra quadragintà dies ab ipso Eugenio, & Romana Curia discedant. Cardinales autem, & alii Prælati, qui secundum sanctorum Patrum Decreta petere Concilia, sunt obnoxii, Basileam ad Concilium se conferant; alii ad sua quique Beneficia divertant, vel ad Concilium ipsi veniant. Causas omnes, quæ in Romana (*) agitantur, Ecclesiasticas, Spirituales, profanas, civiles, criminales, sive mixtas ad se advocant: inhibentque Judicibus omnibus, Auditoribus, & Commissariis Romanæ Curiæ, cujuscumque sint dignitatis, aut ordinis, ne quoquomodo in eis causis procedant: decernentes irritum & inane, si secus a quopiam fieret: & transgressores hujus Decreti excommunicationis sententia innodarunt, a qua nisi per Synodum possint absolvi. Tum statuunt causas omnes ultra quatuor diætas a Romana curia distantes, præter majores, quæ sacris Patrum Decretis exprimuntur; & causas electionum Ecclesiarum vel Monasteriorum, deinceps in Provinciis propriis apud ordinarios judices esse cognoscendas, finiendasque: neque licere cuique appellare, nisi ad judicem immediate superiorem; neque etiam ad Pontificem Maximum, nisi sit immediatus Superior: & tum Pontifex causam ipsam per rescriptum ad Provinciam ipsam usque ad finem litis remittat: nisi forte propter defectum justitiæ, aut justum metum aliter facere cogatur: & tunc in propinquis Provinciis causa poterit committi. Ab hoc Decreto exemerunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Officialesque omnes Romanæ curiæ in curia commorantes tantum, quoad Concilium aliud statuerit: Voluerunt causas omnes, quæ in Romana Curia vertuntur (ut dictum est) ad Concilium esse advocatas, neque licere de eis quoquo modo agi apud Papam, aut apud Conventiculum Ferrariense, (ita enim appellabant Ferrariense Concilium:) & ut dignitates, Beneficiaque Ecclesiastica idoneis, ac bene meritis conferrentur, minuerenturque lites & ambitiones, hujusmodi Decreta statuerunt. Primum, quoniam gratiæ exspectativæ ad Beneficia Ecclesiastica confusionem Ecclesiis generant, ministros plerumque minus idoneos afferunt, occasionem optandæ mortis inferunt, lites & contentiones augent, ex quibus Provinciæ & Ecclesiæ pecuniis exhauriuntur; angustias, solicitudinesque exspectantibus litigantibusque præparant: ac fraudes, dolos, circumventionesque infinitas pariunt, ordinem Ecclesiasticum perturbant, & ordinariorum collatorum jurisdictionem confundunt: (**) statuere, non licere deinceps Romano Pontifici, gratias exspectativas, sive nominationes ad Beneficia quoquomodo concedere; concessas autem, quarum processus non sunt expediti, nullas esse: alias ratas haberi, quoad aliter a Concilio sit deliberatum. Reservationes etiam particulares Beneficiorum, tam per summum Pontificem, quam per Legatos ejus factas, irritas esse & cassas. Licere tamen Romanis futuris Pontificibus, tempore sui Pontificatus de uno Beneficio tantum ad collationem, in qua fuerint decem Beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, & ultra pro arbitrio suo honeste disponere. Ita tamen, ut in eodem Collegio duas Præbendas non conferat: salvumque esse perpetuo Romano Pontifici jus præventionis in collatione Beneficiorum. In conferendis autem Beneficiis Ecclesiasticis hunc modum servari voluerunt. Primum, ut saluti animarum, Doctrinæque Ecclesiæ consulatur. Prima Præbenda, quæ in Cathedralibus Ecclesiis vacabit, conferatur alicui Magistro, vel Licentiato, vel Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in publicis Gymnasiis studuerit, & residentiæ, lecturæ, ac prædicationis onus voluerit subire. In omnibus autem Collegiis Canonicorum tertia pars Præbendarum ad minus conferatur doctrinarum Professoribus; quos graduatos appellant. Ita ut prima vacatura conferatur graduato, duæ sequentes aliis; tum alia iterum graduato; & sic deinceps, his videlicet: Magistris, Licentiatis, & Baccalaureis formatis in Theologia, qui per decennium in publicis

(*) *forte:* Curia agitantur (**) *forte:* statuunt

licis Gymnasiis studuerint; Doctoribus, Licentiatisve in altero jurium, sive in Medicina, qui per septem annos; Magistris, sive Licentiatis in artibus, qui per quinquennium: & si nobiles ex utroque parente, & ex antiquo genere fuerint, sat erit, ut annis sex in Theologia studuerint, & in altero jurium annis tribus. Qui autem ex prædictis alias præbendas duas, sive alia Beneficia obtinerent, propter quæ in alio residere non possent, hos non esse connumerandos in dicta tertia graduatorum, præsertim si ea Beneficia sunt census ducentorum aureorum. In Parochialibus vero Ecclesiis per civitates & oppida etiam, ut superius, graduati assumantur, qui minus per triennium in publicis Gymnasiis studuerint. Hujusmodi autem graduati, qui ad Beneficia promoveri cupiunt, nomen suum per tempus Quadragesimæ singulis annis dent ordinariis Collatoribus: quod si non fecerint, collatio in alios per Ordinarios facta rata erit: si vero contra hujusmodi Decretum collatio aliqua, sive præsentatio Beneficiorum fiet, nulla sit omnino, & cassa. His solemni ritu decretis ad IX. Kalend. Februarii (ut diximus) ne Provinciæ Romanæ Ecclesiæ sine Rectore & Administratore remansisse viderentur, interdicto Pontificatu Eugenio, aliud duodecim virorum Collegium statuerunt, quod curam administrandarum Provinciarum susciperet, ternos ex qualibet Natione. Hi Legatos duos de latere statim constituerunt: Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, qui favore Alphonsi, Regis Aragonum & Siciliæ, urbem Romam, & Vicinas Ecclesiæ Romanæ Provincias: & Valramum postulatum Trajectensem, qui Bononiam, quam Nicolaus Piccinius per id tempus occupaverat, & exarchatum, favore Philippi Ducis Mediolani, cui carissimus erat, administrarent. Basileenses siquidem plurimum in Rege Aragonum, & Duce Mediolani confidebant; qui & Concilio dediti, & Eugenio infensissimi videbantur. Sed Cardinale & postulato Provincias recusantibus, petente Duce Cardinalis Ursinus Legatus declaratur. Verum forma juramenti, quam Basileenses ex Legato exigebant, Duci non placebat, & Cardinalis illis diebus est vita subtractus: Dux vero Cardinales Sanctæ Crucis, & Sanctæ Sabinæ Legatos decerni petebat, viros Basileensibus minime gratos. Tandem post multos tractatus Philippus Dux, qui suspensionem Eugenii summo studio expostulaverat, nunc aperte Basileensibus ostendit, non sibi placere, ulterius contra Eugenium procedi: hortabaturque Patres, ut tertium Generale Concilium fieri paterentur in una ex suis civitatibus, vel alibi in Italia, ubi opportunius videretur. Julianus autem Cardinalis Sanctæ Sabinæ, Sancti Angeli appellatus, ut vidit Basileenses in proposito Pontificem deponendi obstinatos, Basilea discessit V. Idus Januarii. Et Patres concione advocata, Ludovicum, Cardinalem Arelatensem, qui unicus tunc Cardinalis in Concilio supererat, Præsidentem creant cum plena potestate: & Classis Præfectus Nicolaus cum Legatis Basileensium e Græcia reversus, Magistratu se abdicavit, redditis vexillis & sceptro. Tum dicta est dies Archi-Episcopo Tarentasiensi, quod contra Concilium Basileense egisset, torturæ exposuisset Heraldum Ducis Sabaudiæ per Concilium in Græciam missum: vocati sunt ad causam dicendam, quamvis absentes, Diniensis, & Portugallensis Episcopi, ac Nicolaus de Cusa, quod falso se appellassent Concilii Legatos.

LXVII.

SESSIO PRIMA

Principium Concilii Ferrariensis.

Inter hæc convenerant jam Ferrariæ Patres complures Concilii celebrandi gratia: & Nicolaus Sanctæ Crucis Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, Eugenii Pontificis nomine Concilio Præsidens, primam publicam Sessionem solemni more habuit, quarto Idus Januarii, anno salutis MCCCCXXXVIII. in qua hæc communi consensu decreta, statutaque sunt: Eugenium Pontificem ob causas justas & necessarias, atque urgentes, ad removenda impedimenta, quæ unioni cum Græcis tractandæ interponebantur, propellendumque imminens schisma, de consilio sacri Senatus, approbantibus, laudantibusque Prælatis Romanæ curiæ magno numero, transtulisse Basileensem Synodum

dum Ferrariam; eam translationem legitimam & Canonicam esse; ac proinde Ferrariense Concilium Oecumenicum legitime congregatum esse; oportereque illud incumbere unioni navandæ cum Græcis, consummationique rerum illarum, quæ Basileæ inceptæ, nondum finitæ essent: neque propter hanc translationem, quæ ob publicam utilitatem manifeste facta esset, Eugenium Pontificem comprehendi Decretis octavæ & undecimæ Sessionis Concilii Basileensis. Congregationem illorum, qui post translatum Concilium Basileæ pertinaciter remanserunt, sive quamcumque aliam præter Ferrariæ legitime congregatam, non esse Concilium Generale, neque auctoritatem illam (*) potestatemve habere: omniaque per Basileenses gesta actaque post translationem, irrita esse & nulla; nisi forte pro reductione Bohemorum aliquid egerint utile, quod sacrum Ferrariense Concilium laudabit, probabitque: omnes, qui in verba olim Basileensis Concilii jurassent, absolutos liberatosque esse ab eo juramento. Nemini omnino licere ex Conciliariis Concilii Ferrariensis, cujuscumque sint gradus aut ordinis, molestare; seu quoquo modo etiam in Beneficiis, aut dignitatibus vexare, quamdiu in Concilio, sive in curia Romani Pontificis perseverabunt. Molestatores, etiamsi Cardinales, aut inferioris dignitatis sint, excommunicatos esse, Collegia & Universitates sacris interdicta: & nisi intra tres dies a molestatione cessaverint, sive Beneficio, aut dignitate per se pulsos non restituerint, ipsos cum omni dignitate, etiamsi Episcopali & supra, omnique Beneficio Ecclesiastico ipso facto esse privatos. Eos etiam, qui Conciliarium, sive Curialium hujusmodi Beneficia, sibi a quovis collata acceptaverint, excommuniactos item esse, omnique honore & Beneficio privatos, inhabilesque ad futura. Demum convocaverunt omnes ad Generale Concilium Ferrariense, quos ad Concilia secundum sacras leges venire oportet. Venerant jam Græci Venetias ad VI. Idus Februarii, & Eugenius Pontifex paulo post Ferrariam se contulit ad Concilium, ubi ad XV. Kalend. Martii celebrata publica Sessione secunda, hæc approbante Concilio decrevit.

(*) *lege:* ullam

LXVIII.

SESSIO SECUNDA

Concilii Ferrariensis, in qua Basileenses damnantur.

Basileæ post translationem Concilii legitime & necessarie factam, sub nomine Generalis Concilii remanentes, quoniam sanctissimam Græcorum unionem omni studio perturbant, audentque sua temeritate Romanum Pontificem inique judicare, omnes & singulos, etiamsi Cardinales, Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi, & minoris dignitatis sint, cujuscumque ordinis, excommunicatos esse, ac Beneficiis, dignitatibusque omnibus privatos esse, & ad futura inhabiles, omnia eorum gesta, decretaque a tempore translationis, tam contra hujusmodi translationem, quam contra Conciliares Ferrarienses, Curialesve Summi Pontificis, irrita & nulla esse. Prælatos omnes cujuscumque gradus & dignitatis in vim præstiti juramenti Apostolicæ Sedi discedere oportere e Basilea intra triginta dies; alioquin pœnis supradictis subjectos esse: Magistratus, civesque Basileenses, nisi infra prædictum tempus remanentes ejecerint, in eadem esse censura: neminique licere mercimoniis, aut alia quavis re Basileam, nisi paruerint, juvare: contra hanc legem aliquid Basileam importantes, impune ab omnibus spolientur, diripianturque: sint ejus bona primi occupantis. Si tamen quispiam ante triginta dies resipuerit, discesseritque, impunitas sit ei concessa, & omnium injuriarum remissio.

LXIX.

Dux Bavariæ Bellum infert Basileensibus.

Hæc ubi decreta sunt, & per provincias Basileæ vicinas litteris Pontificis divulgata, plures Basileam petentes, aut hinc inde Concilii gratia transcurrentes sunt capti: & Stephanus Dux Bavariæ, & alii nonnulli bellum Basileensibus nunciarunt. Græcorum Imperator Basileensibus ex Venetiis scripsit, se in Italiam venisse, ut impleret promissa pro unione: & cum ipsi non satisfecerint conventis, se pro Oecumenico Concilio celebran-

lebran-

lebrando Ferrariam petiturum: hortaturque Patres, ut illuc ad Concilium se conferant. Rex Franciæ promittit se fauturum nominationi Basileensium pro Oecumenico Concilio. Rex Hispaniæ, & Electores Imperii, qui Francofordiæ congregati, Albertum Austriæ Ducem, ac Regem Hungariæ & Bohemiæ, Imperatorem designaverant ad XV. Kalend. Aprilis; hortantur Patres, ut a processu contra Eugenium supersedeant. Sed Ludovicus, Proto-Notarius Romanus, multis argumentationibus omnium objecta, & præsertim Græcorum diluens, hortatur, ut processum maturent.

LXX.

SESSIO TERTIA Concilii Ferrariensis.

Græci autem Nonis Martii Ferrariam ingressi sunt, & V. Idus Aprilis anni MCCCCXXXVIII. tertia Sessio publica Ferrariæ celebrata est: in qua Pontifex approbante Imperatore Græcorum, Patriarcha Constantinopolitano, Legatisque aliorum Patriarcharum Orientis, ac cæteris Patribus, qui Ferrariæ convenerant, declaravit Ferrariæ celebrari, & legitime congregatum esse Oecumenicum & Generale Concilium pro unione cum Græcis facienda, & ad alia perficienda, quæ Basileæ erant incœpta.

LXXI.

Principes & Legati frustra orant, ut ab omni processu contra Eugenium supersedeatur.

Appetebat jam terminus duorum mensium post suspensionem Eugenii a Basileensibus factam: post quem secundum Decreta Constantiensis Synodi privandus erat Pontificatu, si Concilio non satisfaceret: dies erat ad IX. Kalendas Aprilis. Quare Regum Hispaniæ Legati simul cum Oratore Ducis Mediolani, qui etiam nomine Alphonsi, Regis Aragonum, petebat, Patres hortabantur, rogabantque, ut ad diem octuagesimum judicium contra Eugenium differrent: alioquin nomine suorum Principum protestari, quod ei non consentirent, quoniam vereantur inde schisma oriturum: ex prorogatione autem fieri posse, ut concordia inter Papam & Concilium inveniatur. Archi-Episcopus Mediolanensis, qui se Primatem Italiæ appellabat, idem afferebat suo & Provinciæ suæ nomine. Quin & Ludovicus, Proto Notarius Romanus, qui nuper Eugenii acerrimus impugnator erat, instigaveratque Patres ad procedendum contra eum, nunc etiam sententiam differendi probabat. Sed cum res in longam disceptationem venisset, statuerunt tandem Patres procedendum esse; & ut maturius tantam rem aggredi viderentur, faciliusque ejus aditus pateret ad dejiciendum Pontificatu Eugenium, tamquam male de fide sentientem: ut qui in confictis contra eum criminibus non multum confiderent; communi consensu tria (ut ajunt) firmant fundamenta, quas veritates fidei appellant, declarantque ab omnibus esse tenendas, ut a sacro Constantiensi Synodo manifestatas: Romanos Pontifices Concilia Generalia legitime congregata dissolvere, prorogare, seu transferre minime posse sine majoris partis Conciliarium assensu: Concilium Generale habere potestatem immediate a Christo, cui etiam Romanus Pontifex obnoxius est: eumque in his, quæ ad fidem Catholicam, exstirpationem hæresum, ac schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ, tam in capite, quam in membris pertinent, Concilio obedire oportere. Romanum Pontificem non posse immutare ea, quæ spectant ad universalem Statum Ecclesiæ. Hæc qui non tenent, male de orthodoxa fide sentire.

LXXII.

SESSIO TRICESIMA SECUNDA BASILEENSIS

Contra Ferrariense Concilium, & ejus Sequaces.

Celebratur igitur post hæc publica Sessio XXXII. ad IX. Kalend. Aprilis, anni MCCCCXXXVIII. In qua decernuntur litteræ Concilii nomine ad Christianos Principes: quibus Basileensium gesta circa nominationem Concilii pro Avenione, Basilea, & Sabaudia, completorumque omnium promissorum in Concordatis cum Græcis narrantur, probanturque.

turque. Et econtra improbatur, damnatur electio per minorem partem facta de Florentia & Utino, Decretum illud falsum asseritur, & nullum, neque etiam secundum in eo contenta ab Eugenio servatum. Tum asseritur per Eugenium impeditum fuisse, quo minus Basileenses in tempore Constantinopolim petere potuerint; & ejus opera Græcos seductos ad locum Concilii per se nominatum non venisse, ut eos ad locum sibi placitum duceret; neque aliud quærere Eugenium, nisi ut Conciliis potestatem auferat supra Romanos Pontifices. Gesta omnia, Sessionesque, & Decreta in Ferrariensi Concilio, quod Conventiculum Schismaticorum appellabant, irrita esse & nulla, neminemque illis obedire oportere. Tum omnes, qui a die suspensionis Eugenii in ejus Curia perseveraverunt, omnesque, qui Ferrariense (ut ajebant) Conventiculum adierant, ad judicium vocant, intra XXX. dies responsuros, cur pœna in Sessione XXIX. decreta puniri non debeant. Declarant deinde molestantes, vexantesque quoquo modo Basileense Concilium, vel ad illud accedentes, recedentesque, pœnas, & censuras incurrisse in prima Sessione contentas; etiam si quis id egerit Eugenii Pontificis, Ferrariensiumve mandato, quod nullam potestatem habere affirmant. Posthac Concilii Procuratores accusationes Eugenii, causidicorum more, capitibus centum & quinquaginta, ut res atrocior videretur, Patribus proponunt: quas testibus, & publicis documentis se asserunt probaturos. Summa erat Eugenium IV. Romanum Pontificem pertinacem ac rebellem, violatorem ac perversorem Sacrorum Conciliorum esse, inemendabilem, atque incorrigibilem, & perjurum, qui per eum in sua assumptione solemniter jurata non servaverit; schismaticum, ac schismata nutrientem, qui stante Concilio Generali Basileensi aliud Conventiculum sub nomine Generalis Concilii erexerit Ferrariæ; pacis & unionis Ecclesiæ, ac sanctorum operum, propter quæ Sancta Basileensis Synodus congregata esset, turbatorem, ac impeditorem; de fide orthodoxa male sentientem, abnegantemque Articulum Symboli: Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam; quorum(*) Sanctorum Conciliorum Decretis, quæ Sanctam Ecclesiam repræsentant, non obtemperet: Bonorum ac jurium Romanæ Ecclesiæ depopulatorem, dilapidatoremque, qui ejus provincias alienaverit, destruxeritque: Simoniacum manifestum, ac notorium; qui nullis Ecclesiastica Beneficia sine pecuniis concedat: & denique aperte atque enormiter scandalizantem universalem Ecclesiam Dei in omnibus suis gestis, ac dictis. Quare justo judicio, ut tanta dignitate prorsus indignum, esse rejiciendum a Pontificali dignitate, & ab universali Ecclesia, & ut putridum membrum abscindendum. At alia ex parte Franciæ, Hispaniæque Reges litteris & Nunciis orabant Patres, ut in judicio contra Eugenium supersederent, putantes mitiori medicina languenti Ecclesiæ succurrendum. Et Rex quidem Anglorum acerbissimis litteris Patres increpavit, quod auderent Romanum Pontificem judicare; asserens Antichristi tempora eos introducere; & exhortans, ut a processibus cessarent; & in litterarum superscriptione Basileensem Congregationem, non autem Concilium appellavit. Et Rex Portugalliæ secundum Decreta quorumdam Romanorum Pontificum petebat a Basileensi Concilio sibi decerni expeditionem contra Saracenos, qui Regnum Granatæ occupant: promittens, quoniam provincia sub Rege Hispaniæ esset, omnia, quæ cœperit ex hostibus, Hispaniæ Regi se redditurum, si ille expensas pecunias restitueret. Quod ne fieret, Oratores Regis Hispaniæ impedierunt: asserentes id cedere in apertum præjudicium & dedecus sui Regis, qui sæpe cum infidelibus prospere decertasset.

LXXIII.

Germaniæ Principes Neutralitatem instituunt per sex menses.

Convenerunt Francofordiæ Electores Imperii post mortem Sigismundi Cæsaris ad novum Cæsarem subrogandum, ut dictum est: qui cum varia in dies edicta Romani Pontificis, & Basileensium cernerent, communi consensu XV. Kalend. Aprilis ejusdem anni, statuunt

(*) *forte:* quoniam

tuunt se, Provincialesque omnia Decreta alterius partis contra alteram partem non suscipere: Venerarique & Eugenium Pontificem, & Concilium Basileense: velleque usque ad sextum mensem deliberare, cujus parti sit adhærendum. Interea tamen protestari se non discedere ab obedientia & reverentia Sedis Apostolicæ. Prælatos autem Ecclesiarum populos sibi commissos jure ordinario gubernaturos. Hoc principium fuit Neutralitatis Germanicæ, quæ prætextu Concordiæ per sex menses instituta, supra sex annos perduravit, ab Eugenio, & Basileensibus reprobata. Nemini enim parebant, cum censuræ imponebantur: & quod ab altero non poterant impetrare, ab altero petebant. Causa autem fuit Germanorum Neutralitas, ut Felici deinde Antipapæ a multis non obediretur, cum Germani illum non susciperent, & Eugenium non negarent.

LXXIV.

Legatio Electorum pro superſedendo in judicio contra Eugenium.

Advenerunt posthæc Electorum Legati Basileam, qui multis argumentis suadebant supersedendum esse a processu contra Pontificem: id etiam affirmabat Mediolani Ducis Legatus. Sed Basileenses auctore præsertim Cardinale Arelatense maturandum putant. Statuunt igitur Generalem Conventum celebrare, ut Eugenii accusationem & articulos probent: Primores Nationum rem differendam putant: Præsidens cum popularibus negant id utile ad summam: Prælati Hispanicæ nationis asserunt se probationi criminationum Eugenii non assensuros: & Panormitanus Præsul, qui alias accelerationum judicii persuadere consueverat, nunc supersedendum omnino censebat: affirmabatque Italicis & Hispanicis non consentientibus, quasi media parte Concilii, nihil ab aliis statui posse: quod a Gallicis & Germanicis non admittebatur; cum dicerent eos nullo modo esse non modo pares, sed vix quartam partem. Quibus respondebat Panormitanus, non Prælatos, quibus illi maxime abundarent, non habere potestatem statuendi in Conciliis; & proinde se esse eis æquales, cum non essent inferiores numero Prælatorum. Fit tandem Congregatio generalis ad IV. Kalendas Majas, in qua cum proponeretur, an admittendæ essent criminationes Eugenii, Oratores Regum Hispaniæ & Aragoniæ, Ducisque Mediolani, & Barchinonensis Episcopi nomine Ecclesiæ Hispaniensis, Archi-Episcopus Mediolanensis nomine Italiæ, cujus se Primatem appellabat, intercedunt, prohibentque, ne id fiat. Quod si fiat, attestantur neque se, neque Principes suos consensuros. Sed cum his non moverentur alii, jamque Decretum admissionis Articulorum jubente Præsidente legeretur, omnes supradicti e concione discesserunt. Patriarcha vero Aquilejensis multa contra Mediolanensem disseruit: asserens Primatum Ecclesiæ Italiæ ad se post Romanam Sedem spectare. Admissæ sunt criminationes, & statutum, ut intra triginta dies testibus approbarentur, & contumacem esse Eugenium. Declarati sunt & contumaces Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & alii, qui Ferrariæ convenerint, quod Decreto trigesimæ secundæ Sessionis intra statutum tempus non paruissent: & paucis post diebus admissi sunt testes jurati viginti duo ad probandum Eugenii criminationes. Majo mense sequenti Ludovicus Protonotarius Romanus ex legatione ad Ducem Sabaudiæ rediit: retulitque Ducem ipsum Patribus deditissimum esse, faterique Basileæ esse legitissimum Concilium, Ferrariæ autem minime; proinde missurum ad eos Prælatos Provinciæ suæ. Petere deinde, ut provisionem de Ecclesia Tarantasiensi factam ab Eugenio post suspensionem suam in personam cujusdam Joannis de Arcis, irritam declararent, Ecclesiæque illi de alio provideant.

LXXV.

Sexdecim virorum Magiſtratus pro conferendis Beneficiis.

Factus est etiam alius Magistratus sexdecim virorum super Beneficiis vacantibus, non electivis tamen, conferendis, qui menstruus erat Magistratus. Hos tamen servare oportebat ordinem in trigesima prima Sessione præscriptum.

Sta-

Statuerunt etiam alios Magiſtratus, qui pœnitentiariam regerent in Concilio. Albertus vero novus Cæſar Legatos ſuos in Concilio juſſit eſſe Epiſcopum Lubecenſem & Georgium Viſchel, qui Sigismundi legatione prius erant functi; approbavitque Concilium Baſileenſe, & fidem publicam a Sigismundo Patribus datam, ſecuritatemque innovavit: juſſitque Conciliares omnes per totam Germaniam ſalvos eſſe. Patres illi pecunias conceſſerunt ex indulgentiis in Auſtria collectas, pro Græcorum adventu. Sed cum a Legatis Baſileenſium peteretur a Cæſare, ut juberet Decreta Concilii contra Eugenium per Germaniam obſervari; reſponſum eſt, eos præſtolari oportere conventum ad feſtum Divæ Margaritæ indictum, in quo Cæſar cum Principibus ſtatueret, quod agendum eſſet pro utilitate publica.

LXXVI.

Legatio Electorum Baſileam.

Miſerant, ut diximus, Principes Electores ad Eugenium Legatos, ut permitteret tertium locum nominari in Germania pro Generali Concilio, reſponſumque fuerat, velle Eugenium exſpectare Legatos novi Cæſaris, & aliorum Principum, qui brevi affuturi erant, & ex eorum conſilio omnia agere: placereque ſibi, ut interim Conventus aliquis in Germania celebraretur, ad quem ipſe eſſet Legatos ſuos miſſurus, in quo de modo concordiæ, & pacis Eccleſiæ tractaretur: qui ſi judicaret expedire reipublicæ, quod alius locus eligeretur pro Concilio, id conceſſurum ſe pollicebatur. Principes igitur Legatos ipſos ad ſe reverſos cum his mandatis Baſileam mittunt: orantes, ut proceſſum contra Papam tamdiu prorogent, quoad ipſi convenire, & concordiam tractare poſſint. Eliguntur quinquaginta viri, qui hæc diſcutiant, videantque, quid agendum. Primores ſtatuunt ad tres menſes ſuperſedendum a toto proceſſu, nec omnino aliquid contra Eugenium interim faciendum. Alii vero auctore Cardinali Arelatenſi multis argumentis & approbationibus uſi, cenſent ſuperſedendum quidem a ſententia depoſitionis ad id tempus: ſed interim neceſſe eſt, ut teſtium depoſitione criminationes Eugenii approbentur, ne diutius de ſua innocentia gloriari poſſit Eugenius; neve Patres falſam calumniam ei ingeſſiſſe arguantur. Interim vero poſſe per Principes de concordia agi, faciliusque Eugenium Concilii poteſtati ſe ſubmiſſurum, cum cognoverit crimina ſua probata eſſe.

LXXVII.

Legatio Regis Franciæ Baſileam pro Eugenio Pontifice.

Julio menſe Dominicus Cardinalis Tarraconenſis, tituli Sancti Joannis & Pauli, Baſileam ad Concilium venit: benigne a Patribus ſuſceptus eſt. Et Rex Franciæ celebrato Bituris Provincialium ſuorum Conventu, Oratores ſuos Baſileam miſit, orans iterum Patres, ut a proceſſu contra Eugenium ceſſarent: promittens ſe operam daturum pro concordia & pace. Sed quoniam non præſcribebatur tempus, reſponſum eſt dilationem continuo fieri.

LXXVIII.

Damnantur ſequentes Eugenium.

Sequenti menſe vocantur rurſus in judicium ſequentes Curiam Eugenii, Ferrariæ commorantes ſub ſpecie Concilii, & qui Baſileenſe Concilium quoquo modo impedirent, vel Legationibus Eugenii fungerentur contra Concilium: & paulo poſt in Generali Congregatione declaratur, eos incidiſſe in pœnas contra eos ſtatutas.

LXXIX.

Accuſatio Beati Bernardini Senenſis.

Per hoc tempus, deferente quodam Bartholomæo ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini, actum eſt de cultu tabellæ Nominis JESU; quem frater Bernardinus Senenſis, qui poſtea inter Sanctos relatus eſt, introduxerat. Et cum a multis reprobaretur cultus ille, & Arelatenſis Cardinalis aſſereret, Bernardino a Martino Pontifice fuiſſe prohibitum, ne id ultra faceret, affirmatum eſt, poſt prohibitionem ſemper ab eo cultu abſti-

nuiſſe Bernardinum, & res indiſcuſſa eſt & dimiſſa.

LXXX.

Conventus Nurimburgenſis ſuper rebus Eccleſiæ.

Celebratus eſt Conventus Nurimbergæ ad diem dictum: & cum Baſileenſes Legati rogarentur ab Oratoribus Cæſaris & Principum, ut permitterent Patres, ſuorum Principum arbitrio, & interventione pacem componi inter ſe, & Pontificem: multis argumentis reſponderunt, id neque fieri poſſe, neque juſtum videri; quoniam non liceret ſæculares Principes de rebus Eccleſiaſticis judicare, neque eſſe utile reipublicæ, ut Principes videantur legem præſcribere Concilio Generali, & Romano Pontifici. Volebant enim Principes, ut ad alium Conventum ad feſtum Sancti Galli celebrandum, Legati Pontificis & Baſileenſium cum plena poteſtate concordandi adeſſent. Quod omnino a Baſileenſibus negatum eſt; quamvis aſſererent Principes non Judicis, ſed Mediatorum & Procuratorum pacis officio functuros.

LXXXI.

Proceſſus contra Eugenium.

His peractis adveniente tempore conceſſo ad probandas Eugenii criminationes, alia concertatio exorta eſt: cum hi, quibus commiſſum erat, ut Eugenium ad judicium vocarent reſponſurum contra producta, & probata, procedere in cauſa ſtatuerunt, adducuntur litteræ Principum, petentes, ne id fiat. Et Dux quidem Mediolani graviſſime litteris conqueſtus, quod Patres in gratiam Principum abſtinere nollent a judicio contra Eugenium. Tandem declarat, ſe non conſenſurum eorum judicio; & ſi Eugenium Pontificatu ejiciant, aliumve ſubrogent, ſe omni ſtudio totis viribus adverſaturum, atque alios Principes inducturum in ſuam ſententiam. Præter hæc Hiſpaniæ, Aragonum, & Navarræ Regum Legati, ac etiam Ducis Mediolani, Principum ſuorum nomine, & Mediolanenſis Præſul Italiæ, & Barchinonenſis Hiſpanicæ Eccleſiæ, Cardinalis vero Tarraconenſis proprio nomine intercesſionem fecerunt: proteſtatique ſunt, neque ſe, neque Principes, Provincialesve ſuos in eam rem conſentire. Spretis tamen his omnibus, judiciali ritu ſervato, vocatus eſt Eugenius per edictum ad contradicendum productis XVII. Kalendas Novembris ejusdem anni, affirmantibus Patribus poſſe ſuperſedere a ſententia contra Eugenium: a cognitione autem cauſæ, & completione proceſſus cum honore Concilii non poſſe.

LXXXII.

Alius Conventus Nurimbergenſis, in quo Legati Eugenii & Baſileenſium interfuerunt.

Inter hæc Baſileenſium Oratores Nurimbergam petunt ad ſecundum Conventum, quo & Pontificis Legati prius convenerant, Cardinalis Sanctæ Crucis, Archi Epiſcopus Tarentinus, & alii quidam: inter quos Joannes de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, qui poſtea Sancti Sixti, & Nicolaus Cuſa, qui Sancti Petri ad Vincula Cardinales fuere, annumerabantur. Excepti ſunt Baſileenſes publica pompa: multis Principibus & Clero obviam effuſo, ut Legati de latere procedebant; præcedebat Crux Aquilejenſem Patriarcham, qui Princeps erat Legationis. Is ad templum Sancti Sebaldi deſcendens, populo benedixit, & quinque annorum indulgentias elargitus eſt. Sed cum ad concordiæ tractatus deventum eſſet, videreturque Principibus optimum eſſe, ſi tertius eligeretur locus, in quo & Baſileenſes, & Ferrarienſes cum Græcis, & Pontifice convenirent, facerentque Concilium Generale: poſt multas allegationes Baſileenſium, qui aſſerebant, id neque utile futurum, neque juſtum; tandem reſponderunt ſuper ea re poteſtatem non habere: petere tamen reſponſum ſuper pridem poſtulatis a Principibus, ut ſcilicet Decreta Concilii ſuſciperent, ea per Provinciam facerent ſervare; curarentque, ut Baſileæ congregati ſalvi eſſent. Reſponſum eſt, Cæſarem, & Principes per ſuos Legatos, mox Patribus aperituros eorum ſententias.

LXXXIII.

LXXXIII.

Regis Franciæ consilium pro pace Ecclesiæ.

Legati vero Francorum Regis, qui Patribus fuaserant, ut a judicando Pontifice fuperfederent, petierantque pragmaticæ Sanctionis confirmationem, quam Ecclefia Gallicana Bituris fancierat, requifiti quæ media pacis haberent, hæc propofuerunt: placere Regi & Prælatis, ut Patres perfifterent in fententia alterius ex tribus locis nominatis pro Oecumenico Concilio, Bafilea, Avenione, & Sabaudia, fi Pontifex & Græci induci poffent ad probandum. Et quamquam Galliarum Prælati eis non conducere arbitrarentur Romanam Curiam Avenioni effe; tamen pro utilitate publica, id æquo animo ad aliquod tempus laturos: tum fi loca nominata Pontifici & Græcis non placerent, obfecrare Patres Regem, ut plurima nominent loca, quorum aliqua etiam in Galliis fint, e quibus fint nonnulla, quæ merito recufari non poffint. Interea felectionem pro Concilio, fi volunt Pontifici tamquam collitiganti concedere, concedant Græcis, quibus ut facilius unioni affentiant, omni ftudio fit blandiendum. Et quamvis fecundum Decreta Conftantienfis, & Bafileenfis etiam Synodi, in Galliis fit celebrandum proximum Concilium, placere tamen Regi & Prælatis juri fuo pro hac vice cedere; ita ut ibi celebretur Concilium, ubi pax & concordia Ecclefiæ facilius poffit inveniri: hac tamen lege, ut proximum deinde Concilium in Gallia celebretur.

LXXXIV.

Cæfaris & Principum Refponfum.

Tertio Nonas Septembris hujus anni Legati Cæfaris & Principum Germaniæ Bafileam ingreffi benigne fufcipiuntur: quorum Legationis hæc fumma fuit: fateri Germanos Concilium Generale effe, velleque Cæfarem omnes ibi congregatos, conciliaresque omnes effe falvos: Sententiam neutralitatis Prælatos, Principes, populosque omnes approbaffe, fufcepiffeque; ac venerari fimul eodem tenore & facrum Concilium, & Eugenium Summum Pontificem. Pro quiete autem, & concordia contendentium videri Cæfari & Principibus, ut Bafileenfes & Ferrarienfes in tertio quodam loco pro Generali Concilio conveniant, quem Patres de confilio Cæfaris nominaffent aptum rebus gerendis: oftendentes nullum effe remedium tantis malis, nifi tertium locum. Et obfecrantes multis maximisque precibus, ut hoc efficerent: quorum petitiones & Regis Franciæ Legati confirmabant, afferebantque idem cupere & orare Gallorum Regem. Cum res acriter urgeretur, qui a diffolutione Concilii abhorrebant, legem fieri procurant, non licere de diffolutione, five translatione agere, nifi prius per XII. virorum magiftratum legitime probatum, & in quatuor conventibus omnibus convocatis ftatutum fuerit: ita ut nifi conveniente multitudine omni, de ea re non agatur. Acceflerunt ad petitionem Germanorum & Gallorum, etiam Oratores Hifpaniæ, Aragoniæ, Navarræ, Portgalliæque Regum, & Ducis Mediolani, qui omnes in fententiam Cæfaris ire profitebantur. Diu igitur multumque inter Patres, quibus demandata erat hæc provincia, & Legatos difputatum eft per continuos duos menfes, fæpeque hinc inde pacis conditiones præfcriptæ. Sed cum viderentur nimis duræ a Patribus imponi, Legati in hanc formam leges confcripfere: Patres eligent Concilii auctoritate pro loco Oecumenici, & Generalis Concilii, Argentinam, Conftantiam, Moguntiam: hanc electionem Cæfar intra menfem, & cæteri Reges Eugenio Pontifici, Græcisque, fignificent: qui etiam intra alium menfem unum ex nominatis locis litteris publicis approbent; & intra tertium menfem, unum fcilicet ab approbatione loci, de eorum electione Bafileenfes reddant certiores. Et mox poft approbatum locum a Pontifice congregatio Ferrarienfis omnino ceffet; Bafileenfes vero, ut primum certiores redditi fuerint de acceptatione loci, publico Decreto ftatuant ibi Concilium celebrandum. Si locus ille novo accidente infortunio incommodus fiat ante Concilii inchoationem, alius è nominatis affumatur. Si poft inchoationem Concilium fibi provideat, Pontifex per fe vel fuos Legatos, & Græci intra duos menfes a die approbationis loci: Bafi-

Basileenses vero intra eundem terminum a die notitiæ approbationis, ad nominatum locum se conferant Concilii gratia ; sitque ibi post illos duos menses Generale Concilium indissolubile, nisi a seipso. Nihil tamen in Concilio agi posse, nisi post illos duos menses, & quindecim dies. Præsidentes Concilii Pontificis nomine, ut in Basileensi, suscipiantur. Modum procedendi in eo Concilio Patres sibi statuent, ut expedire videbitur. Ut primum Pontifex locum acceptabit , profitebitur Decreta Constantiensis Concilii de Potestate Conciliorum. Quod cum primum Patres Basileæ per litteras publicas Eugenii cognoverint, mox suspensio ipsius Pontificis tollatur. Pœnæ & censuræ hinc inde cassentur, annullenturque. Quod si nec Pontifex, nec Græci locum aliquem ex nominatis acceptaverint, Patres unum pro suo arbitrio accipiant, & intra duos menses illuc transferant Concilium : non tamen ante quintum mensem a prima nominatione quidquam statuatur a Concilio. Avenionensibus ex pecuniis indulgentiarum, aut aliunde, satisfiet pro pecuniis sacro Concilio mutuatis, & eorum damnis : ageturque de provisione facienda Apostolicæ Sedi, ejusque Prælatis ob remotas annatas. Cæsar & Principes Imperii fidem publicam Patribus Concilii dabunt , locumque pro Concilio nominandum tutabuntur, & ab omni violentia defendent ; dabuntque operam, ut rerum omnium copia securitasque integra omni ex parte abundet : & aliquem ex proceribus Defensorem, Protectoremq; Concilii constituent. Has tamen Legatorum conditiones pacis Basileenses suscipere noluerunt : multa illis addentes , multa dementes ; ut omnem Pontificis potestatem omnino enervarent ; illud maxime afferentes, Eugenium nullo modo posse inclinari , ut potestatem Ecclesiæ confiteatur : qui nuper etiam inconsultis Principibus , qui ei faverunt , transtulit congregationem suam e Ferraria Florentiam : non esse id signum volentis consentire Concilium celebrare in Germania, qui a Germania longius (*) abscesserint. Tandem promiserunt, se missuros Legatos ad novam diætam cum plena potestate, facturosque omnia, quæ utilia esse Catholicæ fidei putarent.

(*) *forte:* abscesserit

LXXXV.

SESSIO QUARTA.

Ferrariense Concilium Florentiam transfertur.

Eugenius inter hæc , cum Ferrariæ annonæ caritate ; & etiam peste Patres premerentur , quarto Idus Januarii ejusdem anni Concilium ex voluntate Patrum, & sacri Senatus Florentiam transtulit prosequendum , ut Ferrariæ erat inceptum , quod actum est in quarta publica Sessione.

LXXXVI.

Mittuntur Legati per Basileenses ad Conventum Francofordiensem.

Mense Martio Anni MCCCCXXXIX. pestis Basileæ serpere cœpit , & Patres plenariam indulgentiam in ea perseverantia morientibus concesserunt. Miserunt Oratores aliquos in Britanniam, qui Principibus populisque ejus Provinciæ suaderent , ut Basileensium Decreta susciperent , exigerentque pecunias ex indulgentiis collectas. Et cum instaret tempus indicti a Principibus Germaniæ conventus , qui ex Francofordia translatus fuerat Moguntiam , Basileenses Legatos illuc designant cum plena potestate, datis tantum clam mandatis, quousque Principibus complacerent. Princeps hujus Legationis fuit Ludovicus ex Ducibus de Dech. Patriarcha Aquilejensis, cum potestate & insignibus Legati de Latere. Data est præterea Patriarchæ , & aliis Collegis , etiam separatis potestas multa concedendi , quæ ad Pontificatum spectant : confessionale , altare portatile , dispensationes super irregularitate, inhabilitatione , defectu natalium , & plura hujusmodi , quæ nunc primum Legatis sunt concessa , sed deinceps ampliora. Provisiones plurium Ecclesiarum factæ sunt hoc mense Basileæ , & præsertim Ecclesiæ Grossetanæ, in personam fratris Nicolai de Sancto Geminiano , qui tamen non obtinuit : statutumque , ut qui ab Eugenio Beneficia obtinuerant, eis a Concilio non darentur, nisi coram Basileam peterent, & Eugenii collationi penitus resigna-

resignarent. Venerunt Maguntiam Oratores Concilii: ubi cum Legatis Cæsaris, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Trevirensis, Coloniensis, & Maguntinus, Principes Electores, & Archi-Episcopi aderant. Tum Pataviensis, Lubecensis, & Augustensis Episcopi, præter hos, qui Cæsaris erant Legati, Turonensis Archi-Præsul, & Trecensis Episcopi Gallorum, Conchensis Hispanorum, Albigaunensis Mediolanensis Oratores, & aliorum Principum Germaniæ Legati complures. Legati Basileenses sæpius cum Principibus, & Legatis Cæsaris, ac Regum convenientes, acriter petitionibus Principum resistebant: & producentes Patrum mandata, quæ plumbea Bulla munita erant, ea prævaricari non posse asserebant. Petebant insuper Concilii Decreta a Cæsare, & a Principibus suscipi. At Principes & Legati Cæsaris paci, & quieti studentes instabant, ut a judicio contra Pontificem supersederent: permitterentque Patres Concilium transferri, ut dictum erat. Disceptatio per plures dies tractata est, & nihil tandem a Basileensibus potuit obtineri: cum affirmarent judicium contra Eugenium assidue potestatem Ecclesiæ labefactantem, suspendi non posse: & Concilium a petitis conditionibus non esse transmutandum. Nicolaus de Cusa Eugenii causam tutabatur, ubique prædicans Basileæ non esse Concilium Generale.

LXXXVII.

De judicio Vestfaliæ.

Post hoc tempus Albertus Cæsar Patres litteris hortatur, ut causam quandam profanam ad judicium Vestfaliæ, quod vetitum & secretum appellant, remitterent. Judicium hoc a Carolo Magno institutum ajunt: quod deinde Cæsares tanti fecerunt, ut raro, vel nunquam ab illo ad se provocantes admiserint. In eo etiam non vocati damnantur. Ponitur in medio chordula, cum de aliquo noxio refertur: si necandus videtur, tangunt omnes, qui accusatum suspendio dignum putant, digito funem: & ne damnatus sit omnino inscius, per unum aliquem ex Judicibus, qui incogniti sunt, cum obvius datur virga leniter percutitur, vel ex eo audit hujusmodi verba: *Et alibi ita bonus comeditur panis, ut hic.* Post hoc, ubicunque damnatus repertus fuerit, suspenditur. Neque possunt ii Judices evitari, cum non cognoscantur. Quod genus judicii a Carolo ideo inventum ajunt, ut Saxonum gentem barbaram tunc ac ferocem, cædibus & latrociniis assuetam, ac crebro rebellantem in officio contineret. Gens fera, & idolis dedita, neque fidem, neque jusjurandum colebat, & ideo graviore fræno coercenda videbatur.

LXXXVIII.

Octo Conclusiones Fidei contra Eugenium.

Inter hæc Patres, qui Basileæ erant, veriti, ne criminationes Eugenio objectæ (*) satis viderentur ad dejiciendum illum Pontificatu, Conclusiones octo per Sacræ Theologiæ Professores excusserunt; quibus asserebatur Eugenium hæreticum, atque in hæresi relapsum esse: has octo conclusiones veritates Catholicæ Fidei affirmantes. Potestatem Generalis Concilii supra Romanum Pontificem, & quemlibet alium esse. Pontifici non licere dissolvere Generale Concilium præter ejus consensum. Has duas veritates esse Fidei Catholicæ: quas, qui negaverit, aut eis contrafecerit pertinaciter, hæreticum censendum. Dissolutionem Concilii Basileensis primo per Eugenium factam contra primas veritates esse: Eugenium monitum a Concilio, errores suos primæ dissolutionis revocasse: secundam dissolutionem ab Eugenio factam, si contra se, suosque procederetur, manifestum esse errorem fidei: secundam dissolutionem hujusmodi ab Eugenio factam, pertinaciam ejus post accusatam contumaciam apertam, & erectionem alterius Congregationis sub nomine Concilii Generalis, durante adhuc Basileensi Synodo, contra primas veritates esse. Has igitur conclusiones multis argumentis munitas ad Legatos suos Maguntiam miserunt. Post hæc instantibus Legatis Basileensium, Conventus Germanorum acceptavit, suscepitque omnia Basileensis Concilii Decreta, præter ea, quæ ad judicium contra Pa-

(*) *forte:* non satis

pam quoquo modo ſpectarent: & in plerisque aliis limitationes, & exceptiones aliquas præſcripſerunt a Concilio deinde ſtatuendas. Facta ſunt hæc Maguntiæ VII. Kalendas Aprilis, anno ſalutis MCCCCXXXIX. Poſtremo cum multis diebus pro rebus componendis fruſtra diſceptatum eſſet, Baſileenſes Legati affirmarunt, ſi Cæſar, & Principes, cæterique Regum Legati promitterent, caverentque Concilium transferendum iisdem legibus, conſuetudinibus, atque ordinationibus continuandum fore, quibus Baſileæ hactenus celebratum eſt; ſique ei intra terminum præfigendum Eugenius non profiteretur fidei veritates, neque adimpleret Concilii mandata, vellent illum deſerere, & Patribus aſſiſtere, ſervareque judicium; ſperare Patres omnia, quæ Principes peterent impleturos. Ad ea per Conchenſem Epiſcopum reſponſum eſt: primum a Pontifice non poſſe concedi; quoniam non liceret illi præjudicium facere omnibus Epiſcopis, quibus a Baſileenſibus fit injuria; cum inferioris ordinis viri voces habeant in Concilio, quod ſolum ad Epiſcopos ſpectat. Alterum vero Principes nunquam conceſſuros, ut qui nihil magis cupiant, quam a judicio contra Pontificem abſtineri. Tandem rebus infectis Baſileenſium Legati domum reverſi ſunt.

LXXXIX.

Legati Eugenii ad Conventum Maguntinum.

Diſcedentibus Maguntia Baſileenſibus, Legati Eugenii adventarunt, qui Conventa Nurimbergæ adimpleri poſtulabant: aſſerentes ſupremam Eccleſiæ poteſtatem in ſolo Romano Pontifice eſſe, celebrarique Florentiæ Generale Concilium. Quod ſi Principes ſecundum promiſſa non facerent, non ſtare per Pontificem, quin fiat concordia. Baſileæ vero interim menſe Aprili inter multa alia privata, electus per Capitulum Eccleſiæ Andegavenſis, quem & litteris ſuis Rex Franciæ commendabat, confirmatus eſt, rejecto Guilelmo de Stotovilla, cui Eugenius Eccleſiam illam demandaverat. Sed is poſtea non modo Andegavenſem Eccleſiam obtinuit, ſed & Cardinalis factus eſt, & ad Rotomagenſem longo poſt tempore eſt translatus.

XC.

Concertatio Patrum pro octo veritatibus concludendis.

Menſe Aprili magnæ acerrimæque inter Patres contentiones actæ ſunt; cum illi octo veritates legitimo Decreto approbare vellent; Legati vero omnium Principum aperte contradicerent: atque ita incenſi ſunt contendentes, ut cum Promotores Concilii Arelatenſem Cardinalem, ut primum præſidentem peterent, ut veritates illas ex more concluderet; Panormitanus præſul, cum aliter perſuadere non poſſet, ſeceſſione facta duxerit (*) ſe cum aliis prælatis Oratorum, qui majorem partem prælatorum complectebantur, concluſere (**) non eſſe concludendum; & aſſerentes omne jus Concilii apud eos eſſe; quoniam inferiores non haberent poteſtatem ineundi ſuffragia in Conciliis Generalibus, & maxime in rebus fidei, neque vocem habere, niſi conſultivam tantum: atque in tantum excanduit, ut colluviem illam copiſtarum Concilium appellaverit: affirmaveritque flagitium fieri ab Arelatenſi, qui cum tribus Epiſcopis titularibus contra omnes Concilii prælatos vellet ſtatuere. Tandem inſtante Arelatenſi & quibusdam ex ſuis, ferventeque multitudine, tres tantum primæ concluſiones in generali Congregatione ſunt approbatæ. Sed non minor deinde concertatio fuit, cum in publica Seſſione ſolemni Decreto illa ſancire voluerunt. Fidei Procurator Cardinalem Arelatenſem monet, ut ex debitò officii, quod Concilio præſideret, & quia Cardinalis eſſet, Seſſionem indiceret pro veritatibus Fidei decretandis. Ad quæ Arelatenſis reſpondit; merito ſe, aliosque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vitam etiam pro fidei defenſione exponere oportere, quod rubrum Galerum ejus dignitatis inſigne deſignaret, & in litteris Apoſtolicis ſui Cardinalatus clare eſſet expreſſum; indixitque in diem alteram Seſſionem. Reclamantibus autem Legatis Cæſaris, & aliorum Principum, affirmantibusque, ſe huic rei nullo modo conſentire

(*) *forte:* dixerit

(**) *forte:* concludere

ſentire poſſe; neque bene agere Patres, qui Principibus pro pace Eccleſiæ laborantibus ſuperſedendo morem gerere nollent; Reſpondit Arelatenſis Patres Baſileæ conveniſſe in nomine Chriſti, non autem in nomine Principum; ac proinde Chriſti voluntatem, non principum, impleri oportere.

XCI.

SESSIO TRIGESIMA TERTIA.

Tres primæ Veritates approbantur.

Illuceſcente igitur die, quæ fuit decima ſeptima Kalendarum Junii, anno ſalutis MCCCCXXXIX. habita eſt publica Seſſio ex more; in qua tres illæ primæ concluſiones; videlicet, Concilium Generale legitime congregatum eſſe ſupra Papam; illudque non poſſe a quocunque, neque etiam a Romano Pontifice diſſolvi, prorogari, aut transferri, & pertinaciter has veritates impugnantes eſſe hæreticos: approbatæ ſunt, declaratumque eas eſſe Fidei Catholicæ veritates ab omnibus affirmandas. Principum Legati, præſertim Lubecenſis Epiſcopus Cæſaris, & Archi-Epiſcopus Turonenſis Francorum Regis Oratores nomine proprio Patrum ſententiam approbarunt; excuſaveruntque, quod Seſſioni non interfuiſſent, ne Principum mandatis contrairent. Majo deinde menſe in Baſileenſes uniti ſunt Epiſcopi tres, & alii complures ex Sabaudienſis Ducis provinciis: reverſi ſunt ex Britannia Baſileenſes Oratores, qui dicerent, Brittonum Ducem Concilii Decreta omnia pie ſuſcepiſſe, præterquam Eugenii Pontificis ſuſpenſionem. Decimo deinde Kalendas Junii in Generali Congregatione Legati Cæſaris, ac Principum omnium Germaniæ, Regum Franciæ, Hiſpaniæ, Aragoniæ, & aliorum multis precibus, ſuaſionibus, & argumentationibus Patres rogabant, ut Maguntiæ meditata pro pace Eccleſiæ ſuſciperent, proceſſum contra Eugenium differrent, & in tertium Concilii locum conſentirent. Quod ſi forte Pontifex, aut Patres Principum conſtituta pro pace non ſequerentur, affirmabant Cæſarem cum Regibus & Principibus non acceptandi pacis conſtituta partes non ſecuturum; ſed omni ſtudio daturum operam, ne ob eorum contentiones res Chriſtiana detrimentum patiatur. Super his petitionibus cum diu multumque diſceptatum eſſet, auctore Cardinale Arelatenſi, tandem Concilii nomine reſponſum datum eſt in Generali Congregatione Idibus Junii, ejusdem anni, redactum in ſcriptis ſub Bulla Concilii. In eo reſponſo affirmabant Patres multis argumentis, aſſertionibus, auctoritatibus, & exemplis, neque ſibi licere, neque utile eſſe Reipublicæ Chriſtianæ, ut a judicio contra Eugenium ſuperſederetur, utve mutatio aliqua Concilii fieret, quod petebant Principes: quoniam nihil aliud eſſe mutare, quam diſſolvere Concilium: & judicium contra Eugenium juſte, & neceſſarie inceptum fruſtrari. Neceſſe enim eſſe Patribus, pro fidei orthodoxæ firmitate, & tuitione veritates fidei tueri, judicium perficere, & usque ad mortem in ſententia perſeverare: neque ullo modo puritatem fidei Catholicæ poſſe perſiſtere, ſi homo unus mortalis poſſit univerſalem Eccleſiam, fidemque Catholicam pro ſuo arbitrio vexare, & in Eccleſia tyrannice dominari. Proinde laudare Patres Principum pietatem, qui pacem Eccleſiæ omni ſtudio procurent, eorumque meditata in partem ſuſcipere meliorem: ſed neque illos ægre ferre oportere, ſi aliter faciendum Patribus videatur, cum judicium harum rerum ad eos pertineat: neque poſſe conqueri Principes de dilatione proceſſus; cum jam per duos annos eorum gratia res ſit dilata. Principum igitur precibus, ſuaſionibusque omiſſis, judicium contra Eugenium perficere Baſileenſes ſtatuunt: aſſerentes nullam aliam eſſe commodiorem ad pacem Eccleſiæ viam, quam libertatem Eccleſiæ reſtituere, quæ ab uno mortali quidem homine injuſte occupatur: actum eſſe de Fide Catholica, de religione, de moribus, de diſciplina Clericali, ſi unus pro ſuo arbitrio cuncta moderari, verſari, ſtatuere, evertere valeat: Generalia Concilia, quæ ſtabilitatem religionis, puritatemque fidei ſemper produxerunt, fruſtra congregari, ſi ab uno diſſolvi, prorogari, transferrive poſſint. Quo argumento Romanum ponti-

Pontificem, si hæreticus sit, si schismaticus, si Ecclesiam manifeste perturbet, non posse ad sanitatem reduci, non posse emendari, qui arma promptissima habeat ad judicium Ecclesiæ fugiendum: dissolutionem, prorogationem, translationemve Conciliorum: atque ita necesse Ecclesiam perire, si incidat in malum Pastorem, ut interdum evenit. Moriendum igitur prius esse, quam Ecclesiasticam libertatem deserendam. Coacta igitur concione his, quibus demandata res erat, jubent, ut omnia ad judicium conficiendum parent: & communi consensu quinque alias conclusiones, quas veritates fidei appellabant, jam Legatis silentibus approbant, IX. Kalend. Julii ejusdem anni: ac publico edicto citari statuunt Eugenium Pontificem ad sententiam audiendum, ad VII. Kalendas ejusdem mensis. Quod edictum in valvis Basileensium Basilicæ affigi mandant.

XCII.

SESSIO TRIGESIMA QUARTA.

Eugenius Pontificatu privatur.

Fit igitur Concursus ad Basileam VII. Kalendas Julii: ubi celebratis ex more Sacris Sessio XXXIV. habetur: in qua infulati Præsules XXXIX. interfuere inter Episcopos & Abbates, inferioris autem Ordinis non minus trecentis. Vocatus per duos Episcopos Eugenius iterum: & non comparens, contumax judicatus est. Tum sententia in eum fertur in hanc formam: Sancta Synodus Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, sedens pro Tribunali, pronuntiat, decernit, & declarat in his scriptis, Gabrielem prius nominatum Eugenium Papam IV. fuisse, & esse notorium & manifestum contumacem, mandatis, seu præceptis universalis Ecclesiæ inobedientem, & in aperta rebellione persistentem: violatorem assiduum, & contemptorem Sacrorum Canonum Synodalium, pacis & unitatis Ecclesiæ perturbatorem notorium, universalis Ecclesiæ scandalizatorem notorium, simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, a fide devium, pertinacem hæreticum, dilapidatorem jurium, & bonorum Ecclesiæ, inutilem, damnosum administratorem Pontificatus Romani, omni titulo, gradu, honore & dignitate se reddidisse indignum: quem propterea eadem Sancta Synodus a Papatu, & Romano Pontificatu jure privatum esse declarat, & pronunciat: ac ipsum ab eisdem amovet, deponit, privat, & abjicit: decernendo etiam ad executionem aliarum juris pœnarum, ad quas condemnatus esset, esse procedendum. Absolvuntur propter hæc omnes a juramentis illi præstitis: prohibeturque, ne quis ultra eum Pontificem nominet sub gravissimis pœnis, neve ullo pacto illi obtemperet, ut Romano Pontifici. Abrogato Eugenio, Basileenses iterum eadem die conveniunt, decernunt Legatos per orbem Christianum mittendos, qui dejectionem Eugenii, & cur sit ejectus, omnibus aperiant, jubeantque hujusmodi Decretum ab omnibus suscipi. Et cum de novo subrogando Pontifice variæ essent Patrum sententiæ, (*) non propter pestem, quæ Basileæ grassabatur, non exspectandum constitutum tempus sexaginta dierum plerique arbitrabantur, tandem differendum esse, statutum est. Paulo post litteræ Regis Francorum Patribus redditæ sunt, in quibus acriter conquerebatur Rex, Patres non modo non annuisse ejus precibus & exhortationibus, ut in judicio contra Eugenium supersederetur; sed & graviora contra eum egisse (non tamen adhuc privationem audierat) quod non solum sibi, sed & multis aliis Principibus magnæ esset admirationi, cum pacem Ecclesiæ, quam Principes tantopere quærerent, Patres respuere viderentur: obsecrabat igitur summis precibus, ne ulterius procederetur. Ad ea Basileenses responderunt: Regem paulo post per suos Legatos cogniturum, quid in hac re actum sit: Non dubitare Patres, quin omnia in meliorem partem suscipiat Christianissimus Rex, quoniam pax Ecclesiæ non aliter cum Deo possit convenientius inveniri, quam si debitæ libertati reddatur: rogare Regem, ut Regni Prælatos ad consulendum Republi-

(*) *forte*; & propter

publicæ Christianæ mittat. Post hæc publicis litteris approbatas veritates, & quinque conclusiones, quæ Eugenium hæreticum annotabant, divulgant.

XCIII.

SESSIO QUINTA FLORENTINA

In qua Græci cum Latinis uniuntur.

Inter hæc Eugenius Florentiæ Concilium agens, incumbensque unioni Græcorum, postquam diu multumque inter Græcos & Latinos disceptatum est, communi Latinorum & Græcorum consensu in publica Sessione super veritatibus fidei, in hanc sententiam definivit: Spiritum Sanctum ex Patre & Filio æternaliter esse, & essentiam suam, suumque esse subsistens necessarie simul ex Patre & Filio, & ex utroqne æternaliter, tamquam ab uno principio & unica spiratione procedere; verbaque illa in professione fidei, FILIOQUE veritatis gratia declarandæ necessario fuisse apposita. Sacerdotes in azymo, sive fermentato pane triticeo, verum Christi Corpus conficere oportere secundum Ecclesiæ suæ consuetudinem. Vere pœnitentes, si ante vitam (*) fuerint defuncti, quique digne pro commissis culpis satisfecerint, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari, si decesserint in Christi charitate; prodesseque eis, ut ab his pœnis leventur, fidelium vivorum suffragia, Missarum sancta Sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia opera pietatis. Illorum animas, qui post susceptum baptisma nullam peccati maculam incurrerunt; illorumque autem animas, quæ post mortem, ut diximus, in purgatorio, vel in vita per pœnitentiam sunt purgatæ, mox in cœlum assumi & intueri clare ipsum Deum trinum & unum sicuti est: pro meritorum tamen diversitate, aliam alia perfectius. Illorum autem animas, quæ in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos. Romanum deinde Pontificem, sanctamque Apostolicam Sedem in universo orbe terrarum Primatum obtinere, ipsumque Romanum Pontificem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum JESU Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem, ipsique in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino JESU Christo plenam potestatem traditam. Demum secundum sacrorum Canonum antiquas institutiones Patriarcham Constantinopolitanum secundum locum obtinere post Romanum Pontificem, tertium vero Alexandrinum, quartum Antiochenum, & quintum Hierosolymitanum. Acta sunt hæc Florentiæ in publica Sessione Oecumenici Concilii, Nonis Julii, anno salutis MCCCCXXXIX. Cui Decreto Joannes Palæologus Græcorum Imperator, aliorumque trium Patriarcharum Legati (nam Patriarcha Constantinopolitanus, paulo ante Florentiæ diem obierat) manu propria se subscripserunt; & simul plures alii Prælati Græcorum. Dicebant enim Græci Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, non autem a Patre & Filio: sacrificium vero Altaris in fermentato pane tantum offerendum: animas decedentium mox, aut cælum, aut infernum petere. Purgatorii locum nullum esse, & ideo vanum pro Defunctis orare. Contendebant etiam nonnulli, Constantinopolitanam Ecclesiam primatum inter omnes habere.

XCIV.

SESSIO TRIGESIMA QUINTA.

Statuitur perseverandum esse in Concilio Basileæ usque in finem.

At Basileenses dejecto suis Decretis Eugenio a Pontificatu, magis magisque in dies angebantur, cum pestis domi admodum sæviret; & Eugenius eos foris acriter impugnaret, præsertim unione Græcorum confecta: crebras igitur agunt conciones, discutiuntque quid agendum. Erant, qui censebant optimum factum (**) esse, si auctoritate Concilii, aliqui Cardinales crearentur. Sed re in aliud tempus dilata, ubi aliquos novos Magistratus delegerunt, aliam publicam Sessionem tri-

 gesi-

(*) *Hæc minus bene Patricius expressit.*

(**) *forte:* factu.

gesimam quintam celebrarunt Idibus Julii: in qua communi consensu decernunt dejecto obstaculo adversi Pontificis, oportere patres constanter perseverare in Concilio usque ad perfectionem operum susceptorum: neque dissolvi Concilium per recessum cujuscunque viri cujusvis ordinis, sed perfectis operibus, propter quæ congregata est sancta Synodus, suffragio & consensu duarum partium Conciliarium dissolvendam Synodum, & non aliter: interim vero incumbendum omni studio electioni futuri Pontificis, & talem eligendum, qui digne Romanæ Ecclesiæ præesse possit: tempus vero electionis ad sexagesimum diem post Eugenii ejectionem secundum Statuta Sessionis. Et ut facilius in suam sententiam alios traherent, decernunt omnibus, qui Eugenium, sive Ferrariensem Congregationem secuti fuerant, licere intra terminum prædictum dierum sexaginta relictis illis, Concilii Basileensis partes sequi: quibus omnibus impunitas promittebatur, & defensio ab adversariis. Undecimo deinde Kalendas Augusti, cum acrius pestis grassaretur, Arelatensis consilium erat, cessandum a conventione, & actibus Conciliaribus usque ad finem Septembris; differendamque novi Pontificis electionem ad Kalendas Novembris. Patres re in discussionem deducta, statuunt satius esse mori Basileæ, quam videre, (ut ajunt) Ecclesiæ Dei ruinam; fore enim, si actus Conciliares dimittantur, ut mox dissolvatur Synodus, omnia remaneant interrupta: perseverandum potius, & Dei misericordiam exspectandam. Rebus ita firmatis Legatos deligunt ad Conventum Francofordiensem per Electores Imperii circa Kalendas Augusti celebrandum: alios ad Synodum Provincialem Maguntiam ad solemnitatem Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis: alios ad Cæsarem, alios ad Regem Hispaniæ, alios ad Conventum Bituricensem a Rege Franciæ indictum; & pridie Kalendas Augusti publico Decreto gratias exspectativas, nominationesque quibuscumque ad Beneficia concessa revocant & annullant. Qua die quidam Jacobus Medicus, qui Eremitæ habitu Basileam petierat, articulos triginta attulit erroneos: quos extraxisse se dixerat, ex libro animæ simplicis: quibus Eugenius faveret, qui etiam post depositionem judices super ea re constituisset, Venetiarum & Tarraconensium Episcopos, coerceretque errores illos impugnantes.

XCV.

Legati Basileenses non admittuntur a Conventu Maguntino persequi contra Eugenium Pontificem.

Basileensium Legati Maguntiam ad conventum petentes, edicta privationis Eugenii in Valvis Basilearum Argentinæ, Spiræ, Wormatiæque affixerunt: quod cum etiam Maguntiæ fecissent, deleta sunt edicta, prohibitique, ne ultra illa uspiam affigerent. Aderant Maguntiæ Maguntinus Præsul, & Electus Trevirensis, & aliorum Electorum Oratores, consultoresque: qui adhibitis Legatis Basileensium in conventu afferunt, quoniam patres, qui Basileæ essent, noluissent admittere media pacis & unionis, prædicarentque se juste privasse Eugenium Pontificem Pontificatu; & ille tamen omnia ageret, quæ alii Romani Pontifices fecissent; haberetur que a multis pro Romano Pontifice; & utrimque varia in dies contrariaque edicta emanarent; essetque eis res ista tenebrosa aqua sub nubibus aeris, neque de tam difficillima re determinare valerent; sua probabili dubitatione pensata, statuerunt neutri parti adhærere; ut alias inter Principes Germaniæ statutum erat. Et quoniam ipsi peterent exsecutionem sententiæ contra Eugenium in Germania, responderunt se non posse id concedere, quoniam alteri adhæsisse viderentur: & ne censurarum, aliarumve pœnarum per Basileenses indictarum timore cogi possint, Principes nomine totius Germaniæ provocare ab illis ad proxime futurum Concilium Generale, ad Sanctissimum Dominum Eugenium Pontificem Romanum, Sedem Apostolicam, vel alios, ad quos de jure spectaret. Posthæc Legati Basileenses longo sermone multisque argumentis explicant judicii contra Eugenium seriem: probantque illum juste legitimeque esse tanta auctoritate dejectum: ac monent, hortanturque Principes, ut Concilii sententiam suscipiant, exsequanturque. Tum multa dicunt

cunt in neutralitatem, affirmantque nullo modo licere illis in ea ſuſpenſione animorum permanere: nullumque dubium amplius apud eos remanere poſſe, re tam dilucide, tam clare, aperta & probata. Reſponſum tandem eſt rem eſſe arduam, & non modo Electores Imperii, ſed & totum Imperium ſpectantem: proinde cum Cæſar, & cæteri Principes abſint, non poſſe eis tunc aperte reſponderi: indictum eſſe alium Conventum, brevi futurum: ibi conventuros Principes majori frequentia, & conſultaturos de rebus ſuis, & convenientius judicaturos: miſſuros deinde ſuos Legatos Baſileam. Idem reſponſum eſt a Synodo Maguntina. Poſtulabant magna inſtantia Baſileenſes Legati, ne Maguntinus & alii, qui cum eo erant, appellarent Eugenium Sanctiſſimum Dominum noſtrum. Sed eis reſponſurum (*) eſt, unicum verbum non debere impedire pacem Eccleſiæ. Hæc omnia per Oratores relata ſunt Patribus, cum Septembri menſe vacui Baſileam rediiſſent.

XCVI.

SESSIO TRIGESIMA SEXTA.

Declaratur Beatam Virginem ſine peccato originali conceptam fuiſſe.

Poſt hæc Baſileenſes quæſtionem de Conceptione Beatæ Mariæ Vinginis, an in peccato originali facta eſſet, more humani generis; an ſine peccato potius eſſet generata: per annos plures agitatam, tandem dirimere ſtatuunt. Rebus igitur diligenter examinatis, publicam Seſſionem celebrant trigeſimam ſextam ad XV. Kalendas Octobris ejuſdem anni, in qua ſolemni more declarant Glorioſam Virginem Mariam, Dei Génitricem, prævenientе & operante Divini muneris gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctam atque immaculatam: & hanc doctrinam ab omnibus approbandam, tenendamque judicant, ſtatuentes nulli omnino deinceps licere in contrarium aliquid prædicare, ſeu aſſerere. Cujus Feſtivitatem ſexto Idus Decembris celebrandam more Romanæ Eccleſiæ comprobarunt: curaruntque hanc celebritatem omnibus divulgandam: & Officium Eccleſiaſticum per Joannem de Segobia editum laudant, cantandumque per Eccleſias proponunt, adjunctis indulgentiis.

XCVII.

SESSIO SEXTA FLORENTINA.

Baſileenſes cum ſuis veritatibus fidei damnantur.

Cum hæc Baſileæ aguntur, Pontifex illorum in ſe geſta cognoſcens, re cum Patribus communicata ſextam Seſſionem publicam Florentiæ celebrat, in qua veritates fidei a Baſileenſibus declaratas damnat, easque aſſerit præter mentem Conſtantienſis Synodi eſſe interpretatos Baſileenſes. Tum affirmat totius orbis dæmonia ad Latrocinium Baſileenſe confluxiſſe, ut ad complendam iniquitatem, abominationem deſolationis in Dei Eccleſia ponant. Decretum contra illos Ferrariæ decimo quinto Kalendas Martii editum innovat: declaratque Concilio Florentino approbante, omnes, cujuſcunque ſint dignitatis, etiamſi Cardinales, Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, aut cujuſcunque ordinis inferioris, qui Baſileæ poſt revocatum Concilium remanſerint, interfuerintque actionibus Conciliariis, excommunicatos eſſe, & privatos omni dignitate, honore & Beneficio; atque cum Core, Datan & Abiron, ut ſchiſmaticos & rebelles æterno judicio eſſe perdendos, & eorum omnia acta, geſta, ſtatuta, atque decreta, maxime in duabus ultimis Seſſionibus, contra veritatum ſuarum approbationem & temerariam diſpoſitionem caſſat, revocat & annullat, ut pernitioſa, & a nullam habentibus, poteſtatem temere condita: illosque omnes hæreticos cenſendos eſſe, atque ſchiſmaticos puniendos, ultra ſtatutas pœnas cum omnibus ſuis fautoribus, & ſectatoribus æterno judicio, ut qui confuſionem, atque ſciſſuram in Eccleſia Dei, & Principatu Eccleſiaſtici ordinis pone-

(*) *puto*: reſponſum.

ponere conentur. Hac ubi Basileæ nuntiata sunt, magna molestia Patres affecerunt, videntes Eugenium, quem suis edictis perterritum putabant, tam acriter contra se insurgere. Unde adhibitis doctioribus viris Apologiam contra ejus (ut appellabant) invectivam componunt: conanturque multis argumentis affirmare, veritates a se professas veras esse, & juste meritoque se dejecisse Pontificatu Eugenium. Sed cum a multis deinde peteretur, ut Eugenii Decretum, quod *Moyses* incipiebat, ut libellus hæreticus publico consensu damnaretur, magnæ sunt adhibitæ contentiones. Joannes Segobius vir acer & doctus multis argumentis affirmabat rem esse magni discriminis, si scriptura illa hæretica censeretur. Maximam esse multitudinem, qui Eugenium, ut Pontificem colerent, neque assentirent ejus depositioni. Tum in congregatione illa Florentina affuisse Cardinales omnes, magnamque Prælatorum multitudinem, cum fuit editum Decretum: omnes igitur damnari, atque hæreticos censeri oportere, si ejus Sessionis Decreta hæretica censeantur: periculosumque nimis, si duæ futuræ obedientiæ, Eugenii scilicet, & novi Pontificis, hæresim sibi invicem objiciant. Tandem quamvis Arelatensi aliter videretur, res in aliud tempus dilata est, & litteræ pragmaticæ Sanctionis sub Bulla Concilii Gallicis data.

XCVIII.

Prælati Sabaudiæ ad Concilium pro electione novi Pontificis accedunt, litteræque Cæsareæ.

Mense deinde Octobri cum subrogandi Pontificis tempus a Basileensibus præfixum adesset, plures a vicinis locis, & maxime e Sabaudiensi principatu Basileam ad Concilium accesserunt; ut Tarentinensis Archi-Episcopus, Bellicensis & (*) Hypporegiensis Episcopi, & plerique alii. Litteræ a Cæsare Patribus traditæ sunt, qui acriter conquerebatur, illos suas & Principum preces tam aperte sprevisse, processisseque contra Eugenium invitis Principibus: orare, ut saltem a nova electione supersederent; missurum propediem Oratores, qui pacem procurarent. Arelatensis vero Cardinalis properandum dicebat, neque amplius differendum, sive exspectandum Conventus Germanorum: apud quos semper diæta diætam pareret. Consulendum Ecclesiæ, & puritati fidei, auctoritatique Generalium Conciliorum, neque quempiam timendum; se paratum esse & vitam ponere pro defendenda Ecclesia, quam tantopere Gabriel, olim Eugenius, impugnaret. Pridie igitur Octobris tres deliguntur, Abbas Scotus, Joannes Segobius, & Thomas Corcellus, Electores Summi Pontificis, communi omnium consensu: data eis potestate, ut singulos vel binos collegas cooptare possent, qui simul Electorum numerum deligerent: statutum enim a principio fuerat, addendos esse Cardinalibus in electione Pontificis alios triginta duos, octo scilicet ex unaquaque natione; quam tamen Electorum electionem secretam tenerent, quoad in publica concione esset legenda. Arelatensis Cardinalis conventus, sive deputationes adiens conquerebatur, sibi injuste adscribi, quod multitudo ex Sabaudia ad novam electionem sua opera advenisset, quasi eorum suffragiis uti vellet ad electionem, cum procuraret condemnationem libelli, *Moyses*: dicebat Concilium convocasse omnes circumvicinos ad electionem & defensionem Concilii, alios venire noluisse: Sabaudienses vero Principis sui pietate illectos venisse. De libello autem, quæ sibi utilia visa fuissent, dixisse. Dolere autem, quod non plene de se confiderent Patres. Quod cum consuetum esset, Præsidentes Cardinales ab omnibus deputationibus admitti in consultationibus, ipse ut canis spretus in deligendis Electoribus admissus non sit, officia sua in defensionem Concilii commemorans; conversus tandem ad imaginem Crucifixi magno juramento juravit, se nullum cupere Pontificem, nisi per quem conservaretur Ecclesiæ status: oportereque eligi virum potentem, ut per se ipsum posset se sustentare. Alioquin actum esse de Ecclesia. Cum vero Patres, quæ ad electionem Pontificis (ut ajebant) rite faciendam omnia prius paranda statuerent, publicam Sessionem XXXVII. celebrarunt IX. Kalend. Novembris

(*) Eporediensis.

vembris ejusdem anni: in qua communi consilia hæc statuta sunt.

XCIX.

SESSIO TRIGESIMA SEPTIMA.

Ordinationes pro Electione novi Pontificis.

Ut libere pureque electioni Summi Pontificis per Concilium celebrandæ intendi possit, statuit Sancta Synodus protestationes omnes, quæ sinceritati electionis hujusce, sive generali obedientiæ Summis Pontificibus debitæ quoquo modo obviare possent; conventiones præterea, pactiones, promissiones, obligationes, juramenta, condictaque omnia per quemvis hominem facta, cujuscunque ordinis, status, aut dignitatis, etiam si Imperialis, Regalis, Cardinalaris, Patriarchalis, Archi-Episcopalis, Ducalis, seu inferioris ordinis sint, nullas esse & irritas; omnes & singulos hujusmodi occasione forsitan ligatos absolvens, & liberans. Tum Decreta omnia prius edita pro electione Summi Pontificis instaurans, & servanda decernens, Ecclesiæ Romanæ per depositionem olim Eugenii vacanti, providendum per Sacram Synodum hac vice duntaxat, statuit per hunc modum: Ludovicum tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinalem Arelatensem una cum aliis S. R. E. Cardinalibus, qui ante finitam electionem Basileam advenerint, & electioni interesse voluerint, & cum aliis ex Patribus in Sacerdotio, vel Diaconatu constitutis ad numerum triginta duorum per Concilium eligendis plenam potestatem habere eligendi Pontificem Romanum pro hac vice duntaxat: & illum, quem prædicti omnes, vel saltem duæ partes illorum nominaverint, Romanum Pontificem censendum esse ab omnibus, ac adorandum ut Christi Vicarium, & Beati Petri Successorem. Pridie, quam intraturi sint in Conclave, Electores a Deputatis nominentur: & die statuta convenientes omnes cum Patribus in Basilea ad publicam Sessionem celebrandam re Divina perfecta, omnes communicent de Sacramento Altaris: tum juramento se adstringant, ut in XXIII. Sessione est institutum. Conclave deinde intrabunt consuetis cærimoniis, & omnia alia servabunt, quæ a Sanctis Patribus, & Summis Pontificibus sunt constituta. Electo communi consensu per aliquos ex Electoribus, præsente tabellione publico, & saltem decem testibus, offeratur electio: petaturque ab eo, ut intra diem naturalem vel annuat, vel recuset: alioquin nullam esse. Si electus in urbe fuerit tempore electionis, non exibunt ex conclavi Electores, quoad cognoverint illum consensisse: quodsi non consenserit, alium eligant, antequam inde discedant. Si vero electus extra urbem fuerit, post electionem exibunt. Sed si electus non consenserit, post triduum statim revertentur ad Conclave, cum id cognoverint. Si quis Electorum electioni interesse non potuerit, sive noluerit, alius per suos Collegas constituatur, qui omnia statuta servet. Horum Magistratus finis sit, cum electio Summi Pontificis per consensum electi fuerit consummata. Et ut calumniari a nullo hæc electio possit, Sancta Synodus omnes & singulos Conciliares, eorumque sequaces, ab omnibus censuris quomodocumque latis absolvit; innovatque Clementis V. constitutionem de Electoribus Romani Pontificis, & supplet omnes defectus: derogans pro hac vice omnibus Decretis & Constitutionibus Generalium Conciliorum, Summorum Pontificum, juris communis, quæ aliquo modo hanc electionem possent perturbare. Electus in Romanum Pontificem, si consenserit electioni, non prius aliquid agat ardui, quam Basileæ consecretur, coroneturque: & maxime jurejurando prius profiteatur Catholicam Fidem secundum traditionem Apostolorum, & Generalium Conciliorum, octo præsertim generali consensu laudatorum: videlicet Nicæni, Constantinopolitani primi, Ephesini primi, Chalcedonensis, Constantinopolitani secundi & tertii, Nicæni secundi, & iterum quarti Constantinopolitani, tum Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis, & Basileensis; promittatque illam fidem illibatam servare, & usque ad sanguinis effusionem tueri. Juret etiam servare Decreta Constantiensis, & Basileensis Conciliorum. Statuit præterea, nemini omnino licere bona

electi in Smmum Pontificem, sive Electorum, quovis modo diripere, aut auferre, aut clam, sive palam subripere: non obstante abusu per multa tempora servato, de diripiendis domibus Electorum, quem Synodus damnat, & declarat omnes contra facientes incurrere poenas a jure statutas. Demum statuit justitium indicendum a die, qua intrabunt Conclave Electores, usque ad publicationem factæ electionis: nullique licere judicia tractare, nisi apud Auditorem Cameræ Apostolicæ. His in publica Sessione decretis tres viri Electores Electorum designati, quartum sibi adsciscunt Christianum de Gretz, Germanum Theologum: qui simul juncti viginti octo alios coelegerunt ex omnibus Nationibus pari numero, inter quos fuerunt Episcopi XII., & alii Abbates, & viri magna præditi doctrina, qui omnes Sacerdotalis Ordinis censebantur. Locus conclavis in prætorio urbis est constructus, & cellulæ sorte divisæ, annuente maxime Arelatensi.

C.

SESSIO TRIGESIMA OCTAVA.

Damnatur libellus MOYSES, & alia statuuntur ad electionem.

Tertio deinde Kalendas Novembris, cum Aquensis Episcopus, unus ex Electoribus, interesse electioni recusasset, alius est ei suffectus, Episcopus scilicet Massiliensis: & Sessio publica consuetis cæremoniis est habita, assistente omni Clero urbis cum sacra pompa. Rem Divinam fecit Cardinalis Arelatensis, qui Electores omnes communicavit: communicavit etiam Clericos cærimoniarum, & complures e servitoribus Electorum, qui Conclave intraturi erant. Dum celebrata ex more publica Sessione XXXVIII. primum allegatis multis rationibus & auctoritatibus tres veritates superius declaratas affirmant: Argumenta adversa Eugenii refutant, & tandem libellum *Moyses* damnant, ac reprobant: ejusque doctrinam ut hæreticam evitari jubent: ac omnibus mandant sub gravissimis censuris, & poenis, ne quis illi libello ullo modo pareat, sive in aliqua parte cedat. Tum statuunt Collegia Ecclesiarum, sive Monasteriorum, cum de electione Prælatorum suorum est agendum, non obligari ad vocandum absentes Coelectores, si ultra duorum dierum itinere absentes fuerint: nisi forte ex privilegio, sive ex consuetudine aliquos extra Collegium illius Ecclesiæ, vel Monasterii electioni interesse oportuerit. Majores Prælatos, ad quos spectat electiones confirmare, authoritate Concilii posse supplere defectus circa formam electionis commissos, dummodo electiones a parte majori Capituli factæ sint, & a prius juratis, & communicatis, & vocatis vocandis: quod servandum esse voluerunt etiam in postulationibus. Demum viginti octo nominatos a quatuor Electoribus confirmant, & probant, eisque omnibus rursum plenam potestatem concedunt Pontificem eligendi. Alios etiam Magistratus, Ministrosque ad hoc opus decernunt: Ludovicum Lausanensem Episcopum, Vice-Camerarium, Bellicensem, & Grossetanum Episcopos: Sancti Michaelis de Clusa, Tammenensem, & Abundantiæ, Gebennensis Dioecesis Abbates, & quatuor alios Doctores conclavis custodes: tum Æneam Senensem, Canonicum Tridentinum, (qui fuit deinde Pius Papa II.) & Michaelem Brunonem, Belvacensem Canonicum, Clericos cærimoniarum, ac Notarios: Hugonem Berardum Promotorem, Petrum de Atrio Soldanum, & alios quosdam. His omnibus publico Decreto firmatis, Arelatensis primum, & tum alii Electores juramentum, ut alias conceptum erat, præstiterunt. Inde & Custodes conclavis idem fecerunt, jurantes servare, quæ ad eorum officia spectabant. Deinde cantantes, *Te Deum laudamus*, præcedentibus minoribus Patribus & Cruce; post eos subsequebantur Arelatensis, & alii Electores: sicque ab Ecclesia in prætorum urbis, ubi ornatum erat Conclave, pervenerunt, quod prius a Custodibus, & Vice-Camerario provisum, & omnibus purgatum, evacuatumque. Ingressi sunt Electores Hymnum cantantes, *Veni Creator Spiritus*. Ingressi sunt eadem die Conclave Electores, & magna civium manus armata foris observabat, ut libere possent

possent eligere. Intraverunt cum Electoribus Clerici cærimoniarum, & servitores Electorum: Cardinalis duobus fuit contentus, alii uno tantum. Postridie vero, antequam suffragia inirent, Arelatensis Cardinalis multis verbis hortatus est Collegas suos, ut in Pontificem eligerent virum quempiam genere & divitiis potentem, qui necessitati Ecclesiæ providere posset; alioquin omnia frustra cessura; opus esse magna & præsenti pecunia ad quadraginta millia nummorum; & tali Pontifice, qui in suo Imperio Patres susciperet, & ab adversariis tueri possit. Scrutinium factum est more consueto: conscribebantur in cedulis nomina eligentis, & Electorum: nominabant enim duos, aut tres, nonnulli unum tantum. Quater ad ineunda suffragia convenere, singulo quoque die semel; & cum in unum duæ partes non convenissent, quinta tandem die, quæ fuit pridie Nonas Novembris, compertum est, Amedæum, Sabaudiæ Ducem, viginti duobus ad Pontificatum vocari, & secundum Synodalia instituta electum esse in Pontificem Romanum. Arelatensis septem illos, qui Amedæum non elegerant, hortatur, ut etiam ipsi Amedæum eligerent: qui respondentes satis esse, si electionem laudarent, aliam electionem facere recusarunt. Perfecta electione intromissi sunt Custodes, & alii nonnulli viri præclari; in quorum conspectu Arelatensis nomine Collegarum retulit omnia, quæ gesta erant, & rursum omnium nomine elegit Amedæum, Sabaudiæ Ducem, in Romanum Pontificem. Rogatque Clericos cærimoniarum, tabelliones præsentes, ut inde publica conficiant instrumenta. Demum publicata electione Electores omnes egressi e Conclavi deducente Clero cum pompa Ecclesiam petierunt, ubi rursus publicatur.

CI.

Mors Alberti Cæsaris.

Inter hæc Albertus Cæsar moritur sexto Kalend. Novembris hujus anni Millesimi quadringentesimi trigesimi noni. Et Electores Imperii fidem publicam Basileensibus innovant, quam ob mortem Cæsaris evanuisse Patres putabant. Patres vero interim Lubecensi Ecclesiæ vacanti Pastorem dant, & Gratianopolitanæ titularem: tum cassata provisione facta de Ecclesia Cenomanensi per Eugenium, Guillelmum Malestrictum illi præficiunt. Ecclesiæ vero Aquileensi, quæ per mortem Ludovici Ducis vacaverat, Episcopum Tridentinum Georgium præficiunt, reservata sibi Tridentina Ecclesia, quoad possessionem Aquilejensis obtineret. Convenerant interea Germani Principes Francofordiæ ad Conventum celebrandum. Ubi mature rebus discussis, asserentes Generale Concilium Basileense, ac Eugenium IV. Romanum Pontificem contraria inter se quotidie Decreta, Edictaque constituentes, & alter alterum excommunicantes, ac etiam exauctorantes, & de Summo Pontificatu in Ecclesia acriter decertantes, se omnino dubios reddidisse; ita ut non possint discernere, quisnam sit major, quisve magis innitatur veritati; venerari se Patres Basileæ congregatos ut Generale Concilium, venerari pariter & Sanctissimum Dominum Eugenium Romanum Pontificem, Sanctamque Sedem Apostolicam professi sunt. Proinde Neutralitatem in tanto rerum turbine complecti statuisse, nullique contendentium adhærere. Decreta neutrius partis, quæ contra alteram facerent, neque permittere, ut in Provinciam publicentur: aganturque potius omnia per Ordinarios, ut jura statuerunt. In his autem, quæ ad pœnitentiam, & forum conscientiæ concernunt, licere unicuique adire, quem maluerit. Hæc tamdiu per Provinciales servanda esse, donec pax Ecclesiæ reddatur, cui daturos se operam omnes pollicentur.

CII.

SESSIO SEPTIMA FLORENTINA.

Armeni Ecclesiæ Latinæ uniuntur, & Cardinales creantur.

Eugenius autem Pontifex, ut electionem Amedæi in Antipapam a Basileensibus factam accepit, Romanæ Ecclesiæ, suæque auctoritati rectius consulturus, Cardinales creat numero decem & septem viros doctrina & prudentia claros. Tum advenientibus Armenorum Legatis, qui ad unionem cum reliquis Orien-

Orientalibus vocati erant, & eorum intellectis erroribus contra fidei nostræ puritatem, per multos dies eorum sententias discuti, & per viros sacræ doctrinæ peritissimos confutari, aperirique veras & Catholicas jussit. Inde celebrata publica Sessione VII. Florentiæ X. Kalend. Decembris, solemni more, quid ab eis profitendum esset, præscripsit, eosque edocuit Catholicam Fidem in hanc sententiam: Symbolum Constantinopolitani Concilii cum additione *Filioque* tenendum, illudque singulis Dominicis diebus, & solemnibus in Ecclesiis clare recitandum; definitionem Chalcedonensis Concilii de duabus naturis in una persona Christi, & sexti Concilii de duabus Christi voluntatibus & operibus amplectandam; Chalcedonensem Synodum, & Leonem Pontificem Summum recte de duabus naturis in una persona Christi sensisse contra Eutychis, & Nestorii falsum dogma: Synodos nominatas, & præterea Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, aliasque universales auctoritate Romani Pontificis confirmatas reverenter suscipiendas. Septem Sacramentorum Ecclesiæ formam acceptandam: Baptismi scilicet, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, secundum Romanæ Ecclesiæ ritum. In oblatione Calicis, in Sacrificio aquæ pauxillum vino admiscendum. Formulam Fidei ab Athanasio conceptam, quæ incipit: *Quicunque vult salvus esse*, firmiter credendam: unionem cum Græcis nuper factam amplectendam, in qua Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere, Sacramentum Altaris in pane triticeo absque fermento, sive azymo: pœnas purgatorii esse, & leniri fidelium suffragiis est declaratum: Romanum Pontificem supremum esse in Ecclesia Dei, & plenitudinem potestatis a Christo habere. Armenos oportere se conformare consuetudini Romanæ Ecclesiæ in celebrandis his solemnitatibus: Annuntiationis Beatæ Virginis; Nativitatis Beati Joannis Baptistæ, Nativitatis Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis, quæ aliis diebus ab illis celebrabantur; quæ omnia ab Armenis reverenter suscepta sunt.

CIII.

SESSIO TRIGESIMA NONA.

Confirmatur Amedæi electio in Romanum Pontificem.

Basileenses electionem a se factam de Amedæo Duce ad Pontificatum, quam primum litteris & nunciis per orbem Christianum promulgare curant; illam ut sanctam, ac Ecclesiæ Dei pernecessariam laudantes. Tum coacta publica Sessione XXXIX. XV. Kalend. Decembris solemni ritu electionem prædictam laudant, & probant, jubentque Amedæum ipsum legitime electum in Romanum Pontificem ab omnibus venerari. Deinde Legatos numero XXV. ad Amedæum legant, qui Concilii nomine electionem nuntient; & consensum exigant. Tertio Nonas Decembris Princeps Legationis Cardinalis Arelatensis erat, quem sequebantur Episcopi septem, Abbates tres, & XIV. Doctores. Aderant eis, & Basileensis civitatis Nuntii, & Nobiles complures, qui cum equitibus supra ducentos Amedeum petierunt. Erat is Ripaliæ, ubi in placido nemore Monasterium construxerat: ibique cum decem aliis nobilibus viris habitum gestabat Eremiticum, vocabaturque militum Sancti Mauritii Decanus. Huc cum pervenissent Legati ad XIII. Kalendas Januarias, processit eis obviam Amedæus cum Clero & sociis suis præcedente Cruce. Deinde cum Legati causam sui adventus exposuissent, ne brevitate terminus coarctaretur, neque consensum expostularunt, neque Concilii litteras reddiderunt, petieruntque ad alium diem audiri: statuta est dies tertia ad audiendos Legatos. Interim per Consiliarios Ducis, inter consultandum objectæ sunt Legatis nonnullæ difficultates: Particulam quamdam juramenti removeri, seu ad eorum sensum declarari cupiebant. Tum electum produci in habitu Eremitico, cum sua barba, & nomen Amedæi non mutari. Ad particulam juramenti responsum est, nihil per Legatos addi minuive posse, quod id ad Concilium spectaret. Ut primum electus consenserit,

ſerit, oportere habitum Pontificalem ſuſcipere, per quem poſſeſſio Pontificatus oſtendi videtur. Nomen autem ex antiquiſſima inſtitutione omnino mutandum: Quod etiam Chriſtus Dominus in Beato Petro fecerit. Et quoniam Amedæi nomen religione præ ſe ferret, daturos operam Legatos, ut in Catalogo Pontificum adſcribatur, eoque in poſterum uti poſſint Pontifices. De barba, cum conſentire non videretur, permiſſa eſt ei ad tempus. Præſcripta igitur hora admiſſi ſunt Legati, qui electionem Concilii nomine in ſcriptis obtulerunt; adhibitisque teſtibus conſenſum efflagitarunt, multisque argumentis, ut Eccleſiæ morem gereret, ſuaſerunt. Poſt aliquam conſultationem, cùm ſemel atque iterum dilationem peteret, neque concederetur; genuflexus & junctis manibus dixit ſe conſentire electioni in eum factæ, & aſſumpto nomine Felicis V. juramento ſe conſtrinxit, ut exigebatur: & acceptis Pontificalibus indumentis benedictionem ab Arelatenſi, & annulum piſcatoris accepit, & ab omnibus ſalutatus, adoratusque eſt, ut Romanus Pontifex. Poſtridie Ripaliæ ſolitudine eductus Felix, Tonuntum Pontificali pompa perducitur, ubi Pontificalia tractare cœpit: & in Vigilia Nativitatis Chriſti cum Veſperis intereſſet ſacris veſtibus ornatus, & barba ſua videretur multis res nova, & religioni noſtræ minime quadrans, amicorum ſuaſu barbam raſit. In die autem Epiphaniæ celebratis Sacris, Arelatenſis orationem habuit, in qua multa diſſeruit de virtutibus & nobiliſſimo genere electi: aſſerens Amedæum & Sabaudiæ domum originem ducere a Beroldo Saxoniæ Duce, Nepote Othonis III. Cæſaris. Tum vero Provinciæ nomine rogavit Felicem, ut cum in adminiſtratione univerſalis Eccleſiæ jam eſſet occupatus, avitum Imperium Filiis delegaret, qui aderant. Quibus dictis Felix, Ludovicum Filium primogenitum Sabaudiæ Ducem creat: Philippum vero ſecundo natum Comitem Gebennarum: Amedæum Nepotem Principem Pedemontium, Niciæ, & Vercellarum: Humbertum vero Germanum, Comitem Montis Rotundi. Interim ne, qui apud Eugenium erant, difficiliores redderentur ad ſentiendum cum Felice, ſtatuerunt illum majora Curiæ Romanæ officia nomini concedere, ſed per Vicarios adminiſtrarentur. Statutum eſt etiam, ut in ſcribendis ad Concilium litteris Felix nomen ſuum poſtponeret, ita ut ſcriberet: Sacroſanctæ Baſileenſi Synodo, &c. Felix Epiſcopus Servus Servorum Dei, &c. Poſt hæc Felix litteras ſuæ electionis ad omnes Principes transmiſit, aſſerens non ob divitias, aut potentiam Eccleſiæ, quæ parvæ nunc eſſent, & ipſe ſatis abundaret, propriasque, atque avitas pro animi quiete dimiſiſſet, Pontificatum accepiſſe; ſed ut Eccleſiæ Dei ſubveniret, & vocationi Sancti Spiritus non contradiceret, ſexaginta ultra annos, ſortemque ſenectæ, dimiſſa pace & quiete, quam elegerat, labores immenſos ſuſcepiſſe. Menſe autem denique Januarii quadrageſimi ſupra mille & quadringentos, Baſileenſes Petrum Dignienſem, & Antonium Portugallenſem Epiſcopos dignitate Sacerdotiisque privarunt, quod falſo apud Conſtantinopolim Concilii Legatos ſe dixiſſent.

CIV.

Conventus Francofordiæ, in quo Fridericus Cæſar eligitur, & reſponſum Baſileenſibus datum.

Convenerant Francofordiæ Principes Germaniæ ad novum Cæſarem Alberto nuper ſubrogandum: ad quos Baſileenſes Legatos ſuos miſerunt, curaturos, ut dimiſſa neutralitate Felicem in Romanum Pontificem ſuſciperent; omnibusque monſtraturos, & Eugenium juſto judicio Pontificatu eſſe dejectum, & Felicem legitime ſubſtitutum. Fridericus, Dux Auſtriæ, quarto Nonas Februarii, anno ſalutis MCCCCXL. Francofordiæ Cæſar dictus eſt: & Legatis Baſileenſium datum reſponſum Cæſaris novi, & Principum nomine, non poſſe Principes diſcedere ab his, quæ prius ſtatuerunt, nec velle Provinciam ſcindere: ſed daturos operam omni ſtudio ad pacem & quietem Eccleſiæ procurandam.

CV.

Eliguntur quatuor Cardinales a Felice Antipapa.

Interea Baſileenſes, ut Felix, quem ſibi præfecerant Pontificem, auguſtiori

cultu Basileam petere posset ad Coronam Pontificatus suscipiendam, illi indulgent, ut novos Cardinales creare possit quoscumque velit, etiam præter Decreta vigesimæ quartæ Sessionis. Et paulo post mense Aprili, quatuor ab eo assumptos approbant, & confirmant: quorum nomina hæc sunt: Ludovicus Lausanensis, Bartholomæus Novariensis Episcopi: Valramus Trajectensis electus,& Alphonsus Carillo Protonotarius a Felice designatus. Designantur & alii Legati a Basileensibus & Felice in Galliam ad Bituricensem Conventum: datis mandatis, ut Basileensium gesta de abrogatione Eugenii & Felicis substitutione, tutarentur. Curarent, ut Felici omnes parerent, darentque operam, ne alius locus pro tertio Concilio decerneretur.

CVI.

SESSIO QUADRAGESIMA.

Confirmatur Felix, & damnatur Eugenius.

Tum celebrata quadragesima publica Sessione ad IV. Kalendas Martias, promulgant Felicem electioni de se factæ legitime consensisse: demum statuunt illi, ut vero & legitimo Romano Pontifici, ac Christi Vicario ab omnibus parendum: ejus rebelles, aut ei non obtemperantes ut Summo Pontifici, sacros viros cujusvis dignitatis, aut ordinis excommunicant, Sacerdotiisque privant: profanos mulctis Concilii, aut ipsius Felicis reservant. Parentes autem Eugenio omnes damnant, excommunicant, privant. Deinde cum ageretur de provisione Pontifici & Cardinalibus & curiæ Officialibus facienda loco annatarum; multique urgerent homines Germanicæ nationis, & Gymnasii Parisiensis Legati, cum plerisque aliis Gallorum nomine intercesserunt, obstiteruntque, quominus id fieret, antequam Provinciales de ea re redderentur certiores. Litteræ Felicis post hæc, quibus legationem & præsidentiam Concilii Cardinali Arelatensi demandaverat, cum lectæ in concione non placerent, deletæ sunt, & ex registris abrasæ, & rursus aliis verbis concessæ. Carthusienses vero Monachi, cum (*) Lausanensem magno numero ad Capitulum convenissent, Felicem ut Romanum Pontificem venerati sunt. Quod tamen Italici, & alii Provinciarum Monachi ejusdem ordinis non probaverunt, sed Eugenium sunt secuti.

CVII.

Legatio Basileensium in Poloniam.

Miserant Basileenses Legatos suos in Poloniam, ut Regem & Provinciam ad se traherent. Sbigneus Cracoviensis Episcopus auctoritate & gratia apud Regem potentissimus ad eos inclinare videbatur, astute tamen, & prudenter rem gerebat: ita ut assumptus ab Eugenio post depositionem ad Cardinalatus dignitatem, non consenserit, & Felici aperte non adhæserit: quin & rerum ipse Basileensium acta laudabat, non tamen Felici profitebatur se obtemperaturum. Nuntiatur inter hæc Basileæ, Felicem, quem Pontificem creaverant, ad Concilium properare. Erat jam nuper orta contentio inter Patres de jurisdictione Concilii præsente Pontifice, quonam modo esset exercenda, quæ his diebus gravius exagitata est: tandem in hanc sententiam convenerunt. Auditorem Cameræ Concilii nomine, ut hactenus fecit, solum jurisdictionem habere in omnes & singulos Concilio incorporatos, incorporandosve: sic enim appellabant Concilio adscriptos: non licere tamen Auditori pro re Criminali contra quempiam agere ex Conciliariis, nisi de consilio quatuor Prælatorum, si reus fuerit Prælatus; seu quatuor aliorum patrum, si fuerit ordinis inferioris. Qui consultores singulis mensibus a patribus designabuntur, in re tamen graviori, & ubi fugæ periculum appareret, licere auditori reum coarctare, & tradere custodibus; sed quamprimum rem consultoribus aperire, & exsequi pro eorum consilio. Hoc judicium servandum esse non solum in conciliares omnes, & eorum familias, sed etiam in Legatos Principum, & suas familias, quamdiu in Concilio erunt. Pontificis autem, & Romanæ Curiæ Officiales quoscumque, non prius in Concilio admittendos ad exercitium suorum

(*) Lausanam.

rum Magiſtratuum, quam jurejurando promittant, ſe Auditoris juriſdictionem nullo modo impedituros, nihilque omnino ſe acturos contra Conciliares injuſſu Auditoris, ſeu Concilii. Venit tandem Felix Baſileam ad VIII. Kalendas Julias anni ſalutis MCCCCXL. Pontificatusque pompa ſuſceptus eſt.

CVIII.

SESSIO OCTAVA FLORENTINA.

Poſt receſſum Græcorum Amedæus Antipapa cum ſuis damnatur.

Florentiæ inter hæc Eugenius Pontifex coacta publica Seſſione octava, approbante ſacro Oecumenico Concilio, judiciali ordine per debita intervalla prius ſervato, ad X. Kalendas Aprilis, Amedæum Antipapam, ut hæreticum & ſchismaticum, Electores, fautores, ſequacesque ſuos omnes monet, niſi infra quinquaginta dies reſipuerint, & ad gratiam Apoſtolicæ Sedis rebellione dimiſſa ſupplices confugerint, incurſuros pœnas contra hæreticos, ſchiſmaticos, ac reos in crimine læſæ Majeſtatis a jure promulgatas, ſtatuitque, & declaravit, niſi intrá tempus paruerint abſque alio judicio, elapſo termino, mox in pœnas omnes incidiſſe. Pollicetur tamen ſupplicibus intra tempus veniam & gratiam ſe daturum.

CIX.

SESSIO QUADRAGESIMA PRIMA.

Eugenii Decreta irritantur.

Quæ ut Baſileæ nuntiata ſunt, poſt aliquot menſes, X. Kalendas Auguſti Patres in publica Seſſione quadrageſima prima Eugenii ſententias, decretaque irrita, nullaque eſſe cenſuerunt. Publico Decreto ex more edito ſtatuerant prius, ut inter Patres & Felicem in rebus gerendis concordia eſſet. Petitiones, quas ſupplicationes appellant, ſi in eis Sacro Concilio ſupplicaretur, per Concilii Præſidentes; ſi Pontifici, per Felicem, aut ſuos Referendarios ſubſcriberentur, cum ejus nomine: & illæ quidem ſub Bulla Concilii, hæ Felicis ſigno expedirentur. Nec multo poſt circumvicini Proceres, & Albertus, Bavariæ Dux, Felicem ut Romanum Pontificem venerati ſunt: & Fridericus novus Cæſar fidem publicam Patribus, qui Baſileæ erant, innovavit: addens unumquemque ſalvum eſſe & incolumem eſſe velle Baſileæ, etiam ſi eſſet Papalis dignitatis.

CX.

Coronatio Felicis Antipapæ.

Ad IX. deinde Kalend. Auguſti magna Procerum, ac populorum frequentia Felix publice coronatur pompa magnificentiſſima: & quoniam Cardinales numero paucos habebat, nec tantæ celebritati poterant ſufficere, adſciti ſunt octo Epiſcopi, qui Cardinalium munera implerent. Coronatus eſt in ſuggeſtu præ foribus templi ex materia excitato, & conſecratus in Romanum Pontificem, Cardinale Arelatenſe vicem Oſtienſis Epiſcopi gerente. Regium diadema, quo eſt coronatus, triginta millia nummorum pretium ſuperare ajebant. Tum data omnibus plenaria indulgentia, ſolemni pompa ad Monaſterium Prædicatorum profecti ſunt. Præcedebant Curialium, & Procerum familiæ, tum Nobiles, & Militares: inde Barones, Comites, & Marchiones. Hos ſequebatur Dux Sabaudiæ cum ſuis Conſiliariis, deinde tibicines, tympaniſtæ, & hiſtrionum turba: Clerus urbis cum ſacra pompa ſubſequebatur, laudes Deo canentes. Poſt quos Vexilla, & nobiles Papæ familiares cum quatuor Capellis ſequebantur, quibus proximi erant Præfectorum navalium loco milites Ripaliæ cum eremitico habitu, & barba, qui collegæ fuerant Felicis. Poſt hos deferebatur arcula cum Sacra Euchariſtia, quam ſequebantur Cardinales, & Epiſcopi Cardinalium loca implentes. Felix deinde Pontificali habitu ornatus, equo vehebatur albo, quem fræno ducebant Marchio de Roteling, & Comes de Vinſperg. Poſtridie vero in publica Congregatione Dux Sabaudiæ, & Comes Gebennenſis gratias Patribus egerunt pro honore eorum genitori impenſo, & in patriam reverſi ſunt. Celebravit mox Felix publicum conſiſtorium;

ſtorium; in quo primum actum eſt de pace procuranda inter Ludovicum patrem, & filium, Duces Bavariæ; tum per Stephanum Novarienſem, & Æneam Senenſem petitum eſt Pallium Patriarchatus Aquilejenſis Alexandro Tridentino Epiſcopo: & poſtremo Felix profeſſionem ac juramentum in electione ſua præſtitum publice innovavit. Auguſto menſe ſubſequenti Stephanus Bajoariæ Dux cum duobus filiis Baſileam veniens, Felicem ut Romanum pontificem venerantur: & Robertus, Stephani dicti filius, Argentinenſi Eccleſiæ præficitur, vacanti per ceſſionem Conradi de Busnau.

CXI.

SESSIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De quinto & decimo Denario.

Cum ſæpe multumque diſceptatum eſſet inter Patres de proviſione Pontifici, Cardinalibus, & Officialibus curiæ, loco annatarum facienda: tandem coacta publica Seſſione quadrageſima ſecunda ſolemni ritu ſtatutum eſt Decreto irrefragabili, non obſtantibus quibuſcumque aliis Decretis, quoniam ex Patrimonio Eccleſiæ Romanæ Felix nihil perciperet, & tamen pro utilitate reipublicæ cogeretur magnas ſubire impenſas; licere Felici exigere uſque ad quinquennium decimum denarium omnium cenſuum ac redditruum unius anni quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum in poſterum vacaturorum: cogendosque eſſe omnes ad perſolvendum, etiam cum cenſuris & pœnis. Beneficia tamen Germanicæ nationis, quæ cenſum quinque marcarum argenti non ſuperant, ab hoc Decreto immunia eſſe. Acta ſunt hæc Baſileæ in publica Seſſione, pridie nonas Auguſti ejusdem anni.

CXII.

Conventus Bituricenſis in quo Rex Galliæ ſe pro Eugenio Pontifice declarat.

Convocaverat Rex Franciæ Conventum Prælatorum, ac procerum ſuorum Bituris, ut ſuper diviſione Eccleſiæ cum eis deliberaret. Convenerant jam illic Patriarcha Antiochenus, Pariſienſis Eccleſiæ Præſul, Malleacenſis, Bitterenſis, Agathenſis, Montis Albani, & Apamiarum Epiſcopi. Tum ſupervenerunt Viennenſis Archi Epiſcopus, & Remenſis Regni Cancellarius una cum Pictavienſi & Magalonenſi Epiſcopis. Aderant Oratores Concilii, & Felicis, aderant etiam Eugenii Legati, quorum Princeps erat Joannes de Turrecremata, nuper in Cardinalem creatus. Habitæ ſunt variæ altercationes, diſputationesque cum unaquaque pars magnis auctoribus ſe tueretur. Adveniente tandem Rege ad conventum cum Prælatorum & procerum multitudine, auditæ ſunt Legationes Eugenii & Baſileenſium. Legationum ſumma erat. Aſſerebant Legati Eugenii Romanum Pontificem Monarchicam poteſtatem in Eccleſia habere, ſicut Regem in Regno: neque judicio Eccleſiæ ſubeſſe, niſi in hæreſi manifeſta: neque poſſe a quopiam corrigi Romanum etiam Pontificem peccantem, quoniam ſolum Deum haberet judicem, eſſetque hæreticum aliter ſentire. Hoc multis Sanctorum Patrum auctoritatibus firmabant: Baſileenſes traditiones hæreticas eſſe, & reipublicæ pernitioſiſſimas: quæ ſi admitterentur, non Pontifices, non Reges, non Principes aliquos tutos eſſe in ſtatu. Eugenium virum ſanctiſſimum, atque integerrimum non potuiſſe, neque debuiſſe a Baſileenſibus judicari. At contra Baſileenſium Legati multis argumentis, multisque rationibus & auctoritatibus & probare, & oſtendere conati ſunt, Generale Concilium ſupremam poteſtatem in terris habere, & Eugenium merito & legitime Pontificatu dejectum, ſubſtitutumque Felicem. Proinde orare Regem, ut Baſileenſis Concilii Sancta juſtaque Decreta ſuſciperet, Felicemque verum Chriſti Vicarium veneraretur. His auditis Rex, re mature cum ſuis diſcuſſa, tandem quarto Nonas Septembris in magna Prælatorum ac Principum corona, Legatis Baſileenſium in hanc formam reſpondit, Claromontenſi Epiſcopo Regis nomine lingua Gallicana loquente: Gallorum Regem, ut Chriſtianiſſimum Principem decet, qui ſemper faviſſet dignitati Generalium Conciliorum, & Baſilienſium inprimis, quo ſemper

per Legatos ſuos habuiſſet, tuliſſe mœſtiſſimo animo ſeditiones & diſcordias inter Patres & Pontificem exortas: monuiſſe, rogaſſeque ſumma diligentia Patres litteris & nuntiis, ut a judicio contra Eugenium ſuperſederent: illos vero ſpretis Regis precibus, non modo ſuperſediſſe, ſed illum dejeciſſe Pontificatu, & alium ſubrogaſſe: Regiam Majeſtatem in hac re nihil ſtatuere voluiſſe ſine conſilio Prælatorum, & Procerum Regni: Et propterea Conventum Bituris indixiſſe. Nunc vero ex conſilio Conventus ſtatuiſſe Regem perſeverare in obedientia Eugenii Pontificis, nec alium recognoſcere Romanum Pontificem, quam Eugenium: cui ſupplicabit, ut intra annum Generale Concilium in Galliis celebret ad ſciſſionem Eccleſiæ tollendam. Rogare autem ipſos Legatos, ut dicant Regio nomine Patribus, qui Baſileæ eſſent, & Domino Sabaudiæ (ſic enim Felicem appellabat) ut dimiſſis cenſuris, & comminationibus, ad ea, quæ pacis eſſent, intenderent, neque ullo modo Regni ſui Clericos judiciis infeſtarent. Dominum Sabaudiæ ſanguine Regi eſſe conjunctum: non placere Regi, ut a quopiam injuriæ ei irrogentur, ſed in hac re, quoniam ad fidem pertinet, nihil præter juſtitiam audere Regem: ſperare tamen conſanguineum ſuum ſolita ſua prudentia rem hanc tractaturum. Hoc accepto reſponſo Baſileenſes ad ſuos reverſi ſunt, animo ſatis mœſto: adſcribentes hanc Regis ſententiam ob Regis Renati cauſam emanaſſe: ut qui cuperet Eugenium in Regno Neapolitano Renati partes contra Alphonſum tueri: ob hanc rem, & Regem ipſum, & Carolum Andegaviæ Ducem Renati fratrem Eugenio aſſiſtere ſtatuiſſe. Hæc ubi IX. Kalend. Octobris Patribus, & Amedæo renunciata ſunt, omnium mentes mœrore occupavit.

CXIII.

Litteræ adhærentium Felici, & Baſileenſibus.

Menſe deinde Octobris Baſileenſes litteras Regis Aragonum acceperunt; in quibus ille Sacroſanctam Synodum, repræſentantem univerſalem Eccleſiam appellabat. Eliſabeth quoque Regina Hungariæ Sigismundi Cæſaris relicta Felici Papæ V. litteras dederat, in Romanum Pontificem recognoſcens illum. Idem fecit Albertus Bajoariæ Dux, qui electus in Regem Bohemiæ Regnum recuſavit: & Albertus Auſtriæ, Friderici Cæſaris Germanus, qui ambo Felicem Pontificem ſunt profeſſi. Quarto deinde Idus Octobris, cum Patres diſpenſaſſent Decreto XXIII. Seſſionis ſuper creatione Cardinalium, indulſerunt Felici, ut quos utiles eſſe judicaret, crearet novos Cardinales: qui mox de conſilio aliorum Cardinalium octo novos creavit, quorum unus illegitimus erat. Eorum nomina hæc ſunt: Alexander Patriarcha Aquilejenſis Tridentinus, Otho Dertuſenſis, Georgius Vicenſis, Franciſcus Gebennenſis, Bernardus Aquenſis, Joannes Argentinenſis Epiſcopi, Joannes Friſingenſis Vicarius, & Joannes de Segobia Presbyteri Cardinales omnes. Horum tituli hi fuere: Patriarchæ Aquilejenſis, Sancti Laurentii in Damaſo: Dertuſienſis, Sanctæ Potentianæ: Vicenſis, Sanctæ Anaſtaſiæ: Gebennenſis, Sancti Marcelli: Aquenſis, Sanctorum Nerei & Achillei: Argentinenſis, Sancti Sixti: Joannis Friſingenſis, Sancti Martini in montibus: Joannis de Segobia, Sancti Calixti. Deinceps cum jam Cardinales numero ſatis honeſto eſſe viderentur, proviſiones Eccleſiarum, quæ per Concilium prius fiebant, Felici, & Cardinalibus ſuis ſunt permiſſæ. Inſtituit præterea Felix juſtitiæ Concilium, quod octavo quoque die voluit in Capella publica reſidere, ac jus dicere. Erant ad hoc deſcripti cum Vice-Cancellario quinque alii Cardinales, & octo ex Patribus, qui communi conſenſu commiſſiones juſtitiæ ſubſcriberent. Inſtituit etiam fieri publicum conſiſtorium ſemel in menſe, & in Romana Curia ſemper eſſe ſtudium generale, & Patres quibusdam doctis viris in mandatis dederunt, ut geſta Conſtantienſis Concilii diſperſa colligerent, Bulla Baſileenſis Synodi munienda: quæ omnia perfecta ſunt. Poſt hæc, ut Galliarum Prælatos ſibi conciliaret Felix, ſex alios Cardinales creavit pridie Idus Novembris, Dionyſium Patriarcham Antiochenum Pariſienſem Epiſcopum, Amedæum Lugdunenſem, Philippum Turonenſem, Nicolaum Panormitanum Archi-Epiſcopos: tum Joannem Nannetenſem,

& Gerardum Castrensem, Regis Franciæ Confessorem, Episcopos, absentes omnes; & paulo post designati sunt Legati in Germaniam, Alexander Sancti Laurentii in Damaso, Joannes Sancti Martini, & Joannes Sancti Calixti, cum pluribus aliis, cum amplissima potestate omnia agendi & concedendi Cæsari, ac Principibus, modo ipsos traherent ad partes suas. Audierant enim Cæsarem Conventum Generalem omnibus Regibus, & Principibus indixisse Maguntiæ ad Purificationem Beatæ Virginis; & alium Provincialibus suis prius Nurimbergæ ad festum Sancti Andreæ, ut in eo præconsultaret, quid in dissensione Ecclesiæ esset agendum. Magna igitur cura inerat Basileensibus Cæsarem præveniendi, & eum in sententiam suam deducendi. Inter hæc longa Epistola Christianæ plebi persuadere conantur, actum esse de Republica Christiana, deque disciplina Catholicæ fidei, si patiantur auctoritatem sacrorum Conciliorum per ignaviam opprimi: Ostendunt multis argumentis supremam Conciliorum auctoritatem, Eugenii justam dejectionem, & Felicis necessariam, legitimamque subrogationem. Tandem hortantur, rogant, jubent, omnes Decreta Basileensis Concilii suscipere, Felicem venerari ut Romanum Pontificem, & ab adversariorum favore omnino discedere: asseruntque neutralitatem nullo modo sustinendam.

CXIV.

Gymnasia, quæ cum Basileensibus senserunt.

Per hoc tempus Parisiensis schola instantibus Basileensibus Concilio Basileensi se adhærere professa est, & plurima Germaniæ Gymnasia, ut Viennense, Erfordiense, Coloniense, & etiam Cracoviense in Polonia: quæ omnia suis scriptis declararunt supremam esse potestatem apud Generale Concilium Basileense, cui etiam Papa obedire teneretur. Panormitanus Episcopus, qui aberat, Basileam reversus mense Februario anno salutis MCCCCXLI. rubeum capellum, antequam urbem ingrederetur, acceptavit; & facta reverentia Felici, ut Romano Pontifici, litteras Regis Aragonum produxit Patribus: quibus Rex illum Generalem suum procuratorem in omnibus constituebat, mandabatque, ut nomine suo Basileensi Concilio semper adhæreret. Jamque tractare incipiebant, quibusnam legibus Alphonsus Felicem in Romanum Pontificem susciperet. Et Dux Britanniæ litteris gratias egit Patribus, quod Episcopum Nannetensem cognatum suum Cardinalem creassent: statutumque est per hoc tempus, ne Abbates ex ordine Canonicorum regularium rochetis uterentur ad differentiam Episcoporum.

CXV.

Quid egerit Basileensium Legatio Nurimbergam petens.

Legati Basileensium interea Nurembergam petentes, inter eundum plures e Ducibus Bajoariæ in sententiam suam pertraxerunt; quin & Archi-Episcopus Saltzburgensis, quem Pataviensis & Ratisbonensis Episcopi sequebantur, eorum partes se probaturum pollicebatur. Idem & Marchio Brandeburgensis promittebat. Venerunt tandem Nurimbergam; & cum peterent a Consulatu urbis suscipi Concilii Decreta, responsum est, quoniam ea civitas ad Imperium immediate spectaret, decere, ut sententiam Cæsaris sequerentur. Tandem cum litteris Cæsaris renuntiatum esset, Cæsarem Nurimbergam non venturum, sed quamprimum petiturum Maguntiam ad indictum Conventum, Legatorum Basileensium pars Basileam rediit: Cardinalis vero Sancti Calixti cum aliquibus ex Collegis Maguntiam properarunt, cum præsertim intellexissent Eugenii Legatos Joannem Carvajalem, Nicolaum Cusam, & Jacobum de Ferraria illuc accessisse. Basileæ interea nunciatur Alphonsum Regem mandasse, ne in suis Regnis quispiam Basileensium edictis pareret: quod Panormitanus falsum esse affirmabat; asserens Regem non jussisse, ut Concilio non pareretur, sed ad tollendas seditiones jussisse, non exsecutioni mandanda edicta sine litteris Regiis.

CXVI.

Præsidentia Felicis in Concilio, & aliqua Decreta.

Et cum Arelatensis & Sancti Martini in montibus Cardinales abessent, qui

Præſidentes Concilii erant, & ob contentionem nullus eſſet legitimus Præſidens ſubrogatus, ipſe Felix, quem Papam appellabant, extra ordinem, & præter conſuetudinem Baſileenſi Concilio præſedit in Generali Conventu, & conclusiones nomine Concilii fecit complures. Primum, ut Præſidens Concilii eſſet ſemper primus Prælatus, qui adeſſet: Tum, ut litteris Collatorum Beneficiorum quorumcumque non ſtaretur, niſi ante datam collationem tantum effluxiſſet temporis, quo veriſſime notitia obitus prius poſſidentis collatori potuerit fieri. Inde ne collationes de eodem Beneficio, eodem tempore, eodemque modo factæ cuipiam ſuffragarentur. Deinde, ne litteris collatorum de Beneficiis collatis in præjudicium proviſorum Apoſtolicorum ſtetur, niſi probetur collatio per inſtrumentum publicum a Notario ſubſcriptum. Statutum dein eſt, Doctoribus, Nobilibusve, ſi Beneficia obtinerent cenſus trecentarum librarum, non eſſe concedendas diſpenſationes ad duo incompatibilia: inferioribus autem, ſi ducentarum: ad duas autem parochiales, vel dignitates majores poſt Pontificales vel principales, in Collegiatis Eccleſiis nemini omnino dandam diſpenſationem. Item Doctores, ſeu Nobiles non poſſe obtinere ultra duas Præbendas in Metropolitanis, in Cathedralibus tres, in Collegiatis autem quatuor: inferiores, unam, duas, tres, pro portione ſupradicta. Beneficia ſimplicia primi non habeant ſupra octo, ſecundi ultra tres; Licentiati in Theologia, vel altero jurium legitime, & Officiales Romanæ Curiæ Pontificali ſervientes, Doctoribus & Nobilibus comparentur. Commendæ inſuper Cardinalibus, ſi cenſus ſex millium librarum habuerint, non dentur: neque ullo modo ſupra dictam ſummam permittantur habere, niſi in uno Beneficio major ſumma comprehenderetur. Patriarchis ſi quatuor, Archi-Epiſcopis ſi tria, Epiſcopis & Protonotariis ſi duo, Abbatibus ſi mille tantum poſſederint, commendæ non dentur. Statutum eſt etiam, ne ordinationes in Concilio temere fierent, ut conſueverant. Delectique ſunt quidam, qui ordinandos examinarent, probarentque certis conditionibus: Felici autem inſtanti, ut reſervationes ſibi concederentur in Provincia Sabaudiæ, quibus Romanus Pontifex in Provinciis Eccleſiæ uteretur, non eſt conceſſum.

CXVII.

Geſta Legatorum Baſileenſium in diœta Maguntina.

Maguntiæ interea Joannes Segobienſis, Cardinalis Sancti Calixti appellatus, cum reliquis Legatis Baſileenſibus Principum adventum exſpectans, ut Legatus de Latere, jurisdictionem exercere, & inſignia deferre ceperat, jamque Baſilicam Maguntinam petens crucem præ ſe tulerat: aberat tunc Maguntinus. Templi igitur præſides, & aliarum Eccleſiarum Prælati, Joannem adeuntes orant, ne ultra eorum Eccleſias ut Legatus ingrediatur: Maguntinum Præſulem cum aliis Germaniæ Principibus unitos eſſe; ſtatuiſſeque nihil admittere, quod alteri e contendentibus poſſet præjudicare. Illos profiteri Baſileæ Concilium eſſe, & Eugenium Romanæ Eccle- Summum Pontificem: domi tantiſper ſe contineret, quo adventaret Maguntinus. Advenerunt tandem Maguntinus & Trevirenſis circa Idus Februarii, & paulo poſt Legati Cæſaris, & alii complures. Segobius autem cognoſcens aliquorum relatu Electores ad Eugenium inclinare, & præſertim Maguntinum, Baſileenſibus ſcripſit, ut alios Legatos viros claros adjungerent. Et cum deinde per plures dies expoſtulaſſet, ut Concilii nomine audiretur, tandem Principum nomine in hanc ſententiam reſponſum eſt: Principes nullo pacto diſceſſuros ab unione, quam juraverant, ſtatuiſſeque juramentum ſervare, etiam contra dubium conſcientiæ. Auditoros illum, ut Concilii Oratorem, ſi crucem, & Cardinalis habitum domi relinquat, quoniam pro Cardinali, aut Legato eum non haberent. Idem ſe facturos, ſi quis Cardinalium ab Eugenio creatorum poſt ſuſpenſionem advenerit. Hæc cum duriora Segobienſi viderentur, reſpondit injuſſu Concilii & Felicis ea non admiſſarum: præſertim cum peterent, ne inter loquendum Eugenium hæreticum, aut ſchiſmaticum appellaret; quoniam non

non ob aliam causam venerant, nisi ut justitiam Concilii, & Eugenii manifesta scelera ostenderent. Paulo post Cardinalis Arelatensis ut Legatus de Latere, una cum Joanne Frisingensi, quem appellabant Sancti Martini Cardinalem, Maguntiam venit. Principes Joannem Lysuram ad eum mittunt: asserunt se Arelatensem honoraturos,ut verum Cardinalem, si legationis insignia ponat: audituros que eum æquo animo, & alios, si ille crucem, alii habitum Cardinalis domi dimittant. Ingens per multos dies contentio habita est super ea re, cum Basileenses nullo modo cedere vellent. Tandem cum Principes se conventum translaturos ad alium locum prædicerent, nisi acquiescerent; cives & Magistratus Maguntini Basileensibus prædixerunt, nisi voluntati Principum aequiescerent, se fidem publicam revocaturos, nisi intra octo dies ab eorum urbe discederent. His auditis Basileenses Legati, cum cernerent Principum animos fixos esse, & cives nos passuros, ut Principum voluntas violetur, ne causam suam indefensam dimittant, cedere statuunt. Igitur IX. Kalendas Aprilis, Cardinalis Arelatensis cruce domi relicta cum aliquibus ex collegis & familiis suorum Cardinalium, quos etiam domi dimiserat, ad locum congregationis venit: ubi multa primum ipse, & plura Thomas de Corcellis ejus Collega, dixit de potestate suprema Conciliorum, de recto Concilii judicio contra Eugenium, & de legitima & necessaria electione Felicis. Postridie vero auditi Eugenii Legati sunt: & Joannes Carvajal apologiam his verbis sumens: *Ejice ancillam & filium ejus; quia non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Multa & miranda dixit contra adversarios, cujus orationem suscipiens Nicolaus Cusa, ejus collega non minora est prosecutus, adversariorum dicta prosternens, suorum confirmans; & demum attestans, Amedæum Papatum, quem plurimis annis sub ovina pelle aucupaverat, tandem ab Electoribus emisse, & Venetis promisisse XII. millia equitum, si dimisso Eugenio secum sentirent. Depositionem autem Eugenii ab Episcopis tantum septem factam fuisse; cum puri Episcopi depositio a paucioribus XII. rite fieri non possit. Auditi sunt Eugeniani non sine magno Principum applausu; cum visi essent optime adversariorum objecta repulisse: Summa sententiarum Eugenianorum hæc fuit.

CXVIII.

Assertiones Eugenianorum pro auctoritate Pontificis.

Fidem orthodoxam unam habere Ecclesiam Catholicam & Apostolicam in remissionem peccatorum, in qua de necessitate salutis est esse: hujus Caput, & Pontificem Summum, esse Eugenium, quem omnis Ecclesia per universum orbem diffusa, ut talem venerata est, & nunc major pars veneratur. Qui igitur cum Eugenio Ecclesiæ Capite non est, extra Ecclesiam est, neque ab Ecclesia factum putandum est, quod a quibusdam Basileæ est factum, cum major pars Ecclesiæ id non probet. Claves prætera Ecclesiæ soli Petro & Successoribus datæ; cui dictum est, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, & iterum, *Pasce oves meas.* Ecclesiæ Monarchiam, nisi in Petro solo fuisset fundata, deletam fuisse, si quisque Apostolorum peculiares habuisset oves. Papam Petri Successorem nonnisi in causa hæresis a quopiam esse judicandum, sed propria potestate se ipsum judicaturum. Papam dispensare posse juri Divino & humano, super quæ potestatem habet. Papam omnibus Christianis præesse, & ita Concilio Generali, ut illi potestatem tribuat. Generale Concilium non habere potestatem immediate a Christo, sed a Beato Petro, & ejus Successoribus. Pontificis Summi gesta non esse ferienda gladio ovium suarum. Legibus & Statutis omnibus, & Generalium Conciliorum Papam posse contravenire legitime. Hæc verba: *Quæcunque alligaveris super terram, &c.* non esse dispositiva, aut clavium collocativa. Summum Ecclesiæ tribunal, & in terris supremum Judicium apud Papam solum esse. Nemini licere Summo Pontifici dicere, cur ita facis? cujus est de medio tollere omnes insolentias, & perturbationes pacis Ecclesiæ. Exercitium clavium in plenitudine potestatis in terris Papæ tantum competere; qui omnia potest in terris. Generale Concilium veluti

veluti arenam ſterilem eſſe, niſi a Papa fecundetur. Cum igitur his & multis aſſertionibus Baſileenſes gravius urgerentur, & una tantum dies eis aſſignaretur ad reſpondendum, quæ vellent; viſum eſt, ut Segobienſis hanc provinciam ſumeret; qui doctrina & elocutione valeret, & ſeries rerum argumentationesque omnes in Concilio jam pluribus annis factas optime calleret. Igitur dimiſſo domi Cardinalari habitu, ut privatus, concionem petiit: ubi poſtquam plurima pro cauſa Baſileenſium dixiſſet, & cur habitum dimiſerat, adverſariorum dicta diſſolvere conatus eſt: longumque tractatum exhibuit in XII. libros diviſum, quos parcellas appellabat: in quibus infinitis argumentationibus, rationibus, Sanctorum Patrum ſententiis, dictisque tam veteris, quam novi teſtamenti comprobare conatus eſt, ſummam poteſtatem in terris eſſe apud Generalia Concilia, quibus etiam Papam oporteat obedire: tum Baſileenſe Concilium legitimum, & nullo modo ab Eugenio potuiſſe diſſolvi, etiam de plenitudine poteſtatis: neque verum eſſe, quod per partialem concluſionem ſeipſum diſſolverit. Deinde Eugenium juſte depoſitum eſſe, & Felicem legitime ſubrogatum. Demum oportere omnes Felici, ut vero Pontifici obedire. Poſtremo veritates a Concilio approbatas multis rationibus confirmavit, & legitime Eugenium fuiſſe declaratum hæreticum. Contra hæc ſequenti die late diſſeruerunt Carvajal & Cuſa; affirmantes, Baſileenſes non potuiſſe judicare Eugenium, & eorum veritates, quas tantopere extollerent, eſſe falſas fatuitates; eorum omnia geſta, ut iniqua & fatua damnantes, & irridentes. Baſileenſes vero poſt hæc audiri petentes, non ſunt amplius admiſſi. Et congregati (quamvis Trevirenſis diſceſſiſſet) ſimul convenientes cum Legatis Cæſaris, & Francorum Regis, in hanc ſententiam convenere. Pro pace Eccleſiæ eſſe congregandum Generale Concilium in alio loco extra Baſileam & Florentiam. Cæſarem cum aliorum Principum aſſiſtentia contendentes interpellaturum, ut ad Concilium veniant concordiæ cauſa. Si contendentes, vel alteri eorum locum eligere noluerint, Cæſarem electurum. Nominataque ſunt loca ſex in Germania, & totidem in Gallia: ſi placeret per Decretum, ut Oratores nomine Cæſaris, & Regum, & Principum ad Eugenium mitterentur menſe Novembris ſuper ea re: qui etiam idem Amedæo per aliquem ex ſuis Prælatis ſignificarent: Conciliumque Generale omnino inchoandum Kalendis Auguſti anni MCCCCXLII. Cæſarem, Reges, ac Principes daturos operam, ut Prælati, & alii ex ſuis provinciis Concilium petant: & finis datus eſt conventui. Hæc omnia Cæſari relata ſunt, quem etiam Viennæ morantem pars Legatorum Baſileenſium & Eugenii Legati adierunt, quiſque cauſam ſuam agentes. Reſpondit Cæſar, ſe alium conventum indixiſſe Francofordiæ ad Feſtum Martini; ubi de conſilio Principum vellet ſtatuere, quid ſit agendum. Albertus Cæſaris Germanus profeſſus eſt ſe cum Felice ſentire, illumque uſque ad mortem ſequi velle. His finis fuit Maguntinæ Diætæ, quæ more Germanico Francofordienſem diætam peperit. Baſileenſes vero, cum fandi locus amplius datus non eſſet, longam apologiam contra Eugenianorum dicta ſcripſerunt, diſſeminaruntque.

CXIX.

Ordinis Minorum Germaniæ Fratres Felicem ſuſcipiunt.

Menſe deinde Julio ejuſdem anni MCCCCXLI. Epiſcopus, Clerusque Eccleſiæ Selesvicenſis, & Miniſter Ordinis Minorum, provinciæ Germaniæ, per Procuratores in verba Felicis jurarunt. Illumque ut Romanum Pontificem venerati ſunt. Erat jam pridem diſſenſio inter Fratres ejuſdem ordinis, cum hi, qui obſervantiam regulæ profitebantur, Prælatis Conventualium ſubeſſe nollent, & jam a Conſtantienſi Synodo ab illorum juriſdictione fuerant liberati. Annuebat Felix, annitentibus maxime civibus Baſileenſibus, ut in Monaſteriis ejuſdem ordinis, in quibus major, ſaniorve pars Obſervantibus conſentirent, ejectis Prælatis Conventualium ab Obſervantibus regerentur. Inſtabat igitur Martinus Nurimbergenſis Miniſtri nomine, rogans, ne in provincia ordo divideretur: non eſſe

esse concedendam Observantibus exemptionem, & varias in eorum ordine Prælaturas. Re diu inter Patres agitata, nihil tandem statutum est. Per hoc tempus a quodam Petro Reginaldo ex Observantibus Theologo insigni, Patribus propositum est, videri sibi declarandum, omnes homines adultos sub pœna damnationis æternæ obligari, scire explicite decem præcepta legis. Diu super ea re disceptatum est: sed cum ardua nimis videretur, & non necessaria, indefinita dimissa est.

CXX.

Conturbatio Patrum de oratione Panormitani.

In celebritate Pentecostes, cum Felix rem Divinam faceret, Panormitanus sermonem habuit, in quo cum de auctoritate Concilii & Papæ loqueretur, asseruit Papam esse majorem Generali Concilio: neque recte agi a Patribus, quod nomen Pontificis nomini Concilii postponerent, quoniam ipse esset Caput Concilii & Episcopus universalis Ecclesiæ: sed hanc prærogativam habere Pontificem in rebus alienis, in factis autem propriis ita Papam subesse Concilio, ut etiam pro quocumque peccato mortali notorio Ecclesiam perturbante posset a Concilio judicari. In alienis judicium ad eum omnino pertinere, ad quem etiam definitiones fidei spectarent, etiam præsenti Generali Concilio. Hæc Panormitani verba multorum Patrum animos admodum perturbarunt, putantes ea aperte contra Constantiensis Synodi doctrinam esse, & in favorem Eugenii. Monitus super his Panormitanus, coram Felice & Cardinalibus suis se multis verbis purgavit: ostendens prius, quæ & quanta fecisset pro auctoritate & defensione Sacri Concilii: se ea verba protulisse ardore quodam sermonis, & non ea intentione, qua multi acceperant; sed neque ita esse interpretanda. Proinde acciperent ejus bonam mentem, qui auctoritati Conciliorum favisset semper, faveretque quoad viveret.

CXXI.

Relatio Basileensium Legatorum ex Polonia.

Circa hoc tempus Legati Basileenses in Poloniam missi ad procurandam obedientiam Concilio & Felici, reversi sunt: & inter multa retulerunt Cracoviense Gymnasium in sententiam Basileensium venisse, ejusque scripta longa serie attulerunt: Prælatos autem & proceres regni varias habere opiniones: ad summam, si Concilium & Felix Regi tradant titulum Regni Hungariæ in suis litteris, sique principibus libere dimittant pecunias, quas habent in potestate, ex indulgentiis, Græcorum causa collectas, forsan, ut Poloni Concilio & Felici se parituros profiteantur. Hæc cum admittenda non viderentur, litteræ supervenerunt, quæ novam spem facerent, Regem scilicet Poloniæ in Concilio procerum statuisse, supersedere velle in rebus Ecclesiæ usque ad plenam veritatis cognitionem. Interim vero prohibuisse, ne quis litteris mandatisve Eugenii pareret, sub pœna proscriptionis: utque de pecuniis provenientibus ex denario Sancti Petri Cantori Cracoviensi interim responderetur. Nec minor erat spes de obedientia Britanniæ, quam opera Nannetensis Episcopi, quem Cardinalem fecerant, & alterius magnæ auctoritatis viri, quem promoturum ad eandem dignitatem pollicebantur, impleri putabant. Et cum pluribus in locis magis obtemperaretur litteris Concilii, quam Felicis, statuerunt litteras provisionum Ecclesiasticarum & Beneficiorum sub nomine Concilii expediri, vel sub nomine utriusque, ut magis impetranti placeret.

CXXII.

De Celebritate Visitationis Beatæ Mariæ Virginis.

Disceptatum fuerat jam per longum tempus inter Patres de celebritate Visitationis Beatæ Mariæ Virginis instituenda, cum prima institutio a Bonifacio IX. facta schismatis tempore, non fuisset suscepta ab hominibus alterius obedientiæ: sed cum de formula Decreti non convenirent, res diu dilata est. Tandem cum Æneas Senensis formulam quamdam confecisset, quæ omnibus æque satisfaceret, placuit in publica Sessione firmari Decretum. Verum alia exorta est contentio. Videbatur plerisque probis viris De-

Decretum promulgandum esse Felicis nomine, quem Papam putabant, sacro approbante Concilio: quod observatum dicerent in antiquis Conciliis, vel saltem addendum, Papa Felice præsidente, ut Senis fuerat observatum in ultimo Concilio de præsidentibus Martini Pontificis: quæ cum aliis non placerent, annuente Felice, dimissa sunt.

CXXIII.

SESSIO QUADRAGESIMA TERTIA.

Instituitur celebratio Visitationis.

Celebrata est Sessio quadragesima tertia Kalendis Julii anno Christi Millesimo quadringentesimo quadragesimo primo: in qua solemni ritu decretum, atque sancitum est, Festivitatem Visitationis Beatæ Mariæ ab omnibus Christi fidelicus pia religione celebrandam quot annis Sexta Nonas Julii, ad honorem Genitricis Dei: concessaque est omnibus, qui matutinis, processioni, sermoni, Missarum solemniis, primis aut secundis vesperis interfuerint, pro unoquoque officiorum prædictorum centum dierum indulgentia de injunctis pœnitentiis. Augusto mense hujus anni inter alios incorporatus est Basileensi Concilio Bartholomæus Cornetanus. Per quod tempus Alphonsus Rex per Legatos a Patribus petebat, ut decima universalis super Clerum imponeretur pro defensione Insulæ Rhodi, quæ a Turcis infestaretur: daturumque se operam, ut in suis regnis facile exigeretur. Quod cum Patribus non videretur propter contentionem Ecclesiæ; petebat saltem, ut in provinciis Sabaudiæ, & ipsius Regis tantum imponeretur: quod etiam non est admissum.

CXXIV.

Tractatus Philippi Ducis Mediolani cum Antipapa de obedientia præstanda.

Tractaverat jam pridem Philippus Mediolanensis Dux per suos Nuntios de obedientia Felici præstanda. Hunc tractatum nunc Felix ab amicis præmonitus vehementius prosequebatur, ut antequam Cæsar Francofordiæ cum Principibus conveniret, perficeretur. Petebat Philippus, quoniam grave sibi periculum immineret, si primus ex Italicis Felicem susciperet, tredecim millia aureorum in stipendium singulo quoque mense, pro quatuor millibus equitum, & aliquorum mensium stipendia in principio: & hoc tam pro sua defensione, quam pro recuperatione provinciarum Romanæ Ecclesiæ. Promittebat se in manus Felicis positurum Bononiensem civitatem, & alia quædam addebat. Aderat Secretarius & Nicolai Piccinini Clarissimi exercitus Ducis, qui a Felice repetebat expensas factas pro expugnatione Bononiæ, si illam cuperet obtinere: neque erat parva summa. Habiti sunt varii tractatus, missique ultro citroque nuntii, & litteræ. Hortabantur sui Cardinales & Amici Felicem, ut conditiones, quas posset, amplecteretur: quoniam si Mediolanensem in partes suas traheret, haberet etiam Alphonsum Regem, & magnam Italiæ partem: quos procul dubio & Germani, & alii deinde sequerentur. His exhortationibus impulsus Felix, circa Kalendas Septembris, pollicitus est Mediolanensi stipendii nomine aureorum quinquaginta millia, intra tres hebdomadas post prædictam obedientiam & Bononiam consignatam: tum alia quinquaginta millia ex reditibus Bononiæ, & aliorum locorum competentibus terminis persolvenda. Missus cum his mandatis Felicis Vice-camerarius diu verbis ductus, & nunc ad Marchionem Ferrariensem, quasi Ducis arbitrum, nunc Mediolanum remissus: tandem mense Januario Basileam rediit facta spe, post decem dies Ducem missurum insignem legationem ad obedientiam Felici præstandam: sed vana fuit omnis hæc spes: nunquam enim postea Legati Basileæ comparuerunt.

CXXV.

De Divisione quinti, & decimi denarii.

Contentio non parva exorta est per hoc tempus inter Felicem, & suos Cardinales pro divisione quinti & decimi denarii. Petebant Cardinales dimidiam partem secundum Decretum XXIII. Sessionis, & Nicolai IVti. Felix vero id non esse

esse æquum dicebat, quoniam is graves expensas pro Ecclesia subiret, nec ex reditibus Ecclesiæ Romanæ quidquam acciperet: ex quinto autem denario nihil, nisi ex Sabaudiæ provinciis proveniret. Officiales Curiæ, & ipsi suam ratam petebant, asserentes pro eorum sustentatione eam legem esse introductam. Res diu disputata est, & quia graviora incumbebant, indecisa. Dimissa fuit & altera disceptatio eodem ferme tempore, quæ tandem meliorem finem est sortita. Postulaverat Felix a Patribus, ut quoniam aliunde ex Pontificatu nihil omnino accipiebat ad onera supportanda, concedere Concilii nomine, licere Felici Ecclesiam unam, Monasterium unum, & unum aliud Beneficium in provinciis Sabaudiæ tamdiu obtinere, quoad majorem partem agri Romanæ Ecclesiæ recuperaret. Diu multumque super hac re disputatum est, & tandem non sine maxima contentione annitentibus amicis concessum. Decretum est etiam Felicem uti posse reservationibus in XXXI. Sessione statutis. Et cum multæ querelæ contra Scriptores litterarum Apostolicarum ob excessivas taxas haberentur, actum est diu de moderatione: nihil tamen conclusum, cum assererent se Joannis XXI. taxas non superare. Mense deinde Octobri litteræ allatæ sunt Patribus a Rege Alphonso, qui in sex Regnis suis plenam Concilio obedientiam exhibebat, pollicebaturque etiam majora, si Legatus aliquis ad eum mitteretur. Designatus est igitur Legatus de latere Joannes Segobiensis, quem appellabant Cardinalem Sancti Calixti, per totam Italiam, Insulasque adjacentes ad manifestandam Concilii justitiam & veritatem, ad procurandam obedientiam Felici, & ad tractandam pacem inter Alphonsum, & Renatum Reges. Pridie Kalendas Novembris Oratores Electi Pragensis, & Ulrici Rosenbergii Gubernatoris Regni Bohemiæ, majorisque partis hujus Regni in Generali Congregatione Felicem, ut Romanum Pontificem, venerati sunt, eique plenam obedientiam præstiterunt, petentes tamen suppliciter, ut Ulrico contra hæreticos assidue decertanti, atque minus potenti suppetias mitteret. Ad quod responsum, missuros Patres Legatos ad Conventum Francofordiensem, rogaturos Cæsarem, & Principes, ut de pecuniis indulgentiarum Ulrico subveniatur. Neque multo post Nuncius Episcopi Cracoviensis Sbignei, quem Felix Cardinalem declaraverat, nomine Episcopi Felici publice obedientiam præstitit; egitque gratias pro demandata illi dignitate, quam prius non suscepisset oblatam, ut reipublicæ melius posset consulere. Post hæc cum Patres pecuniis indigerent, actæ sunt causæ repetundarum contra quæstores, exactoresque, ac præfectos ærarii Concilii, vocatique sunt omnes ad causam dicendam, reddendamque rationem administratorum. Et paulo post cum Soldanus Felicis quosdam ex Patribus conscriptis carceri mancipasset, exorto tumultu civitas interdicta est a Patribus, quod libertatem Concilii non servaret: & tandem iisdem annitentibus concordia secuta, Soldanusque debita pœna mulctatus.

CXXVI.

Provisio Ecclesiæ Saltzburgensis.

Per hæc tempora provisiones plures Ecclesiarum factæ sunt in plerisque locis; vacante Ecclesia Saltzburgensi in Germania divite & nobili, Federicus ejus Ecclesiæ Decanus a Capitulo electus est: cujus nomine Legatus missus, a Concilio confirmationem exposcebat. Et cum Patres vellent Felicem cum suo Senatu confirmationem decernere, ut in verba Felicis juraret, renuit ille; affirmavitque se non ad Felicem, sed ad Concilium missum, neque quidquam agere posse cum Felice. Disceptata diu est res, & tandem Concilii nomine omnia sunt gesta, & mox circa Idus Januarii Pallium Saltzburgensis electi per Stephanum de Novaria Advocatum, & Procuratorem petitum, & per Cardinalem Sancti Sixti jubente Felice traditum. Principio anni subsequentis MCCCCXLII. graves contentiones habitæ sunt inter Patres ex privatis causis. Joannes Baccelestein, vir primarius, & magna doctrina clarus, Præposituram Ecclesiæ Herbipolensis a Patribus obtinuerat; quamvis Philippus Trevirensis Archi-Episcopus Germanus eandem ab Eugenio post ejus suspensionem a Basileensibus factam antea impetrasset.

traſſet. Agebat cauſam Joannes contra Philippum in Concilio: Felix hortabatur Joannem, ut aliquantisper differret, quoad res Eccleſiæ in Germania componerentur. Magnam eſſe Treverenſis auctoritatem & potentiam inter Principes Electores, eſſeque valde periculoſum tantum virum hoc tempore irritari. At Joannes privata publicis præponens, Felice inſcio non prius quievit, quam ſententia pro ſe a Vercellenſi Epiſcopo ferretur. Tum Joannes, ut jura ſua plenius firmaret, novam proviſionem a Concilio ſuper ea re petebat. Hinc acrior contentio, cum multi Joanni faverent, plurimi vero propter ſcandalum rem differendam putarent. Deputationes pacis & fidei reſiſtebant, aliæ acriter urgebant: ita ut in Generali Congregatione querelæ, tumultus, ſtrepitus clamoresque perſæpe fierent ſupra omnem modeſtiam. Nec minor diſſenſio fuit in cauſa Decanatus Oſcenſis, ita ut quidam clamoroſis vocibus ante oculos Præſidentis dicere auſus ſit, quod vellet, nolletve, concluderet in ſuam ſententiam. (*) Hæc parva fuit contentio in demembratione Orioli oppidi ab Eccleſia Carthaginenſi in Hiſpania, & erectione Eccleſiæ Oriolenſis in Cathedralem, inſtante Alphonſo Rege, in cujus Regno erat Oriolum. Multumque temporis in hujusmodi contentionibus fruſtra conſumebatur, ita ut plerumque publicæ contentiones privatæ fierent. Interea temporis Felix operam dabat, ut Legatus in Italiam quamprimum proficiſceretur. Et Nichodio de Metone, Comitatus Niciæ Gubernatori, qui forte tum Baſileæ erat, mandat, ut triremem inſtruat, qua Legatus ad Kalendas Martias in Italiam transvehi poſſit. Tum factis inſtructionibus per Æneam Senenſem, quem ſecretis præfecerat Felix, pridie Kalendas Februarii, de eis ad quatuor Conventus referretur. Sed (**) profecto Legati profectio ad Italiam dilata eſt, quod prius mittenda videbatur ad Duces Burgundiæ, Borbonii, & Sabaudiæ, qui Nivernis conveniebant.

CXXVII.

Relatio a Tridentino de geſtis in Auſtria.

Alexander Tridentinus Præſul, quem Cardinalem & Patriarcham Aquileienſem appellabant, Cæſari ſanguine junctus, illius ſalutandi gratia in Auſtriam profectus eſt: quem Cæſar ſine rubeo pileo venire juſſum honorifice ſuſcepit. Sed cum paulo poſt Julianus Cardinalis Sancti Angeli, Eugenii Pontificis Legatus, Cæſarem adiret, reſumpſit pileum etiam Alexander, ne illi cedere videretur; & ut ipſe Tridentinus Baſileam ſcripſit, juſſus eſt intrare ad curiam Cæſaris Julianus ſine inſigniis legationis: quæ ſi prætuliſſet, parati erant nobiles quidam, Tridentini cognati, ea vi auferre. Et quidam Nicolaus Ordinis Minorum Monachus, his diebus Baſileam venit cum litteris Caſimiri Magni, Ducis Lituaniæ, & Ruſſiæ, cujus nomine Baſileenſi Concilio obedientiam, ac reverentiam præſtitit. Reddidit quoque litteras Epiſcopi Vilnenſis ejusdem Provinciæ; in quibus ille profitebatur auctoritatem Concilii Baſileenſis, & narrabat Iſidorum Abbatem unum ex tribus Oratoribus Græcorum, qui Baſileam venerant, ut Archi-Epiſcopum & Cardinalem Eugenii nomine Legatum in Provincia nuper acceſſiſſe; quem ipſe ut talem minime ſuſcipere voluiſſet, quoniam ſciret, Eugenium juſte a Concilio Baſileenſi damnatum eſſe. Per id tempus Eccleſia Curienſis commendata eſt a Felice & Patribus Alexandro Tridentino, quoad obtineret poſſeſſionem Eccleſiæ Aquilejenſis.

CXXVIII.

Relatio exploratorum de inclinatione Principum erga Eugenium Pontificem.

Dum hæc Baſileæ geruntur, circa Kalendas Martias Archi-Diaconus Metenſis, & Auditor Cameræ, qui per Patres miſſi fuerant in Germaniam ad explorandos Principum animos, revertuntur; renunciant majorem Principum partem inclinatam eſſe ad Eugenium, jamque

(*) *lege:* nec parva. (**) *forte:* vox ea, *profecto*, redundat.

jamque missas esse ad illum in Italiam conditiones, quibus Eugenium aperte sint suscepturi. Gravi animo tulisse Principes, quod Basileenses nullum ex nominatis locis pro Concilio acceptaverint. Videri sibi, ut quamprimum mittantur Legati ad Conventum Francofordiensem, cum plena potestate omnia agendi, quæ Principibus placeant. Quæ, ubi renunciata sunt, omnium animos male affecerunt: fiunt igitur variæ consultationes, variæque in medium afferuntur sententiæ. Et cum quidam ex consultoribus Felici diceret, optimum (*) si crebræ Legationes ad Reges & Principes mitterentur, ut alias statutum fuerat; Respondit Felix, se satis gravatum esse inutilibus expensis: Legationes quidem multis misisse, ex quibus nullum videret fructum: satius sibi videri, si locum pro futuro Concilio ipse quamprimum nominaret, ut Principes, qui ad eam rem potestatem nullam haberent, præveniret. Paucis post diebus, cum Felix Patribus in Concilio obtulisset se omnia facturum, quæ Concilio viderentur pro pace Ecclesiæ, salva tamen Ecclesiæ auctoritate, visum est mittendos Legatos ad Cæsarem de pace tractaturos. Designati sunt Legati a Felice Bartholomæus Episcopus Cornetanus, & Nicolaus Anici, qui Synodalem Epistolam ad Cæsarem instruendum, & pacem suadendam deferrent. Hanc Epistolam Concilii nomine prius confecit Panormitanus: quæ, quamvis laudata coram eo, tamen non placuit. Hortante autem Arelatensi Cardinale Æneas Senensis aliam formulam edidit: quæ ab omnibus, & etiam ab ipso Panormitano probata: in ea narrabantur distincte & plane magnifica Basileensium gesta, causæ dissensionum inter Patres, & Eugenium, Eugenii injuriæ, & contemptus in Concilium, assiduaque opera ad Concilii eversionem; ejus manifesta & enormia in Ecclesiam peccata, justum Basileensis Concilii judicium contra eum, & Canonica, necessariaque Felicis electio. Et hortabatur deinde Cæsarem ad cognoscendam, amplectendamque Concilii justitiam, exercendamque adversariorum iniquam pertinaciam. Demum Concilium nihil magis cupere, quam pacem Ecclesiæ; sed eam pacem, quæ justitiæ, quæ veritati, quæ honestati, quæ fidei orthodoxæ adversaria non esset. Conveniendum prius in unam fidem, honorandam Christi sponsam, servanda Constantiensis Synodi sancta Decreta, & sacra Basileensis Concilii, quod omnes Prælati, Principesque venerati sunt, salubria instituta: mox pacem affuturam sine aliqua difficultate. Felicem Pontificem, Patresque omnia facturos, quæ cum Deo poterunt, ut pax Ecclesiæ reddatur. Cum his mandatis profecti sunt Cornetanus, & Nicolaus Amici, Nonis Aprilis. Deinde cum fama esset Cæsarem Francofordiam ad Conventum adventare, actum est inter Patres de insigni Legatione illuc mittenda. Recusabant novi Cardinales eam provinciam propter molestiam Maguntiæ susceptam, ne cogerentur rursus habitum dimittere: sed affirmante Felice, & plerisque aliis, oportere illos ire, etiam si habitus dimittendi essent, pro defensione veritatis, & justitiæ Concilii, tandem designati sunt Legati Cardinales Arelatensis, & Panormitanus, & Joannes Segobiensis Cardinales vocati, qui mense Maji secundo Rheno iter acceperunt in celebritate Pentecostes, (**) XII. Kalendas Julii.

CXXIX.

SESSIO DECIMA FLORENTINA.

In qua Concilium Lateranum transfertur.

Florentiæ inter hæc Eugenius decimam Sessionem celebrat VI. Kalendas Maji anni salutis MCCCCXLII., in qua afferens Zare Jacob, magni Regis Æthiopiæ, quem Presbyterum Joannem vocant, Legatum ad Concilium Oecumenicum orthodoxæ fidei suscipiendæ gratia properare, Concilium ipsum, ut majorem auctoritatem etiam ex loco susciperet, Romam approbante ipso Concilio transtulit, prosequendum in Basilica Lateranensi, propria & prima sede Summi Pontificis, XV. die post ejus ad urbem reditum. Huic translationi addit & plures causas, loci reverentiam, & commoditatem, rerum omnium copiam, tum occa-

(*) *forte:* optimum fore, si.

(**) *Scribendum:* XIII. Kal. Jun. eo quippe anno Pascha Kal. April.

occaſionem componendarum Provinciarum Eccleſiæ, & pacis & quietis Italiæ, ceterarumque Regionum procurandæ. Quæ omnia Baſileenſes in pejorem partem ſumentes, prædicabant Eugenium Romam Concilium tranſtuliſſe, ne compelleretur ad aliud Concilium in Germania pro voluntate Principum celebrandum, quoniam nullo pacto vellet Concilium extra Italiam: tum ut oſtenderet ſe ſummum habere Imperium ſupra Concilium, quod de loco ad locum pro ſuo arbitrio transferret, ut fecerat ex Baſilea Ferrariam, ex Ferraria Florentiam, & inde demum Romam: quæ omnia tenderent ad enervationem auctoritatis Eccleſiæ, & Conciliorum. Conventus interea Francofordienſis magna Principum frequentia celebrabatur, cui Fridericus Cæſar præerat. Et Patres interim Baſileæ Divinis ſupplicationibus per omnia templa intendebant, ut res ſuæ proſpere ſuccederent. Felix autem ſtatuit, ut dum Conventus ille ſederet, nihil Baſileæ de gravioribus cauſis ageretur, ne aliquo modo Principum animi poſſint irritari.

CXXX.

SESSIO QUADRAGESIMA QUARTA.

Decreta pro tuitione Baſileenſium.

Dum hæc fiunt, non ſine gravi contentione agitur inter Patres de ſanciendo Decreto pro tuitione Conciliarium. Diu diſceptata fuit formula Decreti, cum Robertus Adimarus, Volaterranus Epiſcopus, a Concilio Archi-Epiſcopatum Florentinum obtinuerat: & Rondenenſis Epiſcopus, & alii quidam pro defenſione Apoſtolicæ auctoritatis ſe opponerent: concluſum tandem eſt Decretum ſanciendum, & Seſſio publica quadrageſima quarta habita eſt quinto Idus Auguſti, ſumma Decreti hæc fuit. Omnia in favorem, ac defenſionem Concilii deſcriptorum, deſcribendorumve Statuta, ac Decreta in ſuperioribus Seſſionibus firma & rata eſſe: & propterea omnes quoquo modo vexantes Conciliares, eorumve Sacerdotia, ac Beneficia cujuscumque qualitatis impetrantes, acceptantes, ſeu occupantes ultra excommunicationis, privationisque omnium Beneficiorum ſuorum cenſuras, decem marcarum auri mulctam incurrere ſingulares perſonas: Collegia vero & Univerſitates triginta marcarum: quarum tertiam partem Cameræ Apoſtolicæ, alteram partem offenſo, tertiam vero loci Principi vel Magiſtratui: vel ubi hi non fuerint, præcipuo fautori & defenſori: horum Beneficiorum Collatores, niſi requiſiti a Conciliariis intra duos menſes, & XII. dies ejectis occupatoribus Conciliares reſtituerint, easdem pœnas incurrere; & pleraque alia in hanc ſententiam.

CXXXI.

Geſta in Francofordienſi Conventu.

Baſileenſes Legati interim (ut ad Francofordienſem Conventum revertamur) ſexto Kalendas Junii, Francofordiam navibus appulerunt: ſuſceptique ſunt a civibus perbenigne, non tamen ut Legati Apoſtolici, juſſique ſunt inſignia legationis domi dimittere. Eadem die Fridericus Cæſar Francofordiam ingreſſus eſt cum Maguntino, Colonienſi, Trevirenſi, Comite Palatino, & Duce Saxoniæ Electoribus, & aliis plerisque Principibus. Qui vetuit Baſileenſes ſibi honoris gratia obviam dari. Poſt aliquot dies Baſileenſes Cæſarem adierunt: redditisque litteris Concilii & Felicis, cauſam ſuam Panormitano orante commendant; orantes, ut juſtitiam libertatemque Eccleſiæ, cujus erat Protector, tueri vellet. Cæſar reſpondit, ſe nihil magis cupere, quam Eccleſiæ pacem dare: & propterea Conventum Principum indixiſſe. Verum oportere eos paucis diebus præſtolari, quoad ex Aquisgrano, quo ſuſcipiendæ primæ coronæ gratia iturus ſit, revertatur. Interim poſſe Baſileenſes & adverſarios jura ſua exponere his, quos ipſe ſuo & Principum nomine ad hoc opus conſtituerit; ne in ſuo reditu collitigantes oporteat audire. Arelatenſis Cardinalis, ubi Cæſari gratias egit, obtulit ſe comitem itineris Cæſari; aſſerens ſe, ut Arelatenſem Archi-Epiſcopum, Principem Imperii eſſe, pertinereque ad ſe Coronam Cæſari imponere, quod Prædeceſſor ſuus Arelatenſis alias feciſſet. Poſtridie Eugenii Pontificis Legati

gati Joannes Carvajal, Nicolaus Cusa, & Jacobus Ferrariensis Cæsarem, ut Basileæ congregatos expelleret, ut suspensionem tolleret animorum, ut obedientiam restitueret Eugenio indubitato Pontifici, ubi eum in Templo Divi Francisci adiere, post redditas litteras hortati sunt: & quem, ut Romanum Pontificem venerati erant omnes populi, nunc velit eundem venerentur. Aderat unus ex Basileensibus Oratoribus, cum hæc dicerentur, qui Cæsarem rogabat, Collegas suos prius audiret, quam adversariis responderet. Negabat Carvajal audiendos esse damnatos ac schismaticos: quod si vellent audiri, veniret Segobius ille, ut nuper, & Monachus cum suo habitu, & eis libenter responderent. Cæsar vero, ubi eis respondit se super his deliberaturum, postridie Aquisgranum contendit, quem Arelatensis secutus est. Constituerat Augustensem & Chimensem Episcopos, Marchionem de Rothelingen, & Thomam Hisselbachium Theologum, qui contendentium propositiones, & jura audirent, referrentque: & cum his Principes alios suo quisque nomine duos, unumve adjunxerant: qui statuta die Basileenses primo audirent. Ii tribus diebus Panormitano perorante causam suam egerunt. Panormitanus juris utriusque peritorum sui temporis excellentissimus, explicata primum longa narratione serie rerum, multis argumentationibus, & infinita jurium allegatione conatus est probare, Concilium Basileæ legitime permanere, Romanum Pontificem Concilio obedire oportere, neque posse illud dissolvere, seu transferre: Basileense Concilium non esse sua sponte dissolutum, nec ab Eugenio potuisse dissolvi; Ferrariensem congregationem non esse Concilium Generale, Eugenium legitime a Concilio esse privatum Pontificali dignitate, & Felicem canonice, sancteque illi subrogatum: oportere Christianos omnes de necessitate salutis Felici obedire, ut Christi Vicario. Deinde adversariorum objecta, & libellum quemdam Eugenii, *Etiamsi non dubitemus*, appellatum, multis rationibus refellere nisus est. Auditi sunt Basileenses sine arbitris per tres dies. Deinde sunt admissi Eugeniani eodem modo: qui Nicolao Cusa agente primum asseruerunt, iniquum fuisse, damnatos Amedæistas audiri; tum explicata serie rerum gestarum, ostendit Eugenium rite & necessario Concilium transtulisse, Conciliumque eam translationem per Decretum Præsidentium, & suorum sequacium, apud quos potestas remanserat, eligendi locum statuisse: judicium contra Eugenium injustum fuisse, criminationes omnes falsas, electum Basileensem, electoresque inhabiles: Basileæ nullum Concilium esse, Florentinum Concilium Oecumenicum esse & sanctum, Basileensis fructum schisma, divisionem, & abominationem in Ecclesia Dei: Florentinæ Synodi Græcorum, Armeniorum, Jacobitarum, Heberorum unionem & conversionem. Proinde ejiciendos Basileenses cum suo idolo, relegandosque in ultimas terras; & Eugenium Summum Sanctumque Pontificem, ut Christi verum Vicarium, venerandum, adorandumque: neque aures dandas Basileensium sermoni, qui fumus esset caligine plenus, oculos stolidorum obtenebrans, nihil in se habens veritatis. Has contendentium contradictiones Auditores in scriptis petierunt, ut fidelius, pleniusque Cæsari, & Principibus omnia possent referre: quod & factum est. Audierunt Basileenses Legati, quinque ex Principibus Electoribus conjurasse, ut Eugenio certis legibus omnino obedientia redderetur. Quare, ut huic rei obviarent, summo studio curarunt ab eis audiri; quod nunquam consequi potuerunt: qui etiam audita relatione dictorum a contendentibus magis urgebant, ut Eugenius susciperetur. Voluit Cæsar leges illas cognoscere, utque alii Principes, & Prælati eas examinarent. Quas, ut Basileenses etiam cognoverunt, Cæsarem adeuntes, magnis exsecrationibus damnabant: orabantque, ut nullo pacto admitterentur. Res in Senatu Principum discussa prætermissa est: sed post multas disputationes, multaque consilia tandem Cæsar de consilio Principum statuit, aliud Concilium indubitatum esse celebrandum, mittendos esse Nuncios super ea re Basileam ad Patres, & Florentiam ad Eugenium Pontificem; interim Germanis in sua suspensione animorum manendum. Quæ cum Basileenses Legati audissent: conquerebantur, quod Cæsar & Principes factiosi viderentur, non indifferentes, cum Nuncios ad Eugenium, non autem ad Felicem mittere statuissent.

Cæsar

Cæſar placatis Baſileenſibus, dicens ſe æqua lance rem tractaturum, illos remiſit. Qui Baſileam reverſi Kalendis Septembris, Patribus retulerunt, quæ Francofordiæ geſta erant.

CXXXII.

Decreta in Conventu Francofordienſi.

Cæſar vero, ut pax interim in provincia ſervaretur, publico edicto vetuit quempiam in ſuis Beneficiis occaſione ſchiſmatis quoquo modo vexari, ſed unumquemque in ſua poſſeſſione eſſe defendendum: contra facientes, ut hoſtes Reipublicæ habendos. Tum volentibus Principibus leges compoſitæ ſunt, quæ Eugenio Pontifici pro pace offerrentur: dataque regula, quam Legati Eugenium, & alios adituri ſervarent, in hunc ferme modum: Legati Cæſaris & Principum Tridenti omnes convenient ad feſtivitatem Sancti Galli: venerabuntur Eugenium, cum ad eum pervenerint, ut Romanum Pontificem: excuſabunt Cæſarem & Principes, cauſamque explicabunt, cur tamdiu in neutralitate perſeveraverint. Deinde dicent, Cæſaris & Principum ſententiam eſſe, non poſſe melius dari pacem Eccleſiæ, quam per indubitatum Generale Concilium. Proinde orare Sanctitatem ſuam, velit Generale Concilium indicere in uno ex his locis: Ratisbonæ, Treviri, Meti, Auguſtæ, Conſtantiæ, & ſi malit Tridenti, quod intra annum celebretur. Quod ſi Rex Franciæ inſtabit in Galliis celebrandum fore, ſuadeant Pontifici, convenientius fieri in Germania, ubi pax eſt & quies; decereque, ut ubi ſciſſio facta eſt, ibi fiat unio. Modum procedendi in Concilio, ipſi Concilio eſſe relinquendum. Quod ſi Pontifex nolit Concilium indicere, concedat Cæſari, ut jure Advocatiæ Concilium poſſit convocare. Si Pontifex de criminationibus ſibi adſcriptis apud Legatos ſe excuſet, neque admittatur, neque reſpuatur excuſatio: apud Pontificem non exſpectent ſupra menſem; & reſponſum Pontificis in ſcriptis referant. Jurabunt Legati, antequam proficiſcantur, nihil omnino a Pontifice ſe petituros, aut acceptaturos etiam ultro oblatum; non Sacerdotia, non dignitates, non gratias aliquas. Idem apud Concilium Baſileenſe facient. Felici autem non exhibebunt reverentiam, ut Pontifici: ſed per intermedias perſonas ſecum agent. Referant deinde omnia Legati Cæſari, & Principibus, qui ad feſtum Purificationis Nurimbergæ convenient, & deliberabunt. Hæc acta ſunt in magno Conventu Francofordienſi a Cæſare & Principibus, & alia diæta Nurimbergæ indicta.

CXXXIII.

Legatio Cæſaris ad Baſileenſes.

Hæc ubi Baſileæ per Legatos, qui redierant, innotuere, non parvo mœrore afficiebantur Patres, cum putaſſent Principes facile potuiſſe adduci in ſuam ſententiam. Deſignavit Cæſar Sylveſtrum Chimenſem, Thomam Haſelbachium, & alios, ſuo & Principum nomine Legatos Baſileæ. Et ipſe XVIII. Kalendas Octobris Baſileam appropinquans, quamvis a Cardinalibus, & multis ex Patribus, qui obviam proceſſerunt, rogaretur in urbem intraret, recuſavit: rogavitque, ut ſuos Legatos exaudirent. Qui Patribus expoſuerunt, Cæſarem & Principes rogare, ut pro pace & quiete univerſalis Eccleſiæ vellent vota ſua conferre, ut modis congruis Generale indubitatum Concilium intra annum congregaretur in loco, ſuæ Majeſtati & Principibus grato, & rebus gerendis accommodo. Super hac petitione diu multumque diſceptatum eſt coram Felice, & coram Patribus, multæque difficultates demonſtratæ. Et cum tandem de transferendo Concilio convenirent, magnæ tamen contentiones habebantur de modo rerum gerendarum. Videbatur multis nihil reſpondendum, antequam Cæſar urbem intraret: illeque non prius urbem ingreſſurum ſe dicebat, niſi prius reſponderetur. Magna moleſtia acceperant Felix & Patres, Principes quoſdam, & ipſum etiam Cæſarem, Eugenio ſcribere tanquam Romano Pontifici. Conquerebantur, non ſervari ab eis æquitatem, quam promiſerant; cum Felicem non appellarent Pontificem, neque eum venerarentur; ſed neque miſerint ad eum Legatos: videri illos publice profiteri, Baſileenſe Concilium injuſtum eſſe, & Eugenium non recte priva-

tum. Quæ cum apud Cæsarem Basileensium Nuncii conquererentur, responsum est per Gasparem Silichium, Cæsarem promptissimum esse ad pacem procurandam: sed quæ de nominatione Eugenii dicerent, immutari non posse; cum per Conventum Francofordiensem statutum ita sit. Post multas tandem consultationes, contentionesque tandem ex communi Patrum decreto, Cæsaris Legatis in hanc sententiam responsum est: Sanctam Synodum Basileensem, quamvis legitime congregata, nullibi majori commoditate, securitateque esse possit; sitque Patribus valde periculosum & grave locum mutare: tamen pacis desiderio, utque Cæsari & Principibus gratificetur, paratam esse ad locum ejusdem nationis rebus gerendis accommodum, ac Regiæ Majestati gratum, sua propria auctoritate modis congruis se ipsam transferre, si securitates opportunæ ordinentur. Rogare Cæsarem, ut ipse Concilio intersit, vel aliquem ex Principibus suo loco substituat, qui auctoritate & potentia Concilium tueatur. Hortatur Reges & Principes, ut per se, vel Legatos conveniant. Prælatos, & alios, quos Conciliis interesse oportet, illuc mittant: utque tanti labores irriti non sint, promittat Imperator, & Principes futuro Concilio integre parituros; suscepturos, servaturosque omnia ejus Decreta, etiamsi non eo venerint adversarii: Basileenses loca pro futuro Concilio nominaturos rebus gerendis accommoda: ex quibus Cæsar pro suo arbitrio unum eliget: quem Patres habitis securitatibus opportunis Decreto solemni firmabunt; tempore conveniente illuc se transferent.

His peractis Cæsar tertio Idus Novembris Basileam solemni pompa ingreditur: quem honoris gratia Patres omnes, & Cardinales Felicis deduxerunt: Arelatensis & Tridentinus Cæsari utrimque assistebant: cæteri Cardinales præcedebant: sequebantur Dux Brunswicensis, & Comes Gebennarum; deinde Prælati. Petierunt primo Cathedralem Ecclesiam, ubi facta oratione ad Prætorium accessit. Postridie a Cardinalibus ac Primoribus Patrum domi visitatus est: multaque ab eis audivit, ut Ecclesiæ auctoritatem & justitiam tueri vellet. Altero deinde die ipse Felicem visitare statuit; ita tamen, ut eum adorare ut Papam non videretur. Sub crepusculo igitur vespertino cum paucis Felicis domum nudo capite adiit; & in Camera, quam Papalem appellant, substitit cum suis. Illuc e cubiculo egressus Felix cum novem suis Cardinalibus præcedente cruce advenit. Erat indutus Felix magna clamyde purpurea, albis almerinis pellibus substrata: quem Cæsar modesta reverentia excepit; & per Episcopum Chimensem se excusavit, quod non exhiberet ei reverentiam Romano Pontifici debitam, ut paci aptior esset. Hortatusque est Felicem, & suos Cardinales, ut ad pacem Ecclesiæ dandam omnino se disponerent, quam ipse totis viribus prosequeretur: cum tamen Chimensis, ne illum Pontificalibus titulis unquam appellaret, *Clementem Benignitatem tuam* dicebat, non sanctitatem, aut beatitudinem. Felix autem Pontificalibus verbis usus benigne Cæsari respondens, egit ei gratias pro visitatione; asserens, se omnia in partem accipere meliorem; & se, Cardinalesque suos ad pacem Ecclesiæ paratissimos esse: se autem non accepisse Pontificatum ambitionis gratia, quoniam omnibus rebus abundaret; sed ut Ecclesiam Dei afflictam consolaretur. Proinde orare Cæsarem, ut justitiam & auctoritatem Ecclesiæ pro officio suo omni studio tueretur. Multis præterea hinc inde dictis Cæsar domum rediit: & inde sequenti die Basilea discessit.

CXXXIV.

Felix Antipapa Lausanam petiit.

Paucis post diebus & Felix ipse valetudinis gratia, ut ajebat, discedens, Lausanam rediit cum parte Cardinalium suorum, atque aliorum Officialium: majorem autem partem Basileæ dimisit; pollicitus, transacta hyeme se ad Concilium rediturum. Convenitque tandem per hoc tempus inter Felicem & Cardinales de quinto denario, post multas & varias disceptationes.

Ex Scotia inter hæc afferuntur litteræ mense Octobri; in quibus Jacobus Comes de Dongliis Concilio se parere profitebatur; mittebatque nuntium suum Guillelmum Archi-Diaconum Tindaliæ, qui Patribus nuntiaret, Regni Scotiæ præ-

Prælatos, opera quorundam Episcoporum ab Eugenio post privationem suam promotorum, provincialem Synodum celebrasse, damnasseque & excommunicasse Basileenses & Felicem; privasseque omnes illis adhærentes omni Sacerdotio & dignitate, & præsertim Filium suum Episcopum Aberdonensem, qui eam Ecclesiam a Concilio & a Felice obtinuisset: se vero cum suis restitisse quantum potuisset: orare Patres, ut auxilio sint, mittantque suos nuntios cum censuris & litteris defensionis.

Decembri mense Ferdinandus Dux Calabriæ, Alfonsi Regis Aragonum, Filius, nuntium Basileam misit, qui suo nomine obedientiam, reverentiamque Concilio exhiberet, in omnibus, quæ Patri suo contraria non essent. Sed cum nuntius illum Ducem Calabriæ appellasset, Raymundus Episcopus Sistercienfis, nomine Renati Regis protestatus est, illum non esse Ducem Calabriæ; quoniam Regnum Neapolitanum spectaret ad Renatum, non autem ad Alfonsum occupatorem: & Ducatus Calabriæ ad Joannem Renati Filium: Ferdinandum spurium esse, & nihil ad eum de Regno Siciliæ. Hæc redarguit Panormitanus: multumque redarguens Sistaricensem, quod sine mandato Renati ea faceret, quæ facere non posset: præterea quod impugnaret Alphonsum & Filium Concilii fautores, & tueretur adversarii amicum.

Post hæc quinto Kalendas Januarias, Thomas Reatinus, nomine Francisci Sfortiæ, fortissimi exercitus clarissimi Imperatoris, Basileam venit; qui primo fuerat Lausanæ cum Felice. Hic cum coram Patribus multa in Eugenium invectus esset, tandem quatuor, Francisci nomine pollicebatur: Quod urbem Romam, & Ecclesiæ provincias intra duos menses recuperaret, Felicique adsignaret: Quod ipsum Eugenium captivum traderet in manus Felicis: Quod confœderatæ, sociæque Italiæ civitates, Venetiæ, Florentia, & Genua, obedientiam Felici præstarent: & tandem post mensem Junii bellum inferret cuicumque Felix imperasset, & contra socias civitates, quibus usque ad illud tempus tantum esset obnoxius; interim vero aliis quibuscumque. Petere autem eadem privilegia sibi confirmari, quæ Eugenius sibi quondam concessisset: ut vexillifer Ecclesiæ Romanæ esset: ut stipendium tredecim millium aureorum susciperet singulo quoque mense pro quatuor millibus equitum, & mille peditibus: ut Tudertum, Assisium, Tuscanella, & alia tria oppida sibi confirmarentur. Fidejussores promissorum pollicebatur mercatores Gebennæ commorantes. Hinc facta est magna spes Patribus & Felici rei bene gerendæ: ita ut parum deinde curarent Conventum Nurimbergensem.

CXXXV.

Contentio de privatis causis.

Per hoc tempus causæ nonnullæ privatæ actæ sunt, non sine magna Patrum contentione. Curiensis Episcopus translatus fuerat ad Ecclesiam Constantiensem, reservata sibi priori Ecclesia Curiensi. Patres Concilii Curiensem Ecclesiam commendaverant Tridentino, quoad Aquilejensis Ecclesiæ possessionem consequeretur. Aquilejensis igitur Constantiensem impugnabat, qui nullo modo cessurus videbatur. Quidam ex Principibus hortabatur Patres, ne quid statuerent contra Constantiensem, quoniam esset contra Principum unionem. Erat & altera contentio Joannis Baccheistein pro Herbipolensi Præpositura; qui nullo modo induci poterat ad differendum judicium; quamvis Arelatensis & primores ex Patribus id magna cura suaderent. Aderat tempus mittendi legationem ad Conventum Nurimburgensem: multæ difficultates in ea ortæ sunt. Primum de numero & qualitate Legatorum; tum de commissione, postremo de viatico. Tandem convenerunt, ut Aquilejensis cum potestate Legati de Latere iret: & alii nonnulli ad Cæsarem, Reges Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ; Duces Austriæ, & alios Principes plerosque. Erat Aquilejensis, Patruus Cæsaris & Regis Poloniæ: curabatque, quoniam etiam id Regnum putaret ad eum pertinere, cujus partem possidebat; quod non est admissum: cum dicerent Patres, exstare Ladislaum, posthumum Alberti Regis Filium, quamvis infantem. Viaticum Felix ipse supplevit.

Agitata est, & alia contentio inter Patres, ut Præsidentes Concilii, non unus tan-

tantum esset, sed quatuor; ex qualibet natione unus: quod adnitente Felice ac Arelatensi Cardinali, admissum non est: maxime cum intelligerent, duos pro natione Italica & Hispanica, futuros ex ditione Regis Aragonum. Et Jacobus Sirif(*) Trevirensis Episcopus, circa Idus Martias anni hujus MCCCCXLIII. Felicem Lausanam adiit, multaque illi pollicitus est: ita ut bonam spem omnes de ea re concepissent.

CXXXVI.

Dilatio diætæ Nurembergensis: & Eugenii Pontificis responsum Legatis Cæsaris.

Venerat tempus præscriptum Conventus Nurimbergensis: nonnulli Oratores Cæsaris & Principum illic convenientes, statuerunt aliam Generalem diætam post sex menses celebrandam per Cæsarem & Principes; cum tunc a contendentibus responsa non haberent Regi accomoda; & esset Cæsar occupatus adeundæ tutelæ patruelis Ladislai gratia; huic rei non posset intendere. Eugenius autem Legatis Cæsaris post multas consultationes de consilio Patrum in hanc sententiam responderat. Mirari se Cæsarem & Principes petere Generale Concilium indubitatum celebrari; cum ipse sacram Oecumenicam Synodum auctoritate Apostolica, & omnium Patriarcharum orbis Christiani institutam celebret, mirabilium rerum effectricem: quam si in dubium revocare velint, nihil aliud esse, quam fidem Catholicam oppugnare, & Dei ordinationi resistere. Optare se, si qui tali errore tenerentur, ratione instruantur; rejectisque stultis ac perfidis Basileensium dogmatibus, doctrinam Apostolicæ Sedis, quam Christus fidei Matrem & Magistram instituit, susciperent. Posse igitur in ea Synodo magno Prælatorum numero congregata, recte consuli & commode, si quid restat; & dubia aperiri, si qua sint. Tamen ut Cæsari & Principibus morem gerat; quamprimum Romæ fuerit, ubi apud Lateranum Generale Concilium transtulerat, convocaturum Prælatos majori numero; tractaturumque cum eis, an expediat aliud Concilium celebrari: & qui admittendi, quive repellendi sint in eo Concilio, & quo ordine res gerendæ; ut perniciosis violentiis, quæ nostro tempore emerserunt, obvietur. Missurum se tamen suos Legatos, qui de iis cum Cæsare & Principibus agant: quamquam non videat, quid cum eis recte agi possit, nisi animi suspensionem deposuerint, quam Christi fides ignorat; revertanturque ad pristinam Apostolicæ Sedis reverentiam, qua una re pacem Ecclesiæ darent. Quod si fecerint, concurrentibus aliis Regibus & Principibus, qui in tentationibus solidi permanserunt, libenter se aliud Concilium celebraturum.

CXXXVII.

Causæ privatæ.

Hoc anno MCCCCXLIII. pauca digna memoria acta sunt, cum Felix a Concilio procul esset: propter quod multum pristinæ auctoritatis amissum videbatur. Causæ privatæ quamplures sunt agitatæ summa nonnunquam contentione. Inter quas præcipuæ fuere, causa Præposituræ Herbipolensis, de qua supra dictum: causa spolii contra Nicolaum de Mentone: & causa Philippi Hibernici super revocatione sententiæ contra eum latæ in Romana Curia per Cardinalem Firmanum.

Majo mense litteræ ex Britannia allatæ sunt a Francisco Duce, qui spem faciebat, si mitteret in provinciam Legationem, coacturum Clerum suum, & deliberaturum super rebus Ecclesiæ. Quod Basileenses impigre fecerunt: & Felix multum conquerebatur; quod cum Patres censuissent ante suam electionem per se ipsos insignes Legationes mittere: nunc nihil facerent: se autem filiorum suorum hæreditatem consumpsisse. Et cum rogaretur, ut Basileam rediret auctoritatis augendæ causa; respondit experientia didicisse, longe se melius rempublicam Lausanæ regere, quam Basileæ; quoniam multi illum Lausanam adirent, qui Basileam non venirent.

CXXXVIII.

Damnatio quarundam assertionum Mendicantium.

Philippus Hibernicus, cum obtinere a Patribus non posset sententiæ articulorum damnatorum revocationem, instare cœpit,

(*) de Syrck.

cœpit, ut regiſtrarentur litteræ quædam Decretæ a Concilio, pridie Idus Februarii, anni MCCCCXLIV. quæ Mendicantium aſſertiones quasdam damnabant; ut omnibus exemplum poſſet exhiberi. Quod poſt multas contradictiones Mendicantium tandem conceſſum eſt. Sententia Synodalis Decreti erat hujusmodi: Aſſertionem Mendicantium; qui ajunt Parochianos non teneri de jure Dominicis diebus & ſolemnibus Miſſas in propriis Parochialibus Eccleſiis audire, ſed ubi pro eorum devotione maluerint, prætermiſſis ſuis Parochiis; & hanc libertatem non poſſe eis adimi a Synodalibus conſtitutionibus: quodque Parochiani ſuis Curatis illis diebus non tenentur ad oblationem faciendam; ſed in voluntate dantis ſit, cui velit eam dare; falſam eſſe. Eodem modo falſas eſſe etiam has eorum aſſertiones: Obnoxium quavis cauſa faciendi Miſſas celebrari pro vivis & defunctis, non ſatisfacere debito ſuo, ſi per curatum Sacerdotem id fieri curet, quoniam ratione curæ ad id ſit obligatus. Decimarum ſolutionem, etſi de præcepto ſit, non tamen de præcepto eſſe, cui ſit ſolvenda: liberum igitur eſſe omnibus, cui velint eas ſolvere, vel in opera pietatis pro arbitrio impendere. Morientes in habitu & profeſſione Ordinis Minorum ultra annum non paſſuros in pœnis purgatorii: quoniam Beatus Franciſcus ex Divino privilegio quotannis ad purgatorium deſcendat, Profeſſoresque omnes ſui ordinis adducat ſecum ad cœlum. Fratres Mendicantes, etiam non præſentatos Ordinariis, omnium confeſſiones poſſe audire; illosque, qui apud eos ſint confeſſi, non obligari, etiam ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, nec petere confitendi veniam. Epiſcopos Diœceſanos etiam in ſuis Synodis non poſſe ſibi reſervare abſolutiones aliquorum criminum, præter caſus in jure expreſſos. Has omnes opiniones ſancta Synodus per ſuas litteras damnat, declaratque eſſe erroneas; quæ maxime prædicabantur a Mendicantibus in Taurinenſi & Aſtenſi Diœceſibus.

CXXXIX.

Varia geſta Baſileenſium.

Menſe Junio hujus anni actum eſt per Patres ſumma diligentia de pace inter Suicenſes & Turegienſes: & demum approbata eſt forma novi Officii Viſitationis Beatæ Mariæ, quam ex multis Thomas de Corcellis compoſuit. Sequenti menſe Duces Stetenenſis, & Pomeraniæ per litteras & nuntios obedientiam exhibuerunt Baſileenſibus & Felici: & Patres litteras complures hinc inde acceperunt, varia afferentes. Erant, qui ſcriberent, Ludovicum Patriarcham Aquilejenſem Eugenii nomine cum Alphonſo Rege apud Terracinam conveniſſe, ut eum Eugenio reconciliaret. Tridentinus autem, quem Cardinalem & Patriarcham appellabant, Legatus ad Cæſarem miſſus, multa ſcripſit ex Vienna; affirmans ſe apud Cæſarem, & alios ſemper uſum fuiſſe inſigniis & auctoritate Legationis. Et quod Julianus Cardinalis, qui illuc venerat, ut Eugenii Legatus, non fuiſſet permiſſus uti inſigniis: qui latebat, neque audebat in publicum exire, ab omnibusque reputaretur ut hæreſiarcha. Et quod inter alios Joannes Trunt, & Æneas Senenſis graviter contra eum diſputaſſent: & multa hujusmodi.

CXL.

Cæſar hortatur Principes ad conſentiendum novo Concilio.

Fridericus autem Cæſar, ut vidit deſiderio ſuo non ſatisfieri, neque ab Eugenio, neque a Baſileenſibus; litteras ad Reges & Principes dedit Kalendis Junii datas; in quibus hortabatur omnes, ut conſentirent celebrationi Generalis Concilii; quod ipſe exemplo Conſtantini, Marciani, Valentiniani, Theodoſii, & aliorum Catholicorum Cæſarum, ad ſchiſma tollendum, de eorundem conſilio indicere ſtatuerat. Rogabat omnes, ut Legatos mitterent ad conventum Nurimbergæ indictum ad Sancti Martini celebritatem, conſulturos de modo & ordine Concilii. Vacaverat Friſingenſis Eccleſia Auguſto menſe. Cæſar Patres rogat, ut eam Henrico Slicho Secretarii ſui Germano concedant. Conſueviſſe Romanos Pontifices ſemper de ea Eccleſia pro voluntate Ducum Auſtriæ providere, cujus agri & oppida ſint ſub eorum Imperio. Paulo poſt electio ſuper ea Eccleſia in perſonam Joannis Cardinalis, ut aje-

bant, Sancti Martini, qui Canonicus & Præpositus illi erat, Patribus præsentatur. Fit igitur Patrum divisio ; cum illi suo Cardinali , alii Cæsari morem gerendum putarent. Ii justitiam & Synodalia Decreta servanda ajebant, confirmandamque electionem. Illi in tanta universalis Ecclesiæ necessitate Cæsarem, qui multum conferre potest ad utilitatem Ecclesiæ , non exasperandum : curandumque , ne quod a Patribus denegatur , petatur ab eo, qui libenter concedat. Disceptatum est de hac re per multum tempus adnitente maxime Arelatensi, ut Cæsari gratificaretur, vel saltem differretur res. Impellente tamen multitudine confirmatio decreta est: & deinde repertum est, Henricum provisionem habuisse ab Eugenio pridie, quam electio fieret de Joanne : quo jure se defendens Henricus, Ecclesiæ illius oppida & jura, quæ erant in Austria, possidebat. Joannes autem favore Alberti Bavariæ Ducis Monachii, cujus erat consanguineus, Ecclesiam ipsam tenebat. Antonius de Rosellis, jure consultissimus, sui temporis, multa pro jure Henrici scripsit.

CXLI.

Leges Concordiæ inter Alphonsum & Felicem : Item Leges Concordiæ inter Alphonsum & Eugenium.

Alphonsus interea Rex Ludovicum Casculam ad Felicem miserat , cum litteris IV. Idus Aprilis Neapoli datis, ut certis legibus cum Felice conveniret. Eæ ferme erant hujusmodi : Adoptionem Joannæ Reginæ de Alphonso in filium factam confirmet : Feudum Regni Siciliæ citra Pharum sub formula per Alphonsum mittenda concedat : pecunias omnes , de quibus convenerat, exsolvat, cum obedientia Alphonsi nomine exhibebitur : patrimonium Beati Petri , agrum omnem Ecclesiæ recuperabit Alphonsus, perpetuoque, & ipse, & Ferdinandus filius ea defendent, tuebunturque , ut Ecclesiæ Romanæ Protectores & Defensores. Terracinam accipiet Alphonsus pro trecentis millibus aureis nomine pœnæ, quam incurrerat Eugenius, ob inducias contra se violatas per Patriarcham Alexandrinum. Alphonsus his completis, nomine suo & fratrum suorum obedientiam Felici præstabit : Prælatos e Regnis suis magno numero ad Concilium mittet ubicunque fuerit, pro tuitione Synodi Basileensis & Felicis : procurabitque, quantum in eo erit, ut idem faciat Rex Hispaniarum, & Dux Mediolanensis; Rex ex proventibus provinciarum Ecclesiæ tertiam partem Felici, tertiam Cardinalibus ejus concedet; reliquum sibi reservabit : deductis tamen prius expensis in illis recuperandis factis. Licere tamen Regi, antequam hæc concludantur, immutare quæ voluerit , & etiam cum alio rem suam agere.

Et per idem tempus Aquilejensis Patriarcha cum litteris Eugenii , Senis datis pridie Idus ejusdem anni , Terracinam ad Regem contendit; qui tandem cum Rege convenit. Et pridie Idus Junii his ferme legibus concordia facta est : Inter Eugenium Papam & Alphonsum Regem pax perpetua esto , injuriarum, inimicitiarumque omnium oblivio. Rex Eugenium, ut summum & verum Pontificem adorato : neque permittito illum clam palamve offendi: eadem sit lex cum Cardinalibus, populis, subditis, sequentibusque Eugenium: Rex si quid contra libertatem Ecclesiasticam vel ipsum Eugenium jam statuerat in suis Regnis , id omne revocato : annonam commeatusque omnis generis libere ut importentur Romæ , permittito, & curato : Eugenius Regem, suosque minime offendito: illumque a censuris omnibus & pœnis absolvito per se, vel per Legatum : De Regno Siciliæ citra Pharum investito secundum formam per Romanos Pontifices servari consuetam, cum clausula , *non obstante, quod vi illud occupaverit :* illumque Regni Corona donato : Beneventanam & Terracinam urbes permittito Alphonso nomine perpetui Vicariatus, sub censu duorum accipitrum : absolvitoque Regem ab omni pecuniarum summa , quam deberet Apostolicæ Cameræ ex quacunque causa. His perfectis , Alphonsus in verba Eugenii jurato : præstato illi homagium : restituitoque Ecclesiæ Romanæ oppida , civitatem Ducalem, Sancti Felicis, Fresolensem, & alia quæ occupat : mittito contra Turcas triremes sex, sex mensibus regiis sumptibus

tibus militaturas: Item mittito contra Franciscum Sfortiam ad recuperandam Marchiam Anconitanam, & alia Ecclesiæ loca, equitum quatuor millia, & mille pedites; quibus Eugenius Ducem pro suo arbitrio constituet: quæ omnia intra terminum trium mensium per Eugenium componenda erunt. Non servanti Conventa mulcta erat ducentorum millium aureorum; & tamen omnia firma esse oportere. Hæc ut Eugenio relata, mox approbata, firmataque sunt. Et Alphonsus sexto die post conditionum concordiæ descriptionem, ad XII. Kalendas Julias, ut cognovit Eugenium omnia confirmasse, litteris suis per omnes Regnorum suorum provincias testificatus est, se post longam consultationem, cum in rebus Ecclesiæ dubius admodum fuisset, revelante Divina gratia cognovisse, Eugenium esse summum & verum Romanum Pontificem, ac Christi indubitatum Vicarium, illumque & non alium pro tali esse adorandum: tum leges, editaque omnia in suis Regnis contra Eugenium, & pro Concilio Basileensi contra ejus voluntatem, irrita esse, & omnino revocata; licereque unicuique Romanam curiam adire. Hoc edicto publicato Eugenius paulo post Regem supplicantem absolvit; atque restituit in pristinum statum omnes cujuscunque ordinis & status, qui Basileensibus auscultantes, & Regi contra Apostolica sua mandata favissent, usque ad Kalend. Julii anni præsentis, & per duos menses proxime sequentes; vetuitque, quæ hoc tempore egissent, eis in judicio vel extra quoquomodo impingi. Quoad Beneficia Ecclesiastica, vetuit hoc intelligi pro his, qui post Kalendas Julias Basileæ remansissent, vel Basileensibus adhærerent, neque ullo pacto comprehendi in hac deliberatione, qui ab Amedæo Cardinales sunt profanati: quibus, si id merentur, & humiliter veniam postularent, alio modo provideretur.

CXLII.

Alphonsus Regni sui Legatos ex Basilea avocat.

Aperuit hæc omnia Alphonsus clam suis litteris Panormitano, Dertusensi, & Vicensi Cardinalibus Felicis; monens eos, ut si cuperent rem gratam Regi facere, discederent quamprimum Basilea, & in Italiam, vel ad suas Ecclesias proficiscerentur: non posse hoc tempore eos quidquam agere Regi acceptius. Proinde secundas litteras non exspectarent. Erant hi tres Regis subditi, & in ejus Regnis possidebant Beneficia. Qui cognita Regis voluntate post multas consultationes, lamentationesque cum suis Collegis, asserentes se in fide Concilii & Felicis semper mansuros, & nunquam adoraturos Eugenium; defensurosque auctoritatem sacrorum Conciliorum, ac professam doctrinam; tandem pridie Nonas Augusti e Basilea discesserunt: Panormitanus dimissis insigniis Cardinalibus Italiam petiit. Reliqui ad Ecclesias suas reversi sunt. Hos mox sunt secuti reliqui fere omnes, qui ex Regnis Alphonsi Basileæ erant. Grave per hoc tempus exortum est bellum inter Austriæ Principes, & Basileenses cives, & eorum socios, quod tandem Patres summa diligentia & labore compresserunt. Appetebat tempus indicti Conventus Nurimbergæ; in quo Cæsarem cum Principibus & Regum Legatis statuere oportebat de modo Concilii convocandi. Ad hunc Conventum post multas deliberationes tandem a Felice designati, Lausanensis Episcopus, Vice-Camerarius, & Episcopus Taurinensis Auditor Cameræ, & alii nonnulli, qui acceptis mandatis a Patribus Nurimbergam profecti, Cæsaris & Principum Legatos tantum invenerunt: qui asserentes, Principes hoc tempore occupatos esse, Conventum ad S. Georgii Festum distulerunt. Interim Alphonsus Rex, Veneti, Florentini, & Senenses, & reliqui ex Italia, Cæsari litteris suadere conantur, ut Concilium Lateranense celebrari permittat, illucque jubeat ire Prælatos.

CXLIII.

Creatio novorum Cardinalium a Felice.

Duxerat secum Felix, cum Basilea discessit, quatuor suos Cardinales: Aquilejensem, Sancti Sixti, Sancti Marcelli, & de Varambone. Horum duo mortui nuper erant; Sancti Sixti, & Sancti Marcelli: Aquilejensis apud Cæsarem Viennam diverterat, unicus tantum aderat Felici.

Felici. Igitur instabat Felix apud Patres, ne solus omnino videretur, utque Sacra publice posset celebrare, Decretum pro celebratione & creatione Cardinalium pro ea vice relaxarent, permitterentque, ut quinque Cardinales deligeret. Acta est hæc res magna Patrum contentione, & tandem post multos dies relaxatum decretum. Et Felix Cardinales quidem quinque creavit, sed duos tantum publicavit, Joannem Tarantasiensem, & Ludovicum Vicensem Præsules, Aprili mense anni sequentis : & cum Patres multis exhortationibus instarent, ut Felix Basileam rediret, quod a principio pollicitus erat; tamen auditis ejus argumentationibus, quibus ostendebat satius esse morari Gebennis, quam Basileæ, destiterunt; & maxime cum bella in ea Regione recrudescerent. Hæc acta sunt ad annum quadragesimum tertium supra mille & quadringentos, cætera non habentur.

CXLIV.

Finis Concilii Basileensis narrationis.

Quæ hactenus de rebus gestis Basileensis Synodi perscripsimus, ex longa historia, & maximis duobus codicibus excerpsimus ; nihil omnino prætermittentes rerum publicarum, sed summarie omnia atque integra fide sumus prosecuti. Hos quidem codices ipsi Basileæ vidimus, magna diligentia, ut Sibyllarum libros a civibus servatos : quorum exemplum a Reverendissimo Domino Cardinali Sancti Marci, rerum Ecclesiasticarum diligentissimo perscrutatore, nuper habuimus. Horum Scriptor & Auctor fuerat Joannes Segobiensis, natione Hispanus, qui deinde a Basileensibus Cardinalis Sancti Calixti est appellatus. Vir quidem magno ingenio, & multa doctrina præditus, Theologica præsertim, & qui in sua pertinacia usque ad extremum vitæ suæ, etiam dissoluta illa multitudine, semper permansit, Camerariatus officium gessit. Habui & primam hujus Synodi partem collectam a piæ memoriæ Dominico, Cardinali Firmano, qui tamdiu Concilio interfuit, quamdiu mansit concordia cum Eugenio Pontifice. Etsi Concilium adierit, ut rubeum Capellum Cardinalaris dignitatis, quod Eugenius negabat, a Concilio obtineret ; reconciliatus tandem Eugenio, seditiosos dimisit, rediitque ad suum Principem, & Pastorem.

CXLV.

Epilogus Concilii Basileensis, & ordo rerum.

Basileense Concilium originem & auctoritatem primam traxit a Sacrosancta Synodo Constantiensi. Ibi enim (ut a principio commemoravimus) statutum fuerat, ut quinquennio post ejus Synodi finem aliud Concilium Papiæ celebraretur, & aliud deinde post septennium. Sed cum statuto tempore Patres Papiæ convenissent, peste fugati Concilium Senas transtulerunt, ubi Basileense Concilium post septennium legitime fuit indictum. Adveniente septennii fine Martinus V. Pontifex Maximus Julianum Cæsarinum, Cardinalem Sancti Angeli, Legatum Apostolicum in Germaniam misit, datis mandatis, ut si Patres Basileæ convenissent, Apostolicæ Sedis nomine Concilio præsideret, anno MCCCCXXXI. sed cum eodem anno vita functus esset ipse Martinus, Eugenius IV. illi Canonice suffectus, Juliano præsidenti in Concilio potestatem confirmavit, instauravitque. A duobus igitur sacris Conciliis Constantiensi, & Senensi, totidemque Summis Pontificibus, Martino V. & Eugenio IV. initium, auctoritatemque habuit Concilium Basileense. Verum cum a principio pauci numero convenissent, & quædam contra Romani Pontificis auctoritatem, & potestatem moliri viderentur, Eugenius primo anno Concilium dissolvere conatus non prævaluit: cum quo annis circiter quatuor acriter decertavit : tandem Sigismundi Cæsaris opera Patribus reconciliatus, per annos ferme quinque in concordia mansit, per quod tempus multa salubria & optima Decreta sunt condita. Sed cum nimis multa arrogarent sibi Patres, & in omnibus Concilium Romano Pontifice majus esse contenderent; illumque affirmarent oportere Decreta omnia Concilii suscipere, & observare; seditio & discordia priore longe major, & perniciosior est orta. Et Patres quidem ita in Eugenium

nium eorum Decreta non ſuſcipientem excanduerunt, ut illum in jus vocare, eique diem dicere tanquam reo non dubitarint. Quorum ſeveritatem, ut perfringeret Eugenius, Baſileenſe Concilium de plenitudine poteſtatis iterum diſſolvit, illudque tranſtulit Ferrariam: aſt illi in ſua pertinacia perſiſtentes, Eugenium poſt quatuor menſes, cum ipſe judicio ſe non ſiſteret, adminiſtratione Pontificatus ſuſpenderunt. Et demum reclamantibus Regum & Principum Legatis, ſuis furioſis edictis, quantum in eis fuit, Summo Pontificatu dejecerunt, illique ſubrogarunt Amedæum, Sabaudiæ Ducem, quem Felicem V. nominarunt. Sed pauci admodum eorum ſtultitiam ſunt ſecuti; quamvis a principio maximos habere viderentur fautores, quorum præcipui erant Alphonſus, Rex Aragonum, & Philippus, Dux Mediolani. Sedit hæc Synodus Baſileenſis annis circiter decem & octo, varia forma: anno namque XXXI. ſupra MCCCC. ſub principio Eugenii incœpit, & tandem finem habuit per ceſſionem Felicis de Pontificatu, factam Nicolao V. Pontifici Maximo. Quod factum eſt XI. Kalendas Julii MCCCCXLIX. Interim vero, qui Baſileæ remanſerant, quamvis ab Eugenio, & Oecumenico Concilio Florentino, quo ex Ferraria propter peſtem tranſlata eſt Synodus, damnati & excommunicati eſſent, nunquam tamen Concilii nomen dimiſerunt, aut deſtiterunt ab exſecratione, & inſecutione contra Eugenium. Poſt 1mam cum Eugenio reconciliationem hoc Concilium ſatis frequens fuit, ita ut aliquando Prælati circiter centum infulati adeſſent, inter quos XI. Cardinales Romanæ Eccleſiæ connumerabantur, multaque ſancta & optima inſtituta ſunt edita. Sed creſcente indies diſſenſione, cum Apoſtolicæ Sedis dignitatem omnino proſternere conarentur, optimus quisque diſceſſit: ita ut cum judicium contra Eugenium intentarent, vix viginti, aut triginta ad ſummum infulati adeſſent, & in ejus depoſitione ſeptem tantum Epiſcopi interfuerunt. Admittebantur ſiquidem ad definitiones, & ſancienda decreta, non modo Epiſcopi, & Abbates, ſed Theologiæ, Jurisque utriusque, & aliarum doctrinarum Profeſſores, quos Graduatos appellant: tum Eccleſiarum Canonici, & parochialium Rectores, jurati tamen omnes: ita ut non minoris eſſet auctoritatis ſimplicis Canonici, quam Epiſcopi cujuspiam ſanctiſſimi ſuffragium: cum numero, non dignitate, expenderentur ſententiæ, contra antiquorum Conciliorum conſuetudinem: in quibus (ut ajunt) ſoli Epiſcopi & Abbates vocem deliberativam habebant, alii vero conſultivam tantum. Hoc autem ordine res in Concilio gerebatur. Multitudo omnis in quatuor Nationes primum diſtincta erat; Italicam, Gallicam, Germanicam, & Hiſpanienſem. Ex his Nationibus pari ex unaquaque numero quatuor Conventus (quas ſacras Deputationes appellabant) conſtituebantur: ita ut XX. intereſſent Itali, totidem eſſent Galli, Germani, Hiſpani. Inter hos proportione, quantum fieri poterat, etiam pari numero, cum aderant Cardinales, Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Magiſtri, Doctores connumerabantur. Hæc quatuor Collegia diverſa ac propria habebant tribunalia, variisque nominibus cenſebantur. Prima erat fidei deputatio, altera pacis, tertia reformationis, ultima de communibus. Tria enim erant, propter quæ Patres Concilium celebrare ſe profitebantur: ut hæreſes extirparent, ut pacem procurarent inter Chriſtianos Principes, & populi Chriſtiani, & præſertim Clericorum mores & vitam emendarent, & (ut eorum verbo utar) reformarent. Erant cuique Conventui proprii Magiſtratus. Præſidens, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & ſecundum majoris partis ſententias concluderet. Promotor, qui tanquam Curator publicus ingereret negotia, inſtaretque, ut abſolverentur. Scriba, qui geſta, decretaque publicis documentis annotaret. Lictor, ſive apparitor, qui Conventus nomine Patres convocaret, & edicta proponeret. Conveniebant hæc Collegia ter in hebdomada, iisdem horis in propriis Prætoriis, ubi re confecta Divina rebus gerendis operam dabant. Ex quatuor deinde Conventibus, ſive ſacris Deputationibus XII. virorum collegium creabatur, qui appellabantur duodecim Deputati: eligebantur enim terni ex unoquoque Conventu viri doctrina, & experientia clari. Ad

hos primum negotia deferebantur; qui rebus digestis vel respuebant, vel si admittenda videbantur, ad Collegium, cui competebant, remittebant. Erat his potestas, cum aliquid grave instaret, convocare quatuor Conventus, etiam extra ordinem: quæ a duodecim virorum Collegio ad quempiam ex quatuor Conventibus remittebantur, in concione per Præsidentem illius Conventus proponebantur: neque licebat prima die de propositis quidquam decernere, nisi res necessariam celeritatem manifeste exigeret. Quod major pars statuisset, ad alios tres Conventus deferebatur: & si ita minori parti videretur, etiam deferebatur eorum sententia cum rationibus, & argumentationibus utriusque partis. Quod per tres Conventus approbatum erat, ad Præsidentem Concilii publicis documentis deferebatur, qui statuto die in Generali Congregatione de ea re referebat. Neque licebat (*) præcedenti de aliqua re agere cum Patribus in Generali Conventu, nisi prius de ea deliberatum, sive, ut ajunt, conclusum fuisset per quatuor, aut saltem tres speciales Conventus, sive Deputationes. Demum ubi quippiam a Patribus approbatum erat in generali, in formam Decreti redactum in publica Sessione solemni ritu statuebatur. Differebat autem Generalis Congregatio a publica Sessione, quod in illa, quæ octavo quoque die frequentabatur, res statuendæ, approbabantur hoc modo: ubi in sacris Deputationibus aliquid decernendum judicabatur a majori parte; Præsidentes illorum quisque in suo Conventu illud firmabat his verbis: In Nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ego concludo in talem sententiam. Idem fiebat deinde in Generali Congregatione, ubi præsidens Concilii præsidentium Deputationum vota cognoverat, concludebatque nomine totius Concilii. Oportebat tamen illi ex lege concludere secundum Præsidentium vota, & non aliter: quod si noluisset, alius, qui juxta illum sederet, per Promotorem Concilii rogabatur. Et si ille etiam recusasset, alius, & deinde alius, quoad inveniretur unus, qui concluderet. His peractis, cum temporis opportunitas aderat, publica Sessio indicebatur.

(*) *forte*: Præsidenti.

CXLVI.

Quo ordine publica Sessio in Concilio celebraretur.

Conveniebant statuta die Patres omnes ad Basilicam civitatis, & nonnunquam Clerus cum sacra pompa: ubi re Divina per aliquem ex Prælatis facta, Præsules, Abbatesque omnes, sacras vestes & albas Infulas sumebant. Præsidens autem Concilii mitra & veste sacra pretiosiori ornatus, in pontificali sede ad Altare sedens, ad patres faciem convertebat, cui Diaconus & Subdiaconus in sacris vestibus, ut celebraturo adstabant. Patres infulati hinc inde in subselliis chori sedebant. Legati vero Regum & Principum in medio ante faciem Præsidentis humilioribus sedibus. Post eos sedebant Generales ordinum, Magistri, Doctores, graduatique omnes, & alii Sacerdotes, suo quisque ordine. Cum Patres aliquantisper sedissent, silentio facto, Diaconus dicebat, *Orate:* quo dicto omnes se prosternebant ad orationem. Et mox iterum exclamans dicebat, *Erigite vos.* Omnibus igitur surgentibus, stantibusque nudis capitibus, præsidens alta voce orationem de Spiritu Sancto dicebat, quæ incipit: *Adsumus Domine Sancte Spiritus &c.* qua finita Cantores Antiphonam cantabant: *Exaudi nos Deus &c.* Vers. *Salvum me fac, Gloria Patri &c.* Tum iterum Diaconus exclamabat secundo: *Orate.* Et cum flexis genibus aliquantulum orassent, iterum dicebat: *Erigite vos.* Stantibus iterum omnibus, aliam orationem subjungebat Præsidens, dicens: *Mentibus nostris quæsumus Domine &c.* His peractis iterum omnes genu flectebant; & duo ante Altare stantes, cantabant Litaniam. Cum autem perventum esset ad locum illum, ubi dicitur: *Ut Domnum Apostolicum, &c.* Tunc surgens Præsidens cum mitra, Benedicebat Patres, dicens: *Ut hanc Synodum & omnes Gradus Ecclesiasticos benedicere digneris:* iterum addebat, *Benedicere & regere;* tertio. *Benedicere, regere & conservare digneris.* Chorus respondebat semper, *Te rogamus audi nos.* Cum omnibus iterum procumbentibus Litania perficiebatur. Deinde Præsidens stans dicebat: *Oremus.* & Diaconus, *Flectamus genua:* Subdiaconus vero, *Levate* subjungebat. Et iterum Præsidens alte ora-

orabat dicens, *Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus &c.* Deinde Diaconus petita benedictione cum incenso, & luminaribus ad ornatum pulpitum accedens, Evangelium cantabat pro arbitrio Præsidentis, conforme rebus, quæ tunc tractabantur. Finito Evangelio omnes iterum sedebant: & Præsidens orationem ad Patres habebat, causas assignans, cur Decreta essent sancienda. Hortabaturque omnes ad bene reipublicæ consulendum. Post sermonem mox Præsidens genu flexus Hymnum incipiebat, *Veni creator Spiritus*, quem alternatim chorus & Patres cantabant. Quo finito Præsidens cantabat: *Emitte spiritum tuum &c.* Resp. *Et renovabis &c.* Oremus: *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus, &c.* demum duo cantatores dicebant: *Benedicamus Domino, &c.* Postremo his omnibus completis, reliquis omnibus sedentibus unus, aut duo Prælati cum mitra suggestum ascendentes Decreta legebant: quibus perlectis interrogabant Præsidentes, an placerent. Præsidens Concilii pro toto Concilio, alii pro suis conventibus respondebant, Placet. Aderant Scribæ, qui rogati omnia annotabant, ut lecta erant, & in actis publicis redigebant. Tum depositis sacris vestibus, dimisso Senatu, domum revertebantur, & Sessio finita erat. Decretum in scriptis redactum, Concilii Bulla muniebatur. Quæ autem a Scribis Concilii notabantur, non prius edebantur, quam a Correctoribus, quibus ea provincia demandata erat, emendarentur. Erant in Concilio & alii plerique Magistratus ordinarii, Promotores Concilii & Deputationum, qui a Patribus executionem & confectionem negotiorum assiduo expetebant: sedium distributores, qui quo quemque loco sedere oportebat, dijudicabant: Procuratores & Advocati Concilii, qui causas publicas agebant; Judices & Procurator in causis fidei, qui ea tantum procurabant, quæ ad fidem pertinerent. Erant & Judices aliarum causarum complures, & Auditores Rotæ appellati: Præcognitores etiam causarum instituebantur, qui censerent, quæ privatæ causæ essent admittendæ, & quo ordine cognoscendæ. Erat præterea Auditor sacri Palatii, cum potestate Auditoris Cameræ, plenam jurisdictionem exercens in omnes Conciliares. Soldanus etiam aderat tanquam Prætor & Executor Auditoris: & denique Magistratus omnes, qui in Romana Curia esse solent.

Finit Summarium Concilii Basileensis, editum per Augustinum Patricium. Canonicum Senensem, jussu Francisci Piccolominei Cardinalis Senensis, Anno salutis MCCCCLXXX.

Apologia EUGENII Papæ IV.

Sive de Summi Pontificis & Generalis Concilii potestate, ad Basileensium Oratorem, in Florentina Synodo (*) responsio, viva voce exhibita

PER JOANNEM A TURRECREMATA DOMINICANUM, TUNC SACRI APOSTOLICI PALATII MAGISTRUM, AC POSTEA SANCTI XYSTI PRESBYTERUM CARDINALEM.

SUMMARIUM.

I. Apostolica Sedes hæreses non fovet, sed destruit.
II. Romano Pontifici Jure Divino Caput omnes inclinant.

PRÆFATIO.

NOtastis, credo, superiori die, pro vestra sapientia & humanitate, Reverendissimi Patres, Sanctissimam & religiosam intentionem Sanctissimi Domini nostri, & celeberrimum ejus desiderium. Optat enim Sanctissimus Dominus noster sicut pius Pater, utpote qui in Cathedra sedet, quæ nullam unquam hæresim fovet, sed omnes hæreses destruit, nascentes errores de medio populi

(*) Excusa fuit Venetiis in 4to. anno 1563. opera F. Camilli Campegii Theologi Papiensis, ab Harduino inserta Tomo IX. Conciliorum.

puli Christiani evellere. Vult nihilominus hoc cum omni pace & caritate, quantum fieri poterit, adimpleri, ea gravitate servata, quam Sanctitatis suæ circumspectio materiam fidei novit, pro singularitate Celsitudinis suæ exigere. Instituit propterea ejus Sanctitas de controversia super reprobatione quorundam errorum Basileensium inter Deputatos orta, coram prudentissimis Circumspectionibus vestris, pro utraque parte agitari rationes; & hoc maxime circa propositionem primam inter tres illas, quas Basileenses intelleximus, declarasse veritates esse fidei Catholicæ, cujus tenor est:

Veritas de potestate Concilii Generalis, universalem Ecclesiam repræsentantis, supra Papam, & quemlibet alterum, declarata per Constantiense, & hoc Basileense Generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ.

Audivistis jam heri sapientissimum virum, & celeberrimum Patrem, Dominum meum singularissimum, qui more suo sapientissime & amplissime partem illam fulsit, quam gratia illustrioris veritatis habendæ defendendam suscepit. Utinam tam pro ampliore claritate veritatis, quam pro sublimitate auditorum, alius, quam ego, institutus fuisset dignitate & auctoritate major, perspicacior ingenio, & locupletior sapientia; qui tantæ rerum amplitudini satisfaciens, dictis per eundem Clarissimum & Reverendissimum Patrem & Dominum plena responsa dedisset. Verum quia ejus mandatis me parere oportet, cui omnes jure Divino caput inclinant, Responsionem hanc de ejus confisus auxilio, cujus Vicariatum defendimus, & principatus honorem cum omni humilitate & reverentia, & sub omnimoda correctione Sanctissimi Domini nostri, & supportatione pia omnium Reverendissimorum Patrum, & Dominorum hic existentium, rem ipsam mihi deputatam aggredior. Distinxit autem præfatus Dominus (si bene teneo) actum suum in tres articulos principales: in primis enim arbitratus, quod illa prima propositio Basileensium, parum ante commemorata, non posset tangi tactu reprobationis & condemnationis, & nisi pariter Decretum Constantiense de potestate Concilii super Papam tangeretur; induxit primo loco auctoritates multas, & rationes pro veritate præfati Decreti Constantiensis, de auctoritate Concilii universalis supra Papam: Secundo visus est per rationes plures, persuadere, quod prædicta prima propositio Basileensium non debeat tangi; Tertio ejus prudentia studuit argumenta solvere, quæ fiebant ab aliquibus Patribus inter Deputatos; Quod non possent aliæ duæ propositiones damnari, nec veritas translationis factæ per Sanctissimum Dominum nostrum de Basilea ad Ferrariam habere firmitatem, præfata illa propositione non damnata. Circa primum consideravit Dominus proponens quinque partes in Decreto illo Constantiensi edito de potestate Conciliorum, secundum quas primum articulum suum in quinque partes subdistinxit. Prima pars illius Decreti Constantiensis est: quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, & Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam repræsentat. Pro hujus partis probatione inducta est Epistola illa Domini Martini, quam, approbante universo Concilio Constantiensi editam, ad Germaniæ Prælatos direxit, in qua inter cætera interrogatoria, quæ fienda instituit captis hæreticis suspectis de erroribus damnatæ memoriæ Joan. Wichlef, & Joan. Huss, jubetur, ut hæreticus talis interrogetur, utrum credat, teneat, & asserat, quod quodlibet Concilium Generale, & etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet.

Responsio ad primum Articulum.

SUMMARIUM.

I. *Concilium ab eo congregatum, qui indubitus Pontifex non est, legitimum dici non potest.*

II. *Congregatio per Joannem XXIII. facta Constantiæ, non consentientibus aliis duabus obedientiis; nec Synodum legitimam constituit, nec universalem Ecclesiam repræsentavit.*

III. *Veritas illa Catholica non fuit, cui aliæ duæ obedientiæ contradixerunt.*

IV. *Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentare non dicitur, si integrum & plenarium non est.*

V. *Integrum & plenarium Concilium quando vere exsistat.*

VI.

VI. Congregatio nulla Canonica, Romano Pontifice excluso, universalem Ecclesiam repræsentare potest.
VII. Definire, quod Decretum illud Constantiense, ad veritatem Fidei Catholicæ pertineat, temerarium & scandalosum est.
VIII. Concilium Generale, legitima Apostolica auctoritate congregatum, habere potestatem a Christo immediate, non est veritas Catholicæ Fidei.
IX. Papa indubitato in Concilio personaliter exsistente, Synodus constituentis, aut definientis nomine utitur; sed Pontifex Sacro approbante Concilio universo decernit.
X. Quomodo Synodus statuat, definiat, pronunciet, & condemnet.
XI. Sine Papæ auctoritate nec Concilium congregari, nec quidpiam in eo determinari potest.
XII. Papa legitimus, Ecclesiæ Catholicæ Caput est, & supremam in illa auctoritatem habet.
XIII. Concilium universale potestatem habere a Christo immediate, falsum est,
XIV. Et repugnat articulo fidei: Credo unam Sanctam Ecclesiam.
XV. Nulli Congregationi Synodali Ecclesiæ, Fidelium omnium Regimen immediate commisit.
XVI. Petro soli, & Successoribus universaliter & indistincte dixit Dominus: Pasce oves meas.
XVII. Ecclesiæ Regimen Monarchicum, & Regale, a Christo institutum est.
XVIII. Species Regiminis politiæ Ecclesiasticæ immutabilis est.
XIX. Ecclesiastica Hierarchia, ad exemplar cœlestis formata est.
XX. Nulla potestas a Christo Ecclesiæ, aut Generali Concilio tribuitur, quæ Romano Pontifice mediante non conferatur. Qui Hierarcha & primus est in tota Hierarchia.
XXI. Conciliorum universalium auctoritas, & quoad convocationem, & quoad actorum robur & firmitatem, ab Apostolicæ Sedis auctoritate immediate dependet.
XXII. Jurisdictionis potestatem a Christo immediate Apostoli alii non acceperunt, sed mediante Petro.
XXIII. Apostolis aliis Christus immediate subditos non dedit.
XXIV. Nec illis Christum populos immediate divisisse legimus.
XXV. Nec potestatem aliquam, etiam limitatam, contulisse.
XXVI. Dato, quod Apostoli jurisdictionis potestatem, sicut Ordinis, a Christo immediate receperint; non tamen concedendum est, quod alii Prælati Ecclesiæ eandem potestatem nunc immediate a Christo suscipiant.
XXVII. Jurisdictionis potestatem, mediante Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, Prælati Ecclesiæ accipiunt.
XXVIII. Papa Princeps & Monarcha est in Ecclesiæ Principatu.
XXIX. Est primus in ordine Prælatorum Ecclesiæ, & in eo residet plenitudo potestatis.
XXX. Romana Ecclesia aliarum Ecclesiarum Caput est.
XXXI. Ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnium Prælatorum potestas jurisdictionis a Romano Pontifice derivetur.
XXXII. Dato, quod Ecclesiæ Prælati jurisdictionis potestatem a Christo immediate susciperent, non tamen sequitur, quod Concilium universale a Christo immediate auctoritatem habeat, cui etiam Papa obedire teneatur.
XXXIII. Cum Matth. XVI. Christus dicit: dic Ecclesiæ, non universalem Ecclesiam dispersam, aut in Concilio congregatam, sed Prælatum principaliter intendit.
XXXIV. Fraternæ correctionis præceptum, nec impossibile, nec difficile est.
XXXV. Totalitas Ecclesiæ multiplex.
XXXVI. Quando, & quomodo Papa fraterne corrigendus sit.
XXXVII. Ligandi & solvendi potestas, quomodo Episcopis & Sacerdotibus omnibus intelligatur collata.
XXXVIII. In Concilio, qua potestate Patres decreta condant.
XXXIX. Spiritum Sanctum Pastores posuisse, ut regerent, quomodo intelligatur.
XL. Claves Ecclesiæ quomodo Apostolis, & eorum Successoribus Christus dederit.
XLI. Augustini locus XXIV. Qu. I. Cap. Quodcunque, de Petro claves accipiente, & Ecclesiam significante, explicatur.
XLII. Non Petro tantum, ut singulari personæ, data est clavium auctoritas, sed in eo Successoribus ejus, & universis Prælatis in Ecclesia Dei futuris, quos in partem solicitudinis suæ vocaret.
XLIII. Pasce oves meas, non tantum Petro, sed ejus Successoribus, & aliis in partem solicitudinis ejus evocandis, dictum est.

XLIV. *Novatianorum error est, dicere, apud Sacerdotes nullam esse absolvendi facultatem.*

XLV. *Hæretici & Schismatici nec ligare, nec solvere possunt.*

XLVI. *Universale Concilium potestatis auctoritate, Romano Pontifice superius esse, non sensit Augustinus.*

XLVII. *Judicium per Papam & Patres universæ Ecclesiæ simul habitum, in quo differat cum paucis per Papam facto.*

XLVIII. *Dei & Papæ consistorium idem est, sicut Episcopi & ejus Vicarii: ideo nullum majus tribunal in terris invenitur.*

XLIX. *De Judiciaria potestate Apostolis, Episcopis, & Presbyteris omnibus a Christo tradita, Hieronymi sententia explicatur.*

L. *Non omnia Ecclesiæ membra claves habent, sed Episcopi & Presbyteri.*

LI. *Claves secundum plenitudinem potestatis Ecclesiæ accepit in Petro, cujus Romanus Pontifex Successor est.*

LII. *Christus donavit Apostolis, ut ipsi Petræ vocarentur.*

LIII. *Parem Apostolos omnes potestatem cum Petro a Christo accepisse, quomodo intelligatur.*

LIV. *Pro omnibus & præ omnibus claves Petrus, non veluti Procurator & Syndicus accepit.*

LV. *Petrus, & ejus Successores in potestate jurisdictionis ceteris omnibus, etiam simul junctis, antecellunt.*

LVI. *Caput & Princeps aliis influens, in toto corpore Ecclesiæ Petrus constitutus est.*

LVII. *Ex verbis octavæ Synodi, non habetur, Concilium a Deo immediate potestatem accepisse, aut illi convenire, quod Dominus Matth. XVIII. dicit:* Ubi fuerint duo vel tres congregati, *&c.*

LVIII. *Impossibilitas errandi in fide, quomodo Conciliis, & quomodo Papæ conveniat.*

LIX. *Homo confirmatus in gratia, Romano Pontifice non confirmato, potestate præstantior non est.*

LX. *Beatæ Virgini, quamvis Apostolis omnibus digniori, claves Regni Cælorum non commisit Deus.*

LXI. *An quilibet etiam Papa in his, quæ sunt fidei, universali Concilio obedire teneatur.*

LXII. *Concilii generalis & universalis Ecclesiæ Decreta, ad fidem expresse spectantia, Papa amplecti & recipere tenetur.*

LXIII. *Concilia universalia non habent privilegium in Judicio Fidei non errandi.*

LXIV. *Decreto Generalis Concilii de Fide definienti, per Apostolicam Sedem probato, & confirmato, etiam Papa obedire tenetur.*

LXV. *Si Apostolica Sedes, aut Ecclesia Romana Synodo contradicit, definitioni Apostolicæ Sedis, potius quam Decreto cujuscunque Synodalis Congregationis, parendum est.*

LXVI. *Ecclesia Romana errare non potest.*

LXVII. *Solo Papa, Patribus universim in Concilio de Fide definientibus contradicente, judicio potius Synodi, quam solius Papæ standum esset.*

LXVIII. *Ubi de Fide agitur, Papa Episcoporum judicium requirere tenetur.*

LXIX. *Synodus quandoque major est Papa.*

LXX. *Declarationibus de Fide ab universa Synodo, per aperta Sanctæ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum testimonia unanimiter factis, si Papa obedire renuit, veluti hæreticus Concilio subditur.*

LXXI. *Papa in Canonem latæ sententiæ incidere potest.*

LXXII. *Concilium supra Papam Catholicum nullam potestatem habet.*

LXXIII. *Papa in casu hæresis Concilio subditur.*

LXXIV. *Decretum Constantiense, quod quilibet etiam Papa, Concilio Generali in his, quæ pertinent ad extirpationem schismatis, obedire teneatur, non loquitur universaliter, sed de illo tempore tantum.*

LXXV. *In casu universalis Reformationis, Papa de honestate, non autem de necessitate, Concilio obedire tenetur.*

LXXVI. *Decretum Concilii necessitatem coercitivam, seu coactionem importans respectu Papæ, Scripturis, & Patribus repugnat.*

LXXVII. *Concilium Generale extra casum hæresis, Papam indubitatum nec deponere, nec judicare potest.*

LXXVIII. *Dispensator Papa est a Christo super Ecclesiam constitutus.*

LXXIX. *Inferior Superiorem non judicat.*

LXXX. *Romano Pontifice solus Deus Superior est, cujus & servus est.*

LXXXI. *Papæ judicium sibi Deus reservavit.*

LXXXII. *Papa per singularem Clavium prærogativam, totius Ecclesiæ Fundamentum est.*

LXXXIII. *Papa universalis Ecclesiæ Pastor & Rector a Christo in Petro constitutus est.*

LXXXIV.

LXXXIV. Grex Paſtorem non corrigit.

LXXXV. Romanus Pontifex in orbem univerſum Primatum tenet, Petri Succeſſor, Eccleſiæ totius Caput, Fidelium Pater, Doctor, Paſtor, Rector, in Petro a Chriſto inſtitutus eſt.

LXXXVI. Papa per mortale peccatum non deſinit eſſe Superior.

LXXXVII. Cur ex ſola pertinacia in hæreſi a jurisdictionis Superioritate quis cadat.

LXXXVIII. Paſtores mali, recte tamen docentes, abjiciendi non ſunt.

LXXXIX. Veritas Fidei Catholicæ non eſt, quæ Sedis Apoſtolicæ determinationi contradicit.

XC. Papa deponendus non eſt, etſi imminente neceſſitate reformationis Eccleſiæ, Concilio reformare volenti ſe opponat.

XCI. Incorrigibilitas in Papa Eccleſiam ſcandalizante, non ſemper depoſitionis cauſa ſufficiens eſt.

XCII. Papa tantum pro hæreſi ſtricte ſumpta, judicari poteſt, & aliter dicere, error eſt.

XCIII. Papæ contra Eccleſiæ univerſalis ſtatutum facienti obediendum non eſt, ſed reſiſtendum. Non tamen ob id a Concilio ille judicandus eſt.

XCIV. Papa volens deponere ſimul omnes Epiſcopos, aut ſimilia facere, quæ a veritate, aut Sanctorum Patrum ſententiis ſunt devia, aut contra ſtatutum univerſalis Eccleſiæ agere tentans, ſuſtinendus non eſt.

Dicimus imprimis, quod pars hujus Decreti non poteſt habere rationem, veritatis Catholicæ Fidei; Primo, quia, ut exploratiſſimum eſt, quod D. Balthaſar in ſua obedientia, Joannes XXIII. vocatus, cujus auctoritate Congregatio illa facta eſt, & legitima eſſe deſcribitur; fuerit Summus Pontifex in Eccleſia, verus Chriſti Vicarius, Caput Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, non habet eam certitudinem indubitatam apud omnium fidelium animos, qualem veritas Catholicæ Fidei importat. Nihil enim certius fide, ait Gregorius ſuper Ezech. & ut etiam ait Auguſtinus: Nihil eſt certius homini ſua fide. Secundo, quia quod obedientia præfati Joannis XXIII., quæ Conſtantiæ congregata, præfatum Decretum ante unionem Eccleſiæ edidit, ſola præter alias obedientias legitimam Synodum univerſalem conſtitueret, & Chriſti univerſalem Eccleſiam repræſentaret, non habet certitudinem Catholicæ fidei, ut manifeſtum eſt. Tertio, quia illud non poteſt habere rationem veritatis Catholicæ, cui in ipſa unione Eccleſiæ duæ aliæ obedientiæ, Gregorii ſcilicet, & Benedicti apertiſſime, in plena congregatione contradixerunt, & eorum contradictio fuit acceptata. Contradixit imprimis Dominus Gregorius in ſua obedientia vocatus, verum Romanum Pontificem verbo & ſcripto ſe aſſerens, parti illius Decreti, in qua dicitur, quod Congregatio Patrum, quæ ſub obedientia Joannis Conſtantiæ convenerat; ſi legitime congregata eſſet, Generale Concilium faceret, Eccleſiam Catholicam repræſentans. Quare, ut clariſſimum eſt ex geſtis illius Concilii, mittens idem Dominus Gregorius poſt Oratores ſuos ad Conſtantiam, committit eis, videlicet Domino Cardinali Sancti Sixti, & Domino Joanni, Clerico Patriarchæ Conſtantinopolitano, & Domino Archi Epiſcopo Trevirenſi, & Domino Comiti Palatino, & Domino Carolo de Malateſtis, auctoritatem, Congregationem ipſam Conſtantiæ, in quantum per Serenitatem Regiam, & non per Balthazarem ſe nuncupari facientem Joannem XXIII. vocatam, vice ſua convocandi, & auctorizandi in Generale Concilium, remota tamen omnimode dicti Balthaſaris præſidentia, & præſentia ab eisdem, &c. Verba ſunt formalia Bullæ datæ auctoritatis præfatis Oratoribus, quæ inſerta eſt geſtis præfati Concilii. Quod autem hæc verba & geſta Domini Gregorii præfato Decreto Conſtantienſi contradicant, manifeſtum eſt. Contradixit præterea eidem Decreto obedientia Dominorum Regum & Principum, qui Petro de Luna, Benedicto XIII. nuncupato, tanquam vero Summo Pontifici adhærebant. Nam ex geſtis ejusdem Concilii patet, pro eo quod tenebant præfatos Patres Conſtantiæ congregatos non facere Concilium univerſale, nec Eccleſiam Catholicam repræſentare, voluerunt, juxta compactata in Narbona cum bonæ memoriæ Domino Imperatore Sigismundo, ut nova fieret Eccleſiæ per eos Concilii convocatio, ſicut & factum eſt. Ex qua hora tantum, cum jam omnes tres obedientiæ

ſimul eſſent, habita eſt certitudo, & fides apud omnes, univerſale Concilium Conſtantiæ celebrari, & Eccleſiam repræſentare Catholicam. Quare cum fuerit dubium tempore ſchismatis, apud quos vera Eccleſia eſſet, quam ſuper Cathedram Petri Hier. dicit eſſe fundatam, in cap. Quoniam vetus oriens. & in Sedis Apoſtolicæ radice Auguſtinus dicit conſtitutam, in cap. Pudenda. XXIV. quæſt. I. non poteſt dici ad veritatem Catholicæ fidei pertinere congregationem illam ſub obedientia dicti Joan. XXIII. Conſtantiæ congregatam pro tempore illo, quo præfatum Decretum de poteſtate Conciliorum edidit, Concilium facere Generale, & Eccleſiam Catholicam repræſentare, ſine inſupportabili ſcandalo aliarum obedientiarum. Unde quod Dominus Martinus dicit in Epiſtola allegata per Reverendiſſimum Dominum meum, referendum eſt non ad tempus ſchismatis, pro quo ſola obedientia Joannis Conſtantiæ conveniens, Decretum illud edidit, ſed ad tempus, in quo omnes obedientiæ pro unione Eccleſiæ facienda, ſimul convenerant. Eſt præterea hic conſiderandum, quod dictum Domini Martini, in quo ait, Concilium Generale Eccleſiam univerſalem repræſentare, accipiendum eſt de Concilio integro, ſive plenario, quod id dicitur eſſe ex Decretis Concilii Antiocheni, & ex Diſt. XVII. per totum, in quo auctoritate & aſſenſu Romanus Pontifex affuerit. Cum enim dicat Auguſtinus, in ſermone quodam Apoſtolorum Petri & Pauli, quod ſolus Petrus, cui ſuccedit Romanus Pontifex in plenitudine poteſtatis, inter Apoſtolos totius Eccleſiæ geſtet perſonam; Nulla congregatio, Canonico Romano Pontifice excluſo, dicenda eſt univerſalem Eccleſiam repræſentare. Quare Beatiſſimus Cyprianus in Epiſtola, quam ad lapſos ſcribit, qui a Romano Pontifice ſegregati, nomen Eccleſiæ ſibi adſcribere præſumpſerant, ita dicit: "Dominus
" noſter, cujus præcepta intueri debemus, & ſervare, Epiſcopi honorem,
" & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in
" Evangelio ſic loquitur, & dicit Petro:
" Tu es Petrus, & ſuper hanc petram
" ædificabo Eccleſiam meam. Infra:
" Cum hoc ita Divina Lege fundatum
" ſit, miror quosdam audaci temeritate
" ſic mihi ſcribere voluiſſe, ut Eccleſiæ
" nomine litteras facerent, cum Eccle-
" ſia in Epiſcopo, & Clero, & omnibus
" Statibus ſit conſtituta. Hæc Cyprianus &c.

Qua parte ſic illuſtrata, non eſſet jam opus, cæteras præfati Decreti partes tangere, quoniam demonſtrato non eſſe veritatem Catholicæ fidei, immo nec opinionem communem omnium fidelium: Patres Conſtantiæ ſub obedientia dicti Joannis XXIII. congregatos pro tempore, quo declaratio illa de poteſtate Conciliorum ſupra Papam emanavit, fuiſſe Concilium univerſale, aut Eccleſiam repræſentare Catholicam, illico ruit omnis auctoritas & firmitas factæ declarationis: quoniam juxta Beati Auguſtini ſententiam ad Hieronymum, ſi dubitatio, aut falſitas ad Scripturas Sanctas admiſſa fuerit, nil perfecto in eis remaneret auctoritatis. Nihilominus ut ad omnia, quæ tacta ſunt per Dominum arguentem, plena detur reſponſio, ad alias etiam partes præfati Decreti, conſideratione noſtra tendamus. Dicitur autem in ſecunda parte prædicti Decreti, quod Synodus ipſa habet poteſtatem immediate a Chriſto, cui quilibet cujuscumque dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur. Hæc autem declaratio cum ex ipſa verborum forma, accipienda veniat de congregatione illa Patrum tempore ſchismatis Conſtantiæ, ſub obedientia dicti Joannis XXIII. congregata: clariſſimum eſt ex jam dictis, quod nullo modo poteſt habere rationem veritatis fidei Catholicæ, nec communis opinionis omnium Catholicorum. Quoniam quidquid ſit de fide, aut opinione Patrum, qui præfatam declarationem ediderunt, Patres tamen & Principes aliarum duarum obedientiarum, ſcilicet Gregorii & Benedicti, nec tenuerunt pro tunc, nec ad huc viventes tenent, quod congregatio illa Patrum, tempore ſchiſmatis ſub Joanne dicto XXIII. Conſtantiæ celebrata, poteſtatem a Chriſto haberet immediate, cui quilibet cujuscunque dignitatis exſiſteret, obedire teneretur. Quibus rebus ſic exiſtentibus, temeraria plane nimis & ſcandaloſa præſumtio eſt, definire, Decretum illud Conſtantiæ in hac parte ad veritatem Catholicæ fidei pertinere. Temeraria quidem diffi-

diffinitio, quæ nec auctoritate, nec ratione certa probari poteſt; ſcandaloſa vero, quoniam ſicut per primam partem Decreti, duæ aliæ obedientiæ concluduntur fuiſſe ſchiſmaticæ, per cap. Scire debes. VII. quæſt. I. &c. Non vos. XXIII. quæſt. V. & per cap. Pudenda. & cap. Schisma, XXIV. quæſt. I. Ita per ſecundam partem de hæreſi convincuntur infectæ per cap. Si qui Presbyteri. diſtinct. LXXXI. & cap. Arrecta: & cap. Alienus, XXIV. quæſt. I. Viſo jam & clariſſime demonſtrato, partem illam Decreti Conſtantienſis, dicentem Synodum habere poteſtatem immediate a Chriſto, nullo modo dicendam eſſe ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, intelligendo illam de congregatione illa, quæ Conſtantiæ tempore ſchiſmatis ſub dicto Joanne XXIII. convenit: reliquum eſt oſtendere, quod etiam accipiendo partem illam de Synodo univerſali legitima & indubitata, Apoſtolica auctoritate congregata, non ſit veritas fidei Catholicæ, quod talis poteſtatem immediate habeat a Chriſto, cui &c. Quod multipliciter oſtenditur: & primo ex geſtis & declarationibus fidei in ipſo Conſtantienſi Concilio, facta unione Eccleſiæ, concluſis: legimus enim in primis in geſtis præfati Concilii, quod cum Dominus Martinus electus fuit in Romanum Pontificem, amplius Synodus non eſt uſa nomine conſtituentis, aut diffinientis: ſed ipſe Dominus Martinus omnia Synodo approbante ſtatuiſſe, & diffiniviſſe deſcribitur, morem in hoc ſecutus Prædeceſſorum ſuorum: qui ſive in materia fidei, ſive in materia ſchiſmatis, ſive reformationis Eccleſiæ, ſoli in Conciliis univerſalibus auctoritate propria ſtatuiſſe & ſententiaſſe leguntur, ſicut ipſorum Conciliorum geſta in Decretalibus, Clementinis, & Extravagantibus incluſa, clariſſima luce demonſtrant. Quod plane minime per tam glorioſos & doctos Romanos Pontifices attentatum fuiſſet, nec ab ipſis univerſalibus Conciliis permiſſum; ſi eſſet veritas Catholicæ fidei, quod Concilium univerſale non a Papa, ſed immediate a Chriſto auctoritatem haberet in his, quæ ſunt fidei & ſchiſmatis, & reformationis Eccleſiæ: & potiſſimum cum illa infallibilitate judicii & ſuperioritate, quam ajunt, auctoritatis. Si enim Eccleſiaſtici cap. XI. in Sacra Scriptura ipſe Spiritus Sanctus, in medio ſenum prohibet addiſcentem loqui: quanto magis prohibitum eſſe credimus, utpote omni reprehenſione digniſſimum, ut quis judicio, auctoritate, & poteſtate inferior, in medio congregationis Senum totius Eccleſiæ, diffiniendi & ſtatuendi ſibi aſſumat ſuperioritatem & principatum? Cum autem blaſphemum eſſet dicere, Apoſtolicam Sedem contra Divinam prohibitionem, hunc in Eccleſia tanto tempore ſibi uſurpaſſe ſtatuendi & diffiniendi auctoritatis principatum, quæ ut in cap. Arrecta, XXIV. quæſt. I. per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam errare probatur; ex ipſa practica Concilii univerſalis apertiſſime colligitur, quod ſacra ipſa Synodus Conſtantienſis ex omni parte Chriſtianitatis collecta, non tenuit, ſicut nec tenendum eſt, ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, quod exiſtente in Eccleſia uno & indubitato Romano Pontifice Synodus univerſalis poteſtatem immediate habeat a Chriſto. Si vero dicatur, quod etiam Synodus legitur ſtatuere & diffinire, ſententiare & condemnare, ſicut patet ex multis Capitulis in Decreto: Reſpondetur primo, quod hoc legitur factum, quando Papa non fuit perſonaliter Conciliis univerſalibus præſens. Secundo, quod hoc facit ipſa Synodus non auctoritate, quam immediate ſuſcipiat a Chriſto, ſed auctoritate Romani Pontificis, ut dicit Sanctus Thomas: cujus verba in Tractatu contra impugnantes religionem, ſunt, quæ ſequuntur: "Sancti Patres in Concilio congregati, nihil ſtatuere potuiſſent, niſi auctoritate Romani Pontificis interveniente: ſine qua etiam Concilium congregari non poteſt." Hæc Sanctus Thomas: ubi nota, quod Sanctus iſte vult, quod auctoritas Papæ non ſolum reſpiciat convocationem; ſed quod Patribus congregatis poteſtatem tribuit diffiniendi & ſtatuendi. Præterea hoc idem notari videtur in cap. His ita videtur, XXV. quæſt. I. ubi dicitur, quod ſummæ Sedis Pontifices Canonibus a ſe vel ab aliis ſua auctoritate conditis, reverentiam exhibent, & eis ſe humiliando, ipſos cuſtodiunt, ut aliis obſervandos exhibeant. Et manifeſtum eſt, quod de canonibus univerſalium Conciliorum loquatur. Cæterum ex hoc ipſo, quod Synodus univerſalis auctoritate Romani

 Ponti-

Pontificis canones condit, ipſe Romanus Pontifex, utpote totius Reipublicæ Chriſtianæ Princeps, conditor dicitur canonum, ut ex eodem cap. colligitur. Ceterum quod Synodus univerſalis abſente Papa auctoritate ejuſdem Romani Pontificis principaliter diffiniat, & ſententiet, accipitur manifeſte ex Concilio Chalcedonenſi: in quo Sancti Patres congregati in ſententia data contra Dioſcorum, ita dicunt: "Sanctiſſimus & Beatiſſimus Archi-Epiſcopus magnæ ſenioris Romæ Leo, per nos & per præſentem Synodum nudavit eum, tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam omni Sacerdotali officio, ſimulque eum alienavit a miniſterio Sacroſancto." Clarum eſt autem, quod Papa in hoc loco non niſi rationem ſive habitudinem principii influentis auctoritatem ipſi Synodo importare poteſt. Unde in Epiſtola, quam ſuper condemnatione ejuſdem Dioſcori præfati Patres Imperatoribus Valentiniano & Marciano ſcribunt, ita, juxta translationem, quæ habetur in libro Iſidori Summorum Pontificum, dicunt: "Magna Synodus ſecundum Dei gratiam & veſtræ pietatis Sanctionem congregata in Chalcedonenſi civitate, &c." Sequitur: "Nos igitur confidentes & univerſo orbi factæ tempeſtatis cauſam inquirentes, hujusmodi rei auctorem comperimus Dioſcorum Epiſcopum: quapropter & quia damnatus jam erat a Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo Leone, cujus auctoritate fulti, & nos omnes conſona voce damnamus." Præterea quod pars Decreti Conſtantienſis dicens Synodum immediate habere a Chriſto poteſtatem &c. non contineat unitatem fidei Catholicæ, manifeſte oſtendunt duo articuli fidei in ipſa Synodo Conſtantienſi diffiniti, quæ omnia habentur in Epiſtola Decretali Domini Martini, quam univerſo approbante Concilio editam Prælatis Alemaniæ contra errores Wicleviſtarum, & Joan. Hufs direxit. Primus eſt, quod Papa ſit Caput Eccleſiæ Catholicæ. Secundus, qui inter interrogatoria fienda hæreticis continetur, eſt, quod Papa canonice electus habeat auctoritatem ſupremam in Eccleſia. Quod autem primus articulus præfato Decreto contradicat, patet manifeſte, quoniam ex hac propoſitione Chriſtianæ fidei, quod Papa eſt Caput Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, habetur, quod habitudo Papæ ad univerſam Eccleſiam, & per conſequens ad univerſale Concilium illam repræſentans, ſit habitudo capitis ad corpus: ſed ſic eſt, quod corpus non niſi mediante capite recipit influxum virtutis ſenſus, & motus, ut communis habet doctrina. Unde Beatus Iſidorus Libro X. etymologiarum dicit: prima pars corporis caput eſt, datumque eſt illi hoc nomen, eo quod ſenſus & nervi inde initium capiant, atque ex eo omnis vigendi cauſa oriatur. Ergo cum hoc articulo ſive diffinitione fidei, quod Papa ſit Caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ, non poteſt ſtare, quod Synodus corpus Eccleſiæ repræſentans, non mediante Papa, ſed immediate a Chriſto poteſtatem regitivam & motivam ſuſcipiat. Conſequentia notiſſima eſt, & notum antecedens per proceſſum. Quod vero ſecundus Articulus præfato Decreto etiam contradicat, patet manifeſte: quoniam ſi a cunctis fidelibus indubitata fide credendum eſt, quod Papa canonice electus habeat ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, de neceſſitate ſequitur, quod Concilium univerſale non habeat poteſtatem immediate a Chriſto, cui ipſe Papa obedire tenetur: cum obedientiam inferiores ex ordine ſuperioribus tantum debeant, ut in cap. Si obedientiam. diſt. XCIII. & cap. In his omnibus, diſt. XXI. Si vero quis contentionis amator dicat, quod hoc, quod Papa dicitur habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia, non ſit ſimpliciter accipiendum reſpectu univerſalis Eccleſiæ, ſed reſpectu tantum ſingulorum Prælatorum in Eccleſia, animadvertat, ne volens vitare unum errorem, altero involvatur. Cum enim ex ſuperiori articulo convincamur credere, quod Papa ſit caput totius corporis Eccleſiæ, quia Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ; & caput præſtantius ſit virtute & poteſtate toto corpore; neceſſe eſt, nos credere, quod Papa habeat ſimpliciter poſt Chriſtum, cujus Vicarius eſt, ſupremam poteſtatem in tota Eccleſia, non tantum reſpectu ſingulorum, ſed etiam reſpectu totius corporis Eccleſiæ. quare in cap. Nolite orare. diſt. XI. dicit Julianus (*) Papa, & in cap. Baſilicas. de conſecrat. diſt. I. Gelaſius Papa, quod in Apoſtolica Sede Dominus totius Eccleſiæ poſuit principatum. Am-

(*) *pro:* Julius.

Amplius conformando hanc rationem oftenditur multipliciter ex aliis, quod pars Decreti, videlicet, quod Synodus univerfalis immediate habeat poteftatem a Chrifto, non contineat veritatem. Poteftas, quam dicitur Synodus immediate habere a Chrifto, aut eft eadem cum poteftate papali, aut eft alia ab illa. Non poteft dici, quod fit eadem, nec quod fit alia ab illa: Ergo fictitium eft dicere, quod veritas fidei Catholicæ fit, quod Synodus habeat poteftatem immediate a Chrifto. Confequentia eft manifefta: & major ex fufficiente divifione: minor vero pro utraque fui parte fic probatur. Quod enim non poffit dici primum, videlicet quod poteftas data Synodo, fit eadem cum poteftate papali, patet, quia tunc nulla fuperioritas attendi poffet in Synodo refpectu papæ. Decretum autem dicit, quod Synodus habet poteftatem immediate a Chrifto, cui etiam Papa obedire tenetur. Si enim par in parem ratione paritatis poteftatis, non habet Imperium; multo minus Synodus in Papam, fi eadem fit poteftas utriusque. Quod vero non poffit dici fecundum, videlicet, quod fit alia poteftas, & maxime fuprema a poteftate papali, patet: tum primo, quia repugnat fupradictis duobus articulis, quos ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, Sacra Conftantienfi Synodo approbante, Dominus Martinus Conftantiæ declaravit: quorum primus eft, quod Papa fit caput Ecclefiæ fanctæ Catholicæ: fecundus, quod habeat fupremam poteftatem in Ecclefia Dei. Quod autem per fuperabundantiam dicitur in unoquoque genere, tantum unum eft. Tum fecundo, quia pluralitas principatuum non eft bona: XII. Metaphyficæ. Quod autem bonum non eft, non eft credendum a Chrifto in Ecclefia fua inftitutum effe. Tum tertio, quia talis poteftas fuprema alia a poteftate Papæ, dari non poteft; quia ut inquit Beatus Cyprianus in Epiftola ad quinque Presbyteros: " Deus unus eft & Chriftus unus, & una Ecclefia, & Cathedra una fuper Petrum voce Domini fundata; aliud Altare conftrui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum Altare, & unum Sacrificium, non poteft. Quisquis alibi collegerit, fpargit; adulterium eft, impium eft, facrilegium eft, quodcunque humano furore conftituitur, ut difpofitio Divina violetur." Præterea Concilium univerfale habere aliam fupremam poteftatem immediate a Chrifto, a poteftate Romani Pontificis, videtur effe contra articulum fidei: Credo unam Sanctam Ecclefiam. Ergo pars illa Decreti dicentis, Synodum immediate habere poteftatem a Chrifto, cui &c. magis dicenda eft continere errorem, quam veritatem fidei Catholicæ. Confequentia nota eft; antecedens autem oftenditur ex eo, quod unitas Ecclefiæ attendenda eft neceffario inter alia ex ordine ad unam fupremam poteftatem regitivam refpectu totius boni communis; legitur enim Canticorum IV. de Ecclefia, quod terribilis eft, ut caftrorum acies ordinata in unum, ut deducit S. Thomas in IV. dift. XXIV. oportet effe aliquod univerfale Regimen fuper particularia Regimina; quia in omnibus virtutibus & artibus, ut dicitur in primo Ethicorum, eft ordo fecundum ordinem finium: bonum autem commune eft divinius, quam bonum fpeciale: & ideo fupra poteftatem regitivam, quæ communicat bonum fpeciale, oportet effe poteftatem regitivam univerfalem refpectu boni communis: alias non poffet effe colligatio ad unum. Et ideo cum Ecclefiæ fit unum corpus, primæ Cor. XII. oportet, fi ifta unitas debeat fervari, quod fit aliqua poteftas Regitiva refpectu totius Ecclefiæ fupra poteftatem Epifcopalem, qua unaquæque fpecialis Ecclefia regitur: & hæc eft poteftas Papæ, qui caput eft, & rector totius Ecclefiæ. Unde Gloff. fuper illud Matth. XVI. Tibi dabo claves regni Cœlorum: dicit, quod adeo fpecialiter ligandi & folvendi poteftatem Chriftus Petro conceffit, ut ad unitatem nos invitaret; ideo enim eum Principem Apoftolorum conftituit, ut Ecclefia unum principalem Chrifti Vicarium haberet, ad quem diverfa membra Ecclefiæ recurrerent, fi forte inter fe diffentirent. Quod fi diverfa capita effent in Ecclefia, unitatis vincula rumperentur. Cypr. in Epiftola ad Magnum dicit: "Dominus infinuans nobis unitatem de Divina auctoritate venientem, ponit, & dicit: Ego & Pater unum fumus: ad quam unitatem redigens Ecclefiam fuam, denuo dicit: Et erit unus grex,

grex,& unus Paſtor." Quare Sanctus Thomas tam in IV. diſt. XXIV. quam in Tractatu de erroribus Græcorum, dicit, quod qui hanc ſupremam poteſtatem negant in Romano Pontifice, ſchismatici dicuntur, quaſi diviſores Eccleſiaſticæ unitatis. Sed ponere, quod Synodus univerſalis habeat ſupremam poteſtatem datam a Chriſto immediate, aliam a poteſtate ſuprema Romani Pontificis, eſt unitatem præfatæ Eccleſiæ ſcindere; tum ponendo dualitatem ſupremarum poteſtatum, cui quilibet fidelis teneatur obedire, manifeſte eſt rumpere ordinem, & colligationem totius corporis Eccleſiæ ad unam ſupremam poteſtatem Ducis & Paſtoris totius multitudinis Chriſtianæ. Quocirca Beatus Cyprianus in Epiſtola de unitate Eccleſiæ, ad Novatianum loquens, ita ait: "Quis ergo ſic ſceleratus & perfidus? quis ſic diſcordiæ furore veſanus? ut aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere unitatem Dei, veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti? Monet ipſe in Evangelio ſuo, & docet, dicens: Et erunt unus grex, & unus Paſtor: & eſſe poſſe in uno loco aliquis exiſtimat, aut multos Paſtores, aut greges plures?" Et Beatus Gregorius concordans in Epiſtola ad Ruſticum Monachum, ut habetur in cap. In apibus VII. qu. I. ita dicit: "In apibus Princeps unus, grues unam ſequuntur ordine litterato, Imperator unus, Judex unius provinciæ: Roma autem condita duos fratres ſimul Reges habere non potuit." & cur hæc omnia? Certe quia, ut ait Beatus Auguſtinus in libro primo de nuptiis & concupiſcentia: Natura Principum amat ſingularitatem, & omnis poteſtas impatiens eſt conſortis. XXIII. Qu. VII. Quod autem.

Item arguitur ſic: Nulli congregationi Synodali Eccleſiæ Chriſtus commiſit immediate Regimen omnium fidelium: ergo nulli congregationi Synodali Eccleſiæ Chriſtus dedit poteſtatem immediate, cui omnis fidelis cujuscunque dignitatis exiſtat, obedire teneatur. Conſequentia patet; quoniam auctoritas regendi, & jubendi majorum, eſt tantum reſpectu inferiorum. In majoribus ſiquidem eſt regendi jubendique poteſtas, in minoribus obſequendi neceſſitas, in §. In his omnibus. diſt XXI. Antecedens probatur: quoniam ſoli Petro, & ſolis Succeſſoribus ejus, ait Dominus univerſaliter, & indiſtincte: Paſce oves meas. Joan. XXI. Super quo verbo dicit Theophilus, & habetur in Gloſ. Quod finito prandio, commiſſionem ovium mundi Petro commendat, non alii. Item Chryſoſtomus ſuper eodem verbo, & habetur in eadem Gloſ. ita dicit: "Præteriens alios, ſcilicet Apoſto-
" los, Petro de talibus loquitur: "Eximius
" enim erat Apoſtolorum Petrus, & os
" Diſcipulorum, & vertex Collegii: unde
" & negatione deleta, committit ei Præ-
" lationem Fratrum. Si diligis me, præ-
" ſide fratribus, & ferventem amorem,
" quem per omnia demonſtraſti, & ani-
" mam, quam dixiſti poſiturum te eſſe pro
" me, hanc da pro ovibus meis." Ecce quod uni tantum, ſcilicet Chriſti Vicario, omnium fidelium Regiminis cura committitur. Ecce quod unus tantum totius Chriſtianæ Reipublicæ Princeps a Chriſto conſtituitur: cui ergo dubium, quod ſoli iſti Chriſtus immediate poteſtatem tribuit, cui quilibet fidelis obedire tenetur? Præterea confirmando hanc rationem, ad idem arguitur ſic: Eccleſiæ regimen conſtitutum eſt a Chriſto Monarchicum, ſive regale. Ergo ſuprema poteſtas, & ſupremus principatus, non multitudini alicui, ſed uni tantum in Eccleſia a Chriſto collata eſt. Conſequentia patet, quoniam ut colligitur ex III. Polit. in hoc diſtinguitur Regnum, ſive Principatus Regalis, ab aliis ſpeciebus regiminis, videlicet ab Ariſtocratia, & Democratia, quoniam in Regno principatus & poteſtas ſuprema eſt apud unum: in Ariſtocratia eſt apud paucos: in Democratia vero apud multos. Unde Sanctus Thomas in IV. Sententiarum diſt. XXIV. dicit, quod in Regno tota poteſtatis plenitudo reſidet apud unum: in Ariſtocratia vero non apud unum, ſed apud plures. Antecedens vero patet auctoritate & ratione. Auctoritate patet per illud Iſa. IX. Super ſolium David, & ſuper Regnum ejus ſedebit, Gloſſ. id eſt, Eccleſiam. Præterea ex illo colligitur, quod in Evangelio Eccleſia Regni nomine ſæpe numero deſcribitur, noſtro Salvatore dicente: Simile eſt regnum, &c. Ratione vero probatur ſic, ut Sanctus Thomas probat Lib. IV. contra Gentiles cap. LXXVI. ita enim dicit:
" Nulli dubium eſſe debet, quin regimen
" Eccleſiæ ſit optime ordinatum, utpote per

" per eum dispositum, per quem Reges " regnant, & legum conditores justa de- " cernunt. Optimum autem regimen " multitudinis est, quod regatur per unum: " quod patet ex fine regiminis, qui est " pax; Pax enim & unitas subditorum, " est finis regentis: unitatis autem causa " congruentior est unus, quam multi. " Manifestum est ergo regimen Ecclesiæ " sic esse dispositum, ut unus toti Eccle- " siæ præsit." Hæc Sanctus Thomas. Et notandum, quod hac ratione Sancti Thomæ ostenditur, Ecclesiæ regimen Regale esse, sive Monarchicum, non solum respectu Christi, sed etiam respectu sui Vicarii. Quare Beatus Hieronymus, in Epistola, quam ad Eustochium de regula vivendi in Monasteriis dicitur scripsisse, dicit: Quod piscatori Petro a Christo totius mundi Monarchiæ est traditus Principatus. Item hac ratione Beatus Gelasius in generali Decreto de Ecclesiasticis Statutis ad omnes Episcopos scribens, ait: "Conveniens est, ut totum corpus Ecclesiæ in hac observatione concordet, quam illic vigere videt, ubi Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum." Dicere autem, quod Synodus aliquam habuerit a Christo immediate potestatem supremam, cui quilibet fidelis obedire tenetur, est dicere, quod non in uno, sed in multitudine Christus Ecclesiæ suæ Principatum collocavit. Si quis vero vellet dicere, quod licet regulariter Ecclesiæ Principatus in uno locatus sit, nihilominus tempore Concilii universalis, Principatus Ecclesiæ multitudini committitur: dicendum, quod hoc nullo modo stare potest. Tum primo, quia species regiminis politiæ Ecclesiæ, non immutabilis permaneret, sed multiplicem pateretur varietatem & corruptionem, contra illud Dan. VII. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus non corrumpetur: & Joan. X. Erit unum ovile, & unus Pastor. Tum secundo, quia cum, ut dictum est, Regimen Monarchicum, quo multitudo tota regitur per unum, sit optimum, & species principalior inter omnes species politiæ: si tempore celebrationis Conciliorum, Ecclesiæ regimen a Monarchia transiret in Aristocratiam, vel Democratiam, profecto descenderet a perfectione sua. Tum tertio, quia cum istæ tres species regiminis ex opposito distinguantur, simul esse in uno principatu non possunt, dicente Aristotele III. Politicorum: "Necesse est dominans, aut unum esse, aut paucos, aut multos." Si Synodo existente, Ecclesiæ principatus supremus esset apud multos, necesse est dicere, quod congregata Synodo, & Ecclesia defineret esse Regnum, & Romanus Pontifex defineret esse princeps Ecclesiæ, & plenitudinem habere potestatis: quæ omnia sunt inconvenientissima, & absurda. Præterea, quod pars illa Decreti dicens, Synodum habere potestatem immediate a Christo &c. non sit veritas Fidei Catholicæ, sicut luculenter ostenditur, & præsupponitur imprimis cum Beatissimo Dionysio libro de Ecclesiastica Hierarchia: Quod Ecclesia nostra sit ad modum Hierarchiæ a Christo disposita. Secundo præsupponitur cum eodem, quod Hierarchia nostra formata sit ad exemplar, sive similitudinem Hierarchiæ cælestis; unde etiam Moysi a Domino dictum est, Exod. XXV. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Præterea Sanctus Joannes dicit Apoc. XXI. Se vidisse civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de cælo, scilicet exemplariter, ut Doctores exponunt. Quare Beatus Ambrosius dicit: Quod Ecclesia est imago cælestium. Et Beatus Bernardus Lib. III. ad Eugenium Papam, clarissime inducit. Sed sic est, quod in Angelica Hierarchia nulla potestas ad actus hierarchicos perficiendos tribuitur desuper a Deo personæ, aut ordini, aut toti Hierarchiæ, quæ non tribuatur mediante primo illius Hierarchiæ, ut patet ex ipsa doctrina Beati Dionysii. Ait enim: "Ecclesiæ Hierarchiæ Lex Divinitatis sanctissima est per prima media in Divinissimam reducere lucem, ergo pari modo nulla potestas a Christo, ipsi Ecclesiasticæ Hierarchiæ, aut universali Concilio illam repræsentanti tribuitur, quæ non conferatur mediante Romano Pontifice, qui est Hierarcha, & primus in tota Hierarchia. Quare manifestum videtur, quod cum veritate Catholicæ Fidei, tam ex Scriptura Sancta, quam ex Sanctorum Patrum traditione habemus, quod Romanus Pontifex Caput sit Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, & Hierarcha Ecclesiasticæ Hierarchiæ; & cum nostra Hierarchia ad similitudinem &

& exemplar cæleſtis formata ſit, non poſſit ſtare, quod exiſtente unico & indubitato Rom. Pontifice in Eccleſia Concilium univerſale habeat poteſtatem a Chriſto immediate, cui quilibet fidelis, cujuscumque dignitatis exſiſtat, obedire teneatur. Amplius hoc idem ſic probatur. Nihil quod in auctoritate ſua dependet immediate ab auctoritate Apoſtolicæ Sedis, eſt dicendum, habere immediate poteſtatem a Chriſto, cui etiam Papa obedire tenetur: ſed auctoritas univerſalium Conciliorum dependet immediate ab auctoritate Apoſtolicæ Sedis: Ergo Concilia univerſalia non ſunt dicenda immediate a Chriſto poteſtatem habere, cui, &c. Conſequentia patet: Major nota ex terminis eſt; Minor patet ex diſt. XVII. per totum: unde in cap. Regula, dicitur, quod nec ullum eſt ratum, aut unquam erit Concilium, quod Romanæ Eccleſiæ non fuerit auctoritate fulcitum. Et quod hæc dependentia non ſolum accipienda ſit reſpectu convocationis, aut congregationis Conciliorum, ſicut quidam dicere voluerunt, ſed etiam quantum ad robur & firmitatem omnium actitatorum in eisdem, patet ex cap. Confidimus. XXV. quæſt. I. ubi Gelaſius Papa, Apoſtolicam Sedem, unamquamque Synodum dicit ſua auctoritate confirmare; & extra de Elect. in cap. Significaſti, dicit Paſchalis Papa, quod omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſunt, & robur acceperunt. Ecce quam clare loquitur text. iſte, quod per Papam, & per conſequens non immediate a Chriſto, Concilia ipſa univerſalia robur accipiant. Ex quibus omnibus ſic breviter & luculenter demonſtratur, quod declaratio illa Conſtantiæ facta, dicens, quod Synodus univerſalis immediate habeat a Chriſto poteſtatem; non contineat veritatem Fidei Catholicæ. Jam ad auctoritates & rationes accedamus, per quas Dominus arguens pro parte adverſa, nixus eſt probare declarationem præfatam veram eſſe. Verum quia in hac argumentationis parte, principalior articulus reſidet præſentis difficultatis, & examinis; tria præmittam per ordinem circa hunc articulum, antequam præfatis inductis auctoritatibus & rationibus formaliter reſpondeatur. Primo quidem oſtendam, quod id, quod præſuppoſuit præfatus Dominus, videlicet, quod Apoſtoli alii, a Petro receperunt immediate a Chriſto poteſtatem jurisdictionis, non ſit uſquequaque probabile. Secundo oſtendam, quod dato, quod hoc eſſet verum de Apoſtolis, non tamen ita eſſet dicendum de Epiſcopis, & Curatis, videlicet, quod ſuſcipiant poteſtatem jurisdictionis immediate a Chriſto. Tertio oſtendam, quod dato, quod hoc etiam eſſet verum, non probatur, aut ſequitur ex hoc, quod ſit veritas Catholicæ Fidei, quod Synodus univerſalis habeat poteſtatem immediate a Chriſto, cui quilibet fidelis obedire tenetur. Primum vero, quod Apoſtoli alii a Petro, non immediate poteſtatem jurisdictionis acceperunt, auctoritate & ratione multipliciter declaratur. Auctoritate primo Beati Anacleti, qui ut habetur in cap. Sacroſancta. Diſt. XXII. dicit: "Inter Apoſtolos quædam fuit diſcretio: & licet omnes Apoſtoli eſſent, Petro tamen a Domino conceſſum eſt, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, Caput, & Principatum teneret Apoſtolatus." Cum autem nomine capitis & principii, origo deſignatur poteſtatis, non videtur poſſe dici Beatus Petrus caput, & principium tenere Apoſtolatus, niſi ab eo poteſtas derivaretur jurisdictionis in Apoſtolos cæteros. Secunda auctoritas eſt Beati Cypriani in Epiſtola, quæ de unitate Eccleſiæ inſcribitur ad Novatianum, & habetur in cap. Loquitur Dominus, XXIV. Quæſt. I. "Loquitur Dominus ad Petrum: " Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & " ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam " meam: ſuper unum ædificat Eccleſiam: " & quamvis Apoſtolis omnibus poſt Re" ſurrectionem ſuam, parem, id eſt, com" munem poteſtatem tribuat, & dicat: " Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos: " Accipite Spiritum Sanctum; tamen ut " unitatem manifeſtaret, unitatis ejusdem " originem ab uno incipientem ſua au" ctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique " cæteri Apoſtoli, quod Petrus: pari " conſortio præditi & honoris, & pote" ſtatis: (Gloſſ. in ordine & dignitate " conſecrationis, non in adminiſtrationis " plenitudine) ſed exordium ab unitate " proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una " eſſe demonſtretur." Hæc Cyprianus. Ubi cum ait, quod Chriſtus ut Eccleſiæ uni-

unitatem manifeſtaret, poteſtatis originem ab uno incipientem diſpoſuerit, manifeſte dat intelligi, quod ſolus unus, ſcilicet Petrus, ſuper quem unum fundatam dicit Eccleſiam, a Chriſto immediate poteſtatem ſuſceperit jurisdictionis, alii vero Apoſtoli mediante ipſo Petro: plane ut videtur, ſi immediate omnes Apoſtoli poteſtatem jurisdictionis recepiſſent a Chriſto, origo poteſtatis non incepiſſet in Eccleſia ab uno Apoſtolorum, cum data fuiſſet ſimul, & immediate omnibus. Tertia auctoritas eſt Beatiſſimi Auguſtini, qui ſuper Joan. Homil. CXIV. dicit ſic: "Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat Figuratam generalitate Eccleſiæ perſonam. Quod enim ad ipſum proprium pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt: Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris, &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam." Et infra: "Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ſolvendi, ligandique peccata. "Sed videtur, quod hoc quod ſoli Petro attribuitur, ratione primatus non eſſet verum, ſi alii Apoſtoli cum Petro immediate poteſtatem jurisdictionis recepiſſent a Chriſto; Quia dato illo, Eccleſia non in ſolo Petro, ſed etiam in aliis Apoſtolis claves recepiſſe diceretur.

Quarta auctoritas eſt Beatiſſimi Leonis, qui (ut habetur in cap. Ita Dominus, diſt. XIX.) ita dicit: "Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in Beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet: ut extorrem ſe miniſterii intelligeret eſſe Divini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere.

Quinta auctoritas eſt ejusdem in ſermone tertio ordinationis ſuæ, ita dicentis: "Multo dignius ad Beatiſſimi Petri gloriam contemplandam, aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potiſſimum veneratione celebrare, qui ab ipſo omni charismatum fonte, ita copioſis eſt irrigationibus inundatus, ut cum multa ſolus acceperit, nihil in quemquam ſine ejus participatione tranſierit. Et infra: De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi ſint Sacerdotes, multique Paſtores; omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus: magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit Divina dignatio, & ſi quid cum eo commune ceteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum, dedit, quidquid aliis non negavit." Ecce quam clara luce Leo iſte, irrefragabilis auctoritatis inter Patres Eccleſiæ, dicit, quod quidquid commune Chriſtus cum Petro ceteris voluit eſſe Principibus, videlicet Apoſtolis, nonniſi per Petrum dedit: quid donabile eſſet, per hominem aliis non negavit: & ita manifeſte habetur, quod cæteri Apoſtoli non immediate a Chriſto jurisdictionem acceperunt, ſed mediante Petro Beatiſſimo Apoſtolo eorum Principe. Conſequenter hoc idem ratione probatur, & primo ſic: Ab eo, a quo quis non habet ſubditum, ab illo non habet aliquam poteſtatem jurisdictionis: ſed alii Apoſtoli non habuerunt immediate ſubditos a Chriſto: ergo ipſi non habuerunt poteſtatem jurisdictionis immediate a Chriſto. Conſequentia patet. Major etiam: cum nullus ligare, aut abſolvere poſſit, niſi ſubditum; cum a non ſuo judice ligari nullus valeat, nec abſolvi, de pœnit. & remiſſionibus, cap. Omnis. Nam poteſtas jurisdictionis, qua aliquis poteſt abſolvere & ligare, dicitur relative ad ſubditum. Relativa autem, ut habet doctrina Ariſtotelis in prædicamentis, poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt. Unde ſicut, ſi non eſt ſervus, non eſt Dominus, propter quod (ſecundum Auguſtin. lib. de Trinitate) Deus non fuit Dominus quouſque habuit creaturam ſuam; ita ſi non eſt ſubditus, non eſt Prælatus, nec judex, qui poſſit eum judicare. Rom. XIV. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? ſuo Domino aut ſtat, aut cadit.* Minor vero probatur, quia ſi Chriſtus dediſſet aliis a Petro ſubditos, aut omnes dediſſet, aut aliquos; non eſt dicendum primum, quod dediſſet omnes, tum quia (ut dictum eſt) pluralitas principa-

cipatuum non eſt bona, ut dicitur XII. Metaphyſices: & ideo ſic concluditur ibidem, unus ergo Princeps. Tum ſecundo, quia tunc ovile Chriſti non eſſet unum, nec unus ovium Paſtor, ſed plures, contra illud Joan. X. Erit unum ovile, & unus Paſtor. Præterea ſecundum non eſt dicendum; cum nullibi legatur Chriſtum Apoſtolis populos immediate diviſiſſe, nec facile eſt fingere quos ſ. ſubditos, quibus ſ. prælatis ſubjecerit. Item ſecundo, ratione arguitur ſic: Si Chriſtus dediſſet Apoſtolis immediate poteſtatem jurisdictionis, aut dediſſet plenam & omnimodam ſicut Petro, aut particulariter limitatam, aut coarctatam: ſed neutram, ergo nullam. Conſequentia bona. Major patet ex ſufficienti diviſione. Minor quoad primam partem patet. Primo quia, ut dicit Beatus Cyrillus in libro Theſaurorum, nulli alii, quam Petro Chriſtus, quod ſuum eſt, plenum commiſit, ſed ipſi ſoli dedit. Secundo, quoniam ſi aliis Apoſtolis data fuiſſet poteſtas in ea plenitudine, qua Petro data eſt, Petrus nec major, nec ſuperior, nec Princeps, nec caput fuiſſet Apoſtolorum: ſed omnes jurisdictionis auctoritate pares fuiſſent: quod eſt erroneum. Ut enim Sanctus Anacletus inquit, in cap. Sacroſancta. diſt. XXII. Inter Apoſtolos quædam fuit diſcretio; licet enim omnes Apoſtoli eſſent, Petro tamen a Domino conceſſum eſt, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, Caput, & principatum teneret Apoſtolatus. Secunda vero pars minoris quæ dicit, quod etiam Chriſtus non dedit Apoſtolis poteſtatem aliquam limitatam, & coarctatam, patet: quoniam nullibi in Evangeliis Chriſtus legitur aliquam talem poteſtatis limitationem Apoſtolis indulſiſſe; nec poſſibile eſt fingere certitudinem talis limitationis. De talibus autem, quæ facta eſſe dicuntur, maxime circa Apoſtolos, de clavibus Eccleſiæ, nihil videtur aſſerendum, quod de ſcripturis ſanctis non habeat teſtimonium explicite vel implicite, quod in hac parte non datur. Et hoc de primo puncto brevitatis cauſa ſufficiat: in quo oſtendendum erat, non eſſe uſquequaque probabile, Apoſtolos alios a Petro, poteſtatem jurisdictionis immediate ſuſcepiſſe a Chriſto.

Reliquum eſt jam oſtendere ſecundum. Quod dato, quod Apoſtoli immediate a Chriſto poteſtatem jurisdictionis, ſicut ordinis receperint, non tamen concedendum ſit, ſed omnino negandum, quod alii Prælati Eccleſiæ, nunc ſuſcipiant poteſtatem jurisdictionis a Chriſto immediate; non enim ſequitur: Apoſtoli, qui primi fuerunt lapides ædificii Eccleſiæ, habuerunt immediate poteſtatem a Chriſto; ergo & alii Prælati Succeſſores illorum, nunc ab ipſo immediate ſuſcipiunt. Sicut exempla riter non ſequitur: ſi Deus inſtitutione mundi immediate fecit cœlos, & Elementa, & alias partes principales mundi, ſicut prima individua ſpecierum; quod in propagatione rerum inſtitutarum illa fiant immediate a Deo, quæ fuerunt ſecundum ſpeciem facta immediate in mundi conſtitutione. Immo fiunt multa mediante virtute cœleſti, & mediantibus aliis cauſis ſecundis: ſol enim & homo generant hominem, dicit Ariſt. II. Phyſ. Quod autem Prælati Eccleſiæ non immediate a Chriſto poteſtatem ſuſcipiant jurisdictionis, ſed mediante Romano Pontifice, ejus Generali Vicario, multipliciter oſtenditur. Et primo quidem hoc manifeſtum redditur omnibus illis auctoritatibus, & rationibus ſuperius inductis, quibus oſtenſum eſt, Apoſtolos non a Chriſto immediate, ſed mediante Petro Eccleſiæ Principe ab eo conſtituto, poteſtatem jurisdictionis ſuſcepiſſe: cum eam habitudinem, quam habuit Petrus, poſtquam fuit Papa ad Apoſtolos & primitivam Eccleſiam, habeat Papa ad omnes Prælatos Eccleſiæ & ad omnes Eccleſias: cum ſuccedat Petro in eadem plenitudine poteſtatis. Quod probatum eſt de Petro reſpectu Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti, probatum relinquitur de quolibet Succeſſore ſuo legitimo Rom. Pontif. reſpectu omnium Prælatorum Eccleſiæ. Præterea in ſpeciali, auctoritate videtur oſtendi manifeſte, primo per illud, quod habetur in cap. Omnes, diſt. XXII. ubi ſic dicit Nicolaus Papa: Omnes ſive Patriarchæ cujuslibet apicem, ſive Metropol. Primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum, ſive cujuscunque ordinis dignitatem inſtituit Romana Eccleſia. Ad idem ſecundo eſt Auctoritas Beati Clementis, qui, ut habetur in cap. In illis. diſt. LXXX. dicit: quod in illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos

nicos primi flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates atque Patriarchas, Beatus Petrus poni præcepit, qui reliquorum Episcoporum caufas & majora negotia in fide, id eft, fideliter (ut ait Gloffa) agitarent: in illis autem, in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines; quos tamen minores effe tenebant, quam memoratos Primates, Archi-Epifcopos inftitui præcepit. In fingulis vero reliquis civitatibus fingulos, & non plures Epifcopos conftitui præcepit, qui Epifcoporum tantum vocabula fortirentur: quoniam nec inter ipfos Apoftolos par fuit inftitutio, fed unus præfuit omnibus. Manifeftum eft autem, quod hæc fundamentalis dependentia, dignitatis, ordinis, & gradus cæterarum Ecclefiarum, ab Ecclefia Romana intelligi fane non poffit, nifi per hoc, quod cæterarum jurisdictionis auctoritas intelligatur ab Apoftolica Sede derivata. Quare Sanctus Thomas in fine fecundi Sententiarum dicit: Quod ficut fe habet poteftas Dei ad omnem poteftatem creatam, fic etiam fe habet poteftas Imperatoris ad poteftatem Proconfulis, fic fe habet poteftas Papæ ad omnem poteftatem in Ecclefia. Quia ab ipfo Papa gradus dignitatum diverfi in Ecclefia difponuntur & ordinantur: unde ejus poteftas eft quoddam Ecclefiæ fundamentum, ut patet Matth. XVI. Hæc Sanctus Thomas. Tertio auctoritate hoc ipfum oftenditur, per illud quod habetur in cap. Decreto. II. Quæft. VII. ubi Beatus Gregorius ita dicit: "Quod Sancta Romana Ecclefia vices fuas ita aliis impartitur Ecclefiis, ut in partem fint vocatæ folicitudinis, non in plenitudinem poteftatis." Item eadem fententia ponitur in cap. Sequ. ubi Vigilius Papa ita dicit: "Ecclefia Romana, quæ prima eft, ita reliquis Ecclefiis vices fuas credidit largiendas, ut in partem fint vocatæ folicitudinis, non in plenitudinem poteftatis." Præterea hoc idem ratione probatur fic: In omni principatu poteftas jurisdictionis derivatur ad quamcumque perfonam illius principatus a Monarcha, five Principe illius Principatus: fed Papa eft Princeps, five Monarcha in facro Ecclefiæ Principatu: ergo fequitur, quod poteftas jurisdictionis omnium inferiorum Prælatorum derivatur a Papa. Confequentia bona: Major patet ex fententia Dionyfii, qui tam in Ecclef. quam cælefti Hierarchia docet, ab ipfo Hierarcha ad omnes Hierarchiæ perfonas defcendere irradiationis profluxum. Minor vero, quod folus Papa fit Princeps & Monarcha totius Ecclefiaftici Principatus, fuperius inductis auctoritatibus oftenfum eft; in quibus Sancti Patres ipfum, & Eccefiæ totius Principem, & Caput prædicant, & atteftantur. Dicit etiam Chryfoft. fuper Actus Apoftolorum: Quod Petrus a filio fuper omnes, qui filii funt, accepit poteftatem, non ut Moyfes in gente una, fed in univerfo orbe: & Theophyl. fuper illud Lucæ XXII. Tu aliquando converfus confirma fratres tuos; dicit, quod Petrus obtinuit, ut effet Antiftes mundi. Item in Ecclefiaftico Officio legitur ei Chriftus dixiffe: Super plebem meam Principem te conftitui. Præterea fecundo fic confirmatur idem ratione, & primo: In unoquoque ordine, in quo maxime refidet plenitudo virtutis, five poteftatis, originaliter dependet virtus omnium fequentium in illo ordine. Sed Romanus Pont. eft primus in ordine Prælatorum Ecclefiæ, & in quo folo refidet plenitudo Ecclefiafticæ poteftatis; Ergo fequitur, quod poteftas omnium fequentium Prælatorum Ecclefiæ, dependeat, & derivetur ab ipfo Romano Pontifice. Confequentia eft bona; Major colligitur ex Sententia Arift. II. Metaph. Minor eft Canon Concilii Conftantinopolitani, dicentis: "Veneramur fecundum Scripturas, & Canonum diffinitiones, Sanctiffimum antiquæ Romæ Epifcopum primum effe, & maximum omnium Epifcoporum." Item in Concilio Chalcedonenfi acclamatum legitur a tota Synodo Papæ Leoni: "Leo Sanctiffimus Apoftolicus, & Oecumenicus, & univerfalis Patriarcha, per multos annos vivat." Confirmatur hoc argumentum per illud Beati Ifidori, qui, ut dicitur in cap. In novo. dift. XXI. ita dicit: In novo teftamento poft Chriftum Dominum a Petro cœpit Sacerdotalis Ordo: & caufam fubjungens, ait: Quia ipfi primo Pontificatus in Ecclefia datus eft, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus, & fuper hanc Petram ædificabo Ecclefiam meam. Item tertio fic idem confirmando: Inter habentia ordinem fecundum influentiam, omnia, quæ

aliis influunt, virtutem influendi recipiunt a primo illius ordinis; sed ordo, qui est inter Romanam Ecclesiam, & alias Ecclesias; sive inter Romanum Pontificem, & Prælatos cæteros; est secundum influentiam, prout unus movet alium ad actus hierarchicos; ergo potestas jurisdictionis omnium Prælatorum Ecclesiæ derivatur a Romano Pontifice. Consequentia est bona: Major patet ex commento primæ propositionis de causis. Causa enim secunda virtutem causandi habet a prima. Minor vero patet auctoritate Beatissimi Cypriani, qui ut in cap. Loquitur. XXIV. Quæst. I. Ecclesias particulares ad Ecclesiam Romanam comparat, sicut radios ad solem, fluvios ad fontem, sicut ramos ad radicem. Quare dicit Petrus Ravennas, quod stipiti rami, quod Capiti membra, quod soli radii, quod fonti rivuli, hoc Apostolicæ Sedis reverentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas ubique terrarum Religio Christiana fundavit. Quarto sic confirmatur eadem ratio: Omnia membra a capite accipiunt immediate derivationem virtutis, sensus, & motus sui regiminis, sed Ecclesia Romana est Caput cæterarum Ecclesiarum: Ergo cæteræ Ecclesiæ, & earum Prælati, potestatis suæ originem suscipiunt a Romana Ecclesia, sive a Rom. Pontifice. Consequentia est bona: Major patet, quoniam, ut superius habitum est ex sententia Isidori, ex eo datum est Capiti hoc nomen, quod sensus omnes & nervi inde initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oriatur. Minor vero ponitur in cap. Sacrosancta. dist. XXII. ubi Sanctus Anacletus ait: Quod Apostolica Sedes (Caput & cardo scilicet omnium Ecclesiarum) est a Domino, & non ab alio constituta: & sicut cardine ostium regitur, sic hujusmodi Apostolicæ Sedis auctoritate, omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur. Quinto sic: quilibet fidelis tenetur credere unam esse Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sed ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnium Prælatorum potestas jurisdictionis derivetur a Romano Pontifice; Ergo necesse est, quod quilibet fidelis hoc credat & teneat. Consequentia bona: Major patet, cum sit Articulus fidei, & dicatur Canticorum VI. Una est columba mea, una est perfecta. Dicit Glossa: id est, Ecclesia. Minor probatur: quoniam unitas Ecclesiæ, ut habetur a Beato Cypriano in Epistola de unitate Ecclesiæ, & habetur in cap. Loquitur. XXIV. quæst. I. necessario attenditur in ordine ad unam fontalem originem totius potestatis Ecclesiasticæ, quam esse dicit Apostolicam Sedem, sive Romanum Pontificem, super quem fundatam esse, dicit Ecclesiam. Unde ait: Ecclesia Dei luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit: unum tamen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; radios suos per universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largitur rivos, latius expandit; unum tamen caput est, & una origo, & una mater fecunditatis copiosa. Hæc ille. Item Sanctus Thomas contra gentes Lib. IV. cap. LXXVI. dicit: Soli Petro promisit: Tibi dabo claves Regni cælorum: ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Ex quibus manifeste colligitur, pertinere ad unitatem Ecclesiæ, quod a Romano Pontifice omnium aliorum Prælatorum derivetur auctoritas: quæ erat minor probanda.

Sexto arguitur confirmando præcedentem rationem sic: teste Beato Dionysio, X. cælestis Hierarchiæ, omnes Hierarchiæ sunt etiam connexæ, & ordines ipsi cujuslibet Hierarchiæ sunt etiam connexi. Hæc autem connexio, secundum ejusdem Divini Doctoris doctrinam, ut Sanctus Thomas & Albertus declarant, non tantum attenditur per relationem ad unum ultimum finem, secundum quem omnis Hierarchiæ finis est similitudo, & unitas ad Deum; sed secundum ea, quæ sunt de essentia Hierarchiæ, scilicet secundum ordinem, scientiam, & actionem. Secundum ordinem quidem, in quantum in omnibus Hierarchiis invenitur distinctio per primum, medium, & ultimum. Secundum scientiam vero, in quantum irradiatio extenditur, procedendo a primo usque ad ultimos. Secundum actionem autem, in quantum primi habent actionem Hierarchicam in medios, & per medium in ultimos; Sed Ecclesia nostra a Deo est ad instar Hierarchiæ disposita, & formata; Ergo necesse est, nisi Hierarchiam nostram inconvenientissime asserere inconnexam vellemus, potestatem Eccle-

ecclesiasticam a primo nostræ Hierarchiæ, qui est Romanus Pontif., in omnes inferiores procedere, & derivari. Processus patet. Hujus autem connexionis Hierarchiæ nostræ duo sunt evidentissima testimonia: primum est, quod qui a Beati Petri societate, & connexione Apostolicæ Sedis segregatur, non potest absolvi a peccatis. Secundum est, quod talis existens, si Prælatus sit, ipsa potestate Ecclesiastica denudatur. De primo habetur in gloss. Matth. XVI. quod Petrus ideo specialiter claves Regni cælorum, & principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei, & societate Petri, quovis modo segregantur, nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam Regni cælestis ingredi possunt. De secundo habetur in cap. Factus, & in cap. Novatianus. VII. quæst. I. & in cap. Dicimus. XXIV. quæst. I. quæ omnia sunt Beatissimi Cypriani testimonia. Supersedeo autem multis aliis, quæ induci possent, maxime ex institutionibus, confirmationibus, mutationibus, translationibus, & depositionibus, quas circa Ecclesias, & earum Prælatos, Sedes Apostolica jure ordinario facere solita est, quas facere minime liceret, nisi earum jurisdictionis auctoritas ab ipsa Apostolica Sede, modo supradicto dependeret: quod pro observanda brevitate sermonis, tantum de isto secundo puncto dixisse sufficiat.

Duobus jam punctis luculenter expressis, venio ad tertium, in quo dicendum institui, quod etiam dato, licet non concesso, quod præsuppositum, & fundamentum Reverendissimi Patris Domini arguentis verum esset, videlicet, quod Ecclesiæ Prælati potestatem jurisdictionis a Christo immediate reciperent, sicut Papa, non tamen ex hoc habetur, quod Decretum præfatum Constantiense in illa parte contineat veritatem fidei Catholicæ; Primo, quia dato, quod quilibet Apostolorum, & nunc quilibet Ecclesiæ Prælatus, potestatem jurisdictionis immediate a Christo habuisset, non tamen ex hoc habetur, quod tota Ecclesiæ communitas collegialiter talem a Christo potestatem immediate accepisset. Secundo dato, quod Apostoli tunc, & nunc Ecclesiæ Prælati immediate a Christo potestatem suscepissent, non habetur, quod Decretum illud Constantiense contineat veritatem, dicens, quod Concilium universale habet potestatem immediate a Christo, cui etiam Papa obedire tenetur. Qui enim Apostolos dicit cum Petro, & Prælatos cæteros cum Papa a Christo immediate jurisdictionis potestatem suscipere, debet animadvertere, si errorem Indorum & Armenorum, & quondam Græcorum, Valdensium, pauperum de Lugduno, & novissime Bohemorum vitare vult; quod non æqualem omnes Apostoli cum Petro, nec Prælati cum ejus Successore Romano Pontifice, suscipiunt potestatem. Solus quidem Papa inter eos tamquam caput totius corporis Ecclesiæ suscipit: & ideo ipse solus in toto corpore Ecclesiæ plenitudinem potestatis accepit; cæteris, ut supra habitum est, in partem tantum sollicitudinis evocatis, ut ait Beatus Gregorius in cap. Decreto. II. quæst. VII. In cujus testimonium, cum soli Petro potestas a Christo promittitur, dicitur: Tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Matth. XVI. Cum Apostolis vero alia forma servatur, dicitur enim: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo. In cœlo uno dicit, non in cœlis sicut Petro dixerat, ait Origines, & inducitur in Glossa continua: quia non sunt tantæ perfectionis sicut Petrus: Quare sicut in corpore naturali, cui Apostolus ipsum Ecclesiæ corpus simile esse dicit, ad Rom. XII. nulla aliorum membrorum multitudo adæquat virtutem capitis; etiam si mille manus, mille pedes, mille oculi, & sic de aliis particularibus membris, in corpore aggregarentur. Ita in corpore mystico Ecclesiæ nulla membrorum Ecclesiæ multitudo adæquare potest virtutem, & amplitudinem potestatis capitis Ecclesiæ, scilicet Romani Pontificis. Quo ergo jure Prælati Ecclesiæ congregati, majores potestate, aut superiores Romano Pont. Capite & Principe totius Ecclesiæ, dicendi sint, non invenio. Quo circa inter veritates Catholicæ fidei, nullo modo annumerandum venit, nisi aliunde apertiori testimonio Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum fuerit roboratum.

ratum. Dicit enim Hieronymus ad Demetriadem Virginem : Quod de Scripturis Sanctis Auctoritate non habetur, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Tribus jam punctis breviter expeditis, venio quarto loco ad respondendum auctoritatibus, & rationibus inductis per Patrem & Dominum arguentem; pro hac parte Decreti Constantiensis, quæ dicit, quod Concilium universale potestatem habet immediate a Christo, cui &c. Prima auctoritas inducta fuit illa Matth. XVI. ubi Christus ait : Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum &c. Sequitur: Si te non audierit, dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus : Quod per Ly Ecclesiam, non solus Prælatus, sed Ecclesia ipsa universalis accipienda sit, patet per Glo. ordinariam, quæ in eo loco sic habet : Vel dic Ecclesiæ, id est, toti Ecclesiæ. Ad istam auctoritatem, in qua maxime adversa pars fundamentum facere videtur, responsurus, duo faciam. Primo ostendam, quod in auctoritate Christi per Ecclesiam, cui tanquam judici, fratris nostri peccatum post admonitionem denuntiari præcipitur, ex sensu litterali, non universalis Ecclesia, nec Concilium universale, sed prælatus intelligendus sit. Secundo ostendam, quod dato, quod quandoque ad Concilium universale auctoritas illa per aliquos applicetur ; ex hoc tamen nulla superioritas in Concilio arguitur supra Papam. Primum autem, videlicet, quod in dicta auctoritate, per Ecclesiam, cui tamquam judici, delinquentis fratris peccatum denunciari præcipitur, non sit accipienda ex ipsa principali intentione Legislatoris, universalis Ecclesia, nec dispersa per orbem, nec conciliariter congregata, clarissime ostenditur ; supposito primo cum omnibus Doctoribus Sacræ Scripturæ, quod correctio fraterna, de qua in præfata auctoritate a Christo datur generalis doctrina, cadat sub præcepto. Quo præsupposito, clarissimum est primo, auctoritatem prædictam de Ecclesia universali per orbem dispersa, non posse accipi ex ipsa impossibilitate adimplendi. Ait enim Hieronymus : Anathema sit, qui Deum dixerit aliquod impossibile præcepisse. Secundo, hoc idem patet de Ecclesia conciliariter congregata, tum ex ipsa raritate Conciliorum universalium ; tum ex eo, quòd Synodorum congregandarum auctoritas, non in cujuslibet est potestate, sed solum Romani Pontificis, ut distinctione decima septima habetur : tum propter ipsam oneris insupportabilem gravitatem, qua populus Christianus gravaretur, si pro adimplendo præcepto de correctione fraterna, teneretur venire ad Concilium universale, etiam actu congregatum. Tanta autem gravitas repugnat suavitati Legis Christi, qui ait Deuteronom. XXX. " Mandatum hoc, " quod ego præcipio tibi hodie, non est " supra te, nec procul positum, nec in " cœlo situm, ut possis dicere, quis " nostrum ad cœlum valet conscendere, " ut deferat illud ad nos, ut audiamus, " & opere compleamus ? neque trans " mare positum, ut causeris, & dicas, " quis ex nobis transfretare poterit, & " illud ad nos deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est ? " sed juxta te est valde." Gloss. interlin. Mandata Dei moderata & temperata sunt humanis viribus: & Matth. II. dicit ipse Legislator : Jugum enim meum suave est: & onus meum leve. Plane non leve esset præceptum Domini de correctione fraterna, si fidelis quilibet id adimpleturus, ad universale Concilium actu exsistens venire esset obnoxius, ad quod procul dubio obnoxius esset, si per Ecclesiam, cui denunciandum est delinquentis fratris peccatum, non Prælatus, sed Synodus universalis ex ipsa intentione litteralis sensus accipienda veniret. Quare manifestum videtur, non esse de intentione Legislatoris Salvatoris nostri Dei, per Ecclesiam in prædicta auctoritate, designari universalem Ecclesiam, nec Concilium universale; sed Prælatum præsidentem, secundum eum intelligendi modum, quo Philosophus IX. Ethicorum dicit, quod civitas est id, quod principale est in ea. Quod etiam multiplici testimonio roboratur. Primo ex eo manifeste colligitur, quod Christus non universali Ecclesiæ, nec alicui Synodo universali, sed tantum Apostolis ipsis, & eorum Successoribus Ecclesiæ Prælatis ait : Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata

ligata & in cælo : ubi gloſſ. Hieronymi ait : Hanc poteſtatem tribuit Apoſtolis. Secundo patet ex gloſſ. Origenis, qui, ut habetur in gloſſ. continua ponderans illud: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, non dixit in cælis, ſicut Petro, ſed in cælo uno, quia non ſunt tantæ perfectionis, ſicut Petrus. Tertio patet ex auctoritate Beatiſſimi Chryſoſtomi, qui ſuper Matthæum, ut habetur in gloſſ. continua, exponit : Dic Eccleſiæ: id eſt, his, qui Eccleſiæ præſunt. Quarto auctoritate Beati Thomæ, qui & in quarto diſt. XIX. & in Secunda II. quæſt. XXXIV. in materia de correctione fraterna exponit: Dic Eccleſiæ, id eſt, Prælato in judicio præſidenti. Quinto auctoritate Alberti Magni ſuper Matth. qui ait ſic in forma: Dic Eccleſiæ, hoc eſt, Prælato in Conventu, & Synodo; ita quod Ly, Synodo, ſicut Ly, Conventu, in ablativo ponitur. Unde ſubjungit: Si Eccleſiam non audierit, ut ſecundum arbitrium Prælati corrigatur, ſit tibi quaſi Ethnicus & Publicanus. Sexto, ad idem eſt Dominus Hugo Cardinalis, primus Poſtillator Bibliæ, qui juxta duas gloſſ., quæ ponuntur in gloſſ. continua, quarum una dicit: Dic Eccleſiæ, id eſt, his, qui Eccleſiæ præſident: & alia dicit, dic Eccleſiæ, id eſt, toti Eccleſiæ, ut majorem erubeſcentiam habeat, dicit ſuper Matth. ſic: Si privata perſona corrigit, ſic exponendum eſt, dic Eccleſiæ, id eſt, coram Prælato Eccleſiæ eum convince per teſtes, quos noluit audire corripientes, & hoc juxta primam gloſſ., ſi vero Prælatus corripit, ſenſus eſt: Dic Eccleſiæ, id eſt, coram Eccleſia illum excommunica, id eſt, coram congregatione Fidelium. Eandem ſententiam perſequitur Magiſter Nicolaus Gorram ſuper Matth. Septimo ad idem communis eſt expoſitor litteralis Magiſter Nicolaus de Lyra: qui expoſuit ſuper Matth. Dic Eccleſiæ, id eſt, Prælato. Octavo ad idem eſt gloſſa Decret. in cap. Si peccaverit. II. q. I. quæ eum ſimiliter exponit: Dic Eccleſiæ, id eſt, Sacerdoti. Nono patet teſtimonio Innocentii Papæ, qui in cap. Novit. extra de judiciis, de Paſtore, & Prælato univerſalis Eccleſiæ, ſcilicet de Romano Pontifice illam exponit. Decimo patet ex practica & conſuetudine obſervata a Sanctis, & ab univerſitate fidelium, & ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio. Manifeſtum eſt autem, quod practica obſervata in Eccleſia Dei circa obſervantiam præcepti de correctione fraterna ſemper fuit, & eſt, denuntiare Prælato, & non univerſali Eccleſiæ, ſive diſperſæ, ſive congregatæ, fratris errantis peccatum. Cum ergo conſuetudo obſervantiæ ſit interpres legis, & ut dicit Auguſtinus libro de Mendacio, ex factis Sanctorum colligamus, quid in ſcripturis ſentire debeamus: manifeſtum eſt, quod verus ac proprius, ac principalis intellectus præfatæ auctoritatis ſit, & per Ly, Eccleſia, cui tamquam judici denunciatio fienda eſt, Prælatus Eccleſiæ intelligendus veniat, & non univerſalis Eccleſiæ Synodus. Ad argumentum autem, quod quidam Profeſſores adverſæ partis contra hoc faciunt : videlicet, quod cum Chriſtus in hoc loco Petro loqueretur, qui futurus erat Prælatus Eccleſiæ, & nemo remittatur ad ſe ipſum per Eccleſiam, cum dicitur, dic Eccleſiæ, non intelligendus ſit Prælatus, ſed univerſalis Eccleſia eo modo, quo haberi poteſt, ſcilicet Synodaliter congregata, reſponſio eſt manifeſta. Dicitur enim primo, quod hæc doctrina data a Chriſto de correctione fraterna, generalis eſt, omnes fideles reſpiciens, & non ſolum Petrum, licet ad ipſum ſpecialiter vice omnium directus ſit ſermo Domini, in ſignum principatus ſui ſuper alios. Et ita Chriſtus tam ſubditos, quam Prælatos, ad obſervantiam hujuſmodi præcepti obligare voluit. Verum, ut ſuperius commemoratum eſt, ex ſententia Domini Hugonis Cardinalis ſuper Matth. exponentis juxta duas Gloſ. ordinarias dupliciter hunc textum, alia eſt intelligentia hujus nominis Eccleſiæ, quando privata perſona corrigit, & alia, quando publica perſona. Nam ſi privata perſona corrigit, tunc eſt ſenſus : Dic Eccleſiæ, id eſt, Prælato, ſi vero publica perſona corrigit, tunc eſt ſenſus : Dic Eccleſiæ, id eſt, coram congregatione eum objurga ; ut ſic, quemadmodum ait Gloſſ. Majorem erubeſcentiam patiatur : vel coram congregatione eum excommunica, ut ſic, quemadmodum ait Hieronymus, multorum deteſtationi habitus opprobriis ſalvetur, qui pudore ſalvari non potuit. Sed cum hoc modo Prælatum remitti ad Eccleſiam, non ſit remitti ad Superiorem, ſive ad Judicem, ut de ſe patet; Manifeſtum eſt, quod ratio ex adverſo in

in nullo probat intentum. Præterea ratio præfata non procedit: quoniam non videtur inconveniens, quod quis remittatur ad seipsum secundum aliam & aliam habitudinem consideratum. Prælatus enim, ait Sanctus Thomas in IV. Distinct. XIX. IV. II. dupliciter potest considerari: aut secundum quod in judicio præsidet, & sic Prælato, inquit, est dicere Ecclesiæ: aut extra judicium exsistens, & sic dicere Prælato, non est dicere Ecclesiæ: per quem modum persona in Prælatione constituta, potest a se, ut est privata, remitti ad se, ut est persona publica: & tunc dicere Ecclesiæ, nihil aliud est, quam exire in actum judicii. Quomodo Beatus Gregorius scribens Joanni Patriarchæ Constantinopolitanens. super usurpatione vocabuli universalis Ecclesiæ, Epistola CCLXV. ostendit, sic dicens: "Nos quidem in quibus talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod præcipit Veritas dicens: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum; si autem te non audierit, dic Ecclesiæ: si vero Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis, verbis humilibus, hoc, quod in tota Ecclesia peccatum corripere statui, per me scribo: quidquid humiliter facere debui, non obmisi: si in mea correctione despiciar, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere." Hæc Gregorius: ubi Ecclesiam adire, vel adhibere, est censuram Ecclesiasticam apponere, sicut fecit, non convocando super hoc aliquod Concilium universale. Præterea hoc modo ait Nicolaus Papa, sicut habetur in cap. Præcipue: ubi ita dicit Regi Lothario: "Ceterum cave, ne quando nobis, secundum præceptum Domini, duos vel tres testes adhibeamus, immo vero hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus, &, quod non optamus, de cetero cunctis fiat Ethnicus, & Publicanus." Quod vero ibi per Ecclesiam, non alium Judicem, quam seipsum intelligat, patet ex Gloss. quæ in eo loco dicit: Sic ergo in causa denunciationis, idem potest esse Judex, accusator & testis: & extra de Simonia. cap. Licet. Ceterum ipse Beatus Petrus, in cujus persona hæc Constitutio Divina primo emanavit, absque hoc, quod universali Ecclesiæ diceret, aut universale Concilium convocaret, Ananiam & Saphiram ejus conjugem sua auctoritate damnavit. Nimirum plane foret periculosum asserere, Beatum Petrum, aliosque Sanctos Patres transgressores exstitisse Divini præcepti, qui ad correctionem peccatorum, absque denunciando universali Ecclesiæ sua auctoritate processerunt. Amplius, si cum dicitur, si in te peccaverit frater tuus &c. dic Ecclesiæ, semper recursus habendus esset ad aliquem alium; immo nunquam Papa, aut alius Prælatus veniret judicaturus eum, qui in ipsum peccaret: quod est inconvenientissimum, & ab omni ratione & veritate separatum. Ad confirmationem autem inducta est Glossa ordinaria per Patrem & Dominum Arguentem, qui ait: Vel dic toti Ecclesiæ: licet etiam ex superioribus in responsione præcedentis argumenti pateat copiose satis responsio ejus; nihilominus dicitur, quod Gloss. in nullo deservit proposito partis suæ, quin immo omnino ejus infirmat intentionem, si Gloss. bene videatur. Gloss. autem ita dicit: Vel dic toti Ecclesiæ, ut majorem erubescentiam patiatur: post hæc omnia, sequatur excommunicatio, quæ fieri debet per os Ecclesiæ, id est, per Sacerdotem, quo excommunicante tota Ecclesia cum eo operatur. Hæc Glossa, in qua Gloss. tria veniunt ponderanda: primo, quod cum ait, vel dic toti Ecclesiæ, per totam Ecclesiam non est accipienda universalis Ecclesia: quia, ut superius ostensum est, fidelibus in diversis regionibus orbis constitutis, adimplere hoc esset impossibile, sed illa totalitas Ecclesiæ accipienda est valde stricte. Quandoque enim pro collegio Cardinalium, quandoque pro congregatione una conventuali, quandoque pro congregatione una capitulari, quandoque pro congregatione una Synodali, aut Provinciali, quandoque pro congregatione unius parvæ familiæ. Sic enim accommodata locutione quandoque nomine universæ Ecclesiæ Sacra Scriptura utitur, sicut Apost. ad Rom. ultimo ait: Salutat vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia. Ubi per universam Ecclesiam, solam provinciam Caji intelligit, ut ait Gloss. Secundum considerandum est in prædicta Gloss. quod dicendum esse toti Ecclesiæ, dicit, ut majorem erubescentiam patiatur, in quo nihil auctoritatis attribuit communitati. Quocirca manifestum, quod remitti

mitti Prælatum hoc modo ad communitatem, non est remitti ad superiorem. Tertio ponderandum est, quod ait: "Et " post hæc sequatur excommunicatio, " quæ fieri debet per os Ecclesiæ, id est, " per Sacerdotem." Ubi manifeste innuit, quod non apud communitatem, sed apud Prælatum, qui os & vertex est Ecclesiæ, sit auctoritas judicii: quo excommunicante, sive uniente, tota illa Ecclesia, quæ est corpus ejus, cujus consensu & approbatione in contumacem fratrem Prælatus sententiam condemnationis profert, dicitur cum eo operari. Et hoc de primo, quod erat dicendum juxta auctoritatem illam. Secundo dicitur, quod & si aliquando prædicta auctoritas ad Concilium universale Apostolica auctoritate fultum applicetur, aut ad Concilium universale Sede vacante, non tamen propter hoc habetur intentio arguentis; videlicet, quod universalis Synodus supra Papam, unicam & indubitatam judicii potestatem haberet; & quod Papa extra casum hæresis, veniat Ecclesiæ denunciandus. Si vero dicatur, quod Papa frater noster est: ergo videtur, quod ad eum se extendat auctoritas præfata, quæ ait: Si peccaverit in te frater tuus, &c. dicendum, quod Papa cum hoc, quod est frater noster, & naturæ conformitate, & fidei religione, est etiam Princeps & Caput totius Ecclesiæ universalis, supremam habens potestatem in Ecclesia. Ratio primi, scilicet, quia frater noster, extendit se ad eum auctoritas in ea parte, in qua simplex tangitur correctio fraterna, prout est actus charitatis, videlicet pro ut dicit quamdam caritativam admonitionem, quæ potest esse inferioris ad superiorem, sicut & ipse caritatis affectus: ratione vero secundi, videlicet, quod Princeps & Pastor, supremam potestatem Ecclesiæ habens, totius gregis Dominici est; non extendit se ad eum auctoritas præfata in eâ parte, in qua contra non suscipientem correctionem fraternam jubetur Ecclesiæ denunciationem fieri, & correctionem justitiæ per coarctationem pœnæ exhiberi. Quoniam cum hoc genere correctionis nemo corrigendus veniat, nisi a superiore, ad illos tantum se extendit Christi institutio, qui superiorem habent in terris, cujusmodi non est Papa, quem Christus utpote Vicarium ejus supremum omnibus fidelibus, sive dispersis, sive in unum convenientibus præesse voluit; & ideo peccata illius solo suo reservavit judicio. De hoc plurima inferius dicenda venient, ideo pro nunc dixisse de ista auctoritate sufficiat.

Secunda Auctoritas inducta est illa Joan. XX. ubi Christus ait Apostolis: Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Super quo verbo Beatus Gregorius in Homilia, ut deducit Sanctus Thomas in Gloss. continua, ita dicit de Apostolis: " Principatum superni judicii sortiuntur, " ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent: quorum " nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, & solvendi atque ligandi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur." Ad istam auctoritatem respondetur, ut Sanctus Thomas respondet in IV. Sententiarum, ad quam dicit Dist. XIX. quod ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas jurisdictionis. Prima quidem potestas adæquatur in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda; & ubi Dominus Joan. XX. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur ordinem. Unde & Sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur: sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata, Matth. XVI. ut intelligatur, quod ipse præ aliis habet potestatem jurisdictionis. Hæc ibi Sanctus Thomas. Secundo in eodem IV. Sententiar. Dist. XXIV. ad eandem auctoritatem respondens ait, "quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi, tamen, ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere. Propter quod etiam ei dixit singulariter Christus: Confirma fratres tuos, & pasce oves meas, id est, loco mei, ut dicit Chrysostomus, Præpositus & Caput esto fratrum tuorum; ut ipsi te in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment." Hæc Sanctus Thomas. Ad idem est sententia Alberti Magni, & Bonaventuræ. Ex qua responsione cum duo colligamus, Primo, quod auctoritas illa inducta Joan. XX. de potestate ordinis, accipienda sit, quæ æqua-

æqualis eſt in omnibus Sacerdotibus. Secundo, quod poteſtas jurisdictionis, quæ non eſt communis omnibus, nec æqualis in omnibus, in quibus eſt, a Petro, in quo ſolo per plenitudinem fuit, in alios derivata eſt. Patet, quod ex auctoritate illa non probatur quoquo modo veritas Decreti Conſtantienſis, nec quoad immediationem poteſtatis jurisdictionis a Chriſto, nec quoad ſuperioritatem Conciliorum ſupra Papam.

Tertia auctoritas inducta in ordine per præfatum Dominum arguentem eſt illa Actor. XV. Placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex illis, & mittere Antiochiam. Et infra: Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hoc neceſſario, ut &c. Ex hac auctoritate arguit Dominus opponens, quod Apoſtoli & Seniores fecerunt Decreta. Ad hanc auctoritatem reſpondetur, quod in nullo probat Decretum præfatum veritatem continere. Primo quidem, quia licet aliquo modo concedatur, quod Patres in Concilio exiſtentes, ſimul concurrant cum Papa in condendo Canones, ſicut hic de Apoſtolis cum Petro legitur; nihilominus principatus decretandi, ſive auctoritas principalis competit Romano Pontifici, utpote qui Princeps eſt totius Reipublicæ Chriſtianæ. Unde Gloſſ. Hieronymi ſuper illo paſſu, & habetur in Epiſtola XXII. ejusdem ad Auguſtinum, commemorato, qualiter Jacobus & omnes Presbyteri in ſententiam Petri tranſierant, inquit ſic: " Non debent hæc moleſta eſſe " lectori, ſed mihi, & illi utilia, ut probe" mus ante, Apoſtolum Paulum non " ignoraſſe, Petrum Principem eſſe hu" jus Decreti, legem poſt Evangelium " non eſſe ſervandam." Ecce quod Hieronymus Decreti illius, quod in illa Synodo Apoſtoli & Seniores feciſſe dicuntur, principem Petrum appellat. Id quod ſequitur: Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, non arguit aliquam jurisdictionem datam immediate a Chriſto, ſive a Spiritu Sancto toti Collegio Apoſtolorum; ſed bene arguit datam inſpirationem ad intelligendam veritatem. Unde Venerabilis Beda in Gloſſ. ita dicit: Placuit Spiritui Sancto, qui arbiter ſuæ poteſtatis, ubi vult ſpirat, ubi vult loquitur: & nobis, non ſolum voluntate humana, ſed inſtinctu Spiritus Sancti. Hæc Gloſſ. Ex quibus verbis nihil habetur, niſi quod Petrus, & alii Apoſtoli, & Seniores in ſententiam illius Canonis, de lege poſt Evangelium non ſervanda, inſtinctu Spiritus Sancti, ſive Spiritu Sancto inſpirante, & docente convenerant. Planum eſt autem, quod hujusmodi aſſiſtentia, qua Spiritus Sanctus ſanctis congregationibus aſſiſtit inſpirando, & docendo quid agendum ſit, non abſtulit a Petro tunc, nec nunc ab ejus Succeſſoribus Romanis Pontificibus ſuperioritatem, & præſidentiam ſuper Synodum, non unitatem Eccleſiæ, non connexionem totius corporis Eccleſiæ ad unum caput, Chriſti Vicarium: præcipue cum dicat Chryſoſtomus, quod Petrus erat vertex Collegii, & caput Apoſtolici chori. Et ita patet, quod auctoritas inducta non probat veritatem præfati Decreti Conſtantienſis.

Quarta auctoritas eſt illa, quæ Actor. XX. habetur. Attendite vobis & univerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ad iſtam auctoritatem dicitur, quod ex ea non probatur intentum arguentis. Et primo quidem, quoniam ſi ex hoc, quod dicitur, quod Chriſtus poſuerit Presbyteros illos, ad quos ſermo Pauli dirigebatur, regere Eccleſiam ſuam, arguatur, quod tales acceperint a Chriſto regimen immediate, ſive poteſtatem jurisdictionis; conſequentia nullas vires habet, immo ſic arguens committit fallaciam figuræ dictionis, mutando quid in quale. Unde & Apoſtolus cum ait ad Rom. XIII. Non eſt poteſtas, niſi a Deo: immediate ſubjungit: Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt. Stat ergo, quod omnis poteſtas a Deo ſit, & tamen, quod non immediate ſingulis conferatur a Deo, ſicut Joan. primo dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt. Et nihilominus multa non immediate, ſed mediantibus cauſis ſecundis a Deo fiunt. Præterea ſecundo, ſi ex prædicta auctoritate arguens velit inferre, quod alii Apoſtoli, ſive Prælati habeant poteſtatem regiminis Eccleſiæ, aut Superiorem Petro, aut æqualem; negabitur conſequentia. Quoniam cum dicat Apoſtolus ad Rom. XIII. quod omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: & ſubjungat: Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt: Oportet, quod prælatio attendatur ſecundum aſcenſum & deſcen-

ſum,

ſum, non ſecundum æqualitatem. Quare neceſſe erit, ut arguit Dominus Cardinalis Bonavent. in IV. ſecundum rectum ordinem Eccleſiæ, quod ſuprema poteſtas regiminis & plenitudo jurisdictionis, ſtet in uno primo & ſupremo, in quo ſolo ſicut in primo, & in ſimpliciſſimo in illo genere, eſt ſtatus omnis Prælationis Eccleſiaſticæ. Quocirca cum alii a Petro dicuntur, aut Principes, aut Rectores Eccleſiæ, aut Paſtores gregis Dominici, non eſt intelligendum, quod aut tales immediate conſtituti ſunt a Chriſto, aut quod vocati ſunt in plenitudinem poteſtatis: ſed accipiendum eſt mediate, & ſecundum eam partem ſolicitudinis; ad quam per ſupremum Paſtorem in Eccleſia ſancta Romanum Pontificem, vocati ſunt. Unde Gloſſ. ſuper illud primæ Petri V. Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, dicit ſic: ſicut Dominus Petrum totius gregis curam habere juſſit: ita Petrus ſequentibus Eccleſiæ Paſtoribus jure mandat, ut quisquis, qui ſecum eſt, gregem Domini ſollicita gubernatione tueatur.

Quinta auctoritas eſt illa, quæ habetur in cap. Firmiter, extra de Summa Trinit. §. Unam ſanctam. ubi dicitur, Et eſt diffinitio in Concilio univerſali facta, quod Jeſus Chriſtus conceſſit claves Eccleſiæ Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, ubi Joan. Andr. dicit, quod non ſoli Petro Chriſtus claves conceſſit, ſed & cæteris Apoſtolis. Ad hanc auctoritatem reſpondetur, & primo ad hoc, quod non ideo claves dicuntur Eccleſiæ, quod communitati totius Eccleſiæ datæ ſint, ita quod ſingillatim, ſive collegialiter omnes fideles, claves a Chriſto ſuſceperint, cum teſte Beato Ambroſio lib. de pœnit. & habetur a Magiſtro ſententiarum in IV. Diſt. XVIII. Jus hoc ſolvendi & ligandi, ſolis Sacerdotibus competat. Sed dicuntur eſſe Eccleſiæ triplici ratione: Primo, quia claves iſtæ datæ ſunt potioribus partibus Eccleſiæ, ſicut ait Hieronymus, quod datæ ſunt Eccleſiæ in Epiſcopis & Presbyteris. Solitum eſt autem, ut patet nono Ethic. ut communitas dicatur, id quod principaliſſimum eſt in ea. Secundo dicuntur claves Eccleſiæ, quia poteſtatis,(*) quæ non poteſt perpetuari in uno, aut pluribus ſingularibus ſuppoſitis alicujus multitudinis, ſed tantum per ſucceſſionem, conſuevit ſæpe nominari & dici poteſtas communitatis, licet omnibus de communitate talis(**) conveniat poteſtas; ſicut eſt in privilegio perpetuo dato dignitati alicujus Eccleſiæ: & ita eſt de poteſtate clavium Eccleſiæ data in Epiſcopis & Presbyteris. Tertio ideo dicuntur claves Eccleſiæ, quia ad bonum totius Eccleſiæ, a Chriſto, Petro, & ejus Succeſſoribus donatæ ſunt: ſicut etiam Sacramenta Eccleſiæ eſſe dicuntur, quia ad ejus utilitatem inſtituta, licet collatio Sacramentorum non ad totam communitatem, ſed ad Miniſtros ſolos Eccleſiæ pertineat. Præterea ad id; quod conſequenter in auctoritate ponitur, videlicet, quod Chriſtus Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus claves conceſſit, reſpondetur, quod verum eſt, & etiam quod Joan. Andr. in Gloſſ. loquitur: ſed ex hoc nihil auctoritatis inducitur pro veritate Decreti Conſtantienſis. Primo, quia quod dicitur, quod Chriſtus omnibus Apoſtolis & Succeſſoribus claves conceſſit, intelligendum eſt, ut patet ex ſuperius inductis, Petro per ſe & immediate, aliis vero Apoſtolis mediante Petro. Secundo, quia quamvis non ſolus Petrus accepit claves, ſolus tamen, ut ſæpe ex dictis Sanctorum commemoratum eſt, in plenitudine ſuſcepit, utpote aliorum Princeps & caput. Ob quam prærogativam ſolus Petrus cum clavibus depingitur, ſolus Petrus de collatione clavium a Chriſto ſibi facta in Eccleſia, inter cæteros præcipue commendatur.

Sexta auctoritas inducta per Dominum & Patrem opponentem, fuit illa extra de pœnitent. & remiſſ. in cap. Nova: ubi dicitur, quod Apoſtolis omnibus Deus claves commiſit. Ad iſtam auctoritatem patet per jam dicta reſponſio: per has enim & hujusmodi auctoritates, ſicut jam probatum eſt, nec habetur, quod alii Apoſtoli a Petro, immediate a Chriſto ſuſceperint poteſtatem jurisdictionis, nec quod, ſi ſuſceperint, Superiorem aut æqualem cum Petro eorum principe poteſtatem habuerint.

Septima auctoritas inducta, eſt illa Auguſtini ſuper Joan. & habetur in cap. Quodcumque. XXIV. quæſt. prima. Ubi dicit Auguſtinus, quod ſi hoc, ſcilicet, quodcunque ligaveris ſuper terram, tantum Petro dictum eſt, non hoc facit Eccleſia. Si autem in Eccleſia fit, utique quæ in terra ligantur & in cœlo: & quæ

(*) *forte:* poteſtas.

(**) *addendum videtur:* non

quæ ſoluta ſunt in terra, ſoluta ſunt in cœlo. Et ſequitur : Si ergo in Eccleſia ſit Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit. Ad illam auctoritatem dicendum, quod nihil ex ea favoris, ſeu virtutis Decreto Conſtantienſi præſtatur. Quoniam non eſt ea intelligentia Auguſtini in hoc loco, quam quidam prætendunt: videlicet quod Beatus Petrus ita nomine Eccleſiæ, ut tanquam Syndicus ejus, aut Procurator, ſive vices gerens, a Chriſto claves accepit, cum ipſe Princeps, Caput, & Rector totius univerſalis Eccleſiæ in collatione clavium conſtitutus eſſe dicatur. Non autem ſtant hæc duo ſimul : quod Petrus in ſuſceptione clavium a Chriſto, fuerit Syndicus Eccleſiæ, ſive quod procuratorio nomine illas ſuſceperit: & quod ſit per claves illas Princeps, Caput, & Rector Eccleſiæ a Chriſto conſtitutus. Cæterum hæc intelligentia, ex eo aliena a fide omnino judicanda eſt, quia Papa non Eccleſiæ Vicarius, ſed Chriſti, non Eccleſiæ vices, ſed Chriſti gerit in terris. Non ab Eccleſia poteſtatem ſuſcepit, ſed a Chriſto ſuper Eccleſiam, quam gubernandam, regendamque ſuſcepit. Præterea, quod dicitur, quod Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificavit, non eſt ita accipiendum, quaſi voluerit Auguſtinus, quod univerſo corpori Eccleſiæ, in omnibus ejus membris datæ ſunt claves: cum in ſolis Epiſcopis & Presbyteris, teſtibus Beato Ambroſio, & Hieronymo illas ſuſceperit. Sed hæc ſana & vera Beatiſſimi Auguſtini intelligentia, quod non Petro tantum, ut ſingulari perſonæ, data ſit auctoritas clavium; quoniam, ut Auguſtinus optime arguit, ſi tantum Petro data fuiſſet, jam nec abſolutio, nec ligatio, nec aliqua reconciliatio fieret in Eccleſia. Cum ergo in veritate ita fiat, ſequitur, quod non tantum Petro data ſit, ſed etiam data ſit in eo Succeſſoribus ejus, & univerſis Prælatis futuris in Eccleſia Dei, quos in partem vocaret ſolicitudinis ſuæ. Unde data eſt ei poteſtas clavium, ut ſignanti & repræſentanti univerſos Prælatos futuros in Eccleſia Dei, manentes in unitate corporis Chriſti, ſive in ſocietate Petri. Et hoc eſt ipſum Petrum cum claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificaſſe ; ut patet ex ipſamet littera bene conſiderata. Unde Dominus Archi-Diaconus in roſario ſuo, hunc locum ad iſtam intelligentiam exponens, ita dicit : Si hoc tantum Petro dictum eſt, ſcilicet ut ejus perſonam non transgrediatur, non hoc facit Eccleſia J. ejus auctoritas. Hæc ille. Plane hæc eſt vera intelligentia, hoc eſt veraciter Auguſtini argumentum, ſicut iſte Clariſſimus Doctor exponit ; ſi poteſtas data eſſet ſoli Petro, ita quod ejus perſonam non transgrederetur, profecto auctoritas ligandi & ſolvendi in Eccleſia non eſſet. Præterea quod ex iſta auctoritate non ſequatur aliquid pro veritate Decreti Conſtantienſis, patet ex ipſa Gloſſ. ordinaria, quæ ita habet in hoc loco : Argumentum, quod ſententia totius Eccleſiæ præferenda ſit Romanæ, ſi in aliquo ſibi contradicant. Argumentum Diſtinct. XCIII. legimus. Sed contrarium, inquit, credo, argumentum : infra eadem. Hæc eſt fides, niſi erraret Romana Eccleſia, quod non credo poſſe fieri, quia Deus non permitteret: cap. Arrecta. & cap. Pudenda. Hæc Gloſſ. & hoc de auctoritate iſta.

Octava auctoritas inducta eſt ejusdem Aug. ſuper Pſalm., ubi ita dicit : Sunt quædam, quæ dicuntur ad Petrum, quæ licet proprie ad eum pertinere videantur ; non tamen habent intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſſiſſe perſonam, propter primatum, quem in Diſcipulos habuit. Ad iſtam patet reſponſio, ex reſponſione data ad ſuperiorem auctoritatem. Verum enim eſt, ut ait Auguſtinus, quod cum claves Petrus recepiſſe dicitur, licet veraciter hoc dicatur, nihilominus cum intellectu ad Eccleſiam accipiendum eſt, id eſt, ad omnes Succeſſores ejus, & alios futuros in Eccleſia Prælatos, ſicut ſæpe commemoratum eſt. Ex hoc autem non poteſt argui, quod aliquis in Eccleſia, aut tota ipſa Eccleſia poteſtate clavium major, aut ſuperior fuerit ipſo Petro; quod etiam ex eo patet, quod Auguſtinus in eadem auctoritate dicit, quod Petrus habuerit inter Diſcipulos primatum.

Nona eſt auctoritas Auguſtini, qui in lib. de agone Chriſtiano ita dicit: Non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ perſonam ſuſtinuit Petrus; huiu

huic enim claves Regni cælorum datæ ſunt: & cum dicitur : Petre amas me? paſce oves meas, ad omnes dicitur. Ad iſtam auctoritatem eadem eſt reſponſio, quæ ad ſuperiores aſſignata eſt, quoniam eandem, cum illis ſententiam importare videtur. Id enim, quod primo dicitur, quod cum Petro claves datæ ſunt, Eccleſiæ datæ ſunt; Jam in ſuperioribus dictum eſt, qualiter accipiendum ſit: videlicet, quod Eccleſiæ non in multitudine fidelium, ſed in Epiſcopis & Presbyteris datæ ſint. Unde dicit Ambroſius, quod in Petro claves omnes Sacerdotes recipimus. Quod vero ſecundo in auctoritate dicit Auguſtinus, quod cum dictum eſt Petro : Paſce oves meas, ad omnes dictum ſit; non ita accipiendum eſt, quod omnibus fidelibus Chriſtus commiſerit curam paſtoralem Eccleſiæ, maxime cum dicat Apoſtolus ad Rom. XII. Dedit quidem Deus quoſdam Paſtores. Quoſdam quidem dixit, non omnes, ſed intelligentia eſt Auguſtini, quod Ly omnes, ſolum diſtribuat pro Paſtoribus in Eccleſia, Succeſſoribus Petri, & aliis evocandis in partem ſolicitudinis ejus: quod manifeſte Auguſtinus oſtendit in ſermone quodam, qui ſermo incipit : Apoſtolum Petrum primum omnium Apoſtolorum, in quo tractans præfatum verbum, Paſce oves meas, ita inquit; per ſingula enim dicebat Petro Dominus Jeſus dicenti, Amo te : paſce agnos meos, paſce oviculas meas. In uno Petro figurabatur unitas omnium Paſtorum. Hæc Auguſt. Præterea licet cura paſtoralis multis aliis Prælatis, quam Petro commiſſa ſit, non tamen, ut ſæpe repetitum eſt, in ea plenitudine & univerſalitate, qua Petro: qui ita univerſaliter totius gregis Domini Paſtor a Chriſto eſt conſtitutus, ut non ſit dicendus quis Chriſtianus, nec Chriſti agnus, ſeu fidelium hominum conventus, qui dicit ſe non eſſe ſub cura hujus Paſtoris, ut Sanctus Thomas ait ſuper Joan. in cap. ultimo.

Decima auctoritas inducta, eſt ejusdem Beatiſſ. Auguſt. qui in lib. II. quæſt. novi & veteris teſtamenti, ſic loquitur: Dominus noſter Jeſus Diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam, ſicut noſtis, elegit, quos appellavit Apoſtolos: inter hos pæne ubique Petrus ſolus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam: & propterea audire meruit: Tibi dabo claves Regni cælorum. Et ſequitur: Has autem claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ. Ad iſtam auctoritatem reſpondetur, quod non intendit Auguſtinus negare, Petrum claves accepiſſe, cum Petro a Chriſto dictum ſit: Tibi dabo claves Regni cælorum, Matth. XVI. & Joan. XXI. Paſce oves meas, & ipſe Aug. ipſum dicat & Apoſtolorum Principem, & totius Eccleſiæ Caput appellet. Sed ideo dictum eſt, quod non unus, quia non unus ſolus ſingulariter, ita quod non alii in eo ſuſceperint, plane in eo etiam Eccleſiæ poſteritas in Prælatis ſuis claves accepit, eo modo, quo ſæpe commemoratum eſt. Pro cujus auctoritatis, & multarum ſimilium Auguſtini plena intelligentia ſciendum eſt, quod duo errores inter alios emanaverunt circa claves Eccleſiæ, quos veluti perniciosiſſimos Beatus Auguſtinus pervigili ſtudio eradicare curavit.

Primus error fuit Novatianorum, ut dicit Sanctus Thomas in III. parte, quæſt. LXXIV. articul. X. qui negabant pœnitentiam lapſis poſt baptiſmum, dicentes, apud Sacerdotes nullam tales abſolvendi a peccatis eſſe facultatem. Iſtum errorem tangit Auguſtinus & impugnat primo libro de vera & falſa pœnitentia, ubi in cap. III. in principio ita dicit : Sunt quidam, qui credant uſque in baptiſmum pœnitentiam proficere, ſed poſtea peccantibus caſſam perſeverare. Item in principio capituli IV. dicit: Adhuc ſunt, qui reclamant, non eſſe peccatorum remiſſionem baptizatis per pœnitentiam. Ad quem errorem penitus eradicandum, Beatus Auguſtinus, utpote acutiſſimus argumentator viſus eſt ſemper oſtendere, quod non ſoli perſonæ Petri claves datæ ſunt, ſed cum Petro datæ ſunt Eccleſiæ, id eſt, toti poſteritati Eccleſiæ in Prælatis. Unde in cap. V. præfati libri inducens contra præfatos hæreticos illud Joan. XX. quod Chriſtus ait Apoſtolis: Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: dicit ſic: Scimus autem & primos Patres, & in omni tempore Eccleſiam Dei ſemper uſque ad ſeptuageſies ſepties, quod eſt, ſemper, peccata dimittere; quam poteſtatem iſti ab Eccleſia auferre conantur.

Præ-

Præterea de iſtorum perverſorum hominum errore apertiſſime loquens, eumque fortiſſime expugnans, in libro de Agone Chriſtiano cap. XXXI. ſic dicit: " Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri dum in petra Petrum non intelligunt, & nolunt credere claves Regni Cœlorum eſſe datas Eccleſiæ, ipſi eas de manibus amiſerunt. Hæc Auguſtinus. Agit etiam contra hos hæreticos Novatianos Sacerdotes parem congreſſum Beatus Ambroſius libro ſuo de pœnitentia: cujus verba brevitatis cauſa pertranſeo. Secundus error fuit eorum, qui in hæreſi & in ſchiſmate conſtitutos, & ita ab univerſitate Eccleſiæ ſeparatos, aſſerunt poſſe ligare & ſolvere, qui error eſt communiter omnium ſchiſmaticorum. Contra quem errorem dicit Beatus Cyprianus in quadam Epiſtola, & habetur VII. quæſt. I. cap. Novatianus. Qui nec unitatem, inquit, Spiritus, nec conventionis pacem obſervat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, atque Sacerdotum Collegio ſeparat, nec Epiſcopi poteſtatem habere poteſt, nec honorem. Item multa hujusmodi ſunt in cap. Dicimus, & in cap. pudenda. & in cap. Schiſma. XXIV. quæſt. I. ubi maxime ad notitiam hujus rei conſiderandum venit illud, quod Cyprianus ponit in Epiſtola ad Jovinianum (*) ita dicens: " Clamat Dominus, ut qui ſitit, veniat, & bibat de fluminibus aquæ vivæ, quæ de ejus ventre fluxerunt. Quo venturus eſt, qui ſitit? Utrumne ad hæreticos, ubi fons, & fluvius aquæ vitalis omnino non eſt? An ad Eccleſiam, quæ una eſt, & ſuper unum, qui & claves ejus accepit, & Domini voce fundata eſt? Hæc eſt una, quæ tenet & poſſidet omnem ſponſi ſui & Domini poteſtatem. Hæc ille. Beatiſſimus præterea Auguſtinus libro de pœnit. Superius commemorato, contra præfatum errorem loquens, & unitatem Eccleſiæ ad uſum clavium oſtendens, ita dicit: " Nemo pœnitere digne poteſt, quem non ſuſtineat unitas Eccleſiæ, ideoque non petat Sacerdotes ab unitate Eccleſiæ diverſos. Ad deſtruendum ergo errorem hunc ſecundum, videlicet quod ab Eccleſiæ unitate diviſi poteſtatem habeant clavium jurisdictionis; dixit in auctoritate inducta, quod non unus, ſed unitas claves acceperat; oſtendens per hoc neceſſariam eſſe unitatem Eccleſiæ, ad habendam communionem poteſtatis Eccleſiaſticæ. Et quod hæc fuerit Auguſtini intentio, patet, quoniam poſt illa verba inducta per Dominum arguentem, quæ habentur in ſermone Apoſtolorum Petri & Pauli, qui incipit: Iſtum nobis diem: ita ſubjungit: Huic ergo Petri excellentia commendatur; quoniam ipſius univerſitatis & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit. Hæc Auguſtinus. Plane Petrus univerſitatis Eccleſiæ in prælatis figuram geſſit: & hoc contra primum errorem, qui a Sacerdotibus præſentis temporis clavium poteſtatem auferebat. Geſſit præterea figuram unitatis Eccleſiæ contra errorem ſecundum, dicentium, ab Eccleſia diviſos uſum poteſtatis clavium retinere. Et ita patet, quod Beatiſſimi Auguſtini dicta, optime conſiderata, non probant ea, quæ Baſileenſes adſtruunt de poteſtate Concilii, univerſalis Eccleſiam repræſentantis, ſed illa magis infirmant.

Undecima auctoritas inducta eſt illa Auguſtini de doctrina Chriſtiana. Has igitur claves dedit Eccleſiæ ſuæ, ut quæ ſoluta eſſent in terra, ſoluta eſſent in cœlo. Ad iſtam auctoritatem ex dictis ita plene patet reſponſio, ut ſuperfluum ſit, ad eam aliquid dicere.

Duodecima auctoritas inducta, eſt illa ejusdem Auguſt. in Epiſtola ad Glorium & Eleuſium Epiſcopos Donatiſtarum, ad quos ita, poſt multa alia, loquitur: " Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicaverunt non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſalis Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari; & ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Ad iſtam auctoritatem, quæ partis adverſæ videtur Achilles, reſpondetur, quod per eam nullo modo probatur Decretum Conſtantienſe in parte illa, de qua loquitur, continere veritatem: Tum primo, quia per illa verba, non eſt intentio Auguſtini dicere, quod univerſale Concilium poteſtatis auctoritate ſuperius ſit Romano Pon-

(*) *pro*: Jubaianum.

Pontifice. Primo, quia in eadem Epiſtola, ſicut etiam in libro de unico Baptiſmo, profitetur, quod in Romana Eccleſia Apoſtolicæ Cathedræ ſemper viguit principatus. Quod verum non eſſet, ſi ſuperior Cathedra, quam ſit Apoſtolica, alia in Eccleſia daretur. Secundo, quia idem Auguſtinus, ut inducitur in cap. Pudenda. ſecundo, & (*) lib. quæſt. I. dicit, quod cum Eccleſia, (**) nulla eſſe poteſt, ea ſit, quæ in Apoſtolicæ Sedis radice per ſucceſſionem Epiſcoporum conſtituta eſt. Quomodo autem Auguſtinus Apoſtolicam Sedem diceret radicem fundamentalem Eccleſiæ, ſi illius Sedis auctoritas ad aliquam aliam altioris poteſtatis, & principatus reſolvenda veniret; cum natura radicis, aut ultimi fundamenti, ſive primi principii hoc non patiatur, ſicut ex primo poſteriorum habetur. Quod autem dicit Auguſtinus, quod reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſalis Concilium; non dicit ratione ſuperioritatis principatus, aut poteſtatis, quæ major ſit in plenario Concilio, quam in Apoſtolica Sede: ſed ratione amplioris & majoris examinis habendi judicii, quale ſperabatur in plenario Patrum totius Eccleſiæ Concilio, ſecundum illud: Ubi conſilia multa, ibi ſalus. Proverb. XI. Quod vero iſta fuerit Auguſtini intelligentia, patet ex verbis Epiſtolæ, & ex illis, quæ de iſta materia commemorat in libro de unico Baptiſmo. Dicit enim ſic in præſenti Epiſtola ad Glorium, & Eleuſium: Sed jam tamen, quaſi haberent, quod dicerent, malos Judices ſe eſſe perpeſſos; quæ vox eſt omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam maniſeſtiſſima veritate ſuperati: quaſi non adhuc eis dici poſſit, & juſtiſſime dici: Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſalis Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſit agitari. Et hoc eo, quia, ut in libro de unico Baptiſmo idem Auguſtinus dicit, majores accuſatorum Epiſcopi (***) Siciliani, qui innocens erat judicatus, querebanturque Imperatori, quod non plene fuerat illud judicium Romæ examinatum, atque depromptum. Quam ob cauſam dicebat Beatus Auguſtinus, quod præfati Epiſcopi, qui judicium Papæ dicebant, licet falſo, minus plene examinatum; quod antequam ſchisma facerent, ſe ab Eccleſia Romana ſeparantes, debuiſſent, ſi amatores erant unitatis Eccleſiæ, judicium exſpectaſſe plenarii Concilii univerſæ Eccleſiæ, in quo cum ipſo Papa diſcuſſio fieret. Nulli autem dubium eſt, quod judicium habitum per Papam & Patres univerſæ Eccleſiæ ſimul, majus æſtimetur auctoritate reputationis, gravitate examinis, & plenitudine diſcuſſionis, quam judicium habitum per Papam cum paucis, licet non majus dicendum ſit ſuperioritate poteſtatis. Quod autem conſequenter dicit Auguſtinus, quod ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententia ſolveretur; non ita accipiendum eſt, quod auctoritate Concilii plenarii, tamquam ſuperioris judicii poteſtate, ſententia Papæ diſſolveretur, cum majus tribunal, ſive judicium alterius haberi non poſſit in terris, quam ſit Vicarii JEſu Chriſti. Idem quidem eſt Conſiſtorium Dei & Papæ, ſicut Epiſcopi & Vicarii ejus. Unde Gloſſ. ſuper illud Matthæi XVI. Tibi dabo claves Regni Cælorum: dicit: Vide quantam poteſtatem habeat petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia, ut etiam judicia ejus maneant firma, quaſi Deo judicante per eam. Et ideo in cap. Patet. IX. quæſt. III. dicit Nicolaus Papa, judicium Apoſtolicæ Sedis, cujus profecto auctoritate majus non eſt judicium, a nemine fore retractandum, nec de ejus cuiquam liceat judicare Judici. Quod ergo dicit Auguſtinus: quod ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ diſſolverentur; exponendum eſt, id eſt, nullæ, aut caſſæ, aut diſſolutæ eſſe jure oſtenderetur: quia, ut ait, regula juris, quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi; extra de regulis juris in ſexto: & hoc modo ponitur illud de cap. Multis. Diſt. XVII. Veſtrum Conventiculum, vel Conciliabulum caſſatur, id eſt, ipſo jure caſſum eſt. Ita hic Auguſtinus hoc accipere videtur, cum ait: Si male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ diſſolverentur, id eſt, ipſo jure nullæ, ſive nullius firmitatis eſſe oſten-

(*) *Deſideratur aliquid.* (**) *Manca ſunt hæc.* (***) *pro*: Cæciliani.

ostenderentur. Vel accipiendum est verbum illud, quod auctoritate vel ipsius Papæ, cujus auctoritate plenarium Concilium congregatur, & sententiæ firmantur, deberent dissolvi, vel declarari nullæ esse. Quomodo legimus factum Distinct. XVII. cap. Huic etiam: ubi Synodo congregata super criminibus, quibus impetebatur Symmachus Papa, Patres Episcopi ibidem congregati auctoritate ipsius Symmachi, sententiarunt ipsum Symmachum immunem esse. Præterea simile legimus de Beato Gregor. qui ait: ut habetur II. quæst. VII. cap. Si quis nos super his arguere voluerit, vel extra auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apostolicam; & ibi ante confessionem Beati Petri, mecum juste decertet; quatenus ibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam. Clarissimum est autem, quod sententia danda per Apostolicam Sedem, sive contra Papam, sive pro eo, nonnisi auctoritate Papæ sedentis a quo ejus thronus auctoritatem suscipit, danda veniret. Et ita patet, quod ex auctoritate illa Augustini in nullo probatur veritas Constantiensis Decreti.

Tertia decima auctoritas inducta, est illa Hieronymi, quæ habetur in Gloss. super illud Matth. XVI. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. ubi sic dicit: "Habent quidam "eandem judiciariam potestatem alii Apo-" stoli, quibus post Resurrectionem Do-" minus ait: Accipite Spiritum Sanctum, " & quorum remiseritis peccata, remissa " erunt: & quorum retinueritis, retenta " sunt. Habet etiam omnis Ecclesia in " Episcopis, & Presbyteris." Ad istam auctoritatem, patet ex superioribus plene responsio. Ex ea enim non habetur aliquid pro veritate Decreti dicentis, quod Synodus potestatem habet immediate a Christo, cui etiam Papa obedire teneatur: maxime si id, quod sequitur in auctoritate Hieronymi, producatur in medium. Ait enim Hieronymus post ante posita verba sic: Sed ideo specialiter Petrus eam accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei, & societate ejus se separaverint, nec peccatis solvi, nec cælum possunt ingredi. Ecce quam manifeste Beatus Hieronymus docet, quod Petrus specialius potestatem clavium, quam omnis Ecclesia, acceperit. Secundo, quod omnes ita dependent a Petro, ut quicumque ab ejus societate, & fidei unitate se separaverit, nec vinculis absolvi possit, nec ingredi cælum.

Quarta decima auctoritas est illa ejusdem Hieronymi, & ponitur in cap. Omnibus consideratis, XXIV. quæst. I. ubi sic ait: de domo Ecclesiæ loquens: " Hæc domus etiam claves accepit, " & potestatem ligandi, & solvendi: " hanc domum, si quis corrigentem, cor-" ripientemve contempserit, sit tibi " tamquam ethnicus & publicanus." Ad istam auctoritatem respondetur, quod per eam in nullo probatur intentum arguentis. Primo quidem, quia domus Ecclesiæ non ita dicitur habere claves, quod in omnibus suis membris dispersis aut simul congregatis eas habeat; sed tantum juxta ejusdem Doctoris superius positam auctoritatem, in Episcopis & Presbyteris eas habet, in quibus dicitur contemni aut venerari. Ex cujus gloriosissimi Doctoris sententia satis manifestum est, quam alienum sit a Patrum doctrina, quod Conventus copistarum, advocatorum & sæcularium hominum claves dicatur habere regni cœlorum; & quod cum illorum Conventus judicium contemnitur, universalis Ecclesia contemni dicatur. Secundo, quia licet domus Ecclesiæ claves accepit eo modo, quo dictum est, scilicet in Episcopis & Presbyteris; nihilominus specialius, quia in plenitudine potestatis eas accepit in Petro, cujus Successor est Romanus Pontifex: in cujus contemptu, utpote Principis ipsius Ecclesiæ, maxime Ecclesia ipsa contemni dicitur: Quoniam Petrus, ut ait Augustinus, totius Ecclesiæ figuram, sive personam gessit: & ut dicit Ambrosius libro de Arca Noe: Senioris nomine, de quo pendent cæteri, domus omnis significatur, qui Romanus Pontif. cum pro eo, quod Caput & Rector totius domus existat, superiorum, extra casum hæresis non habeat, non potest proprie dici in alio casu Ecclesiam corrigentem, aut corripientem contemnere: hujusmodi enim contemptus proprie non est, nisi inferiorum respectu superiorum. Quare manifestum est, quod aucto-

auctoritas illa nullam superioritatem arguit Concilii universalis supra Papam.

Auctoritas quinta decima inducta, est ejusdem Hieronymi, qui super Joelem Prophetam tertio ita dixisse fertur: Petra, inquit, Christus est, qui donavit Apostolis suis, ut ipsi quoque vocarentur petræ, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ad hanc auctoritatem respondetur, quod ex ea non habetur in aliquo propositum arguentis; quoniam licet Christus donaverit Apostolis, ut ipsi quoque vocarentur Petræ, hoc tamen præcipue Petro donavit, cui specialiter ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & in quo omnes alii Apostoli, primo nomine Petro sumpserunt. Quare recte post Christum fundamentum fundamentorum, ac petra petrarum, ac totius Ecclesiæ firmamentum Petrus asseritur. Unde Leo Papa in sermone tertio Consecrationis, dicit: quod in Petro fortitudo invenitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Et ideo Beatus Ambrosius, & habetur in cap. Fidelior, distinct. L. dicit: Eo Petra dicitur, quia primus in nationibus Fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius corporis Christianitatis compagem, molemque contineat, cui ob hanc singularitatem nominis Petræ fertur dixisse Paulus Petro, mortis instante hora, ut Beatus Dionysius testatur, pax tecum, fundamentum Ecclesiarum, & Pastor ovium. Patet ergo, quod ex eo, quod cæteris Apostolis suo modo nomen petræ, aut fundamenti in Petro Christus donaverit, non habetur, quod Synodus universalis a Christo immediate potestatem suscipiat, cui ipse Papa obedire teneatur.

Auctoritas sexta decima inducta per Dominum arguentem, est illa Cypriani in cap. Loquitur Dominus, XXIV. quæst. I. ubi ita ait: Quamvis Deus omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: Sicut misit me Pater: & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum: & infra: hoc utique ceteri erant Apostoli, quod Petrus fuit, peri consortio præditi & honoris & potestatis. Ad istam auctoritatem facilis patet responsio, primo per Glossam ejusdem capituli: dicit enim ibi Gloss. quod ista paritas accipienda sit in ordine & dignitate consecratione, non in administrationis plenitudine; in hoc enim Petrus superior fuit, & major utpote Apostolorum Princeps, & totius Ecclesiæ Caput. Ut enim ait Beatus Clemens, & habetur in cap. In illis, distinct. LXXX. Inter Apostolos non fuit par institutio; sed unus præfuit omnibus. Secundo respondetur, quod paritas in hoc loco non dicit æqualitatem, sed similitudinem: unde exponendum est, parem, id est, similem aut communem; Quomodo loquitur Beatissimus Leo Papa in Epistola ad Anastasium Tessalonicensem Episcopum: Inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis. Tertio respondetur, quod dato, sed non concesso, quod ceteri Apostoli cum Petro pari potestate jurisdictionis præditi fuissent, non habetur ex hoc, quod Synodus universalis a Christo immediate potestatem susciperet, cui Papa obedire teneretur; par enim in parem potestatem non habet, nec Principatum.

Decima septima auctoritas fuit Alexandri Papæ in cap. Audivimus, XXIV. quæst. I. sic dicentis. Unde cum Dominus daret omnibus discipulis parem ligandi, ac solvendi potestatem, Petro pro omnibus, & præ omnibus claves Regni Cœlorum se daturum promisit, dicens: Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Quicumque ergo ab unitate Ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, exsecrare non potest, consecrare non valet, excommunicationis vel reconciliationis potestatem non habet. Ad istam auctoritatem dicitur, quod non agit contra, sed plurimum confirmat, quod nullo modo potest stare cum veritate pars illius Decreti dicentis, quod Synodus habet immediate potestatem a Christo, cui etiam Papa obedire tenetur. Quod sic ostenditur: quod enim primo dicitur, quod parem potestatem Dominus Apostolis dedit, accipiendum est, ut proxime dictum est ad auctoritatem præcedentem; aut quod sermo sit de potestate ordinis, quæ, ut superius ex Sancto Thoma, in quarto, dist. XIX & dist. XXIV. commemoratum est, æqualiter fuit illa data omnibus. Quod vero consequenter dicitur,

citur, quod Christus Petro se daturum promiserat claves pro omnibus & præ omnibus, manifestum declarat partem illius Decreti Constantiensis non continere veritatem. Nam in eo, quod dicit, quod Petro præ omnibus datæ sunt claves: datur intelligi, quod Petrus & per consequens ejus Successor, in potestate jurisdictionis superior & major omnibus fuerit etiam simul junctis. In eo vero quod dicit, quod pro omnibus & præ omnibus potestatem accepit, manifeste designatur, quod alii Christi Discipuli, & eorum Successores potestatem jurisdictionis non acceperint, nisi per Petrum, & ita non immediate a Christo. Ubi considerandum est, quod cum dicitur Petrus suscepisse pro omnibus & præ omnibus potestatem, non est intelligendum ipsum pro omnibus accepisse ad modum, quo unus procurator nomine aliquorum aliquod donum, sicut castrum, aut principatum accepit a principe. Sed intelligendum est, ad modum, quo dicimus, solem accepisse lumen a Deo præ omnibus, quia in majori plenitudine quam cæteræ stellæ: pro omnibus, quia in eo ordine, ut ab ipso sicut a fonte in cæteras stellas lumen descendat. Et simile est de capite, quod pro omnibus & præ omnibus membris virtutem recepit. Præ omnibus quidem, quia in solo capite est plenitudo sensuum. Pro omnibus quidem, quia ab ipso cetera membra sensum motus, & regiminis suscipiunt. Ita est de Petro, qui non tantum auctoritate præ omnibus aliis donatus est, sed etiam caput & princeps, aliis influens in toto corpore Ecclesiæ constitutus est, ut apertissime superius ex doctrina Sanctorum ostensum est. Præterea hujus rei causa, videlicet quod Petrus in Ecclesia non tantum fuit prælatus superior cæteris amplitudine potestatis, sed etiam caput influentia virtutis, dicitur consequenter, quod unitas Ecclesiæ per Petrum intelligitur. Sane unitas corporis in uno capite designatur & exercitus in uno duce: propter quod optime dicitur in cap. Non vos. XXIII. quæst. V. quisquis ab Apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse, non dubium est. Quare optime concludit; quod quicumque ab unitate, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, ligandi & solvendi potestate privatur, avelle radium a solis corpore, inquit Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiæ, & habetur in cap. Loquitur, XXIV. quæst. I. divisionem unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: a fonte præscinde rivum, præcisus arescit. Ex quibus omnibus clare satis ostenditur, ex prædicta authoritate non probari propositum Domini arguentis.

Decima octava, &, si bene retinui, ultima auctoritas, est illa octavæ Synodi, quæ dicitur sic in condemnatione Photii dixisse: Hæc autem nolentem intelligere Photium, ut bene ageret, sed inobedientem & resistentem huic universali Synodo, repulimus, & anathematizavimus, atque a Catholica tota & Apostolica Ecclesia fecimus alienum, per datam nobis potestatem a Spiritu Sancto, a Christo, & magno Pontifice nostro, & Deo Liberatore, & Salvatore cunctorum: Et postea subditur: nullus ergo studeat eorum, qui Christiano vocabulo digni sunt, quique regimen Pastorale sortiti sunt, contrarium quidquam agere hujus sanctæ & universalis Synodi, ac per hæc inveniatur Deo contradicens, & illius Concilii judicium spernens. Dicit enim Paulus magnus Apostolus: Qui spernit nos, non spernit hominem, sed Deum unum, qui dedit Spiritum Sanctum in nobis. Quis enim nesciat, quod in medio hujus & universalis Synodi fuerit incircumscriptibilis, & incomprehensus Deus, qui ait: Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, sum in medio eorum. Ex istis contentis in hac auctoritate arguit præfatus Dominus; Primo, quod Synodus habeat immediate a Deo potestatem. Secundo, Concilio universali competat illud Matth. XVIII. Ubi duo vel tres congregati fuerint, &c. Ad istam auctoritatem breviter respondetur, quod parum habet difficultatis: tum quia non ita habetur in originali, sicut inducitur per arguentem: sed sic habetur: per datam nobis potestatem in Spiritu Sancto, a primo & magno Pontifice nostro, Deo Liberatore & Salvatore cunctorum. In quibus verbis Synodus videtur per magnum Pontificem, Papam intelligere: tum secundo dato, quod sic se haberet auctoritas, sicut allegata est; non sequitur id, quod arguitur: nam ad primam partem respondetur negando

gando consequentiam. Ex verbis enim illis patrum in Synodo congregatorum, non sequitur, quod Synodus ipsa immediate a Christo potestatem habuerit: immo ut sæpe repetitum est, in hac argumentandi forma, committitur fallacia figuræ dictionis. Sane si hæc argumentatio locum haberet, cum juxta Apostolum Rom XIII. non sit potestas nisi a Deo, quilibet qui potestatem aliquam haberet, posset dici illam habere immediate a Deo: & ita nedum ab ipsa Ecclesia, sed ab ipso universo, id quod optimum est, scilicet ordo tolleretur. Ad secundam partem respondetur, quod illa & similia verba Christi optime competunt Conciliis universalibus similibus, qualia fuerunt illa VIII. Concilia, Apostolica auctoritate fulta & roborata, quæ debitam reverentiam & caritatem observarunt semper ad Sedem Apostolicam; sed illa verba non competunt perversis & malignis Synodalibus, sicut patet de multis, scilicet Ariminensi, & Ephesina secunda, & ita de aliis quibuscumque, quæ fuerint ab Apostolicæ Sedis societate, & caritate divisæ. Verum ex eo, quod universali Synodo competat illud verbum: Ubi duo vel plures congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum: non arguitur, quod Synodus immediate habeat potestatem a Christo jurisdictionis, sicut manifestum est. Alias omnis congregatio quorumcumque fidelium, sive magna, sive parva, in Christi nomine conveniens, potestatem jurisdictionis haberet immediate a Christo: quod ab omni ratione alienum est.

Ultimo quantum ad istum articulum, respondendum est, ad rationem illam supradictam, pro Ecclesia universali, ex parte impossibilitatis errandi in fide. Arguebatur autem sic: Ecclesia universalis nunquam legitur errasse, nec errare in futurum potest. Sed Romanus Pont. a fide errasse legitur, ut in cap. Anastasius, dist. XIX. & potest errare, ut de se patet: ergo videtur, quod universalis Ecclesia, & per consequens universale Concilium illam repræsentans, auctoritate superior sit Romano Pontifice. Ad istam rationem respondetur breviter primo ad antecedens, quod Ecclesia universalis, quæ errare non potest, non dicit congregationem distinctam, aut separatam a Romano Pontifice; cum illa dicatur collectio omnium fidelium, de Consecr. dic. Prima. in cap. Ecclesia. Secundo ad consequentiam dicitur negando illam. Hæc enim argumentatio nulla est: Ecclesia universalis non potest errare in fide, Papa vero sic. Ergo illa est major potestate jurisdictionis, sive potestate clavium (de qua majoritate est præsens sermo) ipso Romano Pontifice. Quod ex eo manifestum est: quoniam istæ gratiæ gratis datæ distinctæ sunt: videlicet non errare in fide, & potestas clavium: & una non arguit illam de necessitate, sicut planum est. Alias quilibet in gratia confirmatus potior esset auctoritate Romano Pontifice non confirmato, quod esset absurdum. Est autem multum animadvertendum, pro solutione multarum hujusmodi rationum, illud quod scribitur, extra de pœnitentiis & re. in cap. Novar. quod licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit universis Apostolis, non tamen illi, sed istis, Deus claves regni cælorum commisit. Ecce, quod licet Beatissima Virgo Maria, Mater Dei, Sponsa Christi, Regina mundi, & Angelorum Domina, gratia plena, & in fide semper immobilis fuerit; non tamen arguiter inde, quod potior fuerit potestate clavium, ipso Petro. Tertio ratio facta etiam non procedit, eo quod licet universalis Ecclesia privilegium habeat non errandi in fide, hoc tamen privilegium universa Concilia non habent, cum multa eorum errasse legamus: Cum a doctrina Apostolicæ Sedis, in qua semper immaculata Christianæ fidei est religio servata, declinaverunt: immo si alicujus auctoritatis esset ratio facta, clare concluderet in oppositum: cum Apostolica Sedes juxta illud Lucæ XXII. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & juxta Sanctorum Patrum doctrinam, exponentium hunc locum, privilegium habeat a Christo, utpote tribunal Christi in terris, in judicio fidei non errandi: quod Concilia universalia ab Apostolica Sede separata, non habent. Et hæc de omnibus auctoritatibus, & rationibus factis per Reverendissimum Patrem Dominum Cardinalem, pro secunda parte Decreti facti Constantiæ, per obedientiam dicti Joannis XXIV. dixisse sufficit.

Tertia pars Decreti, quam præfatus

Dominus arguens tetigit tertio loco, eſt illa, ubi dicitur, quod quilibet cujuscumque dignitatis, etiamſi papalis exſiſtat, tenetur obedire Synodo univerſali in iis, quæ pertinent ad fidem. Dicebat prædictus Dominus, quod Decretum illud in hac parte nullam difficultatem habet, & quod omnes in ejus ſententia concordare videntur. Ad cujus probationem induxit capitulum: Si Papa. diſt. XL. de hac parte præfati Decreti, cum omni tamen correctione Sanctiſſimi Domini noſtri loquendo, cujus auctoritati & judicio omnia dicta mea ſubjicio, non videtur mihi ſimpliciter & indiſtincte aſſerendum, Decretum illud Conſtantiæ editum in hac parte veritatem non continere fidei Catholicæ. Cujus ratio eſt, quoniam illa propoſitio multiplicem habeat intelligentiam; in quarum una, poteſt Decretum illud continere veritatem, & in alia non. Poteſt autem pars illa Decreti primo modo ſic intelligi, quod quilibet Catholicus, etiam Papa, tenetur obedire, id eſt, amplecti, & recipere ea, quæ Synodus juſſerit, quæ manifeſte ad fidem pertinent, utpote in Sacra Scriptura expreſſa, aut per Eccleſiam univerſalem, aut per Apoſtolicam Sedem jam diffinita. Et in hoc ſenſu Decretum illud in hac parte continet veritatem. Sed quod in hoc caſu teneatur Papa obedire Synodo, non ex aliqua ſuperioritate poteſtatis, quæ ſit in Synodo ſupra Papam, quia in talibus ad fidem pertinentibus obedire tenetur, nedum Synodo, ſed Apoſtolicæ Sedi talia docenti, quæ nullam habet ſuperioritatem reſpectu Papæ. Sed obedientia & reverentia iſta attenditur ratione materiæ fidei, quæ auctoritatem ſupremam habet ex parte Spiritus Sancti, a quo eſt omnis veritas, ut dicit Ambroſius, a quocumque dicatur: quomodo loquitur Apoſtolus ad Romanos decimo: Non omnes obediunt Evangelio. Secundo modo pars illa Decreti poteſt habere hunc ſenſum: quod ſcilicet Papa teneatur ſtare & obedire diffinitionibus univerſalis Concilii in iis, quæ ad fidem pertinere, ipſa Synodus diffinierit. In quo ſenſu non videtur, quod ita ſimpliciter & indiſtincte loquendo, pars illa Decreti contineat veritatem Catholicæ fidei. Quoniam cum Concilia univerſalia non habeant hoc privilegium in judicio fidei non errandi, quia quandoque, ut ſuperius dictum eſt, leguntur erraſſe, ſicut manifeſtum eſt de Synodo univerſali ſecunda Epheſina: nullo modo videtur aſſerendum, quod ſit veritas Catholicæ fidei, quod ita indiſtincte & ſimpliciter quilibet fidelis, etiam Papa, tenetur obedire Synodo univerſali in his, quæ pertinent ad fidem, i. quæ ipſa Synodus judicaverit, aut diffinierit ad fidem pertinere. Nec hoc probat capitulum, ſi Papa, inductum ex adverſo. Quare neceſſario ſenſus iſte diſtinguendus eſt: quoniam aut Synodus univerſalis aliquid diffinivit de fide, Apoſtolica Sede probante & confirmante, quæ ut habetur in cap. Omnes. diſt. XXII. Mater fidei appellatur: & tunc dicendum videtur, quod Decretum illud contineat veritatem: videlicet, quod tali diffinitioni & determinationi fidei, quam univerſalis Synodus modo aſſignato fecerit, quilibet fidelis tenetur, etiam Papa obedire. In quo caſu optime venit illud, quod Beatus Gregorius ait, & habetur in cap. Sicut, diſtinct. XV. " Sicut ſancti Evangelii " libros quatuor, ſic & quatuor Concilia, & " venerari me fateor, & hæc tota devotione amplector, integerrima approbatione " cuſtodio: quia in his velut in quadro " lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, " & cujuslibet vitæ, atque communis " actionis norma exiſtit. Quæ dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & " non illa deſtruit, quisquis præſumpſerit abſolvere, quos ligant, aut ligare, " quos abſolvunt, id eſt, judicare Catholicos, quos illa hæreticos judicat, aut e " converſo." Si vero contingat, quod Synodus aliquid diffiniat, cui Apoſtolica Sedes, ſive Romana Eccleſia contradicat, ſicut factum eſt de univerſali Synodo Epheſina ſecunda, tunc manifeſtum eſt, quod magis obediendum eſt diffinitioni Apoſtolicæ Sedis, quam diffinitioni cujuscunque Synodalis Congregationis. Unde Glo. in cap. Quodcumque. XXIV. qu. I. dicit: Credo, quod ſententiæ totius Eccleſiæ, præferenda ſit ſententia Romanæ Eccleſiæ, ſi in aliquo ſibi contradicant: Art. Hæc eſt fides, ſi Papa beatiſſime. Eadem cauſa & quæſtione. Niſi erraret Romana Eccleſia, quod non credo poſſe fieri, quia Deus non permitteret. Art. eodem cap. Pudenda. Hæc Glo,

Glo. Hoc etiam confirmatur omnium illorum Patrum teſtimoniis, qui Apoſtolicæ Sedis privilegium, non errandi in judicio fidei, eſſe teſtantur: de quibus jam aliqua commemorata ſunt ſupra. Præterea, quod hæc conſideratio habenda ſit in diffinitionibus fidei factis per Synodos quaſcumque, oſtendit Beatiſſimus Leo Papa in Epiſtola, quam ad Nicetam Aquilegienſem Epiſcopum ſcribit, de quibusdam Clericis Pelagiana & Cæleſtiana hæreſibus ſuſpectis, ut errores ſuos cogantur deteſtari: ubi ſic inter alia dicit: "Damnent apertis profeſſionibus ſuis " ſuperbi erroris auctores, & quidquid " in doctrina eorum univerſalis Eccleſia " exhorruit, deteſtentur: omniaque Sy" nodalia, quæ ad excidionem hæreſeos " Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctori" tas, amplecti ſe, & in omnibus appro" bare, plenis & apertis ac propria manu " ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur. Hæc ille. Ecce quod non inquit ſimpliciter, illos debere omnes Synodales deciſiones illius hæreſeos amplecti; ſed eas tantum, quas Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas. Si vero caſus talis contingeret, quod Patres univerſi in Synodo univerſali convenientes unanimiter aliquam diffinitionem fidei facerent, cui ſola perſona Papæ contradiceret, dicerem judicio meo, quod Synodo ſtandum eſſet, & non perſonæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum univerſalis unius Synodi, in materia fidei, merito præferendum videtur judicio unius hominis. In quo caſu optime venit illa Gloſſ. quæ habetur in cap. Anaſtaſius, diſtinct. XIX, quod ubi de fide agitur, Papa tenetur requirere Concilium Epiſcoporum: quod intelligendum eſt, quando caſus eſt valde dubius, & Synodus convocari poterit: & tunc Synodus major eſt Papa, non quidem poteſtate jurisdictionis, ſed auctoritate diſcretivi judicii, & amplitudine cognitionis. Ut enim habet Gloſſ. in cap. Multi. diſt. XL. Pars illa, quæ juſtiori ratione utitur, major dicitur; licet ſit minor, ſcilicet alio reſpectu. XXXI. diſt. cap. Nicæna. Ubi autem ita eveniret, quod talibus, quæ ad fidem pertinere tota Synodus per apertiſſima teſtimonia Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum doctrinam unanimiter declararet; Papa acquieſcere, obedire, & ſtare nollet, ſed contumaciter contradiceret; talibus aperte ad fidem Catholicam pertinere declaratis, jam utpote hæreticus ſubjectus veniret Concilio, ſicut & quilibet alius a fide devius. Cum enim per hæreſim a Papatu cadat, factus eſt, ut ait Sanctus Thomas in quarto, omni fideli minor: & idem habetur in Gloſſ. in cap. Acacius, (*) el. primo, ubi ſic dicit: Hic eſt caſus, in quo Papa in Canonem latæ ſententiæ incidit. Nec obviat regula illa, quia par parem ſolvere, aut ligare non poteſt: quia ſi Papa hæreticus eſt, in eo, quod hæreticus, minor eſt quolibet Catholico. Et ad iſtum caſum facit cap. Si Papa, inductum ex adverſo, & non ad alium, ſicut ex ipſo text. patet. Dicit enim ſic: " Si Papa. ſuæ & fraternæ ſalutis negli" gens deprehenditur, inutilis & remiſſus " in piis operibus, & inſuper a bono ta" citurnus, quod magis officit ſibi, & " omnibus, &c. Hujus culpas iſthic hic " redarguere præſumit mortalium nullus, " quia cunctos ipſe judicaturus, a ne" mine eſt judicandus, niſi deprehen" datur a fide devius." Hæc ibi. Et intelligitur, ut dicit Gloſſ. incorrigibiliter. Quod Capitulum cum loquatur de Papa, cum jam per hæreſim notoriam & contumaciter defenſam, ſit ipſo jure Pontificatu privatus, quia remota fide, per quam fit prima connexio hominis ad Corpus Chriſti, membrum Eccleſiæ eſſe definit; manifeſte demonſtratur, quod ex eo nulla ſuperioritas poteſtatis arguitur in Concilio univerſali ſupra Papam Catholicum ſive fidelem: ſicut nec ex hoc, quod juxta Glo. jam dictam in cap. Acacius. Papa Papam in caſu hæreſis ligare poteſt, ſequitur, quod Papa unus Superior ſit poteſtate Prædeceſſore, aut Succeſſore ſuo vero Catholico exiſtente.

Quarta pars Decreti tacta per præfatum Patrem & Dominum opponentem quarto loco, eſt illa, in qua dicitur, quod quilibet fidelis cujuſcumque dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat; tenetur obedire univerſali Synodo in his, quæ pertinent ad exſtirpationem ſchiſmatis. Induxit autem idem Dominus pro hac parte Capitulum, ſi duo contra fas, diſt. LXXIX. Circa quam partem primo conſiderandum eſt,

(*) *forte:* Gel. *pro* Gelaſ.

eſt, quod Decretum Conſtantiæ editum, non loquitur de ſchiſmate quocumque, ſed tantum de ſchiſmate, illo tempore currente, quo decretum eſt. Nam ſic ait: & in his, quæ ad exſtirpationem præſentis ſchiſmatis. Quam periculoſum autem & ſcandaloſum ſit, ſecundum hunc ſenſum, quem forma hujus Decreti prætendit, dicere, quod ſit veritas Catholicæ fidei, quod quilibet fidelis in pertinentibus ad exſtirpationem illius ſchiſmatis, aut in quacumque alia re tenebatur obedire illi congregationi, quæ ſub Joanne XXIII. dicto tempore ſchiſmatis Conſtantiæ ſub nomine Generalis Concilii convenit, patet manifeſte, & in ſuperioribus perſpicue oſtenſum eſt. Quare aliis prætermiſſis teſtimoniis, videndum eſt, quid veritatis contineat præfatum Decretum, accipiendo illud de alio quocumque ſchiſmate & de quarumcumque alia univerſali Synodo. Videtur autem reſpondendum, quod decretum illud in illa parte veritatem continet in eo caſu in quo loquitur cap. Si duo contra fas, inductum per Reverendum Patrem & Dominum diſt. LXXIX. Ubi tex. loquitur, quando duo contra fas, id eſt, illicite, temeritate concertantium fuerint ordinati. Quod Capitulum locum habet, quando neuter eorum eſt Canonice, ſive ut ait. Glo. electus a duabus partibus; ad quem caſum referenda eſt intelligentia Decreti Conſtantienſis, quod incipit. Frequens. Sed in caſu quo unus Canonice eſt electus & per univerſalem Eccleſiam per multos annos indubitatus habitus & veneratus pro tali; & eo ſuperſtite, alius per nonnullos inthronizatur, non videtur eſſe veritas Catholicæ fidei, immo falſitas, quod Papa, qui verus & indubitatus eſt, obedire tenetur univerſali Synodo, quæ pro exſtirpando ſchiſmate vellet diſponere de diſpoſitione ejus. Plane ſi hæc conſuetudo introduceretur, innumera ſchiſmata naſcerentur in Eccleſia: nullusque ſuam dignitatem ſervaret illæſam, & perverſis hominibus occaſio præberetur audaciæ, & temeritatis plurimæ ad elevandum idola in Eccleſia: ut hac occaſione deponendus ille veniret, quem quilibet Princeps aut communitas gratum non haberet. In quo conſiderandum eſt, quod Beatiſſ. Cyprianus dicit in Epiſtola ad Cornelium de quinque Presbyteris, qui tenebant cum Novatiano intruſo. "Quod ſi ita res eſt, frater, ut nequiſſimorum timeatur audacia, ut quod mali jure atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant; actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi: ac Divina poteſtate, nec Chriſtiani ultra aut durare, aut eſſe poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus." Et in alia quadam Epiſtola, ſic dicit: "Quid? " quia honorem Cathedræ Sacerdotalis " Novatianus uſurpat, numquid idcirco " nos Cathedræ renunciare debemus? Et " quia Novatianus altare collocare, & Sa" crificia offerre contra fas nititur, ab " altari & ſacrificiis ceſſare nos oportet, " ne paria & ſimilia cum illo celebrare " videamur? Vanum prorſus & ſtultum, " ut quia Novatianus extra Eccleſiam " vindicat ſibi veritatis imaginem, relin" quat Eccleſia veritatem." Hæc Cyprianus. In caſu ergo, quod univerſalis Eccleſia pro ſchismate hujusmodi tollendo congregaretur, non utique deberet procedere ad deponendum verum & indubitatum habitum Rom. Pontificem, & quem nullo jure conſtat a Papatu cecidiſſe; ſed ad perſequendos eos perditos homines, qui per novi idoli erectionem ſchisma introducere in Eccleſiam, tanta temeritate præſumunt. Et hoc de quarta parte illius Decreti dixiſſe ſufficiat.

Quinta pars Decreti tacta per præfatum Dominum opponentem eſt, quod quilibet fidelis cujuscunque ſtatus & dignitatis, etiam ſi Papalis exſiſtat, tenetur obedire univerſali Synodo, in his, quæ pertinent ad generalem reformationem Eccleſiæ, in capite, & in membris. Licet autem idem Dominus dixerit, opus eſſe, ut hoc Decretum in hac parte declaretur, pro eo, quod aliqui illud extendebant, amplius & extenſius intelligant, quam accipiendum eſſe videretur; nihilominus tres induxit caſus, ſi bene retinui, in quibus dixit Gloſſ. & Doct. aliquos ante Conſtantienſe Concilium fuiſſe illius ſententiæ & doctrinæ: in quibus videtur, quod Decretum illud ſit verum. Primus eſt, quando eſſet neceſſitas reformandi Eccleſiam, & Concilium eſſet congregatum ad hoc, & ipſe nollet facere reformationem. Quia in hoc caſu videretur, quod nollet, quod Eccleſia eſſet pul-

pulchra, & ita decoloraret Ecclesiam. Secundus casus, quando scandalizat Ecclesiam sua mala vita: quia ex hoc daretur occasio credendi aliis, multa non esse peccata. Pro quo casu induxit Gloss. cap. Si Papa. Tertius, quando vellet facere contra universalem statum Ecclesiæ: quod tamen non potest facere, ut dicunt Doctores in cap. Sicut. distinct. XV. & cap. Si illa. XXV. quæst. I. Unde Archi-Diaconus & Innocentius dicunt, quod si vellet facere contra universalem statum Ecclesiæ, non esset sustinendus. Ad istam partem in paucis respondetur, dicendo, quod Ly, tenetur obedire, intelligeretur de honestate, non de necessitate: & sic Decretum verum esset juxta Gloss. in cap. Confidimus. XXV. quæst. I. nisi sequeretur in alio sequenti Decreto, quod quicumque, cujuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis exsistat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus Sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius factis, vel fiendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur. Hic enim tenor, & hæc forma Decreti necessitatem coercitivam, & coactionem important. Propter quam caussam omnino videtur impossibile, Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum sententiis consideratis, videre, quod hæc pars Decreti sit veritas Catholicæ fidei: videlicet, quod Papa teneatur hoc modo obedire Decretis, seu Statutis quibuscumque, cujuscumque Synodi universalis, ad generalem reformationem pertinentibus universalis Ecclesiæ in Capite, & in membris: ita quod Papa illa non observans per Concilium universale posset puniri, sive judicari, aut deponi: quoniam ex superioribus, tam ex reprobatione aliarum partium præfati Decreti juxta intelligentiam, quam de eo Basileenses recipiunt, quam ex his, quæ de primatu Romani Pontificis dicta sunt, & de Conciliorum dependentia a Sede Apostolica, manifestum videtur, ut etiam est communis doctrina Theologorum & Juristarum, quod extra casum hæresis, in quo, ut dictum est; " Papa a Papatu cadit, cadens a petra fidei, universalis Synodus non possit Rom. Pontificem verum & indubitatum prædicto modo judicare, propter non observantiam quorumcunque Statutorum, seu Decretorum universalis Concilii, sive propter quodcumque aliud crimen a crimine hæresis." Oppositum enim dicere, facile est ostendere, repugnare Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum doctrinis. Primo quidem repugnare videtur sacræ Scripturæ illi, quæ habetur, Matth. XXIV. & Luc. XII. ubi Christus Petro loquens ait: Quis putas est fidelis Dispensator & servus prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Gloss. id est, Ecclesiam. Dicit autem Ambrosius, Lib. V. de Trinitate., quod servus iste super Ecclesiam a Christo constitutus, est Petrus, & per consequens ejus Successor. Unde in Ecclesiastico Officio, Christus legitur Petro dixisse: Super plebem meam Principem te constitui. Quod autem huic Scripturæ Sanctæ contradicat pars illa Decreti, patet manifeste: quia hæc Scriptura dicit, Romanum Pontificem potestate sibi a Deo tradita, esse super Ecclesiam Principem constitutum: Decretum vero dicit, Concilium universale, Ecclesiam repræsentans, per potestatem a Deo immediate habitam, esse supra Romanum Pontificem, & posse illum judicare. Notum est autem, quod inferior judicare non potest Superiorem, ad Rom. XIV. " Tu quis es, qui judicas servum alienum? suo Domino stat, aut cadit." Et I. Cor. IV. "Qui autem judicat, me Dominus est." Et in cap. Inferior. distinct. XXI. dicit textus, quod inferior sedes, nec absolvere, nec ligare potest potiorem; sola potior est, quæ inferiorem convenienter absolvit, aut ligat. Cum ergo solus Deus Superior sit Romano Pont., cum illius solius servus sit, & Vicarius; videtur, quod ad solum Deum Dominum ejus pertineat ejus judicium in hoc casu. Quod etiam ex sequentibus in præfata auctoritate videtur manifeste colligi: ait enim sic Salvator noster: " Quod si dixerit servus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari." Glo. id est, ad vitia incitare, & conscientiam infirmorum pravo exemplo, vel verbo laniare: sequitur: "Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit," Glo. Judicii vel mortis: & dividet eum a consortio fide-

fidelium, partemque ejus cum infidelibus ponet. Hoc ibi. Ecce quam manifeste Salvator noster, sibi soli reservat judicium servi sui delinquentis, quem constituerat super familiam suam. Hoc est, quod dicit Symmachus Papa, Concilio Generali Romæ Præsidens, in quo, teste Fratre Martino in Chronica, ducenti viginti Episcopi convenerant. Dicit autem sic, ut in cap. Aliorum. IX. quæst. III. Aliorum hominum causas Deus per homines voluit terminari: sed sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Præterea pars illa Decreti contradicit Scripturæ sanctæ illi Matth. XVI. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ergo non potest dici continere veritatem, sed magis errorem: consequentia patet, & antecedens deducitur sic: In hac auctoritate Beatus Petrus, non solum præ omnibus singulari prærogativa clavium donatus est, ut ait Glo. ordinaria, sed etiam totius Ecclesiæ futurum pronunciabatur fundamentum. Unde in Commentario Hieronymus, & ponitur in Glo. Secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei: Ecclesiam meam ædificabo super te: & iterum Glo. vide quam potestatem habet petra, super quam ædificatur Ecclesia, ut etiam judicia ejus maneant firma, quasi Deo judicante per eam. Sed manifestum est, quod ista duo repugnant: Pontif. Romanum fundamentum esse Ecclesiæ per singularem prærogativam principatus clavium, & ipsum esse subditum universali Concilio Ecclesiam repræsentanti. Dicit enim Propheta Isaias in C. X. & habetur in C. Inferior. dist. XXI. "Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam?" & sequitur in præfato cap. Inferior. His itaque ex Divina Scriptura commemoratis, sole clarius exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui majoris potestatis est, judiciis suis addicere. Ceterum arguitur sic: Pars illa Decreti contradicit Scripturæ illi sanctæ Joan. ultimo: Petre, pasce oves meas. Ergo illa non potest continere veritatem Fidei Catholicæ, sed errorem magis. Consequentia patet: antecedens deducitur sic: Per hanc Salvatoris institutionem Petrus, cui succedit Romanus Pont. constitutus est universalis Ecclesiæ Pastor & Rector. Unde Beatus Chrysostomus super Act. Apostol. Petrus a filio super omnes, qui filii sunt, potestatem accepit; Non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas: inter oves istas & illas non distinguens, sed universas oves suas ejus curæ commendat. Et Beatus Gregorius ad Imperatorem Mauricium: Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: Petre amas me, pasce oves meas. Sed manifestum est, quod ista repugnent ad invicem, quod Romanus Pontifex sit Pastor totius gregis Dominici, Rector, Gubernator: Et quod ipse grex, aut universalis Synodus gregem ipsum repræsentans, potestatem habeat a Christo immediate judicandi, & puniendi Pastorem ipsum, si gregis sui transgrediatur instituta. Ratio enim Pastoris, & ratio gregis, ista simul stare non patiuntur. Ad Pastoris enim rationem pertinet cura regendi oves. Ovium vero est obedire Pastori. Unde Joan. X. Oves meæ vocem meam audiunt. Et Beatus Augustinus in De verbis Domini, homil. LXII. "Animadvertit caritas vestra: Dictum est Petro a Domino per interrogationem, Diligis me? cui respondit ille: Tu scis, quia amo te: hoc secundo, hoc tertio, & ad singula verba respondens, dicebat Dominus: Pasce agnos meos. Commendat Petro Christus agnos suos pascendos, qui pascebat & Petrum. Et infra: Pertineat ergo ad nos cura, ad oves obedientia: ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis." Hæc Augustinus. Nulli ergo dubium, cum contra rationem pastoris sit, ut oves, aut grex potestate superior sit ipso pastore, quod contra institutionem Christi, qua Rom. Pontifex constitutus est Pastor, & Rector totius gregis Dominici, sit pars prædicti Decreti. Quamobrem dicitur in cap. Oves. II. quæst. VII. Oves, quæ suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi a fide exorbitaverit, nec ullatenus accusare possunt: quia facta Pastorum, oris gladio ferienda non sunt, quamquam reprehendenda recte videantur. Idem habetur VI. quæst. I.

Oves.

Oves. Oves Pastorem suum non reprehendant, scilicet imperiose. Et sequitur ratio, quia non est discipulus supra Magistrum. Præterea quod pars illa Decreti non posset dici continere veritatem fidei Catholicæ, patet, quoniam contradicit Decreto hujus universalis & œcumenicæ Synodi Florentinæ; in qua Orientali & Occidentali Ecclesiis convenientibus, Præsidente Sanctissimo ac Beatissimo Domino nostro Eugenio Papa IV. Divina & Apostolica auctoritate diffinitum est, Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Rom. Successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam universalem, a Domino JESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse. Plane hæc simul stare non possunt, ut Romanus Pontifex primus sit totius orbis, & tamen universali Concilio, orbem repræsentanti, sit subjectus. Quod Princeps sit Apostolorum, seu plebis Christianæ, & illorum Concilio subditus sit. Quod sit Vicarius Christi præsentialis immediate ab eo constitutus, & alteri, quam Christo subditus sit. Quod sit Caput totius corporis Ecclesiæ, & a Concilio corpus Ecclesiæ repræsentante veniat judicandus, & regendus. Quod sit Pater omnium Christianorum, & sub pœna damnationis (*) damnatorum, de consilio filiorum suorum parere teneatur mandatis. Quod sit Doctor omnium fidelium, & Synodo universali, Collegio Discipulorum suorum veniat inferior. Quod plenam a Christo potestatem acceperit pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam; & quod Concilium universale Ecclesiam repræsentans superius sit illo potestate regiminis, & gubernationis. Plane hunc locum optime respicit dictum sapientissimi Salomonis, qui Prov. XXX. dicit: Per tria movetur: Gloss. interlin. inquietatur terra Gloss. id est, Ecclesia: & quartum sustinere non potest: per servum cum regnum cœperit. Quod tunc videtur contingere, cum inferiores superiores reprehendere, & corrigere, & quos Deus exaltavit dignitate Principatus, humiliare præsumunt. Ubi compleri videtur, quod dicitur Ecclesiast. X. Vidi servos in equis, Gloss. interlin. in dignitate: Principes autem ambulantes, quasi servos. Nec potest dici, quod Papa per peccatum mortale desinat esse superior: quoniam hoc falsum est & erroneum. Unde in Concilio Constantiensi, ut patet in Epistola decretali Domini Martini, super erroribus Wiclef, & Joannis Huss sequentes errores sunt condemnati. "Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus. Item alius: "Papa non est manifestus, & verus Successor Principis Apostolorum Petri, si vivit moribus contrariis Petro. Item alius: "Cardinales non sunt veri & manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata & consilia Domini nostri Jesu Christi." Per solum quidem crimen hæresis pertinaciter defensum, quis cadit a superioritate jurisdictionis, & potestatis. Et cum quæritur, unde hujus differentiæ inter crimen hæresis, & alia peccata habetur fundamentum; Respondetur breviter pro nunc, quod de Sacra Scriptura, & ex Jure Canonico, & ex ipsa ratione. Ex Scriptura quidem, nam de aliis criminibus ait Dominus Matth. XXIII. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Quæcumque dixerint vobis, facite, & servate, secundum opera eorum nolite facere. Ecce, quod Dominus non abjiciendos dicit malos Pastores, qui doctrinam bonam habent, vitam vero malam. Item ad Rom. XIII. dicit Apostolus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Gloss. bonis vel malis. Et I. Pet. II. Subditi estote Dominis vestris, non tantum bonis, sed & dyscolis. De crimine vero hæreseos, quod illud faciat Prælatum cadere ab auctoritate jurisdictionis, & per consequens a Papatu, qui principatum jurisdictionis importat, colligitur primo secundum quorumdam veterum expositionem ex illo Deuteron. XVII. Non poteris alterius gentis, quam scilicet Christianæ, hominem regere facere, qui non sit frater tuus, scilicet fidei religione. Præ-

(*) damnatorum *videtur redundare.*

Præterea dicit Salvator Matth. X. Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo. Item Joan. III. Qui non credit, jam judicatus est. Item Joan. secundæ I. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo vestra, nec Ave dixeritis ei. Qui enim dixerit Ave, communicat ejus operibus malignis. Ex quibus manifesta differentia inter hæresis crimen & alia. Ceterum ex Jure Canonico hujus differentiæ capitur fundamentum, sicut superius ostensum est in multis Capitulis inductis ad ostendendum, quod hæretici potestate privantur jurisdictionis. Ratione etiam non caret hæc differentia, quoniam cum fides sit prima connexio, qua quis connectitur Corpori Christi, sitque primus lapis ædificii spiritualis; impossibile videtur, quod quis habeat rationem capitis, qui non habet rationem membri. Ecce quam clara differentia ex ipsa Scriptura sancta colligitur inter crimen hæresis, & alia peccata in ipsis Pastoribus Ecclesiæ. Et ideo non mirum, si Doctores eruditi tam Theologi, quam Juristæ, magnam inter illa differentiam faciant. Amplius arguitur sic contra præfatam partem Decreti: illa non videtur posse dici continere veritatem Catholicæ fidei, quæ determinationi Apostolicæ Sedis contradicit: sed illa est hujusmodi; ergo non veritatem, sed magis errorem continere dicenda est. Major patet ex illo Hieronymi in cap. Hæc est fides, Papa Beatissime. XXIV. qu. I. Minor vero patet in decretali illa: Unam Sanctam: quam fecit Bonifacius VIII. cujus sunt verba, quæ sequuntur: " Si " deviat terrena potestas, judicatur a " spirituali: si deviat spiritualis, judica" tur minor a suo Superiore; si vero su" prema, a Deo solo potest judicari." Hæc ibi. Alia plurima facile est inducere contra hanc partem Decreti, contra quam manifeste sunt Hugo de S. Victore, Sanctus Thomas, Albertus magnus, Alex. de Ales, Alvarus, & alii plurimi in facultate Theologica Magistri, quorum dicta pertranseo brevitatis causa. Quibus sic habitis, venio ad casus positos per Dominum arguentem. Prmus casus assignatus est, videlicet quomodo imminente necessitate reformationis Ecclesiæ, & actu existente Concilio, Papa nollet facere reformationem, non sufficit ad depositionem Papæ, cum talis negligentia, aut mala voluntas non dejiciat eum a superioritate potestatis, nisi ista mala voluntas talis esset, quæ manifeste orietur ex aliquo errore in fide Catholica: ut puta, quia non crederet Ecclesiam sanctam esse, contra illud, quod de ea ait Spiritus Sanctus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: Cant. IV. aut quod non crederet, quod sanctitas vitæ requiratur in suscipientibus ordines sacros, & promovendis ad Ecclesiasticas dignitates de necessitate præcepti, etsi non de necessitate Sacramenti: contra illud Levit. XXI. Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret panes coram Domino, nec accedet ad ministerium ejus. Ubi per maculam in Glos. omne vitium intelligitur. Juxta quem sensum intelligendi sunt Doctores, si qui illum casum proposuerunt: sic dico, quia nullum talem, qui alicujus esset nominis, talia docentem ego legi. De secundo autem casu, quando scilicet scandalizat incorrigibiliter Ecclesiam, dico, quod ista incorrigibilitas malæ vitæ, qua talis scandalizat Ecclesiam, potest dupliciter intelligi: uno modo in continuatione criminis, puta, quia monitus non curat desistere, seu abstinere a peccatis: alio modo potest incorrigibilitas illa in defensione criminis, ut si pertinaciter defenderet aliqua non esse peccata, sicut simoniam, sicut avaritiam, sicut promotionem indignorum; ita quod crimina prohibita jure Divino, laudaret aut defenderet tamquam licita. Primo modo loquendo de incorrigibilitate, casus ille juxta superius dicta non habet veritatem; secundo autem modo intelligendo, locum haberet, quia jam hæreticus esse, sentiens male pertinaciter de Lege & Scriptura sancta, convincitur. Et ad Glo. quæ allegatur in cap. Si Papa, dico, quod multa sunt, propter quæ illa Glo. nullum doctum, seu gravem virum debeat movere, immo parum, aut nihil est curandum de illa. Tum primo, quia Glo. illa nulla firmatur ratione; nec hoc, quod inducit: Si peccaverit in te frater tuus: pro opinione sua, sicut in responsione ad primam auctoritatem est ostensum. Tum secundo, quia Gloss. illa est manifeste contra tex. unius Summi

mi Pontificis, & Martyris, qui multo præstantioris est auctoritatis, quam Hugutio unquam fuit. Tum tertio, quia est contra alios multos tex. sacrorum Canonum, sicut patet de Capitulo. Nemo judicabit primam sedem: &c. Aliorum hominum causas: &c. Cuncta novit Ecclesia. IX. quæst. III. cap. Ejecti. dist. LXXX. Quarto, quia contraria est multis aliis Gloss. & maxime in cap. Si quis pecuniam, LXXIX. quæ vult, quod tantum pro hæresi stricte sumpta Papa posset judicari, scilicet si peccat contra articulos fidei. Quinto, quia est contra clariores Doctores in jure Divino, quorum aliqui superius nominati sunt, quibus merito in hac parte credendum est, & securius creditur eis, quam Hugutioni. Inter quos Dominus Alvarus, maximus Doctor in utroque jure, ponit expresse in libro de hæresibus, rubrica XXXII, quod error est, quod Papa possit judicari extra casum hæresis a Concilio Generali. De tertio vero casu, quando scilicet vult facere contra universalem statum Ecclesiæ; dicitur, quod in isto casu, licet Papæ non esset obediendum, sed resistendum; non tamen venit propterea a Concilio judicandus. Aliud enim est non obedire, quod potest facere inferior, cum aliquid contra Divinam legem a superiore præcipitur. Ut enim dicitur Act. V. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. De quo in cap. Qui resistit. & in cap. Si is, qui præest. II. quæst. III. Aliud est resistere, cum a superiore aliquid dicitur, quod a veritate, aut a Sanctorum Patrum sententiis sit devium, sicut Paulus restitit Petro, quia non ad veritatem Evangelii ambulabat, ad Galat. II. Aut cum contra statum universalis Ecclesiæ generaliter agere attentaret, sicut si vellet deponere simul omnes Episcopos, ac similia, ex quibus patenter universa turbaretur Ecclesia. Et hoc modo dicunt Hosti. & Inno. & Archi-Diaconus, quod non esset Papa sustinendus, id est, non permittendus hoc facere, sed ei, cum omni tamen humilitate & reverentia, resistendum esset. Non autem dicunt, quod in hoc casu deponendus esset, cum ipsi cum antiquis Doctoribus Theologis concordantes, dicunt Papam propter solum crimen hæresis posse ab Ecclesia judicari. Aliud est judicare, & hoc non est nisi Superioris, ut ante dictum est; Qui autem judicat me, Dominus est. I. Cor. IV. Et patet ita, quod nullus illorum trium casuum sufficiat, ut Papa possit subjacere judicio universalis Concilii; & ratio est, quæ superius assignata est: videlicet quod propter nullum aliud crimen venit sub judicio quorumcumque inferiorum. Quare cum quamdiu Catholicus est, verus Summus Pontifex sit, dicunt Doctores, quod semper in honore habendus est. Unde Augustinus lib. IX. veteris & novi Testamenti dicit sic: " Nonne sciens David, Divinam esse " traditionem in officio ordinis rega" lis, idcirco Saul in eadem adhuc tra" ditione positum honorificat, ne Deo " injuriam facere videatur, qui his or" dinibus honorem decrevit? Dei enim " imaginem habet Rex, sicut & Episco" pus Christi. Quamdiu ergo in eadem " traditione est, honorandus est, vel " propter se, vel propter ordinem. " Unde Apostolus inquit: Potestati" bus sublimioribus subditi estote. Non " enim est potestas, nisi a Deo." Hæc Augustinus. Ex quibus omnibus patet, quod Decretum illud per Patres obedientiæ Joan. XXIII. dicti, Constantiæ editum, juxta intelligentiam, quam de eo practicant verbis & factis Basileens. secundum quam prosecutus sum istam responsionem, non contineat veritatem fidei Catholicæ, immo errorem & impietatem. Quare præsumptio maxima & exsecrabilis temeritas fuit, tali intelligentia data, diffinire, decretum illud veritatem esse Catholicæ fidei. Animadvertissent utinam pro eorum salute illud, quod Augustinus dicit in libro de Ecclesiasticis (*) dignitatibus in fine, ubi sic ait; Si quis scripturas præter eas, quas Catholica Ecclesia recepit, vel in auctoritate habendas esse, (**) vel fuerit veneratus, Anathema sit. Et hæc dicta sufficiant pro primo articulo propositionis factæ per Patrem & Dominum argumentum.

Responsio ad secundum Articulum.

SUMMARIUM.

I. Concilium Constantiense nunquam decrevit, Concilium esse supra Papam.

(*) *pro:* dogmatibus, *sed verius ex Conc. Toletano I. pag.* 993. *E.* (**) *manca sententia.*

II. Patres Constantiæ congregati recta intentione procedebant.

III. Petierunt confirmationem suorum Decretorum a Romano Pontifice, quem Concilio superiorem confessi sunt.

IV. Basileensium propositio, absque offensa Concilii Constantiensis, merito veluti hæretica condemnatur.

V. Constantiensi Decreto de Superioritate Concilii sæpe contradixerunt Patres.

VI. Joannes XXIII. renunciavit juri Papatus, si aliquod habebat.

VII. Et pro hæresi specialiter fuit a Concilio judicatus.

VIII. Concilium Generale, præsertim Sede vacante, potest facere Decreta Reformationis, pertinentia tam ad Caput, quam ad membra.

IX. Romanus Pontifex legibus quoad vim coactivam non subjicitur.

X. Legis ratio duo includit juxta Sanctum Thomam.

XI. Concilia in Ecclesiæ Romanæ aut Summi Pontificis præjudicium non possunt leges statuere.

XII. Princeps, quomodo solutus sit legibus.

XIII. Rex a Deo tantum puniendus est.

XIV. Basileense Concilium legitime convocatum, & continuatum esse, quomodo intelligitur.

XV. Concilium legitime incboatum, & continuatum, errare potest in suis diffinitionibus.

XVI. Concilium Ephesinum secundum, & Aquisgranum (*) legitime incboata, & continuata, tandem erraverunt.

XVII. Concilia plenaria priora a posterioribus plerumque emendantur.

XVIII. Basileenses non observasse, quæ Eugenio Pontifici Max. promiserant, ostenditur.

XIX. Papæ præsidentes noluerunt recipere.

XX. Præsidentibus Apostolicæ Sedis non consentientibus nulla est Concilii diffinitio.

XXI. Quomodo Præsidentes Decretis Concilii subscribunt.

XXII. Non errare, non est privilegium Conciliorum Generalium.

XXIII. Basileensium Decreta nunquam approbavit Eugenius IV.

XXIV. Conciliorum Decreta a Romano Pont. necessario confirmari debent.

XXV. Quamvis potestas Papæ in Concilio sit inclusa, necesse est tamen, ut ejus Decreta ab Apostolica Sede expresse confirmentur.

XXVI. Concilium potius includitur in Papa, quam econverso.

Sequitur secundus Articulus propositionis factæ per Dominum opponentem : in quo nixus est duplici via persuadere, quod propositio illa prima Basileensium de potestate universalis Concilii supra Papam, quam veritatem Catholicæ fidei vocant, quæ superius posita est, non condemnaretur. Et prima via sumpta fuit ex parte Patrum, qui Decretum illud Constantiæ ediderunt; Secunda ex parte eorum fratrum, qui illud Basileæ renovarunt. Circa primam viam, prima ratio, si bene mente tenui, fuit, quia non poterat condemnari sine offensa & scandalo Concilii Constantiensis, quod Decretum præfatum de potestate Concilii universalis supra Papam edidit.

Ad istam rationem respondetur, quod salva pace nunquam Concilium universale Constantiense tale Decretum edidit. Unde ex hac parte dicimus, Basileenses falsum dixisse in propositione illa prima, præsupponendo, quod Constantiæ per universale Concilium, universalem Ecclesiam repræsentans, fuerit illa superioritas potestatis Concilii supra Papam declarata. Cum enim solum pro tempore, quo tres obedientiæ fuerunt simul, congregatio illa fuerit indubitata, Synodus Generalis credita ; & non a tribus obedientiis decretum illud, sed ab una tantum fuerit editum, ut sæpe in exordio præsentis responsionis commemoratum est, manifeste falsum est, quod præsupponitur. Quod etiam ex alio colligitur; nam tota Synodus ex tribus obedientiis aggregata, statuto suo designare videtur, præfatum Decretum nunquam de mente sua processisse. Unde in Sessione XXXVI. ita dicitur: Sacrosancta Constantiensis Synodus &c. statuit, decrevit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc Sacro Concilio, vel Deputandis per singulas Nationes, debeat reformare Ecclesiam in capite Romanæ Curiæ, secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc sacrum Concilium dissolvatur, supra mate-

(*) *Aquisgranense.*

materiis articulorum alias per Nationes in reformatorio oblatorum, qui sequuntur: Primo de numero, qualitate, & natione Dominorum Cardinalium: & infra in XIII. articulo dicitur: propter quæ & quomodo Papa posset corrigi, vel deponi. Ex quo instituto manifeste datur intelligi, quod Synodus illa hoc decernens, non prius instituerit, aut decreverit, quod Papa non obediens etiam incorrigibiliter statutis, mandatis, & ordinationibus Concilii universalis, ex omnibus obedientiis Christianitatis collecti, in pertinentibus ad fidem, & exstirpationem schismatis, reformationem in Capite, & in membris, veniret per Concilium correctione pœnali puniendus, & maxime pœna depositionis: & præcipue eo considerato, quod nullus videatur posse dari casus, qui non contineatur in prædictis. Secundo arguebatur per eundem Dominum arguentem sic: Dato, sicut verum est, quod Decretum illud factum fuisset ab una obedientia tantum, nihilominus in illa erat major pars Ecclesiæ. Unde non videtur cautum, quod Decretum illud a tot populis factum, condemnaretur ut hæreticum. Ad hoc licet plurima possent dici tam circa præsuppositum, quam circa consequentiam, respondetur breviter sic.

Primo, quod non tractatur hic, neque est de mente Sanctissimi Domini nostri, quod Decretum illud Constantiæ factum per obedientiam Joannis XXIII. condemnetur ut hæreticum: quoniam arbitratur Sanctissimus Dominus noster pro illorum Patrum reverentia, religione, & integritate, non alium sensum habuisse in illo Decreto, quidquid verba ejus in sono litteræ prætendant, quam Sancti Patres habuerunt; sicut colligi potest ex reverentia, obedientia, & professione humilitatis ostensis per eos Domino Martino Romano Pontifici electo per eos, qui mox, ut creatus fuit, Cathedram sumpsit judicii supremi: ipse quidem diffinivit, statuit singula, Concilio Sacro approbante.

Præterea ipsi recognoscentes Decretorum suorum firmitatem ab Apostolica Sede pendere, confirmationem eorum a præfato Romano Pontifice humiliter postularunt: per quæ omnia recte ponderata profitebantur Romanum Pontificem superiorem Synodo, non inferiorem.

Sed tractatur nunc, quod prima illa Basileensium propositio una cum aliis duabus, in quibus omnes conveniunt, pariter damnetur, sicut jure damnanda est: cum manifestum sit illam ad eorum intelligentiam, quam verbis factisque docent & practicant, alienam esse a Scripturæ sanctæ, & a sanctorum Patrum doctrina. Et hoc potest optime fieri, absque offensa Decreti Constantiæ facti bene intellecti, & absque scandalo decretantium illud: quoniam planum est, quod una & eadem propositio multiplicem habens intelligentiam, secundum unam intelligentiam possit esse vera, & secundum aliam sit hæretica: sicut exempla plurima dari possent, in quibus quia nota sunt, & brevitatis causa, supersedeo. Secundo respondetur, quod Domini & Patres de obedientia Joannis XXIII. ita debent honorem suum zelare in defensione præfati Decreti, quod non velint alias duas obedientias schismaticas & hæreticas declarare; quoniam hic error pejor esset priore: quod tamen, ut superius ostensum est, difficillimum est observare, nisi Decretum illud ad aliam trahatur intelligentiam, quam verba in superficie prætendunt, & quam Basileenses prædicarunt: alias non videbantur, salva pace, observare illud, quod Dominus præcepit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Tertio arguit Dominus opponens, quod licet ab una obedientia tantum fuerit factum præfatum Decretum, nihilominus cum post nulla facta fuerit reclamatio per alias obedientias, videtur approbatum fuisse. Respondetur, negando, quod nulla fuerit facta reclamatio, immo multiplex. Tum primo, quando primo factum est, contradictum & reclamatum est, tam per Prælatos & aliquos Dominos Cardinales, qui, ut in gestis ejusdem Concilii patet, se absentarunt a Sessione illa: quam per multos doctos viros, sicut a fide dignis, qui interfuerunt, refertur. Tum secundo contradictum est per eum, quem obedientia illa pro Romano Pontifice venerabatur, & cujus auctoritate congregatio illa legitime adunata dicebatur, scilicet

cet Joannem XXIII. dictum, qui Decreta illa facta erronea esse sæpe professus est, ut Dominus Dynensis ab ejus ore in oppido Schaphusensi prope Constantiam audivit. Tertio contradictum est per duas obedientias alias, scilicet Gregorii & Benedicti, quæ, ut superius ostensum est in principio præsentis responsionis, manifeste verbis & factis contradixerunt opinioni dicentium, eos, qui de obedientia præfati Joannis XXIII. Constantiæ ante convenerant, Concilium Generale facere, Ecclesiam Christi repræsentare, habere potestatem immediate a Christo, cui &c. Tum quarto manifestum testimonium hujus reclamationis, sive non acceptationis colligi videtur ex eo, quod numquam amplius convenientibus omnibus obedientiis simul, fuerunt illa Decreta repetita, nec confirmata: sed statutum fuit, ut jam dictum est, quod per Papam & per Concilium deberet declarari, per quæ, & quomodo Papa possit corrigi vel deponi.

Quarto arguit Dominus opponens, quod si illud decretum non fuit verum, Joannes XXIII. non potuit deponi, maxime cum, ut ex sententia ejus patet, non fuit depositus pro hæresi, sed juxta Glossam Can. Si Papa, scilicet, quia moribus suis pravis scandalizabat incorrigibiliter Ecclesiam. Nec potest dici, inquit, quod postmodum Florentiæ approbavit depositionem suam & electionem Martini: quia talis approbatio non poterat facere Martinum Papam. Ad istam rationem, dimissis multis aliis, quæ possent dici, respondetur negando consequentiam, & hoc duplici ratione.

Tum primo quia ipse, ut patet per instrumenta, quæ includuntur in gestis hujusmodi Concilii, renunciavit juri Papatus, si aliquod habebat. Et quod dicitur, quod approbatio sua nihil juris contulit Domino Martino, negatur; dicendo, quod approbatio non fuit talis, qualis dicitur esse per Dominum arguentem: sed talis fuit, ut Reverendissimus Placentinus, & alii Domini Cardinales nuper in præsentiarum dixerunt, quod videlicet postquam liberatus a carceribus venisset Florentiam ad Dominum Martinum, approbavit renunciationem suam, quam fecit in carcere, profitens illam publice, non metu, non sophistice, sed veraciter & libere fecisse.

Secundo consequentia non valet: quoniam in casu hæresis, de qua iste accusatus fuit, & testes inducti, universale Concilium potest Papam judicare, sicut dictum est: unde negatur, quod non pro hæresi, sed pro aliis criminibus Joannes ille fuerit judicatus. Unde, sicut patet ex gestis illius Concilii, in sententia suspensionis ejusdem facta in Sessione decima, vocatur notorius hæreticus, & incorrigibilis. Sed licet hoc in sententia condemnationis non exprimatur specialiter: nihilominus in eadem sententia dicitur, quod propter illa crimina tunc ibi nominata, & alia crimina, in processu dictæ causæ contra eum deducta, & contenta, tamquam indignum & inutilem, & damnosum sancta Synodus privat.

Quinto arguit Dominus opponens, & præsupponit, quod, ut patet est gestis illius Concilii, inter Patres deputatos obedientiæ Joannis XXIII. & Patres de obedientia Benedicti, fuerunt compactata Narbonæ quædam Capitula, inter quæ fuit unum, scilicet primum, de convocatione fienda per Prælatos utriusque obedientiæ. Aliud vero Capitulum fuit, quod est secundum in ordine, quod dicta congregatio & constitutio Concilii fienda per dictos Dominos, fieret generaliter pro exstirpatione schismatis, & hæresis, & pro sancta unione Ecclesiæ, & pro reformatione universalis Ecclesiæ in Capite & in membris &c. Ex istis elicit præfatus Reverendissimus Dominus, quod Concilium habeat potestatem in reformatione capitis facienda: & per consequens videtur, quod omnium illorum Patrum fuit hæc fides, quod Concilium haberet hanc potestatem. Ad istam rationem, dimisso, quod ex convocatione illa nova, & institutione Concilii, arguatur manifeste non esse creditum apud omnes, veritatem esse fidei Catholicæ, Patres convenientes Constantiæ, quando fecerunt Decreta, de quibus est sermo, facere Concilium generale, aut universalem Ecclesiam repræsentare: Respondetur, quod per Caput illud secundum, quod, ut in eodem continetur, factum est, ut deferretur honori Concilii Constantiensis, & sub certis conditionibus, non arguitur aliquid contra dicta.

Non

Non enim negatur, quod Concilium universale, & maxime Sede vacante, possit facere Decreta Reformationis pertinentia tam ad Caput Ecclesiæ, quam ad membra. Sed hoc negatur, quod posset facere leges indifferenter habentes vim coactivam contra Caput ejus, Romanum scilicet Pontificem. Pro quo notandum est, quod ut ait Sanctus Thomas in prima II. quæst. XCVI. articulo quinto, ubi quærit, utrum omnes subjiciantur legi: quod lex de ratione sui duo habet: videlicet, quod est regula humanorum actuum, & quod habet vim coactivam. Quantum ad primum, Concilium universale potest facere Decreta, & Instituta, quæ respiciant tam caput, quam membra, etiam instituta, quæ respiciant ipsa universalia Concilia: quantum vero ad secundum, scilicet vim coactivam, judicium condemnationis inferendi transgressionibus legum, non potest; cum inferior hujusmodi legem non possit imponere superiori: & ideo dicitur extra de Elect. cap. Significasti, quod Romanæ Ecclesiæ nulla Concilia legem præfixerint. Quod etiam in præjudicium Romani Pontificis nihil instituere possint, testatur Innocentius tertius in can. Innotuit, extra de Elect. ubi dicit, quod Canon Lateranensis Concilii ab Alexandro Papa prædecessore suo editus, nullum potuit Successori suo præjudicium generare, cum non habeat imperium par in parem. Quamobrem Sanctus Thomas præfato articulo, in responsione ad tertium dicit, quod Princeps dicitur solutus legibus; non quidem quantum ad vim directivam, debet enim legibus vivere: sed quantum ad vim coactivam, quia nullus potest in ipsum judicium condemnationis inferre, si contra legem agat. Unde super illud Psalmi: *Tibi soli peccavi*, dicit Glossa: "Rex est omnibus " superior: ideo a Deo tantum, qui ma- " jor est, puniendus est. Si quis de " populo erraverit, & Deo (*) pecca- " verit & Regi: Rex vero non habet " hominem, qui sua facta dijudicet: " ideo ait, Tibi soli peccavi." Hæc Glossa: & hæc de rationibus inductis ex parte Patrum de obedientia Joannis XXIII. & gestorum Concilii Constantiensis dixisse sufficiat.

Jam ad argumenta, quæ egit præfatus Dominus opponens ex parte Concilii Basileensis, tendamus, licet ex multis eorum, quia dispensative per modum tolerantiæ ad preces Regum & Principum Apostolica Sedes fecit, ut schismatis tolleretur occasio, & Bohemorum tractatus ex dilatione non susciperet impedimentum, argumenta sumpta parum debeant habere virtutis. Argumentum est autem inprimis, si bene retinui, sic: Concilium Basileense fuit legitime inchoatum, quia auctoritate & Martini, & præsentis Sanctissimi Domini nostri, & hoc pro reformatione in capite & in membris: fuitque legitime continuatum, ut in Bulla annullationis, dissolutionis, sive translationis ejusdem Concilii Sanctissimi Domini nostri attestatur: & præfatum Concilium fecit illas declarationes de potestate Concilii universalis, sicut est manifestum: ergo videtur Decretum illud esse verum: alias Concilium illud non fuit legitime continuatum: errare enim non stat cum legitima continuatione.

Ad istam rationem respondetur, quod Concilium legitime continuari, potest intelligi duobus modis: uno modo quia continuatur ejus potestas instituentis, & non est evacuatum auctoritate, sed habet processum legitima potestate fulcitum; alio modo potest intelligi legitime continuari, non per respectum ad auctoritatem dictam, sed ad materiam processus, ita quod omnis declaratio facta per tale Concilium fuerit vera. Omnis ejus constitutio sancta, est sententia justa. Capiendo autem hoc secundo modo legitimam continuationem, conceditur consequentia, & negatur antecedens. Licet enim Sanctissimus Dominus noster declaraverit Concilium illud legitime continuatum, quia non fuerat intentionis Sanctitatis suæ, quod Concilium illud evacuaretur virtute sua, si causæ, propter quas illud transtulerat, non essent veræ, aut tantæ gravitatis, sicut ejus Sanctitas agnovit: non tamen concessit eis, nec declaravit, eos in omnibus, quæ dixerant, definierant, aut constituerant, bene, sancte, justeque fecisse. Capiendo autem primo modo legitimam continuationem Concilii, con- cedi-

(*) *forte*: peccavit.

ceditur Antecedens, & negatur consequentia. Stat enim cum hoc modo legitimationis processus Concilii, error aliquis in conclusionibus: sicut patet de secunda Synodo Ephesina: quæ sicut fuit legitima auctoritate inchoata, ita etiam continuata, quæ tamen gravissime erravit. Præterea Concilium Aquisgrani celebratum legitime fuit, & continuatum, de quo in can. Placuit, XXXVI. quæst. II. & tamen ejus definitioni præponitur sententia Hieronymi, ut in eodem loco colligitur, & habetur in Glossa in can. de Libellis, distinct. XX. Præterea dicit Augustinus contra Donatistas loquens, libro primo de unico Baptismo, plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendari. Præterea interrogentur Patres Basileenses, utrum dicant verum apud omnes indubitatum in hoc, quod Synodus universalis Constantiensis fecisset illas declarationes. Et plane, si veritatem loquuntur, dicturi sunt contra diffinitionem eorum, cum manifestum sit per unam solam obedientiam illas factas esse. Non ergo erit inconveniens, quod Concilium Basileense, licet dicatur fuisse legitime continuatum, scilicet quoad processum ejus, habeat in eis, quæ declaravit, aut instituit, aliquid emendandum, & corrigendum.

Secundo arguebat idem Dominus opponens sic, confirmando rationem præmissam: Concilium Basileense fuit universale & indubitatum, & renovavit hoc Decretum, facta revocatione dissolutionis: ergo sequitur, quod illud sit verum. Ad istam rationem respondetur primo ad antecedens, quod attento quod conditiones & promissiones Domino nostro factæ, ut dissolutionem, sive translationem revocaret, non fuerunt ei observatæ, maxime quod sui Præsidentes non fuerunt recepti juxta dispositionem, & juxta morem antiquorum Conciliorum, non videtur omnino indubitatum fuisse illud Concilium; immo apud multos doctos omnino vacuum auctoritate judicatum est: cum Præsidentes Papæ juxta formam a Romano Pontifice datam, noluerit recipere; sed contra omnem modum & rationem, corpus sine ordine dependentiæ ad caput sibi a Christo superpositum, potestate propria voluit procedere.

Secundo dicitur, quod non videtur verum, quod Concilium Basileense renovaverit Decretum illud Constantiense, immo Decretum fecerit novum: quod patet ex eo, quod forma unius multum differt & littera & intelligentia ab alio, sicut patet intuenti illas, quas supersedeo prosequi brevitatis causa.

Tertio Præsidentes omnes, quibus in solidum auctoritas data erat, non consenserunt, immo contradixerunt, & protestati sunt eo modo meliore, quo potuerunt, licet aliqui eorum non ut Præsidentes, sed ut particulares personæ, quasi violenter, cum aliter non reciperentur ad præsidentiam, in renovatione illa consenserint.

Sed quærebat Dominus arguens: Unde habetur, quod si Concilium vult aliquid diffinire, & Præsidentes nolunt consentire, quod diffinitio sit nulla, cum hoc videatur valde mirabile? Ad hoc respondetur, quod hoc colligitur primo ex Chalcedonensi Concilio, in cujus gestis in actione sexta, ut habetur in libro Pontificum Isidori, ita dicitur: " In omnibus Synodis apocrisarii Apostolici decretas sententias primo, propter summam auctoritatem ejusdem Sanctæ Sedis, confirmabant, & subscribebant, quia aliter nullum robur habebant: unde scriptum est: Paschasius Episcopus, vice Domini mei Beatissimi atque Apostolici universalis Ecclesiæ Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præsidens statui, consensi, & subscripsi: similiter reliqui fecerunt." Hæc ibi. Secundo colligitur ex distinct. XVII. quæst. Per totum, & præcipue in Can. Regula. ubi habetur, nullum ratum esse Concilium, quod non fuerit Apostolica auctoritate fulcitum. Clarum est, quod ea, quæ fiunt Præsidentibus Papæ contradicentibus, non possunt dici fulta auctoritate Apostolica. Secundo respondetur ad consequentiam, negando illam: assignata est ratio negationis in superioribus, pro eo scilicet, quod non errare, non reperitur privilegium esse generaliter universalium Conciliorum, etiam indubitatorum, nisi cum ita universali consensu in eisdem cuncta sint diffinita, quod Apostolicæ Sedis consensus, & approbatio intervenerint. Exempla etiam assignata sunt de secunda Syno-

Synodo Ephesina universali & indubitata. Tertio arguebatur per eundem Dominum opponentem sic: Sanctissimus Dominus noster approbasse videtur illud Concilium per Bullas suas: ergo videtur, quod diffinita per illud sunt approbata per Apostolicam Sedem, & per consequens vera sunt: aut Apostolica Sedes erravit cum illo.

Ad hoc respondetur, sicut idem Sanctissimus Dominus noster pro se tunc respondit, quod approbavit progressum illius, sicut dictum est, non autem Decreta ejus: quod sapientissime factum est. Quis enim, nisi imprudentissimus approbaret Decreta aliqua, antequam illa videret, examinaret, atque plene & integre ponderaret, si quid in eis minus rectum, minus verum, aut minus expediens contineatur? Aut si quid ineptum, aut si quid diminutum, aut superfluum sit? Quomodo dicitur fecisse Papa Clemens, ut Joannes Andreas ponit in principio Clementinarum, de constitutionibus factis in Concilio Viennensi: Quæ quia, ut inquit, aliquæ earum erant ineptæ, aliquæ prolixæ, aliquæ defectivæ compositæ, aliquæ etiam non expediebant, fecit illas Clemens recenseri per peritiores: qui alias illarum in toto reservarunt, aliquas in totum resecarunt, aliquas mutarunt quoad verba, mente servata, aliquibus vero earum, quibusdam detractis quoad verba, & quoad mentem aliqua sunt addita. Præterea si approbando processum Concilii Sanctissimus Dominus noster approbasset Decreta illius Concilii; cur tanto studio, & tam repetitis vicibus laborarunt Basileenses per Orateres suos, ut Sanctissimus Dominus noster approbaret & confirmaret eorum Decreta, quod hucusque habere non potuerunt?

Sed quærebat Dominus arguens, unde reperitur, quod necesse est accipere, aut habere a Romano Pontifice, sive Apostolica Sede confirmationem Decretorum factorum per Concilia universalia, cum in universali Concilio intelligatur esse auctoritas Papæ? Ad hoc respondetur, quod hujusmodi necessitas confirmandi Decreta Conciliorum per Papam, colligitur primo ex auctoritate sacræ Scripturæ, secundo ex evidentia rationis, tertio ex practica observata sacrorum Conciliorum præstantissimorum. Ex sacra Scriptura quidem colligitur Deuter. XVII. ubi Dominus ait: " Si difficile & ambiguum apud te judicium perspexeris: (dicit Glossa interlinearis, hoc quoque in Ecclesia observandum est:) & judicum inter portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum, (Glossa prima: Ecclesiam) quem elegit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, (Glossa prima: legitimos) & ad Judicem, (Glossa prima: Pontificem) qui fuerit illo tempore, quæresque ab iis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & Decreto judicis, morietur homo ille." Ubi licet dubiorum difficilium discussionem & indagationem veritatis, Deus conventui Sacerdotum attribuat: imperium tamen & diffinitivum judicium, cui sub pœna mortis obediendum est, uni soli, scilicet summo Sacerdoti attribuit. Unde manifeste patet, quod robur & auctoritas, & vis coactiva Decretorum universalium Conciliorum, ab uno scilicet summo Sacerdote dependet. Præterea præcipitur Moysi, qui potestate, ut ait Bernardus Libro de consideratione ad Eugenium Papam, fuit figura Romani Pontificis: Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut ostendas eis ceremonias, & ritum colendi Deum. Exodi XVIII. Ceterum Christus cum aliis Apostolis imperaverit, ut laxarent retia sua, tantummodo Petro inquit: Duc in altum. Luc. IV. hoc est in profundum disputationum, ut ait Glossa Ambrosii, & habetur in Can. non turbatur, XXIV. quæst. I. Quomodo autem hæc Divina institutio integra servaretur, qua Summo Ecclesiæ Pontifici Divinitas tam singulariter injunxit summarum causarum & difficilium quæstionum in Ecclesia judicium; si Patrum in Synodis convenientium Decreta, & Canones, & sententiæ, quæ communiter de rebus maximis proferun-

feruntur, non consensu & approbatione firmarentur Sumi Pontificis? Suffragatur præterea ad hoc ratio evidens; lex enim non habet vigorem & virtutem coactivam, nisi ex Principis auctoritate, aut auctoritate ejus, in quo principatus totius communitatis est collocatus. Istud est clarissimum apud omnia jura. Sed Romanus Pontifex est Princeps Ecclesiæ, & Principatus totius Ecclesiæ collocatus est ab ipso summo omnium Principe Christo Salvatore nostro in Apostolica Sede, ut in Can. Basilicas, & de consecrat. quæst. I. ergo necessario firmitas, robur, & auctoritas Decretorum Conciliorum dependet a Romano Pontifice, sive ab Apostolica Sede, sicut habetur expresse in Can. Confidimus, XXV. quæst. I. & extra de Elect. cap. Significasti. Facit etiam ad hoc ratio Beatissimi Thomæ in II. II. quæst. I. artic. ultimo, quam sumit ex unitate fidei; sic una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud, primæ Corinth. primo: Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: quæ videtur servari non posse, nisi quæstio fidei de fide exorta determinaretur per unum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo concludit, quod ad solam auctoritatem Romani Pontificis pertineat nova editio Symboli. Hæc Sanctus Thomas. Ex quibus patet, quanta necessitas sit, ut Canones Conciliorum, & maxime fidem respicientes, per eum, qui universali Ecclesiæ præsidet, confirmentur. Fundatur præterea hoc ipsum in practica antiquorum Conciliorum, Nicæni scilicet, & Chalcedonensis: in quibus Patres convenientes omnia diffinita & constituta per eos, miserunt ad Apostolicam Sedem, rogantes, illa per Romanum Pontificem confirmari: sicut patet de Patribus Nicænæ Synodi, ex Epistola ejusdem Synodi missa ad Papam Sylvestrum, quæ habetur in gestis ejus: & de Patribus Chalcedonensis Synodi ex Epistola ejusdem missa super hoc ad Leonem Papam, quas pro brevitate tenenda hic interserere non curavi. Hoc præterea observatum in Concilio Constantiensi legimus, in quo licet Papa Martinus fuerit præsens, & fortassis primus omnibus assensum dedisset, nihilominus factus Pontifex, in fine omnium rogatus est, ut omnia Apostolicæ Sedis auctoritate roboraret, quod sub certa forma fecit, ut patet in gestis ejusdem Concilii.

Quod vero dicebatur per Dominum arguentem, videri hoc non esse necessarium, quia, ut inquit, in Concilio universali potestas Papæ includitur. Respondetur primo, quod hæc locutio proprie loquendo non videtur mihi accipienda, quod potestas Papæ sit inclusa in Concilio universali ad eorum sensum, quem prætendunt illi, qui dicunt Concilium omnia posse, quæ Papa, & majora. Dicunt enim, quod Concilium dicit quid aggregatum ex potestatibus particularibus, quarum una sit potestas Papæ, ita quod Concilium dicat, unum totum comprehendens omnes istas intra se potestates. Inde arguentes, quod cum totum majus sit sua parte, Concilium sit majus Papa. Sed revera non ita accipienda est ratio Concilii, sicut isti imaginantur. Cum autem Romanus Pontifex, utpote Caput Ecclesiæ, plenitudinem & totalitatem habeat potestatis, & ab ipso omnis potestas jurisdictionis aliorum Prælatorum derivetur, ut superius multipliciter est ostensum: potestas Papæ non potest comparari ad potestates particulares aliorum Prælatorum, sicut pars totius comparatur ad alias compartes, ex quibus illud totum resultat; sed ut totum comprehendens virtute quidquid potestatis est in illis: sicut dicit Boetius, quod superior virtus comprehendit in se inferiores; & Beatus Dionysius libro V. Ecclesiasticæ Hierarchiæ dicit: quod Hierarchici ordinis virtus in omnibus capitur sanctitatis totalitatibus; unde omnes Episcopi congregati cum Papa, quoad potestatem jurisdictionis, non videntur dicere plus potestatis, quam Papa solus. Omnes præterea Rectores, Officiales Regis, simul convenientes cum Rege, non dicunt plus jurisdictionis, quam Rex solus, sicut Sanctus Thomas inquit, quod omnes creaturæ & Deus considerata simul, non portant plus bonitatis, quam Deus solus. Et ideo non est ita dicendum, sicut ex adverso intelligitur, quod potestas Papæ includatur in Concilio. Immo fortassis magis proprie diceretur e converso, scilicet quod potestas totius Concilii comprehendatur in Papa, sicut derivatum & dependens comprehenditur

tur in eo, a quo dependet & emanat. Dicimus enim, quod omnium membrorum virtus continetur in capite, & omnium inferiorum poteſtas in Principe. Secundo reſpondetur, quod ad hunc ſenſum poteſt dici, quod in univerſali Synodo includitur poteſtas Papæ: quia ſi rationem Concilii univerſalis habet, neceſſario conſenſus Papæ includitur, & auctoritas ad earum rerum perſecutionem, ad quas Synodus ordinata eſt. Sed ex hoc modo comprehenſionis poteſtatis Papæ in Concilio, non ſequitur, quod concluſa per Patres Synodi non egeant confirmatione Principis Eccleſiæ. Et hæc de ſecundo Articulo pro mea mediocritate dicta ſufficiant. De tertio autem articulo, quia cum non fuerit opus loqui, nihil reſpondi: ideo in hac recollectione reſponſionis meæ ſuperſedeo: per totum omnia per me dicta ſubjiciens correctioni & emendationi Sanctiſſimi Domini noſtri Eugenii Papæ quarti, veriſſimi Chriſti Vicarii, & Principis univerſæ Eccleſiæ: cujus ſanctitatis mandato hanc reſponſionem in præſentia Beatitudinis ſuæ, & Reverendiſſimorum Patrum Dominorum Cardinalium, fereque omnium Prælatorum hujus ſanctæ Synodi Oecumenicæ, multorumque aliorum Patrum, Magiſtrorum, & Doctorum, ſatis ex tempore factam, nunc parum copioſius & extenſius collegi. Sitque ipſe Deus omnis boni fontalis origo pro aſſiſtentia gratiæ ſuæ in ſæcula benedictus. Amen.

Explicit Reſponſio facta per Magiſtrum Joannem a Turrecremata, Sacri & Apoſtolici Palatii Magiſtrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIX.

FELICIS V. Anti-Papæ Bulla, qua uſurpatæ dignitati renuntiat. (*)

FELIX EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUas ob cauſas evocati & emoti curam Apoſtolici regiminis ſuſcepimus, toti ſæpe numero manifeſtavimus orbi. Quamquam enim imparitatem noſtrarum virium ad ſuſtinendam hujusmodi oneris gravitatem ſentiremus; nihilominus, ubi univerſalis Eccleſiæ Baſileæ, in Spiritu Sancto legitime congregatæ, pias exhortationes ſimul ac ſanctas miſſiones accepimus, quibus ad ſuccurrendum auctoritati Eccleſiæ ſuppreſſæ nimium inceſſanter commonebamur, concaluit introrſum cor noſtrum pietate, quæ ad omnia valet, & caritate, quæ omnia ſuſtinet, animum fraudulofum congeminantibus, atque confidentes in illo, qui omnia poteſt, & de cujus agebatur negotio, tranquillam ſolitudinem reliquimus, laborioſum & immenſum opus aggrediendo. Namque immortali Deo nihil placentius offerri exiſtimamus poſſe, quam conatus noſtros in obſequium Eccleſiæ, grandibus & inſuetis oppugnationibus conturbatæ. Quid nempe condignum reddi poteſt ab homine illi inclytæ matri noſtræ, cujus in gremio fidelis quisque ſalutem conſequitur, propter quam unigenitus Filius Dei, Deus noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus de ſinu Patris ad terras deſcenderat, & proprium ſanguinem effundere dignatus eſt. Cumque ipſam videremus tantis perplexam anxietatibus, ut nullus mortalium ab exhibitione poſſibilis auxilii deberet excuſari, profecto cogente fide, excitante devotione, ſpe denique in finem optime ducendarum rerum freti, perſonam, operas, facultatesque noſtras ex integro devovimus.

Aderat namque tempus, quo ab omnibus vehemens debebat reſtingui incendium, & tanto validiore, fortiorique præſidio opus erat, quanto Sacrorum Conciliorum Generalium auctoritas fortius agitata, non modo fluctuaret, ſed quaſi conculcata, proſtrataque jaceret. Non enim exciderat a memoria noſtra Sacri Conſtantienſis Concilii nulla unquam oblivione delenda definitio, quæ videlicet Sancta Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Concilium Generale faciens, Eccleſiamque Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem immediate a Chriſto habet, cui quilibet;

(*) Relata a Cl. Dominico Manſi in Supplemento Conciliorum Tomo V. ex Martene Vet. Monum. T. V.

libet, cujuscumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem, exſtirpationemque ſchismatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & membris. Satis etiam & recenter editum Decretum Sacri Concilii Baſileenſis audiebamus, hanc veritatem reſumendo confirmans, conſpiciebamus non minus eandem ab Eccleſia Catholica ſuſceptam, & practicatam eſſe.

Proinde ſatagentes graviſſimis & abhorrendis periculis poſſe tenus obviare, ac oſtendere cunctis fidelibus rectitudinem noſtræ, Deo inſpirante, voluntatis, quod non caducorum futiliumque bonorum, ſed communis ſalutis affectu commoti, eamdem Sedem Apoſtolicam teneremus; non præeſſe, ſed prodeſſe cupientes, in Sancta Synodo Baſileenſi perſonaliter comparere voluimus, ſubireque communes pro ſalute publica labores.

Cumque nobis in temporis proceſſu luculenter exploratum foret, diſſenſionis & differentiæ materiam in Eccleſia Sancta Dei magis ac magis obdurari; dubitantes, ne a quovis hominum de ſcandalo notari poſſemus; oblationes multas & grandes Regibus ac Principibus orbis deſtinare curavimus; ex quibus quidem animadvertere potuerunt, nos propria non quærere, ſed quæ JESU CHRISTI, ac publicam pacem; neque unquam a formis, modisque, a Patribus, dum ſchismata vigerent, pro unitatis & pacis obtentu traditis & practicatis divertere, liberiori apertoque animo ſemper acquievi omnibus & ſingulis, quæ ad ſerenitatem, redintegrationemque Eccleſiæ judicata fuerant qnomodolibet opportuna: atque longe ferventiori ſtudio laboravimus & invigilavimus per noſtrarum ceſſionis, & renunciationis medium, diſſectos, diſtantes animos Chriſti fidelium counire, quam in ſede potentiæ, manente ſchismate diutius immorari. Non enim ignoramus ſchismatis incommoda mortifera. Scimus etiam Chriſtianam religionem a pacis Auctore fundatam, ſine pacis vinculo damnoſæ confuſioni ſubjacere. Cumque pax omnium rerum tranquillitas ſit, & ea nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremo melius inveniri; debito filialis aſtringebamur pietatis, ipſi Matri Eccleſiæ luctuoſæ venuſtatem, jucunditatem, integritatem, unionem, & pacem extrema poſſibilitate curare; quantumque pro hujusmodi excelſi & deſideratiſſimi boni conſecutione perſeveranter & indefeſſe laboravimus apud ipſos Reges, & Principes, ceterosque fideles, & noſtris accuratiſſimis diligentiis, multipliciumque litterarum tenoribus totus fere cognovit orbis.

Nunc igitur, ut ſemper conſtituti ſub ineffabili, incomprehenſibilique providentia Dei omnia diſponentis & dirigentis in melius, poſt acerrimos continuosque labores, quos ſolius veritatis manifeſtandæ, auctoritatisque Generalium Conciliorum conſervandæ gratia voluimus amplecti, maxime poſt cariſſimorum in Chriſto Filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Regum, nec non Delphini Viennenſis, Primogeniti Francorum Regis Illuſtriſſimi, ſupplices, frequentesque inſtantias, quarum ſaluberrimis ſuaſionibus intentas ſemper commendavimus aures noſtras, omnes cogitatus per orbem diſperſos in arcem unice conſiderationis reducimus: deſiderantes namque toto corde, in hoc dierum noſtrorum reſiduo, beatam pacem in Eccleſia Dei diſſeminari, quæ veluti a noſtris egreſſa manibus in corda omnium fidelium dilabatur, ſinceritatem noſtræ intentionis per ævum reſtauratam, exemplo Domini noſtri JEſu Chriſti, qui ſic dilexit Eccleſiam, ut pro ea non modo formam ſervi acciperet, ſed traderet ſemetipſum; In hac Sancta Synodo Lauſannenſi, in Spiritu legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentante, pure, libere, ſimpliciter, ſincere, & realiter cum effectu; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Papatui, ejusdem oneri, honori, dignitati, titulo, & poſſeſſioni cedimus, & renuntiamus per præſentes, ſperantes, quod in futurum præfati, ceterique Reges, ac Principes, Prælati, & alii Catholici, quibus hujusmodi noſtram renuntiationem acceptiſſimam fore judicamus, auctoritatem Sacrorum Conciliorum Generalium, eaque tuebuntur, & defendent: quodque univerſalis Eccleſia, pro cujus dignitate, ſupereminentia, & auctoritate totis viribus pugnavimus, nos apud

apud clementiam primi & æterni Pastoris, nostræ hujus pacificæ humilitatis contemplatione, suis devotionibus, jugibusque orationibus commendabit. Datum Lausannæ VII. Idus Aprilis, anno a Nativitate Domini MCCCCXLIX. Pontificatus nostri anno nono.

Sacrosancta Generalis Synodus Lausannensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

MUltis ab annis circumspicientes Ecclesiam Catholicam gravissimis impedimentis & conturbationibus infestari, tum consurgentibus erroribus, tum moribus depravatis, tum (proh dolor) invalescente schismate, quo mentes Christi fidelium paulo momento huc & illuc impulsæ nutantes,incertæque vagabantur,accuratissimis studiis invigilavimus, prominentibus periculis, grassantibus malis in virtute Sancti Spiritus obviare, & pro nostra possibilitate consulere publicæ saluti: in idem tempus deveneramus, permittente Deo, quo non modo perniciosa erroris alicujus audacia, vel promulganda disciplina virtutum, vel inter diffidentes Principes populosque firmanda concordia videretur: verum operæ pretium fuit, authoritatem Ecclesiæ universalis insolentius oppugnatam viribus accumulatis, & extremis defensare, atque tanto fortius incumbere continuo gloriosoque certamini, quanto ex tanta offensa oppressaque veritate judicavimus, populum Christianum in scandalum irreparabile collapsurum, nobis ipsis persuadentibus, nullo unquam convenientiore fructuosiorique labore detineri posse, quam tanta in tempestate fluctuanti Ecclesiæ, mitigatis fluctibus turbulentis succurrendo, anchoram firmam unius veritatis, unius confessionis, unius pacis in Domino jacientes; ut quemadmodum una fides est, unum baptisma, unus Deus & Dominus noster JESUS Christus, ita unanimitatem, integritatem, & pacem una sancta Catholica confiteretur Ecclesia, in hacque sua peregrinatione terrena, cujus finis est tranquilla æternitas,& æterna tranquillitas, persuavi serenitate frueretur saluti cunctarum animarum accommoda.

Is sane finis a nostrorum laborum initio ante oculos versabatur: hoc inibi perseveranter continuimus propositum, ad id ipsum nostri semper efferbuere cogitatus, & actiones omnes usquequaque direximus, prout ex Decretis, responsionibus, epistolis, legationibus, mandatis, patientia, longanimitateque nostris nulli Christianæ nationi arbitramur incognitum: quantusque fuerit cum tunc Sanctissimo Domino Felice Papa V. noster ad pacem affectus, quantisque congratulationibus oblata media unionis non solum susceperimus, verum etiam declaraverimus necessariam esse pacem (auctoritate tamen Ecclesiæ juxta diffinitionem sacri Constantiensis Concilii illibata permanente) maxime persenserunt charissimorum Ecclesiæ Filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Regum, nec non Delphini Viennensis Primogeniti Francorum Regis Illustrium, complurimis in dictis solemnes Oratores. Sed & novissime in diebus istis Sanctissimi Domini, tunc Felicis Papæ V. præclaram ingentemque sanctimoniam iidem ipsi perceperunt, dum pro Ecclesiæ universalis integra pacificatione, quieteque finali obtinenda, pure, libere, simpliciter, & sincere, realiter & cum effectu cessit & renunciavit Papatui, volens exemplo Domini nostri Jesu Christi, cujus vices gerebat in terris, semetipsum dejicere, ut Ecclesiam in summo tranquillitatis culmine collocaret, atque suæ humilitatis admirabili remedio populum Christianum servaret claritate pacis, insignis utique pietate viri laudibus altissimis extollendi, cujus inclyta virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, neque reticentia futurorum poterit sepeliri. Est etiam excellentissimum e cælo demissum munus suscipiendum cum omni promptitudine & alacritate animorum: propter quod in sempiternum agendæ sunt, habendæque gratiæ clementissimo Domino Deo nostro, qui Ecclesiam suam sanctam tanta nostris temporibus felicitate donavit; ut exstirpata caligine, beata pax oriens ex alto, corda omnium fideli-

um illustrando lætificet. Sursum propterea nostræ mentis oculos pia devotione sublevantes, attentaque meditatione pensantes Sapientiam illam æternam pertingentem a fine usque ad fines, & disponentem omnia suaviter, apertissimam viam ad abundantiam plenitudinemque tranquillæ unionis ostendisse, boni quidem supereminentis & incomparabilis, quod longa exspectatione cupivimus; nihil jam profecto nobis agendum superesse arbitramur, quam ut cum recta voluntate præfati Domini Felicis concurrentes, pacem ipsam desideratissimam, pro qua omne nostri temporis curriculum elaboratum est, in una tandem animorum, atque principatus consensione complectamur. Fuit namque pax semper nostræ intentionis unicus finis, & terminus nostræ solicitudinis, requies amœnitas pacis existit, nostri porro certaminis pacem præpotentem opulentam victoriam esse protitemur.

Desiderantes itaque de unico Pastore uni sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ providere, cujus solicito sanctoque ministerio populus Christianus feliciter gubernari, atque pacificis & salutiferis semper adaugeri valeat incrementis, complurimis suadentibus & urgentibus causis, & præsertim dilectione dandæ unionis & pacis in Ecclesia sancta Dei, in personam dilectissimi Ecclesiæ filii Thomæ, in sua obedientia Nicolai V. nominati, nostra vota contulimus, sperantes, ipsum ea facturum, quæ Summus Pontifex facere tenetur: fida quoque relatione intelligentes eandem credere & tenere veritatem pro conservanda, manutenendaque sacrorum auctoritate Conciliorum, in Sacrosancta Synodo Constantiensi definitam, & declaratam, ac in sacro Basileensi Concilio renovatam, nec non a Prælatis, Regibus & Principibus, universalibusque orbis susceptam, prædicatam, & dogmatizatam, videlicet, quod Generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediate habet a Christo, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in iis, quæ pertinent ad fidem, exstirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris, & quod quicumque, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus & præceptis hujus sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. (Falsum omnino est eorum principium, quo Pontificem non ambiguum subjici Synodo interpretantur, nam de ambiguo tantum sanctio intelligenda fuit.)


Ad laudem igitur Dei Omnipotentis, salutem, pacem & consolationem omnium Christi fidelium sancta hæc Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, matura, unanimi, concordique deliberatione præhabita in suis sacris deputationibus, votis dilectissimorum Ecclesiæ Filiorum Ludovici Sanctæ Cæciliæ Arelatensis. Ludovici tit. S. Susannæ de Warambone, Georgii tit. S. Mariæ Transtyberim Vienensis vulgariter nuncupati, Joannis tit. S. Callixti, Joannis tit. S. Stephani in Cœliomonte de Arciis, Bartholomæi tit. S. Marci Cornetani vulgariter nuncupati, & Guillelmi tit. S. Marcelli, S. R. E. Presbyterorum Cardinalium: ac Venerabilium necnon dilectorum Ecclesiæ Filiorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Abbatum, Ducum, Divini & humanis juris Magistrorum, & Doctorum, ac omnium & singulorum eidem sanctæ Synodo incorporatorum, præfatum dilectissimum Ecclesiæ Filium Thomam in summum elegit Pontificem, nomine, quo nunc appellatur, Nicolaum V. appellandum, utque pro Summo Pontifice habeatur, præsentis Decreti tenore ex certa scientia statuit, & ordinat, & decernit, juribus, Decretis & ordinationibus, etiam sacri Basileensis Concilii quibuscumque non obstantibus, quibus quoad hujusmodi actus celebrationem volumus esse derogatum, supplentes omnes & singulos defectus, si qui interveniant in præmissis, etsi tales forent, de quibus deberet præsentibus fieri mentio specialis. Mandat propterea, jubet, ac præcipit hæc sancta Synodus omnibus & singulis Christicolis, quatenus eidem tanquam unico, vero & indubitato Summo Pontifici obediant,

pareant, & intendant. Datum Lausannæ in Sessione nostra publica, in majori Ecclesia Lausannensi solemniter celebrata XIII. Kal. Maji, anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, quadragesimo nono.

Raynaldus ad annum jam dictum ubi Decretum, quod sequitur, etiam refert.

Sacrosancta Generalis Synodus Lausannensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam.

SAnctorum Ecclesiæ operum finem, atque terminum pacem esse, docet Regius Propheta, testimonium perhibens, Deum, qui feras confortat portarum Ecclesiæ, fines ejus posuisse pacem. Ad hanc autem in populo Christiano procurandam, & firmandam, hæc Sancta Synodus ab initio sui congregata solicitudine continua laboravit, ut quemadmodum una fides est, unum baptisma, unus Deus, unum Ecclesiæ Caput Dominus noster JEsus Christus, ita & in ea præsideat unicus & indubitatus Christi Vicarius, unus Pastor, unus Pontifex Summus: qui in æternam salutem cunctos fideles dirigat salutarium exemplo actionum, & sanctarum odore virtutum: quam utique pacem in persona Sanctissimi Domini Nicolai Papæ V. operante Altissimo, his diebus salutis donatam Ecclesiæ conspiciens eadem Synodus tempus acceptabile arbitratur tam felici, tamque optato fine suas claudere actiones. Quocirca persistens in nominatione loci pro futuro celebrando Concilio, facta per ipsam in Decreto Translationis suæ a Basilea in hanc civitatem, justis & manifestis causis ad ipsum suadentibus, fine imposito celebrationi suæ, præsenti Decreto semetipsam dissolvit, & dissolutam esse decernit, omnibusque & singulis in ea consistentibus ad propria remeandi licentiam impartitur ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Lausannæ, in Sessione nostra publica, in majori Ecclesia Lausannensi solemniter celebrata VII. Kal. Maji, anno a Nativitate Domini MCCCCXLIX.



Indultum Concilii Basileensis datum Nobilibus Schwichelte pro tempore interdicti.

Anno Christi MCCCCXXXV. Eugenii IV. Papæ IV. Sigismundi Reg. XXIV.

SACRO-SANCTA GENERALIS SYNODUS BASILEÆ, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, DILECTIS ECCLESIÆ FILIIS, NOBILIBUS CONRADO ET FRATRIBUS SCHWICHELTE, HILDESEMENSIS DIOECESEOS, ET EORUM UXORIBUS, ET NATIS UTRIUSQUE SEXUS, IN PRÆSENTIARUM EXISTENTIBUS, SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM.

SInceræ devotionis affectus, quem ad universalem Ecclesiam gerere comprobamini, promeretur, ut votis vestris, illis præsertim, quæ in Divini cultus augmentum, & animarum vestrarum salutem cedere dinoscuntur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod Nos devotis vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut quotiens vos ad loca Ecclesiastico suppofita quavis auctoritate interdicto declinare continget; Clerus locorum hujusmodi, alicujus alterius super hoc licentia minime requisita, in singulis Ecclesiis, Monasteriis & Capellis, in vestri & cujuslibet vestrum, & vestrarum familiarum, ac assistentium vobiscum præsentia, clausis tamen janius, & campanis mini-

minime pulsatis, excommunicatis quoque, & interdictis exclusis, Missas, & alia Divina Officia publice, solemniter, summissa voce, resumere, & celebrare, ac quecunque alia Ecclesiastica Sacramenta, & Sacramentalia ministrare libere & licite valeat, (dummodo vos, vel Clerus, & alii prædicti causam hujusmodi non dederitis interdicto, nec id specialiter interdici contigerit vobis, & eisdem) Clero auctoritate nostra, tenore præsentium indulgemus; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Statutis Provincialibus, & Synodalibus in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, voluntatis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & universalis Ecclesiæ se noverit incursurum.

Datum Basileæ secundo Kalendarum Januarii, anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo quinto.

Communicavit Cl. D. ab Erath, Consiliarius Nassovico Dillenburgicus.

Pactum Præpositorum in variis Canoniis Halberstadensis Diœcesis, de tuenda Immunitate ab Eugenio PP. concessa, collato ære & auro usque ad finem motæ litis.

Anno Christi MCCCCXXXV. Eugenii IV. Pp. V. Sigismundi Reg. XXVI.

Wir Hermannus, Probst, und Capittel zum Caldenborn, Johannes Probst, und Capittel zu St. Johannis vor Halberstad, Hermannus Probst, und Capittel auff St. Georgenperge vhor Goslar, Johannes Probst, und Capittel zu der Sultzen vor Hildesheim, Johann Probst, und Capittel zu Schenningen, Johann Probst, und Capittel zu Hamersleben, bekennen uffenbar in diesem brieve vor uns, und unsere Nachkommelinge, und elss wenn (*) das wir auff das Privilegium, das unsern Orden in teutschen Landen von unserm heiligen Vather dem Babste Eugenio gegeben ist, vollstendig und unverborgen bliebe, uns voreyniget haben in diesse Wisse:

Wehr es, das die Priorey von Wyndessen und von Wittenberg, adder erer einer besunder, adder die von ohn darzu gesetzt werden, unser einen ahnlangen, von macht wegen Briffes des heiligen Concilii zu Basell, whu die zu kommen, die sollen sich mit rechte wehren, und deme sollen und wollen wir alle bestendig und behulfflich seyn mit liebe und mit gute, bis zum ende der sachen.

Und bienahmen, so solden und wolden wir Probst und Capittel vorbenumet unser itzlicher legen und bereden ahn Pfennigen und Goldes zur Austrag der Sache, einer so viel, als der andere, zu glichem Teyll, wann des von uns geschieth, wert us von denen jennen, die also angelanget, von den erscheinen Prioribus, adder ore einer waden (**) one allerley hindernifs und insage: Aber wir Johann, Probst, und Capittel zu Hamersleben, Regeler, und unsere Nachkomelinge in dem Stiffte zu Halberstadt, sollen und wollen in dieser Sache halb so vihll legen, und dem also der vorschreben Probst und Capittel ehrbenohmet, vor uns, und unsere Capittel, und unsere Nachkomelinge, unser Ingesiegel ahn dieses Briff wislichen lassen hengen.

Nach der Geburth Christi verzenhundert Jar, darnach in dem funff und dreissigsten Jare, in der Dominiken: *Exurge, quare.*

Ineditum communicavit Clar. ab Erath, Consiliarius Nassovico Dillenburgicus.

(*) i. e. quemcunque.

(**) *Corruptus videtur hic locus.*

Conservatorium Concilii Basileensis pro Confraternitate Capellæ S. Gertrudis Brunswic. Anni 1435.

S. SANCTA GENERALIS SYNODUS BASIL... IN SPIRITU S. LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRESENTANS, DILECTIS ECCLESIÆ FILIIS, ABBATI MONASTERII S. EGIDII BRUNSVICENSIUM, HALBERSTADIENSIUM DIŒCESIS, ET PRÆPOSITO SANCTORUM SIMONIS ET JUDÆ GOSLARIENSIUM, AC DECANO B. MARIÆ HAMBURGENSIUM, BREMENSIUM, HILDESHEIMENSIUM, ET DICTÆ HALBERSTADIENSIS DIŒCESIS ECCLESIARUM, SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM!

AD compescendos conatus nepharios perversorum, qui personas, & loca Ecclesiastica super bonis, & juribus suis offendere, ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis per sacrum decet Generale Concilium, oportuno remedio providere (*) &c. - - - - Cum autem, sicut lamentabili querela dilectorum Ecclesiæ Filiorum, *Præpositi, & Sacerdotum in Capella St. Gertrudis Brunsvicensium*, Hildesiensis Diœcesis, pro Divinis Officiis inibi celebrandis, convenire solitorum, nuper accepimus, nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones & aliæ seculares potestates, earundum constitutionum, & Sanctionum Canonicarum, & legalium forsan ignari, contra ipsas a Præposito, & Sacerdotibus prædictis communiter vel divisim, tallias, gabellas, & alias exactiones illicitas, hactenus extorserint, & adhuc extorquere nitantur, ac etiam bona Præpositi, & Sacerdotum prædictorum communiter, vel divisim invaserint, arrestaverint, occupaverint, detinuerint, & suis usibus applicaverint &c. - - - transgressores, & violatores hujusmodi tamdiu excommunicatos, & anathematizatos publice nunciari faciatis, donec ab earundem talliarum, collectarum, impositionum, & quarumlibet extorsionum - - omnino desistunt - - - Dat. Basileæ II. Id. Jul. anno a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto.

Ineditum communicavit Cl. ab Erath, Nassovico-Dillenburgicus Consiliarius.

(*) Omissus hic est introitus, secundum formulam, consuetus.

SALISBURGENSE CONCILIUM
Anno Christi MCCCCLI. Nicolai V. Papæ IV. Friderici Cæsaris XII.
SUB NICOLAO CUSANO, LEGATO APOSTOLICO.

NICOLAUS DE CUSA, Cardinalis Legatus Sedis Apostolicæ, a Nicolao V., quum Salisburgum venisset, ibidem Concilio Provinciali præsedit anno MCCCCLI. mense Februario: cujus Concilii, quum Historici Salisburgenses haud meminerint, id tamen discimus ex geminis litteris, primum iis, quas idem Cardinalis, Apostolicæ Sedis per Alemanniam Legatus, in eodem Concilio dedit:

SAcro, *inquit*, Saltzburgensi Provinciali Concilio, cui auctoritate Sanctissimi Domini nostri NICOLAI Divina providentia Papæ V. præsidemus, concorditer approbante, ordinamus, quod ex nunc in antea Sacerdos quilibet singulis diebus Dominicis, dum celebrat, ad finem Collectarum tam in principio, quam in ultimo Missæ adjicere debeat Orationem, quæ sequitur: *Et Famulos tuos N. Papam, ac N. Antistitem nostrum, una cum universali Ecclesia Catholica ab omni adversitate custodi. Per Dominum nostrum &c.* Et ut in Saltzburgensi Diœcesi dictus Sanctissi-

ctiſſimus Dominus noſter, Dominus NICOLAUS Papa V. & FRIDERICUS (*) nunc Antiſtes, ipſorumque Succeſſores in præſcripta Oratione nominandi ſint: ſic & in ſingulis Diœceſibus Provinciæ præfatæ nomen Epiſcopi Diœceſis cujuscunque cum Romani Pontificis nomine modo præmiſſo debet recitari. Ut autem omnis Sacerdos ordinationem noſtram hujusmodi obſervans, ſpiritualis theſauri ſe gaudeat munere refectum, cuilibet tali Sacerdoti pro qualibet die Dominica, qua dictam orationem collectis ipſis adjunxerit, ut præfertur, quinquaginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis, auctoritate Legationis noſtræ, qua fungimur, miſericorditer in Domino relaxamus. Demum ſtatuit hanc ordinationem infra unius menſis ſpatium poſt receptionem ejusdem per totam Provinciam Saltzburgenſem, & per ſingulas ejus Diœceſes, tam Regularibus, quam ſecularibus, exemptis, & non exemptis Presbyteris publicari. Datum *Saltzburgæ die octava menſis Februarii, anno MCCCCLI. Pontificatus NICOLAI Quinti anno IV.*

Hæc Ordinatio, quamvis in Synodo concepta, & perſcripta, poſt duos primum menſes, id eſt, tertia decima Aprilis, Archi-Epiſcopo reddita eſt, cum mandato, uti ad Suffraganeos transmitteretur.

Quare Fridericus earundem literarum copiam, ſeu apographum ad Leonardum Pataviensem transmiſit: quemadmodum contenta in eadem copia alias, dum ſua Paternitas Reverenda hic Saltzburgæ Sacro Provinciali Saltzburgenſi præſideret Concilio, unanimi ſunt voto concluſa. Hortatur Pataviensem, ea, quæ continentur, per Diœceſin publicari. Datum Saltzburgæ XIV. menſis Aprilis anno MCCCCLI.

Sed aliud inſigne in eodem Concilio conſtitutum erat, nempe Reformatio Diſciplinæ Regularis per Provinciam Salisburgenſem: eademque die octava Februarii, quando Cardinalis Synodo præſidebat, perſcripſit ea de re mandatum ad Archi-Epiſcopum, & Suffraganeos ſequentis tenoris:

Archi-Epiſcopo Saltzburgenſi, & Suffraganeis &c.

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA, TIT. S. PETRI AD VINCULA SACRO-SANCTÆ ROM. ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS PER ALEMANNIAM LEGATUS. REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO FRIDERICO, ARCHI-EPISCOPO ECCLESIÆ SALTZBURGENSIS, AC UNIVERSIS EPISCOPIS PER SALTZBURGENSEM PROVINCIAM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUoniam Sanctiſſimus Dominus noſter, Dominus Nicolaus Divina providentia Papa quintus, curam habens, ut univerſalis Eccleſia ſibi commiſſa in ſuis membris per orbem diffuſis ſalubriter gubernetur, nos ad hanc Saltzburgenſem, quemadmodum & ad alias Almanicæ Nationis Provincias pro communi animarum ſalute procuranda transmiſit, plurimos ad id opportunas nobis tribuens facultates: Nos conſiderantes ad honorem Dei, animarum ipſarum ſalutem, ac populi Chriſtiani gratam conſolacionem tendere, ſi omni ſtudio, & diligentia procuraverimus, quod perſonæ religioſæ, quamcunque regulam per Sedem Apoſtolicam approbatam tacite vel expreſſe profeſſæ, ſecundum regulam hujusmodi religionis ſuæ vivant, & Deo Altiſſimo reddant vota ſua: conſiderantes etiam, quomodo ob hanc cauſam eiſdem religioſis perſonis, ut in obſervantia regulari Omnipotenti Deo eo liberius & quiecius ſervire poſſint, & debeant, ab Apoſtolica Sede privilegia, & indulta multa, pluresque Parochiales Eccleſiæ cum fructibus, redditibus, & proventibus illis unitæ, & incorporatæ exiſtunt. Quarum quidem religioſarum perſonarum nonnullæ, tantis ingratæ beneficiis, ſalutem ſuam miſerabiliter negligentes, dictarum religionum ſuarum regulas & ſtatuta obſervare non curant, quinymo nonnunquam contradicunt in grave animarum ſuarum periculum & ſcandalum religionum. Quapropter, niſi illi mores pra-

(*) Fridericus h. n. IV., Dynaſta de Emerberg Dapifer, & Archimagirus, ſeu coquinæ Palatinæ Præfectus, ex Decano Salisburgenſis Metropolitici Capituli eligitur Archi-Epiſcopus XL. Salisburgenſis anno 1441., a Concilio Baſileenſi contra æmulum co-electum confirmatus; hinc ſtetit ſemper pro Concilio Baſileenſi.

pravos, & diſſolutam vitam abjecerint, ac ad cor redierint, opera priorum Patrum, in quorum locum, & ſtatutum ſucceſſerunt, devote adimplendo, privilegia, indulta, atque Eccleſias prædictas juſte merentur amittere; quorum; ſi in pertinacia incorrigibiles perſeverare præſumpſerint, nequaquam poterunt eſſe digni. Hinc eſt, quod Nos auctoritate Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, omnibus, & ſingulis perſonis religioſis Monaſteriorum quorumcunque, tam virorum, quam mulierum in prædicta Provincia Saltzburgenſi ubilibet conſtitutis, exemptis & non exemptis, ſub pena amiſſionis, & revocationis omnium & ſingulorum privilegiorum, indultorum & unionum prædictarum, eis, & eorum Monaſteriis, atque locis quibuscunque, etiam Apoſtolica auctoritate factarum, & conceſſarum, diſtricte precipiendo mandamus, quatenus infra unum annum a die datarum præſencium computandum, regularem vitam juxta regulas & ſtatuta ordinis, quem, ut premittitur, profeſſæ ſunt, effectualiter obſervare incipiant, & ſic inceptam fideliter continuare ſtudeant, & teneantur. Eademque auctoritate declaramus, decernimus, & ordinamus, omnes & ſingulas perſonas religioſas predictas, per Saltzburgenſem Provinciam ubilibet conſtitutas, quæ infra annum predictum hujusmodi obſervanciam regularem non inceperint, poſt elapſum ejusdem anni in antea ad quamcunque dignitatem fore inabiles, ac ineligibiles: quodque poſt lapſum duorum annorum a datis præſentium numerandum, nulla talium perſonarum religioſarum, niſi prius ſaltem per annum integrum immediate precedentem regularem tenuerit obſervanciam, ad quamcunque dignitatem eligibilis exiſtat: Mandantes inſuper Archi-Epiſcopo, & Epiſcopis predictis, ac omnibus aliis & ſingulis, ad quos de jure, vel conſuetudine; vel privilegio, electio perſonarum, & Monaſteriorum præfatorum confirmatio pertinet, ne contra declarationem, decretum, ac ordinationem noſtras hujusmodi veniendo ullam electionem de perſona, ut prefertur, inhabili pro tempore factam, quovis modo confirmare attemptent, ſive preſumant. Quod ſi ſecus fecerint, confirmationes easdem ſimili auctoritate Apoſtolica ex nunc, pro ex tunc, ex tunc, prout ex nunc decernimus irritas & inanes, nulliusque exiſtere roboris vel momenti. Quod ſi forſitan infra ipſum primum annum, a data preſentium computandum, caſus vacationis alicujus dignitatis occurrerit, ad quam perſona eligeretur, que in obſervancia regulari ſui ordinis non ſtetiſſet antea per annum, ac vitam regularem hujusmodi nondum incepiſſet ſervare, circa illam confirmator agere poterit, prout de juris communis diſpoſitione fuerit faciendum. Ut ergo hæc noſtra facta ordinatio, & caritativa admonitio ad omnium, ad quorum intereſt, intererit, vel in futurum intereſſe poterit, publicam deducatur notitiam; vobis Reverendiſſimo, & Reverendis Patribus, Archi-Epiſcopo, & Epiſcopis Provinciæ Saltzburgenſis ſupradictæ firmiter precepimus, & mandamus, quatenus has noſtras literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, per veſtras Diœceſes, & ubicunque opus eſſe judicaveritis, infra unius menſis ſpatium a tempore receptionis præſentium, inſinuare, ac publicare curetis: & ea, quantum ad vos ſpectat, obſervetis, ac ab aliis omnibus, quorum intereſt, faciatis inviolabiliter obſervari. Datum & actum Saltzburgæ, die octava Februarii, anno a Nativitate Domini MCCCCLI. Pontificatus prefati Sanctiſſimi Domini noſtri NICOLAI Divina providentia Papæ quinti anno IV.

Abſoluto Concilio, Cardinalis Viennam ſe contulit, nominavitque Viſitatores Monaſteriorum, editis eam ob rem litteris publicis, quæ ſic habent:

NICOLAUS, MISERATIONE DIVINA, TIT. S. PETRI AD VINCULA, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS PER ALMANNIAM, VENERABILIBUS IN CHRISTO NOBIS DILECTIS PATRIBUS, ET RELIGIOSIS PERSONIS, ABBATIBUS, ABBATISSIS, ATQUE CONVENTIBUS ORDINIS S. BENEDICTI, PER PROVINCIAM SALTZBURGENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

Divina pietate Eccleſiam ſuam miſericorditer reſpiciente, actum eſt, (quis poterit dubitare?) quod hoc in tempore Sanctiſſimus Dominus noſter, Domi-

 nus

nus Nicolaus Papa quintus, Paſtor vigilantiſſimus eidem Eccleſiæ Præfectus exiſtit, cujus diligentiſſima cura ad hoc indeſinenter attendit, ut oves ſibi creditas in ſalutis viam dirigere poſſit, & in Dei caritate unumquemque pro ſuo debito ardere ſe procuret. Idcirco ſua Sanctitas ad ſacerrimam veſtram religionem oculos attollens, nobis diſtricte præcepit, atque ſingulariter dedit in mandatis, ut per ſimilia commiſſæ Nobis Legationis loca eam ſolicitudinem, quantum ex alto datur, adhiberemus, qua omnes, ſi qua exorta reperitur, deformitas a veſtra religione devia, Apoſtolica viſitatione amoveatur, ſacraque religio in ſanctis obſervantiis reviviſcat. Sed quia Nos permultis negotiis aliis occupati ad ſingula loca veſtra perſonaliter accedere non valemus, per alios noſtros Commiſſarios idipſum explere compellimur, quod noſtra in in perſona facere nequimus. Hinc Venerandos in Chriſto Patres veſtri ordinis, Martinum ad Scotos, & Laurentium Celle Mariæ Abbates, nec non Stephanum in Medlico Priorem, Monaſteriorum Pataviensis Diœceſis, de quorum trium fidei integritate, ac optimo zelo, ad Dei cultum, & religioſam obſervantiam plurimum in Domino ſperamus, Apoſtolica auctoritate Viſitatores deputavimus, & per preſentes deputamus, eosque ad vos, & ſingula veſtra Monaſteria ad viſitationis officium plenarie exercendum cum omni facultate ad hoc neceſſaria transmittimus. Quibus præcipue dedimus, atque etiam harum ſerie damus in mandatis, ut ipſi ſolum Deum præ oculis habentes, omni ſiniſtra affectione poſtpoſita, diſpoſitionem ſtatuum, & conditiones omnium & ſingulorum Monaſteriorum, Priorum, ac perſonarum in ipſis, & ipſorum quolibet degentium, primo ab Abbate incipiendo, demum ad alias perſonas deſcendendo, uſque ad ultimam, ſolicite & diligenter inquirant, & inquiſita debite conſcribant, ſeu conſcribi faciant; omnia quoque & ſingula, quæ a ſtatutis, & regula dicti ordinis devia eſſe conſpexerint, aut compererint, emendari procurent. Ubi vero in viſitatione hujusmodi graves exceſſus, & incorrigibiles perſonas eos reperire contingeret, quod tunc advocato ad hoc brachio ſeculari ad exſtirpationem criminum & difformitatum omni diligentia adhibita procedant, & nihilominus nobis exceſſus hujusmodi, & facti qualitatem cum ſuis circumſtantiis quantotius ſuis literis referre ſtudeant: ut Nos omni opportuno remedio, ſi opus fuerit, occurramus. Volumus autem, quod omni diligentia invigilent, quod tria ſubſtantialia omnis Religionis, ſcilicet paupertas, caſtitas, & obedientia, & exactiſſime obſerventur; & eſus carnium nequaquam, nec Abbati, nec Abbatiſſæ, nec Monachis, ſeu Monialibus indulgeatur, niſi eo modo, quo Regula S. Benedicti per eos profeſſa, ipſis permittit eundem; omnibus diſpenſationibus in contrarium, per quemcunque Viſitatorem conceſſis, non obſtantibus; quas omnes, cum ſint contra Regulam, preſencium tenore irritas eſſe decernimus. Inſuper volumus, quod prædicti noſtri Commiſſarii & Viſitatores nonnulla noſtra ordinationes & ſtatuta, quæ ad Dei honorem, animarum veſtrarum ſalutem, pro reformationis introductione ſervari mandavimus, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis inſinuent, ac publicent; & ubi vos per obſervantiam Regularem gratia Dei capaces eſſe viderint, plenariæ indulgentiæ cum certa pœnitentia facili participes faciant, ac omnia alia, ac ſingula, quæ ipſos agere, & in hujusmodi viſitatione exercere contigerit, primo in ſcriptis diligenter redacta, nobis examinanda, & Apoſtolicæ Sedi deferenda citius transmittere non poſtponant. Quocirca vobis omnibus Abbatibus, Abbatiſſis, ſingulisque perſonis ordinis S. Benedicti antedictis, per Saltzburgenſem Provinciam ubilibet conſtitutis, dicta auctoritate Apoſtolica, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis excommunicationis, quam in ſingulares perſonas: & interdicti, quam in loca & Monaſteria veſtra, latis ſententiis ferimus in his ſcriptis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prænominatos Abbates, & Priorem, a nobis Viſitatores Deputatos, uti Apoſtolicos Viſitatores & Nuntios, cum omni reverentia & obedientia, quibus Apoſtolicæ Sedi afficimini, ſuſcipiatis, & ad ipſorum viſitationis officium in omnibus exequendum libere admittatis, omnem illis veſtrorum Monaſteriorum, & perſonarum quarumcunque, a capite uſque ad ultimam, diſpoſitionem & conditionem plenius manifeſtando: ac omnia, & ſingula,

gula, quæ Visitatores ipsi secundum regulam & statuta ordinis vestri fieri, & observari mandaverint, seu ordinaverint, reverenter acceptetis, & studeatis diligenter, ut tenemini, etiam observare. Et si secus feceritis, quod absit, ex tunc sæpe dictis Visitatoribus per præsentes committimus, & etiam districte præcipimus, ut vos, & quemlibet vestrum in præmissis inobedientem, cujuscunque conditionis, seu status fuerit, post trium dierum Canonicam monitionem, ultra pœnas ordinis, præmissam excommunicationem, ac Monasteria inobedientium interdicti Ecclesiastici, per nos, ut præfertur in scriptis literis, sententias incidisse declarent. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias incurrerint, Nobis, & Apostolicæ Sedi tantummodo reservamus. Dat. Wiennæ, Patav. Diœcef., die tertia mensis Martii, anno a Nativitate Domini MCCCCLI. nostro sub sigillo. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini NICOLAI, Divina providentia Papæ quinti anno IV.

Processum Visitationis descripsit unus de Visitatoribus, Martinus, Scotorum Abbas, in Dialogo. Quem *V.C. Hieronymus Pez edidit Tom. II. Script. Austr. a column.* 637. Initium factum a Monasterio Gotwicensi: a quo Visitatis per Austriam reliquis, transiere in Stiriam, & Carinthiam: inde Salisburgum, demum in Bavariam per Monasteria facile duo supra quinquaginta utriusque sexus. Cæterum idem Martinus pro Stephano, Mellicensium Priore, supra nominato, scribit, Visitatorem tertium fuisse Joannem Slitpacher, Professum in Mellico; qui nempe Stephano de Spanberg in Abbatem Mellicensem electo, suffectus fuerat.

P. Marcus Hansiz S. J. Germaniæ Sacræ Tomo II.

NICOLAI Papæ V. Confirmatio & Approbatio Statutorum Synodalium & Curiæ Leodiensis, Anni 1451.

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

IN Apostolicæ Dignitatis specula, licet immeriti, disponente Domino constituti, ad universos nostræ vigilantiæ creditos, tanquam universalis Dominici gregis Pastor, commissæ nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, manus operarias libenter apponimus; ut inter fideles quoslibet, præsertim sub quavis jurisdictione Ecclesiastica degentes, ita dirigatur justitia, & illius vigeat cultus; quod abusibus repressis, & moribus reprobis extirpatis, plantentur & succrescant bonæ ac virtuosæ actiones, præmium boni sentiant, malique pro demeritis condigne puniantur: illaque rursus Apostolici muniminis ampliori adminiculo communimus, quæ præmissorum consideratione percipimus consultius processisse. Sane pro parte dilectorum filiorum Decanorum, & Capitulorum secundariarum Ecclesiarum Leod. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum Venerabilis frater noster Joannes, Episcopus Leodiens.(*) propriorum & dilectorum filiorum majoris Leodiens., cui etiam tunc præerat Ecclesiæ; Præpositi, singulorumque Archi Diaconorum & Capituli Officialis in sua Leodiens. seu quavis eorundem filiorum Curiæ forisque Deputatis bene agendi, & non inquietandi, nec gravandi ejus subditos, normam, remediumque dare, & adhibere volens, nonnulla per bonæ memoriæ Adolphum Episcopum Leodiens. Prædecessorem suum, ex tempore, quo ipse dictæ dignoscitur Ecclesiæ præfuisse, contra abusus Officiatorum hujusmodi, & excessus edita: nec non Synodalia Statuta innovando & confirmando; quamplurima alia statuta, consideratione majoris, & aliorum Capitulorum hujusmodi, atque Cleri civitatis & Diœcesis Leodiens. de consilio etiam & consensu majoris Capituli hujusmodi provide edidit: in eisque voluit, statuit, & ordinavit, quod licentia testandi alicui Beneficiato, seu Presbytero ab Episcopo concessa,

(*) *Multa in his, quæ sequuntur, mutila & manca sunt.*

cessa, per cessum vel decessum ejusdem Episcopi exspirare non deberet: & quod de bonis mobilibus Beneficiati, seu Presbyteri absque tali licentia, seu ab intestato defuncti, inventarium confici, illaque solutis exequiis, atque debitis suæ dispositioni cedere deberent: ac deductis oneribus realibus, Beneficiorum vicesimus denarius valoris ipsorum Beneficiorum pro absentia atque ratione Beneficii, si cum cura, unum Scutum vetus; si vero sine cura foret, quatuor grossi veteres, & non ultra, pro placet reciperetur, & semel tantum de valore Beneficii docere deberet; nihilque abusive pro placet, & absentia, ac tantum duo grossi antiqui pro suis registrationibus reciperentur. Quodque unicuiq; Canonico alicujus dictarum secundariarum Ecclesiarum absentiam ratione Beneficiorum suorum aliorum pro tempore petenti, & vicesimum, de quo præfertur, denarium annis singulis ante Festum Sancti Lamberti offerenti, absentia concedi deberet: & quod fructus Beneficiorum, in quibus Rectores residerent, non sub ficto colore absentiæ, nec etiam illorum Beneficiorum, a quibus Rectores essent absentes, dummodo Beneficiis ipsis laudabiliter deserviretur, aliquatenus arrestarentur: alioquin si secus attemptari, ac ad excommunicationem, suspensionem vel interdictum contra Rectorem aliquem procedi contingeret, arrestum tolleretur, & Rectori absolutio impenderetur, ipsique super his literæ darentur ubique gratis: nec non expensæ, in quibus forte propter arrestum, seu processum hujusmodi Collector vel Procurator condemnatus foret, statim per illum solvi, seu deponi in judicio deberent. Collector quoque fructuum Beneficiorum, quorum Rectores personaliter residerent, sub ficto colore absentiæ talium Rectorum arrestari non procuraret, & quod ipse in absentia Rectorum Beneficiis in Divinis laudabiliter deserviri facere, eorumque onera, etiam realia supportare, ac diminutos negligentia sua eorundem Beneficiorum fructus reaugmentare deberet. Quodque si licentia abessendi arrestationem præcederet, pro ipsa arrestatione, seu illius literis Collector nihil; & si eam licentia ipsa sequeretur, quo casu arrestum sublatum foret, pro ea, seu illius literis Collector ipse, sive Subcollector duos grossos duntaxat percipere deberet: ac quod de Synodo & excessibus Synodalibus, Fiscaliumque examinationibus, & institutionibus Procuratorum ac Sententiariorum, Articulatorum, Copiatorum, Notariorum, ac Fiscalium, & non Fiscalium Procuratorum salario & scripturis, ac hominibus volentibus cedere bonis, prout de his omnibus in Synodalibus præfatis omnibus, aut suæ curiæ Leodiens. Statutis, dictique Adolphi moderationibus, nec non pace Tongrens. & aliunde provisum ac ordinatum foret, servaretur: quodque Articulator propter diversos excessus contra unam personam diversos processus facere non deberet, staretque Articulator ipse pro juramento & responsione ad articulos unius excessus salario, prout de illo, ut præfertur, ordinatum est: exessuum vero plurium, juxta Decretum Judicis, contentus, & quod excommunicatus propter contumaciam pro ipsa contumacia non ultra valorem sex grossorum Turonensium; si vero Presbyter esset, duodecim grossorum summam: excommunicatus vero per annum & amplius Judicis arbitrio plecteretur; quodque pro definitiva sententia signanda & sigillanda, vicesimus denarius condemnationis, vel absolutionis: pro interlocutoria autem duo grossi & non ultra reciperentur: & quod non essent, nisi quindecim Procuratores negotiorum curiæ in Leodiensi, & tantum unus Procurator in qualibet curia Præpositi, & Archi-Diaconorum prædictorum. At quod nullus eorum esset Sigillifer vel Notarius Curiæ illius, cujus foret Procurator, suoque esset quivis officio contentus. Quodque deservitor pro licentia deserviendi Beneficio nihil solvere deberet; & quod nullus super excessibus ad Leodiensis, vel alicujus Archi-Diacon. curiam citaretur, nisi articuli excessuum cum citatione mitterentur, vel ex tenore citationis hujusmodi citatus instrui posset, super quibus in judicio conveniretur: ac quod non caperetur, nec incarceraretur aliquis citatus ad Leodiensem civitatem, juri stare, seque defendere volens; nisi crimen confessus, vel in illo comprehensus, seu convictus de eo esset: nec Beneficiatus aliquis in Beneficio suo residens, pro quocunque crimine caperetur, de quo convictus

victus non foret, neque ipsius Beneficii fructus arrestarentur. Quodque Executores literarum monitorialium sub sigillis suis executiones illarum, ac modum & formam, diemque & horam executionum hujusmodi, una cum personarum designatione speciali, rescribere tenerentur. Et ne pro resignationibus Beneficiorum admittendis, ac instructionibus, seu admissionibus aliquid reciperetur; sed pro trium proclamationum, seu institutionum, seu admissionum literarum, duodecim grossi, cum uno grosso pro audientia recipi possint. Quodque in Visitationibus, quas Archi-Diaconi per se, vel suos facerent Visitatores, taliter se haberent, quod nihil contra Canonicas Sanctiones, seu Synodales Constitutiones aliquatenus facerent, aut fieri permitterent; sed quæ sibi licita forent, his duntaxat contenti essent, nihil penitus curialitatis, seu procurationis nomine a provisoribus mensæ Sancti Spiritus, aut fabricæ Altaristis, appenditiis non separatis, seu filiabus Ecclesiarum, Capellis, hospitalibusve recipientes: nec reus aliquis super excessu in causam tractus componere volens, ad jurandum compelli deberet, neque ratione alicujus juramenti per eum non præstiti, aliquid exigi ab eodem: quodque literæ statutorum nuncupatæ per practicos expertos dictari, & signeto Officialitatis signari deberent. Nec occasione litis, super Beneficio per biennium pacifice possesso, movendæ illius fructus subtrahi, vel arrestari deberent. Neque ejus Rectori absentia denegari: & quod in singulis aliis a Berckens., Tongrens., Trajectens., & Sancti Trudonis Conciliis non esset, nisi unus Officialis foraneus, & unus Archi-Diaconus foraneus. Quodque super matrimoniis, seu sponsalibus contractis, nulli concordiam aliquam facere, vel tractare, seu fieri procurare, aut concordiis talibus interesse præsumerent: sed sententia desuper judicis competens exspectaretur, nec aliquis litigans habentem Procuratorem legitimum citare facere præsumeret ad aliquem actum, neque absque expressa commissione Judicis Notarius aliquis responsiones ad positiones faciendas, sive testes producendos extra Curiam Leodiensem audiret, reciperet, vel examinaret: & quod absque evidenti necessitate alicui Presbytero de Servitura duarum Ecclesiarum Parochialium non condependentium non committeretur. Habentes autem plura Beneficia, & illis simul deservientes, propterea non vexarentur, nec quidquam exigeretur, vel reciperetur ab eisdem, dummodo satisfacere possint, & cum effectu satisfacerent Beneficiorum oneri eorundem. Quodque Placet concessum Curato residenti pro Coadjutore, atque absenti pro Deservitore, post eorum obitum esset duraturum, neque ad festum Sancti Joannis Baptistæ extunc immediate sequens: nullique Rectori alicujus Beneficii, seu Altaris, licentiam petenti fructus Beneficii, vel Altaris hujusmodi in augmentum convertente(*) licentia ipsa denegaretur, & quod Placet gratis concederetur deservitori; Rectori quoque propter executiones mandatorum in Beneficio residere non audenti, abessendi licentia daretur gratis: & ne quis in eadem Curia simul & semel Judex & Sigillifer, seu Vicarius & componens, aut eorum aliquis conjugatus esset: neque Decani rurales Christianitatum nuncupati, sub colore visitationis ficto, vel illius remissionis, de quartis Capellis per ipsos non personaliter visitatis, aliquas pecunias annuas reciperent, sed de visitatis per eos Capellis tantum quarta parte illius, quod Archi-Diaconis pro visitatione integræ Ecclesiæ deberetur pro ipsarum Capellarum visitatione, & eadem etiam parte pro Cathedratico & obsonio; nec non octava parte eorundem fructuum pro Placet & absentia, ac proclamationibus, & admissionibus ratione Capellarum earundem contentari deberent. Et eorum quilibet in suo Concilio salvis privilegiis Apostolicis, & aliis conditionibus tunc adjectis personaliter residere. Et ne Sigillifer Leodiensis pro deliberatione Chrismatis, vel Olei sacri sive infirmorum, neque pro illorum ministratione Decani rurales præfati quidquam reciperent, vel etiam exigerent præter & contra Synodalia Statuta, nec etiam eorum deliberatio alicui Decano denegaretur propter deportationem, vel executionem Ecclesiasticorum mandatorum. Et ne Archi-Diaconi, & Decani Christianitatum causarum eis intentarum decisionem, & definitivam sententiam:

(*) *forte:* convertendi.

Nec Officialis Leodienfis per appellationes per eum devolutas, neque ultra femel fimplicis querelæ coram fe intentatas caufas aliquas committere præfumerent, nec etiam pro præfentatione ad aliquem facrum ordinem, five illius literis ultra fex groffi reciperentur. Quodque Curatus refcribens Decano, five Vice-Decano, prout moris eft, deberet femel in anno duntaxat, & non amplius refcribere, Beneficiorum infra Parochiam fuam confiftentium, fuorumque Rectorum, & etiam defervitorum, ac etiam excommunicatorum per annum & amplius nomina, & cognomina, una cum valore annuo Beneficiorum eorundem. Nec deberet ex officio talis fic refcribens citari fuper ulteriori refcriptione: & quod nullus Presbyter fuper incontinentiis citaretur, nifi mulier nominata in Citatorio, cum qua diceretur incontinens, effet primo ad Synodum provocata, plerisque aliis variis & diverfis etiam tunc adjectis, quæ omnia & fingula idem Joannes, Epifcopus Leodienfis, etiam voluit, & fub certis pœnis mandavit inviolabiliter obfervari, prout in literis fuper his confectis, & per ipfum Joannem, Epifcopum Leodienfem, anno a Nativitate Domini Millefimo, quadringentefimo fexto, die quarta Junii conceffit, fuoque, & majoris Capituli Leodienfis hujusmodi figillis fignatis dicitur plenius contineri. Quare pro parte ipforum Decanorum, & Capitulorum fecundariarum Ecclefiarum fuit Nobis humiliter fupplicatum, ut præfatis, & aliis in dictis literis contentis pro eorum fubfiftentia firmiori, robur Apoftolicæ confirmationis adjicere, ex benignitate Apoftolica dignaremur.

(*) fcientia.

Nos igitur hujusmodi fupplicationibus inclinati, ftatuta prædicta, & illa in præfatis literis contenta, rata, & grata habentes, illa ex certa licentia (*) authoritate Apoftolica confirmamus, & approbamus, ac præfentis fcripti patrocinio communimus, fupplentes omnes defectus, fi qui forfan intervenerint in eisdem, non obftantibus conftitutionibus, & ordinationibus Apoftolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftræ confirmationis, approbationis, communitionis, & fupletionis infringere, vel ei aufu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præfumpferit, indignationem Omnipotentis DEI, Beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit incurfurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millefimo, quadringentefimo, quinquagefimo primo, quarto decimo Calendas Novembris, Pontificatus noftri anno quinto.

Lünig Continuat. III. Spicil. Ecclefiaft. pag. 1093.

CAMINENSIS SYNODUS
Anno Chrifti MCCCCLIV. Nicolai V. Pp. VIII. Friderici III. Reg. XV.

HENNINGHUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS CAMINENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, ET DECANIS, ARCHI-DIACONIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS TAM CATHEDRALIUM, QUAM COLLEGIATARUM CAMINENSIUM, PAROCHIALIUM ECCLESIARUM RECTORIBUS, VICE-RECTORIBUS, AC LOCUM EORUNDEM TENENTIBUS, CAPELLANIS, VICARIIS, SUBSTITUTIS, ET CLERICIS BENEFICIATIS, ET NON BENEFICIATIS, OMNIBUSQUE ALIIS ET SINGULIS, CUJUSCUNQUE STATUS, GRADUS, ORDINIS, AUT CONDITIONIS FUERINT, IN DIŒCESI NOSTRA UBILIBET CONSTITUTIS, QUOSCUNQUE INFRA SCRIPTUM TANGIT NEGOTIUM, SEU TANGERE POTERIT QUOMODOLIBET IN FUTURUM, SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO KARITATEM.

INjuncta nobis Creatore ab Altiffimo omnium rerum, & conditore, follicitudine Paftoralis curæ, fubjectarum (*) remediis nos invigilare opportune, earundem

Pag. 437. hujus Tomi Epitomen hujus Synodi ex Cramero excerptam retulimus: nunc integram damus, qualis a Cl. Lunigio edita fuit.

(*) *fors addendum*: ovium.

dem periculis obviare, ac difformitates removere compellit. Sanum eſt, quod de ſancta noſtra Synodo de anno Domini MCDLIV. ipſo die Beatæ Mariæ Magdalenæ in Eccleſia noſtra Kathedrali Caminenſi cum noſtris Prælatis celebrata, multi defectus, abuſiones, & difformitates ad noſtram audientiam deducti fuerunt, præcipue de Clericis, tam Religioſis, quam ſæcularibus: qualiter, quod dolenter eſt audiendum, ipſi contra Sacroſanctas Canonicas Sanxiones delinquunt, & exorbitant, a veritatis tramite valde recedentes. Quapropter DEI adjutorio, ac de Prælatorum noſtrorum conſilio ad obviandum difformitatibus hujusmodi, ac ad providendum futuris periculis, ordinationes infra ſcriptas fecimus, quas ab omnibus noſtris Diœceſanis inviolabiliter volumus obſervari. Illis tamen Statutis Synodalibus, quæ per Prædeceſſores noſtros piæ memoriæ ordinata ſunt, nequaquam derogando, neque in eis aliquid immutando, niſi inferius duxerimus aliter diſponendum. Sed illa potius amplectendo, & approbando, eis ordinationes, & ſtatuta noſtra hujusmodi duximus addenda pariter, & annectenda &c.

Inprimis volumus, ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero nullus Clericorum, & ſignanter Curati, publicas & ſuſpectas intrare præſumant tabernas cum laicis, ubi & in quibus plurima ſcandala, & crimina, videlicet homicidia, furta, perjuria, convitia, & luxuriæ committuntur: Clerus cum ſuis Parochianis coequales bibunt hauſtus, ſuas oves paſtorali cura ſibi commiſſas ſeducunt, & in profundum inferni demergunt, aliis iter devium & lubricum, ac extreme præbentes pernicioſum.

Secundo refertur de dictis Curatis, quod in Vigiliis, & Profeſtis Sanctorum cum ſuis Parochianis, ac etiam extraneis aliis uſque ad medium noctis crapulantur, & gurgitant, eſculenta & potulenta ſaturiantes, & ſic æſtuati in continenti Miſſarum ſolemnia omiſſis Horis Canonicis, in Divini nominis offenſam, celebrant. Si qui tales in præmiſſis de cetero culpabiles reperti fuerint, privabimus Beneficiis, & eosdem ſine & absque alia monitione præmiſſa ab officio ſuſpendemus.

Rurſum præcipimus omnibus Presbyteris, & Clericis noſtræ Diœceſis, ne de cetero ad hauſtus æquales bibant, neque unus alium ad bibendum taliter, vel ultra modum honeſtum incitet, quovis quæſito colore: alioquin contrarium facientes, totiens, quotiens in his deliquerint, pœna duorum florenorum Rinenſium volumus puniri.

Inſuper ad aures noſtras pervenit, quod non ſolum minores Clerici, & ſimplicibus Beneficiis Beneficiati, ſed proh dolor! nonnulli Eccleſiarum Prælati ſuperfluis commeſſationibus, & illicitis confabulationibus inſudantes, fere medietatem noctis expendunt, in Divino officio raro, vel vix comparentes. Et poſtquam tales domi oraverint, ſincopando Horas Canonicas transcurrunt, quaſi nullam habeant ad Dominum intentionem.

Ceterum ſunt nonnulli plures, & etiam alii, qui quater in anno Miſſarum ſolennia vix celebrant; & quod deterius, intereſſe contempnunt, & ſi Divinis interſunt, Chorum exeunt, laicorum confabulationes ſic commiſcentes, prohibemus de cetero talia fieri. Contrarium vero facientes, pœna ſuſpenſionis volumus puniri, ut eo ferventius, eoque devotius Divino cultui ineſſe ſtudeant.

Præterea, ut refertur, ſunt nonnulli, curam animarum habentes & vices gerentes earundem, qui mandata ordinaria exequi contemnunt, timorem temporalem plus, quam Dei affectantes, perjurium & infamiam exinde incurrentes. Tales & conſimiles ab omni honore & officio ſuſpendimus, ac privabimus Beneficio, juxta ſacroſanctiſſimas Sanxiones Canonicas.

Inſuper nonnullorum Prælatorum noſtrorum frequens & aſſiduus clamor auribus noſtris intonuit, quatenus nulli Presbyteri & Clerici pacis æmuli, Dei timore, ac etiam omni humano honore poſtpoſito, majoris excommunicationis ſententiæ pœnas non formidantes, ſtatuta Prælatorum eorum minime decenter, interdum clam, & quandoque palam & publice, contra utriusque juris diſpoſitionem, Prælatis ſuis detrahunt, convitia & diſſenſiones, ac ſcandala inter Prælatos, & minores Clericos, nec non inter Prælatos,

latos, Clericos, & laicos, inſtinctu diabolico ſuas zizanias ſeminant, bonum pacis & concordiam inter illos eradicant, & evellunt, & faciunt, uti ſæpius viſum eſt, tam laicos, quam Clericos contra ſuos Superiores & Prælatos inſurgere & inſultare.

Monemus & requirimus talia perpetrantes & facientes, ac illis adhærentes, nec non conſilium, auxilium, aut favorem ad id præſtantes, ſub pœna a jure contra tales malefactores promulgata, quatenus mox & in continenti poſt publicationem præſentis noſtri ſtatuti a talibus deſiſtant. Et artius prohibemus, ne in antea talia vel conſimilia committantur, taliumque ſcelerum patratores juxta Canonicas ſanxiones ſerioſius puniemus, & impune nullatenus evadent.

Prohibemus inſuper, quod nemo Clericorum vel laicorum de quæſtionum apicibus tractet, aut diſputet in publico inter laicos Chriſtianos, aut infideles, Judæos, Schiſmaticos, ſeu Paganos, aut quoſcunque alios, videlicet de Sancta Trinitate, aut Filii in Divinis incarnatione, aut de pretioſiſſimo Sacramento Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti, nec in præſentia laicorum, nec de indulgentiis a Sancta Sede Apoſtolica & Romana Eccleſia indultis; niſi tunc Clerici tales fuerint, quibus permiſſum eſſet, & a talibus, quibus permiſſum eſt, talia tempore & loco congruis ad evitandum ſchiſmata & ſcandala, quæ ex his aliquando in populo conſueverant venire.

Item de Religioſis noſtræ Diœceſis graves accepimus querelas, videlicet quod nonnulli tam Mendicantium, quam Prædicatorum, nec non Militiarium S. Johannis Ordinis Fratres pauci ſub regulari obſervantia vivunt. Quidam de ipſis, ut dicitur excommunicatos & interdictos, tam a jure, quam ab homine ad Divina admittunt. Aliqui etiam ipſorum Religioſorum nocturno tempore abjecto habitu loca ſuſpecta ſubintrant. Similiter & in die non bini, juxta regulas ordinis eorum, ſed unus ſolus hinc inde vagatur, indecenter plateas tranſcurrendo, & abuſiones varias alias faciunt, & committunt. Et ſi aliquotiens ſuper his per Nos, ac Prælatos noſtros corripiantur, minime advertunt, ſed confiſi de privilegiis ſuis pertranſeunt impunes. Quatenus omnes & ſingulos Priores, & Sub-Priores, Cuſtodes, Ghardianos, & alios quocunque nomine cenſeantur, dictorum ordinum Superiores hortamur, requirimus, & monemus, quatenus infra unius menſis ſpatium a die publicationem præſentium immediate ſequente, præmiſſarum abuſionum, & difformitatum reos juxta diſciplinam eorum ordinum corrigant, & correctioni condigne ſubjiciant; alioquin ſi Superiores hujuſmodi in præmiſſis negligentes, & remiſſos invenerimus, dicto tempore monitionis elapſo, culpabiles, & reos juxta Canonicas Sanxiones puniemus, juſtitia mediante. Et ſicut de Monialibus in Prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis proviſum eſt, ita præcipimus obſervari.

Item, ut ſupra diximus, ſtatuta a Prædeceſſoribus noſtris, & præſertim a Johanne Frederico, & Sifrido condita, inviolabiliter præcipimus obſervari, & ſpecialiter de Mendicantibus, ſimiliter de Procuratoribus, de Notariis, de ceſſionibus, & ad obſervanda decrevimus: ne laicus laicum ad judicium ſpirituale trahere audeat, vel præſumat, niſi in caſibus a jure permiſſis, vel de conſenſu partium; alioquin tam Judex, quam Actor in quatuor marcas argenti debeat puniri. Et ſi contingeret, quod laicus laicum citet, ex tunc Judex in citatorio teneatur, & debeat exprimere cauſam, oſtendendo, quomodo illa cauſa ad forum Eccleſiaſticum dignoſcitur pertinere, & hoc pœna ſub eadem.

Item ſtatuimus, quod nullus Clericus Clericum, aut perſonam trahat coram aliquo Judice in vim ceſſionis in cauſam, niſi talis ceſſio ſit vera, & non ſimulata, & pure propter Deum facta. Et jurabunt cedens, & ceſſionarius coram Judice, coram quo actus ceſſionis agitur: videlicet, quod nullum emolumentum, ſeu commodum ex ceſſione ad ipſum cedentem deferatur. Et ſi ſecus factum fuerit, cedens perdet cauſam, & ceſſionarius cedet ab inſtituta actione, & cum hoc ceſſionarius pœna quatuor marcarum argenti puri per eundem Judicem puniatur, & ſi Judex hoc juramentum prætermiſit, eadem pœna ſe ſenſerit puniendum.

Item

Item ſtatuimus, quod teſtamenta, ſeu ultimæ voluntates Presbyterorum, & Clericorum noſtræ Diœceſis ſemper maneant in ſua firmitate, non obſtante, quod hujusmodi teſtamento, vel ultimæ voluntati publica non interfuit perſona; dummodo tamen ibidem tres vel quatuor perſonæ idoneæ interfuerint præſentes: omnesque hujusmodi teſtamentum impedientes, cujuscunque ſtatus, vel conditionis fuerint, niſi infra octo dies a tempore præfati impedimenti continue computandos deſiſterent, pœnam decem marcarum argenti puri ſe noverint incurſuros.

Item ſtatuimus, quod nullus decedens in teſtamento ſeu ultima ejus voluntate (*) Epiſcopum & Prælatum loci, in quo recognoverit tale teſtamentum, ſit de facto nullum, & inofficioſum. Statuta inſuper de teſtamentis, & de tempore executionis eorundem a Nobis, qualiter a Prædeceſſoribus noſtris condita, volumus & præcipimus inconcuſſe obſervari.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod tam Presbyteri, quam Clerici noſtræ Diœceſis veſtes illaudabiles infra menſem deponant, & unusquisque in veſtibus deferendis ſe Archidiacono ſuo, ſeu Prælato loci, ſecundum decentiam ſtatus ſui conformet. In contrarium facientes, pœna duarum marcarum argenti puri mulctentur.

Item inſuper præcipimus, quod nullus Presbyterorum, aut Clericorum differat biretum, ac cum tali in Platheis incedat, niſi fuerit Prælatus, vel Doctor, aut Magiſter tali inſignio decoratus, vel ſub pœna duorum florenorum Rinenſium, totiens, quotiens contrarium factum fuerit, Nobis, vel Prælato loci irremiſſibiliter ſolvendorum.

Rurſum præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Clericus & Presbyter in domo habitationis ſuæ habeat mulierem ſuſpectam, vel infamatam, aut talem habere audeat, vel præſumat; ſed eas habentes infra duodecim dierum ſpatium a notificatione præſentium a ſe removeant, & dimittant, neque iterato recipere procurent, ſub pœna decem marcarum argenti puri pro una medietate nobis, & pro altera medietate Prælato loci applicandarum: niſi ex juſtis & rationabilibus cauſis hujusmodi a Nobis tolererur.

Inſuper gravem conſpicimus, & inauditam Dei offenſam, & in publicum ſcandalum in Clero exoriri ex hoc, quod Presbyteri mulieres habent, cum quibus, timore Dei poſtpoſito, continue converſantur, in collationibus ſcilicet in una menſa comedentes, tanquam legitime viventes, ſe perpetuo ſimul manſitros colligantes, ſe ſic habentes, ut, quos diabolus conjunxit, homo ſeparare non poſſit, procreantque animalia gradientia ſuper terram, & poſt perpetrata crimina, & ſcandala hujusmodi tam mulieres, quam triobolæ ad eorum domus cum clavibus propriis accedentes, & recedentes permittunt (**) palam & publice, Patrimonium JESU Chriſti in meretricio conſumentes. Quare deſuper providendum ſtatuimus, ac ſub pœna decem marcarum argenti puri firmiter præcipimus, ne talia, vel conſimilia de cetero quomodolibet committantur. Contrarium vero facientes dictam decem marcarum pœnam minime evadent.

Item Statuta Prædeceſſorum noſtrorum de creatione & officio Notariorum edita volumus obſervari. Contrarium vero facientes pœna pecuniaria arbitraria decrevimus præſentandos. Et prout de ordinibus, ordinandis, examinationibus & qualitate ordinandorum proviſum eſt, ita obſervetur, niſi quod examinatores ſine . . . . . ſed ſolum dictamine conſcientiæ examinabunt. Adjicimus tamen, ne dolus vel fraus in literis Archidiaconorum examinatoribus præſentandis committatur: quatenus quilibet Archidiaconus tam tempore examinationis ad locum ſui Archidiaconatus ſe transferat, ad menſem vel modicum citra, & ordinandorum qualitatem in ſuo diſtrictu juxta noſtra ſtatuta inquirat, & ſic pro eo cum propriæ ſuæ manus appoſitione ſcribat, etiam Officiales Archidiaconatuum Archidiaconis in remotis partibus conſtitutis id facere teneantur.

Volumus inſuper & mandamus, quatenus Cancellarius noſter, ſive Notarius neminem intitulet, ſive inſcribat, niſi finito examine: & tunc ordinandos examinatores unanimiter præſentabunt. Neque etiam aliquem poſtea ſecrete inſcribent,

(*) *Manca ſunt.* (**) *forte:* permittuntur.

bant, sub pœna decem florenorum pro una medietate Nobis, & pro altera medietate Examinatoribus irremissibiliter applicandorum.

Rursum de Festis in nostra Diœcesi tenendis, ut pariformiter in Domo Dei ambulemus, sic duximus statuendum. Quia alias equidem Festum S. Annæ ante Festum Natalis Domini mandavimus celebrari, tamen, quia conspicimus illud tempus ineptum, propter certarum ceremoniarum illo sancto tempore observandarum turbationem, decrevimus, ut per amplius sequente die post Jacobi ab omnibus celebretur, sicut antiquitus Kalendario est annotatum.

Insuper volumus, quod Festum S. Faustini in secundis Vesperis septem Fratrum ab omnibus imponatur.

Item de Festo S. Joannis Baptistæ, Ecclesiæ & totius nostræ Diœcesis nostræ Patroni, aliquæ, ad Dei & ipsius majorem laudem sanctæ sunt ordinationes, quas ab omnibus nostræ Diœcesis uniformiter volumus observari, hoc ordine infra scripto. Ad Completorium Capitulum: *Dedi te in lucem gentium.* Hymnus: *O nimis felix.* ℣. *Justus ut palma florebit.* Antiphona: super *Nunc dimittis; Pro eo quod non credidisti:* ℣. ante Collectam: *Ipse præibit ante ipsum in spiritu & virtute Heliæ, parare Domino plebem perfectam.* Collecta: *Quæsumus omnipotens Deus, ut viarum illarum imitari rectitudinem, quam beatus Baptista Joannes mundo in deserto prædicando edocuit. Illumina &c.* Ad Primam: *O nimis felix*, cum conclusione. Ad Tertiam: *Serta ter denis*, cum conclusione. Ad Sextam: *Hinc potens nostri*, cum concluf. Ad Nonam: *Ut pius mundi*, cum concl. Ad Missam: *Credo*, dicitur, quia non Martyrii, seu Nativitatis gaudia celebrantur. Ita per totam octavam ad horas servabitur, nisi venerit in octava Corporis Christi: quia tunc ad horas, ut dictum est, de Corpore Christi servabitur. In die Beatorum Apostolorum Petri & Pauli horæ servantur ad Completorium, ad Primam, & Hymnus, & ad alias horas, sicut in die Joannis Baptistæ.

Item statuimus, præcipimus & ordinamus, quod in Festo Visitationis Virginis Mariæ historia, *Ecce venit saliens*, pariformiter in omnibus Ecclesiis nostræ Diœcesis sub debito obedientiæ observetur.

Item si aliquem Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, aut alium quemcunque Archidiaconum vel Prælatum in Ecclesiastica (*) constitutum capi, aut captum detineri contigerit, sine nostra, ac Capituli nostræ Ecclesiæ licentia speciali; extunc ipso facto omnes & singulas Parochias, in quibus capiens, aut capientes hujusmodi, seu id fieri mandantes, residentiam aut propria habuerint, nec non totum Archidiaconatum, aut Præposituram, vel districtum, in quibus captivus detinetur, usque ad integram libertatem captivati, seu detenti, Ecclesiastico supponimus interdicto, similiter si aliquem Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ, aut quemcunque alium Clericum, vel Sacerdotem sine nostra, aut fortassis Præpositi, vel sui Archidiaconi, qui in eundem jurisdictionem habere dinoscitur, (**) licentia speciali capi contigerit, aut captum detineri, in illa Parochia, in qua capitur, & in qua captivus detinetur, ac in illa & in illis, in qua vel in quibus hujusmodi captivantes, vel detinentes residentiam aut propria habeant, vel habuerint, usque ad integram libertatem ipsius captivati, vel detenti penitus cessatur a Divinis. Quod quidem interdictum, & quam cessationem Divinorum ferimus Dei nomine in his scriptis, volentes exnunc, ut quicunque Clericus vel Presbyter supradictam captivitatem, vel detentionem ipsorum Prælatorum, Archidiaconorum, Canonicorum, Presbyterorum, & Clericorum sciverit, aut fortassis apud quem hujusmodi captivatio, vel detentio aliquo modo notoria, aut manifesta fuerit, & interdictum Ecclesiasticum, aut cessationem Divinorum juxta tenorem prædicti nostri statuti non servaverit, aut fortasse contumaciter, vel ignoranter observare recusaverit, aut distulerit, præter alias pœnas sibi a jure communi inflictas, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Quam quidem sententiam in eundem extunc, ut exnunc, prout extunc ferimus in Dei nomine in his scriptis: & tanquam infamis & profanus ab omnibus habeatur, & evitetur, & hujusmodi etiam statuta infra mensem a publicatione præsentium in singulis

(*) *Supple*: dignitate.

(**) *Supple*: sine

lis Ecclesiis Parochialibus per Plebanos earundem, & deinde in singulis quatuor temporibus anni sub pœna Synodali, videlicet decem marcarum argenti puri, præcipimus publicari.

Item licet inclitæ memoriæ *Carolus IV.* Rom. Imp. & semper Augustus, in favorem totius ordinis Clericalis, Sacra Imperiali decreverit, statuerit, & pronuntiaverit authoritate, quod quicunque laicus, cujuscunque status, aut conditionis extiterit, qui ausu sacrilego, & propriæ temeritatis audacia Sacerdotem, vel Clericum secularem, vel religiosum diffidanter præscripserit, captivaverit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, vel hujusmodi perpetrantes scienter receptaverit, aut eis favorem præstiterit, præter pœnas a Sacris Canonibus Legalibus, & Sanxionibus in tales inflictas, eo ipso reddatur infamis, & omni honore privatus, nec ad placita vel consilia bonorum hominum admittatur quovis modo. Nonnulli tamen iniquitatis Alumpni nostræ Diœcesis prædictæ, inclitæ Sanctæ Constitutionis CAROLINÆ immemores, aut fortassis crasse & supine eandem ignorantes, supradicta crimina de die in diem etiam publice committere non verentur. Nos igitur hujusmodi constitutionem Carolinam, tanquam sanctam & rationabilem, recipientes, sub pœna Synodali præcipimus, ut hujusmodi constitutio saltem in parte prædicta singulis annis in quatuor Festivitatibus principalioribus de ambone publicetur. Statuentes etiam ex nunc, ut quicunque Clericus, aut laicus prædictos actus nepharios in supradicta constitutione vetitos, seu prohibitos, aut eorum aliquem commiserit, aut aliquem Presbyterum, vel Clericum de loco suæ residentiæ directe vel indirecte, per minas, aut per quamcunque violentiam fugaverit, aut expulerit, vel hujusmodi committenti, vel committentibus consilium, aut auxilium, aut favorem, directe, vel indirecte præstiterit, præter pœnas a Sacris Canonibus, & legalibus Sanxionibus, & præsertim per prædictam constitutionem Carolinam in tales inflictas, ipso facto excommunicationis sententiam, & ultra hoc, si Clericus fuerit, etiam privationem omnium Beneficiorum incurrat, quam in talem, aut in tales ferimus Dei nomine in his scriptis.

Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueverunt pericula evenire; quapropter statuimus, quod de cetero in causa prophana pro debito pecuniario nullo modo feratur interdictum, neque generale, neque speciale, neque etiam cessatio Divinorum; nisi ex tunc in contumaciam partis, quia sic juxta nostram dispositionem licitum est promulgari. Et non feratur leviter, sicut sæpissime contingit, nisi magna exigente contumacia: & cum dilationibus ac intervallis spatiosis, sine & absque clausulis, ubi propria habuerit, & ad duos vel tres dies post ejus recessum &c. promulgetur. Et si secus factum fuerit, sit ipso facto, quoad clausulas hujusmodi irritum & inane: ac Executor ad illam clausularum executionem jure teneatur; in causis autem Ecclesiasticorum reddit:uum interdictum ferri, non tamen leviter, licitum est, quia tales sunt causæ spirituales.

Item præcipimus, ac sub pœna quatuor marcarum argenti puri mandamus, quatenus infra hinc & Festum omnium Sanctorum proximum quilibet Presbyter, aut Clericus in Diœcesi nostra Beneficiatus, literas fundationum & confirmationum Beneficii sui in carta pargamenti in fine libri Missalis ad Beneficium hujusmodi pertinentis conscribat, easque conscriptas, registratas, ac in fine libri dicti alligatas, debite custodiat, ad tollendum dissensiones, quæ aliquando super jure patronatus Beneficiorum oriuntur, ac ad evitanda animarum pericula, quæ in eo, quando Beneficia juxta eorum fundationis tenorem non debite, aut . . . gubernantur, ... poteftque facilius haberi aditus ad Missalia hujusmodi, quam ad fundationis, & confirmationis Beneficiorum literas originales. Et si quis plura Beneficia habuerit, omnium eorum fundationes, & confirmationes conscribere, registrare, ac modo præmisso alligare debeat, & teneatur, pœna sub præmissa.

Item volumus, statuimus, & ordinamus, quod quilibet Plebanus nostræ Diœcesis habeat librum bene ligatum, in quo nomina excommunicatorum, & aggravatorum &c. & interdictorum diligenter

genter conscribat, ut successori suo, si ab Ecclesia aliquo modo recesserit, possit de excommunicatis, aggravatis, & interdictis evidenter constare, ne excusationem, excommunicatos, & interdictos evitandi aliqualem valeat allegare. Remissos in his, duobus florenis Rinensibus volumus puniri.

Volumus insuper, & mandamus, quatenus quilibet Archi-Diaconus, seu Prælatus jurisdictionem habens Ecclesiasticam, infra hinc & proxime instans festum Nativitatis Gloriosæ Virginis MARIÆ exclusive, dicta nostra Statuta sigillo nostro roborata, aut a nostro Officiali principali sigillo officii sui sigillata recipiat, & in dicto suo districtu publicet, seu faciat publicari, & hoc sub pœna decem marcarum argenti, fabricæ Ecclesiæ nostræ Caminensis irremissibiliter applicandarum. Facta autem sic publicatione per Prælatum loci, præcipimus omnibus Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis, saltem in civitatibus & oppidis constitutis, quatenus ipsi, & quilibet eorum a Prælato suo infra mensem post hæc dicta nostra statuta sigillo ejusdem Prælati, aut sui Officialis sigillata recipiat pœna sub præmissa.

Cl. Lünig in Continuatione Continuationis III. Spicilegii Eccles. pag. 7.

SALTZBURGI CONCILIUM
PROVINCIALE
Anno Christi MCCCCLVI. Callisti III. Pp. II. Friderici Imp. XVII.

Synodi hujus meminit Chronicon MS. Bibliothecæ Cæsareæ ad annum MCCCCLVI. his verbis: *Calixtus III. vexavit Clerum Diœcesis Saltzburgensis ad dandam decimam contra Turcos. Synodus Saltzburgæ decrevit, standum esse determinationi Nationis Teutunicæ.* Verum aliæ quoque causæ ad eam Synodum relatæ sunt, quarum copiam præbet alius Codex MS. Missæ fuerant e Diœcesibus Salisburgensis Provinciæ conquestiones variæ, postulationes, interrogationes, informationes; quæ omnia Italico vocabulo *Avisamenta* vocantur: quæ hic inserimus, quoniam alia Concilii hujus acta desiderantur. *Hansiz. Tom. II. Germ. Sacræ pag. 495.*

Advisamenta in Sacro Concilio Provinciali Salzeburgensi porrecta, de anno 1456, *Dominica Jubilate, quæ fuit* 18. *Aprilis, recto ordine sequuntur.*

Advisamenta Domini Episcopi Seccoviensis.

Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Episcopus Seccoviensis sacro Concilio exponit, gravi cum querela; quomodo quidam Fratres Ordinis Minorum Beati Francisci de observantia nuncupati, nuper ad Diœcesin suam venientes, quendam fundum a laicali potestate recipiendo, quoddam Claustrum sui ordinis ibidem de novo, propria temeritate in contemptum suæ potestatis ordinariæ, ipsius consensu ad id non accedente, ac in gravissimum præjudicium & jacturam Parochialis Ecclesiæ, sub cujus limitibus dictus fundus situs est; aliarum quoque Ecclesiarum Parochialium circumjacentium detrimentum non modicum construere nituntur, velut hodie ædificare non cessant. Estque locus ipse in solitudine positus, ubi ipsi fratres neque officium prædicationis, super quo idem ordo originaliter institutus est, nec victus necessitatem malitia vagationis devitata, habere possunt. Quare petit præfatus Reverendus Pater humillima cum instantia, per sacram Synodum sibi & Clero suæ Diœcesis provideri opportune, ut dicti Fratres ita cohereceantur, quod ab opere hujusmodi structuræ cessantes, in antea talia attemptare non præsumant; talis quoque resistentia adhibeatur fratribus eisdem, qua ordo Beati Petri in honore & quiete pristino conservetur.

Fertur namque dictos fratres etiam

in aliis locis, & civitatibus Provinciæ Salzeburgensis fundos & loca ipsis pro claustris sui ordinis placentia, non requisitis ordinariis locorum eorundem, contra Canonica instituta occupando recepisse. Et si forte præfati fratres quocunque indulto Apostolico fundos recipiendi, & claustra sui ordinis, ut præmissum est, propria auctoritate ubicunque erigendi se prætenderent munitos (velut præfatus Episcopus ex quadam missiva superiorum fratrum prædictorum sibi transmissa ipsos ad ipsum habere accepit: quamvis suam paratus est sacræ Synodo ad legendum exhibere) & si sit, quod tunc ipsa sacra Synodus apud Apostolicam Sedem, vel revocationem hujusmodi indulti procuret, aut alio modo provideat, ne Ecclesiæ Parochiales Provinciæ Saltzburgensis ita enormiter ledantur. Timor namque vehemens est, per tolerantiam talium novarum Religionum in longum extinctionem Cleri secularis sequi posse.

Literæ Parochorum circa Krems commorantium, ad Episcopum Pataviensem.

Reverendissime Pater, & Domine Gratiosissime! Humillimis subjectionibus, ac omni reverentia, & obedientia præmissis. Nos subsequentes Plebani Andreas in Lewbs, Conradus in Gobolzburg, Servatius in Hadersdorff, Thomas in Czebnig, Paulus in Schaimberg, Joannes in Lengeveld, Petrus in Schiltarn, Gabriel in Streznig, Thomas in Geresdorff, & Joannes Plebanus in Gozdorff, ceterique Ecclesiarum Provincialium Rectores, Vicegerentes, & Altaristæ per districtum circumferentialiter circa Krems commorantes, vestræ R. P. notum facimus, quomodo isti Capistrani, scilicet Fratres Minores de Observantia ad nostras Ecclesias vicini in foro Lewbs ligneum construxerunt Oratorium, de facto prædicant; & ut timetur, confessionibus suis Plebisanos nostros a nobis aversuri: quod nostris Ecclesiis, & nobis in maximum cedet præjudicium; quoniam nec de grano, neque de guttula vini in decimis gaudemus; sed solum fructibus cottidianis, & culturis, de quibus quasi quilibet suo collatori censualis existit. Et unde V. R. P. ac Principi jura Episcopalia, & steuras præstare tenemur. Immo Fabrica Ecclesiæ Pataviens., & omnes pauperes, & structure notabiliter sentient detrimentum. Quare omnes prædicti R. P. V. Capellani ad vos tanquam gratiosissimum nostrum &c. revertentes, eandem humillime in Domino deprecantes, ut istis novis institutionibus, maxime præjudicialibus, nostris Ecclesiis, & nobis obstare dignentur gratiosissime cum effectu, in eo salutem populo, & provisionem nobis, & commodum paterne ostendetis &c. Harum omnium nostrorum Secretis subinpressis testimonio literarum. Datum in Levbs, septima Maji MCCCCLVI.

Advisamenta ex parte Reverendissimi in Christi Patris, & Domini, Domini TYBOLDI, Episcopi Laventin., totiusque Cleri sibi commissi.

Reverendissime Pater! Præpositus S. Andreæ, Ecclesiæ Laventin. Archi-Diaconus, nimis gravatum se fore credit per suum Ordinarium, sibi in latere constitutum, in cura animarum Plebanis, ac Vicariis compensanda, qui sibi ex jure Archi-Diaconatus sui hujusmodi curam animarum dare adscribit.

Item declaretur, qui casus sint ipsi Archi-Diacono a jure, vel consuetudine reservati.

Item quid agendum sit de plebe in Lavenmund, Laventin. Diœces., quæ se alias in proxima visitatione, Commissariorum Domini Episcopi Laventin. reddidit contumacem ad juramenta præstanda super inquisitionem viciorum, ac aliorum extirpandorum.

Item ex parte Ecclesiæ Parochialis S. Joannis in Gorgig, Saltzeburgens. Diœces., quæ est de Præsentatione V. R. P. & de collatione Rev. Patris Domini Episcopi Laventin. Diœces. An dicta Ecclesia S. Joannis in Gorgig subjaceat Diœcesano, & quis ejusdem Ecclesiæ Vicariis habeat dare curam animarum, & cognoscere de causis?

Item quid agendum sit cum Plebano in Muta prope Mærenberg, Laventin. Diœces., qui contumaciter se absentare præsumpsit? &c.

Item de publicis remittendis, quantum quis pro Archi-Diacono ſolvere debeat? & qualiter immitti debeant ceteris cauſis, & an ad ſuum Plebanum, ſeu ipſius locum tenentem, pro injungenda pecunia ſint iterum remittendi?

Item de feſto S. Mathiæ Ap. quando in anno biſſextili ſit celebrandum?

Item laicalis poteſtas uſurpare conatur jurisdictionem ſpiritualem, omnino ſuppeditandam, contra jus commune: præſertim de decimis, quæ debentur de jure communi, & Divino Eccleſiæ, ſe intromittunt, judicando de eis: cum tamen incapaces hujusmodi jurisdictionum exiſtant.

Item cauſas dotis, donationis propter nuptias, & ſimiles, non permittunt tractari in foro Eccleſiaſtico, & omnino Judicem Eccleſiaſticum excludere conantur: cum tamen in hujusmodi cauſis locus ſit preventioni; cauſam ſubjungentes, quod majori modo contrahitur ſub ſpecie dotis, & donationis propter nuptias ſub obligatione jurium forenſium, vulgariter, Land-Gericht, & propter non ſolutionem in termino promiſſo dotis, vel donationis propter nuptias, ut præfertur, prætendunt ſolum ſtare arbitrio Judicum forenſium.

Item de peculio Clericorum, & de rebus relictis per Rectores, Presbyteros, & Clericos poſt eorum mortem, laici ſe intromittunt, & de illis diſponunt, non obſtantibus privilegiis, & libertatibus Eccleſiaſticis, & per hæc privilegia, & libertates Eccleſiaſticæ ſuppeditantur.

Item excommunicati, & denunciati non verentur intrare Eccleſias, ſtantes ſcienter ultra annum in eorum protervitate, & excommunicatione, tanquam ſuſpecti de hæreſi. Et poſtquam Ordinarii loci juxta juris exigentiam contra eosdem proceſſum juris inſtaurare volunt, imponunt minas multum formidabiles, quæ in conſtantem virum metu concurrente cadere poſſunt. Per hoc vilipenduntur privilegia, & Eccleſiaſticæ libertates, & magna pericula, & gravamina Eccleſiis proveniunt ex iſtis.

Item laicalis poteſtas in civitatibus majoribus decernit ſtatuta, quod nullus Clericorum prædium cujuscunque conditionis onerare, & in remedium animæ ſuæ diſponere poteſt.

Inſuper & redditus legitime posſeſſos contra juris diſpoſitionem, quo cavetur, quod nullus Clericorum, cujuscunque conditionis exiſtat, res Eccleſiarum laicali poteſtate ſubmittere debet ſub pœnis maximis, & merito formidabilibus, de quo in Capitulo hoc conſuetiſſimo: De rebus Eccleſiæ non alienandis. Lib. VI.

Item manifeſtos uſurarios absque ſatisfactione condigna, per ipſos, vel eorum hæredes facta, Religioſi ordinum Mendicantium Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere non verentur. Ex quo oritur contra Clerum maxima ſuſpicio. Quia laici dicunt: tales Religioſi ſunt tantæ devotionis & intelligentiæ, qui ſi hujusmodi uſurarii non eſſent ſepeliendi, nunquam eos ſepelirent.

Hinc Patres hujus ſacri Concilii accuſati ſunt de correctione Breviarii Salzeburgenſ. & Patavienſ. Eccleſiarum, maxime de Sabbato Sancto Paſchæ, ubi cavetur, quod pueri poſt baptiſmum non lactentur, quousque procurentur in Corpore & Sanguine Chriſti.

Item ſunt nonnulli Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti, Monaſteria, Collegia, Nobiles & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, & ſeculares, habentes infra limites parochialium Eccleſiarum decimas unam, duas, vel tertiam partes, vel etiam omnem decimam eis incorporatam, vel aliis debitam. Hi, poſtquam novales decimæ in eisdem Eccleſiis de jure Rectoribus Eccleſiarum debite fieri contingunt, novales decimas hujusmodi contra juris diſpoſitionem in animarum ſuarum periculum, & damnationem contra voluntatem Rectoris violenter rapiunt, & accipiunt. Dignetur igitur hæc ſacra Provincialis Synodus ſuper his de opportuno remedio ſalubriter providere. Nam plures etiam ſententiæ diffinitivæ contra recipientes, & rapientes decimas novales hujusmodi in conſiſtorio Salzeburgenſi factæ ſunt. Quibus tamen aliqui Nobiles, & Prælati nunquam parere curaverunt, prout non curant de præſenti. &c.

Item ſunt nonnulli laici, accipientes decimas, & omnia novalia etiam appro-

propriantes, & manu violenta detinentes.

Item accusatur Synodus ex parte quorundam laicorum, qui absque scitu & consensu suorum accedunt curiam Romanam, & ibidem a Cardinalibus impetrant indulgentias ad filiales Ecclesias in damnum maximum jurium Parochialium & matricum Ecclesiarum: & eædem indulgentiæ ita exorbitantes sunt, quod non solum concessa sunt in diebus festivis, sed etiam in diebus feriatis. Postquam vero laici prædicti literas hujusmodi ad partes istas attulerint, petunt ab Ordinariis easdem confirmari; qui Domini Ordinarii, etiam absque scitu & consensu Plebanorum in gravamen & jacturam Ecclesiarum Parochialium confirmant.

Provideatur igitur, quid Plebanis in his sit faciendum, qui quodammodo perplexi sunt inter duo adversa, tum quia tenentur Ecclesias suas indempnes servare, tum etiam quia tenentur ordinariæ auctoritati obedire.

Item provideatur, quomodo Mendicantes debeant audire confessiones. Et an quilibet fidelis teneatur quolibet anno ad minimum semel confiteri suo Plebano juxta tit. *Omnis utriusque &c.* & plura alia, quæ conclusa sunt *in Synodo Provinciali Maguntina*, petuntur hic concludi.

Item Plebani gravantur per Mendicantes, quia sine licentia communicant populum; immo dicunt, quod non sint oves Plebanis commissæ, sed sunt oves Episcopi.

Item Clerici gravantur, quod violenter trahuntur ad forum vetitum; immo prohibentur, ne aliquem citent ad Judicium Spirituale, pro rebus Ecclesiasticis, ut super decimis, testamentis, & in causis rationabilibus. Immo aliqui Clerici sponte se submittunt jurisdictioni seculari absque licentia suorum Superiorum.

Item de agris & pratis de novo excultis laici propriis motibus, & violenter privant Plebanos decimis contra jus commune.

Item Judices & Præfecti, precones, & cæteri laici violenter aufferunt bona relicta per Presbyteros, & Clericos Beneficiatos; immo consanguinei eorum pretendunt & volunt talium esse hæredes, & sic impediunt testamenta, & ultimam eorum voluntatem: quamvis de Elemosyna, & Beneficiis sint acquisita.

Item, quando Clericus Beneficiatus moritur, statim laici intromittunt se de possessione Beneficii, & bonis per talem relictis, a quibus oportet postea emere possessionem. Et contingit pluries, quod possessio traditur non habenti justum titulum &c.

Item seculares Advocati gravant Ecclesias augendo advocatias diversis modis, puta venaticis canibus, vecturis & laboribus variis: & idem faciunt alii Nobiles & Principes, & eorum locum tenentes.

Item Nobiles compellunt Ecclesiarum colonos ad labores suos, vulgariter Scharwerche, ut in messe, in feno, & in fossis.

Idem volunt habere a Plebanis, & eorum colonis.

Item laici proprio motu se intromittunt de rebus temporalibus Ecclesiarum, facientes de illis rationem; cum sæpius non vocantes ad hoc suum Plebanum, vendunt ad placitum res Ecclesiarum, construunt & destruunt Ecclesias.

Item absque scitu Plebani aufferunt cistas, ad quas etiam soli habent claves. Instituunt & destituunt ad voluntatem suam Campanatores & Magistros Scholarum; placeat vel displiceat Plebanis. Item acceptant anniversariam Defunctorum, & soli deputant Plebano, & suis Sacerdotibus stipendia, sicut ipsis laicis placet: & si non vult Plebanus consentire, remittunt ad alias Ecclesias, puta Monasteria vel Hospitalia, quæ ipsi regunt. Etiam instituunt prædia Ecclesiarum & destituunt. Et si Plebanus aliquem instituit, ipsi eundem non admittunt, nisi placeat eis.

Item Principes gravant Clericos per Venatores.

Item Nobiles quoque inhibent Plebanis, ne prædicent, nisi ad eorum voluntatem, & faciunt eos exspectare, quousque surgant de somno.

Item volunt, quod Prebyteri eorum tabernas intrent. Quod si non fecerint, dampna & gravamina eis inferunt.

Item de certis prædiis non volunt dare decimam.

Item laici usurpant sibi prædia, super quibus Ecclesiæ sunt fundatæ.

Item provideatur contra Collectores, ne amplius admittantur per Ordinarios locorum: quia nimium gravant Plebanum. Et quidam ipsorum ascendunt ambonem, & decipiunt populum in suis prædicationibus, & indulgentiis. Etiam portant secum Reliquias, cum quibus stant publice in Ecclesiis, quando populus dicit Offertorium.

Item fiat Executio Karoline.

Item provideatur, quod Sacramentum Eucharistiæ non fiat nimis commune, quia feriis quintis per certos defertur publice cum processione per Ecclesias, & circuitus in Ecclesiis, absque licentia Superiorum. Et hoc idem fit a Religiosis feriis quintis, per hoc attrahentes sibi populum, & impedientes jura parochialia.

Item provideatur de laicis contra Clericos auctoritate sua arrestantibus bona, fructus, redditus, & proventus Clericorum, & Clericos, militantibus vulgariter *Wandelut.*

Item de laicis, qui auctoritate sua capiunt Clericos, & Presbyteros presentant Episcopo.

Advisamenta Ratisbonensia.

ITem provideatur contra laicos diffidantes Clericos, ducentes eosdem in Bohemiam, cremantes corpora & bona eorum.

Item tales cogunt Clericos ad dandum pecuniam pro securitate eorum.

Item quomodo cum ditionibus laicis post reconciliationem ad terram reversis agendum sit?

Item provideatur specialiter in Diœcesi Ratisbonensi contra hoc, quod Clerici coguntur ad damnationem pecuniæ, vulgariter Abting, ad Bohemiam; quod cottidianum est propter inimicos diffidantes generaliter omnem Clerum.

Item Clerici, qui provocant consanguineos suos, & alios laicos ad diffidandum Clero; & quomodo agendum sit cum Clericis, qui per se faciunt tales diffidationes, & intrant Bohemiam; cum fuerint reversi.

Item, an concepta in Concilio Provinciali Moguntino sint acceptanda?

Item de jurisdictione Reverendissimi Domini Salzeburg., quod plures ad eandem Curiam, & etiam Romam trahuntur solum pro hoc, ut propter distantiam fatigent collitigantes ad concordandum cum eisdem: & arrestacionibus a Sede Salzeburgensi emanantibus.

Item fiat provisio, ut matrimonium possit licite contrahi, & consummari, & nuptiæ solemniter celebrari temporibus a jure interdictis, puta in LXXma &c. ut sit alio tempore Domini.

Item quidam Religiosi præsertim Cisterciensis Ordinis in Capellis sibi subjectis, extra septa Monasteriorum sitis, prædicant, festa indicunt, solempnes Benedictiones in Mitris faciunt, publicas Missas decantant tempore, quo publica Missa diebus Dominicis & Festivis in Ecclesiis Parochialibus peragitur: per hoc Parochianos a suo Pastore & Ecclesia Matrice retrahendo, prætendendo, prædicta sibi vigore exemptionis, consuetudinis, & privilegiorum licere, cum tamen curam animarum minime habeant.

Item mortuos sepeliunt, Parochianos alienos in casibus Episcopis reservatis absolvunt, Sacramentum Eucharistiæ & alia contra Clem. Religiosi administrant omnia, prætendentes sibi ex privilegiis licere; quæ tamen ostendere recusant: novas Capellas absque licentia Ordinariorum erigunt in locis non exemptis, & offertoria ibidem obvenientia usurpant.

Item petitur moderari statutum de tabernariis quoad pœnam suspensionis ab officio: cum ex hoc plures incurrant irregularitatem, tempore hujus suspensionis se Divinis, ut prius, ingerentes.

Item petitur declarari, quotiens criminarii debeant in anno admitti a Plebanis; cum multum præjudicent Curatis, & eorum sociis, & cum prætendant se exemptos, qualiter prohiberi debent ab eorum excessibus, cum nimis difficile foret semper ad Sedem Ap. recurri.

Advi-

Advisamenta, quæ respiciunt Diœcesim Salzburgensem.

SAcerdos secularis obmissis trina oratione & quindecim gradibus, incipiat matutinas, continuando omnes horas Canonicas secundum Rubricam Salzburgens. paucis mutatis: 1mo. Ad summum Festum, ad Primam, ad Completorium, immediate post Symbolum dicatur Versus cum Collecta ad binas partes usque ibi: *Sacerdotes.* De Sanctis trium lectionum oret sine precibus. Capitulum post Primam secundum chorum demptis quinque Psalmis, scilicet: *Verba mea &c.* In Adventu & Quadragesima suffragia de Patronis sub una Antiphona, scilicet ad Vesperas: *Fulgebunt justi:* & ad Matutinum: *Corpora Sanctorum:* & una Collecta, in qua nominentur Patroni, scilicet *Rupertus*, *Virgilius*, & *Martinus*, una cum aliis suffragiis consuetis. Infra Pascha & Pentecosten diebus Dominicis in Matutinis ad quemlibet nocturnum tres Psalmos cum una Antiphona. Ad Primam: *Deus in nomine &c.* cum reliquis: quod hoc tempus in omnibus Diœcesibus privilegiatum est præ aliis temporibus. Quocunque etiam die dicuntur VII. Psalmi ad horas; eodem die dicatur Letania, aliis vero diebus neque VII. Psalmi, neque Letania.

Orare cottidie cursum & vigilias mortuorum, stet in arbitrio cujuslibet volentis orare ex devocione, sed nullus ad hujusmodi sit ex debito astrictus.

Item semel in septimana, quando commode fieri poterit, horæ de Patronis teneantur, ut in aliis Diœces. fit.

Item præcipitur in quodam statuto Provinciali, festa SS. Rudberti, Virgilii, & Augustini celebrari. Petitur relaxatio de festo Translationis S. Virgilii; quod non potest commode celebrari propter occupationes vindemiarum; propter quod plures scandalizantur.

Item fiat provisio de remediis mortuorum, ne Plebisani nimium graventur.

Advisamenta Cleri Stiriæ inferioris.

PRimo Serenissimus Dominus noster Imperator nos communem Clerum beneficum in suis terris & Dominiis constitutum, variis & continuis exactionibus suarum steurarum solet aggravare, conando nos redigere in continuam servitutem, contra Ecclesiasticam libertatem, qua minime uti valemus. Petit Clerus humillime, ut provideatur contra futura similia, sive per scripta Reverendissimi Domini nostri Archi-Episcopi, vel alio modo; aut per convocationem Cleri, prout proxime factum est. Paratus enim esset idem Clerus potius sustinere spolia, vel alia mala, quam ita redigi ad continuam servitutem: attento, quod si in Ecclesiis spolia committentur, cessaretur a Divinis tam diu, quousque spolia restituerentur, vel alia fierent. Gravatur etiam Clerus curatus in variis, & plurimis articulis per Monachos Mendicantes, ut sequitur.

Primo solent nobis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus populum nobis commissum abstrahere, precipue in propiciationibus, recipiendo de eisdem propiciationibus Vigiliarum, Exequiarum, Missarum, & diversorum officiorum minus, quam solito recipi solet in Parochiis nostris, contra laudabilem Ecclesiarum nostrarum consuetudinem hactenus observatam; puta vix terciam partem, & sic populus propter minorem solutionem ad ipsos affluit, nobis in grave præjudicium.

Item solent plerique Mendicantium, Priores, & Guardiani in suis claustris Benedictiones facere solemnes, videlicet in diebus festivis Purificat. Gloriosæ Virginis Candelarum: in die Palmarum, ipsarum Palmarum: in die Resurrectionis Dominicæ carnium, etiam in domibus Plebisanorum: item in die S. Stephani Proto-Martyris, salis & aquæ Benedictiones celebrare solemnes.

Idem in die Parasceves ornare Sepulchrum Domini, imponentes ibi Sacramentum Eucharistiæ, candelis plurimis accensis, canentes quoque Psalterium usque ad diem Paschæ; quæ omnia insignia sunt Parochialia, & solummodo ad Ecclesias Parochiales videntur pertinere.

Item in diebus Festivis & Dominicis solent de mane hora inconsueta prædicare, & alios actus exercere; ita quod populus in diebus Dominicis, & maximis Festivitatibus præcipue sermo-

nem audire, & ad officia, quæ in suis peraguntur Parochiis, frequenter venire negligitur in animarum suarum dispendium, & nobis Rectoribus maximum præjudicium.

Item prædicti Monachi, gaudentes privilegio audiendi confessionem, populum inducunt, ut apud eos Confessores suos eligant; etsi in loco habeantur sufficientes, & bene docti Presbyteri sæculares, ad quos pertinent, imo peritiores, quam sint ipsi Monachi. Et etsi ibi non est multitudo populi, ita quod Plebanus cum suis optime sufficiunt plebi suæ. Præsumitur enim, ut verum est, quod Monachi in audiendis confessionibus plebem ad se alliciant, & ipsis Missas, & alia apud eos peragenda in pœnam injungunt; absolventes etiam quoscunque casuales publicos & occultos, qui ex hoc in suis sceleribus eo temerarius persistunt in maximam damnationem animarum plebis.

Item sunt certa claustra Mendicantium, habentia in Ecclesiis suis non tantum unam, sed duas, aut plures campanas, quas cottidie ad officium compulsant, sicut in Ecclesiis Parochialibus fieri solet; nec a talibus volunt abstinere. Dixit enim quidam Prior Ordinis Heremitarum S. Augustini in Rackerspurg: Si Plebanus in duabus campanis suis displicentiam habet, ipse vellet addere terciam.

Advisamenta Archi-Diaconi & Cleri Archi-Diaconatus Karinthiæ inferioris, Salzburgensis Diœcesis.

PRimo quidem provideatur per Sacrum Concilium, quod Clerus, & Ecclesiasticæ personæ juxta Lateran. & generalis Conciliorum, ac Imperialium Sanctionum Statuta ab omni steurarum sæcularium impositione immunes existant, & debita potiantur libertate.

Inhibendum quoque esset ipsis Clericis, & Ecclesiasticis personis sub pœnis & censuris formidabilibus, ne steuras & exactiones hujusmodi sub cujuscunque contractus colore sine expresso Romani Pontificis assensu potestati temporali largiantur.

Item, quod statuta venerandæ memoriæ Domini PILIGRINI, sub titulo: *Ne Clerici in foro vetito conveniantur.* Et felic. recordat. Domini EBERHARDI, sub titulo: *De foro competenti*, situata, olim S. Salzeb. Ecclesiæ Archi-Episcoporum in suis Provincialibus Conciliis edita, districtius observari mandentur.

Item, quod declaretur per Sacram Synodum, qua die post festum Kathedræ S. Petri festum S. Mathiæ Apostoli anno bissextili sit celebrandum, ne ex diversa ejus celebratione, veluti sæpius contigit, scandalum generetur in populo.

Item, quod unus tantum Patrinus juxta Canonica instituta ad levandum de sacro fonte puerum admittatur: inhibeatur quoque Archi-Diaconibus, Decanis, & cæteris Presbyteris curatis, ne contra hujusmodi statutum dispensent secundum favorem, & suæ libitum voluntatis.

Item, quod hi, qui ad auctoritatem Superiorum mittendi sunt, literas sui Curati Presbyteri, qualitatem & circumstantias culpæ, propter quam Superiorem requirere tenentur, continentes requirant, & Superiori præsentent. Ipse quoque Superior literas absolutionis eidem Curato transmittat; quod &, si is, qui Superioris auctoritatem adiit, publice delinquendo plebem scandalisavit, Superior eundem suo Curato remittat publice puniendum, modum pœnæ sibi injungendæ scriptotenus declarando.

Item, quod Fratres ordinum Mendicantium in oppidis & civitatibus Provinciæ Salzburgensis degentes in suis Prædicationibus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus non derogent, aut detrahant; eaque hora, & maxime diebus Dominicis, & festivis, qua in Ecclesiis Parochialibus Divina peraguntur Missarum solemnia, & populo Dei verbum prædicatur, prædicationibus suis, & prolongatione officiorum Divinorum populum a frequentatione & visitatione suæ Parochialis Ecclesiæ non retrahant, ac retardent.

Item, quod Archi-Diaconi, Decani, & Provincialium Ecclesiarum Rectores, cæterique Presbyteri curati ab eis, qui pro delictis suis eorum auctoritatem requirere tenentur, pecunias non exigant; sed beneficium absolutionis pro Deo, uti justum est, gratis impertiantur, Presbyte-

byterosque delinquentes condigna pœna caſtigent, cum ex præmiſſis interdum grandia ſcandala viſa ſunt exoriri.

Item, quod ab Eccleſiis pro Chrismate pecunia non exigatur, ſive oblata requiratur.

Item, quod de Baptismo baſthardis, & ſpuriis, ac aliis illegitime natis conferendo pecunia non exigatur.

Item, quod teſtamenta obſerventur.

Adviſamentum de Archidiaconatu Stiriæ Marchiæ ſuperioris.

EXponitur pro parte Cleri Archidiaconatus Stiriæ Marchiæ ſuperioris, qualiter quædam Monaſteria ejusdem Archidiaconatus longe poſt eorum fundationem quasdam Eccleſias tunc rectas per Presbyteros ſeculares, ſuis Monaſteriis incorporaverunt, quorum Prælati, quanquam de hujusmodi Eccleſiis maximum habeant emolumentum, nolunt tamen obligari ad hujusmodi onera Eccleſiarum, nec compati Clero dicti Archidiaconatus in ſteura & contributionibus, ipſi Clero impoſitis, ſecundum quod Rectores olim earundem Eccleſiarum contribuere conſueverunt, aſſerentes ſe alias contribuere oportere occaſione ſuorum Monaſteriorum de ſingulis redditibus eorundem.

Supplicat Clerus prædictus, quatenus attento, quod præfati Prælati ab hujusmodi Eccleſiis habeant emolumentum, merito ſubeunt onus; ipſis provideri de remedio opportuno: quod niſi fiat, continget propter nonnullas Eccleſias noviter in nova civitate, & alibi incorporatas, dictum Clerum multipliciter aggravari, & quod tandem decem, aut modico plures Plebani intolerabilem ſteuram perſolvent, quæ in dies & annos non minorantur, imo potius augmentantur.

Adviſamenta Generalia totam Provinciam reſpicientia.

PRimo a Sancto Concilio petitur declarari, de quibus Epiſcopalibus caſibus, & quomodo Curatus ſe debeat intromittere; maxime autem de dampnabili divinatione, ſuperſtitionis & incantationis uſu.

Item provideatur, ut fiat liber agendarum pro adminiſtratione Sacrorum, & omni benedictione in Eccleſiis Parochialibus fienda; ſecundum cujus modum & formam, omnes per totam Provinciam operari debent.

Item fiat proviſio de minutis decimis, de quibus Parochiani duntaxat tertiam partem ſuis Curatis porrigunt, imo non ſemper tertiam, ſed plerumque eandem dare omnino recuſant, contra Provincialia alias edita ſtatuta, & juris communis diſpoſitionem.

Item hoc ipſum fiat de decimis novalibus, ut & iſtæ ſecundum communis, & ſtatutorum Provincialium ordinationem Curatis tribuantur. Habentes enim duas partes decimarum, duas etiam partes novalium in gravamen ſuarum animarum ſibi inburſare non verentur.

Item provideatur, ut Curatis de collectis ſuarum Eccleſiarum tertia pars cedat, hujusmodi namque collectæ, ut plurimum in detrimentum vergunt Curatis; quia in ſummis Feſtivitatibus ad offerendum obligati, ſi ad tabulam vitricorum quidquam porrexerint, ſe æſtimant etiam offertorium expleviſſe.

Item petitur declarari, in quibus Curatus a Parochianis ſuis habeat ex poſteris decimam perſonalem juxta conſuetudinem civitatis Salzburgenſis.

Item ſi ſecundum Conſtitutionem S. Matris Eccleſiæ ad Feſta Paſchalia rite & legitime confeſſum, & communicatum infra ejusdem anni ſpacium, caſu, ruina, vel quovis alio modo, abſque tamen finali confeſſione, & Sacramentorum proviſione mori contingat; an tali inrequiſito Superiore concedenda ſit Eccleſiaſtica ſepultura? Vel an pro ea remittendum ſit ad Superiorem? Et an talis, vel quis alter, & quo caſu dici debeat præventus.

Item petitur ſecundum priorum Decreta Conciliorum Provincialium, & Epiſcopalium dari mandata contra debitores Eccleſiarum, ut ipſi earundem debita ab eis mutuata ſub alicujus pœnæ incurſu pro certo termino exſolvere compellantur.

Item

Item concedatur mandatum Curatis ad reddendum, alienandum, & tollendum vaccas a fabrica locatas, sive vaccas perpetuas, vulgariter Ymmerkue, ut pecuniæ exinde collectæ usui Ecclesiarum applicentur.

Item, quid agendum sit in Provincia de vectoribus currium Dominicis & aliis Festivis diebus, cum vecturis suis propria domicilia eorum exeuntibus, & molitoribus eisdem diebus molentibus, ceterisque publice laborantibus in illis diebus, de quibus suis Plebanis indubitanter constat.

Item idem petitur, quid de institoribus & carnificibus, præfatis Festivitatum diebus, tempore Divini cultus, sua mercimonia venundantibus in Parochia, cujus Plebisani existunt, & extra tempus nundinarum & Dedicationum; quia secus in his & institoribus advenis foret, qui forte sumptuum necessitate coguntur.

Item petitur etiam decerni, seu declarari, qua pœna plectendi sint diebus Dominicis & cæteris Festivitatibus ad fores Ecclesiarum, & in cimiteriis tempore sermonum, & Divinorum cultuum stantes sibi mutuo confabulando, & quibus modis, & ordine de hac abusione sint reducendi.

Item dignetur Sacra Synodus istam mirabilem, imo revera insanam consuetudinem immutare, & delere, qua in quibusdam Parochiis die Resurrectionis Dominicæ mane venerabile Sacramentum manibus Presbyteri euntis, vel equitantis, adjuncta sibi plebe, sine reverentia & devotione; modo quodam ridiculo clamoribus & cantibus insolitis per circuitum tum Parochiæ defertur. In quibusdam vero locis hæc peracto prandio non majori reverentia solita sunt.

Item hoc ipsum petitur de plerumque mirabili consuetudine, qua istud pretiosissimum Sacramentum singulis Dominicis diebus a Festo Ascensionis, seu Penthecostes, usque ad Festum S. Laurentii, vel Jacobi, in cimiteriis Ecclesiarum sepissime modica, vel pene nulla devotione circumducitur, lectis ibidem cum certis collectis; versus quatuor partes mundi, quatuor initiis Evangeliorum, non sub una, sed sub diversa forma.

Cæterum instantius petitur inhiberi istam præ cæteris periculosiorem consuetudinem, potius autem abusionem, seu corruptelam, per quam Presbyteri quantumcunque ab Ecclesiis longi, quotiescunque in die, vel septimana tonitrua, fulmina, corruscationes vel venti insurgunt, unde tempestatem, vel grandinem timent imminere, illud salutare Sacramentum foras ad cimiterium irreverenter efferunt; quanquam etiam vix edituus, vel juvenis campanam bajolans adest, & vulgus advertere non curans, instat labori. Unde certe pericula gravia sunt exorta. Compertum namque est, quod ex hujusmodi tempestatum, & ventorum invalescentia, tecta Ecclesiarum, & turrium confracta ceciderunt, & Presbyteri casu horum tacti semimortui inventi sunt, Venerabili Sacramento cum vase in terram prostrato.

Quibus tempestatibus caucius & melius creditur provideri, si per idem præfatum anni tempus continuum expletis Divinorum Mysteriis cottidie omnium Ecclesiarum campanæ tangerentur, & unusquisque hominum bonæ rationis, ubicunque constitutus, his auditis, pro pace, ac tranquillitate, ac republica secundum sibi datam gratiam oraret; pro quo etiam tempore & Sacerdos loci legeret dicta initia Evangeliorum quatuor, vel unum cum collectis aptis, secundum Decreta, & determinacionem istius Sacratissimi Concilii.

Eapropter hoc Sanctissimum Concilium statuat, & exponat, quibus tempore & casu, extra tamen casum morte laborantium, istud Venerabilissimum Sacramentum a loco suo sacro communis ipsius repositionis debeat, & licite possit amoveri: ut puta in articulo mortis, inundatione aquarum, gwerrarum, ignis, pestis conginnarie, seu alterius mali communis, vel reipublicæ.

Item deinde hoc sacratissimum Concilium compescat plurima festa incognitorum Sanctorum, ut quintas ferias Paschæ, Penthecostes, Nativitatis proximas, & sextam feriam immediatam post festum Ascensionis Domini, festa Beatorum Ottonis, Colomanni, & plerumque aliorum: quæ quidem festa multi laici, & vetule amplius, quam Dominicos, & alios dies festos ab Ecclesia indictos, plurimum superstitiose colunt, & festivant.

Unde

Unde ſimplices feſta S. Matris Eccleſiæ minus curant feſtivare.

Item fiat declaratio, quomodo colligentium ad Eccleſias, Capellas, Monaſteria, & Hoſpitalia, indulgentiæ vulgo interpretandæ ſint & inſinuandæ; cum literis indulgentiarum communi ſtilo inſeratur: quicunque cauſa devotionis illuc confluxerint, & pias manus porrexerint adjutrices &c. indulgentiam, & gratiam conſequantur. Certum eſt autem, quod multi elemoſynam dant, qui Eccleſias, ſeu loca illa nunquam videbunt.

Item tales Collectores emunt, & mercantur collecturas ab Eccleſiis, quamque per decem, vel XIII. libras denn. & per annum XL. ſive L. accumulant, dantque I. libram denn. pro litera per Diœceſin exhortatoria, virtute cujus pro ſuo commodo multo amplius pecunias recolligunt, multaque facinora & ſcandala committunt, bibunt, noctuque ludunt, & blaſphemant, in tabernis per noctes integras vane & turpiter conſumentes, quod ad Dei cultum & honorem fideles porrexerunt. Ecce qualis fraus.

Item compellantur omnes Curarii gerere ſolicitudinem circa plebem ſuam, examinando in confeſſione, & informando diebus feſtivis Dominicalem orationem. Multi enim in hac oratione errant, ymo penitus ignorant.

Item provideat Sancta Synodus, ut pauperes peregrini continue de loco in locum diſcurrentes, & ſimiliter vagi ſcholares cum retibus, vel ſine, diſcurrentes, & quodammodo diſcredere facientes, multique alii truffatores, & terrarum exploratores foras ejiciantur, & in Provincia iſta nullatenus ita diſcurrere, & mendicare permittantur.

Item inhibeatur Curatis, ne Sanctum Oleum infirmorum, ſeu cathecuminorum, extra locum ſacrum in non ſacro, ut puta, camera, vel coquina, faciant conſervari, neque ipſum poteſtati tradant laicali ad cuſtodiendum, vel rurſus ad Eccleſias deferendum, quod tamen in nonnullis Parochiis conſuevit obſervari.

Hucusque relationes ad Synodum Salisburgenſem. Circa illas, quid ſtatutum fuerit, non conſtat, cum ipſa Concilii acta non reperiantur.

PII Papæ II. Bulla Retractionum eorum, quæ dudum in minoribus adhuc agens, pro Concilio Baſileenſi, & contra Eugenium Summum Pontificem ſcripſit: data Anno Chriſti MCCCCLXIII.

Ex Apographo, quod in Bibliotheca Collegii S. J. Pariſienſis aſſervatur, & transſumptum dicitur ex Bibliotheca Joannis Mariæ Jaghaſem, Romæ. (*)

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS, RECTORI, ET UNIVERSITATI SCHOLÆ COLONIENSIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

IN minoribus agentes, nondum ſacris Ordinibus initiati, cum Baſileæ inter eos verſaremur, qui ſe generale Concilium facere, & univerſalem Eccleſiam repræſentare ajebant, dialogorum quemdam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de auctoritate Concilii Generalis, ac de geſtis Baſileenſium, & Eugenii Papæ contradictione, ea probavimus, vel damnavimus, quæ probanda, vel damnanda cenſuimus: quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnavimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. Exiſtimavimus bene agere, & recta incedere via, nec mentis noſtræ aliud erat objectum, quam publica utilitas, & amor veri. Sed quis non errat mortalis? Sapientem, inquiunt Philoſophi, nunquam errare? Verum eſt. At quis ſapiens, niſi bonus? Quis bonus, niſi ſolus Deus? *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt*, *qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Inquit Propheta Regius. Declinavimus & nos, ab utero matris, erravimus in invio, & non in via: ambulavimus in tenebris, &

(*) Harduin. Tom. IX. Concilior.

& procul a vera luce recessimus: nec nobis tantum erravimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci, cum illis in foveam recidimus. Forsitan & aliquos ex vobis scripta nostra decepere, & de via deduxerunt, quorum sanguinem, si de manibus nostris requisierit Dominus, non habemus, quod respondere possimus, nisi nos, ut homines, peccavisse: qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstravimus. In misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera ejus elucet. Sed haud quaquam satis fuerit Divinam misericordiam implorare, & dicere: Parce Domine, parce peccatis nostris; nisi pro viribus vulnera, quæ inflximus, veritate curare adnitamur: & sicut est in fabulis, sagitta, quæ vulneravit, afferat opem; sive ut canit Ecclesia: Medelam inde ferat hostis, unde læserat. Mortem quidam prius sibi consciverint, quam videri velint aliquando male sensisse: & nonnulli, ne vel ad horam videantur erraffe, semper errant: & dum vel minimam tolerare honoris jacturam nequeunt, totum abjiciunt, & perpetua notantur infamia, & in pessimas prolabuntur hæreses: qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. Superbissimi hoc ajunt, qui videri Dii, non homines volunt: quales Constantiæ combusti sunt nostra ætate in magno Conventu Hieronymus, & Joannes Hæresiarchæ. Nos homines sumus, & ut homines erravimus, neque imus inficias, multa, quæ diximus, scripsimus, egimus, damnari posse: verum non ut Arius, Eutiches, Macedonius, aut Nestorius, & alia blasphemorum turba, ex animo damnatam viam elegimus: seducti peccavimus, ut Paulus, & ignoranter persecuti fuimus Ecclesiam Dei, & Romanam, primamque Sedem. Propter quod prostrati ante oculos Divinæ pietatis supplices oramus: *Delicta juventutis meæ & ignorantias ne memineris*, &c. Pudet erroris, pœnitet male fecisse, & male dictorum, scriptorumque vehementer pœnitet: plus scripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum & semel emissum volat irrevocabile verbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quæ in multas inciderunt manus, & vulgo leguntur. Utinam latuissent, quæ sunt edita. Nam si futuro in sæculo manserint, & aut in malignas mentes inciderint aut incautas, fortasse scandalum parient. Qui hæc scripsit, inquient, in Beati tandem Petri Cathedra sedit, & Christi Salvatoris Vicariatum gessit. Ita scripsit Æneas, qui postea Summum Pontificatum adeptus, Pius IIdus appellatus est, nec invenitur mutasse propositum. Qui eum elegerunt, & in Summo Apostolatus vertice collocarunt, ab iis scripta ejus approbata videntur. Verendum est, ne talia nostris aliquando Successoribus objiciantur: & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pii, atque ab ea Sede auctoritatem vindicent, adversus quam ignoranter latraverunt. Cogimur igitur, dilecti Filii, Beatum Augustinum imitari, qui cum aliqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractationes edidit. Humilis & probatissimi vir ingenii, qui suas ineptias verecunde confiteri, ac corrigere, quam impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus: confitebimur ingenue ignorantias nostras, ne per ea, quæ scripsimus juvenes, error irrepat, qui possit in futurum Apostolicam Sanctam Sedem oppugnare. Nam si quem decuit unquam Romani, primique throni eminentiam, & gloriam defendere, ac extollere, nos illi sumus, quos sine illius meritis pius & misericors Deus sola dispensatione sua ad Beati Petri solium, & dilectissimi filii sui Domini nostri JEsu Christi Vicariatum evocavit. Quibus ex rebus Dilectiones vestras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem ullam præstetis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid adstruunt, quod Sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia. Suadete omnibus, ut id solium præ cæteris venerentur, in quo Salvator Dominus suos Vicarios collocavit, & quod Beati Apostoli Petrus & Paulus suo sanguine dicaverunt: nec putetis Divinam providentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum, quæ creavit, inordinatam reliquisse militantem Ecclesiam: quæ cum sit Sponsa Christi, profecto a Deo est, & ordinem habet, dicente Apostolo: *Quæ sunt a Deo, ordinata esse.* Requirit autem ordo, ut inferiora a superioribus gubernentur, & ad unum tandem perveniatur, tanquam Principem, & moderatorem cunctorum, quæ

infra

infra se sunt. Sicut grues unam sequuntur, & in apibus unus est Rex; ita & in Ecclesia militante, quæ instar triumphantis habet, unus est omnium moderator & arbiter JESU CHRISTI Vicarius, a quo tanquam Capite omnis in subjecta membra potestas, & auctoritas derivatur, quæ a Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Nec profecto in alium, tanquam sui exercitus Ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter derivasset, quam in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissam novimus Dominici gregis curam. Nec duos, pluresve Petros Evangelistæ commemorant: nec duos, aut plures instituit Dominus, qui suum locum tanquam capita tenerent æqualia: sed unum constituit, ut Verticem, ac Ducem, & Pastorem universi gregis, Simonem Petrum, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælo.* Et *pasce oves meas.* Quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro, ut in Petro unitas & summa contineretur auctoritas. Nec alius à petra dictus est Petrus, nisi Simon; ut intelligeremus, unicum esse veræ & solidæ petræ, id est, Christi, (ut Paulus exponit) locum tenentem Simonem Petrum, qui solus pro Domino in periculo constituto exemit gladium. Petrus igitur, & Successores ejus Romani Pontifices Primatum in Ecclesia tenuerunt; & nos hodie quamvis indigni, sola Domini voluntate digni, tenemus: & quicunque Romanæ secundum Canonicas Sanctiones præficitur Ecclesiæ, quamprimum electus est in sacro Collegio, supremam a Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam, cujus peccata Divino judicio punienda relinquuntur. Si quid adversus hanc doctrinam inveneritis aut in Dialogis, aut in Epistolis nostris, quæ plures a nobis sunt editæ, aut in aliis opusculis nostris (multa enim scripsimus adhuc juvenes) respuite, atque contemnite: sequimini, quæ nunc dicimus, & seni magis, quam juveni credite: nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem: Æneam rejicite, Pium recipite. Illud gentile nomen parentes indidere nascenti, hoc Christianum in Apostolatu suscepimus. Dicent fortasse aliqui, cum Pontificatu hanc nobis opinionem advenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ita est, longe aliter actum. Audite, filii, conversationem nostram: brevis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet, & objectioni faciet satis. Anno salutis primo & trigesimo supra Millesimum quadringentesimum, cum Dominico Capranica, quem Martinus quintus in secreto Consistorio Cardinalem creaverat, Eugenius quartus spreverat, Basileam petivimus, ibique Concilium inchoatum invenimus; verum ab Eugenio revocatum: quamvis congregati noluerant obedire, asserentes jam inceptum Concilium, sine consensu Patrum, qui convenissent, haud quaquam potuisse dissolvi. Julianus aderat Sancti Angeli Cardinalis, natione Romanus, moribus & doctrina conspicuus. Is, cum cæteris præstaret, audita Eugenii revocatione, præsidentiam dimisit, tanquam Summo Pontifici vellet obedire: sed cum augesceret in dies, Eugenio vel invito, Concilium, & multi ex diversis Regionibus Episcopi, & Regum Legati adventarent, Cardinales quoque ex Romana Curia profugi in dies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilii mirum in modum extollens, Eminentiam primæ Sedis supprimere cœpit. Venientes Eugenii Legatos, & potestatem Romanorum Præsulum magnificantes, apparenter confutavit: & cum esset facundissimus, facile persuasit auditoribus, quæ cupiebat. Cardinales ex urbe profecti, Eugenio infensi, vitam ejus, moresque carpebant. Accedebant in horas catervatim novi Curiales, qui (ut est omnis multitudo maledica & inimica Principi) Eugenii nomen modis omnibus lacerabant. Nos, qui ex patria juvenes, non ex urbe illuc migraveramus, & nova tum primum avis ex Senensi Gymnasio evolaveramus, rudes, & inexperti, vera esse arbitrabamur, quæcunque dicebantur; nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri; atque, ut est innatum homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus: nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantique testes indignum Pontificio dicerent. Aderant Legati Parisiensis Scholæ, cujus est

fama percelebris: adfuerunt & aliquando vestri, & aliorum Studiorum Germanicæ Nationis Oratores: & uno cuncti ore Concilii Generalis auctoritatem ad cœlum efferebant. De potestate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præsumerent: omnes, qui publice loquebantur, prurientes auribus, mulitudini applaudebant. Accessit & ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii a se factam revocavit, & progressum ejus approbavit, cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, & pax Ecclesiæ data. Præterita enim omnia per suas(*) literas Concilii Patres Eugenio se se remissuros, & pedes ejus tanquam Beati Petri exosculaturos promiserant, si revocata dissolutione, Concilio cursum permitteret, atque illi cohæreret. Novæ intercessere discordiæ, tum aliis de rebus, tum potissime super translatione Concilii Græcorum causa in alium locum. Eugenius in Italia non sine ratione Concilium petebat: popularitas Synodalis transire montes horrebat, & in Avenione, aut in Sabaudia locum desiderabat. Adverunt per id temporis duo viri ex Italia Basileense Concilium: Nicolaus Panormitanus Archi-Episcopus, & Ludovicus Pontanus, Apostolicæ Sedis Notarius, Alphonsi magni Regis Oratores: qui velut duo orbis sidera, ceu Pontificii juris, & totius civilis sapientiæ duo præcipua lumina & clarissima censebantur. Hi dictis scriptisque Concilii gesta probabant, Eugenii facta damnabant: nec erant, qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? Audire potuimus, non discere? Rude nimis ingenium est, quod per singulos dies audita & inculcata non capit. Quales Magistri sunt, tales discipuli evadere solent. Paucos invenias Aristoteles, qui Platonica norint destruere dogmata. *Non est discipulus supra Magistrum*, inquit Dominus, nec nos Magistrum potuimus superare. Julianus nobis, & Nicolaus, & Ludovicus, & alii complures fuere Magistri: Schola, Basileensis Conventus, in quo raro aliquis Eugenii causam defendit. Adversus Concilii dignitatem mutire aliquid, crimen hæresis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat: de Sedis Apostolicæ præcellentia aut silentium, aut contemptus. Concilium, Concilium cuncta sonabant. Didicimus ergo, quæ audivimus, & post aliquot annos existimantes nos aliquid esse, diximus, ut est apud Satyricum: *Semper ego auditor tantum? numquamne reponam?*(**) puduit semper discipulum agere, subtraximus ferulæ manum, cœpimus loqui, & Magistri personam induimus. Scripsimus Epistolas & opuscula: hoc omnibus passim datur: docti & indocti scribunt: & quæ scripsit ipse, nemo contemnit, nisi editionis fervorem tempus extinxerit. Nobis placebant scripta nostra more Poetarum; qui poëmata sua tanquam filios amant. Nec Basileæ quemquam inveniebamus, qui ea damnaret: probant enim similia similes. Applaudebamus nobis ipsis, & in editionibus nostris gloriabamur: & quanquam postea Eugenius Concilium in Italiam transtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ convenerit: quamquam Julianus Sancti Angeli, & Joannes Sancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent: quamquam paucissimi in fide Basileensi remansissent; noluimus tamen cedere, existimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent: & cum nihil haberemus, quod nobis auferri posset, perseverandum putavimus, ne partem, quæ verior Nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Mansimus igitur Basileæ, quoad Eugenio, ut credidimus, justo judicio deposito, Amedeus Sabaudiensis suffectus est, & Felix quintus appellatus: quem nôn ut idolum (quod erat) (***) sed tanquam verum Christi Vicarium venerati fuimus, nihil adhæc sinistri putantes intercessisse. At cum Fridericus Romanorum Rex Aquisgrani coronatus, domum repetens, Basilea transitum fecisset; rogatusque Felicem, illic præsentem accedere, nullo pacto persuaderi potuisset, ut honorem ei tanquam Romano Pontifici exhiberet, aut publice cum eo verba misceret: tum primum consideravimus, possibile esse, quod partem erroneam sequeremur; quando Rex Imperator Romanorum futurus, in tanto negotio dubius esset, & ad Eugenium inclinaret magis. Multum & sæpe inter nos ipsos cogitavimus, qui esset modus inveniendi verum. Nunquam enim volentes erravimus. Rogati in familiam Friderici transire, non renuimus. Erat tunc ille cum tota fere Germa-

(*) *al.* duas. (**) Juvenalis. (***) *Nota: testimonium de Amedæo.*

Germania neutralis. Concilium Basileæ dicebant esse Germani, & idolum ejus respuebant: Eugenium Christi Vicarium appellabant, & Concilium ab eo celebratum recusabant: nec Eugenio, nec Basileensibus plene obediebant. Placuit ad neutrales transire, ut verum apud eos liberius audiremus; & si recedendum esset ab uno extremorum, per aliquod medium transiremus ad alterum: & eorum judicium spectaremus, qui non essent affecti causæ. Mansimus in Aula Friderici pluribus annis, illic varias audivimus opiniones. Neutralitatem idcirco Teutones induerant, ut concordia facilius inveniretur: non ex consilio Solonis, qui tumultuante civitate extorrem fecit eum, qui sine parte remansit. Multa inter neutrales didicimus, quæ nos antea latebant. Eugenium falso de multis accusatum invenimus: Cardinales, qui Basileam venerant, ob privatas inimicitias bono & sancto viro notam inurere voluisse: qui tamen cuncti postea ad eum redierunt, & veniam errati petierunt. Forte per id tempus Julianus Sancti Angeli Cardinalis, cujus supra meminimus, ex Hungaria, quæ sibi decreta contra Turcas fuerat provincia, Flavianum venit (quæ hodie Vienna dicitur) præcipuum Austriæ columen. Sæpe cum eo sermonem pro veteri consuetudine miscuimus, sæpe de rebus Basileensibus disputavimus. Tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat: extollebamus generalis Concilii auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnopere collaudabat: dicebamus Concilium Basileense jure perseverasse, quamvis Eugenius præsidentes revocasset, & hoc ejus factum accusabamus; ille dissolutum, seu translatum rite Concilium affirmabat, & Basileensium opera multis modis detestabatur: Basileæque non Synodum Ecclesiæ, sed Satanæ, & ministrorum ejus Synagogam remansisse dicebat. Diutina fuit inter nos concertatio, verum modesta & caritate plena. Ad extremum cum suis scriptis, dictisque Cardinalem vinceremus, premeremusque vehementer, subridens ille, Tu, inquit, Ænea, tabellis obsignatis agis mecum: & quoniam aliquando sensimus, ut dicis, idcirco & hodie idem putas debere sentire, & addictos priori sententiæ censes. Verum propterea non sumus liberi, quia mutare sententiam usque ad mortem possumus. Cur enim non liceat omni tempore, relicto falso, verum amplecti? Fateor me dixisse, & scripsisse, quæ refers, verum a vero remotum errasse. At tu, qui, ut ais, me Doctore Basileensibus credere adductus es, errantem olim sectatus es, cur modo non sequeris recta monentem? Præsumpsi de me ipso, dum essem Basileæ, nimis; quamvis deceptus decepi, & credens prodesse, nocui, in medio Ecclesiæ docens, quæ non didici: cæcus erravi, & in tenebris ambulavi: reliqui tandem Ecclesiam malignantium, & cum impiis sedere recusavi. Revelavit Dominus oculos meos, & consideravi mirabilia de lege sua. Cognovi priorem errorem, & quantum a vero procul abiissent Basileenses, plane intellexi. Adii Romanam Curiam, & Eugenio, cui (*) fuissem rebellis, submisi cervicem: a quo misericordiam consecutus, ad unionem Græcorum navavi operam: & illis Romanæ Ecclesiæ reconciliatis, adversus impios Turcas Legationem accepi. Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me, sed humiliatum exaltavit, quia cognito in errore non perseveravi; sed mox in viam redii, & ex Magistro factus discipulus, ex magno parvus, expurgato veteri fermento, novum hominem indui, & vere matris lacte nutritus ad fontem veri perveni, quem Sancti Doctores ostendunt Græci & Latini: quorum una vox est, salvari non posse, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tenet unitatem: omnesque illas virtutes mancas esse ei, qui Summo Pontifici obedire recusat, quamvis in sacco & cinere jacens, dies & noctes jejunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior est obedientia, quam victimæ, & omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta est: & Romanum Præsulem in Ecclesiæ vertice constitutum esse constat, a quo nullam ex ovibus Christi exemptam novimus. Ego ad ovile redii, qui diu erraveram extra caulas, & Pastoris Eugenii vocem audivi. Tu, si sapias, idem facies. Hæserunt pectori nostro verba viri, (**) quæ sæpe ad Nos repetiit non sine caritate ardenti & amore singulari. Interea ex diversis Regionibus homines

(*) *al.* cum (**) *al.* vitæ.

doctiſſimi Cæſarem adierunt, quibuscum placidos de eisdem rebus miſcuimus ſermones, ſemper ad verum intenti, cujus eſt natura hominis avida. Multum profuit Nobis Joannes Carvaialis, Apoſtolici Palatii Auditor, natione Hiſpanus, qui Juliano defuncto in titulo Cardinalatus ac legatione ſucceſſit: quo cum ſæpe de Concilio Baſileenſium amice diſputavimus. Nemo doctus ad Imperatorem venit, quem de his rebus in colloquium non adduceremus. Cumque Cæſar ad unionem Eccleſiæ procurandam in Nurimberga ſuæ nationis conventum inſtituiſſet, decreviſſetque Summum Pontificem adhortari, ut Conſtantiæ novum Concilium indiceret, legatumq; mitteret, ac Baſileenſes pariter induceret, ut eo ſe transferrent, ut ibi pax Eccleſiæ redderetur; primi Baſileenſes recuſavere. Quod audiens Thomas Aſſelbachius, ex Germania inſignis Theologus: Nunc, inquit, ſcio Baſileenſes Spiritum Sanctum non habere ductorem, quando tam æquam Imperatoris legem effugiunt. Idem multi alii dixere viri doctiſſimi & opinione Sanctitatis illuſtres. Quibus conſideratis caligo tandem ab oculis noſtris cecidit, quæ velut aranearum tela verum cernere impediebat. Recognovimus errorem noſtrum, venimus Romam, Baſileenſe dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput ſubmiſimus & reconciliati Eccleſiæ Romanæ, doctrinam ejus imbuimus, & illud Hieronymi diximus: Ego nullum præmium, (*) niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam fundatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus eſt: ſi quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Eramusque adhuc pene laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Baſilea Clericali tantum charactere inſigniti receſſimus, nec unquam ſacros imbuimus ordines, niſi poſt veritatem cognitam, Baſileenſi cæcitate relicta. In Auſtria minores ordines ac Sub-Diaconatum & Diaconatum recepimus: in urbe ad Presbyteratum pervenimus. Hæc eſt converſatio noſtra, per hos gradus e tenebris ad lucem migravimus. Ad quam rem non parum luminis Nobis attulit Thomas Sarzanus, (**) Theologicæ ſapientiæ celebratus ac acutiſſimus interpres, qui poſtea in ſummo collocatus Apoſtolatu, Nicolai Vti nomen accepit. His Authoribus unam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam eſſe didicimus matrem omnium fidelium, extra quam non invenitur ſalus, ſponſam Chriſti immaculatam, in qua omnes, qui militant, finem ſibi proponunt vitam æternam. Idcirco enim in Eccleſia militanti laborant homines, & cum dæmonibus tanquam hoſtibus pugnant, ut pacem tandem aſſequantur, & cum JESU Magiſtro ac legifero ſuo in cœleſti Jeruſalem triumphare ac regnare poſſint. Hic finis Chriſtiano proponitur, huc omnes Eccleſiæ militantis conatus, omnes lehes, omnes regulæ tendunt. Et quoniam Eccleſia quidam exercitus eſt Deo militans, terribilis ut caſtrorum acies ordinata dicitur: uni procul dubio Imperatori ſubjecta, ad cujus nutum cuncta referuntur. Cumque pius ac maximus & optimus Deus in ſuo Sanguine fundaverit Eccleſiam, eamque voluerit ad finem uſque ſæculi perdurare, quis non dixerit in ea id regimen inſtitutum eſſe, quod optimum cenſeretur? At vero inter genera gubernationum communis Philoſophorum ſententia eſt, præſtare Monarchiam: & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, quamvis ejectis Regibus duos annuos Conſules elegerunt, & modo tribunos addidere, modo alios Magiſtratus invenere: in adverſis tamen caſibus, bellisque gravioribus ad unum aliquem recurrerunt virtute & authoritate præſtantem, quem Dictatorem appellaverunt, cujus dicto non liceret adverſari: & quanquam Dictaturam ab initio temporaneam inſtituerunt, in Julio tamen & Succeſſoribus ejus perpetua effecta eſt. Nec unquam Romana res admirabilior aut celſior fuit, quam ſub Auguſto Cæſare, quando jam clauſis Jani portis totus fere orbis ſub unius hominis gubernatione quievit. Quo tempore natus mundi Salvator Monarchicum regimen cæteris prætuliſſe videtur gubernationibus. Idem probat totius fere orbis conſuetudo, cujus maximam partem gubernant Reges, ſive Chriſtianos intueamur, ſive barbaros. Et quamvis civitates aliquot reperiantur, quæ cum maxime ſerviant, liberas ſeſe

(*) *al.* prævium. (**) Sarzanus, *legit Platina.*

ſeſe vocitant ſine Rege viventes, non poſſunt tamen effugere, quin unum præferant aliis, eique tanquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? Cœleſtis aula Nos admonet. Quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid majus aut durabilius? quid melius aut beatius? Quamvis in ea & Angelorum diverſi ſint ordines & Sanctorum Spirituum innumerabiles chori, unus eſt tamen omnium Rex æternus Deus, qui condidit univerſa, & nihil negligit eorum, quæ condidit: cujus Filius unigenitus Chriſtus JESUS, cum pro noſtra ſalute veniſſet in hunc mundum, ſervili accepta forma, Eccleſiam, de qua loquimur, in Cruce patiens ſuo ſanguine acquiſivit; & in ea uſque in diem Aſcenſionis corporaliter præſedit, & tanquam Dux verus & Imperator cuncta in finem ſuum direxit. Et cum aſcendiſſet in cœlum, eum indubitanter ſui gregis Paſtorem reliquit, cui dixerat: *Paſce oves meas. Et Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Neque enim dixit & non fecit, qui ſolus eſt verax. Grex Chriſti Eccleſia eſt, Paſtor primus ipſe Chriſtus fuit, & Paſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis. Secundus Paſtor Petrus exſtitit, ab ipſo Domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad bene gerendum commiſſas oves neceſſaria ducitur. Alioqui Chriſtus, qui ſapientia Patris eſt, & omnino ſapienter egit, Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet: quod eſt nefarium aſſerere. Et quamvis plures per orbem Eccleſiæ inſtitutæ fuerint, & plures Epiſcopi, id eſt, plures greges & ovilia plura, & Paſtores plures, omnes tamen ſub uno Paſtore, & in uno grege, atque ovili continebantur, ſicut & hodie continentur: quia unus eſt Chriſti thalamus, una Sponſa, unum ovile & unus Paſtor, & omnium Epiſcoporum unus Epiſcopus Romanus Præſul, Beati Petri Succeſſor, & JESU Chriſti Vicarius. Petrus enim in Antiochia primum ſedit, deinde Romam venit: unde cum perſecutionem fugiens vellet abire, a Domino prohibitus eſt, & hic glorioſo Martyrio vitam finivit, Succeſſore Clemente ſubſtituto. Atque ita in hanc uſque diem ſervatum eſt, ut qui Romæ ſederit antiſtes rite inſtitutus per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron vocatus a Domino, hunc omnes Chriſtianæ plebes omnes populi, omnes Reges, omnes Clerici, omnes Epiſcopi tanquam JESU Chriſti Vicarium, & Beati Petri Succeſſorem, univerſalis Eccleſiæ Caput, ac Rectorem & Ducem venerati ſint. Inter quos plurimi pro Chriſti nomine aſperrimos (*) perpeſſi cruciatus, & morte mulctati, Coronam Martyrii ſuſceperunt. Plurimi Confeſſores egregii, vita, moribus, & Doctrina fulgentes, quamvis ſine ſanguinis effuſione, non tamen ſine periculis & labore, ac voluntate parata pro conſervanda ſacri Evangelii authoritate moriendi, ad cœleſtem gloriam pervenere: ut Gregorii, Damaſi, Leones, Innocentii, Bonifacii, Benedicti & alia nomina, inter quæ tertius claruit Eugenius, ex Monaſterio Sancti Anaſtaſii ad ſummum Sacerdotium evocatus: ad quem divus Bernardus, Monachorum Pater, non minus doctrinæ fulgore, quam vitæ ſanctimonia illuſtris, inter multa hujusmodi verba conſcripſit: " Indagemus, inquit,
" adhuc diligentius, quid ſis, quam geras videlicet perſonam pro tempore in
" Eccleſia Dei. Tu es Sacerdos magnus, tu
" Summus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, Tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt & alii quidem cœli Janitores & gregum paſtores; ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos ſibi greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti uni ſumus: nec modo ovium, ſed & paſtorum, tu unus omnium paſtor." Hæc Bernardus ad Eugenium tertium ſcribit, cui ſupremam & omnimodam in Eccleſia poteſtatem concedit. Quod ille de tertio teſtatur Eugenio, hoc Nos de quarto & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis eſt authoritas. Liquet igitur, unum in Eccleſia caput eſſe & unum principem, quia pax populi ex uno Rectore dependet, & pluralitas principum diſcordiam parit. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in ultimo teſtamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit.

(*) *al.* acerrimos.

davit. Dedit ergo & regimen pacis amicum, id est Monarchicum, sed Beato Petro & Successoribus ejus administrari cuncta præcipiens clavibus illi commissis, & cura gregis demandata. Hæc Nos de Romani Pontificis authoritate & potestate sentimus, cui & congregare Generalia Concilia & dissolvere datum est. Qui etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur: & sicuti filiationis causa (*) venerari debet Ecclesiam tanquam Matrem, ita & prælationis causa præfertur ei, ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ. Cum his & Generalis Concilii authoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta, quæ præcesserunt, a Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata: inter quæ nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitate præsule, absque ipsius authoritate convenerit: quia non est corpus Ecclesiæ sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sententia est, filii, hæc credimus & profitemur: hæc jam senes & in Apostolatus apice constituti pro veritate asserimus. Si quæ vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea & juvenilis animi parum pensata judicio, revocamus, atque omnino respuimus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sexto Calendas Majas, Anno MCCCCLXIII.

(*) *al.* Sicut propter generationis causam.

SYNODUS PADERBORNENSIS
Anno Christi MCCCCLXV. Pauli II. Papæ II. Friderici Imp. XXVI.

SIMON Episcopus, (*) postquam bellum Hassicum fuit compositum, quietiori animo Sacra, civiliaque in pristinum statum reponenda sumpsit: inspectaque Diœcesi prima illi cura fuit, de idoneis Sacerdotibus Parochiis imponendis. Eam in rem SYNODUM Cleri convocavit, in qua mores Parochorum & Cleri, qui per bella superiorum temporum, & absentiam Theodorici Administratoris, (**) multum corrupti erant, emendandos suscepit.

P. Schaten. Annal. Paderborn. Parte II. L. XVIII. pag. 696.

(*) Simon ex Comitibus de Lippia, Bernardi VI. Comitis Lippiensis frater, concordibus suffragiis Paderbornensium Episcopus electus fuit anno 1463. mense Februario. Præfuit Diœcesi in annum trigesimum sextum. Defunctus 1498. Nonis Martii. *Schaten. pag.* 691. & 779.

(**) Theodoricus, Comes de Mœrsa, Archi-Episcopus Coloniensis, Anno 1416. Ecclesiam Paderbornensem titulo Administratoris gubernandam suscepit, rexitque usque ad annum 1463. quo obiit. In Cathedrali Paderbornensi Successorem habuit Simonem, quem diximus, ex sorore nepotem. *Ibid. pag.* 526. & 688.

SYNODUS OSNABRUGENSIS
Anno Christi MCCCCLXVI. Pauli II. Papæ III. Friderici Imp. XXVII.

CONRADUS DIEPHOLTIUS (*) Episcopus, celebrem Osnabrugi hoc anno Synodum habuit, in qua præter cætera, quæ in ea præclare statuta sunt, damnantur ab Episcopis clandestina Matrimonia: omnique usu Sacrorum interdicuntur, quotquot secus Matrimonium contraxerint, sicut id præter alios retulit Godeschal-

deſchalcus Howenius, celebris per id tempus Osnabrugi ex familia D. Auguſtini Theologiæ Profeſſor, & Orator ad populum, Scriptorque libris clarus.
Schatenus L. cit. pag. 698.

(*) Conradus a Diepholt, ex Præpoſito Osnabrugenſi creatus Epiſcopus, per annos ſeptem & viginti Eccleſiam ſuam rara virtutis commendatione gubernavit, omniaque Epiſcopatus ſui Monaſteria ad veterem diſciplinam reduxit: vivere deſiit 1482
Schaten. pag. 744.

Statutum RUDOLPHI, Epiſcopi Wratislavienſis. De Caſibus reſervatis Papæ, Epiſcopo, Vicariis, Altariſtis, Manſionariis Eccleſiæ Cathedralis, & Canonicis S. Ægidii.

Editum Anno Chriſti MCCCCLXXI. Sixti IV. Pp. I. Friderici Imp. XXXII.

RUDOLPHUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS MAJORIS, ET ALIARUM COLLEGIATARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRARUM ECCLESIARUM PRÆLATIS, CANONICIS, ET VICARIIS, PAROCHIALIUM ECCLESIARUM RECTORIBUS, PERPETUIS VICARIIS, ALTARISTIS, ET MANSIONARIIS, IPSORUMQUE LOCA TENENTIBUS: NEC NON MONASTERIORUM QUORUMCUNQUE ORDINUM, SEU RELIGIONUM, ETIAM MENDICANTIUM, TAM EXEMPTORUM, QUAM NON EXEMPTORUM ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRIORIBUS, GUARDIANIS, CÆTERISQUE RELIGIOSIS, QUIBUS A JURE, PRIVILEGIO, AUT INDULTO, CONCESSIONE, VEL ADMISSIONE NOSTRIS, CONCESSA EST FACULTAS AUDIENDI CONFESSIONES, SIVE ECCLESIASTICARUM, SIVE RELIGIOSARUM, SIVE SECULARIUM PERSONARUM: SALUTEM IN DOMINO.

CUm ſit ars artium cura animarum, & inter lepram & lepram ſcire diſcernere, valdeque expediat ad coercendum malos, & ad eorum audaciam confringendam, ne in futuris denuo ad ea, quæ commiſerunt, praviora peccata prolabantur, ut in majoribus criminibus non paſſim ab omnibus abſolvantur, ſed ad Superiores remittantur. Hinc eſt, quod ſacri Canones, ſanctique Patres, plures caſus magis enormium, & graviſſimorum peccatorum, ſoli Apoſtolicæ Sedi, plures ſolis Pontificibus reſervaverunt: Statuentes, ut inferioris gradus Eccleſiaſtici neminem in talibus caſibus auderent abſolvere, & animas eorum decipere, ſed quod illos hujusmodi criminibus irretitos, ad Superiores remittere tenerentur. Hinc eſt, quod Nos RUDOLPHUS Epiſcopus præfatus, cupientes, quod unusquiſque Eccleſiaſticus in Diœceſi & civitate noſtra conſtitutus, ſciat, in quibus caſibus reſervatis ei liceat abſolvere, & in quibus ad alios Superiores remittere teneatur & debeat: prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, ſubſcripta duximus ordinanda, atque publicanda, ut ad notitiam totius Cleri, civitatis & Diœceſis noſtræ devenire, & unusquiſque ſe ſecundum hæc regere ſciat.

In primis prohibemus ſub interminatione Divini judicii, & excommunicationis pœna omnibus & ſingulis, cujuscunque ſtatus, gradus, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, tam religioſis, quam aliis Sacerdotibus, ne quis aliquem abſolvere præſumat in caſu, vel caſibus, tam de jure, quam vigore Bullæ per Sanctiſſimum Dominum noſtrum, contra & adverſus hæreticos, & eis adhærentes, publicatæ, Apoſtolicæ Sedi reſervatis, & præcipue in caſibus hæreſis, & adhærentiæ hæreticorum, & qui eis arma, ſal, ſpecies, plumbum, equos, & alia prohibita adduxiſſent. In incendio

Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum locorum: in violenta, & enormi manuum injectione in Clericum, maxime Sacerdotem: in Presbytericidio, parricidio, uxoricidio: in simoniaca pravitate, in ordine vel Beneficio commissa: in Apostasia temeraria & notoria. Ac si quis Romipetam scienter, ut eum in peregrinatione sua impediret, cepisset, aut taliter læsisset, quod peregrinationem suam adimplere non posset: in votis ingrediendi religionem, vel servandi continentiam, & in similibus in jure expressis, Apostolicæ Sedi specialiter reservatis, nisi quis hoc ab Apostolica Sede, aut a Nobis tanquam ipsius & Sanctissimi Domini nostri Summi Pontificis cum potestate Legati de latere Legato specialiter, & ex certa nostra scientia habeat in mandatis, ac nisi mortis articulo: servatis tamen tunc modis & formis in jure, ac dicta Bulla expressatis, videlicet recepta primitus ab incendiario, sacrilego, homicida, percussore Clerici, raptore & similibus, promissione vel cautione sufficienti de satisfaciendo ipsi læso infra certum terminum per se, vel suos hæredes &c. Ab hæretico vero, fautore, receptatore, aut adhærente hujusmodi, abjuratione solenni erroris aut fautoriæ, qui tamen nihilominus perpetuo carebunt Ecclesiastica sepultura: & contrarium faciens, sepeliendo videlicet talem, ipso facto excommunicatus est, &c.

Simili modo prohibemus omnibus & singulis, etiam illis, quibus dedimus, ac in futurum dabimus authoritatem absolvendi in casibus Episcopo reservatis: ne quis aliquem excommunicatione majori innodatum, & denuntiatum, aut alias notorium, neque usurarium publicum vel occultum, qui ultra valorem duorum florenorum per usurariam pravitatem acquisivit, absolvat: neque super male acquisitis per usurariam pravitatem, aut ex fructibus Beneficiorum male perceptis concordet: neque super votis quibuscunque dispenset, aut ea in alia pietatis opera commutet, nisi quis ab Apostolica Sede, aut a Nobis tanquam Legato, vel Ordinario desuper habeat facultatem.

Hos enim casus Nobis, aut in Spiritualibus Vicario nostro reservamus, salva tamen in hoc Officialis nostri in absolvendis, quos in foro contentioso ligavit, absolvendi facultate sibi per Nos attributa.

Præterea omnibus & singulis supradictis, modo, quo supra, inhibemus, ne in casibus infra scriptis aliquem absolvant; sed in illis delinquentes ad duos Pœnitentiarios majores, qui nunc sunt, aut in futuro erunt in Ecclesia nostra Wratislaviensi, remittant, quos Nobis & dictis Pœnitentiariis reservamus: blasphemorum videlicet Dei & Sanctorum, blasphemia tali; quæ ex temeritate & proposito fiat, & plurimum scandaliset. Incendiariorum villarum, domorum, & possessionum Christi fidelium, diffidatorum Ecclesiasticarum personarum, effractorum, & spoliatorum Ecclesiarum: atque sacrilegorum, libros, calices, & alias res Ecclesiasticas, vel alias subtrahentium. Item publicorum prædonum & raptorum: Item homicidarum, qui temerarie Catholicos homines occiderunt, & qui consilium vel auxilium ad hoc dederunt, & præstiterunt. Item opprimentium liberos proprios. Item omnium perjurorum cum læsione patris, seu proximi. Item violatorum Ecclesiarum, aut cœmiteriorum. Dignum enim est, quod in hujusmodi gravibus casibus delinquentes, saltem pro reverentia, quæ ad Ecclesiam majorem Matricem omnium totius Diœcesis Ecclesiarum haberi debet, & in partem pœnitentiæ satisfactionis ad eandem Ecclesiam majorem, & Pœnitentiarios majores in ea constitutos, pro absolutione recursum habeant, & per omnes illuc remittantur. Eandem tamen potestatem, in hujusmodi & infra scriptis casibus absolvendi, omnibus Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ nostræ, confessiones audientibus, præsentibus concedimus, & elargimur.

In cæteris vero casibus Episcopo reservatis, quorum non modici sunt, excedentes & delinquentes, utpote violatores virginum, stupratores monialium, incestuosos, qui cum consanguineis, aut affinibus carnaliter excesserunt: Sodomitas, sortilegos, ac Divinatores, & eos, qui pro sortilegiis & divinationibus eos accedunt, & divinationes exquirunt: violatores simplicium votorum pro excessu in hoc commisso, absque totali absolutione a voto, aut commutatione, pro-

ut ſupra. Uſurarios occultos, qui non ultra duos florenos ex uſura acquiſierunt: maleficos. Contrahentes matrimonium clandeſtine, aut contra interdictum Eccleſiæ. Item falſificantes literas & ſigilla inferiorum a Papa. Item falſificantes monetam. Item non dantes rectam menſuram, & alios in quibuscunque caſibus Epiſcopo reſervatis excedentes: exceptis duntaxat caſibus ſupra enarratis, & pro majoribus Pœnitentiariis reſervatis. Vicarii, Altariſtæ, & Manſionarii Eccleſiæ noſtræ, eorumque ſubſtituti: nec non Canonici Eccleſiæ Sancti Egidii, dum tamen omnes prædicti in Eccleſia noſtra, & non alibi, confeſſiones audiant: nec non & ii, ſive Religioſi, ſive ſeculares Eccleſiaſtici ſint, quibus abſolvendi in caſibus Epiſcopalibus facultatem dedimus, & in futurum dabimus, abſolvere poſſint; dummodo in aliis ſupra poſitis caſibus delinquentes ad Sedem Apoſtolicam, aut Nos, ſive Vicarium noſtrum in Spiritualibus, aut Pœnitentiarios majores, ut præmittitur, remittant: Quodſi non fecerint, etiam in illis ultimis caſibus abſolvendi eis adimimus, ſive tollimus facultatem. Reliqui vero Sacerdotes, ſive Curati, ſive Religioſi, aut alii, qui non ſunt Vicarii, Altariſtæ, aut Manſionarii Eccleſiæ noſtræ, ſive eorum ſubſtituti, & quibus non dedimus ſpecialiter facultatem abſolvendi in caſibus Epiſcopalibus; etiam in prædictis ultimis caſibus, abſolvere non poterunt, nec debebunt: ſed excedentes in talibus, ſicuti in aliis ſuperioribus & gravioribus caſibus, ad habentes hujusmodi facultatem remittere tenebuntur.

In quibus omnibus, ut vos omnes rite agatis, conſcientias veſtras oneramus per præſentes, quas uſque ad revocationem, vel limitationem aliam per Nos in ſcriptis faciendis durare, & ſingulis annis in principio, aut ſaltem ante medium Quadrageſimæ in ſingulis Eccleſiis in ambonibus publicari volumus: ut nullus, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſecularis, dictorum caſuum ignorantiam prætendere poſſit. Datum Wratislaviæ, *quarta menſis Februarii*: Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo. Noſtro minori ſub ſigillo præſentibus appreſſo.

Hæc de caſibus per Dominum RUDOLPHUM Epiſcopum Wratislavienſem reſervatis. Plures enim alii caſus, in quibus confitentes ad Epiſcopum, & in quibus de jure communi ad Papam remittuntur, *in Synodalibus Statutis* Domini CONRADI Epiſcopi Wratislavienſis una cum Canonibus Pœnitentialibus habentur, quos quilibet Sacerdos (juxta præfatorum Statutorum tenorem) ſcire, alias in eo vix Sacerdotis nomen conſtabit, ipſaque Statuta in Eccleſia ſua habere, publicare, diſtricteque obſervare tenetur.

Impreſſit Nurenbergæ A. 1512. *Hieronymus Höltzel Litera Petri. Recuſi iidem caſus Wratislaviæ in* 4to. *pag.* 128. *& ſeqq.*

Caſuum reſervatorum a Rudolpho Epiſc. Wratislavienſi meminit *Petrus Georgiſch T. III. Regeſti Diplomatici ad annum* 1471. *Tomo III. n.* 6.

Brevis Synopſis aliquarum SYNODORUM HAVELBERGENSIUM ad Sæculum XV. potiſſima ex parte pertinentium.

Finiendus jam erat hic Tomus, cum ad manum venit Cl. V. Georgii Gothofredi Kuſteri, Gymn. Fridr. Rectoris &c. *Bibliotheca Hiſtorica Brandenburgica.* Reperi in hac brevem indiculum Statutorum Synodalium Havelbergenſium a diverſis Epiſcopis Sæculi XIV. & XV. editorum, quæ Joannes Epiſcopus Havelbergenſis unum in faſciculum collegit, & præmiſſa Præfatione Clero ſuæ Diœceſis obſervanda commendavit. Eadem, ut dicto in libro reperi, paucis ſolummodo indicata hic adnecto: integra producturus in Supplemento generali, ubi illa expanſa, amicorum favore & opera, accepero.

JOHANNES, DEI ET APOSTOLICE SEDIS GRATIA, ECCLESIE HAVELBERGENN. EPISCOPUS, UNIVERSIS ET SINGULIS PRELATIS, CAPITULIS, ECCLESIARUM PAROCHIALIUM RECTORIBUS, SEU EORUM LOCA TENENTIBUS, ALTARISTIS, AC CLERICIS TAM RELIGIOSIS QUAM SECULARIBUS, PER CIVITATEM ET DIOCESIN NOSTRAM HAVELBERGENN. UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

REx magnificus, qui facit mirabilia magna ſolus, ex alto proſpiciens, atque ſinum ſue pietatis aperiens, Eccleſie *Havelbergenn.* Nos prefecit, & ſuper ſolium Paſtoralis dignitatis licet immeritos, ſua tamen, ac Sanɛte Sedis Apoſtolice gratia ſublimavit. Idcirco ex injunɛti Nobis officii debito ſubditorum utilitati provideri cupientes, ſententias aliquorum Canonum, quas pro morum correptione, & Cleri noſtri reformatione volumus pro ſtatutis Synodalibus de cetero haberi, teneri, & obſervari, de conſenſu Prelatorum noſtrorum plano & brevi ſtilo, ut facilius poſſint memorie commendari: in unum duximus redigendas. Et ut ipſa ſtatuta ad ſingulorum veniant noticiam clariorem: omnibus & ſingulis ſupradiɛtis in virtute ſanɛte obedientie diſtriɛte precipiendo mandamus: Quatinus ipſa mox ſcribant, aut ſcribi procurent: Et ſinguli Parochialium Eccleſiarum Reɛtores, ſeu Vicereɛtores copias ipſorum ſtatutorum comparent, & in armariis ſive veſtibulis Eccleſiarum patenter habeantur. Nam lapſis tribus menſibus nemo per ignorantiam eorundem ſe poterit tueri. Aliis ſiquidem ſtatutis a Predeceſſoribus noſtris editis in ſuo robore duraturis.

Et pro declaratione infra ſcriptorum notandum, quod non eſt eſtimandum, quod ſtatuta Epiſcoporum in eorum obitu exſpirent, ſive vigorem habere deſinant: imo perpetua ſunt & vigoroſa manent, etiam poſt obitum . . . Ideo defunɛto Epiſcopo ejus ſtatuta, etiam cum ſuis penis, ſi que adjeɛte fuerint, indubitanter vigorem obtinent, donec abrogata fuerint, aut revocata, & non egent aliqua confirmatione Succeſſoris, ex juribus ſupra allegatis. Et pro tanto non eſt verecundum Succeſſori, imo honeſtati & rationi conſentaneum, ſi Anteceſſorum ſuorum ſtatuta, aut ex eis aliqua etiam ſub eorum nominibus faciat interdum recitari, imo hoc fieri expedit. Et dum viſum fuerit, poteſt propter ignorantes ea innovare . . Ita in pleriſque Diœceſibus viſum eſt obſervari.

Et quamvis etiam inferior legem Superioris non poſſit tollere vel mutare, intellige, abrogando in totum; tamen ſupplere & extendere, etiam cum pœnarum adjeɛtione, bene poteſt. Etiam ſtante proſtitutione Superioris quandoque inferior contra illam diſpenſat. - - Unde & in Dioceſi Havelbergenn. ſucceſſu temporis per diverſos Epiſcopos inveniuntur condita diverſa talia ſtatuta, prout ipſa ſunt inferius annotata.

Primo ſunt ibi STATUTA Domini BORCHARDI, quondam Epiſcopi *Havelbergenn.* Ibi inter cetera ipſe primo per modum Epilogi ſub brevitate recolligit ſtatuta Provincialia, deinde ſpecialiter providet contra Curatos & non Curatos abſentantes ſe a ſuis Beneficiis, & officia debita non exercentes: & mandat eis ſub pena excommunicationis late ſntentie, ut infra menſem reſideant. Deinde contra habentes plura Beneficia, etiam ſpecialiter invehitur, comminando privationem, niſi infra menſem oſtendant diſpenſationem cum eis faɛtam. Deinde etiam ſtatuit de locantibus, & conducentibus Beneficia. Et vult ibi, quod quilibet locans recipiat tertiam partem a conduɛtore ſecundum formam Regiſtri uſualis. Alioquin tam locans, quam conducens ſententiam excommunicationis ipſo faɛto incurrit, ſi locans excedit illam quantitatem. Idem etiam ſub eiſdem penis ſtatuit, quod nullus debet officiare, niſi habeat ab Epiſcopo acceſſum, & ſit approbatus.

Sequitur STATUTUM TIDERICI de ſpoliatoribus, in quo excommunicat ſpoliatores, incendiarios, venditores, emptores, vel detentores rerum & bonorum Eccleſie, & Capituli *HAVELBERGENN.* & per loca eorum mandat ceſſare a Divinis, & Eccleſiaſticam ſepulturam, quamvis pœniteant, eis negare, donec ſpecialiter fuit impetrata. *Dat. & aɛtum anno* 1327. *in craſtino undecim Millium Virginum.*

Sequitur STATUTUM BORCHARDI, de contrahendis Matrimoniis, de mutationibus denariorum offerendorum, &

& de invaſoribus Eccleſiarum. *Datum* 1362. *in die Sebaſtiani Martyris.*

Sequitur STATUTUM TIDERICI, in quo prohibet ludibria larvarum, & alias abuſiones in Eccleſiis fieri, ſub pena excommunicationis, & per Rectores Eccleſiarum mandat prohiberi. *Datum Wiſtogk anno* 1376. *in die Luce Evangeliſtæ, in Synodo.*

Regule jam ſequuntur bone tradite pro Plebanis, a quodam (*) Domino *REYVERO Epiſcopo Havelbergenn. Inc.* Populum vobis commiſſum edificate, & inſtruite verbo & exemplo. *Fin.* Has conſtitutiones omnes habete, & ſub pena Synodali duarum Marcarum argenti fideliter reſervate.

Ad viſitandum Chorum & Altare Plebano Eccleſie. *BORCHARDI STATUTUM, datum Wiſtogk anno Domini* 1390. *Feria quarta poſt Nicolai.*

Sequuntur alia *STATUTA SYNODALIA*, tempore quondam Domini *CONRADI* Predeceſſoris noſtri, Epiſcopi *HAVELBERGENN.* in Synodo publicata. Et primo de vita & honeſtate Clericorum, de cohabitatione Clericorum & mulierum, de ebrietate, de Capellanis Nobilium, de ſpoliis, de raptoribus, de ſortilegio, de uſuris, de clauſuris Monialium, de die Dominico, de Baptismo & ejus effectu, de cuſtodia Euchariſtie, de Sponſalibus & Matrimoniis, de Pœnitentiis & Remiſſionibus.

Sequuntur STATUTA SYNODALIA Reverendi Patris, Domini WEDEGONIS, Epiſcopi Havelbergenn. de fructibus Beneficiorum, quibus debentur, & quando dicuntur deſerviti: de teſtamentis, & bonis inteſtatorum Clericorum, de excommunicatis abſolvendis in mortis articulo, & eorum ſepultura. *Dat. Wiſtogk anno Domini* 1464. *ſecunda Feria poſt Dominicam: Miſericordia Domini.*

De Altariſtis & Officiantibus. *Datum Wiſtogk in publica Synodo, celebrata anno Domini* 1464. *ſecunda Feria ut ante*, de non abutendis cantu & organis, & ludis tollendis.

STATUTUM de anno Gracie. *Dat. Wiſtogk in publica Synodo, celebrata anno Domini* 1471. *Feria ſecunda poſt Dominicam: Miſericordia Domini.*

De Horis Canonicis, & aliis Divinis, decenter & debite ſolvendis. *Dat. Wiſtogk anno LXXXIIII. in die Nativit. Johan. Baptiſte.*

Ex Decretis Concilii Baſileen. de modo orandi verſus. *Dat. Wiſtogk in publica Synodo anno Domini* 1486. *Feria ſecunda poſt Miſericordia Domini.*

Sequuntur STATUTA SYNODALIA Rev. Patris & Domini BUSSONIS Epiſc. Havelburg. in Synodo publica, in Eccl. B. Marie Virg. Wiſtogken. per eum celebrata, anno 1488. *Feria ſecunda poſt Cantate.*

CONSTITUTIONES WEDEGONIS, Epiſcopi Havelberg., confirmatæ ab ERNESTO Archi-Epiſc. Magdeb. Nos vero Erneſtus Archi-Epiſcopus, & Primas antedictus, qui ſupplicum votis, preſertim, que honorem Dei, libertatemque Eccleſiaſticam reſpiciunt, ſemper annuimus, hujusmodi ſupplicationibus paterne inclinati, Conſtitutiones præfati Wedegonis, Anteceſſoris veſtri, gratas & ratas habemus. Ipſasque auctoritate noſtra ordinaria, ac Metropolitica, & tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus eſt, innovamus. *Datum in Caſtro noſtro Gebichenſtein, ſub anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo.*

Sequuntur STATUTA SYNODALIA Reverendi in Chriſto Patris & Domini, Dn. OTTONIS, Epiſcopi Havelberg.

STATUTUM de Teſtamentis, *in publica Synodo publicatum anno Domini* 1496. *Feria tercia poſt Cantate.*

STATUTUM de Concubinariis, *ex Concilio Baſileen. in Seſſione XX.*

Sequitur Aviſamentum de concubinariis non abſolvendis quibuscunque, aſt eorum periculis quam plurimis.

Sequuntur varia pericula correlarie dictis jam conſonantia.

Sequitur aliud periculum nedum Sacerdotum, ſed omnium concubinariorum quoad contritionem & confeſſionem.

Sequitur Exhortatio de concubinis abjiciendis, & concubinariorum abjectionibus invalidis.

Finit: O igitur mi Confeſſor, hec modica auſcultanter velim animadvertas, &

Eeeeee 3

(*) *puto:* quondam.

& concubinarios ad firmum propositum abjiciendi concubinam, ut nullius peccati mortalis periculum sit in mora, efficaciter inducas, antequam absolvas. Alius tu cecus cecum ad infernum ducis, teque secum precipitas. Vale.

Biblioth. Historica Brandeburgica a pag. 129.

DIGRESSIO AD SÆCULUM XV.

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua de Conciliis universim.

PRiusquam ea, quæ ad Sæculum XV. pertinent, in hac Digressione tractanda suscipiam; præmittenda quædam duxi, quæ ad veram Conciliorum Ecclesiæ Catholicæ ideam in Lectorum animis efformandam, tum etiam ad eorundem authoritatem a quorundam calumniis vindicandam, augendamque æstimationem videbantur profutura.

Ex eo tempore, quo in hoc Synodorum Germaniæ colligendarum studio versatus sum, non Catholicorum tantum pervolutavi volumina, ut cum Catholicis Catholice semper & sentirem, & scriberem; sed plurium etiam Acatholicorum isthoc de argumento scribentium libros discussi; ut, quam ipsi quoque opinionem de Synodis animo concepissent, qua illas notione consignarent, a quo, aut a quibus indicendas, quas personas, cujusve conditionis, dignitatis & auctoritatis homines ad eas convocandos putarent, quo in numero earum sententias, dogmata, Canones haberent, cæteraque huc pertinentia, ipsorummet ex verbis intelligerem.

Atque illud ingenue fateor, non potuisse me non mirari, cum cernerem, DD. Protestantium non paucos, eosque doctrina præstantes; in antiquorum Conciliorum monumentis undique conquirendis, in iisdem e pulvere, quo obsorduerant, extrahendis in lucem, in illis sua crisi, & animadversionum adnotatione illustrandis, in concinnanda demum ipsorum historia, tam sedulam operam & collocasse hactenus, & adhucdum collocare. Fecerunt hoc præter complures alios David Chytræus, Joan. Albert. Fabricius, Sal. Gesner, Joachim. Hildebrandus: & comprimis Joan. Christian. Lunigius in Spicilegio Ecclesiastico: cujus viri industriæ in Synodis Germanicarum Ecclesiarum colligendis quantum in hoc opere debeamus, non uno loco testati sumus: Fecit adhuc recentissime Clar. Christian. Wilh. Francisc. Walchius Theol. Doct. & Prof. Ord. in universit. Göttingensi, qui anno 1759. typis Lipsiensibus Librum edidit, Germanico idiomate conscriptum, sub titulo: *Idea completæ Historiæ Conciliorum Ecclesiasticorum.*

Quivis facile sibi persuaserit, aliam his viris fuisse & esse mentem, multoque nobiliora de Conciliis sensa, quam olim fuerint Martino Luthero. Hic sub initium suæ ab Ecclesia secessionis nihil quidem ursit vehementius, aut majore contentione postulavit, quam ut pro causa sua decidenda Generale totius Ecclesiæ Concilium convocaretur. Eadem vox & postulatio fuit Lutheri discipulorum, in Comitiis Augustanis, Norimburgensibus, Spirensibus, Ratisbonensibus, aliisque, Generalem ad Synodum provocantium. Sed quam seria hæc illis & sincera fuerit appellatio, paulo post res ipsa docuit. Concilium conclamabant, quam diu ob gravissimas, quas illi convocando obstare viderant, difficultates nullum Concilum esse futurum putaverant. Ast ubi demum a Cæsare apud Pontificem serio rem agi: ubi Synodum ab hoc indictam, fixum illi celebrandæ tempus & locum, ubi Episcopos ac Principum Catholicorum Legatos confluere Tridentum audivere, subito vela vertebant, causæque suæ, quam prædamnatam sciverant, diffisi, Episcoporum congregandorum istud tribunal subterfugere, Concilium, ne inciperetur, impedire, cœptum dissolvere, & cum neutrum possent, omnium animos adversus sententias ibidem ferendas præoccupare, earundem vim & robur enervare, verbis, scriptis, modis omnibus adnitebantur. (a)

Lutherus arrepto mox calamo librum de Conciliis conscripsit, non alium præfixum habens suæ scriptioni scopum, quam ut Conciliorum plane omnium inanitatem ostenderet, omnemque illis auctoritatem abrogaret: nulla illi tum particularium, tum Oecumenicorum, nulla recentium & antiquorum reverentia: parique contemptu, quo cætera, etiam Nicænum primum, imo ipsum Hierosolymitanum, ab Apostolis celebratum, explodit. Omnia, dicit, errori fuisse

[a] *Bellarm. L. de Concil. in Præfat.*

fuisse obnoxia, nec errare tantum potuisse, sed re ipsa erravisse.

De Hierosolymitano, a quo orditur, scribens, indignatur Ss. Apostolis, quod a sanguine & suffocatis decreverint abstinendum: gravibusque verbis exaggerat, quanta futura esset illa calamitas, non vesci capreis, leporibus, anseribus, turdis; non lucanicis, aliisque farciminibus, jusculis item sanguine vel liquido tinctis, vel coagulato fartis. Tam gravis hæc visa Luthero fuit jactura, ut hinc concluderet: non esse Apostolico Decreto parendum. Unde rursum conclusit: Ergo liberum est nobis, alia Concilia relinquere: & sic liberi sumus ab omnibus Conciliis. (b) Quasi vero, propterea, quia non tenemur ea lege, quæ non pro omni, sed pro aliquo tantum tempore lata fuerat, jam nullis aliis Conciliorum legibus teneamur.

Multo vehementius in Synodum Nicænam I. Oecumenicam, cujus tanta semper fuit in universa Ecclesia æstimatio, ejusque in Canones insurgit. *Hi omnes*, inquit, *articuli fœnum, stramen, lignum, stipulæ fuerunt.* Et infra: *de illis ligneis articulis reliquiæ manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de Festo Paschatis.* (c)

Omitto alia ejusdem furfuris, censurasque, quibus tum eandem hanc, tum alias deinde Synodos proscindit. Unum hoc adjecisse sufficiat, quod Concilia universim omnia non pluris, imo etiam mincris æstimet, quam institutionem Parochi alicujus aut Ludimagistri, catechesi pueros imbuentis. *Putasne, inquit, adeo esse tenue, aut angustum officium Parochi, aut Ludimoderatoris, ut non possit aliqua ex parte conferri ad Concilia? Dicam & quiddam amplius: majus lumen accedit doctrinæ Christianæ ex Catechismo puerili, quam ex omnibus Conciliis.* Et infra: *Quid opus est verbis? etiamsi omnium Synodorum Decreta possent per infundibulum demitti in tuum corpus; tamen nondum esses Christianus, quia nimis parum conferunt.* Rursum alibi: (d) *Hoc*, inquit, *capite Evangelium: quia neque Papæ, neque Conciliis, neque ulli hominum commissum est, ut concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere: Papa, tu conclusisti cum Conciliis; nunc ego habeo judicium, an acceptare queam, nec ne.* En quam vili apud Lutherum loco fuerint Concilia.

Mitius scribunt præsenti hoc sæculo, stiloque magis temperato utuntur DD. Protestantes: non ligneos, non stramineos Synodorum Canones, non stipulas vocant. Norunt viri prudentes, quantum insulsa scommata, quæ familiaria quondam Luthero fuerant, moderni ævi nostri, politioribus longe moribus exculti, magisque ad humanitatem compositi palato desipiant: & tantum abest, ut Conciliorum reliquias tanquam titiones aversentur,; ut multo potius in illis ubique investigandis indefesso studio laborent, de inventis gaudeant, easdemque multo ære publicam emittant in lucem.

Nescio tamen, an justum suæ operæ pretium, dignumque tam nobili labore fructum reportent: Immo dubito vehementer, annon hac ipsa sua industria ad Ecclesiæ Christianæ Concilia deformanda potius, quam illustranda colliment. Nam pervolutanti mihi eorum scripta & libros, plurima ubique incurrunt in oculos, quæ palam faciunt, quod vilem nimis ideam, ac non multo meliorem, quam Lutherus, de sacris hisce conventibus & ipsi animis imbiberint, & aliis instillare laborent: Ideam, inquam, plane novam, veris veræ Christi Ecclesiæ filiis ante Wicleffi, Hussi, Lutheri tempora nunquam cognitam, ac talem, quæ Conciliorum Ecclesiasticorum dignitati minime congruat, eorundem vero auctoritatem penitus subvertat.

Non abs re proinde futurum existimem, nec Lectoribus injucundum, si, quid Catholici, quid vicissim DD. Protestantes de Conciliis sentiant, paucis exponam; ut ex ea utriusque doctrinæ comparatione, pro qua parte stet veritas, & utra alteri præferenda sit, clarius elucescat.

§. I.

Definitio Conciliorum ex mente Catholicorum.

Concilii nomen, si in sua latitudine accipiatur ea vox, non Catholicorum duntaxat, sed etiam eorum, qui a Catholica Ecclesia defecerunt, conventibus commune est. Neque enim a Catholicis tantum celebrata fuere Concilia: habuerunt jam olim in Oriente suos Conventus, Synodos, Concilia Accaciani, Ariani, Donatistæ &c. habuerunt posterioribus Sæculis Hussitæ in Bohemia, Lutherani in Germania, Calviniani in Hollandia. Verum non idem vocis hujus apud Catholicos, Acatholicosque usus est & significatio. Catholicis quidem idem hodie denotat illa vox, quod per eam denotatum fuerat in primo Ecclesiæ principio, ipsoque tempore Apostolorum. Concilium dicunt esse Conventum legitimum præcipuorum Ec-

(b) *Luth. Tom. VII. Oper. German. in L. de Conciliis & Eccles. pag.* 225. *&c. Edit. Jenens. anno* 1598. (c) *Ibid. pag.* 236.
(d) *Luth. Præf. art. a Leone X. damnatorum. Art.* 115. *apud Maxim. Sandæum de Synodo Holl. pag.* 349.

Ecclesiæ Præsulum, ad deliberandum & statuendum de iis, quæ ad fidem, & mores, & Ecclesiæ disciplinam pertinent. Qua sua descriptione simul & res indicant, quæ Ecclesiasticis in Conciliis tractandæ sunt, & personas, ex quibus illa componuntur. Nimirum Regni Comitiorum naturam Ecclesiastica imitantur Concilia: & sicut illa ex solis Optimatibus, jus suffragii habentibus, coalescunt; ita hæc ex Ecclesiarum Præsulibus, pari jure, & sententiæ dicendæ auctoritate munitis constituuntur.

Dividunt Catholici Concilia in Oecumenica, sive Generalia, quæ Summo Pontifice, totius orbis Episcopos convocante, eodemque vel per semetipsum, vel per Legatos præsidente, celebrantur: in Nationalia, ad quæ Archi-episcopi omnes & Episcopi, totius regni, vel nationis conveniunt, Præside Patriarcha vel Primate: In Provincialia, ad quæ unius Provinciæ Episcopi sub præsidio Metropolitani, vel Archi-episcopi evocantur: demum in Diœcesana, in quibus unius Diœcesis Clerus suo sub Episcopo congregatur, Presbyteri præsertim, qui curam animarum gerunt. Quanquam hæc, ut Cardin. Gotti observat, Concilii vix mereantur nomen; eo quod, præter Episcopum nullus illis soleat interesse, qui jus habeat suffragii, aut sententiæ dicendæ.

Porro Concilium, ut legitimum sit, debet legitime convocari, legitime celebrari, ac denique auctoritate legitima confirmari. Legitima erit Concilii convocatio, si hæc fiat a legitimo Superiore, eos omnes ad Synodum convocante, qui ferendi in illa suffragii jus habent. Legitima erit celebratio, si 1*mo.* Acephalum non fuerit, non destitutum suo capite. 2. Si convocati vel omnes, vel tanto, ac talium numero eidem intersint, ut ipsorum universitas repræsentari intelligatur. 3. Si libera fuerint eorum suffragia, qui statuendi, definiendi, decidendi jure gaudent. 4. Si in habendis consultationibus, dicendisque sententiis justus ordo teneatur. Legitima postremo erit Concilii confirmatio, si quæ in illo decisa ac definita sunt, ab eo, a quo debent, rata habeantur, ejusdemque accedente auctoritate comprobentur: quæ quidem confirmantis auctoritas quanto major fuerit, tanto plus etiam roboris, firmitatisque Concilii Decretis afferet: perque ipsam hanc confirmationem, & subsequentem Ecclesiæ acceptationem sanari etiam quadam ratione possunt defectus, si qui vel in Synodi convocatione, vel in ejusdem celebratione intercurrerint.

Hæc genuina veri Ecclesiastici Concilii idea est, quam Ecclesia Catholica a primorum sæculorum Synodis, immo ab ipsis SS. Christi Apostolis accepit: hanc illa semper hucusque tenuit: ad hujus ideæ normam Concilia sua celebravit hactenus, & celebrat: Conventusque omnes alios, qui contra hanc normam fuerant instituti, ceu Synodos spurias, adulterinas, omni robore auctoritatis destitutas, unanimi consensu ex verorum numero Conciliorum expunxit, reprobavit, damnavit.

§. II.

Definitio Conciliorum secundum Protestantes.

Vidimus, quid de Conciliis Catholici sentiant: videre nunc lubeat, quam illorum imaginem conceperint DD. Protestantes, quave sub definitione nobis eadem repræsentent. Quam ex Catholicorum sententia dedimus, non unius est, sed omnium: sic enim & non aliter, quantum ad rei significandæ substantiam pertinet, Ecclesiasticas Synodos Scriptores Catholici semper & ubique describunt. Non par sententiarum unitas a DD. Protestantibus exspectanda est. Ut in cæteris, quæ ad fidem referuntur, suis sunt opinionibus divisi; sic in hac etiam doctrina de Synodis a se invicem discordes, aliter alii, nimirum pro suo singuli arbitrio sentiunt, loquuntur, & scribunt. In explicandis Conciliis particularibus, sive Nationalia illa sint, sive Provincialia, sive Diœcesana, plerisque eorum nobiscum convenit; at ubi de Generalibus, & Oecumenicis agitur, mirum, quam diversas abeant in vias.

Lutherus *L. de Conciliis & Ecclesia*, Oecumenici nomen magnis & Universalibus Conciliis inditum scribit a magno & universali Monarcha, Imperatore scilicet, omnium Regionum Episcopos congregante. *Ut æstimem,* (e) inquit, *secundum stultitiam meam, quod magna Concilia & universalia istud inde sortita sint nomen, quod Episcopi a Monarcha, magno Capite & universali ex omnibus Regionibus fuerint convocati.*

Sibrandus Lubbertus Calvinianus econtra non ab universalitate Dominii, quod resideat in Monarcha convocante, sed ab universalitate convocatorum non Clericorum duntaxat, sed & Laicorum, universalia dici Concilia voluit. In indice opusculi, quod contra Emin. Cardinalis Bellarmini librum de Conciliis edidit, hæc lego: *Concilium Universale sic dicitur, quod omnes Christianos, tam Clericos, quam Laicos complectatur.* L. 1. C. 1. sic habet: *Concilium, vel Synodus Universalis significat congregationem, vel Conventum omnium fidelium.* L. 2. C. 2. pag. 46. *Non est*

[e] *Operum German. Tom. VII. pag. 224. L. de Concil. & Eccles.*

eſt univerſale, *quod unam tantum ſpeciem, nempe Clericos, complectitur*, & *alteram ſpeciem, nempe Laicos excludit.* Hæc Lubbertus.

Sed nec ipſi Luthero diu placuit ſua definitio: cum enim *l. cit.* dixiſſet, Synodos Oecumenicas ex omnium Regionum Epiſcopis fuiſſe conflatas; paulo poſt *eod. lib* diverſum penitus ſchema, non alibi, quam ſuo natum in cerebro, ſuisque in Pontificem odiis accommodum depingit. Ait, ſi unquam alias, tum ſuo illo tempore, quo iſta ſcripſerat, Synodum, quam maxime expetendam, lamentaturque dein, quod eandem impetrare eousque non potuerit. Sed quam Synodum, aut qualem? Talem, ſcilicet, ad quam non omnes Epiſcopi, Abbates, Monachi, Doctores, ac reliqua, ut loquitur, furfuris inutilis fæx conveniat; Horum in locum exquirendos toto orbe viros profunde doctos, atque in Scriptura cumprimis verſatos, eosque inter etiam Laicos, (nam horum quoque intereſſe) Joanni Schwarzenbergio ſimiles, ſuæ nimirum factionis homines, trecentos ut ſummum, pari enim ferme numero Patres Nicænam primam ad Synodum confluxiſſe. In ea Synodo Pontificis hæreſim, imo abominationem per capita ſingula palam eſſe recenſendam: in ea Synodo debere Pontificem non ſolum omni tyrannide, poteſtateque præcepta condendi ſeſe abdicare; ſed Luthero inſuper, ejusque aſſeclis aſſentiri, & una cum ipſis profiteri, quod bona opera, etiam illa, quæ ex Dei mandato fiunt, ad juſtitiam, ad abolenda peccata, ad gratiam Dei impetrandam, nihil conferant, ſed ſola fides in Chriſtum, &c.: In ea denique Synodo debere Pontificem omnes ſuas Bullas, Decreta, Libros de Indulgentiis, de Purgatorio, de vita Clauſtrali, de cultu Sanctorum, de Peregrinationibus, cæterisque omnibus, ut ait, innumeris mendaciis & idololatriis, reprobare, damnare, comburere. . . præcipue autem ementitam omnem ſui Primatus prærogativam a ſe abalienare. Iſtam enimvero graviſſimam omnino, ac dignam præcellenti, rigido, prævalidoque Concilio cauſam dicit. Ad hæc evincenda conniti debere Imperatorem, Regesque: ac Pontificem, ſi ſponte ſua cedere non vellet, vi cogendum. Tale Concilium, non aliud, exoptandum eſſe. Quodſi Monarchæ cæteri ad hujus normæ Synodum Oecumenicam celebrandam conſpirare non vellent, poſſe tamen Nationalem inſtitui in Germania a Carolo Cæſare, Principibusque Germanis: Ubi vero iſtam quoque ſperare non poſſet; illud ſibi futurum eſſe ſolatio, ſi parvulos pueros Epiſcopali ſub larva incedentes videat, cogiteque, Deum ex ludicris hiſce Epiſcopunculis veros aliquando Epiſcopos eſſe ſuſcitaturum, &c. (f) En nobilem, dignam Authore ſuo, veræ, Chriſtianæ, & NB. liberæ, qualem DD. Proteſtantes tantis olim clamoribus poſtulaverunt, Synodi ideam.

Præterire hic ego non poſſum, quin aliam adhuc afferam Concilii ſpeciem, anno 1533. a Sereniſſimo Duce Saxoniæ, Joanne Friderico, cæterorum Principum Proteſtantium nomine, Pontificio, Cæſareoque Legatis propoſitam. Fervebat tunc maxime, urgebaturque a Cæſare apud Pontificem Concilii convocandi negotium. Miſſus ea de cauſa in Germaniam Rangonius a Clemente VII. Papa Legatus: additus huic fuit a Cæſare Orator Lambertus Briardus, Conſilii Belgici Præſes. Hi primo apud Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, tanquam Proteſtantium Principem, officio fungentes, quæ in mandatis acceperant, expoſuere. Octo Capita erant, quæ Synodi convocandæ conditiones complectebantur, æquiſſimas omnes, & pro tollendo tandem ſchismate, paceque reſtauranda, neceſſarias.

I. *Ut Concilium ſit liberum, celebreturque more ab Eccleſia uſurpato uſque ab initio Univerſalium Conciliorum.*

II. *Ut ii, qui ſunt interfuturi Concilio, ſe illi obtemperaturos polliceantur.*

III. *Ut ii, qui legitima cauſa, ne adſint, excuſantur, legitimos Procuratores mittant.*

IV. *Ut interea in controverſiis fidei nihil innovetur in Germania.*

V. *Ut locus decernatur: ſecus enim omnia fruſtra parari. Proponi a Pontifice Mantuam, Bononiam, ac Placentiam: quarum ſingulæ tutæ ſunt, capaces, fertilesque ac Cælo ſalubri: atque Germaniæ propinquiores, quam cæteris transmontanis Nationibus, Synodo interfuturis.*

VI. *Ut ſi quis Chriſtianorum Principum operi tam Religioſo abſque juſta cauſa defuerit; non idcirco omittatur, ſed cum reliquis in ipſum conſpirantibus promoveatur.*

VII. *Ut, ſi quis Sacrum hujusmodi Cœtum impedire, ſeu poſtea ejus Decreta violare tentaverit, reliqui cunctis ſuis viribus Pontifici pro Concilio tuendo adſint:*

VIII. *Pontifex vero ſexto menſe, poſtquam de ceteris memoratis capitibus propitium reſponſum acceperit, Concilium indicat, poſt annum cogendum: quo ſpatio opus eſt, tum urbi deſtinatæ rebus opportunis inſtruendæ, tum quo ii præſto ſint, qui e tam longinquis regionibus advocantur.* (g)

Capita hæc ſimul omnia a Sereniſſimo Duce Saxoniæ cum ceteris Proteſtantibus Principibus, Schmalkaldæ propterea congre-

(f) *Luther. l. cit. pag.* 262.

(g) *Pallavic. Hiſt. Conc. Trid. L. III. c.* 13.

gregatis, communicata sunt. Reddita demum scripto responsa. Horum summa fuit: Non posse se primæ ac secundæ conditioni consentire : in iis enim ex una parte haberi, Concilium liberum futurum; ex altera vero Concilium deposci Pontificiæ auctoritati subjectum, cui ab omnibus esset obtemperandum. *Sed mira excusatio*, inquit Emin. Cardinalis Pallavicinus: *nam in articulis modo recitatis, ne nominatur quidem Romanus Pontifex : dicitur solum, Concilium celebrandum more ab Ecclesia usurpato a primis usque Universalibus Conciliis. Neque sermo ibi est de obligatione obtemperandi Pontifici, sed Concilio.* Verum ex hac ipsa excusatione intelligebatur satis, DD. Protestantes agnoscere, & vel nolentes confiteri, quod tamen modis omnibus impugnabant, & adhucdum impugnant, eam antiquissimam fuisse in Ecclesia Christi consuetudinem jam ab initio Oecumenicorum Conciliorum, ut illis Romanus Pontifex præsideret. Repudiato igitur Concilio vero, & ex antiquissimo Ecclesiæ more celebrando, aliam quandam Synodum sibi dare petivere : talem, scilicet, *in qua sacræ literæ prævalerent, & quæ Romanorum Pontificum, aut Scholasticorum auctoritati minime subderetur.* Novum Synodi genus, & cui simile in Ecclesia Dei nunquam visum fuit, nunquam auditum! Nam omnem appello antiquitatem, omnemque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ historiam, indeque vel unicum Synodi ejuscemodi exemplum mihi depromptum velim, in quo fidei Quæstiones ita ex solius Scripturæ Sacræ oraculis fuerint decisæ, ut nulla Romanorum Pontificum, nulla Episcoporum ceterorum, Doctorumque haberetur ratio; nulla auctoritas ipsorum sententiis & interpretationibus tribueretur. Quid hoc aliud erat, quam velle Concilium, & non velle? Mira enimvero res : Lutherus Scholarum Doctoribus, interpretibusque Divinarum literarum, quod supra vidimus, tantum putavit esse deferendum, ut eruditissimos omnes ex omni Regione voluerit ad Concilium evocari; Lutheri autem discipuli, ipso adhuc Magistro vivente, omnem illis auctoritatem derogatam volunt. Stat sua, stetitque semper inconcussa in Conciliis omnibus, quæ ad hanc usque diem in Ecclesia Christi celebrata fuerunt, Scripturæ Sacræ auctoritas : illamque pari reverentia & Pontifices, & Doctores Scholastici apud Catholicos venerari debent, & venerantur. Immo, ut Emin. Pallavicinus ait : *Si quidquam Pontifex contra sacras literas doceret, desineret esse Pontifex : & Scholastici, qui hoc ipsum auderent, Scholasticorum nomen amitterent. Utrique vero proferuntur in Conciliis, tanquam meri Scripturarum interpretes in obscuris locis : sed ille absque erroris periculo, hi ut erroribus obnoxii. Dixi: IN OBSCURIS LOCIS; siquidem in iis, quæ per se patent, variasque interpretationes minime patiuntur, non requiritur, neque convocatur Concilium ; ut ex iis omnibus constat, quæ ab Ecclesiæ primordio, vel per ipsos Apostolos celebrata sunt. At Lutherani per eam speciosam loquendi formam volebant, ut in effatis Divinæ Scripturæ, non adeo apertis, explicationes ex ipsorum libidine antehaberentur declarationibus Interpretis legitimi, atque a Deo constituti, tum Sacrorum Doctorum commentationibus, a peculiari* quidem *ipsorum lumine profectis, qui* tamen *communem Ecclesiæ sensum enuntiant.*(g)

Sed quo modo demum DD. Protestantes ex Scriptura Sacra hoc ipsum probare, & evincere potuissent, quod suæ istæ explanationes, vel omnino novæ, vel jam olim reprobatæ, anteferendæ essent contrariis Catholicorum Pontificum, Episcoporum, Doctorum interpretationibus, quas ab Apostolis traditas, a SS. Patribus conservatas, communi fidelium consensu stabilitas, S. Christi Ecclesia semper tenuit, & adhucdum tenet? Ex nullis istud Divini Verbi testimoniis ostendere potuerunt hactenus, nec unquam deinceps poterunt. Frustra igitur Scripturam Sacram, unicum in sua causa judicem in Concilio sibi dandum appellarunt, frustra ad illam etiamnum protestando provocant.

Sed lubeat adhuc alias quasdam Synodorum definitiones a Protestantium Theologis audire. Primus sit Joachimus Hildebrandus, Theol. & SS. Antiquitatum in Acad. Julia Professor. Hic Concilia quadrifariam dividit, atque Catholicorum fere ad morem ita describit : (h) *Ego existimo esse Concilium Oecumenicum, in quo Patriarchæ cum selectis suarum Regionum Episcopis conveniunt, alitsque viris doctis, qui in Provincialibus Synodis instructi, mentem suarum Ecclesiarum in Concilio exponunt.* Subdit: *Primis enim IV. Sæculis totus orbis Christianus divisus est in IV. Patriarchatus. Primus erat Romanus : secundus Alexandrinus : tertius Constantinopolitanus : quartus Antiochenus. His ex Decreto Synodi Nicænæ adjectus est Patriarcha Hierosolymitanus, in honorem urbis : ut ita sub quinque Verticibus, h.e. Patriarchis, olim Ecclesia fuerit constituta. Est igitur Concilium Oecumenicum, in quo sunt hi V. Vertices, vel ipsi, vel per Legatos, & præcipui Episcopi ex Regionibus, ut hi tamen essent instructi a suis Ecclesiis.* Et infra: (i) *Nationale definitur, in quo Metropolitani, & Episcopi unius Regni aut Nationis conveniunt, & in his talibus præsidem agit unus de V. Patriar-*

(g) *Pallav. L. cit.* (h) *Hildebrand. in Proœm. Hist. Concil. pag. 3.* (i) *pag. 5.*

triarchis, vel in Occidente unus de Primatibus. Provincialia sunt, in quibus conveniunt Episcopi unius Provinciæ: & in his præses est Metropolitanus. Diœcesana sunt, in quibus Presbyteri unius tantum Diœceseos conveniunt, & in his præsidem agit Episcopus. Quo modo, quave ratione cum hac sua definitione componenda sit, aut ad quam Conciliorum classem referenda Synodus Dordracena, quam a Protestantibus anno 1618. celebratam laudat, (i) ipse Hildebrandus viderit.

Alter sit Cl. Walchius, qui in prævio suo adparatu ad Histor. Concil. hanc definitionem exhibet: *Per Congregationes Ecclesiasticas, quas Latini Concilia, Græci Synodos appellant, intelligimus solennes Conventus idoneorum membrorum ex diversis Christianis communitatibus, quorum finis est, de rebus, ad utilitatem Ecclesiæ pertinentibus, communi deliberatione ferre sententiam.* (k)

In animadversione I. quam subjicit, aliam affert definitionem Buddei, qui dicit, *Concilium esse cœtum personarum capacium ad judicandum de rebus, quæ Christianam attinent ad fidem: ut per controversiarum exortarum compositionem, per emendationem vitæ, per Ecclesiasticæ disciplinæ observationem commune Ecclesiæ bonum promoveatur.* Differre se dicit Walchius a Buddeo, ceterisque modernis Scholarum Protestantium Doctoribus, quod hi simpliciter homines, ad ferendum de rebus fidei judicium capaces; ipse vero non *capaces* tantum, sed insuper *ex diversis Christianis communitatibus congregatos* velit, ut legitimum, verumque ex illis conflari Concilium possit. Quam illimitata sit, & indefinita utraque definitio, nemo non videt. Sed nolo perstringere ea, quæ displicent, cum Polemicum non agam. Modo id mihi satis est, quod ostenderim, quam diversæ sint in Conciliis describendis Protestantium opiniones, quantumque a se ipsis dissideant.

§. III.

Cui competat jus Concilia convocandi.

CUm DD. Protestantes de particularibus Synodis Catholicorum idem fere nobiscum sentiant; de Generalibus duntaxat & Oecumenicis agemus. Tria præcipue, ut paulo ante adnotavimus, ex Catholicorum sententia ad legitimi Concilii Oecumenici substantiam pertinent. Primum, ut ad illud Episcopi ex orbe universo convocentur a Romano Pontifice, aut ex hujus saltem voluntate & consensu. Alterum, ut eodem vel per semetipsum, vel per Legatos præsidente celebretur. Tertium, ut, quæ Episcoporum suffragiis in Synodalibus consultationibus Decreta sunt, ejusdem Summi Pontificis auctoritate & approbatione stabiliantur. Nullum tribus hisce e Capitibus DD. Protestantibus placet. Cum ex una parte Romanum Pontificem tanquam Christi Domini in terris Vicarium, Sancti Petri Successorem, & supremum Ecclesiæ Caput, agnoscere non velint; ad illum toto isto jure, Concilia convocandi, eisdem præsidendi, eadem sua confirmatione roborandi exuendum conspirant: cum insuper ex altera parte veros nec Episcopos habeant, nec Sacerdotes; quascunque personas alias, dummodo capaci ad consultandum de fidei rebus judicio valeant, Episcoporum in locum, etiam cum pleno suffragii ferendi jure substituunt: sicque Patrum illas Congregationes, quas Ecclesia Sanctissimas semper habuit, in Conventus mere profanos suo ex arbitratu transmutant. Ut proinde mirum non sit, quod omnem etiam Synodis omnibus auctoritatem, & infallibilitatis prærogativam abnegantes, easdem æque ac alia quævis politica comitia erroribus faciant obnoxia. Sed singula singulatim inspiciamus.

Catholicorum hæc fere omnium semper fuit sententia, quod sicuti politica indicere Comitia juris est sæcularis, & ad Principes sæculares pertinet; ita Comitia Ecclesiastica, sive Synodos convocare potestatis sit Ecclesiasticæ, nec ad alios pertineat, quam ad Ecclesiarum Antistites. Diœcesanas proinde Synodos congregandas dicimus a Diœcesis Episcopo: Provinciales a Metropolitano, Nationales a Primate vel Patriarcha: Synodos demum Universales, seu Oecumenicas cogendas esse a Romano Pontifice, qui Christi in terris Vicarius est, Episcopus Episcoporum, fidelium omnium, totiusque Ecclesiæ per orbem diffusæ supremum Caput & Rector.

Adversatur his DD. Protestantium, non concors tamen opinio. Ac de suis quidem Conventibus, verbique Ministrorum Synodis, quam præclaram ipsimet existimationem habeant, luculenter ex Witakero Calvinista Anglo ostendit Hugo Grotius, celebre Protestantes inter Theologos nomen, qui ex Witakero hæc refert: (l) *In Episcoporum ipsa congregatione* [Anglicorum videlicet, & Batavicorum Superintendentium] *non magis sacrum aliquid esse, quam in congregatione aliorum hominum. Ut autem Principis est, edictis suis Duces convocare, & milites suos, ut de bello deliberent: & jurisperitos suos, ut de jure inquirant; sic ejusdem etiam est, Episcopos suos congregare,* ut

(i) *Hildebr. pag.* 339.

(k) *Walch. Idea Hist. Concil. in appar. præv.* §. 2.

(l) *In piet. Ordin. pag.* 44.

ut de religione consultent. Episcopi cum literas & mandata a Principe hac de re acceperunt, debent hac auctoritate coacti convenire. Hoc ergo æque politicum est, atque alios hominum ordines cogere. Quod tam viles Synodos suas censeant, nihilque in eis agnoscant, quod profanum non sit, facile permittent Catholici, nunquam tamen permissuri, ut eadem labes aspergatur Sacrosanctis Conciliis, quæ in Ecclesia Catholica vel celebrata sunt hactenus, vel porro deinceps celebrabuntur.

Quin ipsimet DD. Protestantes non obscure fatentur, quod plus aliquid nostris Synodis deferendum putent. Nationales certe, Provinciales, imo & Diœcesanas, ex edicto aut convocatione Principis sæcularis politicas esse dicendas non putant. Nam Calvinus, (m) *Quantum ad Synodos convocandas*, ait, *hoc erat Metropolitæ cujusque officium, ut Provincialem Synodum statis temporibus cogeret.* Eandem in sententiam scribunt Centuriatores. [n] *Habebant singuli Metropolitani potestatem, convocandi Synodos ex Episcopis suæ Provinciæ.* Parem auctoritatem Particulares Synodos congregandi, Episcopis tribuunt Hildebrandus, Walchius, &c. Ast ubi de Oecumenicis Conciliis sermo est; nescio, quibus præoccupationibus incitati, horum indicendorum omne jus a potestate Ecclesiastica ad sæcularem transferunt: summoque Pontifici, ad quem illud præcipue pertinet, abjudicatum, Imperatori, invito licet ac reluctanti transcribunt. Istud autem, quo doctrinæ nexu faciant, non video. Nam si Episcopi sit, Clerum Diœcesanum: si Archi-Episcopi aut Metropolitani, suæ Provinciæ Episcopos: Si demum Primatis vel Patriarchæ sit, totius nationis vel Regni Archi-Episcopos una cum Episcopis ad se pro Synodo celebranda evocare; annon inde legitima consecutione deducitur, quod Patriarchas ipsos, Archi-Episcopos, cæterosque Ecclesiarum Antistites omnes in Oecumenicum & universale Concilium congregare, pertineat ad Pontificem Maximum, ad Patriarcham Oecumenicum, ad Archi-Episcopum universalem, ad Pastorem Pastorum, totiusque Ecclesiæ caput? Et vero, cuinam alteri tribuendum sit illud jus, totius Ecclesiæ gregem convocandi, quam illi, cui totius gregis pascendi, docendi, regendique commissa est cura? Hæc autem nonne Petro, & in Petro ejusdem Successoribus demandata fuit a Christo, cum diceret: *Pasce oves meas?* Quomodo autem pascere poterit, si nullo jure valeat pascendas, docendasq; convocare? Ostendant Protestantes, an, ubi, cui omnium Principum sæcularium, Regum, Imperatorum idem a Christo Salvatore dictum fuerit. Omitto ne prolixior sim, alia Scripturæ testimonia.

Miror, Sibrandum Lubbertum Concilia Generalia convocandi jus Romano Pontifici abrogare tam fidenter ex eo, quod, ut ait, [o] *Nullus in tota Sacra Scriptura sit locus, ex quo id doceri possit*: Addit: *Unde apparet, hanc opinionem ex S. Scriptura haustam non esse. Quod vero extra Sacram Scripturam asseritur, id non recipimus; etiamsi mille Papæ illud assererent.* Atque ipse tamen, dum capite sequente asserit, jus hoc ad Imperatorem pertinere; Nullum ex tota Sacra Scriptura potest, vel audet afferre verbulum, quo assertum hoc suum probet: & hanc nihilominus sententiam recipit, licet manifeste appareat, *illam ex Scriptura haustam non esse.* Adeo parum is sibi constans est, suique memor.

Idem Sibrandus (quod & alii Protestantium Scriptores faciunt) multam vim certis in factis ponit. Ex historiis Ecclesiæ Orientalis ingentem coacervat narrationum, rerumque gestarum farraginem, ut inde ostendat, quæ Constantinus Magnus, quæ Theodosius, aliique Imperatores pro Conciliis Generalibus cogendis fecerint. Verum hæc Catholicorum nemo negat. Non de facto, sed de jure quæritur. Scimus, priscos Imperatores, pro sua in Ecclesiam pietate, pacisque in illa restaurandæ studio, multam in cogendis Synodis impendisse industriam, opem etiam suam, sumptumque non modicum contulisse. Scimus, ab ipsis, missis per Provincias literis, Episcopos fuisse evocatos. Scimus ab iisdem aptum Concilio habendo locum, tempusque, quo convenire debeant, designatum: ac proinde tum ob hæc, tum ob alia complura Synodorum convocatarum, imo & promotarum laudem illis non exiguam esse tribuendam. Verum, hæc ipsa, quæ commemoravimus, an ita gesta sunt, ut nulla Pontificum Romanorum interveniret auctoritas, nulla approbatio, nullus consensus? Immo Sancta ista studia, concordiæ, unitatisque in Ecclesiam per Synodos Oecumenicas reducendæ annon ex Pontificum voluntate, rogatu etiam, & obsecratione suscepta sunt ab Imperatoribus, quorum ope & auxiliis Romani Pontifices, ad exequenda ea, quæ ex auctoritate commissæ sibi a Christo supremæ jurisdictionis Ecclesiasticæ decreverant, maxime indigebant. Non tam amplum illis, ac tam opulentum fuit ærarium, quod necessario sumptui tantas ad res perficiendas, ad cogendos tot hominum remotissimis e terris accersendorum conventus, ad Præsules, & eorundem comitatum, tanto tempore alendos sustentandosque sufficeret. Non poterant locum, Impe-

(m) *Calvin. L. IV. Instit. C. VII. §. 8.*
(o) *Sibrand. de Concil. L. III. C. III.*
(n) *Cent. IV. C. VII. pag. 300.*

Imperatorum potestati subjectum, Synodo celebrandæ designare, & sine bona eorundem venia, per Episcopos, eorumque comites occupare. Non poterant iisdem, per Regiones ab Ethnicis & Barbaris gentibus habitatas profecturis, tutum præstare commeatum & securitatem itineris, non vecturas & jumenta providere. Non poterant Antistites jam infectos hæresi, contumacesque & refractarios, ut se Concilio sisterent, vi compellere, & ne in seditionem ac tumultus prorumperent, Synodumque disturbarent, in officio continere. Necessarium proinde Romanis Pontificibus fuit, ad implorandam ab Imperatoribus opem confugere, ut hi tum Regiæ Majestatis potentia rebellium audaciam frangerent, tum etiam suæ munificentia liberalitatis, alia, quæ dixi, obstacula removerent. Atque unum hoc, nihil amplius, ex omnibus, quæ tam operose Protestantibus a Scriptoribus congesta sunt, extundi potest. Cæterum, quod neque a Romanis Pontificibus neglecta, neque ab ipsis Imperatoribus non agnita & honorata fuerit Vicariorum Christi in Conciliis convocandis prima Jurisdictio Spiritualis; antiquissima monumenta tum Pontificum, tum Conciliorum Oecumenicorum, tum Imperatorum evincunt: quæ afferre cum pro nostro instituto nimis prolixum foret; Lectorem ad quatuor purpuratos, de Turrecremata (p), Bellarminum (q), Pallavicinum (r), & Gotti (s) remittimus. Inveniet apud hos, quid Pontifices, quid Concilia, quid Imperatores ipsi, de Synodorum indicendarum jure, deque suprema Successorum Petri potestate Ecclesiastica senserint.

Unum duntaxat, alterumq; Regum & Imperatorum adnectam testimonium. Ineunte Sæculo VI., ipso nimirum A. Dl. Theodoricus Italiæ Rex Synodum Romæ convocaverat adversus Symmachum Papam, quem Schismatici multorum criminum reum dixerant. Ipso mox Synodi initio, Episcopi, ut Romani Pontificis in Conciliis cogendis tuerentur jura, coram Theodorico testati sunt palam, ut in Synodi actis legitur, non Regem, sed *ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare: scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus; deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio in propositione simili, forma aliqua testaretur.* Contra hæc ab Episcopis objecta nihil excepit Theodoricus; *Sed*, ut eadem Acta loquuntur, *Potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse, significavit.* Cumque Episcopi Theodorici dictis non acquiescerent, Literas ipsas toti Concilio exhibere necessum fuit. *Unde a Mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat; hasque dari Sacerdotibus sine tarditate constituit.* Deinde *Serenissimus Rex (Deo aspirante) respondit: In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere: committens etiam potestati Pontificum, ut, sive propositum vellent audire negotium, sive nollent; quod magis putarent utile, deliberarent: dummodo Venerandi provisione Concilii, pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur.* (t) Hæc Theodoricus Ostrogothus in Synodo Romana: ex quibus patet, quam pervulgata isto Sæculo non apud Episcopos tantum, sed apud Principes etiam Sæculares ea fuerit opinio, auctoritatem Synodi congregandæ, regendæque, non ad alium, quam ad Romanum Pontificem pertinere.

Juvat his addere Regum Francorum, Imperatorumque de eadem auctoritate sententiam. Hi L. 6. suorum Capitularium cap. 381. omnibus Sacerdotibus notum faciunt, quod *Auctoritas Ecclesiastica atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrare.* Et in additione 4. C. 24. ita statuunt: *Nullus Episcopus, nisi canonice vocatus, & in legitima Synodo, suo tempore, Apostolica auctoritate convocata, cui jussione Domini, & meritis Beati Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Canonum, ac Venerandorum Patrum Decretis multipliciter privata tradita est potestas, super quibuslibet criminibus pulsetur, id est, judicetur, audiatur, vel impetatur. Sin aliter præsumptum a quibuslibet fuerit, in vanum deducatur, quod egerint: nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habebit vires, quidquid ei obviaverit; quoniam eadem Sedes, testante Veritatis voce, primum Primatum obtinuit. Nec prima diceretur, si aliam super se haberet; quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, a qua omnes sumpsere Originem. Primatum enim, non Synodalibus, aut aliquibus commentis meruit institutis; sed Domino largiente, qui ait: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam . . . quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit præceptionibus; non exeat impunitus. sed gradus sui periculo subjacebit.* [u]

 His

(p) *L. 3. Summ. Eccles. C. 6.*
(q) *L. 1. de Concil. C. XII. & XIII.*
(r) *Hist. Conc. Trid. L. 6. C. IV.*
(s) *Colloq. II. Class. de Rom. Pontif. coll. III.*
(t) *Harduin. Tom. II. Concil. col. 967.*
(u) *Capitularia Reg. Francorum. L. cit.*

His expensis judicet Lector, jurene, an injuria Sibrandus Lubbertus Romanum Pontificem occupati alieni juris, ejusdemque restituendi reum postulet, cum scribit: *Restituat igitur Papa Imperatori Universalia Concilia convocandi potestatem, & fateatur, se contra primitivæ Ecclesiæ consuetudinem fecisse, quod hanc auctoritatem sibi vendicaverit?* (x)

Illud equidem verum esse fatemur, quod Constantius, Imperator Arianus, plus auctoritatis in Conciliis cogendis, moderandisque & ipse sibi arrogaverit, & ab Arianis Episcopis tributum acceperit: sed, ut ab ipsis Protestantibus appellantur, Hæretici erant, quorum commune id esse studium solet; ut, ubi possunt, Supremi Pontificis jurisdictioni detrahant, & prærogativas illi soli debitas, Principibus sæcularibus largiantur. Audiamus S. Athanasium, testem coævum, & qui istis in Synodis maxime exagitabatur, de his Arianorum Episcoporum Conciliabulis loquentem: *Obtendit* (Constantius) *in speciem Episcoporum judicium; sed interim facit, quod illi volupe est. Verum ne ita quidem latere potest; quum in proximo sit, quod ejus vafritiem patefaciat. Nam si istud est judicium Episcoporum; quid cum eo commune habet Imperator? Sin contra ista minis Cæsaris conflantur; quid opus est hominibus, titulo Episcopis? Quando a condito ævo auditum est, quando judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? . . . Plurimæ antehac Synodi fuere: multa judicia habita sunt; sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt: nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris domo, & per eos salutabat in literis Philippenses; non tamen eos in judicio socios assumpsit. Nunc autem novum quoddam spectaculum ab Ariana hæresi editur: Convenerunt enim in unum hæretici & Constantius Imperator; ut ille quidem sub prætextu Episcoporum sua potestate adversus eos, quos velit, utatur: & tamen in persecutione movenda persecutor non appelletur; illi vero succincti Principis potestate faciant insidias, quibus volunt.* &c. Præterire hic ego non debeo, quæ idem S. Athanasius in eadem Epistola narrat, a Liberio Papa dicta fuisse Eusebio Eunucho, quem Constantius Romam miserat ad Liberium Arianorum in partes pertrahendum: qui inter cætera hæc Eunucho reposuit: *Quod si omnino Imperator curam suam pro Ecclesiastica pace interponere quærit, ... fiat Ecclesiastica Synodus longe a Palatio, ubi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec Judex minatur, & ubi solus timor DEI sufficit & Apostolorum institutio: ut eo in loco ante omnia Ecclesiastica fides asseratur, quemadmodum a Patribus definitum est in Niceno Concilio: iique, qui Arianicæ sententiæ sunt, ejiciantur, & eorum hæresis anathemate damnetur: . . . Non enim fieri potest, ut locum in Synodo habeant, qui fide impii sunt.* Subjungit demum: *Hæc a Patribus didicimus: hæc renuntia Imperatori, siquidem ea ipsa & illi utilia sunt, & Ecclesiam ædificant.*

Hæc Athanasii, qui Concilio Nicæno ipse interfuit, hæc Liberii Athanasio coævi sententia fuit: unde liquet, quas Principibus sæcularibus partes in Conciliis celebrandis olim Ecclesia censuerit esse tribuendas. Atque eadem adhuc hodie mens est Catholicorum. Nec verentur illi magnopere, ne in eos detorqueatur, non verecundum satis Lutheri convitium, quo Catholicos universim omnes, propter Pontificiæ dignitatis defendendæ studium, assentatores Papæ & parasitos compellavit. Non enim probro id nobis ducimus, si in Christi Vicario Christum ipsum revereamur: si Principibus sæcularibus contra jus omne & fas non obtrudamus, quæ ipsi non ambiunt: si demum fideliter utrimque reddamus & quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

§. IV.

Ad quem pertineat Conciliis præsidere?

Quæstio hæc cum præcedenti connexa est, iisdemque e principiis decidenda: ad eundem enim pertinet, judicibus præsidere, ad quem pertinet, illos convocare. Jus hoc utrumque in Conciliis convocandis, regendisque Laicæ Imperatorum potestati tribuunt Protestantes: cum hoc tamen discrimine, quod licet Oecumenicorum istud Regimen Cæsarum auctoritati adscribant; Catholicas tamen Synodos Nationales, Provinciales, Diœcesanasque, uti convocandas, sic gubernandas etiam Primatibus, Metropolitanis, & Episcopis Catholicis relinquant, suas vero omnes profanas faciant, Laicisque, quibus subsunt, Magistratibus subjiciant.

Non una tamen semper fuit omnium isthac in re, circa suas etiam Synodos sententia. Nota sunt, quæ olim Gomaristas inter & Arminianos circa Nationalem Synodum Hollandicam, Dordraci celebrandam, exarserunt dissidia. Gomaristæ, cum Calvino sentientes, licet quoad tumul-

tus

(x) *Sibrand. Lubbert. de Concil. L. I. C. IV.*

tus compescendos, Statutorumque Synodalium executionem procurandam, urgendamque, Synodi præsidium Statibus Hollandicis permittendum ducerent; minime tamen fidei, doctrinæque causas tractandi, definiendique potestatem iisdem esse concedendam arbitrabantur. Arminiani econtra, quamvis & ipsi se Calvini profiterentur discipulos, utrumque illud jus, & Synodum auctoritate politica tuendi, & simul quæstiones fidei decernendi, plena manu Ordinum Statibus obtulerunt, malo tamen suo; Nam qui ab Ordinibus fuerant deputati, oblata hac sibi facultate non segniter usi, Arminianos ipsos, una cum suis dogmatibus damnarunt, proscripserunt. Sed de his satis.

Catholicos audiamus. Horum, si paucos, quibus, quod est heterocliton, sapit, excipias, hæc una vox est, & concors sententia, quod sicut Diœcesana Concilia Episcopus, Provincialia Archi-Episcopus, Nationalia Primas, aut Patriarcha præsidendo moderatur; ita Conciliis Oecumenicis, ex tota Ecclesia congregatis præesse, eademque suprema potestate regere, gubernare, Romano competat Pontifici, tanquam Capiti Ecclesiarum omnium, & Patriarchæ universali. Hanc auctoritatis prærogativam in Antistite Romano Catholici semper agnoverunt, & adhucdum reverentur. Hæc a Christo Domino Principi Apostolorum Petro tradita, ab hoc in Hierosolymitano Concilio ipso facto declarata, a Petri Successoribus Romanæ Sedis Episcopis perpetuo usu in Oecumenicis præsertim Synodis usque ad hæc nostra tempora conservata fuit: adeo, ut, quod S. Damasus Papa ante annos plus mille ducentos asseruit, idem adhuc hodie dicere liceat: *Nulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate*, aut quæ fuerint Romani Pontificis præsidio destituta.

Præsidere porro in Conciliis idem est, quod supremi Judicis partes agere, omnes congregatorum actiones præfixum dirigere ad finem, regulas, modumque, quibus se cæteri conforment, præscribere, tractanda proponere, postulare & colligere suffragia, atque instar Mystici Capitis, totum Concilii corpus moderari [y]. Ea vero præsidendi ratione Synodos Oecumenicas omnes a Romanis Pontificibus, vel per semetipsos, vel per substitutos a se Legatos gubernatas semper fuisse, longa inductione ex ipsarummet Synodorum actis & historiis probari potest. Excipio Constantinopolitanum I., quod secundum inter Oecumenica obtinet locum. Huic nec ipse Papa, nec ejus Legati præsederunt. Sed Nationale id solum fuit, quia ex Orientalibus tantum Episcopis coactum: nec ante Oecumenici sortitum est nomen, quam a Damaso Papa probatum, confirmatumque, & ab Ecclesia Occidentali receptum fuit, sicque, licet in sua celebratione Oecumenicum non fuerit; Universalis tamen Concilii titulum ac prærogativas accepit: idque vel ex eo magis, quod Constantinopolitanum istud, unum quodammodo reputetur cum Concilio Romano, anno sequente sub Damaso, præsentibus Orientalium Legatis habito, in quo a Romano Pontifice, cæterisque, qui aderant ex Occidente Episcopis, hujus Constantinopolitanæ Synodi Symbolum communi assensu probatum & confirmatum fuit. Atque sub eo prospectu Conciliis Oecumenicis adnumeratur, retento etiam a Constantinopoli nomine, quia hac in urbe inchoatum, Romæ demum accedente totius Ecclesiæ acceptatione honoratum simul, penitusque consummatum fuit.

Constantinopolitano item II. Vigilius Papa nec ipse, nec ejus Legati præfuerunt. Versabatur is quidem eo tempore in Oriente, sæpe etiam, multumque, missis quoque honorificentissimis ad eum & ab Imperatore Justiniano, & ab ipsa Synodo, multorum Episcoporum, imo & Patriarcharum Legationibus, præsidere ut vellet, rogabatur; non voluit tamen, tum propter vim, quam Orientalium quorundam machinationibus passus jam fuerat; tum quod majorem timeret. Ipsam tamen Synodum sua auctoritate confirmavit.

Ad cætera quod attinet, ea Romani Pontificis non caruisse præsidio, ostenditur imprimis ex omnibus, quæ in Occidente celebrata sunt. Nec loquor de illis, quæ Romæ in Laterano, sed quæ in Gallia, quæ in Germania coacta fuerunt apud Potentissimos Imperatores & Reges, Episcopis ac Prælatis, magno numero, iisque amplissimis, religiosissimisque simul confluentibus. Quis credat, universos hos unquam fuisse consensuros, ut Romanæ Sedis Episcopus supremam ejuscemodi, Generalibus Conciliis præsidendi, auctoritatem supra omnium aliarum Ecclesiarum Pastores sibi arrogaret, usurparetque ipso facto; si non jam antea persuasum illis fuisset, penitusque manifestum, quod jus istud ab ipsomet Christo Domino fuerit Petro concessum, & ab hoc in omnes ejusdem Successores derivatum? Nullusne tot inter Præsules, peritissimos non minus, quam Sedium suarum dignitatis ac prærogativarum tuendarum studiosissimos, nullus, inquam, fuisset, qui in prima, alterave Synodo sub Romani Antistitis præsidio celebrata, reclamaret? Nullus, qui ipsum ambitus reum diceret, aut occupati alieni juris, præsumptæque in Ecclesiam Universam

(y) *Beyerlinck Tract. de Synod. Dordrac. C. VIII.*

ſam tyrannidis accuſaret? Non Imperatores ipſi, non Reges obſtitiſſent? non jus iſtud præſidii, ſi quidem hoc ad ipſos, quod Proteſtantes volunt, ulla ratione pertinuiſſet, detractum Pontifici, ſibi vendicaſſent?

Ubinam autem, accuſationis ejuſcemodi, aut exceptionis unquam oppoſitæ memoria, in Conciliorum iſtorum actis conſignata reperitur? Noverant nimirum Sapientiſſimi Principes, non eſſe ſe Succeſſores Petri, quem Chriſtus ſuum eſſe voluit in terris Vicarium. Noverant, non Tiberio Imperatori, ſed Petro, &, qui in Petri Sede ſecuturi eſſent, Epiſcopis, Chriſtiani gregis paſcendi commiſſam fuiſſe curam. Noverant, nulli Principum terrenorum, Regum, aut Cæſarum, ſed Petro dictum fuiſſe a Domino: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* A Petro proinde, ejusque in Romana Cathedra poſteris, veram Chriſti doctrinam, de qua in Conciliis præcipue agitur, expetendam eſſe: ad hos pertinere, paſcua ſana & ſalubria a noxiis diſtinguere, quæ vera ſint fidei dogmata, quæ ſpuria, declarare: Veritates ab erroribus, hæreſibusque diſcernere. Horum eſſe, tectos ovina pelle lupos detegere, & ne in probarum ovicularum perniciem ſæviant, a Chriſti grege arcere, latoque anathemate ex Eccleſia proſcribere, profligare. Noverant denique, Poteſtatibus ſæcularibus curam Reipublicæ ſæcularis, temporalem Provinciarum ipſis ſubjectarum ſalutem, felicitatemque promovendam, adminiſtrandam politicis in tribunalibus juſtitiam eſſe a Deo ſupremo omnium Domino demandatam; Regimen vero Spirituale fidelium, ſolicitudinemque eorum omnium, quæ ad Religionem, ad Fidem, ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, Chriſti Vicario, Eccleſiarum omnium Capiti, fuiſſe reſervatam.

Et annon eadem hæc, ut de Orientalibus quoque Conciliis loquamur, apertiſſime declararunt Auguſtiſſimi Imperatores; qui poſt diuturnas, quas Eccleſia ab Ethnicis Principibus perpeſſa eſt, perſecutiones, Chriſtianam primi complexi ſunt fidem, eandemque non minus auctoritate ſuæ Majeſtatis, quam armorum potentia defenderunt.

Interfuerunt illi quidem Conciliis, ſed ut eadem tueretur, tumultibusque ac turbis Auguſta ſua præſentia vel impeditis, vel compreſſis Congregatorum Patrum paci, ſecuritatique conſulerent; Munus autem ſupremi judicis in controverſis fidei, morum, diſciplinæque Eccleſiaſticæ quæſtionibus, quod ad Concilii Præſidem præcipue pertinet, non tantum non arrogarunt ſibi, ſed penitus refugerunt.

Interfuit Nicæno I. Conſtantinus, & quo animo interfuerit, luculentiſſimis ipſe tum factis, tum verbis declaravit. Quanquam enim Orientem, Occidentemque ſuo teneret Imperio; in Epiſcoporum tamen iſta Synodo, tanquam in altiore ſæcularibus tribunali, aurea quidem, humiliore tamen infra Epiſcopos conſidere voluit in ſella, immo non ante conſidere, quam Epiſcopi innuerent. (z) Tum Oratione habita profeſſus eſt palam: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit, de nobis quoque judicandi: & ideo nos a vobis recte judicamur: Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari.* [a] Demum ubi Synodo ſubſcribendum, poſt omnium Epiſcoporum nomina, ſuum ipſe conſignavit; cum tamen Legatorum S. Silveſtri Rom. Pontificis ſubſcriptio primo poſita loco reperiatur. En quantum magnus ille Imperator abfuerit ab eo, ut hac in Synodo ſupremi Judicis partes ſibi tribuendas putaverit.

Concilio Epheſino I. pro Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano Legatus interfuit Candidianus: ſed qua fuerit voluntate miſſus, aut quod ſubeundum illi in iſta Synodo munus fuerit demandatum, non aliunde certius poteſt intelligi, quam ex ipſa Epiſtola ab Auguſtis ad Synodum data. *Candidianum,* inquiunt, *præclariſſimum Sacrorum domeſticorum Comitem, ad Sacram veſtram Synodum ire juſſimus; ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; NEFAS EST ENIM, QUI SANCTISSIMORUM EPISCOPORUM CATALOGO ADSCRIPTUS NON EST, ILLUM ECCLESIASTICIS NEGOTIIS ET CONSULTATIONIBUS SE SE IMMISCERE: Verum, ut Monachos, & Sæculares, & cæteros denique omnes, qui hujus ſpectandi cauſa, vel eo nunc confluxerunt, vel in poſterum forte confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus ſubmoveat:* &c. (b) Verba tam manifeſta ſunt, ut interprete non indigeant.

Chalcedonenſi interfuit Martianus, quin & ſublimiore ſupra omnes Epiſcopos loco conſedit; Præſidem tamen, cauſarumque Eccleſiaſticarum Judicem non fuiſſe, tum S. Leo Magnus, qui ſuos per Legatos præfuit, tum ipſa Synodus, tum Pulcheria Auguſta docent, ut Pallavicinus oſtendit. " S. Leo Magnus Epiſt. 40. ad idem " Concilium de ſuis Legatis hæc habet: *In* " *his, qui a Sede Apoſtolica directi ſunt, me* " *Synodo Veſtra Fraternitas exiſtimet præſi-* " *dere.* Ipſi vero Legati, qui, ut apparet, " omnium primi ſemper & loquuntur & ſub-

(z) *Theodoret. L. I. Hiſt. C.* 7. & *Euſeb. L.* 3. *Vit. Conſtantini.*
(a) *Ruffin. L.* 10. *C.* 2.
(b) *Vide Harduin. Tom. I. Concilior. col.*

" ſubſcribunt, Actione tertia in hanc ſententiam verba faciunt: *Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Archi-Epiſcopus magnæ & ſenioris Romæ, Leo, per nos & per præſentem Sanctam Synodum, una cum ter Beatiſſimo & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & ille, qui eſt rectæ Fidei fundamentum, nudavit Dioſcorum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit Miniſterio.* Ita illius Concilii Acta pronuntiant, ſcripſiſſe ac dixiſſe absque ulla cujuspiam contradictione Pontificem ejusque Legatos. Poſtea Synodus ipſa, in Epiſtola, quam ad Leonem ſcripſit, his utitur verbis: *Tu quidem, ſicut membris caput, præeras in iis, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens; Imperatores vero, ad ornandum decentiſſime præſidebant.* Alia igitur præſidendi ratio habebatur Romano Pontifici, alia Imperatori: illa interior & tanquam Capitis membra moderantis; hæc exterior, & tanquam coronæ, frontem exornantis. Sed tandem rem totam reponamus in iis, quæ de hoc ſcribit Pulcheria Auguſta, cui omnis auctoritas, totumque regimen innitebatur. Habetur ipſius Epiſtola ad S. Leonem, quæ de mittendis Epiſcopis ita loquitur: *Et illic facto Concilio & de Catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ſe ſe ante hoc ſegregavere, ſicut Fides & Chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant.*" (c) Duplex hic proponitur, de quo ab Epiſcopis tractandum eſſet, negotium: Fidei nimirum confeſſio, & de Epiſcopis contumacibus judicium: utrumque autem non ex Marciani Imperatoris, qui cum Pulcheria Synodo intererat, ſed ex Romani Pontificis auctoritate a Concilio peragendum declaratur.

Rurſum Conſtantinopolitano III. interfuit, primamque oblatam ſibi in eo ſedem tenuit Conſtantinus IV. Sed judicem non egit, nullam tulit ſententiam, ultimus omnium ſubſcripſit, non definiens, ſed conſentiens. (*d*)

Conſtantinopolitano demum IV. interfuit Baſilius. Quam parum autem ad ſe pertinere putaverit, Eccleſiaſticis cauſis, fideique quæſtionibus dijudicandis immiſceri, prolixa, quam ſub Synodi finem ad Patres habuit Oratione manifeſtum fecit. In hac enim aperte profitetur, *Non datum* eſſe Laicis *ſecundum Canonem, dicendi quidquam penitus de Eccleſiaſticis cauſis: Opus enim hoc*, ait, *Pontificum, & Sacerdotum eſt.* (*e*) Copioſius infra eandem ſuam proſequitur ſententiam: *De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute converſamini, quid amplius dicam, non habeo; quam quia nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & Univerſali Synodo adverſari. Hoc enim inveſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui Regiminis officium ſortiti ſunt: qui ſanctificandi, qui ligandi & ſolvendi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas & Cæleſtes adepti ſunt claves; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel a ligamento ſolvi egemus. Quantæcunque enim religionis & ſapientiæ Laicus exiſtat, vel etiam ſi univerſa virtute interius polleat; donec laicus eſt, ovis vocari non deſinet: rurſusque quantacunque Epiſcopus ſit irreverentia, &* (f) *religioſitate plenus, & nudus omni virtute; donec Antiſtes eſt, & veritatis verbum recte prædicaverit, Paſtoris mentionis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio eſt, in ordine ovium conſtitutis, Paſtores verborum ſubtilitate diſcutiendi, & ea, quæ ſuper nos ſunt, quærendi, & ambiendi? Oportet nos, cum timore & fide ſincera hos adire, & a facie eorum vereri, cum ſint Miniſtri Domini Omnipotentis, & hujusmodi formam poſſideant: & nihil amplius, quam ea, quæ ſunt noſtri ordinis requirere.* Subjungit: *Nunc autem videmus, adeo multos malitia in inſaniam accendi, ut oblivifcentes proprii ordinis, &, quod pedes ſint, minime cogitantes, legem ponere velint oculis, non ut natura ſe habet, ſed ut ipſi cupiunt.* &c. Hæc Baſilius Imp. in Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana IV. cujus verbis nec addere quidquam volui, nec demere.

Unum adhuc ex hujus Sancti Concilii Actis adjicio: Cum abſolutis omnibus, eorum, qui intererant, ſignanda eſſent nomina, rogareturque Baſilius a Legatis Hadriani papæ, qui, ut ex actis omnibus, atque ex ipſa ſubſcriptione eſt evidens, Synodo præſederunt, ut primus ipſe cum Conſtantino & Leone, Fratribus, ſubſcriberet; repoſuit, voluiſſe quidem ſe poſt omnes ſubſcribere Epiſcopos, ut olim Conſtantinus Magnus, Theodoſius, & Marcianus fecerant; *Sed quoniam*, inquiebat, *poſtulat præferri nos Sanctitas Veſtra, ſubſcribam poſt ſubſcriptionem omnium Sanctiſſimorum Vicariorum*, intellige, *Patriarcharum.* Quod re ipſa fecit. Primi itaque

(*c*) *Pallavic. Hiſtor. Concil. Trident. L.6. c.4.*
(*d*) *Bellarm. L. I. de Concil. & Eccl. C. XIX.*
(*e*) *In Allocutione Baſilii Imp. ad Synod. Conſtantinop. IV. in Collect. Reg. Harduini Tom. V. col.920.* (*f*) *forte*: irreligioſitate

itaque sui subscriptione nominis Synodum hanc munivere, qui eidem præfuerunt, Hadriani Romani Pontificis Legati, Donatus Episcopus Ostiensis, Stephanus Episcopus Nepesinus, & Marinus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. Donati Ostiensis hæc forma fuit: *Ego Donatus, Gratia DEI Episcopus Sanctæ Ostiensis Ecclesiæ, Locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis, & Universalis Papæ, omnia, quæ superius leguntur, huic Sanctæ & universali Synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.* Iisdem verbis, eodemque verborum ordine usi sunt Stephanus Ep. Nepesinus, & Marinus Diaconus. Hos Papæ Legatos in subscribentium serie secutus est Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, in hæc verba: *Ignatius, Misericordia DEI Episcopus Constantinopoleos, novæ Romæ, Sanctam hanc & Universalem Synodum suscipiens; & omnibus, quæ ab ea judicata & scripta sunt, concordans, & definiens, subscripsi manu propria.* Parem subscribendi normam tenuere Legati & Vicarii Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani. Post horum denique sententiam, Basilius Imperator, suum, Fratrumque nomen subjunxit, verum *non definiens*, sed *Synodum suscipiens*, & *omnibus, quæ ab ipsa definita sunt, concordans*, En verba: *Basilius, Constantinus, & Leo, perpetui Augusti, in Christo fideles Principes Romanorum, & magni Imperatores, Sanctam hanc & Universalem Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita & scripta sunt, concordantes, subscripsi manu propria.* (g)

Videbor forsitan hæc deduxisse paulo prolixius; sed id eo consilio factum, ut inde dijudicare quisque possit, majorne sit adhibenda fides Scriptoribus quibusdam Protestantibus, qui jus hoc, Conciliis Oecumenicis præsidendi, cum plena auctoritate Sententiæ ferendæ, decidendæque, proprium Imperatoribus semper fuisse contendunt; an vero credendum sit potius Imperatoribus ipsis, qui suam ea de re mentem, dictis, scriptis, factisque tam manifestis declararunt, ut de eorundem vero ac genuino sensu dubitare non alius possit, quam is, qui plena in meridie voluerit cæcutire.

Constantius equidem Imperator jus istud arrogavit sibi, & usurpavit, ut Concilia non convocaret solum, sed & præsidendo regeret; nescio tamen, an ejus ista usurpatione DD. Protestantes gloriari magnopere aut possint, aut velint: constat enim, illum Arianæ hæresis fautorem fuisse manifestum, & Catholicorum, Antistitum præsertim, persecutorem acerrimum. Audiamus, quæ de assumpta hac ab ipso auctoritate scribit S. Athanasius: *Quis*, ait, *videns illum, iis, qui Episcopi putantur, præfici, in Ecclesiasticisque judiciis præsidere, non jure dicat, hanc esse illam a Daniele prædictam abominationem desolationis.* (h) Ex quibus infert Emin. Cardin. Gotti: *Erat ergo Athanasii ævo veris Catholicis abominationem desolationis videre, Imperatorem* [intueri] *quasi Episcoporum Caput, Concilio in Ecclesiasticis negotiis Præsidentem.* [i] Nunquam certe ista scripturus fuisset Athanasius, vir sanctissimus æque, ac doctissimus; si causas Ecclesiasticas summa potestate in Synodis moderandi jus ad Imperatores semper pertinuisset.

Miror proinde, Jacobum Arminium, (ut Maximil. Sandæus refert) in suis, quas de Conciliis publicæ disputationi exponendas vulgaverat, Thesibus scripsisse: " Jus convocandi Concilia: iisque præsidere, & post litigantium acta, & propositiones, de quibuscunque fidei articulis sententiam ferre decisivam & definitivam, cui omnibus fidelibus obtemperandum sit, semper obtinuisse & obtinere Imperatorem." Interfuit ipsi disputationi Petrus Cudsemius, qui cum ex eadem hac, quam impugnandam assumpserat, thesi inferret: (k) *Ergo tibi in hac principali controversia, an penes vos, an vero penes Pontificios sit DEI Ecclesia; Imperatoris nostri judicio standum est: sequus non modo rebellis es, & contumax; sed ex propria confessione, etiam infidelis;* Argumentum hoc risu excepit, & risu dissolvit Arminius: cui postea insusurravit Gomarus: *Tu protulisti quædam odiosa, quædam falsa.*

Magis miror Sibrandum Lubbertum. Hic in suo, quem contra Emin. Cardinalem Bellarminum scripserat libello *de Conciliis*, labore improbo, vanissimoque fatigavit sese, ingentemque congessit historicarum laciniarum farraginem, ut ostenderet, Imperatorum istud jus esse & munus, ut Conciliis & ipsi præsint, & de Sacris sententiam ferant. (*l*) Sed dubito vehementer, num quæ scripsit, vera esse, non dicam aliis, sed vel sibimet ipsi persuaserit. Nam cum famosa illa inter Gomaristas, seu Rigidos Calvinianos, & Arminianos, seu molles Calvinistas ferveret controversia, agereturque de Synodo propterea convocanda, in qua plenum jus, ut supra meminimus & præsidendi, & fidei quæstiones decidendi, Ordinibus

(*g*) *Harduin. ibid. col.* 923.
(*h*) *S. Athanas. in Epist. ad Solitar. vitam agentes. n.* 77.
(*i*) *Card. Gotti in Colloqq. Theologice Polem. 2dæ class. Colloq. III. de Pontif. auctorit. in Conc.*
(*k*) *Petrus Cudsemius in Tractatu de desperata Calvini causa c.* 8. *apud Maximil. Sandæum de Syn. Holland. L. II. c. VIII.*
(*l*) *Sibrand. Lubbert. de Concil. L. II. c.* 4. & 5.

bus Hollandiæ deferendum Arminiani contendebant; Lubbertus Gomariſtarum partes ſecutus, quanquam Synodum cogere, coactam politico præſidio tueri ad Principes pertinere putaret; auctoritatem tamen de fidei articulis ſtatuendi ipſorum a foro alienam ſcripſit. *Sint ſane*, inquit, *Ordines cuſtodes utriusque tabulæ; ſed quia cuſtodes ſunt, quod alienum eſt, ſibi arrogare non debent. Eſt autem alienum de Prophetiis judicare.* Rurſum alibi contra Hugonem Grotium, Arminianorum Patronum, ſcribens, ait, *Nunquam in Eccleſia eam poteſtatem in Magiſtratu ſeculari eſſe agnitam, neque ab Ordinibus eſſe uſurpandam*: (*m*) Eamque ſententiam ex Gomariſtarum ſenſu toto capite longa oratione pertractat: nimirum, judicium de controverſis fidei quæſtionibus non ad Magiſtratus, ullamve Poteſtatem politicam, ſed ad Miniſtros Eccleſiæ pertinere. Horum, utpote ſervorum DEI, & Paſtorum Dominici Gregis, ut Gomariſtæ loquuntur, eſſe, Eccleſiaſtica curare: conceſſa ipſis a Chriſto poteſtate, gladio Divini Verbi, falſæ doctrinæ, & Eccleſiarum diſſidiis obviam ire, atque univerſim de Eccleſiaſticis rebus omnibus ex norma Verbi DEI judicare.

Revocat igitur Lubbertus, quæ antea aſſeruerat, poteſtatemque de fidei dogmatis decidendi, quam tanto molimine Imperatoribus aſſerere conabatur, nunc illis penitus abjudicatam, Eccleſiæ Miniſtris tranſcribit. Cui jam obſecro Lubberto habenda fides? An Genevæ ſcribenti contra Bellarminum & Catholicos? An vero eidem in confiniis Germaniæ inferioris contra Hugonem Grotium & Calvinianos Gomariſtas decertanti? Quid mirum, ſi multis Proteſtantium Doctoribus circa unum idemque dogma inter ſe ſe non conveniat, cum etiam unus idemque a ſemetipſo diſſentiat, & ſubito album dicat, quod paulo ante ceu nigrum averſabatur? Sed hoc, ut ex omnium Sæculorum hiſtoria patet, illis commune eſt omnibus, quicunque ductu privati ſpiritus decepti, a Petri Sancta Sede, ab Eccleſia Romano-Catholica, defecerunt, in qua ſola, certa, conſtans, perpetua & inconcuſſa veritatis regula invenitur.

§. V.

De Conciliorum auctoritate, & infallibilitate.

QUam exiguam Conciliis quibuscunque auctoritatem, & ab erroris periculo ſecuritatem ineſſe putaverit Lutherus, jam ſupra vidimus. Nihilo plus ipſis tribuit Calvinus. Multa is quidem laude Epiſcoporum iſtas Congregationes, pro fide ſtabilienda inſtitutas, commendat, illarumque definitiones magno loco habendas aſſerit: *Nos certe*, inquit, *libenter concedimus, ſi quo de dogmate incidat diſceptatio, nullum eſſe, nec melius, nec certius remedium; quam ſi verorum Epiſcoporum Synodus conveniat, ubi controverſum dogma excutiatur. Multo enim plus ponderis habebit ejusmodi definitio, in quam communiter Eccleſiarum Paſtores, invocato Chriſti Spiritu conſenſerint; quam ſi quisque ſeorſum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines privatim eam conficerent.* (n) His ipſis tamen definitionibus, ſine prævio examine integram adhibendam eſſe fidem, non cenſet. Paulo enim ante dixerat: *Quoties Concilii alicujus Decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo conſilio, quales homines interfuerint: deinde illud ipſum, de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari; idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar præjudicii, neque tamen examen, quod dixi, impediat.* (*o*) Cujuslibet igitur examini Venerabilium iſtarum Synodorum acta ſubmittit, Patrumque ſententias tanta maturitate, deliberatione, ſtudioque latas, & fidelium omnium aſſenſu probatas, ipſe ſingulorum hominum, virorum, mulierum criſi dijudicandas, ventilandas pro libitu, explodendasque exponit.

Quid facilius, quam ut naſutus quisque, petulansque cavillator vel in tempore, quo habitum Concilium fuit, vel in occaſione ejusdem & cauſa, aliisque circumſtantiis, vel in perſonarum, quæ eidem interfuerant, genio, indole, doctrina, vita, moribusque inveniat aliquid, aut inveniſſe ſe putet, quod carpat, quod audaci cenſura perſtringat, ac damnet? Præſertim ubi viderit, quod Calvinus ipſe ſuo præceſſerit exemplo, atque ad Synodorum omnium Decreta, geſtaque libere cavillanda prætulerit facem? Nam, quanquam profiteatur, ſe priora quatuor Oecumenica Concilia venerari, eadem tamen graviſſima cenſura notat. *In ipſis*, inquit, *purioribus quoque & antiquioribus Conciliis eſt, quod jure deſideres: vel quod eruditi viri multa non proſpiciebant: vel quod gravioribus occupatos nonnulla ſubterfugiebant: vel quod ſimpliciter ut homines falli poterant: vel quod nimio adfectu plerumque præcipites ferebantur.* (*p*) Hæc nimirum eſt illa reverentia, quam Sanctiſſimis iſtis Conciliis Calvinus defert: quod eorundem Patres vel modi-

(*m*) *Lubbert. in Refutat. Pietat. Holland. pag.* 145. *apud Sandæum l. cit.*
(*n*) *Calvin. L. IV. Inſtitut. c.* 9. §. 13.
(*o*) *Calv. loc. cit.* §. 8.
(*p*) *Ibid. c.* 8. §. 9.

modicæ prudentiæ in prospiciendo, vel negligentiæ in animadvertendo, vel erroris in judicando, vel demum vitiosi cujusdam affectus, quo impulsi a vero, rectoque deviaverint, reos arguat. Atque hoc uno eodemque cuneo, quo *puriora* illa, ut ait, & *antiquiora* Concilia aggreditur, omnium plane Synodorum auctoritatem convellit: præ quibus tamen ad discutiendam dogmatis alicujus veritatem nullum esse nec melius, nec certius remedium, ipse agnoscit & fatetur. Hæc eadem illa via esse videtur, de qua ad Canonum omnium & Conciliorum robur infirmandum inventa Lutherus tantopere lætatur & gaudet. *Via nobis facta est*, inquit, *enervandi authoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum Decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque Concilio.* (q) Vias autem tam malas excogitare, easdemque sequendas aliis ostendere, quid hoc aliud est, quam omnem deprehendendi erroris, veritatisque inveniendæ modum vaferrimo consilio, ut nihil acrius dicam, adimere? Nam si ea ipsa, quæ omnium assensu optima sunt, certissimaque ad veram, germanam, & incorruptam Christi doctrinam investigandam adjumenta, si hæc, inquam, non debilia tantum & manca, sed omnino dicantur erronea; quid demum supererit, in quo salutis æternæ, quæ non nisi in vera fide, & in vera Christi Ecclesia obtineri potest, adipiscendæ spem collocemus?

Alia longe, multo sanctior est illa reverentia, qua veri veræ Christi Ecclesiæ filii Sanctas Synodos, Oecumenicas præsertim, olim susceperunt, & venerati sunt. S. Gregorius M. in sua ad Secundinum Servum Dei, inclusum, Epistola scribit, hanc suo tempore viguisse consuetudinem, ut tam Romanæ Ecclesiæ Pontifex, quam aliarum Patriarchalium Sedium Antistites, mox ab Ordinatione sua, datis ad Patriarchas cæteros literis profiterentur, se quatuor priora Concilia & cum reverentia complecti, & eorundem Canones perpetuo observaturos. " Unde idem Apostolicus (S. Gregorius " Papa) ut Bernaldus, antiquus Auctor, apud " Gretserum (r) scribit, in exordio Ordi- " nationis suæ, missa Synodica Patriarchis, " ita professus est de eisdem Conciliis:

Sicut, inquit, *Sancti Evangelii IV. Libros, sic IV. Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicænum scilicet, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, Chalcedonense: quia in his, velut in quadrato lapide Sanctæ fidei structura consurgit. Et cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur; tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: & Theodorus, personam Mediatoris DEI & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodorici,* (s) *per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu invidentiæ prolata refutantur. Cunctas vero personas, quas præfata Veneranda Concilia respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia, dum universali consensu sunt constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos ligant; aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit; anathema sit.* Hæc S. Gregorius.

Addit Bernaldus: "Nequaquam autem " illorum IV. Conciliorum excellentiam ita " prædicare debemus, ut reliquorum aucto- " ritati in hoc quoquo modo præscribamus: " illorum, inquam, quæ eodem modo & " universaliter instituta, & Apostolica au- " ctoritate confirmata non dubitamus. Nam " quia antiquitus Patriarchæ illa quatuor " tantummodo in suis Synodicis se venerari " protestati sunt; nullatenus hoc in con- " temptum reliquorum hujusmodi Conci- " liorum fecisse credendi sunt: sed ideo po- " tius, quia nondum alia habuerunt. Si " enim jam habuissent, procul dubio non " magis illa, quam ista IV. contemnerent, " utpote quæ non minus authentica & uni- " versalia, & Catholicæ professioni necessa- " ria prospicerent. Unde B. Gregorius " Papa quintum Concilium, post illa IV. con- " gregatum, in sua Synodica adjecit: quod " de Sexto facere non potuit; quia illud " nondum institutum, sed sub XVI. Succes- " sore suo postea instituendum (*t*) longe " præcessit." Hæc Bernaldus Presbyter Ecclesiæ Constantiensis, quem Gretserus eundem putat, qui a Trithemio Bernoldus appellatur. (*u*) Claruit Sæculo XI.

Parem reverentiam jam diu ante S. Gregorium I. Papam, Oecumenicis exhibendam Synodis suo judicio declaravit S. Ambrosius, Mediolanensium Antistes: qui de Nicæna loquens (hæc enim & Constantinopolitana I. ejus ævo tantum celebratæ fuerant) dignam hanc Ambrosiana fortitudine protulit sen-

(*q*) *Lutheri Propositio 29. a Leone X. damnata.*
(*r*) *Gretseri Operum Tom. VI. edit. Ratisbon. pag. 524.* (*s*) *Theodoreti.*
(*t*) *Obiit S. Greg. Magn. anno DCIV.: Concilium autem VI. cœptum fuit A. DCLXXX., finitum DCLXXXI. sub Agathone III. PP. qui S. Gregorii Successor fuit XVtus: sed a S. Leone II., Successore XVI. confirmatum.*
(*u*) *Gretser. Tomo VI. Ratibon. edit. pag. 23.*

ſententiam: *Sequor*, ait, *tractatum Nicæni Concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* (x) Alibi Concilii hujus traditam ſcripturæ interpretationem *Hæreditaria ſignacula* vocat, *nullius auſi temeritate violanda.* (y)

Nec minore Synodos has loco habuit S. Auguſtinus, Ambroſio coævus. Hic plenariorum Conciliorum auctoritatem dicit eſſe in Eccleſia ſaluberrimam. (z) Saluberrimam, inquam, quia ad omnem dubitationem tollendam, fidemque firmandam, & efficaciſſima eſt, & ſecuriſſima: Quamvis enim alio loco moneat, *tutum non eſſe, in ea progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt*; Mox tamen ſubjungit: *Id autem ſit cura ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini DEI noſtri Univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* (a) Iſta vero conſenſio totius Eccleſiæ nullibi certius invenitur, nullibi præſtatur ſolennius, quam in Concilio Generali & Oecumenico, ubi Eccleſiarum omnium particularium Paſtores, Præſulesque cum ſuo Capite in DEI nomine congregati, illa, de quibus controverſia inciderit, invocato Sancto Spiritu, diligenti, maturaque adhibita deliberatione, diſcutiunt, & ſecundum ea, quæ vel in Verbo DEI ſcripto revelata, vel a Patribus tradita ſunt, ſuam ferunt ſententiam, collatisque ſuffragiis, quid tanquam fidei dogma tenendum, quid ceu erroneum damnandum ſit, definiunt.

Horum itaque, quos dixi, aliorumque, quos afferre nimis prolixum foret, Sanctiſſimorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum veſtigiis nos Catholici adhuc hodie inhæremus, & una cum ipſis non prima ſolum quatuor, ſed cætera etiam, quæcunque ſecutis deinde temporibus, uſque ad hanc noſtram ætatem in Chriſti Eccleſia legitime celebrata fuere Concilia Oecumenica, legitimaque, id eſt, Romani Pontificis auctoritate confirmata, omni cum veneratione complectimur: eadem Sanctorum inſtar Evangeliorum reveremur: quæ in iis definita ſunt fidei dogmata, prompto intellectus obſequio credimus: qui in eisdem damnati ſunt errores, uno omnes aſſenſu damnamus, & reprobamus.

DEI nimirum verbo nixi, ejusdemque, qui nec falli poteſt, nec fallere, certiſſima promiſſione freti, Catholicam hanc profitemur ſententiam, quod Concilia, ea, qua dixi, ratione celebrata, in ſtatuenda, fidei non ſolum, ſed & morum doctrina, errare non poſſint, nec in errorem inducere: utraque enim, tam illa, quæ credenda docet, quam altera, quæ mores format, eſt ad ſalutarem ovium Chriſti paſtum neceſſaria. Aſſertionis hujus noſtræ fundamentum cum Bellarmino, aliisque ex ipſiusmet Chriſti Servatoris noſtri Oraculis petimus. Nam Imo. apud Matthæum ait: *Ubi ſunt duo vel tres congregati ſunt in nomine meo,* (b) *illic ſum in medio eorum.* Quod eo loco de Eccleſia, deque Congregatione Eccleſiaſtica loquatur, ipſe ſententiarum ſe invicem conſequentium nexus probat. Sermo enim erat de homine, qui privatam correctionem ab uno, & coram uno, vel coram duobus aut tribus teſtibus factam reſpuit. De hoc Chriſtus inquit: *Quod ſi non audierit; dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ne quis vero præſumat, Eccleſiam, aut Prælatorum Eccleſiæ Congregationem parvi facere; mox addit: *Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram; erunt ligata & in Cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram; erunt ſoluta & in Cœlo.* Rurſus, ut Apoſtolos, eorumq; Succeſſores ad fiduciam Divinæ opis, in ejusmodi Congregationibus & Eccleſiaſticis Conventibus, certo certius, ſi modo eam peterent, adfuturæ excitaret; ſubjungit: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Cœlis eſt.* Demum ut oſtenderet, quo loco habenda ſint Prælatorum congregatorum Decreta; ſemetipſum in medio eorum adſtiturum promiſit, ſuaque præſentia ipſorum actiones & judicia, ne a veritate deflectant, eſſe dirigenda. *Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo; ibi ſum in medio eorum.* "Quorum "Verborum, inquit Bellarminus, hæc ſen"tentia eſt: Si duo vel tres congregati in "nomine meo, obtinent ſemper, quod petunt "a Deo, nimirum ſapientiam & lumen, "quod ſufficit eis ad cognoſcenda ea, quæ "ipſis neceſſaria ſunt; quanto magis Epi"ſcopi omnes congregati in nomine meo, "ſemper obtinebunt, quod juſte petunt, id "eſt, Sapientiam & lumen, ad judicanda "ea, quæ ad totam Eccleſiam dirigendam "pertinent?" (c)

Hunc verum, genuinum, ac germanum eſſe ſenſum Verborum Chriſti, multiplici tum Conciliorum, tum Patrum teſtimonio oſtendi poteſt: Pari enim ratione interpretandi, parique argumentatione uſus eſt S. Cyrillus, qui de Patribus Nicææ congregatis lo-

(x) *S. Ambroſ. Epiſt.* 30. (y) *Epiſt.* 60.
(z) *S. Auguſtin. Epiſt.* 118. *c.* 1. *ad Januar.*
(a) *S. Auguſtin. contra Donatiſt. de Bapt. L.* 7. *c.* 53.
(b) *Matth.* 18. (c) *Bellarm. De Concilior. Auctorit. L. II. c.* 11.

loquens ait: *Quibus ſane Chriſtus adſedit, qui dixit: ubi fuerint duo vel tres congregati* &c. (*d*) Idem fere legitur in Concilii Chalcedonenſis Epiſt. ad Leonem. Idem in VI. Synodo Act. 17. Idem in Epiſt. Cœleſtini ad Concilium Epheſinum I., ubi ex laudatis Chriſti Domini verbis ſic arguit: *Quod ſi numero tam exiguo Spiritus Sanctus non deeſt; quanto magis par eſt credere, illum minime defuturum, ubi tanta Sanctorum multitudo convenerit?* Eandem in ſententiam, immo iisdem pene verbis ſcribit S. Gregorius: *Si ergo adeſſe dignabitur, ubi duo vel tres fuerint; quanto magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?* (*e*) Æſtimet proinde æquus Lector, an credendum ſit potius Calvino, qui, ut Bellarminus ait, non adeo magni facit hoc teſtimonium; an vero tot Conciliis, Patribusque, doctrina non minus, quam Sanctitate clariſſimis habenda ſit fides, qui iisdem hisce Chriſti verbis maximum ineſſe pondus unanimi conſenſu exiſtimant, deductaque inde a minori ad majus argumentatione, Conciliorum præſertim Oecumenicorum ab errore ſecuritatem dilucide evinci volunt?

Hæc ab errore ſecuritas Catholicarum Synodorum, multo certius ſtabilitur ex altera Chriſti promiſſione apud Joannem: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* [f] Quod non ſolis Apoſtolis, ſed horum etiam Succeſſoribus ea fuerit facta promiſſio, eruitur ex aliis Domini verbis, quæ apud eundem Evangeliſtam pollicendo præmiſerat. *Ego*, inquit, *rogabo Patrem*, & *alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* (g) Nimirum hunc Sanctum Spiritum veritatis a Patre dandum promiſit primum quidem Apoſtolis, ut cum ipſis maneret, quamdiu in vita ſuperſtites ejusdem ope indigerent: tum vero ſimul eundem a Patre dandum promiſit Apoſtolorum Succeſſoribus, quos idem Spiritus Sanctus poſiturus erat Epiſcopos, regere Eccleſiam DEI, ut cum his quoque perpetuis deinceps temporibus permaneret, eosdem dirigeret, veritatem doceret, quam hi in alios docendo transfunderent. Jam vero quandonam hæc Spiritus Sancti Doctrina vel olim Apoſtolis fuit, vel eorum ſucceſſoribus adhucdum eſt magis neceſſaria, quam in publica Synodo? quod tempus aptius, quis opportunior ad veritatem docendam locus, quam in Concilio Generali, ubi Epiſcopi omnes veritatis indagendæ cauſa congregantur?

Sancti Apoſtoli profecto in Hieroſolymitana ſua Synodo tantum fiduciæ in hac Chriſti Domini promiſſione poſuerunt, ut cum dicenda jam eſſet de propoſita quæſtione ſententia, fidenter ac ſine hæſitatione pronuntiarint: *Viſum eſt Spiritui Sancto* & *nobis*, &c. Quo declararunt, Concilii ſententiam non tam ab hominibus fuiſſe conceptam, quam a Spiritu Sancto dictatam, ac proinde ceu veriſſimam, atque ab omni erroris periculo exemptam ab univerſa Eccleſia recipiendum eſſe: prout illam reipſa etiam, non ab his tantum, qui Concilio intererant, ſed a cæteris etiam, quibus eadem ex Concilii Decreto nuntiata fuerat, cum inſigni reverentia gaudioque receptam fuiſſe, ipſa Apoſtolorum acta teſtantur. *Tunc placuit Apoſtolis* & *Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis*, & *mittere Antiochiam cum Paulo* & *Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas*, & *Silam, viros primos in Fratribus, ſcribentes per manus eorum.... Illi ergo dimiſſi, deſcenderunt Antiochiam*, & *congregata multitudine tradiderunt Epiſtolam. Quam cum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione. Judas autem* & *Silas*, & *ipſi cum eſſent Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt Fratres*, & *confirmaverunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a Fratribus, ad eos, qui miſerant eos.* (h) En primæ hujus ac celeberrimæ Synodi finem. Nulla ibi mentio examinis, quale a Calvino de Synodorum Decretis inſtituendum præſcribitur, neque ab aliis, neque ab Antiochenis ipſis ſuſcepti, apud quos tamen primum ea mota controverſia fuit, Synodoque data occaſio. Solum de gaudio legitur, de conſolatione, quam univerſi fideles ex eo perceperant, quod cauſa tam gravis, tanta contentione, imo *ſeditione* (i) antea agitata, per Synodi ſententiam, ab Apoſtolis, Spiritu Sancto, ex Chriſti promiſſione ipſos dirigente pronuntiatam, feliciſſime deciſa eſſet, penitusque finita.

Cum igitur hæc ipſa Synodus prototypon ſit ac norma, cui Synodi omnes aliæ debeant conformari: cum in hac DEUS evidens ac manifeſtum dare nobis voluerit argumentum illius opis ac directionis, qua Eccleſiæ ſuæ Epiſcopis in Concilio legitimo congregatis eſſet adſtiturus, eorundemque deliberationes ac ſententias moderaturus, ut nihil quod moribus eſſet inimicum, aut a veritate alienum docerent, aut docendum ſtatuerent: cum denique in hujus Apoſtolicæ Synodi promulgatione, cæteris fidelibus facta, exhibere nobis voluerit exemplum, qua animi reverentia, qua intellectus voluntatisque promptitudine Conciliorum dogmata, Canones, Decreta ſuſcipere deberemus; tum

(*d*) S. Cyrill. in expoſit. Symb. Nicæni.
(*e*) S. Gregor. L. 7. Epiſt. 106.
(*f*) Joann. 16. v. 13.
(*g*) Joann. 14. v. 16.
(*h*) Act. Apoſtol. c. 15. v. 22.
(*i*) Ibid. v. 2.

tum certe mirari magnopere non poterunt Proteſtantes, ſi quemadmodum Apoſtoli ſui Concilii definitiones, ipſiusmet Spiritus Sancti compellarunt; ita pariter cæterorum Synodorum Patres eadem nuncupatione ſuas definitiones honorandas putent, parique reverentia a fidelibus excipiendas, obſervandasque contendant.

Fecerunt hoc ipſimet Proteſtantes, eadem verborum Domini, quæ ſupra attulimus, auctoritate nixi, non eodem tamen nobiſcum jure fulti. Excipiebant Arminiani in Hollandia contra inimicam cauſæ ſuæ Synodum Dordracenam, contendentes, illam falli poſſe, erroribusque eſſe obnoxiam; ac proin ejusdem ſententias, definitiones ac Decreta, non eam obtinere vim, ſuas ut conſcientias adſtringerent. Sed hoc unum illis fuit reſponſi loco datum a Gomariſtis: *Chriſtus promittendo Apoſtolis Spiritum veritatis, ſimul promiſit Eccleſiæ ſuæ, cum ipſa ſe futurum uſque ad conſummationem ſæculi, & eſſe in medio duorum, vel trium, qui congregati ſint in nomine ſuo.* Ex his, quæ veriſſima ſunt, ac plane Catholica, inferebant: *Cum Paſtores ex pluribus Regionibus convenirent, ad definiendum juxta Verbum DEI doctrinam in Eccleſiis edocendam; par erat, firma fide ſuaderi, JESUM Chriſtum, juxta ſponſionem ſuam in medio eorum eſſe.* (k) En quam belle ſuum illum conventum, quem ex ipſorum voce Synodum hucusque appellavimus, infallibilem probent. Illum, inquam, conventum, qui ad nullam veræ Synodi claſſem reduci poteſt. Quo enim nomine eundem compellabimus? An Synodum Oecumenicam dicemus? Sed hoc ipſi non volunt. An Nationalem? Ubi Primas igitur? Ubi Patriarcha? An Provincialem? Ubi Archi-Epiſcopus & ſubjecti eidem Suffraganei? An Diœceſanam? cujus autem Diœceſis? & ubi ejusdem Epiſcopus, ex Apoſtolica, veraque ordinatione ſuccedens? Immo ubi Sacerdos, ubi Parochus ab Epiſcopo conſecratus? Atque hunc tamen Conventum Chriſti aſſiſtentis præſidio honoratum, ac proinde ab omni erroneæ definitionis periculo alienum volunt: [quem enim alium in finem Chriſtus adſit in medio eorum, qui ad Synodum convenerunt; niſi, ut eorundem conſultationes moderetur, dirigat ſuffragia, ne a veritate exorbitent?] iſtamque ab errore immunitatem firma fide credendum dicunt; cum tamen e diverſo doceant, Synodos Catholicorum, etiam antiquiſſimas, ſanctiſſimas, celeberrimas, legitime & convocatas & celebratas, legitimas ab Eccleſia univerſa ſemper agnitas, has, inquam, non errare tantum potuiſſe, ſed re ipſa erraviſſe? Illorum nimirum Concilia Chriſtus deſeruerit, eadem hallucinari turpiter, varioque errore a ſana fidei, morumve doctrina deviare permiſerit, qui in Eccleſia, ab ipſo inſtituta, & per Apoſtolos propagata, conſtanti ſemper fidelitate permanſerunt; aliorum vero conventus ab errore defenderit, & adhucdum defendet, qui ab hac Chriſti Eccleſia, in qua ſola veritas invenitur, defecerunt?

Sed nihil iſta Proteſtantium vana dicteria nos movent. Quam certi ſumus, ipſam fallere non poſſe Veritatem, quæ dixit: *Ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, illic ſum in medio eorum:* Et: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi:* Et rurſus: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; tam certi pariter ſumus, propter ipſam harum Chriſti promiſſionum auctoritatem, Synodos Oecumenicas, quas Sancta Eccleſia legitimas agnovit, habuit, acceptavit, in fidei ac morum doctrina, quam fidelibus omnibus tenendam proponunt, aut falli, aut fallere nunquam poſſe. Scimus enim, quod DEUS, ſicuti eſt in loquendo veraciſſimus, ita fideliſſimus ſit in adimplendo, quæ promiſit. Hinc Conſtantinus Imperator, ut Sozomenus narrat, finita Nicæna I. Synodo *ad Alexandrinam ſcripſit Eccleſiam, hortatus, uti omni diſſidio ac ſimultate depoſita, in fide a Concilio edita conſentirent: Eam enim nihil aliud eſſe, quam DEI ſententiam, conſenſu tot, tantorumque Epiſcoporum per Spiritum Sanctum ſtabilitam, & poſt accuratam inquiſitionem, atque adeo exploratam diſceptationem rerum omnium in controverſia poſitarum, comprobatam.* (l)

§. VI.

De Conciliorum confirmatione.

Atque hanc doctrinæ in Conciliis definitæ veritatem minime fallibilem multo firmius tenemus & credimus, multo fidentius aſſerimus tunc, ubi ad congregatorum in Synodo Patrum ſententias Romani Pontificis conſenſus acceſſerit, quo ea, quæ ab Epiſcopis in Synodo definita ſunt, rata habeat, comprobet, ſuoque judicio cum illis conſpirante confirmet. Hæc enim Pontificis confirmatio veluti ſigillum eſt, quo de legitima Synodorum authentia, certiſſimaque definitionum in illis conditarum veritate ſecuri reddimur: Hæc facit, ut ea, quæ in Conciliis ex Spiritus Sancti directione decreta ſunt, licet ſecundum ſe veriſſima ſint, etiam quoad nos veriſſima fiant: facit, inquam, ut eorundem veritas ex Pontificis oraculo, tanquam indicio, ab ipſomet Chriſto Domino deſignato, nobis innoteſcat: Hæc demum confirmatio ſanat, ſi quis forte defectus in Concilii convocatione, celebratione, cæteriſque, quæ ad perfectam integritatem deſiderabantur, irrepſerit.

Singu-

(k) *Synod. Delph. inter acta Dordrac. Seſſ. 26.*

(l) *Sozomen. L. I. Hiſt. Eccleſ. cap. ult.*

Singulare iſtud Conciliorum confirmandorum privilegium collatum Romanis Epiſcopis in Petro fuit, cum huic eſt facta promiſſio, quod ejusdem fides non eſſet defectura. Eodem enim illo tempore, quo Chriſtus Petro dixerat: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* ſimul addidit: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* (*m*) Privilegium hoc Romanorum Pontificum ſicut ab Eccleſia univerſa agnitum ſemper fuit, ita pariter illud perpetuo uſu a primis uſque Conciliis non particularibus tantum, ſed & generalibus fuiſſe comprobatum, tum Sanctorum Patrum monumenta, tum ipſarummet Synodorum etiam antiquiſſimarum acta teſtantur.

Magnum Sardicæ anno CCCXLVII. celebrabatur Concilium in cauſa S. Athanaſii, & plurium Epiſcoporum, ab Euſebianis, pro Ariana perfidia ſtantibus, iniquiſſime læſorum. Patres intererant plures, quam trecenti, ut ipſe S. Athanaſius [*n*] narrat. Hi in Synodica ſua ad Julium Romanum Pontificem data iſthæc in verba ſcribunt: *Hoc enim optimum & congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes.* (o)

Contra exorientem hæreſim Pelagianam ſub Innocentio I. Papa duo Provincialia coacta fuere Concilia, Carthaginenſe nimirum anno CCCCXVI., in quo congregati Patres Pelagii, & Cœleſtii ejus diſcipuli errores anathemate damnandos judicarunt: nec diu poſt in Numidia Milevitanum. Huic S. Auguſtinus interfuit, ac ad imitationem Synodi Carthaginenſis, parem cum cæteris Patribus adverſus eosdem errores tulit ſententiam. Utraque Synodus, diſcuſſo negotio, quidquid in ea cauſa geſtum fuerat, ad Innocentium Papam remiſit, ut ipſe ſua auctoritate firmaret, quod Epiſcopi de hac hæreſi, ejusque Magiſtris cenſuiſſent. Retulerunt, inquit Marca (*p*), ad Papam Innocentium, ut ipſe ſummo jure decernat. *Cenſuimus*, ajunt Carthaginenſes, *hujusmodi perſuaſionis auctores Pelagium & Cœleſtium anathematizari oportere.* Definiunt, ait Pagi, quid agendum videatur, ſed non pronuntiant. Id ſummæ Sedi reſervant, cujus auctoritas per univerſam Eccleſiam expanſa porrigitur. (*q*) Docent hoc ipſa Synodi verba: *Hoc itaque geſtum, Domine Frater, Sanctæ Charitati tuæ intimandum duximus, ut Statutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorundam etiam perverſitate corrigenda.* (r)

Eandem fere in ſententiam ſcribunt, parque cum reverentia ad Apoſtolicam recurrunt Sedem Patres Concilii Milevitani. Suam his verbis Synodicam ordiuntur: *Quia Te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit; ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda, tacuerimus, quam ea Tu poſſis vel faſtidioſe vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris.* Poſt hæc hæreſin Pelagianam exponunt: dein ſubjungunt: *Hæc inſinuantes Apoſtolico pectori tuo, non habemus opus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare; cum procul dubio te iſta permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius ſerpant, multosque contaminent, vel potius interimant, dum ſub nomine Chriſti, a gratia Chriſti penitus alienant, omnino diſſimulare non poſſis.* Tum quibusdam de Pelagio & Cœleſtio interjectis: *Sed arbitramur, adjuvante Miſericordia Domini DEI noſtri JESU Chriſti, qui Te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ, de claro Scripturarum lumine depromptæ, facilius eos, qui tam perverſa, & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros; ut de correctione potius eorum gratulemur, quam contriſtemur interitu, Domine Beatiſſime.* &c. . . . *Hæc ad Sanctitatem Tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſem Eccleſiam, & Carthaginenſis Provinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* &c. (s)

His Epiſcoporum literis prolixa ad utramque Synodum Epiſtola reſpondit Innocentius, VI. Kal. Februar. anno CCCCXVII. Laudat Patres diverſis in qualibet Epiſtola elogiis tum ob zelum in erroribus ex Eccleſia Dei profligandis, tum ob reverentiam exhibitam Sanctæ Sedi, eam conſulendo, omniaque ad ejus judicium referendo. Laudat, quod quæſtionem diſcuſſerint, hæreſim damnarint, a ſententia tamen promulganda abſtinuerint, utpote, quæ Sedis Apoſtolicæ Decreto fuerit roboranda, ut omnes adſtringeret. Demum hæc duo ſtatuit: primum quidem, in Epiſtola ad Carthaginenſes, impium dogma condemnat, illique adhærentes ab Eccleſia removendos decernit: *Quisquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, quod dicat, adjutorio nobis non opus eſſe*

(*m*) *Lucæ 22. v. 32.* (*n*) *S. Athanaſ. in Exord. Apologiæ ſuæ ſecundæ.*
(*o*) *Synod. Conc. Sardicenſ. apud S. Hilar. in Fragmentis.*
(*p*) *Marca in Diſſert. de Veter: Collect. Canon. cap.* 14.
(*q*) *Franc. Pagi in Breviar. Roman. Pontif. Tom. I.*
(*r*) *Conc. Carthaginenſ. apud Harduin. Tom. I. Concil.*
(*s*) *Synodica Concil. Milevit. apud Harduin. Conc. T. I. Eſt Epiſt.* 92. *inter Auguſtinian.*

esse Divino, inimicum se Catholicæ Fidei, & DEI beneficiis profitetur, ingratum. Nec nostra communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. . . . Separetur ergo a sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientis afflatu, cautius, quæ sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. &c. (*t*) In altera vero Epistola ad Milevitanos, Hæresiarchas ipsos suis expressos nominibus, a fidelium communione separat, donec resipiscant. *Quare Pelagium, Cælestiumque, id est, inventores vocum novarum, quæ (sicut dixit Apostolus* (u)) *ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parare* (x) *quæstiones, Ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus; donec resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, secundum ipsius voluntatem: eosque interim Dominico ovili non recipi, quod ipsi perversæ viæ secuti tramitem, deserere voluerunt. Abscindendi sunt enim, qui nos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.* (y) *Simul autem præcipimus, ut quicunque id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat; Non solum enim, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte:* (z) *quia non multum interesse arbitror inter committentis animum, & consentientis favorem. Addo & amplius: plerumque dediscit errare, cui nemo consentit. Hæc igitur, Fratres Carissimi, in supra dictos maneat fixa sententia: Absint Atriis Domini: careant duntaxat custodia Pastorali, ne duarum ovium dira contagia serpant forsitan per vulgus incautum.* &c. [*a*] Hæc de Provincialibus Synodis exempli solum causa memorasse sufficiat. Plura qui volet, Synodographos ipsos adeat.

Quod Oecumenicis etiam Conciliis confirmandis Romani Pontifices suam impenderint auctoritatem, certissimis pariter argumentis evincitur. Ad Nicænum I. quod attinet, legitur quidem in omnibus fere Conciliorum collectionibus ejusdem Synodica pro confirmatione impetranda ad S. Sylvestrum data, hujus item ad Synodi Patres responsoria; sed vario utraque tum stili, tum notæ temporis, quo data scribitur, vitio laborat, ideoque plenam hodie apud eruditos fidem non invenit. De Constantinopolitana I., quæ secunda est inter Oecumenicas, a Damaso Pontifice Rom. probata, testatur Photius, qui dum illustriores Constantinopolitani hujus Concilii recensuit Episcopos, hæc subjungit: *Quibus haud multo post & Damasus Episcopus Romæ, eadem confirmans, atque sentiens accessit.* (*b*) Idem declarat Epistola Synodica, anno sequente nimirum CCCLXXXII. ab Orientalibus Episcopis, Constantinopoli denuo congregatis data ad Damasum Papam, cæterosque Ecclesiarum Antistites, Romana in Synodo collectos. Hæc illi præfixa inscriptio apud Harduinum: *Dominis Honoratissimis, & Reverendissimis Fratribus, & Collegis* (c), *Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Ascholio, Anemio, Basilio, & reliquis Sanctis Episcopis, in magna urbe Roma congregatis, Sancta Synodus Orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem.* Ista in Epistola excusant Patres, quod suarum Ecclesiarum impediti necessitatibus, & longiore Constantinopoli mora detenti ad Synodum Romæ indictam nec anno præterito, nec præsenti potuerint convenire, Romani Pontificis auctoritatem agnoscentes, qui pro suo eosdem jure ad Concilium evocaverat. Addunt: *Quod proximum erat, tum ad res constituendas, tum ad vestram erga nos benevolentiam declarandam, Reverendissimos, Honorandissimosque Fratres & Collegas nostros Episcopos, Cyriacum, Eusebium, & Priscianum exoravimus, ut proficiscendi ad vos laborem libenter susciperent: per quos & pacifica, unitatemque spectans voluntas nostra, & incensum sanæ fidei studium patefiat.* Tum ejusdem fidei, quam inter Arianorum Principum persecutiones, Judicumque crudelitatem hactenus defenderint, & adhucdum tueantur, ac teneant, rationem reddunt, eamque ulterius pernoscendam scribunt tum ex Tomo Synodi Antiochenæ [*d*], tum ex eo, *qui superiore anno Constantinopoli a Synodo* [e] *Universali est editus, ubi,* inquiunt, *& fidei confessionem uberius exposuimus, & in recens adinventas hæreses anathematis sententiam perscripsi-*

(*t*) *Rescript. Innocentii PP. ad Conc. Carthag. apud Harduin. Tom. I.*
(*u*) 1. *Tim.* 1.
(*x*) *MS.* parere.
(*y*) *Gal.* 1.7. & 5. 12.
(*z*) *Rom. I.*
(*a*) *Rescript. Innocent. PP. ad Concil. Milevitan. apud Harduin. l. cit.*
(*b*) *Phot. Lib. de VII. Synodis ad Michaelem Imp.*
(*c*) *Franc. Pagi in Breviar. Roman. Pontif. legit:* Dominis Carissimis, & Religiosissimis Fratribus, & Comministris. &c.
(*d*) *Anni* 378.
(*e*) *Nondum probata a Damaso & ab Episcopis Occidentalibus acceptata tunc fuerat Synodus hæc Constantinopolitana; Universalem tamen appellant, quia a totius Orientis Episcopis celebrata.*

scripsimus. Præter hæc, quæ in fidei causa gesta, significant cætera, quæ eadem in Synodo Constantinopolitana peracta sunt. Demum, ut eadem Damasus cum congregatis tunc in Romana Synodo Episcopis rata habeat, rogant: *Quibus tanquam legitime & Canonice apud nos constitutis, Vestram quoque Reverentiam gratulari obsecramus, intercedente Spiritali caritate & Domini timore, humanum omnem affectum coercente, Ecclesiarumque ædificationem pluris faciente, quam privatum erga unumquemque voluntatem & gratiam. Sic enim & fidei doctrina consonante, & Christiana in nobis caritate confirmata, desinemus illud dicere, quod ab Apostolis damnatum est:* Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ (*f*). *Atque omnes nos Christi esse ostendentes, qui in nobis divisus non est, indiscerptum, DEO favente, corpus Ecclesiæ conservabimus, & ad Domini tribunal cum fiducia comparebimus.* His acceptis & expensis, auditaque Episcoporum Orientalium relatione S. Damasus Synodum probavit. Atque ex hoc tempore eadem, tanquam per Sedem Apostolicam confirmata, magnam ubique venerationem habuit.

Animadvertendum hic tamen, Damasum Papam sua ista probatione non omnia prorsus ac singula hujus Concilii gesta, statutaque fuisse complexum; sed ea duntaxat, quæ ad fidem pertinent: puta Symbolum, cæteraque, quæ contra Macedonium fuere definita. Canones enim, in eo Concilio editi, non tantum ab Apostolica Sede recepti non sunt; sed ne quidem Libris Synodicis ab Ecclesia Rom. inserti. Constat ex Concilio Chalcedonensi, in quo Act. XVI. Legatus Sedis Apostolicæ, Lucentius, Episcopus Esculanus, eosdem hos appellat *Canones non conscriptos*, id est, ab Ecclesia non probatos. Et quanquam Codex Ecclesiæ Orientalis, in quem iidem relati sunt, Canone I. ejusdem Concilii Chalcedonensis fuerit receptus; reclamatum tamen est a Legatis Apostolicis, quod *Canones illi in Synodicis non habeantur.* Quin & post Concilium Chalcedonense Romani affirmarunt Pontifices, Canones hos ab Ecclesia non admitti. Sufficiat unius Sancti Gregorii Magni testimonium: qui licet fuerit solemnissime professus, se *quatuor prima Concilia*, (inter quæ Constantinopolitanum I. de quo loquimur, secundum locum habet) *tanquam quatuor DEI Evangelia venerari*; in Epistola tamen ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum Patriarchas data aperte testatur: *Romana Ecclesia Canones hujus Synodi non accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* (g) Canon certe tertius (plures enim non fuere [*h*]) quo decernitur, quod *Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum*, auctoritatem in Ecclesia non obtinuit ante Synodum Lateranensem IV., in qua demum sub Innocentio III. Papa, primus post Romanam Sedem locus Constantinopolitanæ Cathedræ delatus fuit. Vtus ejus Concilii Canon sic habet: *Antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovantes, Sacra Universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium & Magistra; Constantinopolitana primum, Alexandria secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum obtineant; servata cuilibet propria dignitate.*

Tertia inter Oecumenicas numeratur Synodus Ephesina, anno CCCCXXXI. congregata adversus novam hæresin Nestorii, Episcopi Constantinopolitani, qui adorandum Incarnationis mysterium, & veræ Genitricis DEI titulum, quam Beatissimæ MARIÆ Virgini Catholica semper tribuit Ecclesia, suis blasphemiis pertinaciter impugnavit. Constituta Synodo Ephesi inchoandæ ab Imperatoribus fuerat ipsa dies Pentecostes, quæ eo anno in septimam Junii incidit; sed non ante vigesimam secundam ejusdem mensis Episcopi convenere. Duas proinde jam modo Synodos ante Oecumenicam Ephesinam Celestinus Papa contra hanc Nestorii impietatem Romæ celebraverat: primam anno CCCCXXX. sub initium mensis Augusti (*i*). In hac lata est in Nestorium sententia excommunicationis & depositionis ab Episcopali dignitate & gradu; nisi intra decimum a denuntiatione facta diem, perfidiam suam erroresque scripta confessione condemnet. Restituti quoque in Ecclesiæ communionem, qui propter fidem a Nestorio ejecti fuerant. Damnati sunt Pelagiani, ut qui societate erroris cum Nestorio jungerentur; eadem cum ipso percellerentur sententia. Denique ex eo Concilio septem a Celestino Pontifice scriptæ sunt epistolæ: (*k*) Ad Nestorium, ut ejuratis erroribus redeat ad pœnitentiam: Ad Clerum populumque Constantinopolitanum, ut constantes in fide per-

(*f*) 1. *Cor.* 1. (*g*) *S. Gregor. M. L. VI. Epist.* 31.
(*h*) *Vide Natal. Alexandr. in Hist. Eccles. Sæculi IV. Dissert. XXXVIII. art. I.*
(*i*) *Pagi in Breviario Roman. Pontif. T. I. in S. Celestino. n. XV.*
(*k*) *Recitantur hæ literæ apud Harduin. Tom. I. Concilior. in parte I. Conc. Ephesini a Cap. VIII.*

permaneant : Ad Joannem Antiochenum, Rufum Thessalonicensem, Juvenalem Hierosolymitanum, Flavium Philippensem Episcopos, ut causam fidei strenue tueantur : Demum ad Cyrillum Alexandrinum, egregium Ecclesiæ Dei Defensorem, & a multis jam palmis varia ab hæresi reportatis celeberrimum. Huic Sedis Apostolicæ vices hoc in negotio sustinendas, & exequendam suam ac Synodi Romanæ sententiam Celestinus demandavit. *Auctoritate igitur tecum*, inquit, *nostræ sedis adscita, vice nostra usus, hanc exequeris districto vigore sententiam : ut aut infra decem dies ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes suas scripta professione condemnet, & hanc se de Nativitate Christi DEI nostri fidem tenere confirmet, quam & Romana, & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & universalis devotio tenet; Aut si hoc non fecerit, mox Sanctitas tua, illi Ecclesiæ provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum, qui nec in se medentium curam voluit admittere, & in perditionem tam suam, quam omnium sibi creditorum male pestifer festinavit.* Addit: *Eadem autem scripsimus & ad sanctos Fratres & Coepiscopos nostros, Joannem, Rufum, Juvenalem, & Flavianum, ut nota sit de eo nostra, immo Christi nostri Divina sententia.* (*l*)

Alteram Synodum coegit Celestinus, postquam *Sacram* Imperatorum, qua Metropolitani omnes ad Concilium Ephesinum Oecumenicum vocabantur, acceperat, anno CCCCXXXI. quo sub initium Maji Occidentales Episcopos Romam accivit. Hi illic congregati, ut ajunt Patres Ephesini in sua ad Imperatores relatione, & rectam de fide sententiam magno consensu prædicarunt, & eos, qui diversa sentirent, alienos esse penitus a Sacerdotio, Clero, graduque definierunt. (*m*) Eadem in Synodo delecti Legati, qui Ephesino in Concilio Celestini præsentiam supplerent, Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Romanus, his instructi mandatis, ut & Pontificis in Concilio tenerent locum, & communicatis cum Cyrillo consiliis, latam jam modo sententiam adversus Nestorium exequendam urgerent, simulque Oecumenicæ hujus Synodi Decretis Apostolicæ auctoritatis pondus adderent. Quod re ipsa præstitum ab illis fuisse, manifesta ejusdem sanctæ Synodi monumenta evincunt.

Cum enim non ante Legati pervenissent ad Synodum, quam prima Actione jam finita: in qua Nestorius, discussis ejus in erroribus ac damnatis, Concilii totius consensu, anathematis sententia percussus, Episcopi dignitate privatus, atque ab universo Sacerdotum omnium consortio exclusus fuit; mox in altera Actione, postquam literas Celestini & ad Synodum, & ad Cyrillum publice prælegendas obtulissent; omnium, quæ eo usque gesta fuissent, seriem sibi exhiberi petierunt: *Quo*, ajebant, *juxta Beati Papæ nostri, præsentisque hujus Sancti cœtus sententiam, nos quoque CONFIRMEMUS.*

Exhibitis Actis, perlectisque, Actione tertia, *Philippus Presbyter* [ut ipsius Synodi verbis utar] *& Legatus Apostolicæ Sedis dixit:* " Ex Actorum lectione cognovimus, " quæ in Nestorium constituta sunt in sancto " vestro Concilio. In quibus Commentariis intelleximus omnia Canonice, & ex " Ecclesiastica disciplina judicata esse. Ac " nunc quoque petimus a corona vestra, " quamvis supervacaneum sit, ut quæ in vestra Synodo lecta sunt, rursum nobis etiam eadem legantur; ut sequentes formulam Sanctissimi Papæ Celestini, qui hanc " curam nobis commisit, & vestræ etiam " Sanctitatis, judicia vestra CONFIRMARE " possimus.

Assensit Synodus. Prætermissis cæteris, recitata denuo fulminis in Nestorium Decreti sententia. Ex hac excerpo, quæ sequentur, cum singularem Congregatorum Patrum (plures ducentis erant) erga Romanum Pontificem indicent reverentiam, Sedisque Apostolicæ primatum non obscure significent: *Coacti*, inquiunt, *per sacros Canones, & Epistolam Sanctissimi Patris nostri, & Comministri Celestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacbrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum* (Nestorium) *sententiam necessario venimus. Igitur Dominus noster JESUS Christus blasphemis illius vocibus impetitus, per Sanctissimam hanc Synodum eundem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definivit.*

Mox secuta Legatorum confirmatio: Ac primo quidem loco *Philippus Presbyter & Apostolicæ Sedis Legatus dixit:* " Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est, " quod Sanctus, Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Domino nostro JESU Christo, " Salvatore humani generis, ac Redemptore,

(*l*) *Epist. Celestini Papæ ad Cyrillum Archi-Episc. Alexandrin. apud Harduin. Tom. I. Conc.*
(*m*) *Pagi Loc. cit. n. XXIII.*

" re, claves Regni accepit, solvendique, ac " ligandi peccata potestas ipsi data est: qui " ad hoc usque tempus, & semper in suis " Successoribus vivit, & judicium exercet. " Hujus itaque secundum ordinem Successor, " & locum tenens, Sanctus, Beatissimusque " Papa noster Celestinus Episcopus, nos ip- " sius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam " Synodum misit: Quam quidem Synodum " convenire jusserunt humanissimi, Chri- " stianissimique Imperatores, memoria reti- " nentes, & perpetuo custodientes fidem " Catholicam: qui & Apostolicam doctri- " nam a piissimis, humanissimisque sanctæ " memoriæ avis & Patribus ipsorum tradi- " tam sibi hucusque custodierunt, & custodi- " unt. Synodum ergo, ut supra diximus, " indixerunt, id unum spectantes ac sata- " gentes, ut fides Catholica, a sæculis ha- " ctenus conservata, sic perpetuo immota " perseveret. Nestorius itaque novæ per- " versitatis auctor, atque malorum caput, " sicut e Synodalibus actis accepimus, voca- " tus, ac admonitus secundum Patrum De- " creta, videlicet secundum Canonum disci- " plinam, judicio se sistere contempsit; " cum tamen, ut spirituali remedio sanita- " tem reciperet, tanto sancto cœtui ultro se " se offerre debuisset: sed cauteriatam ha- " bens conscientiam, quamvis legitime, & " secundum Canonum disciplinam, ut ante " dixi, commonefactus, ad sanctam hanc " Synodum accedere recusavit: neque ter- " minum tantum ab Apostolica Sede sibi con- " cessum, sed alia præterea multa tempo- " rum intervalla fluere permisit. FIRMUM " ergo est juxta omnium Ecclesiarum Decre- " tum (nam Orientalis & Occidentalis Ec- " clesiæ Sacerdotes, vel per se, vel certe " per suos Legatos, Sacerdotali huic con- " sessui intersunt) quod in ipsum pronun- " tiatum est, qui impio ore & hostili spiri- " tu blasphemas voces depromere contra " Dominum nostrum JESUM Christum non " est veritus. Propterea Patrum Sanctiones " secuta præsens sancta Synodus, adversus " impium, temerariumque Nestorium lata " sententia definivit, ut is, qui emendatio- " nem sprevit, cum eo partem habeat, de " quo scriptum est: *Et Episcopatum ejus ac-* " *cipiat alter.* (n) Quamobrem intelligat Nestorius, se a communione Sacerdotii Ecclesiæ Catholicæ alienum esse.

Arcadius Reverentissimus Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus dixit: " Ingentem " luctum &c. Et quoniam ipse sua sponte " se ipsum a nobis alienum exsulemque red- " didit; propterea nos etiam secuti sanctiones " jam inde ab initio traditas a Sanctis Aposto- " lis & ab Ecclesia [hoc enim docuerunt, quod " a Domino nostro JESU Christo accepe- " rant] nec non secuti formam Celestini San- " ctissimi Papæ Apostolicæ Sedis, qui nos " dignatus est hujus negotii exsecutores suos " mittere, & sanctæ Synodi Decreta; Cog- " noscat Nestorius se Episcopali dignitate " exutum, atque a tota Ecclesia, & com- " munione omnium Sacerdotum alienum " esse.

Projectus Episcopus, & Ecclesiæ Romanæ Legatus dixit: " Clarissime ab eorum lectio- " ne &c. Cum igitur contra fidem Evan- " gelicam, Apostolicamque doctrinam, quæ " per universam ubique Ecclesiam Catholi- " cam confirmata est, suæ hæreseos perver- " sitatem invehere ausus fuerit; propterea " & ego quoque auctoritate Legationis Apo- " stolicæ Sedis, una cum Fratribus senten- " tiæ executor existens, definio memoratum " Nestorium, veritatis inimicum, fideique " corruptorem, tanquam iis, de quibus ac- " cusatus est, obnoxium, a gradu Episco- " palis honoris, & ab omnium præterea " Sacerdotum orthodoxorum communione " remotum esse.

Collaudarunt factum Cyrillus, universaque Synodus, &, quæ commissa ipsis ex Celestini mandato fuerat, sententiæ, in utraque Synodo Romana & Ephesina latæ executionem, numeris omnibus impletam, gratulati sunt. Rogarunt præterea Patres, ut quæ sua oratione jam definierunt, verbisque confirmaverant, manu etiam, & nominum subscriptione corroborarent. Lubet ipsa verba adscribere, ut Synodalia decreta confirmandi privilegium, quod Romanis Pontificibus Protestantes negant, ex ipso hujus Synodi usu certius ostendatur.

Cyrillus Episcopus Alexandriæ dixit: " Quæ Arcadius & Projectus Sanctissimi, pi- " issimique Episcopi, nec non Philippus " Religiosissimus Romanæ Ecclesiæ Presby- " ter, deposuerunt, perspicue sancta Syno- " dus percepit. Deposuerunt enim, sup- " plentes locum Sedis Apostolicæ, totiusque " Synodi, Sanctissimorum, Deoque dile- " ctissimorum Occidentalium Episcoporum. " Quare cum ea, quæ a Celestino sanctissi- " mo, Deoque dilectissimo Episcopo defini- " ta jam fuerant, exsecuti sint; sanctæque " Synodi, quæ in hac Ephesiorum Metro- " poli convenit, sententiæ, contra hæreti- " cum Nestorium latæ, adstipulati sint; con- " sequens est, ut eorum quæ hesterno, ho- " diernoque die acta sunt, commentarii Su- " perioribus attexantur, ipsorumque pietati " offerantur; quo propria obsignatione, ut " moris est, plenam faciant ac manifestam " cum omnibus nobis Canonicam assensio- " nem.

Arca-

(n) *Act.* 1. *ex Psal.* 108.

Arcadius Reverentissimus Episcopus, & Romanæ Ecclesiæ Legatus dixit: " Juxta sanctæ hujus Synodi acta, non possumus eorum doctrinam nostris subscriptionibus non CONFIRMARE.

Sancta Synodus dixit: " Cum Arcadius & Projectus Reverentissimi, Religiosissimique Episcopi & Legati, & Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus, consentanea sint locuti; consequens est, ut promissis suis satisfacientes etiam subscribendo ACTA CONFIRMENT. Proinde actorum Commentarii ipsis exhibeantur.

Interpretatio depositionis.

" Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus, commentariis subscripsi.

" Arcadius Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, sententiæ in Nestorium, schismatis & hæresis, omnisque blasphemiæ & impietatis auctorem pronuntiatæ, subscripsi.

" Projectus Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, justo sanctæ hujus & Oecumenicæ Synodi judicio, prout ex actis edocti sumus, per omnia assentiens, impii Nestorii depositioni subscripsi.

Satis, opinor, ex his prudens quisque videt, Celestinum Papam ea, quæ Ephesi contra Nestorii hæresin, atque adversus ipsum hæresiarcham acta sunt, non tantum per Legatos, petente etiam Synodo, confirmasse; sed per eosdem etiam, quæ primum ipse Romæ cum Occidentalibus definierat, & in Ephesina Synodo definienda præscripserat, in hæresi damnanda, in ejusdem auctore Nestorio a dignitate Episcopali dejiciendo, & ab Ecclesia universa proscribendo, fuisse exsecutum.

Sed pauca adhuc ex aliorum Conciliorum Oecumenicorum actis delibemus. Quartæ Oecumenicæ Synodi Episcopos ejusdem confirmationem a S. Leone Papa petivisse, ostendit eorum Synodica, in qua gestorum omnium enarratione præmissa subjungunt: *Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora judicium: & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Addunt: *Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum, quæ a nobis gestaque sunt, firmitatem & consonantiam.* Satisfecit Synodi petitis Leo, confirmavitque amplissime, sed ea duntaxat, quæ in fidei causa fuere definita: non Canones, quorum ultimo (vigesimo octavo) constantissime contradixit. Conditus is Canon fuit, absentibus Legatis Romanæ Sedis, & iisdem reclamantibus a Synodo probatus. Confirmare per illum voluerunt Patres Patriarchatus dignitatem & jura Sedi Constantinopolitanæ, primamque prærogativam, post Romanam Cathedram Petri. Nitebantur Canone III. Concilii Constantinopolitani I., jam dudum reprobato, & falso asserebant, Romanam Sedem, jure illo Primatus, quem in universam Ecclesiam obtinet, non aliunde, quam ex accepto a Patribus privilegio potiri: pari proinde prærogativa donandam esse Sedem Constantinopolitanam, eo quod nova Roma æqualibus cum antiqua, Regii throni, Senatusque honoribus præfulgeat. Hæc, cum Synodi Nicænæ sanctis definitionibus adversarentur; sanctus Pontifex perpetuo repudiavit. Duas & de confirmatione eorum, quæ Chalcedone in causa fidei definita sunt, & de reprobatione dicti Canonis vigesimi octavi, literas dedit. Primas ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, mox post reditum Legatorum, qui Chalcedonensem ad Oecumenicam Roma missi fuerant: sed has Anatolius, eo quod in iisdem ob prensatum supremæ dignitatis honorem non leviter coargueretur, ne suum ambitum proderet, callide occultavit. Alteras proinde, omnibus Episcopis, qui Chalcedonensi Synodo interfuere, inscriptas, exaravit, easque ut illorum ad manus certius pervenirent, ad ipsum direxit Imperatorem, eundem rogans, ut pro suo, quo erga fidem Catholicam ferveret, amore, ad Episcopos perferri curaret. Postremas has, cum ad ea, quæ tractamus, stabilienda multum serviant, ex Harduino [o] integras damus.

Leo Episcopus Sanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ.

Omnem quidem Fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctæ Synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, ut, qui unitatem Catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuisse turbatam, non exsultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solum ex ipso beatissimæ consensionis affectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ urbis Antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apo-

(o) *Harduin. Conc. Tom. II. Synodi Chalcedon. Part. III. col. 687.*

Apostolicæ manifestare voluisset. (p) *Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem; hæc ad omnes Fratres, & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ Gloriosissimus & Clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur: ut & fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per Fratres, qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum est) propter quam Generale Concilium & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari: damnatis hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri JESU Christi incarnatione dubitatio. Unde, si quis unquam ausus fuerit vel Nestorii perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, a Catholicorum communione resecetur: nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem. De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa Decretis, observantiam vestræ Sanctitatis admoneo; ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem & octo Patribus Divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos; infirmum atque irritum erit, quidquid a prædictorum Patrum Canonibus discrepaverit. Quorum Regalis Apostolica Sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit Sanctitas vestra lectione cognoscere, & me, auxiliante Domino nostro, & Catholicæ fidei, & Paternarum traditionum esse custodem. Data XII. Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.* (q)

Canones reliquos, præter vigesimum octavum, a sancto Leone tacite fuisse probatos, & ab Ecclesia receptos asserit cum aliis Natalis Alexander: negat Bellarminus.

Cæterum, quanta fuerit Græcorum erga sanctum Leonem, ultimum, quem diximus, Canonem reprobantem, reverentia; colligi ex eo potest, quod ipsimet hunc Canonem suis in codicibus expunxerint.

Synodum Vtam Vigilius Papa, licet eidem adversatus antea fuerit, tandem tamen ratam habuit & confirmavit, non solum in sua ad Eutychium epistola, quam aliqui cum P. Garnerio tanquam alienum a Vigilio partum rejiciunt, Natalis autem Alexander ceu verum ipsius ac genuinum opus defendit; sed etiam in opusculo, quod *Constitutum* inscripsit, & Constantinopolim ad Imperatorem & Episcopos misit: in hoc famosa tria Capitula prolixo, eruditoque commentario explanat, eademque, prout damnata a Synodo fuerant, & ipse refutat, anathematizat ac damnat. *Prædicta igitur*, ita concludit, *tria impia Capitula anathematizamus, atque damnamus: id est, Epistolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam, in qua nefandæ superius designatæ blasphemiæ continentur: & impium Theodorum Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoritus* (r) *conscripsit. Et quicunque ea quoquo tempore crediderit, accipienda vel defendenda, aut conatus fuerit aliquando, præsentem damnationem resolvere, pari anathemate condemnamus. . . Quæcunque vero sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicunque reperta, præsentis nostri plenissimi constituti auctoritate vacuamus. Data VII. Kalendarum Martiarum, Imperante Domino Justiniano perpetuo Augusto, anno XXVII. Et post Consulatum Basilii Viri Clarissimi anno XIII.* (s) *Constantinopolim.* (t)

Unum his adhuc addam pulcherrimum plane monumentum confirmationis, quam VItæ Synodi Patres, data ad Agathonem Pontificem Synodica petiverunt, & ab hujus, ante quam literæ afferrentur, defuncti Successore S. Leone II. impetrarunt. *Maximi morbi*, ita Synodicam suam Constantinopolitani Patres ordiuntur, *majoribus indigent auxiliis: atque idcirco Christus verus Deus noster, virtus vere rerum omnium conditrix & gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram a DEO honoratam Sanctitatem, contagia*

(p) al. *Sed quia in eisdem literis ea, quæ per occasionem Synodi male sunt attentata, reprehenderam; maluit prædictus Antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare.*
(q) *Anno CCCCLIII.*
(r) *Theodoretus*
(s) *Anno Christi DLIV*
(t) *Ex Harduino Conc. Tomo III. col. 244.*

gia hæreticæ luis fortiter propulsantem remediis Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes veræ confessionis literis a vestra Paterna Beatitudine ad Piissimum Imperatorem missis: quas ut a summo Apostolorum vertice Divine perscriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus; Constantino nobis ad decernendum hortatore. . . . . Inde fundamenta execrandæ eorum hæreseos prorsus convellentes, eosque armis Spiritualibus, Paternisque aggredientes, & linguas eorum, ne inter se accommodate loquerentur, confundentes, extructam ab iis impiissimæ hæresis turrim subruimus: ac ipsos, ut lapsos circa fidem ac peccatores, in matutinis extra castra atriorum Dei, ut Davidice loquamur, anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras Literas vestras prius lata. &c. Et infra: *Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus. Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta CONFIRMETIS, vestram oramus Paternam Sanctitatem. &c.* (u)

Alias dein præter has Synodicas comperta Agathonis morte, ad S. Leonem dedit Constantinus Imperator, per Legatos Romanæ Sedis transferendas. Quibus acceptis Pontifex eadem, qua Imperatori respondit, epistola, Synodum confirmavit: *Sancta igitur*, inquit, *universalis & magna sexta Synodus, quam nutu Dei Vestra Clementia sedule convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit, Apostolicam in omnibus regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est: & quia definitionem rectæ fidei, ut dictum est, plenissime prædicavit, quam & Apostolica Sedes Beati Petri Apostoli, cujus licet impares, ministerio fungimur, veneranter suscepit; idcirco & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam Petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. Propterea sicut suscepimus, atque firmiter prædicamus Sancta quinque universalia Concilia, Nicænum, Constentinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi Ecclesia approbat & sequitur; ita & quod nuper in Regia urbe pio Vestræ Serenitatis annisu celebratum est, Sanctum sextum Concilium, ut eorum pedissequum, & ea interpretans, pari veneratione atque censura suscipimus: & hoc cum eis digne connumerari, tanquam una & æquali DEI gratia congregatum decernimus.*

En quam dilucide sanctus Pontifex in diplomate hoc suo explanet, quid sit Synodos Apostolica Romanæ Sedis auctoritate confirmari.

Ista si legisset *Joachimus Hildebrandus Theol. & Ss. Antiquit. in Academia Julia Professor*; aut si singula verba expendisset accuratius & rationis justa statera ponderasset; non arbitror eum fuisse scripturum tam audacter: *Quod Pontifex auctorisaverit Concilia, id falsissimum est.* (x) Nam quæ major, obsecro, conferri Synodo potest auctoritas, quam si Pontifex, Summum in terris Ecclesiæ Caput, non iis solummodo, quæ in Synodo circa fidem definita sunt, suum præster assensum; sed insuper, eandem confirmando, declaret, quod *Apostolicam in omnibus secuta sit regulam, ac Ss. Patrum doctrinam*: quod *definitionem fidei recte prædicaverit*: quod proinde inconcussam *ab ipso Domino adepta sit firmitatem*? Si præterea, diligenti maturaque deliberatione & consultatione præmissa, profiteatur aperte, quod *sicuti suscipit* priora *Concilia universalia Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. Chalcedonense, Constantinopolitanum* alterum; *quæ & omnis Christi Ecclesia approbat & sequitur*; ita illam, de cujus confirmatione agitur Synodum, tanquam prioribus consentaneam, ac veræ fidei interpretem, *pari veneratione suscipiat*, & amplectatur? Si demum pro suprema Apostolicæ Sedis potestate ac jure *decernat*, hanc ipsam, quam probat, Synodum, primis istis Sanctissimis Conciliis *adnumerandam* esse, illamque eodem auctoritatis loco habendam, eadem reverentia ab omnibus Christ fidelibus observandam, ejusdem dogmatis tanquam verissimis, certissimis, atque ab omni erroris suspicione remotis adhærendum jubeat. Si istud non est *auctorisare* Concilia, ut Hildebrandina phrasi utar, doceant DD. Protestantes, quid per eam vocem aut ipsi intelligant, aut a nobis intelligi velint?

Fatetur tamen Hildebrandus, Synodis ex ista Romani Pontificis approbatione, non omnino nihil auctoritatis advenisse. *Erat*, inquit, *hæc confirmatio Conciliorum plenius firmamentum: erat obligatio ad obediendum Concilio.* Immovero erat illa, & etiamnum est Conciliorum *firmamentum* omnino plenissimum, maximumque, quo nullum plenius majusve addi Synodo potest: Erat & etiamnum est *obligatio*, non uni tantum Ecclesiæ, sed toti fidelium omnium, qui per totum ter-

(u) *Harduin. Tom. III. Concil. col.* 1438.
(x) *Joach. Hildebr. Histor. Concil. in proœmio. pag.* 11.

terrarum orbem dispersi sunt, universitati imposita; ad credenda firmiter illa fidei dogmata, quæ in Concilio sic confirmato fuerunt definita: ad hæreses, erroresque omnes reprobandos, damnandosque, qui in eodem lato a Patribus anathemate fuere condemnati. Sed firmamentum tam solidum Synodis addere, obligatione tam universali omnes, quotquot uspiam sunt, fideles ad obtemperandum earundem Decretis adstringere, annon istud est Synodos *auctorisare?*

Verissimum igitur est, licet Hildebrandus millies dicat, id esse *falsissimum, quod Pontifex auctorisaverit Concilia.* Quidquid enim illa auctoritatis, firmitatis ac venerationis, sive particularia, sive oecumenica, in Ecclesia obtinent, istud a Romani Pontificis adprobatione acceperunt. *Sicut id, quod prima Sedes non probaverat, stare non potuit,* inquit Gelasius Papa, *sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.* Nullum unquam a Catholica, quamdiu stetit, Christi Ecclesia probatum fuit Concilium; quod antea fuerat a Romano Pontifice damnatum: nec ullum unquam fuit a Catholica Christi Ecclesia reprobatum; quod antea fuerat ab Apostolica Sede receptum. Hujus sanctæ Sedis Synodos vel confirmantis; vel repudiantis sententiam, suo semper assensu judicioque secutus est Orbis Christianus. Quidquid post celebrata Concilia Catholicos inter Episcopos adhuc fervebat discordiæ; aut ambiguæ dubitationis, istud Sedis hujus, Romani, inquam, Pontificis Synodi acta confirmantis definitione compositum fuit, penitusque sopitum.

Illustre rei hujus monumentum nobis exhibet Sanctus Augustinus. Dum Pelagii impia hæresis propagari cœpisset, duo in Oriente eam ob causam celebrata fuere Concilia: Alterum Hierosolymis, alterum Diospoli. Ex utroque nullo læsus anathemate evasit Pelagius, tum Joannis Episcopi Hierosolymitani, quo amico utebatur, favore, tum fraude etiam sua. Suspicati dolum Episcopi, qui in Africa regebant Ecclesias, ubi Cœlestius Pelagii discipulus idem pravæ doctrinæ virus diffundebat, Synodo indicta, primum in urbe Cathaginensi, tum rursus in Milevitana convenère. Causa diligenter excussa, utraque in Synodo pessimum dogma dignum anathemate censuerunt. Sententias igitur suas, quod supra modo meminimus, Romam ad Innocentium I. Pontificem perscripsere, rogantes, ut quod ipsi judicassent*, sua is auctoritate roboraret. Annuit Pontifex, illorumque contra Pelagianos errores judicium ac censuras Apostolico Diplomate confirmavit. Vix Decretum istud allatum in Africam fuit, cum Sanctus Augustinus toto illud animo complexus; quidquid id esset controversiæ, quod circa Pelagii doctrinam tam diu ventilatum fuerit, solo hoc Romani Pontificis Episcoporum sententias probantis judicio feliciter diremptum, penitusque finitum pronuntiat. *Jam enim,* inquit, *de hac causa duo Concilia* (Africana) *missa sunt ad Sedem Apostolicam: Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: Utinam aliquando finiatur error.* (y)

Et en quam firmiter hac Apostolicæ Sedis sententia tanquam minime fallibili, certissimæque & indubitatæ veritatis, standum putaverit vir Sanctus. Cum Julianus Episcopus Eclanensis, Pelagii, ejusque errorum fautor præcipuus ac Patronus, non tantum, quam ab illo propinatam imbiberat hæresin, ejurare non vellet; sed contumaciter pergeret eandem propugnare; ideo præsertim, quod illam a nullo adhucdum Orientis Episcopo condemnatam diceret; Sanctus Augustinus, non segnior vindex Apostolicæ auctoritatis, quam Catholicæ veritatis, acri calamo hominis pertinaciam adortus, *An ideo,* inquit, *contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Episcopus? Quid ergo faciemus; cum illi Græci sint, nos Latini? Puto, tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronari: cui Ecclesiæ Præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit Vir ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia?* [z] Non aliud eleganti hac sua sententia docere voluit Sanctus Doctor, quam frustra exspectari a Juliano Episcoporum Orientalium, adeoque Universalis Ecclesiæ judicium & consensum, quo ad errores repudiandos compelleretur: *Sufficere illi debere,* quod eos illa jam damnasset Ecclesia, *in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronari.* Hæc autem non alia est, quam Romana, illa, inquam, Ecclesia, quæ super Petrum, cujus nunquam defectura esset fides, ædificata fuit, & *adversus* quam *portas inferi nunquam esse prævalituras* Christus ipse Divino suo Oraculo promisit. Hujus proinde Ecclesiæ Præsul Innocentius ex Augustini sententia, in sua Carthaginensis, & Milevitani Conciliorum confirmatione, aliud Africanis respondere Ecclesiis non potuit, nisi quod antiquitus & Romana ipsa, & cæteræ simul Eccle-

(y) *Sermone* 131. *alias* 2. *de verbis Apost. C.* 10.
(z) *S. Augustin. L. I. contra Julian. C.* 4.

ſiæ tenuere. Quod idem plane eſt, ac ſi dixiſſet, Innocentium, Petri in Romana Sede Succeſſorem in ſuo ad Africana Concilia diplomate non potuiſſe, niſi veram & antiquam, & Catholicam, id eſt, Univerſalem Eccleſiæ doctrinam exhibere: & quod inde conſequitur, non potuiſſe in *dogmatico* judicio errorem propinare.

Eodem argumento, quo S. Auguſtinus, ipſisque ejusdem verbis, moderno etiam ævo noſtro, occaſione Clementinæ Conſtitutiónis *Unigenitus*, uſus eſt Illuſtriſſimus de Fenelon, Cameracenſis Archi-Epiſcopus, non apud Gallos tantum, ſed omnes apud Catholicos a ſummæ eruditionis laude celeberrimus. *S. Auguſtinus*, ait, *paucis verbis . . Pelagianorum objectiones reſolvit. De hac cauſa, inquit S Doctor, duo peculiaria Africæ Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam. Inde reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt. Nihil clarius. Procul a nobis cunctæ vanæ ſubtilitates. Ante ea reſcripta, quæ Roma venerunt, duo Africana Concilia cauſam minimè finiebant; Aſt ea finita fuit eo ipſo momento, quo Romana reſcripta venerunt: eo ipſo momento judicium evaſit, juxta ipſos Novatores, infallibile, finale, ſupremum, & irrevocabile.* (a)

En conſtantem ſemper ſibi, a primis Eccleſiæ Sæculis uſque ad hæc noſtra tempora productam, non in rationis humanæ argutiis, quæ fallunt: ſed in Dei verbo, ut ſupra vidimus, fundatam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, qua Conciliorum a Romano Pontifice probatorum *infallibilitas*; atque ab omni erroris ſuſpicione ſecuritas, & olim a vera Chriſti Eccleſia defenſa fuit, & adhucdum defenditur.

Hinc eadem, quæ olim, etiamnum hodie eſt Catholicis omnibus erga Synodos a Romana Sede confirmatas, earundemque dogmata & Canones reverentia. Hinc tanta aſſiduitate & ſolertia omnes, ſanæ, incorruptæ, & in vera Chriſti Eccleſia conſervatæ ſemper doctrinæ ſtudioſi, in Synodis pervolvendis, revolvendisque etiamnum verſantur: norunt, hi, poſt ſacros Scripturarum codices, & Sancta Chriſti Evangelia, hos puriſſimos eſſe fontes, unde ſecuriſſime veræ fidei ſalutisque ſcientiam hauriant. Ex Synodorum enim lectione diſcimus, pretioſum a vili ſeparare, veritatem ab errore diſcernere: ex hac convincimur, & veluti ad oculum nobis demonſtratum videmus, quod una & eadem fides, quæ a primis Eccleſiæ principiis ab ipſomet Chriſto Domino revelata, ab Apoſtolis Chriſti propagata, ab horum Succeſſoribus, Orthodoxis Epiſcopis, tanquam Apoſtolicæ doctrinæ cuſtodibus prædicata olim fuit; eadem, inquam, fides, nullo vel ullius dogmatis apice mutato, adhuc in Catholica noſtra, vera Chriſti Eccleſia, prædicetur: quod eadem hodie, quæ olim, morum Sanctitas, vitamque recte ordinandi regulæ commendentur.

Multa quidem adverſus hæc Acatholicorum non pauci de Conciliorum inter ſe, ut ajunt, pugnantium diſſenſu, de Pontificum erroribus, aliaque ejuscemodi, obganniunt: ſed illorum iſtæ næniæ, jam centies refutatæ, nihil nos pungunt: immo a prudentioribus etiam Proteſtantibus, qui in Conciliis verſati ſunt diligentius, & propoſita in eisdem, conſtanterque propugnata Catholicorum dogmata profundius rimati, tanquam inanes nugæ exploduntur. Unicum hanc in rem afferam Hugonem Grotium, non infimi apud Proteſtantes ſubſellii virum, ſacri profanique juris peritiſſimum, qui ſua ſententia hanc de Conciliis diſſertationem concludet. De traditione, quæ ex antiquorum conſenſione deſumenda eſt, loquens, manifeſte confitetur hunc doctrinæ conſenſum non alibi certius, quam in Conciliis Univerſalibus, atque apud Epiſcopos Romanæ Eccleſiæ, quam Deus errare non ſinat, inveniri. *Conſenſus autem iſtius*, inquit, *qui in veterum Scriptis, maximeque in Conciliis univerſalibus apparet, cuſtodes quidem ſunt Epiſcopi omnes; ſed* (Notent hæc Proteſtantes) *auctoritatis ad veritatem, unitatemque retinendam, præcipue Epiſcopus Romanus: quem Eccleſiæ aliæ, ad vitanda ex rebus dubiis ſchismata, conſulere, ex quo Apoſtoli in terris vivere deſierunt, ſunt ſolitæ. Et hinc eſt, quod Eccleſia Romana ab antiquis dicitur aliarum Eccleſiarum Magiſtra. Hanc viam iniit Hieronymus in Quæſtione de Hypoſtaſibus: hanc Afri Epiſcopi in Quæſtione de Gratia: hanc alii viri, ingenio, eruditione, & pietate præſtantes.* Subjungit his, quod rurſum adverti velim: *Corrumpi quidem mores Romæ & alibi paſſus eſt DEUS; at doctrina, illis ipſis malis moribus contraria; DEO ita res dirigente, corrupta non eſt.* (b) Catholico hæc e calamo fluxiſſe crederem; niſi ſcripta a Grotio ſcirem. Sed hominem veritatis amantem ſic ſcribere veritas ipſa coegit. Nullas certe vir hic eruditus, & non male oculatus, contradictiones, non dogmata inter ſe pugnantia in Conciliis (Catholicis nimirum, & probatis) inve-

(a) *Illuſtr. de Fenelon Archi-Ep. Camerac. in ſuo Mandato Paſtor. anno* 1714.
(b) *Hug. Grot. Rivet. Apologet. diſcuſſ. apud Emin. Cardin. Gotti de vera Chriſti Eccleſ. Tom. I.*

invenit; ſed merum *conſenſum*: non Romanæ Eccleſiæ Pontifices erroris cujuspiam, quem docuerint, reprehendit: ſed eosdem communis doctrinæ & univerſalis, in quam cæteræ Eccleſiæ omnes una aſſenſione conſpirarint, fideliſſimos cuſtodes laudat.

Aſt, bona DD. Proteſtantium pace, denuo virum hunc differentem audiamus. Alibi de eodem Traditionum argumento ſcribens, ſic ait: *Traditionis autem dignoſcendæ Regulas eas agnoſco; quas conſignavit Vincentius Lirinenſis, approbantibus Catholicis, & Proteſtantium multis.* . . . (Summa Vincentii Regularum hæc eſt: Ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.) *Judicium autem traditionis, quod quidem omnium generum hominibus conveniat, nullum aut a DEO datum, aut ab hominibus repertum, aut reperiri poſſe melius arbitror; quam quod eſt a Concilio Univerſali: neque aut hactenus eveniſſe, aut eventurum, ut in Concilio univerſali, id eſt, a ſelectis undique Epiſcopis & Doctoribus aliquid pronuntietur, & ab omni Eccleſia recipiatur, in quo periclitetur populi ſalus.* Tum Rivetum, contra quem pugnat, alloquitur: *Si D. Rivetus mihi viam & tutiorem, & certiorem monſtrare poteſt, monſtret. Nam dicere: Nos habemus Verbum DEI, & verum ſenſum & Spiritum ejus, commune eſt omnibus.* (c)

Finio & ego cum Grotio: *Si* DD. Proteſtantes *viam & tutiorem & certiorem monſtrare poſſint*; eam oro, ut ſibi, mihique deſignent. *Dicere: Nos habemus Verbum DEI & verum ſenſum & Spiritum ejus, commune eſt omnibus*; ſed nemini tutum. Nam, ut ait, Vincentius Lirinenſis, quem citat & ſequitur Grotius, *Scripturam Sacram pro ipſa ſua altitudine, non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur: ac pene quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videntur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius* . . [addo: aliter Lutherus, aliter Calvinus, aliter Zwinglius &c.] *Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.* His ſummam adnectit, de qua ſupra dixeram: *In ipſa item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* (d)

Iſtud quod Catholici teneamus, ipſa tot Conciliorum loquuntur volumina, non ea ſolum, quæ labore noſtro Coloniæ edidimus, & adhucdum, DEO favente, edemus: ſed quæ ante nos, tum hic Coloniæ a Laur. Surio, & Sever. Binio, tum in Gallia a Merlinio, PP. Sirmondo, Labbeo, Coſſartio, & Harduino: in Italia a Coleto & Manſio: in Hiſpania a Garſia Loaiſa: in Anglia a Spelmanno & Wilkinio: in Hungaria a Carolo Peterfey, & aliis alibi hactenus evulgata ſunt.

Iſtud quod Catholici teneamus, hoc ipſum eſt, de quo gaudemus, de quo gloriamur & gratulamur nobis: in eoque ſpem firmam æternæ ſalutis, in DEI Verbo ac promiſſione fundatam, reponimus.

Videant DD. Proteſtantes, an parem ſpem, ſimili promiſſione Divina nixam, in privato, quem ſibi fingunt, Scripturæ ſenſu, Spirituque, quem olim quoque ſuo pro libitu Ariani, Sabelliani, Macedoniani, cæterique ab univerſalis Chriſti corpore ſejuncti, quos ipſi hæreticos appellant, ſecuti ſunt, valeant collocare. Utinam idem nobiscum aliquando ſapiant, utinam nobiscum, *id, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, teneant*; ut nobiscum etiam, quod unice optamus, æternam ſalutem conſequantur!

CAPUT II.

De Synodis Conſtantienſi & Baſileenſi prætermiſſis: de celebrioribus hujus Sæculi XV. Scriptoribus Canoniſtis Germanis, ac de variarum Sectarum erroribus in eodem Sæculo per Germaniam diſſeminatis.

§. I.

De Synodis Conſtantienſi & Baſileenſi prætermiſſis.

OMnia inter Concilia, quæ ad hoc uſque ſæculum in Germania celebrata ſunt, duo hæc, Conſtantienſe & Baſileenſe fuere celeberrima, ſive perſonarum, quæ eo convenere, dignitatem & frequentiam; ſive rerum, quæ in illis geſtæ ſunt, magnitudinem ſpectes: videbanturque huic Germanicarum Synodorum collectioni inſerenda tanto magis, quod utrumque Sigismundo, Germanorum

(c) *Hug. Grot. Vot. pro pace Eccleſ. Apud eund. Cardin. Gotti Lib. cit.*
(d) *Vincent. Lirinenſ. Commonit. n.* 2.

rum Imperatore, urgente a Romano Pontifice, ad urbem Germaniæ, propter grassantes in Germania hæreses, convocatum: Constantiense insuper, eodem Imperatore præsente, celebratum, ejusdem auctoritate & potentia protectum, ac demum impensarum magna vi, susceptis etiam ab ipso gravissimis in Galliam, Angliam, Hispaniam itineribus promotum fuerit.

Utrumque tamen ex Eruditorum consilio prætermisimus. Varia fuere, quæ ad id impulerunt. Præcipua, ut ingenue fatear, causa fuit, ipsa cujuslibet hujuslibet hujus Concilii vastissima moles. Nam Clar. von der Hardt ex solius Concilii Constantiensis actis octo implevit Tomorum volumina, neque tamen nactus est universa, quæ in eodem gesta sunt. Nec minor forsitan moles exsurgeret, si, quæ Basileæ fuere disceptata, secundum suam latitudinem essent evulganda. Addi insuper Basileensibus actis deberent Ferrariensia, ac dein Florentina, cum ob rerum se invicem tangentium seriem, nexumque, alia sine aliis intelligi vix possint. Quæ omnia si collectioni huic, per se satis amplæ, adjicerentur, opus hoc multorum admodum Tomorum accessione, non sine magno & Bibliopolæ & emptorum sumptu augeretur. Multa præterea Constantiæ, multa item Basileæ non conciliariter, ac contra receptam Ecclesiasticis in Synodis normam, institutis præter Episcoporum congregationes nationum Consultationibus, aliisque ejuscemodi, gesta sunt, unde nec omnia Romanis a Pontificibus probari meruere. Utriusque tamen Synodi brevem dedimus Synopsin, & Constantiensis quidem Diarium in ipso hujus Tomi corpore, Basileensis vero epitomen Historicam in Supplemento.

Addere his lubet ex Harduino Observationem P. Philippi Labbe, una cum judicio Clar. Viri Lucæ Holsteinii de Concilio Basileensi, an editioni Conciliorum Generalium inserendum sit.

Observatio Philippi Labbe, Societatis Jesu.

Auctor vitæ Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Francisci de Rupe Fucaldi, extremo capite IX. libri primi, eum, cum Romæ anno MDCIX. degeret, illud Ecclesiæ communiter contulisse asserit, quod pars Basileensis Concilii post schisma habita, & in vetustis editionibus vano quodam offensionum metu hactenus conservata, ut deinceps expungeretur, Pontifici & Cardinalibus auctor fuerit. Certe in editione G. L. Romana Conciliorum Generalium, quæ ab anno MDCVIII. incboata, anno demum MDCXII. perfecta omnibus suis numeris atque absoluta est, non solum extrema illa pars Concilii Basileensis deest, sed & prima desideratur, adeoque & ipse titulus. Disputatum quoque fuisse acerrime, & eos, qui excudendum, cum cæteris censebant Basileense Concilium, pervicisse disces ex sequenti ad lectorem admonitione: quæ nisi intercessisset Cardinalis Rupe Fucaldius apud Pontificem, & purpuratos Patres, a Curatoribus illius editionis fuerat pro more in reliquis usitato præfigenda. Eam uti ad me Roma fuit transmissa, tecum lector communicabimus.

De Concilio Basileensi, cum cæteris Conciliis Generalibus edendo in lucem Romæ, vel non edendo, in utramque partem admonitio ad lectorem, ex Schedis V. C. Lucæ Holstenii Hamburgensis, Sancti Petri in Vaticano Canonici, ad nos transmissa.

BAsileense Concilium non immerito rejiciendum est a numero Generalium Conciliorum: quamvis enim legitime inchoatum fuerit, tamen progressum & exitum illegitimum sine dubitatione habuit. Primum, quoniam ab Eugenio IV. Summo Pontifice decretum est, ut Ferrariam transferretur, quod Imperator & Patriarcha Græcorum, & cæteri Episcopi Græci nollent ad Basileam usque iter suscipere.

Deinde, quia post discessum Legati Apostolici mansit Concilium acephalum; cum Summus Pontifex, neque per se, neque per Legatos ei præfuerit. Est autem regula Ecclesiastica, ut sine Summo Pontifice Generalia Concilia celebrari non possint; cujus regulæ meminit Julius primus in Epistola ad Episcopos Orientales, apud Socratem, Lib. II. cap. XIII. & Sozomenum Lib. III. cap. IX. atque ex ea regula in Concilio Chalcedonensi Act. I. jubetur Dioscorus non sedere inter Episcopos, quod Synodum facere ausus sit sine auctoritate Apostolicæ Sedis, quod nunquam licuit, neque factum est. Et in Concilio Nicæno secundo Act. VI. reprobatur Concilium quoddam Constantinopolitanum, quod sine consensu Romani Pontificis actum fuisset.

Tertio, Quia in Concilio Basileensi præter morem omnium legitimorum Conciliorum ob Episcoporum paucitatem admissi sunt ad vocem etiam decisivam plurimi minores Sacerdotes. Id quod ex Ænea Sylvio Lib. I. de Concilio Basileensi cognosci potest, ubi scribit, Archi-Episcopo Panormitano reclaman-

te & contradicente, inferiorum multitudinem in Concilio illo prævaluisse; de qua re sic loquitur, eodem referente Sylvio, Ludovicus Cardinalis Areiatensis , qui in eo Concilio contra voluntatem Summi Pontificis præsidebat; *Episcopi*, inquit , *quos solos Panormitanus habere vult vocem* , *videtis, quam pauci nobiscum sunt: & illi ipsi, qui præsentes adsunt, haud quaquam virtute valent perrumpere iniquitatem. At ipsi inferiores ipsi sunt, qui justitiam, qui veritatem, qui denique ipsum Deum præ oculis habuerunt, habendaque his gratia est, quod tales se Dei Ecclesiæ præstiterunt.* Et paulo superius: " Ubi nunc, inquit, Concilium, si soli Episcopi, solique Cardinales vocem habuissent ? At vetera Concilia Generalia omnia solos Episcopos majoresque Prælatos ad vocem admiserunt : hinc est illa vox Concilii IV. Generalis Act. I. " Mitte foras superfluos: Concilium Episcoporum est.

Quarto, quia eodem tempore Concilium Generale habebatur Ferrariæ , ac paulo post Florentiæ, ubi Summus Pontifex præsidebat, aderantque Episcopi Græci & Latini in magno numero, atque una cum ipsis Imperator Græcus, & Orator Imperatoris Latini: & cum unum tantum Generale Concilium uno tempore haberi possit, facile est judicare, utrum e duobus Concilium Generale legitimum esset.

Quinto, Quia tam sæva pestis eo tempore Basileæ grassata est, Ænea Sylvio teste, in secundo libro de Concilio Basileensi, & tam multi Patres vel extincti sunt, vel inde abire coacti , ut Christus ipse de Cælo pro Vicario suo pugnare videretur. Concilium enim illud in id potissimum incumbebat, ut Eugenium Pontificem in ordinem redigeret, vel de solio deturbaret.

Sexto, Quia Felix V. Antipapa, quem Basileense Concilium Eugenio IV. Summo Pontifici legitime creato opposuerat, veritate tandem aliquando agnita, Pontificatu se abdicavit: atque hoc ipsum Concilium , a quo creatus fuerat, primus ipse damnavit, seque Nicolao V. Eugenii Successori subjecit.

Septimo, Quia Concilium ipsum Basileense Lausanam postea translatum, deposita contentione cum eodem Nicolao Pontifice in gratiam rediit , ut ex Epistola Nicolai post finem Concilii adjecta, intelligi potest. Qui Nicolaus nulla ejus Concilii Decreta de fide vel moribus confirmavit, sed solum ad lites evitandas & conservandam pacem indulsit , ut qui Beneficia Ecclesiastica a Felice Antipapa acceperant, ea licite retinere possent: atque alia id genus, quæ ad Beneficia vel censuras Ecclesiasticas pertinebant, rata esse voluit.

Postremo , quia Synodus Lateranensis sub Leone X. Sess. II. Basileense Concilium aperte reprobavit , dum illud non Concilium Ecclesiæ, sed Conciliabulum sive Conventiculum appellandum censuit.

His igitur de causis Concilium Basileense locum inter Generalia Concilia habere minime debuit. Quia tamen in omnibus editionibus hactenus impressum fuit, ne quis forte quereretur in hac editione fuisse prætermissam , visum est illi locum, quem sibi quodammodo præscripserat , reservare : quemadmodum in ipsis sacris Bibliis, & in sanctorum Patrum voluminibus, apocrypha nonnulla, quæ ab antiquis temporibus inserta feruntur, notari videmus, non auferri.

Hæc Luc. Holsteinius.

§. II.

De Scriptoribus, præcipue Canonistis, Germanis, qui Sæculo XV. floruerunt.

GOBELINUS PERSONA, in Paderbornensi Diœcesi natus (locum incompertum scribit *Schaten. in Annal. Paderb. pag.* 530) a primis annis literis operam dedit inter suos : profectus in Italiam, politioribus studiis, Canonici præsertim juris, ætatem præclare excoluit. Multos dein annos cum Theoderico Niemio, populari suo, in Curia Romana transegit , Pontificibus & Cardinalibus familiaris. Sacerdotio Ornatus anno 1386., in Patriam rediit. Primum Capellam SS. Trinitatis Paderbornensi in urbe rexit, Conciones simul dixit in Templo forensi. Constitutus a Wilhelmo Episcopo Paderbornensi, causarum Ecclesiasticarum Judex, cum Cleri emendationem urgeret vehementius, & Ecclesiæ libertatem contra Magistratus Urbani edicta acrius defenderet; multis injuriis vexatus, Bilefeldiam secessit. Hic Collegii Canonicorum Decanus electus, eam dignitatem usque ad annum 1416. tenuit. Tandem negotiorum pertæsus, ad Bodecense Cœnobium se contulit, ibidemque inter Religiosos, sanctæque vitæ Sacerdotes, reliquam ætatem exegit. *Schaten. L. cit.*

Scripsit Historiam ab orbe condito, per sex ætates divisam, eamque ad annum 1418. produxit, quo & scribere & vivere desiit.

Titulum operi dedit: *Cosmodromium.* Francofordensibus id typis excusum anno 1599. Recusum Helmstadii A. 1688.

HENRICUS HASSUS, vel de Langenstein, Theologicæ Licentiæ gradum obtinuit in Universitate Parisina. Dein Canonicorum Wormatiensium Collegio adscriptus, Viennensi in Universitate sacram scientiam docuit.

Her-

Hermannus von der Hardt Tomo II. rerum Concilii Constantiensis profert Opusculum, in quo Henricus, de quo agimus, scribitur Vice-Cancellarius Academiæ Parisiensis. Hic operi præfixus est titulus: *Henrici de Langenstein de Hassia Germani, Theologi illo tempore & Vice-Cancellarii Academiæ Parisiensis, qui fata Concilii Constantiensis vidit & superavit, Consilium pacis de unione ac reformatione Ecclesiæ in Concilio universali quærenda.* Ex antiquissimo codice MS. Academiæ Helmstadiensis.

Scripsit præterea I. *Tractatum de Antichristo & Schismate.* II. *De instructione Sacerdotis.* III. *Tractatum de Horis Canonicis.* IV. *Tractatum contra Wicleffistas.* V. *Contra fratrem Telesphorum.* VI. *De Canonicis Regularibus.* VII. *Librum de contractibus & ordine censuum* inter opera Gersonis relatum

Trithemius de Scriptor. Ecclesiast.

HENRICUS DE HASSIA, Eremita Augustinianus, scripsit *Tractatum de clavibus Ecclesiæ & Indulgentiis.* Putant aliqui eum transiisse ad Cartusiam. Obiit anno MDXVII. Sunt, qui judicent, eundem esse cum præcedenti. *Dupinius in nova Bibliotheca nil decidit.* Negat Petrejus in Biblioth. Carthusiana pag. 131.

NICOLAUS DE DUNCKELSPIEL, Suevus, Rector Universitatis Viennensis in Austria: interfuit Conventibus Constantiensi, & Basileensi: scripsit I. *De tribus partibus pœnitentiæ.* II. *De septem peccatis mortalibus.* *Trithemius de Script. Eccles.*

HENRICUS KALTEISEN, Germanus, Patria Confluentinus, Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, Fidei apud Colonienses Quæsitor, deinde Palatii Apostolici Magister, tandem Nidrosiensis in Norwegia Archi-Episcopus creatus. Obiit Confluentiæ, ibidemque sepultus anno 1465. in Ecclesia sui ordinis.

Dissertatio ejus Triduana: *De libera Verbi DEI prædicatione, non omnibus concedenda*, dicta in Concilio Basileensi contra Bohemos Hussitas, extat apud Synodographos, *Binium, Labbe, Harduinum.*

Scripsit præterea *Tractatum, quomodo, qui præsunt, se debeant habere, quando mala exorta perseverant.* Ubi multa recenset de Ecclesiæ regimine contra Schismaticos.

Natalis Alexand. Hist. Ecclesiast. Tomo VIII. Echard & Quetif Tom. I. Script. Ordinis Prædicatorum.

THEODORICUS A NIEM. Patriam habuit oppidum Niehemium in Diœcesi Paderbornensi, uti Paderbornenses ipsi scribunt in suis ad Martinum V. Literis, ubi eum inter Illustres suæ Diœcesis Viros numerant, oppido Niehemio oriundum. Falluntur proinde, qui eum equestri Niemiorum familia apud Osnabrugenses natum volunt. Literis domi excultus, in Italiam abiit, septemque supra quadraginta annos in Curia Romana sub quinque Pontificibus: Gregorio XI, Urbano VI, Bonifacio IX, Innocentio VII, & Gregorio XII. versatus fuit, inter Abbreviatores literarum Apostolicarum adscriptus. Sacerdotium obtinuit Lucæ. Qui cum *Crantzio* eundem Ottoni Brunswicensi in Cathedra Verdensi subrogatum, ac dein ad Metropolitanam Cameracensem translatum scribunt, fidem apud eruditos non inveniunt. Recte *Schaten* in Annalibus Paderb. Parte II. L. XVI. pag. 531. eum Romæ privatam semper vitam coluisse opinatur. Obiit Constantiæ, tempore Concilii anno 1416.

Historiam annorum XXXVIII. complexus fuit Libris quatuor. Horum tres priores agunt *de Schismate* suorum temporum: Quartus inscribitur *Nemus unionis.* His quintum addidit *De vita Joannis XXIII. Papæ*, usque ad ejus depositionem a Pontificatu in Concilio Constantiensi. Acerbus in Pontifices, & mores Romanorum Scriptor, Quales plerumque esse solent, inquit *Schaten*, qui vel cum Platina læsi, vel speratis honoribus potiti non sunt.

P. Henricus Schutz S. J. in *Commentariis suis Criticis* editis A. 1761. nititur evincere, Theoderico Niemo, universa hæc opera falso fuisse adscripta.

Cæterum Natalis Alexander de Theodorico hoc nostro scribit, quod Pontifices quidem tempore schismatis Romæ vel Avenione sedentes acerrime insectetur, ac discerpat; Hæreseon tamen ac schismatis hostem infensissimum se prodat.

JOANNES WIMPHELINGUS, Sletstadiensis, Ecclesiæ Spirensis Presbyter: hujus honorifice meminit Paulus Langius in Chronico Citizensi. Floruit apud Nemetes anno circiter 1494. Præter alia scripsit

Epitomen Imperatorum, & Rerum in Germania gestarum.

NICOLAUS SIMON DE HARLEM Carmelita. Floruit extremo Sæculo XV. Obiit Sæculi sequentis anno XI. Scripsit

I. *Commentarios in IIdum Decretalium.*
II. *Tractatum de Potestate Papæ, Imperatoris, & Concilii Generalis.*

HENRICUS COSFELDIUS, Ordinis Carthusiani, Prior domus S. MARIÆ prope montem Sanctæ Gertrudis in Hollandia. Præter multa, quæ ad Theologiam & Ascesin pertinent, scripsit

I. *De tribus Votis Religiosorum substantialibus.*
II. *Contra vitium proprietatis.*
III. *De institutione Novitiorum.*
IV. *De tribus custodiis Monasticis.*

Petrejus in Biblioth. Carthusian.

HERMANNUS DE CAMPO, Mariæ (Marienheid) Ordinis Cisterciensis. Floruit & scripsit circa annum 1440.

I. *Tractatum de potestate Papæ & Concilii.*
II. *Tractatum de Schismate & Neutralitate.*
III. *De vocibus definitivis in Concilio Generali.*

Dupin. Tom. XII. Nov. Bibl. pag. 119.

JOANNES ERNESTUS, Doctor Universitatis Heidelbergensis scripsit

Tractatum de Auctoritate Concilii.

Dupin. Tom. cit. nov. Bibl. pag. 117.

BARTHOLOMÆUS, Ruræmundanæ Carthusiæ Prior, Patria Trajectensis ad Mosam. Præter plura Ascetica, scripsit

De auctoritate Concilii supra Papam.

Obiit Coloniæ Anno 1446. IV. Id. Junii.

JOANNES DE RODE, Trevir, post lauream Doctoris in Universitate Heidelbergensi obtentam, renuntiatis, quæ tenebat, Beneficiis Carthusianum prope Treviros amplexus est institutum. Inde ob vitæ perfectioris famam, ad Clerum aliorum Ordinum reformandum, per Archi-Episcopum Trevirensem, probante Martino V. Papa, extractus, celebri Monasterio Sancti Matthiæ prope Treviros Abbas præficitur. Huic viro prima tribuuntur celeberrimæ Congregationis Bursfeldensis initia, cujus & caput scribitur.

Librum scripsit *Constitutionum*, & *de Qualitatibus Abbatum.*

Brower. in Annal. Trevir. Tom. II. & *Dupin. Tom. XII. Biblioth. novæ AA. Ecclesiast.*

NICOLAUS CUSANUS, ortum & nomen accepit ab obscuro olim Diœcesis Trevirensis pago *Cusa*, Berncastello ex altera Mosellæ ripa opposito. Quam paupere e familia, piscatore Patre natus, tam divite præditus ingenio fuerat, & rerum maximarum capaci, quod sua etiam solertia ita perpolivit; ut linguam Hebraicam, Græcam, Latinam complecteretur, ac vix ullum vel Mathematicis in disciplinis, vel in Historiarum notitia, vel in juris prudentia, vel in sacrarum peritia literarum parem sua ætate reperiret. Confluentiæ Canonicorum adscriptus Collegio, ob eminentes dotes Ecclesiæ ad S. Florinum Decanus electus, tres *de concordantia Catholica* libros, ab se elaboratos, Patribus Basileæ congregatis obtulit. His aliquantulum adhæserat, dein vero, cum eorum consilia novum in schisma videret inclinare, ad Eugenii Papæ partes se transtulit, eumque contra Basileenses omni studio defendit, *Eugeniarum partium Hercules* ab Ænea Sylvio appellatus. A Nicolao V. Eugenii Successore Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, dein Brixinensis etiam Ecclesiæ Episcopus creatus, maximis Apostolicæ Sedis Legationibus in Germania, Gallia, Anglia præclarissime perfunctus est. Amplum in Cusano suo ad Mosellam natali solo, cum decoro templo erexit Nosocomium, quod honestis auctum Sacerdotiis, largis opibus ad pauperum miserias sublevandas cumulavit, addita Bibliotheca veterum librorum Græci, Latinique Sermonis, in omni genere disciplinarum lauta & exquisita. Par studium liberalitatis exercuit erga Daventrienses, excitato apud hos Seminario, constitutisque vectigalibus, unde sustentari in optimarum artium studiis Mosellani Adolescentuli non pauci possent. Obiit Tuderti in Umbria pridie Idus Augusti anno 1464. Corpus Romam delatum, in Ecclesia S. Petri ad Vincula conditum, cor vero ad Cusanum, quod diximus, Nosocomium deportatum, ibidem in æde sacra marmoreo lapide tectum est. Vir fuit integritate vitæ atque innocentia prorsus admirabili, in maximæ famæ ac dignitatis luce tanta semper animi moderatione usus, ut obscuro se loco, ac piscatore Patre natum esse, ignorari non vellet.

Scripsit I. *De Concordantia Catholica Libros tres.*
II. *De docta Ignorantia Libros tres* ad Cardinalem Julianum Cæsarinum, eorumque *Apologiam.*
III. *Excitationum Libros decem.*
IV. *Cribrationis Alcorani Libros tres.*
V. *Idiotæ de Sapientia Libros quatuor.*

Aliaque opera tribus Tomis comprehensa.

DIONYSIUS RICKELIUS, hoc nomen sortitus ab Hasbaniæ pago, in quo natus fuit, Carthusiam Ruræmondanam uti admirabili pietate vitæ, sic & scribendi industria illustravit, Doctoris extatici nomen promeritus: obiit Ruræmundæ 1471. cum magna opinione Sanctitatis. Longum operum Catalogum, quæ pro omni hominum genere erudiendo elucubravit, exhibet *Petreius in Biblioth. Carthusiana.*

Excerpo sequentia, quæ huc pertinent:

I.

I. *De Auctoritate Summi Pontificis & Concilii Generalis Libri III.*

II. *De vita & regimine Præsulum Lib. I.*

III. *De vita & regimine Archi-Diaconorum. L. I.*

IV. *Contra pluralitatem Beneficiorum L. I.*

V. *De Simonia Lib. II.*

VI. *De vita Canonicorum L. I.*

VII. *De vita & regimine curam animarum habentium.*

Impressa Coloniæ Tomo I. Operum minorum anno 1432. Typo Joannis Soler. Commentarios edidit in omnes Sacræ Scripturæ Libros, aliaque quam plurima Opera Ascetica & moralia.

JOANNES NIEDER, Ordinis Prædicatorum, Theologicis Scientiis Viennæ in Austria, dein Coloniæ excultus, Basileæ Fratrum conventum rexit eo tempore, cum Basileense celebraretur Concilium. Solertem Concilii Patribus navavit operam, variis perfunctus Legationibus, præsertim in causa Bohemorum ad Ecclesiam reducendorum.

Edidit I. *Tractatum de decem Præceptis.*

II. *Manuale Confessorum ad instructionem Parochorum.*

III. *De Contractibus Mercatorum.*

IV. *Epistolas duas ad Bohemos Tom. XII. Concilior. insertas.*

V. *De Reformatione Religiosorum Libr. III.*

Præter complura alia.

Echard & Quetif. in Script. Ord. Prædicatorum.

HENRICUS A GORCOMIO, Natione Batavus, postquam Laurea Doctoris donatus fuisset Parisiis, anno 1419. Coloniam venit, rem literariam ibidem promoturus. Celebre Gymnasium, quod ab ejus Successore Gerardo Terstege a Monte Domini Montanum appellatum est, primus rexit ab anno 1420. ad 1431. A Præposito Collegii Metropolitani Coloniensis Universitatis Pro-Cancellarius ob doctrinæ præstantiam nuncupatus fuit. Scripsit præter permulta alia

I. *Tractatum de Cærimoniis Ecclesiasticis.*

II. *De celebritate Festorum.*

III. *Conclusiones & concordantias Bibliorum ac Canonum in Libros Magistri Sententiarum, additis ad Distinctiones singulas Summariis, itemque erroribus Magistri, Parisiis & in Anglia damnatis.*

IV. *Consultationes de temerario judicio Hussitarum circa potestatem Papæ.*

Natal. Alexand. Hist. Eccles. T. VIII. Hartzheim Biblioth. Colon.

HENRICUS DE WERLIS, Ordinis FF. Minorum Sancti Francisci Conventualium, in Universitate Coloniensi Ss. Theologiæ Doctor. Durante Concilio Basileensi scripsit

Tractatum *de potestate Ecclesiastica & Concilii Generalis.*

Dupin T. XII. Bibl. novæ AA. Eccles. pag. 118.

HENRICUS INSTITORIS, Germanus, Ord. Prædicatorum, vir sua ætate Clarissimus, Theologiæ Magister & Professor. Magno exarsit fidei religionisque tuendæ studio. Ab Innocentio VIII. datis anno 1484 literis, cum Jacobo Sprengero per quinque Provincias Metropolitanas Germaniæ Moguntinam, Coloniensem, Trevirensem, Salisburgensem, & Bremensem fidei Quæsitor constitutus, sui auctoritatem officii egregie sustinuit. Plura scripsit. Huc pertinent

I. *Tractatulus adversus errores D. Antonii Roselli J. U. D. de plenaria potestate Pontificum.*

II. *Clypeus defensionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra Pikardos & Waldenses.*

III. *Malleus maleficarum per Henricum Institoris, & Jacobum Sprengerum, Ord. Prædicat.*

Quetif in Script. Ord. Prædicat.

NICASIUS DE VOERDA, seu VORDANUS, Mechliniæ in Belgio natus, quarto ætatis suæ anno lumen oculorum amisit: sed cæcitatis hoc damnum ingens discendi ardor, memoriæ tenacitas, & interna mentis perspicacia ad orbis admirationem compensavit. Solo ex auditu tantum scientiarum assecutus fuit, ut Lovanii primum Magister Artium creatus, nec diu post ibidem Licentiam in Theologica Facultate adeptus, demum & Coloniæ Canonici Doctor Juris fuerit renuntiatus, ac mox Canones Pontificum, Legesque Cæsareas pari facundia, famaque publice explanaverit. Apostolica indulgente Sede Sacerdos consecratus excepit audivitque confitentes, Sermones ad populum dixit; tantum ad Aram non celebravit. Scriptor Chronici Coloniensis ad annum Christi 1489. testatur, illum se & pro Concione dicentem, & Collationes habentem, cum admiratione audivisse. Vivere desiit anno 1492., in Æde Metropolitana Coloniensi sepultus.

Excepti illius ex ore sunt, editique in lucem

I.

I. *Casus longi super institutis.* In fine legitur: *Opus lecturæ magistralissimum.* Huic operi adjuncta

II. *Arbor actionum utilissima Domini & Magistri Nicasii Mechliniensis de Voerda, cæci a quarto anno Nativitatis suæ, attamen LL. AA. & Juris Canonici Professoris Clarissimi, & Sacræ Theologiæ Licentiati.*

III. *Enarrationes in Libros IV. Institutionum Juris Civilis.* Hæ primum Coloniæ impressæ Anno 1493. Recusæ Francofurti 1513. Lipsiæ 1541. Lugduni 1566. ibidemque iterum 1579.

Eisengrein. Cratepolius, Trithemius, Middendorpius L. V. de Academiis. Annales Facult. Artium Universit. Coloniens.

§. III.

De erroribus variarum Sectarum, Sæculo XV. per Germaniam disseminatis.

INter omnes Europæ Provincias solius Germaniæ istud hoc Sæculo fatum fuit, ut diversissimorum errorum fœda colluvies undique in eam conflueret, magnamque ejus partem atrociter devastaret. Non deerant quidem aliis etiam in Regionibus homines, qui, vertigine quadam abrepti, vel damnata jam pridem, vel recenter excogitata prava dogmata dispergerent, & cum aliis ore, calamoque communicarent. Fecit hoc Joannes Parvus in Gallia, fecit Augustinus de Roma in Italia, fecit Petrus de Osma in Hispania. Sed quæ ab his sparsa fuerunt mala semina, in ipso mox ortu suo ita suffocata sunt penitus: ut nunquam denuo repullulaverint, nec in grave Ecclesiæ damnum sese diffuderint. Una cum suis authoribus eorundem errores pariter interierunt, omnisque illorum memoria consopita est. Cum econtra, qui in Germaniam nostram hoc infelici Sæculo vel aliunde invecti, vel in ea nati sunt, tam firmam continuo, tanquam in parato solo, fixerint sedem, brevique intervallo temporis, adeo propagati sint, ut eradicari vix possent, & etiamnum adhuc in plurimarum animarum æternam perniciem, & in gravissimam Ecclesiarum Germanicarum, totiusque Christianæ Reipublicæ calamitatem grassentur.

Primo loco hos inter numerari merito debent dogmata Wicleffi, quæ ex Anglia in Germaniam transportata, & ab Husso excepta sunt.

Quanta pertinacia fuerint eadem tum ab hoc, tum ab ejusdem sequacibus defensa, quantum sanguinis pro illis tuendis ab Hussitis, quantum ex adverso pro eorundem exstirpatione a Catholicis profusum sit, Annales eorum temporum ad horrorem posteritatis commemorant. Sed non de his tractabo prolixius hoc loco. Cum enim ex Hussi erroribus multos Lutherus, multos Calvinus adoptaverint, visum est, futurum opportunius, si quæ dicenda de his essent, sequentem in Tomum reserventur; ut commodius tota rerum inter se connexarum series uno ordine pertexatur.

Eodem fere tempore, quo Hussitica tempestas erupit Pragæ, novis etiam erroribus turbari cœpit Belgium. Duobus ab auctoribus natum, auctumque est malum. Alter homo laicus fuit, *Ægidius Cantoris*: alter Ord. B. V. de Monte Carmelo, Sacerdos gradu, officio Concionator, *Wilhelmus de Hildernissen.* Uterque Belga. Ab his simul eandem in hæresin conspirantibus nova condita secta est, quam *Hominum intelligentiæ* appellabant, melius *Insipientiæ* nuncupassent. Vix sua spargere dogmata Bruxellensi in villa cœperant, cum Petrus de Alliaco Archi-Episcopus Cameracensis, pro suo in Religionem studio, errorum Auctores ad Conventum S. Quintini, Fratrum Prædicatorum, Diœcesis Noviomensis, evocavit, causaque ibidem coram ejusdem Conventus Priore, qui fidei Quæsitor fuerat, instituta, hæc comperta sunt errorum capita, quæ docuerunt.

Asserebat Ægidius, I. *Se esse Salvatorem hominum, qui per ipsum visuri essent Christum, sicut per Christum Patrem.*

II. *Diabolum & omnes homines finaliter esse salvandos: ac tunc Luciferum, non superbum, sed humillimum* esse futurum.

III. *Actus carnalis copulæ Paradisi delectationes* vocabat homo spurcissimus, eosque *sine peccato exerceri* docebat.

IV. *Omnes actus nefarios ad Divinam referendos esse voluntatem.*

V. *Tempus veteris legis tempus fuisse Patris: tempus novæ legis, Filii: tempus vero proximum, Spiritus Sancti, quod tempus Eliæ appellabat, quo reconciliabuntur Scripturæ; ut quæ prius tanquam vera habebantur, jam refutentur; sicut & Catholicæ veritates, quæ consueverunt prædicari de paupertate, continentia, obedientia, quarum oppositum hoc tempore Spiritus Sancti prædicandum esset.*

Hinc *Afflatum Spiritus Sancti etiam in rebus inhonestis jactitabat*: *Orationes, jejunia, Ecclesiæ præcepta, castitatem & continentiam summopere oderat, nullam esse omnino in mundo virginem effutiens, præter unam, cui* Sapientiæ *nomen.*

De purgatorio autem & inferno singulari & ficto modo loquebatur.

Mirabatur, quod aliquis signaret se signo Crucis, & dicebat: Estis & vos adhuc benedicendi?

His Ægidii fatuitatibus sua addidit deliria Fr. Wilhelmus:

I. *Qui dicunt se habere velle, nihil dicunt. Deus enim totum facit: & omnia sive bona, sive mala, fiunt voluntate Divina.*

II. *Quod nullus homo purus in via actibus suis mereatur aliquid vitæ æternæ; sed Christus solum, qui in cruce omnia meruit.* Ideoque *illud, quod homo agit, non cedit sibi ad meritum, vel demeritum, nec ad salvationem, aut damnationem: sed passio Christi satisfecit pro omnibus.*

III. *Quod homo exterior non maculat interiorem: nec homo interior unquam damnabitur.*

IV. *Quod Presbyteri, audientes confessiones, non remittunt peccata, sed Christus: ex eo, quod peccator non potest remittere peccata.*

V. *Quod Deus est ubique, in lapide, in membris hominis, & in inferno, sicut in Sacramento Altaris.*

VI. *Quod Resurrectio amplius non sit futura, quia jam facta in Christo, eo quod sumus Christi membra, & non surrexit caput sine membris.*

Hos aliosque errores a se assertos fuisse, coram Petro de Alliaco confessus est Wilhelmus, eosque solenniter & voce & scripto ejuravit: ac dein etiam Cameraci ac Bruxellis publice revocavit Anno 1411. Acta ipsa videri possunt apud *Du Plessis Tom. I. Part. 2. pag.* 201.

Vix ea profligata e Belgio hæresis fuerat, cum antiqua ADAMITARUM obscænissima pestis, quæ secundum Ecclesiæ Sæculum sua modo spurcitia inquinaverat, denuo ab inferis resuscitata, & a Pikardo quodam in Bohemiam Wikleffi jam erroribus infectam illata fuit. *Harbsfeldius C. 4. Historiæ Wikleffianæ* eam sectam ex ipsa Wikleffi schola prodiisse scribit. De novis Sæculi XV. Adamitis, qui antiquos sua fœditate superabant, ita scribit Æneas Sylvius: *Pikardus quidam ex Gallia Belgica transmisso Rheno per Germaniam in Bohemiam penetravit: qui præstigiis quibusdam fidem sibi concilians, brevi tempore non parvam mulierum, virorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere jubens, Adamitas vocavit, & occupata insula quadam, amne Lusinicio cincta, Filium Dei se dixit, & Adam vocari. Connubia eis promiscua fuere. Nefas tamen injussu Adæ mulierem cognoscere. . . . . . Ajebat, cæteros homines servos esse, se vero, & qui ex eis nascerentur, liberos. Ex iis quadraginta viri insula exiere, & intrantes vicinas villas, evaginatis gladiis super ducentos agrestes interfecere, quos Diaboli filios asserebant. Ziska, iis auditis, quamvis sceleratus, scelus tamen exhorruit. Habet enim hoc natura hominum, ut aliena magis, quam sua quisque vitia perhorrescat. . . Direxit igitur in eos exercitum, expugnataque Insula, Adamitas omnes gladio delevit, duobus tantum reservatis, ex quibus gentis superstitionem cognosceret.* Addit Æneas Sylvius: *Audivi & ego ex Ulrico Rosensi præstanti Regulo, cum agerem in Bohemia, fuisse apud se viros ac mulieres ejus sectæ captivos . . . . quos cum anno elapso igni tradidisset, ridentes, constantesque incendia pertulisse.* (e) Nimirum *Diabolus, qui semper fuit, & erit DEI simia, etiam suos Martyres habere voluit,* ut Floremundus Remundus ait, *eoque illorum animos, quos ab Ecclesiæ unitate seduxit, specie quadam magnanimitatis armat, quæ veræ constantiæ ponderibus appensa atque examinata, nihil minus, quam veras notas illius habet: ut quæ ex infernalibus hausta fontibus, brutalitas potius, aut furor, vel insania, quam magnanimitas dicenda sit.* (f)

Natalis Alexander eandem hanc execrandam hæresin Sæculo XVI. revixisse scribit, Auctore *Adamo Pastoris,* qui Christum insuper merum hominem professus, eum natura Deum esse, cum Photino negabat. Matrimonium damnabat, quasi per se malum. Fuere & alii, Secta Anabaptistæ, qui quod nuditatem Adami æmulari gestirent, Adamitarum nomen mutuati sunt. De his Lindanus, Ruremondensium Episcopus, eo in Libro, quem *Dubitantium* inscripsit, Dialogo II. *Tales,* inquit, *fanaticos vidit Amstelodamus nostra: Hos loco honestissimo natos, & rebus lautis opulentissimos, vidit nudos discursitare nostra Hollandia anno 1535. Horum quidam tam fuere insani capitis, ut conscensis arboribus, nudi cœlestem panem frustra exspectantes, in terram deciderint semineces.* (g)

Affi-

(e) *Æneas Sylvius in Hist. Bohemica cap.* 41. *apud Cardin. Gotti Tom. II. Verit. Religion. Christ. cap. XXVII.*

(f) *Floremundus Remundus L.* 7. *C.* 6. *num.* 6. *Hist. Hæres. apud Gotti Lib. cit. cap. CVI.*

(g) *Nat. Alexand. Tom. VIII. Hist. Eccles. Cap. II. Art. III.*

Affinis Adamitarum impuræ fœci fuit Secta FOSSARIORUM, quæ sub hujus Sæculi finem ac sequentis initium in Bohemia pariter erupit, ut Joannes Trithemius narrat. *His temporibus*, inquit, *multiplicati fuerunt hæretici in Bohemia, qui vulgo Fossarii nominantur, propterea quod in fossis & occultis speluncis nocte conveniunt, turpitudinem sine differentia personarum, more bestiarum exercentes. Ecclesiam DEI & Ministros ejus contemnunt, Sacramenta irrident, infinitos scaturientes errores. Crescit autem hoc nefandissimum genus hominum, & mirum in modum quotidie augetur, in tantum, quod anno prænotato* (h) *numerus eorum major novemdecim millibus fuit inventus. Sed & nobiles, atque potentes quamplures in Regno Bohemiæ ad eos turpissimos hæreticos declinarunt: e quibus Christophorus nomine, vir nobilis & dives, quadraginta florenorum millia inter eosdem hæreticos pro eleemosyna distribuens unus ex eis factus est. . . . . Apostolorum se profitentur imitatores, homines sine Deo, sine corde, Diabolo pleni. Sunt autem homines astutissimi, & in sua secta mirabiliter docendo, disputando & defendendo periti; in tantum, quod non facile a quolibet rationibus disceptando poterunt superari. Nullus tam crassi intellectus reperitur, qui tamen usum rationis habeat liberum, qui non mox, ac sectam fuerit professus, in ea defendenda rationibus, ut eis videtur, doctissimus evadat. Sed ne quis rem alicujus miraculi existimet; causam tantæ mutationis dicemus: ut omnes non Deum, sed malignum Spiritum, in illis operantem, intelligant. Quicunque in illam secretam intromitti prudentiæ societatem exoptat, primum aliquo celebrante Catholico Sacerdote Ecclesiam ingreditur, & stans in angulo, vel secreto aliquo loco per totam Missam verba quædam contumeliosa (quæ nos propter infirmos exprimere non decet) contra Sacramenta loquitur sub silentio, cum intentione sibi a docente proposita. Quibus post finem Missæ completis, musca magni corporis advolat, & pennarum strepitu significans, se adesse præsentem, oris introitum petit: ac vero mox ac ille os suum aperierit, ingreditur illa, & homo spiritu diabolico impletur, efficiturque in ea secta doctus, & mirabiliter astutus. Verum ipsi muscam illam non Dæmonem, sed Spiritum Sanctum esse confirmant, qui in eos, ut veros Apostolorum imitatores, sicut in die Pentecostes in illos quondam descendens, eruditos faciat & constantes. Et revera non constantes; sed pertinaces fiunt: nec ullis tormentorum generibus a suis erroribus ad rectam fidem reduci unquam potuerunt.* Hæc Trithemius Auctor coævus, (i) ex quo Natalis Alexander, (k) & alii.

Fossarios propter turpitudinis societatem Adamitis adjunximus: ordine tamen temporis illos præcessit Hæresiarcha novus in Germania. Fuit is JOANNES Ruchard (alii Burchardum appellant) DE WESALIA superiore, celebri ad Rhenum oppido, Diœcesis Trevirensis. Hunc Doctoris in Academia Erfurtensi insignitum honoribus, Wormatienses Divini Verbi præconem adoptaverant. Sed officio pessime functus, dictis, scriptisque in errores tentavit inducere, quos veritatem docere debuisset. Novem præcipua fuere ejus errorum capita, ex Waldensium, Begardorum, Marsilii Patavini damnatis opinionibus, atque ex Græcorum etiam hæresi deprompta. Ex his male consarcinatis fidei suæ Systema procudit. Articulos ipsos ex Trithemio ejusdem temporis Scriptore dabimus.

Primus Articulus, quem prædicasse ferebatur, fuit; Quod Prælati Ecclesiæ non haberent auctoritatem condendi, vel aliquid addendi ad ea, quæ Christus & Apostoli dixere: Nec Summi Pontifices talem potestatem a Christo acceperunt.

Secundus Articulus: Nulli hominum, quantumcunque sancto, docto, vel erudito, licet verba Christi, & Evangelium exponere: & quod Sacra Scriptura non sit per Sanctos Patres eo spiritu interpretata, quo primitus tradita fuit & instituta.

Tertius Articulus fuit contra Papam, & auctoritatem clavium Sanctæ Matris Ecclesiæ, quia dixit: Indulgentias nihil aliud esse, quam pias fraudes, & deceptiones Christianorum, eosque stultos esse & fatuos, qui pro indulgentiis Romam pergerent, quas domi, si modo essent vere contriti de peccatis suis cum emendandi proposito, invenire potuissent.

Quartus Articulus ex primo: quod mandata Ecclesiæ, Papæ, & aliorum Prælatorum non obligent ad mortale peccatum, pro eo, quod non habeant auctoritatem legis condendæ.

Quintus Articulus: Quod non sit, nec unquam fuerit originale peccatum, nec parvulos in originali concipi, neque propterea damnari: se quoque nunquam originali subjacuisse peccato.

Sextus Articulus fuit: Quod omnes Presbyteri realiter sint Episcopi, & Papæ, soloque nomine, & hominum institutione differant: Quodque Papæ, Episcopi, Sacerdotes nihil homi-

(h) 1501. (i) *Trithem. in Chron. Sponheim.*
(k) *Nat. Alex. Hist. Eccles. Tom. VIII. C. II. art. VIII.*

hominibus conferant ad salutem; sed fide, concordia, & pace salvari posse sine Sacerdotibus.

Septimus Articulus: Jejunium, cum non sit a Christo institutum, non obligat nos ad jejunandum: Ecclesia enim obligare non potest nolentem in eo, quod Christus non præcepit, cum non habeat auctoritatem, Canones & Leges condendi, ut in primo Articulo.

Octavus Articulus: Quod extrema unctio non sit Sacramentum, quia non per Christum, sed per homines sit instituta, sed sit oleum, & manet oleum, sicut antea fuit.

Nonus Articulus fuit: Cum nusquam legatur, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio, in Sacra Scriptura, sed potius contrarium; potius est credere cum Græcis Sapientibus, Spiritum Sanctum a Patre tantum, & non a Filio procedere, quia Filius hoc dixit.

Alios quoque plures Articulos erroneos prædicasse perhibetur, sicut de Horis Canonicis non dicendis: de non servandis festis: de continentia Clericorum non servanda. De benedictionibus rerum inanimatarum in Ecclesia, herbarum, luminum, aquæ, vasorum, vestium, & similium non curandis: & alios multos.

Dogmata tam perversa cum non sine gravi Germaniæ perturbatione spargerentur in vulgus; Dietherus Archi-Episcopus Moguntinus Joannem Burchardum Wesaliensem Moguntiam postulavit: convocatisque ex Academia Heidelbergensi, Coloniensi, ac sua in Concilium eruditissimis Viris & Doctoribus, Joannem hæresis convictum damnavit, jussitque palam hæreses, quas docuerat, revocare. Tum vero conscripti ab illo libri publice in ignem conjecti & exusti sunt, ipse autem in Cœnobium Augustinianum pœnitentiæ causa relegatus, inclususque, haud multo post mœrore contabuit. (*l*) Hujus prædamnati hominis libri fontes fuere, unde Lutherus, ut ipse fassus est, dogmata sua hausit. (*m*)

Eodem fere tempore (*n*) & alius quidam impostor fuit in Franconia, homo tympanotriba & pecorum pastor. Finxit hic Beatissimam Virginem sibi fuisse oblatam, ab illaque se in mandatis accepisse, ut publice depravatam Cleri & populi vitam reprehenderet. Is igitur hominum cœtus collegit, nactusque Sectatores, nunc in templis, nunc ex fenestris ædium, qua erat facundia, peroravit ad populum: Sacerdotes, Religiososque vocavit in invidiam: Episcopis minime obtemperandum docuit, eo quod his nulla tributa esset a DEO potestas: Non solvendas esse decimas, non census, non vectigalia, quia DEUS uti Clerum, sic ejus etiam temporis nobilitatem execraretur. Omnes aquas & nemora libera esse, omnibusque communia. Aliaque hujusmodi, grata vulgo, decantabat, tanto populi concursu, ut, Nauclero teste, quodam die supra triginta millia hominum ad hunc armentarium, novum, ut vocabant, vatem audiendum confluxerint. Quia rudis literarum erat, adstitisse illi a tergo ferunt fugitivum Monachum, & Concionis argumenta suggessisse, quæ ille facunda sua audacia ad plebem declamaret. Ea hominis vesania cum apertam in reipublicæ perturbationem vergeret; Rudolphus Herbipolensis Episcopus, novum hunc Prophetam curavit captivum abripi. Mox adversus eum ex Legum præscriptis actum, lataque a Judicibus sententia in rogum conjectus fuit. (*o*)

Pari supplicio sub Sæculi sequentis initium atrocissimæ hæreseos, gravissimarumq; blasphemiarum pœnas exsolvit HERMANNUS RUISSVICH, natione Batavus. Cum varios jam ante commentus fuisset errores, eosque evulgasset, palinodia cantata, perpetuo fuit carcere damnatus anno Sæculi XV. nonagesimo nono. Inde elapsus, pristinam ad insaniam rediit, pejoresque multo, quam ante blasphemias evomuit. Comprehensus propterea Hagæ anno 1512. hæresesque suas coram Fidei Censoribus confessus, Sæcularis Magistratus potestati traditus, vivusque exustus fuit. Errorum ejus hæc summa fuit:

I. *Angelos a DEO non esse creatos.*

II. *Animæ & corporis eundem esse interitum.*

III. *Nullum esse infernum.*

IV. *Materiam, ex qua elementa facta sunt, non esse a Deo factam, sed ipsi coæternam esse.*

V. *Stultum & simplicem fuisse Christum, phantasticum ac seductorem hominum, qui universum mundum damnaverit, & neminem salvum fecerit.*

VI. *Quæcunque Christus gessit, contra rationem esse, & humano generi nocere: ac proinde ipsum Omnipotentis Dei Filium non esse.*

VII. *Moysen a Deo modo visibili Legem non accepisse, nec facie ad faciem cum eo locutum.*

VIII. *Fidem nostram fabulosam esse, fatuam Scripturam, ficta tum novi, tum veteris Testamenti Biblia.*

(*l*) *Trithem. ubi supra. Serrarius L. I. c.* 34. *in Mogunt. & L.* 5. *in Diethero. Raynald. in Hist. Eccles.*
(*m*) *Schaten. Annal. Paderb. Part. II. L. XVIII. ad annum* 1467.
(*n*) *Anno* 1476.
(*o*) *Schaten. L. cit. ex Nauclero Gener. L. & Trithem. Chron. Sponheim.*

IX. *Falſum eſſe Evangelium ex eo dicebat, quod qui potuit creare mundum ſine Incarnatione; eundem quoque ſine Incarnatione ſalvare potuerit.*

Articulos hosce cum fateretur, addidit homo impiiſſimus, ſe Chriſtianum natum eſſe; ſed a Chriſtiana Religione deſciviſſe, quod eam inſanam, Chriſtianosque omnes amentiſſimos judicaret. Ita *Emin. Cardin. Gotti* (p), & *Natalis Alex.* (q) ex *Bernardo Luxemburgo* & *Prateolo.* Præluſit impius iſte Riuswichius modernis Sæculi noſtri Deiſtis, totique incredulorum, fidem omnem revelatam negantium, turbæ, qui permultos admodum, nimium credulos, corrupto hoc ævo inveniunt Sectatores.

(p) *Verit. Relig. Chriſt. Cap. CVII. §. II.*
(q) *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Cap. II. Art. IX.*

FINIS DIGRESSIONIS SÆCULI XV.



